IOANNIS WIGGERS, ... COMMENTARIA DE IURE ET IUSTITIA...

Jan Wiggers

Digitized by Google

...IONALE VITT. EMANUELE
13
E
8

~~C. 28. b.~~
C. 20. d

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS WIGGERS,
DIESTENSIS,

S. Theologiæ Doctoris, ac Profeſſoris Regij
IN SCHOLIS PVBLICIS
ACADEMIÆ LOVANIENSIS

COMMENTARIA
DE
IVRE ET IVSTITIA
CÆTERISQVE VIRTVTIBVS
CARDINALIBVS
CVM ADNEXIS

De quibus tractat Diuus Thomas
in 2. 2. à quæſt. 47. vſque ad quæſt. 171.



LOVANII,
Apud CORN. COENESTENIVM
& IOANNEM OLIVERIVM. M. DC. XXXIX.

Sanctæ Mariæ de Scala Urbis

Digitized by Google

ELOGIVM ET COMPENDIVM VITÆ
EXIMII VIRI
D. IOANNIS VVIGGERS,

Ex Bibliotheca Belgica VALERII ANDREAE, *Deſſelij, I. V. Doct. & Prof. Regij Lovanij.*

IOANNES WIGGERS, Dieſtemij Brabantiæ opido naſcitur anno partæ ſalutis CIↃ.IↃ.LXXI. die S. Ioanni Euangeliſtæ ſacro, patre *Arnoldo*, honeſti ordinis cive, ſæpiùs Scabino, avo item *Arnoldo* pluries Conſule. Perceptis abſolutiſque natali in ſolo litterarijs rudimentis, Lovanium, altioribus diſciplinis imbuendus, ab eodem parente ſuo ablegatur; & in Pædagogio Lilij, poſt collectum biennali curriculo pulverem Ariſtotelicum, anno CIↃ.IↃ.XC. Collegij ſui primus, totiùs verò promotionis quartus in Scholis Artium pronuntiatur. Atque hiſce auſpicijs arenam deinde ingreditur Theologicam, adſumptus in alumnum Collegij Pontificij à *D. Iacobo Ianſonio*, viro verè Eximio, qui hunc diſcipulum ſuum tum ob ſingulares ingenij dotes, quas in eo obſervabat, tum ob vitæ, morumque integritatem, atque indefeſſum in ſtudijs præſertim ſacris laborem, unicè carum & familiarem habuit. Quinquennio hîc exacto, docendæ horis antemeridianis Philoſophiæ in Gymnaſio Lilij præficitur: poſtque decurſa aliquot annorum curricula Leodium evocatus à Reverendo admodum atque Eruditiſſimo *D. Ioanne Chapeavillio*, Eccleſiæ Cathedralis Canonico, & Vicario in ſpiritualibus Generali (cuius potiſſimùm curæ induſtriæque Seminarium utrumque, & quod Leodij eſt, & quod Lovanij, initia ſua debet) ut Seminario ibidem ſive Catenæ, ut vocant, præeſſet, & ſimul ſacras profiteretur litteras, anno CIↃ.IↃC.IV. Lovanium deſeruit; eoque ſucceſſu Leodij in utroque illo munere verſatus eſt, ut ſub hoc ſuo primo & Præſide & Profeſſore Seminarium illud, quod antea vile & abiectum habebatur, adeoque contemptui erat, viſum fuerit mox aſſurgere, & in admiratione eſſe apud omnes. Interim dum Leodij moratur, anno nimirum CIↃ.IↃC.VII. inſtante atque urgente in primis Doctore ſuo *D. Ianſonio*, qui eum cathedræ aliquando Lovanienſi admotum deſiderabat, gradu Magiſterij in ſacra Theologia inſignitus fuit, Exim. D. *Henricum Rampen* nactus collegam: atque exinde biennio nondum elapſo Lovanium veluti poſtliminio reverſus, primùm Collegij Atrebatenſis, deinde vix-dum vertente anno à morte Eximij V. D. *Ioannis Clarij* conſtitutus eſt Præſes Seminarij Leodienſis, quod tunc auſpicijs Sereniſſ. Principis & Epiſcopi ERNESTI Bavari Lovanij erigi cœptum, adhuc intra principia ſua hærebat; & vigilantiâ directioneque huius ſecundi ſui Præſidis eam ſtructuræ atque ædificiorum elegantiam accepit, quâ hodie omnibus conſpicuum eſt. Vnde plurimùm ſanè eidem bina illa Leodienſia debent Seminaria. Ille enim eſt, qui utrumque è tenebris in lucem eduxit; utrumque ſic rexit, ut totis annis XXVII. quibus præfuit & rexit, profuerit plurimùm; & plurimos, eoſque præcipuos, doctrinâ & moribus formatos Paſtores Eccleſia Leodienſis hinc acceperit. Neque minora huius viri in Academiam Lovanienſem ſunt merita, ſive labores ſpectemus, quos pro ea tuenda in omnibus ſuis difficultatibus, quas cùm domi tum foris paſſa eſt, exantlavit, idque ſolerti prudentiâ, conſilioque, quibus excellebat; ſive doctrinæ eminentiam, quâ eamdem S. Theologiæ Profeſſor Regius annis continuis XXVI. docendo ſcribendoque illuſtrauit. Neque minùs quoque vitæ probitate, ceteriſque virtutibus, quàm doctrinâ eminuit & eximius fuit. Vir erat pacis & iuſtitiæ amantiſſimus, boni publici ſtudioſiſſimus, non facilè ſe vel ſua iactans, nec aliena contemnens, ſincerus & ſine fuco, in converſatione gravis, minimeque ſuperbus: non efferebatur proſperis, non deijciebatur adverſis: contentus modico ac tenui victu vixit ad annum

ætatis LXVII. Obijtque anno Dom. CIↃ. IↃC. XXXIX. die XXIX. menſis Martij, ſepultus in D. Petri. Reliquit Commentaria in totam D. Thomæ Summam, in quibus nihil niſi ſummè elaboratum, ſolidiſſimis fundamentis ſubnixum, clariſſimâ & brevi tamen methodo traditum, quidquid in aliorum fuſioribus ſcriptis ſcitu dignum eſt. Idque ſtylo ut facili, & ad docendum apto, itá minimè affectato; quippe qui proteſtari identidem ſolitus eſſet, ſe non captandæ famæ aut gloriæ alicuius cauſsâ, ſed ut ſoli profectui ſerviret ſtudioſorum, qui unicus ſtudiorum eius ſcopus fuit, iſta meditatum fuiſſe, nec ſpectaſſe aliud, dum paſſus fuit ea typorum beneficio fieri plurium. Ex his lucem viderunt

Commentaria in Primam Secundæ, *De Fine ultimo, Gratia, Legibus* &c.

In Secundam Secundæ à Quæſt. I. uſque ad Quæſt. XLVI. *De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe & Charitate*, cum ſuis annexis.

In Tertiam partem à I. Quæſt. uſque ad Quæſt. XXVI. *De Verbo Incarnato.*

In 2. 2. à Quæſt. XLVII. uſque ad Quæſt. CLXXI. *De Iure & Iuſtitia, cæteriſque Virtutibus Cardinalibus*, cum ſuis item annexis.

Reliqua, nimirum in Primam partem *De SS. Trinitate* &c. & in Tertiam à Quæſt. LX. *De Sacramentis*, *Cenſuris* &c. ſimiliter lucem Deo volente viſura ſunt.

CENSVRA.

QVæ de Iure & Iuſtitia, cæteriſque Virtutibus Cardinalibus, hoc volumine complexus eſt, E. D. IOANNES WIGGERS S. Theol. Doctor, fidei orthodoxæ conſona ſunt, & facili ac dilucidâ methodo digeſta, ſolidiſſimis fundamentis ſtabilita, ſingulari eruditione illuſtrata, prælo & publicâ luce digniſſima. Dat. Lovanij, Anno Domini 1639. 2. Maij.

IACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctor, Apoſtolicus & Regius Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Dei gratiâ totius Hiſpaniæ, vtriuſque Siciliæ, Indiarum*, &c. *Rex Catholicus, Sereniſſimus Belgarum Princeps*, &c. *diplomate ſuo ſanxit, Ne quis* in Secundam Secundæ Diui Thomæ Aquinatis Commentaria IOANNIS WIGGERS Dieſtenſis Sacræ Theol. Doctoris ac Profeſſoris Regij in Academia Louanienſi, *præter Ioan. Oliuerij Bibliopolæ Louanienſis voluntatem, vel vllo modo in Belgio intra nouennium imprimat, vel alibi terrarum impreſſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve exponat. Qui ſecùs faxit, & confiſcatione librorum, & aliâ graui pœna, mulctabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die 13. Maij Anno* 1639.

Signat.

FOVRDYN.

ERRATA *vide correcta in fine operis poſt Indicem.*

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ELECTO ET CONFIRMATO
ARCHIEPISC. COLONIENSI,
S. R. I. PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO
ET PRINCIPI ELECTORI;
EPISCOPO LEODIENSI, PADERBORNENSI,
ET MONASTERIENSI;
ADMINISTRATORI HILDESEMENSI;
BERCHTESGADENSI ET STABVLENSI;
COMITI PALATINO RHENI;
VTRIVSQ. BAVARIAE, WESTPHALIAE, ANGARIAE
ET BVLLONIENSI DVCI;
MARCHIONI FRANCIMONTANO,
COMITI LOSSENSI, LONGIENSI
ET HORNENSI;
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

Digitized by Google

SERENISS. PRINCEPS,

A quo primùm tempore doceri publicè Lovanij in novello adhuc Studio Theologica ſcientia cœpit, nimirum ab anno conditæ iſtic Academiæ ſupra ducenteſimum, triceſimo tertio, incredibile dictu eſt, quantus inde fructus in Eccleſiam redundarit; quot inde Viri doctrinâ eminentes, & pietate cæteriſque virtutibus conſpicui facto velut agmine prodierint; quot inde Epiſcopi, alijque Præſules ac Paſtores Reipublicæ Chriſtianæ atque Eccleſijs Belgicis admoti fuerint. Difficile ſanè fuerit negotium, inſtituere hîc catalogum omnium, omniaque in medium proferre, quæ colligi eâ de re poſſent. Numerat Lovanium Doctores ſeu Magiſtros S. Theologiæ ferè ducentos, & inter eos non paucos, editis ingenij monumentis famam adeptos; ipſum in primis, qui hinc ad ſummum Eccleſiæ apicem pervenit, *Adrianum VI. Florentij* cognomento, *Ioannem Driedonem*, *Godſcalcum Roſemondum*, *Iacobum Latomum*, *Ruardum Tapperum*, *Franc. Sonnium*, *Guil. Lindanum*, *Corn. Ianſenium*, alioſque, quibus poſtremò annumerare licet, qui nuperrimè vixit, Eximium D. IOANNEM VVIGGERS, conſtantis doctrinæ ac laboris virum. Debita in primis laus ea fuit numquam intermorituræ memoriæ Principi, IOANNI, Brabantiæ ac Burgundiæ Duci, cum S. P. Q. Lovanienſi, cujus hac in parte ſollicitudo ſingularis eminuit, quando eam ob cauſam & ad exteros Principes recurſum habuit. Invenio enim anno Dominicæ Incarnationis CIↃ. CCCC. XXVIII. ab eodem Magiſtratu Eminentiſſimum Cardinalem & Epiſcopum Principemque

Leo-

Leodienſem ERARDVM A MARCA, prædeceſſo-
CELSIT. TVAE. interpellatum ac rogatum fuiſſe, ut Studij Theologici conſequendi gratiâ pro eadem Vniverſitate ad Pont. Max. qui tum Romæ ſedebat, Eugenium IV. ſcribere dignaretur. Quamquam neque exterus is dici aut haberi potuerit, quippe in cuius tunc diœceſi etiam Lovanium & hæc Lovanienſis eſſet Vniverſitas. Scripſit itaque, & voti ſui compos facta civitas atque Vniverſitas numquam tanti beneficij non poterit niſi cum benevola gratiarum actione reminiſci. Atque hæc cauſa una eſſe poterat, ob quam librum hunc poſtumum Reuerendi admodum atque Eximij Domini D. IOANNIS VVIGGERS, patrui, dum vixit, noſtri ad genua SERENISS. C. T. deponere placuit. Altera tamen, eaque potior eſt, & quæ propiùs ipſum libri auctorem reſpicit, quòd ſcilicet retrò à ſeptem & viginti annis primus ille fuerit dignus judicatus, qui primos ingenij ſui fructus in Seminario Leodij auſpicijs Sereniſſ. Principis ERNESTI, patrui CELSIT. V. erecto, ſereret meteretque. Nec minori deinde fructu ad alterum, quod Lovanij eſt, Seminarium Leodienſe, auſpicijs eiuſdem ERNESTI Principis excitatum, fuit adſumptus; atque in numerum Profeſſorum Academicorum cooptatus, ampliùs quoque eminere cœpit. Nam cùm alij alijs dediti ſint ſtudijs atq; exercitamentis, quò ſcilicet genius quemque ſuus ac natura invitare atque impellere quodammodò ſolet, ille ſemel hanc Spartam Profeſsionis Scholaſticæ nactus, totis XXVI. annis, quibus docuit, univerſum Theologiæ curſum magno cum auditorum concurſu atque applauſu ad extremam uſque vitæ metam decurrit; Prælectioneſque ſuas ad

Sum-

Summam Theologicam D. Thomæ Aquinatis, plurimis inſtantibus atque urgentibus, ipſe non ita pridem evulgare cœperat, iiſdemque recenſendis atque edendis immortuus eſt. Ecce, SEREN. PRINCEPS, ratio vitæ ac ſtudij, cui inſiſtere patruus noſter ſolet; idque beneficio partim prædicti Sereniſſ. Principis ERNESTI, partim eiuſdem SERENISS. C. V. Quod equidem ſedulò apud me perpendens, cùm hunc poſtumum fœtum eiuſdem Ex. D. IOANNIS VVIGGERS ſub prælo operæ haberent, iamque in lucem emittendus ille eſſet, volui vel hoc qualecumque, victurum tamen, apud poſteros grati animi extare monumentum. Accipe igitur, SERENISS. PRINCEPS, haſce de Iuſtitia & Iure ceteriſque Virtutibus Cardinalibus Lucubrationes, & poſtumum partum pro innata CELSIT. TVAE clementia ſuſcipere, fovere, ac tueri ne dedigneris. Lovanij, x. Kal. Iunij, CIↃ. IↃC. XXXIX.

Sereniſs. Celſit. V. devotus Cliens

CORNELIVS WIGGERS,

Lovanij ad S. Michaelem Paſtor.

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM, CAPITVM ET DVBIORVM.

DE PRVDENTIA, TRACTATVS VNICVS.

CAPVT I.

De Prudentia ſecundum ſe.

Dvbivm Primvm.

Qvid ſit Prudentia? 3
2. *Vtrùm virtus prudentiæ ſit dependens à virtutibus moralibus?* 5

CAPVT II.
De partibus Prudentiæ.

Dvb. 1. *Quæ ſint partes ſubiectiuæ ſiue ſpecies Prudentiæ?* 7
2. *Quæ ſint partes Integrales Prudentiæ?* 8
3. *Quæ ſint potentiales partes Prudentiæ?* 9

CAPVT III.
De vitijs Prudentiæ oppoſitis.

Dvb. 1. *De vitijs Prudentiæ oppoſitis: per Defectum.* 10
2. *Qualia peccata ſint vitia prædicta?* 11
3. *De vitijs prudentiæ oppoſitis per exceſſum: & qualia ſint peccata?* ibid.

TRACTATVS I.

De Iuſtitia & Iure in genere, & de iuris quaſi ſpeciebus.

CAPVT I.
De ratione Iuſtitiæ.

Dvb. 1. *De nomine Iuſtitiæ, eiuſq́; diuerſis acceptionibus.* 15
2. *Quid ſit Iuſtitia?* 16
3. *Vtrùm Iuſtitia verſetur circa paſſiones?* 17
4. *Vtrum Iuſtitia particularis rectè diuidatur in Commutatiuam & Diſtributiuam?* 18
5. *Vtrùm D. Tho. quæſt. 75. art. 1. bene diſtinguat Iuſtitiam ab alijs virtutibus, quod iuſtitia opus habeat rectitudinem, & ſit iuſtum, non conſiderato qualiter ab agente fiat: non autem ſic opera, v. g. temperantiæ aut fortitudinis habeant, niſi eum reſpectu ad agentem?* 20

CAPVT II.
De Iure ſecundum ſe.

Dvb. 1. *De varijs Iuris acceptionibus earumque explicatione* 21
2. *Quomodo Ius diuiditur.* ibid.
3. *An Ius ſit obiectum iuſtitiæ?* 22

CAPVT III.
De Dominio.

Dvb. 1. *De ratione Dominij in genere eiuſque diuiſione.* 23
2. *Quomodo Dominium Proprietatis diuidatur.* 24
3. *Quæ ſint neceſſaria vt quis efficiatur alicuius rei dominus?* 25
4. *An omnis natura ſit capax dominij.* 26
5. *Vtrum paruuli ante rationis vſum poßint habere rerum dominium?* ibid.
6. *Vtrum filijfamilias ſub patria poteſtate conſtituti habere poßint aliquarum rerum dominium?* 27
7. *Vtrùm ſerui habeant aliquarum rerum dominium?* 28
8. *Vtrum Religioſi habeant dominium aliquarum rerum?* ibid.
9. *Vtrùm Clerici non Religioſi habeant temporalium rerum dominium?* 31
10. *Quæ res cadant ſub dominium hominis?* 36
11. *Vtrum licitè & conuenienter fieri potuerit eorum, quæ ſub hominis dominium cadunt, partitio & dominiorum diuiſio?* 38
12. *Quomodo & quo iure ſit facta prima rerum & dominiorum diuiſio?* 40

CAPVT IV.

De modis particularibus acquirendi dominium in res aliquas, quæ ſub nullius ſunt aut fuerunt dominio, aut ſi fuerint, iam eſſe deſierunt.

Dvb. 1. *Quibus modis acquiratur dominium in hominem priùs non ſeruum?* 41
2. *Vtrùm ſerui ita ſint adſtricti dominis ſuis, vt non liceat eis per fugam ſe ab illorum dominio eximere?* 42
3. *Quomodo in animalia per venationem, piſcationem, aucupium acquiratur dominium: & quæ ſic licitè poßint occupari?* 44
4. *Vtrum aliquis poßit in fundo aut ſaltu alieno venari?* 46
5. *Vtrùm Principes prohibere poßint venationem, aucupium, piſcationem in locis publici iuris?* ibid.
6. *Qualiter peccet, qui contra iuſtam prohibitionem venatur, piſcatur vel aucupium exercet: & an ad reſtitutionem aliquam teneatur, & quomodo puniri poßit?* 47
7. *Vtrum venæ metallicæ: vt auri, argenti, cupri, ſtanni ſint inuentoris & primò occupantis? an domini fundi aut Principis?* 48
8. *Cui cedere debeat theſaurus inuentus?* 49

9. *Vtrùm res à ſuo domino derelictæ fiant occupantis?* 50
10. *Vtrùm poſſit Reſpub. prohibere ijs, qui de Communitate ſunt, ne in ſyluis, aut paſcuis communibus ligna cadant, aut paſcant: & quomodo delinquunt, qui contra talem prohibitionem faciunt?* 51

CAPVT V.

De modis acquirendi dominium in eas res quæ dominum habent.

DVB. I. *De nominibus & rationibus Præſcriptionis & Vſucapionis.* 52
2. *Quot & quæ requirantur ad præſcriptionem?* 53
3. *Qualis poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem?* ibid.
4. *Vtrùm in omni præſcriptione requiratur Titulus?* 54
5. *Quæ requirantur ad bonam fidem, quæ in præſcriptione eſt neceſſaria?* 55
6. *An nulla præſcriptio abſque bona fide poſſit perfici?* 58
7. *Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem?* ibid.
8. *Vtrum quis tutâ conſcientiâ rem detineat, quam iuxta legum & Canonũ conſtitutiones præſcripſit, ſi poſtea cognoſcat fuiſſe alterius?* 60
9. *Quibus concedatur reſtitutio in integrum aduerſus præſcriptionem?* 62

CAPVT VI.

De Vſufructu, Vſu, & Poſſeſſione.

DVB. I. *Quid ſit Vſuſfructus?* 63
2. *Quomodo acquiratur & amittatur Vſusfructus?* 64
3. *Quid ſit Vſus?* 65
4. *Vtrum ſit diſtinguere vſum ſeu ius vtendi à dominio in rebus vſu conſumptibilibus?* ibid.
5. *Quid ſit Poſſeſſio?* 67
6. *Quomodo acquiratur poſſeſſio?* 68
7. *Quomodo amittatur rerum poſſeſſio?* 70
8. *Quid priuilegij & vtilitatis cõtineat poſſeſſio.* ibid.

TRACTATVS II.

De Iniuria & Reſtitutione in communi. Item de iniurijs in particulari in corpus proximi, per homicidium, mutilationem, ſtuprum, adulterium; & de reſtitutione in his requiſitâ.

CAPVT I.

De Iniuria & Reſtitutione in communi.

DVB. I. *An differant Iniuria & Iniuſtitia, & quid vtrumque ſit?* 71
2. *Vtrùm aliquis poſſit iniuſtum ſiue iniuriam pati volens?* ibid.
3. *De Reſtitutionis nomine, & eius quidditate.* 72
4. *Vtrum à reſtitutione differant ſolutio, & Satisfactio, & quo modo?* 73
5. *Vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ?* ibid.
6. *Quomodo contrahatur obligatio reſtitutionis?* 74
7. *Qualis culpa requiratur, vt quis obligationem reſtituendi contrahat ratione damni dati?* ibid.
8. *Vtrum reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem?* 78

CAPVT II.

De iniurijs in corpus proximi per homicidium aut mutilationem, & de reſtitutione in his neceſſaria.

DVB. I. *Vtrùm homini licitum ſit interimere quæcumque viuentia ad eſum?* 79
2. *Vtrùm licitum ſit occidere peccatores?* 81
3. *Vtrùm authoritate priuata liceat interficere peccatores?* 82
4. *An priuato liceat occidere ſaltem Tyrannum.* ibid.
5. *Vtrum marito liceat occidere adulterum vxoris cum vxore. Item, An patri liceat occidere filiam & adulterum in adulterio deprehenſos?* 83
6. *An licitum ſit alterum occidere pro vita propria defenſione?* 85
7. *Vtrum in defenſione liceat intendere occiſionem ſiue mortem inuaſoris?* 89
8. *Vtrum liceat occidere innocentem, quando iniuſtè te inuadit ex ignorantia, aut quando ſine eius occiſione effugere non potes & ſaluare vitam tuam?* ibid.
9. *Vtrum pro conſeruatione vitæ matris pregnantis liceat præbere pharmacum, quo fœtus intereat.* 90
10. *Vtrum licet defendere res ſuas cum occiſione raptoris ſiue furis?* 92
11. *Vtrum pro defenſione alterius, qui in ſe aut in ſuis fortunis iniuſtè inuaditur, liceat inuaſorem occidere?* 94
12. *Vtrum licitum ſit defendere pudicitiam & honorem cum morte inuaſoris?* 95
13. *Vtrum aliquo caſu liceat interficere innocentem?* 100
14. *An liceat homini occidere ſeipſum?* 104
15. *Vtrum licitum ſit aſperitatibus & afflictionibus corporis, aut ieiunijs & vigilijs, ad domandam carnem inſiſtere, cum vitæ diminutione?* 107
16. *Vtrum condemnatus, vt veneno interimatur, poſſit ex ſententia Iudicis ſine Culpa ſumere venenum propinatum?*

Rurſum.

Vtrum condemnatus, vt fame intereat, poſſit abſtinere à cibo clanculum oblato? 108
17. *Vtrum ſi quis in domo aut turri conflagrante exiſtens, de ſublimi exiliret per feneſtram altiorem, dum alia non ſuppetit via euadendi incendium, eſſet cenſendus homicida ſui ipſius.* 109
18. *Vtrum milites nauales vel nautæ poſſint immittere ignem in puluerem tormentarium, quo ipſi & nauis abſumantur, ne cum damno publico nauis veniat in poteſtatem hoſtium.* ibid.
19. *Vtrum quis poſſit ſeipſum mutilare.* 110

Digitized by Google

20. *Vtrùm qui occidit caſualiter alterum incurrat homicidij reatum?* 112
21. *Vtrum ſi ex iniuria, vel maleficio circa alterum, contingat occidi tertium, teneatur ille primus de homicidio tertij?* 114
22. *Vtrùm homicidium ſiue aliud damnum alicui illatum per mancipium vel animal alterius, illi imputetur, ita vt ad reſtitutionem aliquam teneatur.* 116

CAPVT III.

De reſtitutione per homicidam vel mutilatorem facienda.

DVB. I. *An debeat aliquid reſtitui ab homicida vel mutilatore pro vita occiſi aut membro mutilato?* 117
2. *Vtrùm homicida aut mutulator teneatur ad reſtitutionem damnorum realium?* 119
3. *Vtrum homicida teneatur ad expenſas in medicos & exequias?* 121
4. *Vtrum heredes homicidæ ſi ipſe moriatur, teneantur pro ipſo reſtituere.* ibid.
5. *Vtrum à reſtitutione liberentur hæredes homicidæ, quando ille ſuſtinuit pœnam talionis?* ibid.
6. *Vtrùm ad reſtitutionem teneatur qui in defenſione exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ.* 122
7. *Vtrum animæ occiſi quippiam ex iuſtitia reſtituendum ſit?* ibid.
8. *An obligetur homicida omnibus ad reſtitutionem qui ex morte occiſi ſentiunt incommodum?* 123
9. *Penes quos ſit poteſtas concedendi remiſſionem mutilationis, & homicidij quoad pœnas de iure Conſtitutas?* 124
10. *Quibus in caſibus concedantur remiſſiones homicidij?* 125

CAPVT IV.

De iniurijs in corpus proximi per ſtuprum & adulterium, & de reſtitutione neceſſaria.

DVB. I. *An ſtuprum turpitudini ſimplicis fornicationis ſuperaddat aliam deformitatem?* 126
2. *Ad quid teneatur, qui virginem ſtuprauit?* 129
3. *An adulter teneatur aliquid reſtituere marito adulteræ pro iniuria, ſi nullus partus ſit ſequutus?* 132
4. *An quid teneatur adulter quando adulterio proles nata fuerit?* 133
5. *Ad quid teneatur adultera, quando proles ex adulterio eſt ſecuta?* 134
6. *Vtrum ſi adultera ſimpliciter non valeat impedire damna legitimorum heredum, teneatur crimen ſuum marito, vel alijs indicare?* ibid.

TRACTATVS III.

De iniurijs circa bona tēporalia, ſiue bona fortunæ: & de neceſſaria in his reſtitutione.

CAPVT I.

De furti, & rapinæ ratione & differentia, & qualem importent culpam.

DVB. I. *Quid ſit furtum? & quomodò à rapina diſtinguatur?* 136
2. *Quale peccatum ſit furtum?* 138
3. *Vtrùm mortiferè peccet, qui furtis minutis ſibi acquirit rem alienam notabilem?* 141
4. *Vtrùm qui vſque ad quantitatem notabilem abſtulit aliena, faciet ſufficientem reſtitutionem, ſi reddat partem, quâ excedebatur obiectum furti venialis v. g. paulatim quis abſtulit vſque ad valorem vnius aurei, vtrùm ſufficiet reſtituere vnam tertiam partem, præſuppoſito, quod duæ tertiæ vnius aurei non ſint cenſendæ in hac materia quantitas notabilis?* 144
5. *Vtrum mortaliter peccent & ſub mortali teneantur, qui ſinguli intulerunt damnum exiguum, ſed omnes ſimul magnum & notabile?* ibid.
6. *Vtrum qui rem ſuam vel ſibi debitam occultè alteri ſurripit, ſibiq́ vindicat, committat furtum, aut peccet mortiferè?* 146
7. *Vtrum fur peccet continuò, donec reſtituet?* 148
8. *Vtrùm ſi res furtiua apud furem pereat, maneat ipſe obligatus ad reſtitutionem?* 151
9. *Vtrùm fur aut quiuis alius detentor rei alienæ teneatur facere reſtitutionem iuxta ſummam æſtimationem, quam res habuit ſiue ab intrinſeco ſiue ab extrinſeco tempore detentionis?* 153
10. *An fur non tantùm teneatur reſtituere rem ablatam, ſed etiam fructus ex illa perceptos?* 155

CAPVT II.

De peccato cooperantium ad furtum vel rapinam: & de reſtitutione per hos facienda.

DVB. I. *Quinam cenſendi ſint cooperari ad furtum aut damnum: & quomodo peccent?* 157
2. *Vtrum illi, qui cooperantur poſitiuè tunc ſolùm ad reſtitutionem teneantur, quando ſic ſunt cauſa, vt ſine illis damnum non fuiſſet illatum?* 158
3. *An iubens & conſulens aliquando non incurrant obligationem reſtituendi.* 160
4. *An qui conſulit minus malum ad auertendum maius, quod aliter impediri non poteſt, teneatur ad reſtitutionem.* 164
5. *Vtrum conſentiens, laudans, receptans, & participans, aliquando ſint immunes ab onere reſtitutionis?* 165
6. *An ſemper teneantur ad reſtitutionem, qui indirectè ſiue priuatiuè ad furta vel alias iniurioſas actiones concurrunt?* 169
7. *Vtrùm Præfectus cuſtodiæ vrbis, qui ex iuramento & officio tenetur accuſare, quos inuenit poſt ſonum campanæ, & non accuſat, teneatur ad ſolutionem mulctæ in eos conſtitutæ: & ſimiliter, quando eſt mulcta conſtituta contra eos, qui in talibus vel talibus locis lignantur, piſcantur: vel contra eos, qui merces, non ſolutis vectigalibus, efferunt, vel inferunt, Vtrum cuſtodes ſiue obſeruatores inſtituti diſſimulantes, vel non deferentes, obligentur ad reſtitutionem non tantùm damnorum, ſed etiam ad ſuppletionem mulctæ?* 172

8. *Vtrùm aliquo ordine, & quo, ad reſtitutionem teneantur plures, qui ad idem furtum aut damnum inferendum concurrerunt, vel cooperati ſunt?* 173
9. *Vtrùm ſi is qui damnum paſſus eſt, remittat vni eorum, qui ad illud inferendum concurrerunt, abſoluantur cæteri ab obligatione reſtituendi?* 176

CAPVT III.
De reſtitutione facienda ratione rei acceptæ.

DVB. I. *Vtrum qui bonâ fide rem alienam conſumpſit vel alienauit tamquam ſuam, teneatur ad aliquam reſtitutionem?* 177
2. *Vtrum qui emit bonâ fide rem furtiuam poſſit reſcindere contractum, & vt pretium recuperet, furi rem reſtituere, vbi intellexerit eſſe alienam, an verò teneatur eam domino reſtituere?* 179
3. *An emptor bonæ fidei non poſſit exigere pretium à domino, qui rem repetit: & an non teneatur illi dominus reddere?* 181
4. *Vtrum qui rem alienam, quam bonâ fide emerat, iterum bonâ fide vendidit, debeat admittere reſciſsionem contractus, & emptori pretium reddere, ſi dominus compareat, an verò ſatisfaciet, reſignando illi ſuam actionem in primum venditorem?* 182

CAPVT IV.
Cui facienda ſit reſtitutio?

DVB. I. *Vtrum is, qui habet bona aliena incerta, ſiue qui tenetur debitis incertis, debeat illa dare aut ſoluere pauperibus?* 183
2. *Vtrùm ſi dominus innoteſcat & compareat poſtquam creditor incerta eiuſmodi bona vel debita pauperibus alijs à ſe vel etiam ſibi vt pauperi applicauit, an liber erit à reſtitutione vel ſolutione domino præſtanda?* 186
3. *Vtrum quæ quis inuenit bona, quorum dominus aliquis eſt: ſed ignoratur, danda ſint pauperibus, an verò poſſit ea quis ſibi retinere.* 187
4. *An res ſit domino reſtituenda quando putatur ea abuſurus ad ſuum vel alterius incommodum.* ibid.
5. *Cuius expenſis & quo loco debeat fieri reſtitutio, ſi dominus ſit abſens & cognoſcatur.* 189

CAPVT V.
De ordine in reſtitutione ſeruando, quando omnibus creditoribus ſatisfieri non poteſt.

DVB. I. *Vtrùm ante omnia ſit reſtituendum quod debetur ratione rei acceptæ.* 191
2. *An debita certa ſint prius ſoluenda quam incerta?* ibid.
3. *An inter creditores certos ſoluendum ſit ante alios venditori, cui nondum ſolutio erat facta, ſi res apud emptorem exſtet?* 192
4. *An inter debita certa, prius ſint ſoluenda quæ ex delicto, quam quæ ex iuſto contractu proceſſerunt?* 194
5. *Quo ordine ſit ſoluendum creditoribus hypothecarijs?* 196
6. *An creditor qui prius ſolutionem petit habeat aliquam præferentiam?* 198

CAPVT VI.
De excuſantibus à reſtitutione.

DVB. I. *An impotentia debitoris à reſtitutione excuſet?* 199
2. *An remiſſio per creditorem facta excuſet à reſtitutione.* 202
3. *An bonorum ceſſio excuſet à reſtitutione.* 203
4. *An licitum ſit religionem ingredi illi qui debitis grauatur, & an à reſtitutione excuſetur ſi ingrediatur, ſiue id licitè ſiue illicitè faciat?* 205
5. *An compenſatio excuſet à reſtitutione?* 206
6. *An ob excommunicationem creditoris liceat differre ſolutionem?* ibid.

TRACTATVS IV.

De iniurijs in nomine & fama, ac de neceſſitate reſtitutionis. Item de iniurijs in bonis ſpiritualibus.

CAPVT I.
De Detractione & Contumelia.

DVB. I. *Quidnam ſit fama & quid honor?* 208
2. *Quid ſit detractio, & quid contumelia?* 209
3. *Quale peccatum ſit detractio?* ibid.
4. *An ſit peccatum mortale reuelare vni alicui viro bono & prudenti peccatum alterius?* 212
5. *An crimen proximi quod vno in loco eſt publicum, liceat alijs in locis diuulgare vbi ignoratur.* 214
6. *An licitum ſit eum qui de vno aut altero crimine infamatus eſt, de alijs etiam infamare?* 216
7. *An liceat reuelare proximi peccatum ad euitandũ malum alioquin impendens?* 217
8. *An liceat infamare eum qui fictis virtutibus ſibi famam parauit, aut illum qui crimen tale commiſit cui de iure impoſita eſt pœna infamiæ ipſo facto incurrenda?* 218
9. *An quis iniuriam ſibi ab aliquo occultè illatam poſſit ſine peccato referre alteri?* 220
10. *An ſit peccatum detractionis alijs narrare quod quis audierit hunc vel iſtum commiſiſſe crimen aliquod, non tamen aſſeuerando ita eſſe?* ibid.
11. *An defunctorum occulta peccata reuelare pertineat ad peccatum detractionis.* 222
12. *Quale ſit peccatum infamare ſeipſum?* 223
13. *Quale peccatum ſit imponere ſibi falſum crimen ad vitanda tormenta & cruciatus, præſertim ſi propter illud morte quis ſit plectendus?* 225
14. *Vtrùm ad cruciatus euadendos poſſit quis alterius peccatum occultum, vel aliud eius ſecretum reuelare, præſertim ſi inde alteri immineret mortis periculum?* 230
15. *Vtrùm & quale peccatum ſit audire detractiones?* 231

Digitized by Google

CAPVT II.
De reſtitutione famæ, à quibus, & in quantum, ac quomodo facienda ſit?

Dvb. 1. *Vtrùm ad famæ reſtitutionem teneatur qui propter ignorantiam ſuam, vel erroneum intellectum, vel ſimili de cauſa alteri famam inculpabiliter abſtulit?* 233
2. *An ſuperiores ſiue detrahentis ſiue eius cui detrahitur reddantur obnoxij reſtitutioni famæ, ſi audiant, & non impediant?* 235
3. *An hæredes detractoris ad famæ reparationem teneantur, ſi ipſe eam non reparauerit.* 236
4. *Vtrùm detractor non tantùm cum famæ propriæ, ſed etiam cum vitæ periculo teneatur proximo famam reſtituere?* 237
5. *Vtrùm ſi fama reſtitui in ſe nequiuerit, debeat compenſari pecunijs?* 240
6. *Vtrùm detractor teneatur de omni damno ſecuto ex infamia quam intulit?* ibid.
7. *An diffamator ad famæ reſtitutionem maneat obligatus quando aliâ viâ fuerit fama redintegrata ſeu infamia abſterſa?* 241
8. *Vtrùm detractorem liberet ab onere reſtituendi, quod crimen alio euentu ſit factum publicum?* 242
9. *Vtrùm quando duo aliqui ſe mutuò infamarunt, poſſunt vti compenſatione?* ibid.
10. *An poſſit quis detractori remittere famæ reſtitutionem?* 243
11. *Quomodo fama reſtituenda ſit, quæ per falſi, & quomodo quæ per veri criminis impoſitionem eſt ablata?* 244
12. *An detractor teneatur famam reparare apud omnes ad quos infamia deuenit?* 245
13. *An & quomodo honor per contumeliam læſus ſit reſtituendus?* 246

CAPVT III.
De iniurijs proximi in bonis ſpiritualibus.

Dvb. 1. *Quale peccatum ſit, & contra quam virtutem præſtare alicui nocumentum in bonis ſpiritualibus?* 247
2. *An qui per iniuriam quempiam vſu rationis, vel ſenſu aliquo, eiuſve vſu priuat: vt v. g. per venena, vel magiam, vel ſimili modo, teneatur ad aliquam reſtitutionem?* 248
3. *Vtrùm ad reſtitutionem teneatur qui alterum pertraxit in peccatum, & ſic ei cauſa fuit damni in bonis ſpiritualibus?* ibid.
4. *Ad quid teneatur qui aliquem à Statu religionis diuertit?* 250

TRACTATVS V.
De contractibus in genere, ac in ſpecie.

CAPVT I.
De contractu in genere.

Dvb. 1. *Quid ſit contractus, & quot modis perficiatur?* 253
2. *De diuiſionibus contractuum, eorumq; effectibus.* 254
3. *Quinam contrahere poſſint?* 255
4. *Vtrùm error vel dolus faciant contractus irritos?* 257
5. *Vtrùm contractus ſit validus, cui metus cauſam dederit.* 259
6. *Quinam ſint reſtituendi in integrum, quando ex contractu damnum notabile ſenſerunt?* 261

CAPVT II.
De promiſſione & donatione.

Dvb. 1. *Quid ſit promiſſio?* 262
2. *Vtrùm promiſſio ſolo actu interiori, alteri homini facta nos obliget?* 263
3. *An promiſſio exterius edita obliget ante acceptationem promiſſarij?* 264
4. *Quinam poſſint pro abſente ſtipulari ſeu eius nomine validè promiſſionem acceptare?* 266
5. *An ſimplex promiſſio legitimè facta & acceptata obliget ſub peccato mortali ad ſui impletionẽ.* 267
6. *Vtrùm promiſſio ob cauſam turpem facta inducat obligationem?* 268
7. *Quibus modis contingat promiſſionem validè factam, & acceptatam deſinere obligare?* 272
8. *Quid ſit donatio?* 273
9. *Quinam poſſint donare, quibus, & quantũ?* 274
10. *An donatio conditionalis aliquid operetur.* 276
11. *An donatio in certum vſum aut finem facta ſit valida, ſi finis ille non exhibeatur?* 278
12. *Quibus modis donatio legitimè facta poſſit reuocari.* ibid.

CAPVT III.
De vltimis voluntatibus.

Dvb. 1. *Quid vltima voluntas, & quotuplex.* 280
2. *An omnes poſſint teſtari.* ibid.
3. *Vtrum, & quouſque valeant teſtamenta ſolemnitatibus de iure ciuili requiſitis deſtituta?* 282
4. *An quilibet poſſit inſtitui hæres.* 284
5. *Vtrum poſſit ſemper teſtamentum reuocari.* 286
6. *Vtrum voluntas vltima poſſit mutari per reſcriptum Principis aut diſpenſationem Epiſcopi vel Pontificis.* ibid.

CAPVT IV.
De Ludis & Sponſionibus.

Dvb. 1. *An contractus Ludi & Sponſionis ſint naturâ ſuâ illiciti?* 287
2. *An ludi aliqui ſint Legibus vel Canonibus prohibiti?* 288
3. *Vtrum qui ludo vetito fuerit aliquid lucratus, teneatur ad eius reſtitutionem?* 289
4. *Vtrum qui ludo vetito perdidit, & non ſoluit, teneatur in foro conſcientiæ ſoluere?* 290
5. *An per ludum vel ſponſiones poſſint lucrari illi, qui non poſſunt perdere?* 291

CAPVT V.
De emptione & venditione.

Dvb. 1. *Quid ſit emptio, & quid venditio? Item quid negotiatio, & an hæc ſit licita.* 293
2. *Vtrum Religioſis & Clericis ſit interdicta negotiatio?* 294

Digitized by Google

3. *Quotuplex ſit pretium rerum vendibilium, & quod debeat cenſeri iuſtum?* 295

4. *An res poßit vendi pluris, quam valeat, aut emi minoris?* 296

5. *Vtrùm is, qui intellexit copiam aliquam mercium breui aduehendam, & proinde earum pretium eſſe minuendum, poßit eas vendere pretio currente?* 299

6. *An venditor teneatur emptori explicare defectum ſeu vitium mercium?* 300

7. *An cariùs liceat vendere credito, quàm pecuniâ paratâ?* 302

8. *An liceat propter anticipatam ſolutionem emere minoris?* 303

9. *Vtrùm alteri debita poßit quis minoris emere à creditore, quàm ipſa debita ſint: vt v.g. debet Petrus Ioanni centum ſcuta ſoluenda poſt annum, de quibus habet Ioannes chirographum Petri, an poßim illud debitum paratâ pecuniâ minoris emere, quam centum?* 304

10. *Vtrum ille, cui commiſſum eſt aliquid ad vendendum pretio aliquo præſcripto, v.g. decem, ſi vendiderit duodecim, poßit ſibi duo retinere?* 306

11. *Vtrum licitum ſit vendere cum pacto redimendi, aut emere cum pacto retrouendendi?* ibid.

12. *Vtrum Monopolia omnia ſint illicita?* 307

CAPVT VI.
De Mutuo & Vſura.

DVB. 1. *Quid ſit Mutuum.* 310

2. *Quidnam ſit vſura?* 311

3. *Vtrum vſura ſit illicita & quo iure prohibita?* 312

4. *Quomodo vſura diuidatur?* 314

5. *Vtrum ſine vſuræ labe liceat ex mutuo ſperare amicitiam & ex hac emolumentum?* ibid.

6. *Vtrum ſit vſura mutuare ea lege, vt alter remutuet, vel vt officium ſeculare, aut beneficium eccleſiaſticum ſibi vel ſuis conferat.* 315

7. *Vtrum ſit vſura ea lege mutuare vt alter remittat tibi iniuriam, quam intuliſti, vel vt remittat reſtitutionem honoris aut famæ.* 316

8. *Vtrùm ſit vſura, ſi quis mutuet ea lege, vt alter res ſibi neceſſarias in ipſius officina emat, vt ad eius veniat molendinum, vel vt ſuas operas ei iuſto pretio exhibeat, quando mutuans indigebit?* 318

9. *Vtrùm ſit vſura, accipere aliquid vltra ſortem, pro vſu ſecundario pecuniæ, quo ſcilicet non conſumitur aut mutuatur?* 319

10. *Vtrùm ratione damni emergentis aut lucri ceſſantis poßit mutuator aliquid ſupra ſortem exigere abſque vſuræ peccato?* 320

11. *Vtrùm ratione periculi ſortis, vel difficultatum aut expenſarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid vltra ſortem exigere?* 328

11. *Vtrum ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationis non repetendi ante certum aliquod tempus poßit aliquid vltra ſortem exigi?* 330

13. *Vtrum creditor, qui pignus accipit frugiferum, ſi ex eo fructus perceperit, teneatur illos computare in diminutionem ſortis ſibi debitæ?* 331

14. *Vtrum fructus pignoris, pro numeranda dote à ſocero oblegati genero, debeant in dotis diminutionem admitti à genero, etiamſi forſitan ex dilatione ſolutionis dotis non fuerit paſſus intereſſe, aut ſaltem non tantum?* 332

15. *An ſit vſurarium paciſci cum mutuatario, quod aliquid vltra ſortem ſoluet in pœnam moræ ſuæ, ſi ad tempus præſtitutum non reſtituerit mutuum?* 333

16. *Vtrum mutuatori ſemper licitum ſit paciſci, vt ſibi reſtituatur mutuum in eodem pondere, numero, vel menſura, in quibus ipſe mutuum dat, v.g. ſi alteri mutuem modium frumenti, an paciſci poßim, quod quouis caſu reſtituet mihi modium frumenti: & ſic in alijs.* 334

17. *Vtrum ille, qui animo vſurario aliquid vltra ſortem ratione mutui accepit abſque pacto externo de eo dando, teneatur ad reſtitutionem?* 337

18. *Vtrum vſurarum dominium transferatur in vſurarium?* 338

19. *Quænam ab vſurarijs liceat accipere titulo gratuito, vel oneroſo?* 339

20. *Vtrum ſi vſurarius aliquis alicui debeat iuſto titulo: v.g. centum, & aßignet ſolutionem petendam ab illo, qui ei debet centum ex vſuris, an creditor iſte poſſet acceptare aßignationem & eam exigere?* 342

21. *Vtrum hæres vſurarij ad reſtitutionem vſurarum teneatur, & quo vſque?* ibid.

22. *An peccet, qui pecunias ſuas apud vſurarium deponit?* 343

23. *Quinam generaliter cenſeantur cooperari vſurarijs, ita vt ad reſtitutionem teneantur?* 344

24. *Quæ pœnæ conſtitutæ ſint vſurarijs?* 347

25. *Vtrum licitum ſit accipere mutuum ſub vſuris?* 348

CAPVT VII.
De Montibus-pietatis, & Contractibus ſocietatis, & aſſecurationis.

DVB. 1. *Quid ſub nomine Montis-pietatis ſignificetur?* 349

2. *Vtrùm Montes-pietatis primi generis, eorumque vſus ſint immunes à labe vſurarum, atque liciti ſint?* 350

3. *Vtrùm Montes pietatis ſecundi generis, quales nunc plures ſunt in Belgio, ſint immunes ab vſura & iniuſtitiæ labe?* 354

4. *Vtrùm Montes, quos vocant mixtos, ſunt immunes ab vſura, & liciti?* 367

5. *Quid ſit Contractus Societatis? & vnde iudicandum, an iuſtus ſit?* 368

6. *Quomodo lucra inter ſocios ſint diuidenda?* 369

7. *Vtrùm in contractu ſocietatis mercatoriæ, quis poßit curare ſe aſſecurari de ſorte & de certo lucro?* 371

CAPVT VIII.
De Cenſibus, Cambijs, & de Conducto & Locato.

DVB. 1. *Quid ſit Cenſus & quotuplex?* 377

2. *Vtrum cenſus reales tam conſignatiui, quàm reſeruatiui liciti ſint?* 378

3. Vtrum

Digitized by Google

3. *Vtrùm cenſus perſonales & reales, in quibus non obſeruantur conditiones iam recenſitæ, ſint vbique illiciti & cenſendi fœneratitij?* 382
4. *Quodnam ſit iuſtum pretium cenſuum?* 386
5. *Vtrùm ſi cenſus fuerit emptus minoris pretio iuſto, penſiones ſint reſtituendæ quatenus ſecundùm proportionem ſuperant pretium iuſtum?* 387
6. *Quid & quotuplex ſit Cambium?* ibid.
7. *Vtrum ex cambio minuto licitum ſit facere aliquod lucrum?* 388
8. *Vtrum campſor, à quo cambium petitur, aliquid lucri poßit accipere, tam quando prior à campſario pecunias accipit, vt alibi reddat, quàm dum ipſe prior eas dat, vt alibi recipiat?* 390
9. *Vtrùm in locali cambio ſiue per literas, quando fit ad vtriuſque commoditatem poßit alteruter aliquid lucri capere.* 393
10. *Vtrùm cambia, in quibus pretium variatur ratione maioris vel minoris intercapedinis temporis, quo pecuniæ prænumeratæ redditio eſt facienda, ſint licita?* 394
11. *Vtrùm prouiſiones, vt vocant, quas campſores accipere dicuntur, iuſtè accipiantur?* ibid.
12. *Vtrùm poßit campſor facere pactum de intereſſe ſuo, ſi campſatius fuerit in mora ſoluendi?* 395
13. *De conditionibus requiſitis in cambio, in Bulla Pij V. deſuper editâ.* ibid.
14. *Quid Locatio & quid Conductio?* 396
15. *Vtrùm locator teneatur ad expenſas à conductore factas in re locata, & an teneatur ad onera & tributa?* ibid.
16. *Vtrùm locator rei fructiferæ debeat remittere de penſione, ſi ſterilitas ſuperuenerit, vel fructus in agro fuerint deſtructi, aut abſumpti?* 397
17. *Vtrùm teneatur conductor ſoluere penſionem, ſi impediatur ab vſu, vel cultura rei conductæ?* 398
18. *Vtrùm minor factus maior teneatur ſtare locationibus factis per ſuum tutorem aut curatorem, & Beneficiarius aut Prælatus, locationibus factis de bonis Eccleſiaſticis per ſuos anteceſſores?* 399
19. *Vtrùm locator poßit aliquando conductorem expellere, & quibus caſibus.* ibid.
20. *Quid Emphyteuſis, & quid Feudum?* 401

TRACTATVS VI.

De Iudicijs : & concurrentibus in Iudicio.

CAPVT I.
De Iudice & actu iudicandi.

Dvb. 1. *Vtrùm iudicium ſit actus Iuſtitiæ?* 402
2. *Vtrùm licitum ſit iudicare?* 403
3. *Quale peccatum ſit iudicium ſuſpicioſum ſiue temerarium.* 406
4. *An dubia in meliorem partem ſint interpretanda?* 408
5. *Vtrùm ſit ſemper ſecundum leges ſcriptas iudicandum.* 410
6. *Vtrùm tyrannus ius dicens peccet vſurpatione iudicij, eiuſq; ſententiæ ſint irritæ?* ibid.
7. *Vtrùm vſurpatione iudicij peccet iudex dicendo ius, qui officio eſt priuatus, vel coloratum tantum habuit titulum? eiuſque ſententiæ ſint irritæ?* 412
8. *Vtrùm ſententiæ & iudicia Iudicis excommunicati ſint irrita? ipſeq; ius dicendo peccet?* 414
9. *Vtrùm iudex in peccato mortali exiſtens iudicando peccet per vſurpationem iudicij, vel alio modo?* 416
10. *Vtrùm poßit iudex condemnare eum qui ſecundum iuris ordinem probatus eſt reus, vel iniquam habere cauſam quem ipſe certò nouit innocentem vel iuſtam cauſam ſuſtinere?* 417
11. *Vtrùm poßit Iudex condemnare reum ex priuata ſcientia, aut ſi teſtium depoſitiones audierit, poßit eum condemnare non auditum, nec citatum?* 420
12. *Quot modis Iudex procedat iuridicè aduerſus crimina & criminoſos?* 422
13. *Vtrùm quando procedit Iudex viâ inquiſitionis generalis debeat præcedere infamia perſonæ aut fama delicti?* 423
14. *Vtrùm quando delictum eſt publicum, ſed omnino ignoratur auctor, poßit Iudex inquirere quiſnam fecerit?* 425
15. *Vtrùm præcedere debeat infamia antequam poßit Iudex procedere ad inquiſitionem ſpecialem contra aliquem?* 427
16. *Quando Iudex poßit reum adiudicare torturæ?* 430
17. *Vtrùm poßit iudex reum infamem aut conuictũ de vno crimine interrogare de alijs occultis, vel de ſocijs nullâ infamiâ laborantibus?* 433
18. *Vtrùm iudex peccet & ad reſtitutionem teneatur, ſi condemnet reum cuius criminis confeſſionem aut cognitionem præter iuris ordinem extorſit?* 434
19. *Vtrũ iudici licet munus aliquod accipere?* 435

CAPVT II.
De Officio accuſatoris & teſtis.

Dvb. 1. *Quid ſit accuſatio & quæ ad eam requirantur ſolemnitates?* 437
2. *Vtrùm aliquis obligetur aliquando ad accuſandum?* ibid.
3. *Vtrùm poßit quis accuſare alterum antequam priuatim fuerit monitus?* 438
4. *Vtrùm accuſator poßit deſiſtere ab accuſatione inchoata?* 439
5. *Vtrùm teneatur quis ſemper denuntiare authorem criminis, vel contra eum teſtari, Iudice mandante vel iuramentum deferente?* 440
6. *Vtrum tenetur aliquando teſtis ad reſtitutionem, ratione teſtimonij prohibiti, aut omißi?* 442

CAPVT III.
De Officio Rei & Aduocati.

Dvb. 1. *Vtrum reus à Iudice interrogatus teneatur contra ſeipſum dicere veritatem?* 414
2. *Vtrum reus vel eius Aduocatus poßint licitè de-*

Digitized by Google

tegere occulta teſtium crimina, vt ſic eorum inualident teſtimonium? 448

3. Vtrum reus ſecundum allegata & probata condemnatus teneatur in conſcientia optemperare ſententiæ? ibid.

4. Vtrum poßit reus licitè fugere è carcere ac etiam vincula aut carcerem perfringere? 449

5. Vtrum licitè poßit quis reo, cui fuga in conſcientia eſt licita, conſulere vt fugiat, & ad fugam præſtare auxilium? 451

6. Quinam munus Aduocati poßint exercere? 452

7. Vtrum Aduocati teneantur gratis exhibere patrocinium pauperibus? 453

8. Quodnam ſtipendium Aduocatus exigere & recipere poßit? ibid.

9. Vtrum Aduocatus poßit cauſam dubiam ſuſcipere defendendam? 454

10. Vtrum & quando teneatur Aduocatus clienti aut parti ad reſtitutionem? 455

TRACTATVS VII.

De Iuſtitia diſtributiua.

CAPVT I.

De perſonarum acceptione in communi: & ſpeciatim, quatenus in officiorum ſæcularium diſtributione committitur.

DVB. I. Quid ſit perſonarum acceptio? & quale peccatum? 456

2. In quorum diſtributione potißimum committatur perſonarum acceptio? 457

3. Vtrum illi peccent mortiferè acceptione perſonarum qui officia ſæcularia non diſtribuunt digniſſimis? 458

4. Vtrum licitè poßint officia ſæcularia vendi. 460

CAPVT II.

De impoſitione Tributorum & Vectigalium.

DVB. I. Quæ conditiones requirantur, vt tributum ſiue vectigal ſit licitum & iuſtum? 461

2. Quinam habeant poteſtatem imponendi tributa. 462

3. Quæ cauſæ requirantur indicendi tributum, vt ſit iuſtum ex parte finis? 464

4. Quæ ſit ſeruanda proportio in tributi impoſitione, vt iuſtum ſit ex parte formæ, & ſuper quibus rebus imponendum, vt iuſtum ſit ex parte materiæ? 466

5. Vtrum Clerici à tributis ſint exempti? 468

6. Vtrum Clerici non tantum iure humano, puta Ciuili & Canonico, ſed etiam diuino ſint à tributis exempti? 469

7. Vtrum defraudantes vectigalia peccent mortiferè, & teneantur ad reſtitutionem? 471

8. Vtrum ſi quis emerit à mercatore, quem ſciuit debitum vectigal fraudare, teneatur ipſe tunc ſoluere altero non ſoluente? 473

9. Vtrum ſi Princeps alicui debeat qui ab eo non poßit aliter obtinere ſolutionem; an liceret huic defraudando vectigal ſibi ſatisfacere via compenſationis? ibid.

CAPVT III.

De Beneficijs Eccleſiaſticis.

DVB. I. Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum, & de eius diuiſionibus. 474

2. Quid ſit Patronatus in hac materia, & quotuplex? 477

3. Vtrum Pontifex poßit derogare Iuri Patronatus, & conferre beneficia non præſentatis? 479

4. Vtrum ſicuti Laicis competere poteſt, atque adeo pluribus competit ius præſentandi ad Eccleſias & Eccleſiaſticas dignitates & beneficia, ſic quoque competere poßit ius conferendi, aut inſtituendi? 481

5. Quibus modis acquirantur beneficia? 482

6. Vtrum aliquando liceat beneficium conferre non idoneo & indigno? 483

7. Vtrum liceat beneficium digno conferre prætermiſſis dignioribus? 485

8. Vtrum quando quis pro ſua libertate ad beneficium promouit aliquem dignum, prætermiſſo digniori teneatur, tam ipſe promouens, quam promotus ad aliquam reſtitutionem, ſiue Eccleſiæ, ſiue ipſi digniori prætermiſſo? 490

9. Vtrum debeat quis eſſe legitimo thoro natus vt beneficij ſit capax? 493

10. Vtrum requiratur Ordo aut Clericatus, vt quis obtinere poßit beneficium? ibid.

11. Quæ requiratur ætas ad beneficia ſingula. 495

12. Vtrum ad beneficiũ requiratur cælibatus. 496

13. Quomodo requiratur morum probitas ad beneficium capeſcendum. 498

14. Quæ requiratur ſcientia ad beneficium obtinendum. ibid.

15. Vtrum ex parte corporis requiratur aliqua diſpoſitio in ordine ad beneficium obtinendũ. 500

16. Quali intentione oporteat acceptare beneficium Eccleſiaſticum? ibid.

17. Vtrum licitum ſit vni habere plura beneficia ſimul? 501

18. De incompatibilitate beneficiorum. 502

19. Vtrum aliquando licita ſit diſpenſatio ſuper pluralitate beneficiorum etiam requirentium reſidentiam? 504

20. Quæ beneficia requirant reſidentiam, & qualem? 505

CAPVT IV.

De Simonia.

DVB. I. Quid ſit Simonia? 508

2. Vtrum omnis ſimonia ſit contra ius naturale & diuinum, an verò detur etiam aliqua quæ ſit tantum iuris humani? 511

3. Quomodo ſimonia diuiditur? 513

4. Quale peccatum ſit ſimonia? 514

5. Vtrum Pontifex incurrere poßit crimen ſimoniæ? ibid.

6. Vtrum ſemper illicitum ſit pro ſacramentis dare pecuniam? 515

7. Vtrum pro functionibus ſpiritualibus, quibus labor aliquis eſt coniunctus, liceat pecuniam dare vel accipere? 517

8. Vtrum Eccleſiæ Prælati aliquid poßint accipere pro diſpenſatione in iuramentis, in votis, in impedimentis

Digitized by Google

pedimentis matrimonij aut in alijs conſtitutionibus ſeu legibus Eccleſiaſticis? 521
9. *Vtrùm Epiſcopi aut eorum Miniſtri poſſint aliquid exigere vel accipere pro litteris ordinis ſuſcepti, vel pro dimiſſorialibus, aut pro ſigillo.* 522
10. *Vtrùm liceat aliquid dare aut accipere pro ingreſſu religionis?* 523
11. *An ſit ſimoniacum pro doctrina alicuius ſcientiæ ſaltem Theologiæ exigere & paciſci de ſtipendio pretij temporalis?* 526
12. *Vtrùm & quando interueniat ſimonia in collatione beneficiorum, in electione, in confirmatione, in inueſtitura & præſentatione ad illa?* 529
13. *Vtrum & quando interueniat ſimonia in renuntiatione beneficij in fauorem tertij?* 530
14. *Vtrum & quando fieri licitè poſſit beneficiorum permutatio ſine vitio ſimoniæ?* 533
15. *Vtrùm reſignanti beneficium ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis, liceat reſeruare penſionem abſque vitio ſimoniæ?* 535
16. *Vtrùm penſiones poſſint permutari cum beneficijs?* 537
17. *Vtrùm abſque vitio ſimoniæ fieri poſſint reſignationes, & prouiſiones beneficiorum in confidentiam, vt loquuntur Canoniſtæ?* 538
18. *Vtrùm ſimoniacum ſit paciſci de pecunia danda, ac ipſam dare ad redimendã vexam, quam patitur quis in ſpiritualibus poſſidendis vel obtinendis?* 539
19. *Quas pœnas inducat ſimonia in primis circa ordinum collationes commiſſa?* 541
20. *Quas pœnas inducat ſimonia commiſſa circa beneficiorum impetrationem aut prouiſionem?* 542
21. *Quas inducat pœnas ſimonia commiſſa circa ingreſſum religionis?* 544
22. *Vtrùm quæuis ſimoniæ culpa circa ordines aut beneficia, vel circa religionis ingreſſum commiſſa inducat reſpectiuè pœnas explicatas, & quando?* 545
23. *Vtrum ſimoniacè acquiſita debeant reſtitui aut dimitti?* 548
24. *Cui fieri debeat reſtitutio pretij ſimoniacè accepti.* 549

TRACTATVS VIII.

DE RELIGIONE.

CAPVT I.

DVB. 1. *Quid ſit Religio?* 551
2. *Vtrum Religio ſit virtus & vna?* 552
3. *Vtrùm Religio ſit virtus ab alijs diſtincta?* 553
4 *Vtrùm religio ſit cõſtituenda quarta virtus Theologica, an verò ſit dicenda virtus moralis?* 556
5. *Quotuplices ſint actus, quos Religionis virtus ad colendum Deum, ſolet aut poteſt adhibere ad eius cultum?* 559
6. *Vtrùm ipſe elicitus actus religionis quem diximus eſſe amorem ſiue affectum voluntatis erga Dei cultum, ſiue ad promptè facienda ea quæ ſunt diuini cultus, ſit ipſe quoque Dei cultus?* 560
7. *Vtrùm cultus Sanctorum procedat à virtute religionis tanquam proprio ſuo principio?* 561
8. *Vtrùm religio præſtantior ſit omnibus virtutibus moralibus?* 562
9. *An Deus ſit ab homine colendus actibus cùm internis, tum etiam externis?* 564

CAPVT II.

De Actibus Religionis internis.

DVB. 1. *Quid ſit Deuotiò?* 566
2. *Quæ ſit cauſa deuotionis, & quis deuotionis effectus?* 567
3. *Quid Oratio ſit?* 569
4. *Vtrùm de neceſſitate ſalutis ſit orare?* 570
5. *Pro quo tempore obliget neceſſitas ſeu præceptum orandi?* 571
6. *Vtrùm oratio etiam vocalis ſit in præcepto?* 572
7. *Quænam ſint petenda in oratione?* 573
8. *Vtrùm conuenienter inſtituta ſint orationes ab Eccleſia, quæ communi nomine vocantur horæ Canonicæ?* 579
9. *Vtrùm obligentur aliqui ad horas Canonicas recitandas, & an Clerici omnes?* 580
10. *Vtrùm beneficiati teneantur ad horas Canonicas?* 581
11. *Vtrùm obligentur ad horas Canonicas recitandas Religioſi?* 583
12. *Vtrùm aliqua attentio, & qualis requiratur in lectione horarum?* 584
13. *Vtrùm illi qui ex præcepto Eccleſiæ obligantur ad horas Canonicas, ſatisfaciant, recitando verba & ſyllabas?* 586
15. *Vtrùm ſi quis ex defectu attentionis circa preces horarias non impleuerit præceptum Eccleſiæ, teneatur iterum eas legere: & an tenebitur ad fructuum reſtitutionem beneficiatus, ſi id non fecerit?* 588
16. *Quis modus ſeruandus ſit in vocali recitatione horarum, & quibus temporibus horæ ſint legendæ?* 590
17. *Quanta partis horarum omiſſio ſit peccatum mortale?* 592
18. *Quo tempore horæ ſint legendæ?* 593
19. *Quænam excuſent à lectione horarum.* 596

CAPVT III.

De Actibus exterioribus illis, quibus homo tum corpus ſuum, tum res ſuas exteriores accommodat & exhibet ad Dei cultum.

DVB. 1. De Adoratione. *Quid ſit Adoratio, & vtrùm ſit actus Latriæ?* ibid.
2. De Sacrificio. *Quid ſit Sacrificium in genere.* 597
3. *Vtrùm ad ſacrificium offerendum requiratur certus aliquis, & ad hoc deputatus miniſter.* 601
4 *Vtrùm ad ſacrificium requiratur altare.* 602
5. *Vtrùm ſoli Deo ſit offerendum ſacrificium, idque ſit lege naturæ præceptum.* ibid.
6. *Quomodo diuidatur Sacrificium.* 603

7. De

7. De Decimis. *Vtrum Eccleſia debeantur Decimæ, & quo Iure?* ibid.
8. *Ex quibus Decimæ debeant ſolui: & quomodo diuidantur?* 606
9. *Quibus debeantur decimæ?* 607
10. *Vtrum Laici poßint acquirere ius decimarum?* 608
11. *Vtrum quando decimæ indefinitæ alicui, ſiue Laico, ſiue alteri Eccleſiæ per priuilegium conceduntur, cenſeantur tum comprehendi decimæ noualium?* 609
12. *Quibus poſt bonorum Eccleſiæ diuiſionem competant decimæ perſonales & mixtæ?* 611
13. *Quibus modis contingat obligationem ſoluendi decimas ceſſare.* ibid.

CAPVT IV.
De Voto.

DVB. 1. *Quid ſit votum?* 613
2. *Quæ requirantur ad validitatem voti?* 615
3. *Vtrum libertas ad votum requiſita excludat metum, ita vt ex metu factum ſit irritum?* 616
4. *An votum, cui error cauſam dederit, ſit validum?* 618
5. *Vtrum votum ſit actus latriæ ſeu religionis?* 619
6. *Vtrum bonum ſit & laudabile vouere?* 622
7. *Vtrum opus ex voto factum ſit melius magiſque meritorium, quam idem aliter factũ?* 623
8. *Vtrum votum debeat eſſe de materia quæ ſit in poteſtate vouentis?* 626
9. *Vtrum votum debeat eſſe de materia honeſta?* 628
10. *Vtrum votum debeat eſſe de bono meliori?* 631
11. *Quid de voto Iephte dicendum ſit?* 634
12. *Quinam vouere poßint?* 635
13. *Vtrum perſonæ ſpecialiter aliis ſubiectæ, ſint prohibitæ ne vouere poßint?* 636
14. *An poßit vnus obligari voto alterius?* 638
15. *Quomodo diuidatur votum?* 639
16. *In quo conſiſtat ſolemnitas illa à qua dicuntur quædam vota ſolemnia ſubſtantialiter?* 641
17. *De antiquitate huius conſtitutionis Eccleſiaſticæ, quâ religioſi redduntur inhabiles ad matrimonium validè contrahendum.* 645
18. *Quanta ſit obligatio voti?* 648
19. *Quot modis contingat aliquem ſolui aut liberari à voto.* 649
20. *Vtrum quis propriâ auctoritate ſiue voluntate poßit commutare vota ſua?* 650
21. *Quinam Eccleſiæ Prælati poßint vota aliorum commutare?* 651
22. *Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi in votis?* 654
23. *Vtrum requiratur, quod Diſpenſatio fiat ex cauſa?* 655
24. *Quinam in votis poßint diſpenſare.* 657
25. *Quæ vota Pontifici ſint reſeruata?* 659
26. *Vtrum vota conditionalia quæ circa materiam reſeruatam verſantur, debeant cenſeri Pontifici reſeruata?* 660
27. *Vtrum pœnalia vota, quæ circa materiam reſeruatam fiunt, ſint reſeruata?* 663
27. *Vtrum votum alternatiuè ſiue ſub diſiunctione factum de materia reſeruata, & de materia nõ reſeruata, cenſendum ſit reſeruatum?* 664
28. *Vtrum Epiſcopus aliquando diſpenſet aut commutet vota, quæ ſunt ſimpliciter vota materiæ reſeruatæ, vt caſtitatis, religionis &c.* 665
29. *Vtrum Pontifex diſpenſare poßit cum aliquo in ſolemni voto caſtitatis? an etiam cum Religioſo & manente Religioſo?* 667
30. *Vtrum quando Pontifex concedit in generalibus terminis alicui poteſtatem aut priuilegium cõmutandi & diſpenſandi in votis, non adiiciendo exceptionem intelligatur tunc conceſſa poteſtas diſpenſandi etiam in reſeruatis?* 671
31. *Vtrum ad valorem diſpenſationis neceſſaria ſit voluntas libera Prælati, & quomodo cenſeatur impediri per ſubreptionem?* 672
32. *Vtrum ad hoc vt diſpenſatio cenſeatur valida debeat eſſe libera à coactione per metum.* 675
33. *Vtrum obligatio voti quod habet expreſſam vel implicitam conditionem, ceſſabit ſi vouens ſuâ malitiâ ex propoſito faciat cõditionẽ tolli?* 676
34. *Vtrum in concedenda diſpenſatione ſuper voto debeat ſeruari aliqua certa forma?* 677

CAPVT V.
De iuramento & adiuratione.

DVB. 1. *Quid ſit iuramentum?* ibid.
2. *De diuiſione iuramenti in aſſertorium & promiſſorium.* 679
3. *Qualis hæc ſit iuramenti diuiſio, vtrum ſit generis in ſpecies, ſic vt aſſertorium & promiſſorium ſint quaſi differentiæ eſſentiales conſtituẽtes membra hæc in diuerſa formali ratione iuramenti?* 680
4. *De diuiſione iuramenti in ſolemne, & in non ſolemne, & in illud quod expreßè fit per Deum, & in illud quod tantum implicitè.* 681
5. *Vtrum iuramentum ſit licitum?* 682
6. *Quæ requirantur, vt iuramentum licitè fiat.* 684
7. *Vtrum iuramentum promiſſorium obliget ſemper, & ad exequendum promiſſum?* 686
8. *Vtrum iuramentum adiectum non ad promißionem, ſed ad ſimplicem aſſertionem de opere aliquo præſtando, ſemper obliget ad operis executionem?* 690
9. *An iuramentum metu extortum inducat obligationem?* 694
10. *Si quis per errorem iuret aliquid, an iuramentum ſit validum & obliget?* 697
11. *An iuramentum promiſſorium ſimulatum obliget?* 699
12. *Vtrum aliquando iuramentum ſimulatum ſit licitum?* 702
13. *Vtrum eadem cenſeri debeat eſſe ratio de ſermone amphibologico, qui vt exterius prolatus admittit modo dicto plures ſenſus, & de ſermone qui ſolâ mente, ſiue appoſitione alicuius mentalis locutionis variat ſenſum.* 704
14. *Vtrum licitum ſit petere iuramentum ab illo quem ſcis aut putas iuraturum per falſos Deos.* 710

15. Vtrum

15. Vtrùm licitum ſit petere iuramentum ab eo quem putas peieraturum per Deum verũ? 711
16. Quale peccatum ſit iuramentum, Cui deeſt iudicium, aut iuſtitia? 714
17. Quale peccatum ſit periurium, Cui deeſt veritas, ſiue aſſertorium, ſiue promiſſorium fuerit? 715
18. Quibus modis tollatur aut deſinat obligatio iuramenti? 720
19. Vtrùm poſſit obligatio iuramenti tolli per diſpenſationem? 721
20. Penes quos ſit poteſtas diſpenſandi in iuramentis? 722
21. Quid ſit adiuratio? & quas res adiurare liceat? 725
22. De obſeruandis in adiuratione dæmonum. 726

CAPVT VI.
De Superſtitione.

Dvb. 1. Quid ſuperſtitio ſit? 730
2. Quomodo diuidatur ſuperſtitio? 731
3. Quid ſit Idololatria? quàm graue peccatũ. 732
4. Vnde ſit origo idololatriæ? 734
5. Quid ſit diuinatio ſuperſtitioſa? 735
6. Quomodo diuidatur ſuperſtitioſa diuinatio. 737
7. Quale peccatum ſit diuinatio cum expreſſa dæmonis inuocatione. ibid.
8. Vtrùm diuinationis ſuperſtitioſæ rectè ponatur tanquam alterum eius membrum, diuinatio quæ fiat ope vel inſtructione dæmonum ex implicito pacto? 738
9. Quomodo ſubdiuidatur diuinatio habens implicitum pactum cum dæmone? 742
10. Vtrùm omnis futurorum prædictio ex aſtris pertineat ad ſuperſtitioſam Diuinationem? 743
11. An ſit quoque illicitum veluti ſuperſtitioſum, aut tanquam poſitiuè prohibitum, prædicere huiuſmodi actus liberos & euentus ex aſtris, non ſecundum certitudinem, ſed ſecundum probabilem & moralem coniecturam? 747
12. Vtrùm omnis futurorum prædictio ex ſignis quæ ad auſpicium generaliter ſumptum referuntur, ſit ſuperſtitioſa, vt ex auium garritu, vel aliorum animalium, aut ex motu eorumdem; item ex ſomnijs, ex hominis ſternutatione, ex lineamentis corporis, &c. 748
13. Vtrùm ſortes ſemper ſint illicitæ? 752
14. De prima ſpecie vanæ obſeruantiæ, quæ vocatur ars notoria. 754
15. Quid ſit & in quibus conſiſtat ſuperſtitioſa obſeruantia ſanitatum. 755
16. De ſuperſtitioſa obſeruantia euentuum: quid ſit, & quomodò incurratur. 757
17. De Magia. Quid & quotuplex ſit? 758
18. Quænam dæmones per ſe, aut per magos poſſint operari circa elementa, aut circa corpus hominis & aliorum animalium? 759
19. Quid valeant dæmones agere circa animam hominis? 762
20. An & quibus liceat vti remedijs contra maleficia? 764
21. Vtrùm liceat amouere ſigna maleficij eo fine, vt maleficij nocumenta ceſſent? 765
22. Vtrùm quis licitè petere poſſit à malefico, vt malum illatum curet, aut tollat? 769
23. Vtrùm ſi magus ſciret & poſſet modo licito & modo illicito diſſoluere maleficium, an ab eo licebit abſolutè petere, vt maleficium tollat, & malum ceſſare faciat? 771
24. Quænam ſit irreligioſitas & quæ eius ſpecies? 774
25. Quid ſit tentatio Dei, & quale peccatum. ibid.
26. Quid ſacrilegium & quotuplex? 775

TRACTATVS IX.
De reliquis virtutibus Iuſtitiæ annexis.

CAPVT VNICVM.

Dvb. 1. Quid ſit pietas? quod eius obiectum? & quæ munia? 779
2. Quid obſeruantia, quod eius obiectum, & quæ munia? 780
3. Quid gratia ſiue gratitudo? an ſit virtus ſpecialis & quæ eius officia? 781
4. An ingratitudo ſit ſemper peccatũ, & quale. 782
5. Quid vindicatio? an ſit virtus etiam aliqua ſpecialis? 783
6. Quid veritas vt ponitur annexa iuſtitiæ? & quæ eius officia? 784
7. De vitijs oppoſitis virtuti veritatis. 785
8. Quid ſit affabilitas ſeu amicitia, vt ponitur virtus annexa iuſtitiæ? & quæ vitia oppoſita. 786
9. De liberalitate, an ſit virtus? & annexa Iuſtitiæ: & quæ vitia ei opponantur? 787

DE FORTITVDINE
TRACTATVS VNICVS.

CAPVT I.
De virtute Fortitudinis ſecundum ſe, de eius actibus & officijs, ac de vitijs illi oppoſitis.

Dvb. 1. An Fortitudo ſit virtus ſpecialis, & quod eius obiectum ſiue materia circa quam? 788
2. Vtrùm martyrium ſit actus virtutis, & vtrùm ſit actus fortitudinis. 790
3. Quæ ad rationem martyrij requirantur, vt ſit opus virtutis. 791
4. Qualis in homine peccatore requiratur diſpoſitio, vt martyrium ei proſit ad ſalutem. 793
5. Vtrùm Paſtores obligentur ad reſidentiam apud ſuas oues ſeu ſubditos tempore grauis perſecutionis. 795
6. Quæ vitia opponantur fortitudini. 800

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De partibus potentialibus fortitudinis, ſiue de virtutibus fortitudini annexis.

DVB. 1. *Quot & quæ ſint virtutes fortitudini annexæ?* 802
2. *De vitijs oppoſitis quatuor prædictis virtutibus.* ibid.

TRACTATVS DE TEMPERANTIA,

Eiuſque partibus, & vitijs oppoſitis.

CAPVT I.

De Temperantia ſecundum ſe, & de Abſtinentia, & Ieiunio eius actu. Deque vitijs oppoſitis.

DVB. 1. *Vtrum temperantia ſit virtus & quæ eius materia, & quæ regula?* 804
2. *Quæ vitia opponantur Temperantiæ in genere?* 805
3. *Vtrum Abſtinentia ſit virtus ſpecialis ſub temperantia?* 806
4. *An ieiunium ſit actus virtutis abſtinentiæ, & quidnam ſit?* 807
5. *Qui teneantur ieiunare?* 810
6. *Vtrum viatores & peregrini teneantur ſpeciali ieiunio loci in quo contingit illos verſari?* 813
7. *De ieiunij vtilitate & fructu, cum reſponſione ad hæreticorum obiectiones contra ieiunia Eccleſiæ?* 814

CAPVT II.

De Sobrietate, & vitijs oppoſitis.

DVB. 1. *Vtrum Sobrietas ſit virtus ſpecialis?* 818
2. *Quid ſit gula & quale peccatum?* ibid.
3. *Quid ſit ebrietas?* 820
4. *Quale peccatum ſit ebrietas?* 821
5. *Si Tyrannus minaretur ac intentaret alicui mortem, niſi ad ebrietatem ſeſe vino oppleret, vtrum ad euadendam mortem tunc foret licitum ſeſe inebriare?* 822
6. *Vtrum mala quæ in ebrietate quis committit ſint peccata, ita vt verè in culpam imputentur?* 824
7. *An ſit peccatum prouocare ſocios ad æquales hauſtus?* 825

CAPVT III.

De Caſtitate, & annexis, & de vitijs oppoſitis.

DVB. 1. *Quid ſit caſtitas & quotuplex?* 827
2. *Quid virginitas ſit, & quibus modis amittatur?* 828
3. *An virginitas ac cœlibatus ſtatus ſit præſtantior ſtatu matrimonij?* 829
4. *Quale peccatum ſit luxuria?* 832
5. *Quot & quæ ſint luxuriæ ſpecies?* ibid.
6. *Quid ſit fornicatio ſimplex, & an ſit peccatum mortale?* 833
7. *Quid raptus ſit in hac materia? & quale peccatum?* 835
8. *Quid inceſtus, & quale peccatum?* 836
9. *Quid ſit ſacrilegium in materia luxuriæ? & quale peccatum?* 837
10. *Quod peccatum luxuriæ dicitur eſſe contra naturam? & quotuplex ſit?* ibid.
11. *Quale peccatum ſit luxuria contra naturam?* 838
12. *Vtrum in oſculis, tactibus, aſpectibus ſit peccatum, & quale?* 841

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS WIGGERS,
DIESTENSIS,
S. Theologiæ Doctoris, ac Profeſſoris Regij
IN SCHOLIS PVBLICIS
ACADEMIÆ LOVANIENSIS

PRÆLECTIONES
DE
IVRE ET IVSTITIA
CÆTERISQVE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS
CVM ADNEXIS

De quibus Virtutibus tractat D. Thomas in 2. 2. à quæſt. 47. vſque ad quæſt. 171.

ABSOLVTO Tractatu de Virtutibus Theologicis, & vitijs oppoſitis, alijſque quibuſdam eò pertinentibus, pergit D. Thomas explicare Virtutes Cardinales, quæ ſunt quatuor: ſcilicet, PRVDENTIA, IVSTITIA, FORTITVDO, & TEMPERANTIA: quæ nobis commendantur lib. Sapientiæ cap. 8. vbi Æterna Sapientia dicitur Sobrietatem & Prudentiam docere, & Iuſtitiam, & Virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus: Sobrietatis enim nomine hîc ſignificatur Temperantia, ſicuti nomine Virtutis, Fortitudo: vt docet Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 7. Vocantur autem hæ virtutes

Digitized by Google

aliquando Cardinales, aliquando principales; non tantùm à Scholaſticis, ſed etiam ab antiquis Patribus: D. Ambroſius ad illud Lucæ Cap. 6. *Beati pauperes*, dicit, B. Lucam in quatuor iſtis beatitudinibus, quas ipſe commemorat, complexum eſſe quatuor virtutes veluti Cardinales: & infrà ſcribit: ſcimus virtutes eſſe quatuor Cardinales, Temperantiam, Iuſtitiam, Prudentiam, & Fortitudinem: quas lib. 1. de Officijs c. 14. idem Amb. vocat principales: quomodo etiam appellantur à D. Proſpero lib. 3. de Vita contemplatiua cap. 18. & à D. Gregorio lib. 2. Moral. cap. 36. Ratio autem eiuſmodi compellationum reddi poteſt, quia ſunt prima quædam & principalia fundamenta honeſtæ vitæ, ex quibus veluti quibuſdam Cardinibus omnis moralis honeſtas pendet, & in quibus firmatur, ac ſuo modo, quaſi in cardine vertitur: qui namque honeſtè vult viuere, debet imprimis eſſe prudens in actionibus ſuis; debet quoque vnicuique, tam hominibus, quàm Deo, præſtare quod cuique competit; debet eſſe & fortis in bono, nec facile cedere difficultatibus; & abſtinere à voluptatibus inordinatis.

DE PRV-

Digitized by Google

DE PRVDENTIA,

TRACTATVS VNICVS.

MERITO Virtuti Prudentiæ inter Cardinales attribuitur à Diuo Thoma, & ab alijs paſſim, primus locus, vtpote quæ ſit fundamentum ſuo modo, atque adeo ſalis inſtar condimentum neceſſarium reliquarum. Nam quemadmodum cibi ſale non conditi inſipidi ſunt, & ſine ſapore, ita aliarum virtutum actus ſemotâ Prudentiâ, inanes ſunt & vacui veræ virtutis vigore & ratione. Vnde Diuus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 36. bene dixit, Cæteras virtutes, niſi ea quæ appetunt, prudenter agant, nequaquam virtutes eſſe poſſe. Tractat autem Diuus Thomas hîc per nouem Quæſtiones de Prudentia: ſcilicet à quæſt. 47. vſque ad 56. vtrimque incluſiuè: & inprimis quidem de Virtute Prudentiæ ſecundum ſe: Deinde de eius partibus diuerſi generis: vt, Subiectiuis, Potentialibus, Integralibus: & vltimò de Vitijs Prudentiæ oppoſitis: quæ quidem, quia omnia principaliter ad Philoſophiam moralem ſpectant, hinc iſta breuiter duntaxat percurremus, & dicenda ad tria reuocabimus Capita, ſecando hæc in ſua dubia, iuxta ordinem & formam quibus de illis agit Diuus Thomas.

CAPVT PRIMVM,

De Prudentia ſecundum ſe.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Prudentia?

1 IN ratione Prudentiæ inueſtiganda occupatur D. Th. qu. 47. per quinque priores potiſſimùm Articulos: vbi art. 2. ad 2. notat, prudentiæ nomen aliquando generaliter ſumi, ſcilicet pro omni notitia veri, præſertim vt hæc reſpicit aliquo modo rectè viuere. Vnde ſic comprehendit & fidem, & vniuerſam Theologiam: quo pacto in Scripturis ſanctis ſæpius vſurpatur etiam nomen Sapientiæ: vt Eccl. 3. Prou. 8. & alibi.

Secundò ſumitur Prudentia ſpecialiter & propriè pro virtute intellectus proximè dirigente mores, & ſic de eâ hîc eſt ſermo: & definitur ab Ariſtotele lib. 6. Eth. cap. 5. eſſe Habitus cum ratione verâ circa bona humana actiuus. Item eſſe Recta ratio agendorum: & à D. Auguſtino lib. 1. De libero arbitrio cap. 13. dicitur eſſe Rerum appetendarum & fugiendarum ſcientia. Ex quibus confecerunt Poſteriores huiuſmodi prudentiæ definitionem, tanquam pleniorem & clariorem; quòd ſcilicet ſit Virtus intellectus, quâ in quouis negotio occurrente nouimus quid honeſtum facere, quid turpe. Vnde intelligitur quòd in definitione Ariſtotelis dicatur eſſe, Habitus actiuus cum verâ ratione, ſiue vt alij dicunt, habitus verus cũ ratione actiuus, ideo quia eſt habitus quidam intellectus dictans per verum rationis iudicium, & ſuo modo imperans circa bona humana, quæ nimirum hominis ſunt bona vt homo eſt: atque ita etiam dum ab Auguſtino definitur eſſe rerum appetendarum & fugiendarum ſcientia, non intelligitur ſcientia talium in vniuerſali tantùm, ſed in particulari: quâ cognoſcatur quid appetendum, quid fugiendum ad omnem occaſionem occurrentem. Pertinet autem hæc virtus ad intellectum, in eoque ſubiectatur: vt hîc docet D. Tho. art. 1. & ex ipſis definitionibus Ariſtotelis & D. Auguſtini ſatis conſtat. Quod autem ſit virtus, docent communiter Philoſophi omnes cum Ariſtotele loco citato: ſimiliter & Theologi: Hinc in Scripturis Prudentia frequenter commen-

datur, & è contrà reprehenditur imprudentia, & à SS. Patribus paſſim inter virtutes numeratur.

2 Probari poteſt primò: Quia ipſa eſt menſura & regula virtutum & actionum ſtudioſarum, quæ fiunt aut ſunt in voluntate: vnde non poteſt non eſſe virtus: Deinde, eſt quædam certa notitia honeſti & turpis; non minus igitur eſt virtus, quàm alij habitus intellectus, qui cauſant ſiue efficiunt rectam conſiderationem, ſiue operationem rationis: vt ſunt Sapientia, Intellectus, Scientia. Antecedens patet, quia ſic fertur in obiectum ſuum, vt ex modo iudicandi non poſſit falli circa obiectum ſuum proprium: Hinc opinio honeſti non eſt actus, neque iudicium prudentiæ, quia non ita tendit in obiectum, quin ex ratione ſua tendendi in illud, poſſit ei ſubeſſe falſum. Quâ de causâ docet etiam Ariſtoteles lib. 6. Eth. cap. 3. opinionem non eſſe virtutem. Confirmatur, quia nemo dixerit eſſe prudens iudicium, quo quis iudicat ſibi honeſtum & licitum eſſe illud de quo dubitat, an ei inſit turpitudo. Prudentia igitur importat certitudinem, ſic vt excludat omnē rationabilem formidinē de oppoſito.

Dico rationabilem, quia non ſemper excludit ſcrupulum, qui ſolet aliquando ſimul perſeuerare cum prudenti iudicio: verùm debet iſta imaginatio mali cum quâdam anxietate remanens reputari per prudentiam, tantùm eſſe ſcrupulus ac vmbra quædam, non veritas rationis: atque ita fit quòd prudentia etiam ſcrupulū ſuo modo excludat.

Dixi, quod falli non poſſit ex modo ſuo iudicandi, circa obiectum ſuum proprium: quia iudicium prudentiæ ſupponit diligentem rei conſiderationem ac inueſtigationē, tantam ſcilicet quanta ſecundum humanam capacitatem poteſt ſufficere ad percipiendam rei ſiue actionis honeſtatem: hâc autem poſitâ, etſi opus forſitan in ſe non eſſet honeſtum, tamen reſpectu huius hominis ſic conſtituti & ita ſe habentis eſt honeſtum, atque ita iudicat prudenter & ſine errore, cum his circumſtantijs illud ſibi honeſtum & licitum eſſe, vt ex ijs, quæ 1. 2æ. de bonitate & malitia humanorum actuum dicta ſunt, poteſt pleniùs intelligi. Sed

3 Dices, Iacob Geneſ. 29. prudenter iudicabat eam mulierem, quam Rachaëlem putabat, eſſe ſuam, & tamen illi ſuberat falſum, quia verè vxor eius non erat; ergò &c.

Reſpondetur, Iacob non per virtutem prudentiæ iudicaſſe iſtam mulierem eſſe ſuā vxorem, ſed in eo laboraſſe errore inculpabili: per virtutem autem prudentiæ (errore illo inculpato præſuppoſito cum alijs circumſtantijs) iudicaſſe ſibi honeſtum & licitum accedere ad hanc mulierem: & hoc iudicium, quodque immediatè eius actionem dirigebat, fuiſſe verum.

Dicitur in definitione: Quâ nouimus in quolibet negotio occurrente: quia prudentia verſatur circa actiones ſingulas in particulari, tanquam ſuum proprium obiectum: non enim is prudens eſt, qui nouit tantùm quid ad virtutem in genere, aut in ſpecie requiratur, & non nouit quomodo, & cum quibus circumſtantijs, hîc & nunc ſit exercenda, vt actus ſit actus virtutis.

Per iſtud itaque quod additur: Quid honeſtum facere, explicatur obiectum & opus, ac finis prudētiæ: nam verſatur circa actionem honeſtam determinandam cum ſuis circumſtantijs, ſicuti ars ædificatoria circa aptam ædificationē domus: eſtque illa actio honeſta etiam opus eius, non quidem ab eâ proximè elicitum, ſed directū, & ſuo modo imperatum: quod & finis eſt ipſius prudentiæ: non enim hæc quieſcit in cognitione nudâ actionis honeſtæ quomodo debeat hîc & nunc fieri, ſed eò ordinatur vt præſcribat opus, & ſuo modo applicet voluntatem ad opus.

Hinc intelligitur, quòd impropriè, & tantùm per ſimilitudinem quandam dicatur aliquis prudenter agere in ijs, quæ tantùm ſunt artis abſque conſideratione honeſtatis aut turpitudinis in ipſo opere, vt notat D. Tho. quæſt. 47. art. 4. ad 2.

Additur quoque, Et quid turpe: nam contrariorum eadem eſt ſcientia: neque poterit quis noſſe, quomodo debeat agere vt rectè & honeſtè viuat, niſi cognoſcat quid in moribus vitioſum ſit & vitandum.

Ex dictis non erit difficile, prudentiam diſtinguere ab alijs virtutibus, tum moralibus, tum intellectualibus: à moralibus enim alijs diſtinguitur, quod illæ ſint in appetitu vt ſubiecto, earumque actus elicitus ſit eſſentialiter volitio aut nolitio; Prudentia autem ſit in intellectu, eiuſque actus elicitus ſit eſſentialiter notitia. Vnde Primò fit quòd Prudentia habeat ſe per modum regulæ, quâ virtutes morales dirigantur; hæ autem per modum menſurabilis ſiue dirigibilis, quia actus voluntatis regulantur per intellectum: Secundò, quod Prudentia reſpiciat actiones honeſtas, quatenus ipſius obiectum ſunt ſub ratione veri, quatenus ſcilicet cognoſcit & iudicat eas vt taliter & taliter faciendas, verè futuras honeſtas; Virtutes autem morales reſpiciant eas ſub ratione boni, quia mouent voluntatem in illas, eò quòd ſint bonæ & honeſtæ. 4

Dico quod Prudentia, quatenus actionē honeſtam reſpicit vt ſuum obiectum, reſpiciat eam ſub ratione veri: quia prudentia reſpicit eam quoque tanquam finem ſuum operabilem vt antè indicauimus, & tendit in eam etiam ſub ratione boni, quia quam apprehendit vt verè honeſtam, dictat, & ſuo modo imperat faciendā, quia bona ſine honeſta

Digitized by Google

honeſta eſt: & hac de cauſa docet D. Tho. qu. cit. art. 4. in Corpore, prudentiam non tantùm materialiter reſpicere ſicut illud reſpiciunt aliæ virtutes intellectus, quia ſcilicet intendunt rectam ſeu veram rationis intelligentiam ſiue operationem, quæ bonum quoddam eſt: ſed etiam formaliter, ſcilicet ſub ratione boni, quia eius eſt, rectam rationis conſiderationem applicare ad opus vt fiat, quod iudicatur honeſtum, idque præſcribit quia honeſtum.

5 Hinc colligi poteſt primum diſcrimen inter prudentiam, & alias virtutes intellectus: quod ſcilicet prudentia non ſolum habeat rationem virtutis quam habent virtutes aliæ intellectuales, conſiſtentem in eo quòd faciant conſiderationem intellectus rectam ſiue veram: ſed etiam habeat rationem virtutis quam habent morales, conſiſtentem in eo quod faciat rectam ſiue bonam voluntatis operationem: quod quidē prudentia facit non eliciendo iſtam operationem, ſed dirigendo & ſuo modo imperando.

Alterum diſcrimen eſt, quod aliæ virtutes intellectus verſentur circa cognitionem vniuerſalium, ac in vniuerſali; ſintque ſpeculatiuæ, habentes ipſam rerum cognitionem pro fine ſuo; prudentia autem verſetur circa particularia, & ſit practica: quæ tamen præſupponit etiam cognitionē principiorum vniuerſalium rationis, ſiue moralium: & quidem prudentia Chriſtiana, quatenus ſupernaturalis eſt, ſupponit etiam fidem principiorum reuelatorum ad mores pertinentium: quale imprimis eſt de beatitudine, & fine ſupernaturali hominis.

Diſtinguitur etiam prudentia ab arte, quod illa ſit recta ratio agendorum; ars autem ſit recta ratio faciendorum. Vbi agere in eo differt à facere, quòd agere ſit operari actionem immanentem, vnde homo efficitur bonus vel malus: facere verò eſt edere operationem tranſeuntem in materiam externam, aut quaſi materiam, cui imprimit ars formam artificialem vſibus humanis accommodam, ſicuti prudentia indit actioni quam dirigit, formam honeſti.

DVBIVM II.

Vtrùm virtus prudentia ſit dependens à virtutibus moralibus?

6 RESpondetur cum D. Thoma 1. 2æ. quæſt. 58. art. 5. Prudentiam ſine virtute morali eſſe non poſſe. Vnde etiam hîc qu. 47. art. 13. docet eam, quæ ſimpliciter eſt prudentia, non eſſe in peccatoribus.

Probatur, Quia prudentiæ eſt in quolibet negotio occurrente apprehendere, quid honeſtum, & iudicare illud tanquam hîc & nunc conueniens ac bonum vt fiat; atqui ſi non ſit in voluntate virtus moralis, quâ ſit cōuenienter diſpoſita ad honeſtatē, ſed per paſſiones cōtrarias malè affectata, ſic quòd inter honeſtatē & voluntatem non ſit quędam ſuauis conſenſio & quaſi ſympathia, quin potius antipathia, non apprehendet, neque iudicabit intellectus opus honeſtum tanquā hic & nunc Suppoſito proprio conueniens & amplectendum: ſolet enim quiſque iudicare prout affectus eſt. Hinc iracundus vindictam apprehendit tanquam hîc & nunc conuenientem & exercendam: intemperans apprehendit voluptatem vt bonam: Auarus abundantiam diuitiarum; ſeruare autem in his modum rationis non facile tales iudicabunt ſibi hîc & nunc conueniens & faciendum, ſed ad ſummum forſitan apprehendere poterunt tanquam bonū in genere, vel pro alio tempore, aut alio rerum ſtatu. Sicut enim in animalibus brutis varij inſtinctus, & quaſi impreſſiones naturæ efficiunt, quod eorum phantaſia apprehendat res diuerſas vt ſibi amicas & conuenientes, vel vt inimicas & diſconuenientes, ſic quoque in homibus varij affectus tum voluntatis, tum appetitus inferioris, ſiue ſint habitu ſiue actu, cauſant quoque, quòd intellectus aut phantaſia apprehendat aliquid vt conueniens aut diſconueniens Suppoſito. Debet ergò voluntas per virtutes morales eſſe diſpoſita ad honeſtatem, ita vt honeſtum opus ſit ei gratum & quaſi volupe, atque oppoſitum ſit illi quaſi contrarium & moleſtum, vt intellectus ſanè iudicet de actione hîc & nunc tanquam honeſtâ exercendâ, aut tanquam turpi fugiendâ: nam alioquin contrariæ affectiones ſuo modo immutant intellectum, vt turpia quæ appetitui malè diſpoſito magis ſunt congrua, & quaſi magis ſapida, apprehendat & iudicet hîc & nunc conuenientia & amplectenda; & vt honeſtâ, quæ appetitui ita affecto diſſona & incongrua ſunt, reijciat vt fugienda: nam cōſenſio iſta aut diſſonantia, quæ eſt inter appetitum & obiectum, cauſare ſolet, quòd obiectum tanquam conueniens & bonum, vel tanquam diſconueniens & malum ab intellectu apprehēdatur, ſic vt affectiones appetitus maximam vim habeant circa iudicia præſertim practica, quibus vita & mores noſtri dirigi debent.

Hoc tamen negandum non eſt, quamuis Prudentiæ virtus nequeat perfectè exiſtere ſine virtutibus moralibus, tamen aliquādo, licet rariùs, contingere, quòd aliquis de honeſto hîc & nunc bene iudicet, licet voluntas ad illud ſit prauè diſpoſita: nam 7

ebrioſus interdum iudicat honeſtum eſſe hoc tempore & loco apud tales perſonas ſeruare menſuram rationis, etſi affectus in in contrarium ſit inclinatus, & ita ſubinde in alijs: quia praua affectio contraria non omnino ex neceſſitate excludit tale iudicium: vt enim intellectus, abſolutè loquendo, poſſit apprehendere opus honeſtum, tanquam hîc & nunc conueniens, ſufficit conſenſio iſta, quam honeſtas per ſe habet cum natura rationali, in quâ veluti in radice virtutes morales latent & continentur: quam prauæ paſſiones non poſſunt omnino tollere, quamuis multum offuſcent, impediant, & diſturbent, & vix ſinant intellectum conformiter ad illam naturæ inclinationem vt rationalis eſt, apprehendere & iudicare in particulari de rebus aut negotijs.

8 Sed objicitur: Virtutes morales ſupponunt Prudentiam, quia ſunt habitus electiui ſecundum dictamen Prudentiæ; ergò hæc eſt prior illis, & per conſequens poteſt abſque illis eſſe, neque ab ijs dependet.

Reſpondetur, Verum quidem eſſe, quòd virtutes morales perfectæ ſupponant perfectam prudentiam tanquam magiſtram & directricem, quæ in ſingulis negotijs oſtendat, quid & quomodo agendum: ſed ita tamen, quòd hæc ipſa comparari & haberi perfectè nequeat, niſi præuijs quibuſdam initijs iſtarum virtutũ, & his ſimul accreſcentibus cum ipſa prudentia: vnde fit quod Prudentia rectè dicatur eſſe dependens ab illis virtutibus, & ſine illis haberi non poſſe.

9 Dices iterum: Iſta initia virtutũ debent quoq; ſupponere Prudentiam inchoatam ſiue imperfectam, quæ non poteſt dici ab iſtis dependere; ergò videtur dicendum ſimpliciter, quod Prudentia poſſit eſſe abſque virtutibus moralibus.

Reſpondetur Neg. Conſeq. Quia iſta initia virtutum, quæ ſunt quidam adhuc imperfecti habitus ad honeſtatem in genere, vt ad temperatè viuendum, ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt, ſupponunt quidem aliquod etiam principiũ Prudentiæ, ſed quod non obtinet plenam ſiue perfectam rationem Prudentiæ, ſicuti neque iſta initia ſunt ſimpliciter virtutes morales: ſed eſt veluti fundamentum & radix Prudentiæ, vocaturque Syndereſis, quæ homini dictat in genere, honeſta eſſe proſequenda, & turpia fugienda, atque etiam in ſpecie quædam eſſe honeſta, & quædam turpia: quod iudicium ſufficere poteſt, vt in homine naſcatur etiam affectio quædam ad bene & honeſtè agendum in communi, præſertim quia honeſta actio habet quoq; conſenſionem ſuam cum ipſa natura rationali. Quando autem intellectus mediante ſynderesi incipit apprehendere, honeſtatẽ eſſe ſequendã, & aliquas facere ſubſumptiones ſub generalibus & notioribus principijs ad mores pertinentibus, & voluntas incipit eiuſmodi apprehenſionem ſequi, tum operando, per experientiam & exercitiũ paulatim acquiritur perfecta Prudentia, & ſimul virtutes morales comparantur: ita quòd licet Prudentia præcedat, tamen excreſcere & ad perfectionem peruenire non poſſit, niſi moralibus virtutibus voluntas ſimul imbuatur.

Quare in improbis, imò in deditis vel 10
vni vitio, non poteſt eſſe Prudentia conſummata & perfecta, ſaltem non ſecundũ extenſionem: quia prauus affectus, quo laborant, non ſinet eos rectè iudicare, quid hîc & nunc faciendum, quid omittendum, dum circa materiam vbi malè ſunt diſpoſiti, animo verſantur. Imò nequidem in talibus videtur Prudentia poſſe perfecta eſſe eſſentialiter in ordine ad vllam materiam: partim quia licet verè iudicent, quid hîc & nunc facere debeant in hâc materiâ, non tamen iudicium illud videtur ſimpliciter eſſe Prudentiæ, quia non iudicãt iſtud ſibi faciendum tam ex motiuo honeſtatis, vt ex alijs eorum actibus videtur conſtare, quàm ex alijs motiuis, quæ Prudentia non conſiderat: partim etiam, quod non ſint habitualiter diſpoſiti ad conſtanter iudicandum de honeſtate actionis in particulari in vlla materia, vt apparet: nam poteſt quælibet materia ex occaſione concurrere & quaſi miſceri cum alterâ quâlibet, atque ita quando occurret caſus, quod materia, circa quã habẽt appetitum bene diſpoſitum, & de quâ ſeorſim rectè iudicarent, ſit dependens ab alia materia, circa quam habẽt affectus deprauatos, fiet quòd etiam occaſione huius de iſtâ malè iudicabunt: v. g. ſit aliquis qui videatur iuſtitiam ſequi, & promptus eſſe ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt, careat autem virtute temperantiæ, & occurrat caſus, quòd non poſſit ſuæ intemperantię indulgere niſi negligat iuſtitiam, & non ſoluat quod debet, natum eſt euenire, quòd etiam malè iudicabit, non tantùm in materia temperantiæ, ſed etiam in materiâ iuſtitiæ, ita quod non facilè apprehendet, ſibi conueniens & bonum eſſe hîc & nunc alteri ſoluere, quod ei debet.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM,

De partibus Prudentiæ.

DVBIVM I.

Quæ ſint partes ſubiectiuæ ſiue ſpecies Prudentiæ?

1 RESPONDETVR: Prudentia rectè diuiditur in Prudentiam Monarchicam, & in Prudentiam Poliarchicam, tanquam in ſuas partes ſubiectiuas immediatas. Prior dicitur, quæ reſpicit directionem perſonalem cuiq; propriam in ordine ad ſuum bonum: vnde vocatur etiam perſonalis aut ſolitaria. Poſterior dicitur, quæ reſpicit directionem multitudinis. Sic diuidit D. Thomas Prudentiam in partes ſubiectiuas qu.48.art.vnico in Corp.& qu. 47.art.10. oſtendit prudentiam ſe extendere ad regimen multitudinis: quam art.11. docet eſſe ſpecie diſtinctam ab illa, quæ verſatur circa bonum proprium & particulare: quod hoc ferè modo demonſtrat: quia habitus ſumunt ſpeciem ex formali ratione obiecti; Prudentia autem verſatur circa media ad finem, quæ media accipiunt formalem diuerſitatem ſecundum diuerſos fines, ad quos ordinantur: ſunt autem diuerſi fines, bonum particulare, & bonum multitudinis; ergò & media ad illa ſunt formaliter diuerſa, & per conſequens Prudentia, quæ verſatur circa ea, quæ reſpiciunt bonum perſonale tanquam finem, eſt formaliter & ſpecie diuerſa ab illâ, quæ verſatur circa media vt reſpiciunt bonum multitudinis tanquam finem.

2 Prudentia Perſonalis non diuiditur vlteriùs, ſed Poliarchica ſubdiuiditur ab Ariſtotele lib.6.Ethic.cap.8. in Oeconomicam, Politicam, & Legiſlatiuam, quibus D. Th. q.50. quartam addit, ſcilicet, Prudentiam militarem.

Oeconomica dicitur, quâ quis rectè adminiſtrat & regit familiam: vnde propriè competit patribusfam. reſpectu familiæ ſuæ.

Ciuilis ſeu Politica eſt, quâ quis rectè nouit gubernare ciuitatem, & curare, quod leges ſeruentur: quare hæc competit propriè Magiſtratibus. Legiſlatiua autem, quæ alio nomine Nomothetica dicitur, eſt quâ quis idoneas nouit condere leges ad bonum & ſuaue regimen multitudinis, & propriè competit Regibus aut ſupremis Capitibus regni aut Reipubl.

D. Thomas verò qu.49. loco Legiſlatiuæ ponit Regnatiuam, quæ iuxta illum complectitur Legiſlatiuã, & eam quam nos diximus Ciuilem ſiue Politicam: ipſe autem Ciuilem videtur ponere in ſubditis, quatenus hi prudenter iuxta leges à Superioribus latas ſe in communitate gerunt. Sed hæc minùs ſunt conformia Philoſopho locis citatis, & alijs, qui ad Philoſophum ſcripſerunt: nam Philoſophus duas ponit quaſi ſpecies Politicæ, ſcilicet Conſiliatricem, & Iudicatricem: quarum illa in dubijs præbet conſilium; hæc autem exercet iudicia in Tribunalibus: vtrumque autem pertinet ad perſonas publicas. Accedit, quod non magis videatur neceſſaria peculiaris prudentia, vt quis obtemperet legibus regni aut ciuitatis, quàm vt pareat ordinationibus aut præceptis domeſticis patrisfam. nullus verò requirit aut ponit hîc particularem ſpeciem prudentiæ; quare nec ibi ponenda erit. 3

Quod ad Militarem prudentiam attinet, diſtinguit eam D.Tho.qu.50. art.4. ab Arte militari, quod ars vt talis contineat tantùm regulas quaſdam rectè vtendi rebus aliquibus exterioribus in bello, vt armis aut equis; ſed prudentia dirigat milites & negotia militaria ſecundum rationem virtutis ad malum Reip. auertendum, & ad pacem communem ſeruandam. Quare hæc ſupponere videtur militarem artem, & ei ſuperaddere notitiam dirigendi milites ad functiones militares ſecundum regulas virtutis, præſertim fortitudinis obeundas: vnde D. Tho. hanc ponit in Ducibus exercitus. 4

Obſeruandum verò eſt, prudentiam perſonalem quodammodo complecti omnes alias prudentiæ ſpecies, quia poteſt hæc ſe extendere ad omnes illarum functiones, iudicando de iiſdem actionibus, ſed ſub aliâ atque aliâ ratione: quidquid enim ordinat aut imperat paterfam. per prudentiam Oeconomicam, ſpectando bonum familiæ, poteſt ordinare & iubere per prudentiam perſonalem, ſpectando ſcilicet in his, quod ſibi conueniens & honeſtum ſit ita agere, & ſic officio ſuo ſatisfacere: nam quatenus, dum illa agit, reſpicit ad bonũ ordinem familiæ ſuæ, ſic dirigit ſe in illis per prudentiam Oeconomicam: quatenus verò in illis ſpectat, quòd deceat illum hæc agere, ideoque ordinat aut mandat, vt quiſque præſtet, quod ſibi incumbit, eatenus ſe di- 5

rigit per prudentiam perſonalem. Idem dicendum de Ciuili, Legiſlatiuâ, & militari. Quare prudentia perſonalis abſolutiſſimè completa, quâ quis in omni ſtatu & officio valeat rectè iudicare in particulari de actionibus ſibi conuenientibus & honeſtis, requirit notitiam omnem quę ad cęteras ſpecies prudentiæ ſpectat. Hinc Ariſtoteles 6.Eth. cap.8. dicit perſonalem (quam ſimpliciter & ſine addito prudentiā appellat) & Oeconomicam eſſe eundem habitum, ſed non habere eandem rationem ſeu idem eſſe: quod ſimiliter de Politicâ dici poſſet, vt ex iam dictis facile intelligitur. Rectè autem perſonalem nominat Philoſophus ſimpliciter & abſque addito, prudentiam: quia hęc abſolutè facit prudentem: is enim ſolus ſimpliciter & abſolutè prudens dicendus eſt, qui inprimis & ante omnia curat illa quæ ſe, ſiue perſonam ſuam, decent, & ſibi ſunt conuenientia ſecundum rationem virtutis: quod dum ſolicitè agit, ſimul adimplet officia ſiue œconomicæ, ſiue politicæ, ſiue cuiuſcumque alterius, ſi in eo ſit ordine aut ſtatu, in quibus hoc ei conueniat, quod familiam, vel ciuitatem dirigat aut regat, vel leges ferat.

DVBIVM II.

Quæ ſint partes Integrales Prudentiæ?

6 DOcet D.Thomas qu.48. Prudentiam ſuas quoque habere partes quaſi integrales, quas ſcilicet neceſſe eſt concurrere ad perfectum vſum illius. Eiuſmodi autem ibidem enumerat octo, ſcilicet Memoriam, Intellectum ſiue Intelligentiam, Docilitatem, Solertiam, Rationem, Prouidentiam, Circumſpectionem, & Cautionem: De quibus ſingulis in particulari tractat quæſt. 49.

Memoriam vocat recordationem præteritorum, quę ſenſu aut intellectu aliquando percepimus: quam oſtendit eſſe Prudentiæ partem, quia Prudentia verſatur circa ſingularia & contingentia operabilia, de quibus oportet iudicare ſecundùm quod ſe res habet vt plurimùm: hoc autem oportet addiſcere per experientiam, quæ acquiritur ex pluribus memorijs, vt Philoſophus docet 1. Ethic.

Intellectum ſiue Intelligentiam vocat rectam æſtimationem de aliquo principio primo practico, ſcilicet quod ſumitur tamquam per ſe notum, ſicut Intellectus in ſpeculatiuis eſt habitus quidam principiorum primorum ſpeculabilium, quæ per ſe nota ſunt.

Docilitas autem eſt quædam prompta facilitas ad diſcendū ab alijs: quam idcirco vult D. Th. neceſſariam, quia Prudentia verſatur circa particularia operabilia ſeu agibilia, in quibus infinitæ quodam modo occurrunt varietates, quæ vix per longiſſimum tempus poſſunt obſeruari. Quare ad perfectam prudentiam, & perfectum eius vſum, maximè indiget homo inſtrui & doceri, præſertim à ſenioribus, qui ſanum intellectum ſunt aſſecuti circa fines operabilium, qui ſunt principia ſpeculationis, aut rectæ æſtimationis. Vnde Prouerb. cap. 3. dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ:* Et Eccleſ. cap. 5. monet Sapiens, vt cum presbyteris ſiue ſenioribus ſit conuerſatio noſtra, & eorum ſapientiæ coniungamur. Quamuis autem Docilitas ſecundùm aptitudinem inſit à natura, tamen ad eius conſummationem, inquit D. Th. plurimùm valet humanum ſtudium, quo ſcilicet quis ſollicitè, frequenter, & reuerenter applicat animum ſuum documentis Maiorum, non ea negligens propter ignauiam, neque contemnens propter ſuperbiam.

Solertia eſt prompta & facilis coniectatio medij, per quod ſcilicet formare poſſimus rectam æſtimationem de rebus agendis: recta enim huiuſmodi æſtimatio habetur aliquando per aliorum inſtructionem, aliquando autem, eâ ſcilicet deficiente, opus eſt propriâ inuentione medij, per quod poſſimus rectè æſtimare de actione: ibi autē ſeruit Docilitas, hîc verò Solertia. 7

Per Rationem intelligit D. Th. quandam promptitudinem ratiocinandi, & vnū ex altero rectè colligendi: quam declarat pertinere ad Prudentiam, quia prudentiæ eſt conſultare: vbi plurimùm conducit prompta illa ratiocinatio, quâ quis nouit rectè principia generalia applicare ad particularia operabilia, & ex ſimilibus exemplis alia deducere.

Prouidentia verſatur circa futura contingentia, ſecundùm quod per hominem ſunt in finem humanæ vitæ ordinabilia: quarè importat quendam reſpectum alicuius diſtantis ad illa quæ in præſenti occurrunt, & de quibus hîc & nunc diſponendum eſt. Ac proinde deſcribi poteſt, quod ſit quædam conſideratio futurorum euentuum, qui ex præſenti actione, vel non actione, ſequi nati ſunt: quos prudentia vel maximè debet attendere, vt rectè de negotio iudicet. Vnde D. Th. qu.49. art.6. ad 1. dicit, Prouidentiam inter omnes Prudentiæ partes eſſe principaliorem.

Circumſpectio eſt attenta conſideratio circumſtantiarum, quæ in præſenti vndequāq; occurrunt, & faciunt ad honeſtatem, aut turpitudinem actionis: quemadmodum Prouidentia attendit ad euentus futuros. 8

Cautionem ponit D. Thomas in eo, quòd quis benè aduigilet, ne decipiatur ſub ſpecie

ſpecie recti, dum forſitan mala, quæ bonis ſunt permixta, & aliquam boni ſpeciem habent, amplectitur tamquam bona. Hinc Cautio videtur verſari circa ipſam principalem actionem; ſicuti Circumſpectio circa circumſtantias. Ita ferè D. Th. de partibus integralibus Prudentiæ, quas partim ex Ariſt. partim ex alijs collegit.

Quidam autem ſub aliâ conſideratione, aliter aſſignant partes integrales Prudentiæ: ponunt enim hi prudentiam eſſe habitum non omninò ſimplicem, ſed compoſitum ex pluribus partialibus habitibus (ſicuti ſatis communiter de ſcientijs ſpeculatiuis, vt de Phyſica & de Mathematicis doceri etiam ſolet) qui ſinguli particulares habitus reſpiciunt diuerſas & particulares rationes honeſti, quæ reperiuntur in diuerſis virtutibus: nam alijs regulis & notionibus Prudentiæ diriguntur functiones Iuſtitiæ, alijs autem Temperantiæ, alijs Fortitudinis: quarum omnium notitia eſt neceſſaria ad perfectam & completam prudentiam.

9 Singulos itaque eiuſmodi particulares habitus directiuos actuum diuerſæ virtutis docent eſſe partes integrales completæ & abſolutæ prudentiæ: qui etiam ſub aliâ conſideratione poſſunt poni & dici, ſubiectiuæ partes prudentiæ: poteſt enim prudentia dupliciter conſiderari in ratione totius, ſcilicet vt totum integrale, & quaſi collectiuum, & vt totum vniuerſale. Sunt itaque partes integrales illius, quatenus prudentia completa conſideratur vt talis conſtare ex iſtis pluribus habitibus, tamquam partibus heterogenijs ad vnum Eſſe perfectum prudentiæ ordinatis, ad quod conſtituendum ſinguli concurrunt, & aliquid conferunt, nullus autem habet totum illud Eſſe: ſicuti partes ſingulæ alicuius domus concurrunt ad perfectum Eſſe domus conſtituendum, & nulla habet ipſum totum Eſſe domus: & ſic prudentia per modum totius integralis ſeu collectiui conſiderata, poteſt dici vna ſpecie, & habere rationem quaſi ſpeciei infimæ. Quomodo etiã communiter ſolemus loqui de ſcientijs ſpeculatiuis: non enim dici ſolent plures ſcientiæ phyſicæ, aut metaphyſicæ, ſed vna: idque iuxta conſiderationem nunc explicatam.

Obiectum verò, quod prudentia vt ſic reſpicit, eſt veritas omnis honeſtatis actionum per modum vnius collectiui conſiderata in communi: ſed quando prudentia conſideratur, vt quidem circa omnem honeſtatem, non collectiuè, ſed quaſi diſtributiuè verſatur, tunc ſicut in ſingulis ſpeciebus actionis ſtudioſæ reperitur honeſtas, ſed alia & alia, & ſecundùm diuerſas regulas menſuranda, ita quoque circa ſingulas habebit locum prudentia: ſed vt procedit ſecundùm diuerſas regulas, erit alia & alia ſecundùm ſpeciem; de quibus ſingulis prudentia in communi prædicabitur per modum generis ſiue totius vniuerſalis, quatenus in ſingulis inuenitur illa communis ratio, ſed ex ordine ad diuerſas regulas particulares, & diuerſos fines particulares quaſi contracta ad diuerſas ſpecies prudentiæ.

DVBIVM III.

Quæ ſint potentiales partes Prudentiæ?

D. Thomas qu. 48. art. vnico in Corpore circa finem dicit, partes potẽtiales alicuius virtutis dici virtutes aliquas adiunctas, quæ ordinantur ad aliquos ſecundarios actus aut materias, quæque non habent totam potentiam virtutis principalis. Ponit autem ipſe tres eiuſmodi partes Prudentiæ, ſcilicet Eubuliam, Syneſin, & Gnomen. 10

Eubulia eſt habitus quidam, qui facultatem præbet rectè conſultandi ſiue inueniẽdi bonum conſilium in rebus ambiguis & perplexis.

Syneſis eſt habitus rectè iudicandi de actione ſecundùm ordinaria, & propria principia practica illius materiæ.

Gnomen verò appellat habitum rectè iudicandi ex principijs quibuſdam altioribus: ita vt hoc iudicium ſit quodammodo contra tenorem verborum legis particularis; ſed tamen non contra mentem & ſenſum Legiſlatoris. Sic per Gnomen iudicamus inuaſori patriæ (inquit D. Th.) non eſſe reddendum depoſitum, quod alioquin ſecundùm leges particulares iuſtitię iudicaretur eſſe reddendum.

Prædicti itaque habitus dicuntur potentiales partes Prudentiæ, quia ſunt quædam virtutes inſeruientes prudentiæ, quibus veluti membris ſuis vtitur ad vltimum ſuum & finalem actum, quemadmodum anima potentijs ſuis vtitur ad finem ſuum, quæ idcirco etiam partes potentiales animæ poni ſolent, vt indicat D. Tho. loco citato in principio Corporis. 11

Vtrùm autem hi diſtinguantur à virtute prudentiæ, poteſt dubitari. D. Th. videtur eos accipere & ponere tamquam virtutes diſtinctas à prudentiâ. Et quidem rectè hactenus, quòd ſinguli ſcilicet non ſint adæquatè idem cum prudentia: alioquin probabilius eſt, eos non diſtingui realiter à prudentia, ſed eſſe ipſam prudentiam inadæquatè conceptam, aut conſideratam, prout ſcilicet illa ſe ad vnam vel ad alteram functionem extendit. Nam omninò ad munus eius pertinet, adinuenire idonea media

media ad finem: atqui bene conſultando adinueniuntur media; ergò Eubulia, quæ præbet facultatem rectè conſultandi, non eſt aliquid omninò à parte rei diſtinctum ab ipſa prudentia, ſed potiùs ipſa prudentia partialiter ſecundùm vnam functionem conſiderata: in quâ etiam primò ſolet prudentia obſeruari. Similiter bene iudicare, ſiue ex proprijs principijs, ſiue ex altioribus conſiderationibus, eſſe prudentiæ actū, videtur euidens ex communi hominum apprehenſione, qui æſtimant de viro prudente ex ſolida eius ratione de actionibus particularibus iudicandi, ex quibuſcumque regulis aut principijs id fiat; ergò Syneſis quoque & Gnome particulariter debent cenſeri identificari cum prudentia.

12 Hinc etiam D. Th. qu. 47. art. 8. ponit bene conſiliari, & bene iudicare eſſe actus prudentiæ; & quidem art. 2. quia prudentia eſt conſiliatiua, idcirco docet eam eſſe in cognoſcitiua potentia. Interim verò d. art. 8. ponit tertium actum, ſcilicet præcipere: quem docet eſſe principalem inter omnes functiones prudentię, quia per hunc aſſequitur finem ſuum, qui eſt bene agere, adeo quòd nondum dicetur quis abſolutè prudens, quamuis argutè conſultet, & bene de actionibus iudicet, niſi quoque præcipiat & imperet facere. Iſtud autem præceptum ſiue imperium eſt, quo ſibi ipſi quis imperat, de quo Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 9. ſcribit: Sibi imperat animus, vt velit, qui non imperaret, niſi vellet. Quare circa hoc præceptum ſeu imperium licebit quatuor conſiderare quę ibidem concurrunt: 1. Apprehenſionem quaſi ſimplicem rei conuenientis & bonæ: 2. Quendam motum voluntatis in eam rem: 3. Ordinationem ſeu præſcriptionem rei vt agendæ: 4. Intimationem rei iuxta ordinationē agendæ apud eum, cui imperatur.

Imperium itaque iuxta D. Th. 1. 2. qu. 17. & alios pleroſque DD. ſubſtantialiter conſiſtit in hac intimatione, quatenus tamē includit ordinem ad motum ſiue actum voluntatis præuium, quo ſcilicet inclinatur, & cupit fieri id, quod faciendum intimatur: nam iſte ordo huius intimationis, quâ v. g. quis ſibi dicit, Fac hoc, Fuge illud ad ipſam voluntatem, dat iſti actui intellectus formalem imperij rationem, quatenus inde accipit quandam efficaciam mouendi etiam ipſam voluntatem vt velit, ita ſcilicet vt opus ſequatur: quod pulchrè indicat D. Auguſt. in verbis allegatis.

Quare ſicut electio ſubſtantialiter eſt actus voluntatis cum ordine ad actum rationis, cuius virtus ſuo modo reperitur in actu voluntatis, quatenus nimirum voluntas ſecundùm rationis iudicium acceptat, non quidlibet indifferenter ad finis conſecutionem, ſed medium determinatum & oportunum: ſic è contra imperium eſt ſubſtantialiter actus intellectus cum habitudine ad actum voluntatis, cuius virtus ſuo modo afficit actum illum rationis, quo voluntatis affectus indicatur, eâque ratione mouet quoque ad actionem. Hoc tamen præceptum non eſt neceſſariò ſemper diſtinctum à iudicio practico, quo iudicat quis, hanc actionem hîc & nunc ſibi conuenire aut eſſe faciendam, quia per illud iudicium ſufficiēter poteſt ex parte intellectus moueri voluntas, vt ſe ad opus applicet: Habet tamen imperium formale, quo quis ſibi dictat, Fac hoc, aut Fuge illud, ſuam vtilitatem, & aliquando quandam etiam neceſſitatem: nam in rebus arduis aggrediendis plurimùm excitat voluntatem, & quaſi vires addit, vt cordatiùs homo aggrediatur opus, & contra operis difficultatem nitatur. Idem locum habet circa vitanda turpia, quæ ſenſibus valde delectabilia ſunt. Sed de his videre licet ea, quæ diximus 1. 2. qu. 9. & qu. 17. 13

CAPVT TERTIVM,

De vitijs Prudentiæ oppoſitis.

DVBIVM I.

De vitijs Prudentiæ oppoſitis: per Defectum.

Docet D. Th. qu. 53. in procemio duplicis generis eſſe vitia, quæ prudentiæ aduerſantur; quod etiam in alijs virtutibus locum habere docet ex Auguſt. lib. 4. contra Iulianum: quædam enim habent quaſi manifeſtam cum prudentiâ contrarietatem; & hæc ponit prudentiæ oppoſita per defectum: quędam verò ſunt, quæ ſuperficie tenus prudentiam imitantur, & ſunt veluti quædam laruata prudentia; & hæc poſſunt quodam modo dici oppoſita prudentiæ per exceſſum, quia contingunt per abuſum eorum, quæ ad prudentiam ſunt requiſita.

Per defectū itaque, & ſecundùm manifeſtam contrarietatem aſſignantur quatuor vitia prudentiæ oppoſita: ſcilicet Præcipitatio,

Digitized by Google

tatio, Inconſideratio, Inconſtantia, & Negligentia. Quod declarari poteſt hoc modo: quia iſta vitia manifeſtè aduerſantur prudentiæ, quæ ſunt contra regulas quas inprimis debet prudentia in ſuis functionibus obſeruare: quæque ſunt contra functiones omninò obſeruandas iuxta prudentiam: atqui ea, quæ nunc ſunt enumerata, ſunt eiuſmodi, vt ex dictis facilè poteſt intelligi.

3 Nam vna regula prudentiæ eſt, vt priuſquam opus aggrediaris, aut aggrediendum iudices, mature cōſultes ac deliberes de medijs, & de modo atq; ordine exequendi: cōtra quā manifeſtè procedit Præcipitatio, quę ſine aliquo propoſito, abſq; debitâ deliberatione præuiâ iudicat & aggreditur opus.

Alia regula eſt, vt diligenter opus inſpicias, & circumſtantias examines, de quo iudicandum eſt: contra quam agit Inconſideratio, quæ non inſpectis qualitatibus operis, aut non examinatis eius circumſtantijs, iudicium fert.

Tertia eſt, vt poſtquàm maturè deliberaueris, & attentè de rebus iudicaueris, tunc illis inhæreas, neque ob quaſlibet leues ratiunculas permittas te à deliberato & iudicato diuelli: contra quam peccat Inconſtantia, quâ leuiter quis, & abſq; ſufficienti ratione, mutat ſententias de rebus agendis.

Quarta regula eſt, vt rem deliberatam & iudicatam tempore oportuno mandes executioni: quam præuaricatur Negligentia. Sed hîc

4 Notandum, quòd poſſit Negligentia dupliciter conſiderari: vno modo, vt eſt omiſſio diligentiæ requiſitæ in ipſo opere externo; & ſic non eſt directè contra prudentiam, ſed contra eam virtutem, in cuius materiâ verſatur; vt negligentia in explendo mandato ſuperioris, contra obedientiā; negligentia in colendo Deo, contra virtutem religionis. Alio modo, vt eſt omiſſio diligentiæ requiſitæ ex parte intellectus, qui debeat mouere & excitare, ac dictamine ſuo quaſi vrgere voluntatem, & potentias exteriores ad operis executionem, & ſic negligentia eſt propriè contra prudentiam.

DVBIVM II.

Qualia peccata ſint vitia prædicta?

5 RESpondetur: Præcipitatio inprimis, & Inconſideratio non ſunt mortalia, niſi committantur aut ex quâdam auerſione à principijs prudentiæ, vt ſi quis parui pendat, & quaſi repudiet diuina documenta, quæ conſulere & ex quibus iudicare deberet, aut niſi adiunctū habeant periculum peccati mortalis ratione materiæ, circa quam verſantur; quod frequentiùs fieri ſolet: alioquin, iſtis ſemotis, erunt tantùm venialia peccata. Colligitur manifeſtè ex D. Th. quæſt. 53. art. 1. in Corpore circa finem: & ratio reddi poteſt, quia rectitudo prudentię requiritur maximè propter opus, quod iuxta illam eſt, dirigendum: ſicuti rectitudo regulæ, aut iuſtitia menſuræ potiſſimùm requiritur propter illa, quæ regulæ aut menſuræ ſunt conformanda, ſiue adæquanda. Quando igitur contemptus diuinorum principiorum abeſt, ex quibus prudentia pendet potiſſimùm, neque periculum imminet peccati mortalis ratione operis faciendi, non erit defectus ille prudentiæ mortalis.

Similiter etiam Inconſtantia non eſt peccatum mortale, niſi ex voto aut præcepto teneatur quis inhærere ſententiæ, & quantum poteſt, ſecundùm illam operari; vel niſi accederet aliqua cauſa extrinſeca illud poſtulans, vt ſi mea inconſtantia datura eſſet alijs occaſionem ſcandali. Idem dicendum de Negligentia; quod ſcilicet non ſit mortalis, niſi ſit cauſa neglecti operis, quod ſub mortali quis tenebatur præſtare, aut certè niſi ratio adeo ſit remiſſa ad ea quæ ſunt ſalutis, vt non abſit periculum prætermittendi aliquid eorum, quæ ſub mortali debent fieri. Ita docet D. Th. qu. 54. art. 3. 6

Ex dictis autem vitijs Præcipitatio directè opponitur bonę conſultationi, quam præſtat Eubulia: Inconſideratio opponitur rectę rationi iudicandi, quam pręſtant Syneſis, & Gnome: Inconſtantia verò & Negligentia opponuntur præcepto, quod eſt principalior & quaſi proprius actus prudentiæ, vt tradit D. Th. d. qu. art. 2. Vbi & alias Imprudentię ſpecies quaſi ſecundarias enumerat, quas docet omnes ad aliquam ex iſtis quatuor commodè reduci, prout ipſe eas reducit. 7

DVBIVM III.

De vitijs prudentiæ oppoſitis per exceſſum: & qualia ſint peccata?

QVod ad ea attinet vitia, quæ prudentiæ habent quandam imaginem, ſed veritatem excludunt, & vti diximus, opponuntur prudentiæ veluti per exceſſum: Ponit D. Th. qu. 55. eiuſmodi ſex: ſcilicet Prudentiam carnis, Aſtutiam, Dolum, Fraudem, Sollicitudinem temporalium, & Sollicitudinem futurorum. 8

Prudentia carnis eſt ratio ingenioſè adinueniendi & aſſequendi ea, quæ carnis cupidi-

Digitized by Google

cupidatibus ſeruiunt, iiſque fomentum & oblectamentum præbent. Vbi tamen hoc

Notandũ Primò: Quod, ſicuti vera prudentia importat, & annexum neceſſariò habet affectum aliquem honeſtatis, ita quoq; prudentia carnis, quę falſa eſt & vitioſa prudentia, importet & coniunctum habeat affectum operum carnalium, ſine quo nuda cognitio prauorum mediorum non diceretur prudentia carnis. Eſt autem iſte affectus ſic reſpectiuè ad prudentiam tam veram quàm falſam, neceſſarius, partim quia iudicium vtriuſque prudentiæ pendet plurimùm ex affectibus, vt ſuprà dictum fuit, & indicat Apoſt. ad Rom. cap. 8. dum ita ſcribit: *Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt, ſentiunt*: partim etiam, quia prudentia non ſignificat qualemcumque notitiam mediorum, ſed practicam, & tendentem ad opus: atque ita includit affectum operis, aut ſaltem ordinem ad talem affectum quem præſupponit.

10 Notandum Secundò: Quòd ſicut Apoſt. ad Gal. cap. 5. ſub operibus carnis comprehendit non tantùm vitia carnalia, quæ per appetitum inferiorem, aut in carne committuntur, ſed etiam ſpiritualia, quæ in ſolâ ratione, aut appetitu ſuperiori conſiſtunt (nam opera carnis non tantùm vocat fornicationem, luxuriam, ebrietates, &c. ſed etiam inimicitias, æmulationes, iras, ſectas, inuidias) ſic etiam rectè prudentiam carnis poſſe extendi, vt verſari intelligatur, non tantùm circa carnalia, ſed etiam circa ſpiritualia peccata: & tunc in eius deſcriptione, loco illius quod diximus, cupiditatibus, poni poterit maioris claritatis gratiâ, quæ naturæ corruptæ cupiditatibus ſeruiunt. Docet autem D. Th. art. 1. & 2. qu. cit. prudentiam carnis eſſe peccatum, & quidem mortale: quod ſatis etiam conſtat ex Apoſt. ad Rom. 8. cùm ait: *Nam prudentia carnis, mors eſt.* Et iterùm: *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo.* Et patet ratio, quia ſecum adfert affectum ad carnis ſiue naturæ corruptæ peccata, quibus ſeruit. Si quis tamen ingenium applicaret ad vnum aliquod opus quod venialiter tantùm eſſet malum, non committeret niſi veniale peccatum: quod ibidem ſuprà ſubindicat Diuus Thomas.

Aſtutitiam eſſe vitium, quod prudentiæ aſſimiletur, docet Auguſt. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Eſt autem hæc quædam ratio ingenioſè excogitandi media ſuo modo oportuna (ſed non niſi apparenter bona & probata, abſolutè autem mala) ad finem aliquem intentum conſequendum, cum affectu applicandi. Quare D. Th. ſic eam diſtinguit à prudentiâ carnis aut ſæculi, quòd hæc intendat ad opera carnis per media aliqua, ſiue ex ſe licita, ſiue illicita: Aſtutia verò ſit circa media apparentia ad qualemcumque finem, ſiue bonum ſiue malum.

Dices D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 17. videtur hoc ipſum etiam attribuere prudentiæ ſæculi; ſic enim ſcribit: Deridetur iuſti ſimplicitas: huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere. Hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiũt, hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in alijs mirantur: Et infrà: Omne autem, quod innocenter agitur ab eo, proculdubio ſtultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat; ergò &c. 11

Reſpondetur: D. Gregorium ibi generaliter omninò loqui de prudentia carnis, ſiue ſapientia ſæculi, & ſic poſſe etiam aſtutiam comprehendere: alioqui quando prudentia carnis ſpecialiùs accipitur, rectè modo explicato diſtingui contra aſtutiam.

Eſt autem hæc peccatum iuxta D. Th. non tantùm, quando ad malum finem, ſed etiam quando ad bonum obtinendum applicatur: neque enim ſunt facienda aut vſurpanda mala, vt eueniant bona. Vnde Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 4. commendat ſimpliciter, ne ſimus *ambulantes in aſtutia.* Eſt verò peccatum mortale, aut veniale pro ratione medij quo vtitur, vel etiam finis qui intenditur, quando hic malus eſt. Vide Caiet. in Summa verbo Aſtutia. Hoc etiam notandũ eſt, nomen illud aliquando abuſiuè capi pro prudentia in bonam partem, ſicuti & nomen prudentiæ aliquando abuſiuè in malam partem capitur pro aſtutia.

Dolus eſt executio aſtutiæ, ſiue verbis id fiat, ſiue factis. Vnde inſtituitur cõtra alios, 12
& principaliter verſatur in materia iuſtitię, ac proinde plura de dolo erunt dicenda infrà in materia de Contractibus.

Fraus eſt executio aſtutiæ per facta: vt quando menſura eſt minor iuſto, aut merces ſunt vitiatæ. Vnde fraus eſt quid contractius & minus commune reſpectu doli: vt etiam docet D. Th. ſuntque ambo quaſi externi actus ipſius aſtutiæ. Solet quoque dici fraus fieri tum contra legem, tum ipſi legi. Contra legem fit, quando hæc violatur abſque colore vel artificio, quo violatio pallietur aut tegatur.

Legi autem fit, quando artificio quodã ita agitur contra ſenſum & intentionem legis, vt non appareat tamen contra legem agi: vt ſi is, qui non poteſt donare ſua alteri, ſimulet contractum venditionis, aut qui non poteſt emere rem alterius propter legem, ſicuti tutor non poteſt emere bona pupilli, curet eam emi per altrum. Vnde diuerſis modis illud fieri poteſt, quos videre licet apud Sylu. V. Fraus.

Sollici-

13 Sollicitudinem abſolutè poſitam docet D. Th. quæſt. 47. art. 9. propriè pertinere ad prudentiam, quia ſignificat vigilantiam quandam ad promptè & celeriter expediendа illa, quæ poſt bonam conſultationē iudicata ſunt debere fieri. Pertinet itaque ad prudentiam, quatenus huius functio eſt præcipere, & præcipiendo mandare deliberata executioni. Vnde Philoſ. 6. Ethic. cap. 9. ſcribit, quòd oporteat velociter quidem operari conſiliata, tardè autem conſiliari. Sed ſollicitudinem temporalium, ac etiam futurorum ponit D. Th. inter vitia prudentiæ ſimilia. Eſt autem hæc quædam nimia mentis occupatio circa res temporales, cum quâdam animi inquietudine, proueniens ex inordinato amore habendi, vel timore amittendi. Contingit verò hæc nimietas tripliciter, vt indicat D. Th. qu. 55. art. 6. vel quia animus inhæreat temporalibus, tamquam fini; quod iuxta Auguſt. prohibuit Chriſtus Matth. 6. quando dixit: *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis* &c. & fauet id quod præcedit: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ*: ad hoc enim Chriſtus ſubiungit: *Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis* &c. vide Auguſt. lib. de opere Monachorum cap. 26. vel quia ſuperfluum ſtudium eis impenditur; ita vt animus à ſpiritualibus, quibus principaliter debet intendere, abſtrahatur. Vnde Matth. 13. dicitur, quòd ſollicitudines huius ſęculi ſuffocent Verbum Dei, vt non faciat fructū. Aut tertiò propter ſuperfluum timorē, dum quis anxiè timet, ne ſibi deſint neceſſaria, etiam dum facit ea quæ facere debet, quaſi Deus hominis curam & prouidentiam non haberet. Vnde Chriſtus Matth. 6. indicat eiuſmodi anxietatem ad gentiles pertinere, qui Dei ac diuinæ prouidentiæ notitiam non habent, dicens: *Hæc enim omnia gentes inquirunt*.

Sollicitudo futurorum autem eſt intempeſtiua & nimia animi occupatio in longinqua tempora, vt vitæ neceſſaria habeantur, cum quadam animi anxietate coniuncta. In hac poſſunt concurrere defectûs ſollicitudinis temporalium: ſed addit hoc ſpeciale, quòd concurrat hîc peccatum contra debitam circumſtantiā temporis, quia omni negotio tempus eſt & oportunitas, vt habetur apud Eccleſ. cap. 8. & monet Chriſtus Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*. quia nimirum dies habent ſuā ſollicitudinis afflictionem. Moderata tamen & tempeſtiua ſollicitudo temporalium & futurorum, quatenus hæc neceſſaria ſunt, vt homo & viuat, & ea ad quæ operanda ordinatus eſt, agat, non cenſetur idcirco prohibita: ſed magis nobis in Scripturis commendatur, vt Prov. 6. cap. *Vade ad formicam, ô piger* &c. & cap. 10. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis*. Non enim voluit Dominus homini omnia vitę neceſſaria abſque illius operâ & curâ obuenire, quia id otio & deſidiæ præberet occaſionem, quæ fomenta ſunt peccatorum; ſed voluit etiam hominis moderatam curam & laborem ad ea comparanda concurrere: quod docet quoque D. Th. quæſt. cit. art. 7. ad vlt. ex D. Auguſt. & confirmat exemplo Chriſti, qui loculos habere dignatus eſt. 14

Finis De Prudentia.

DE IVRE ET IVSTITIA TRACTATVS NOVEM.

SECVNDVM locum inter Virtutes Cardinales ſuo merito obtinet Iuſtitia, ob dignitatem tum obiecti, tum finis propinquioris, quâ excedit alias duas, Temperantiam & Fortitudinem. Eſt autem Virtus latiſſimè patens, vtpote cui in omnibus paſſim negotijs, quibus inter ſe communicant homines, ſuus ſoleat eſſe locus: cuius proinde leges ac regulę ab omnibus cognoſcendæ ſunt; ſpecialiter tamen accuratiſſimè tenendæ ab illis qui aliorum Conſultores, Directores, aut Iudices conſtituendi ſunt. Porrò ſicuti Prudentiæ, ita & Iuſtitiæ ponit D. Th. triplicis generis partes, ſcilicet ſubiectiuas, quæ ſunt commutatiua & diſtributiua iuſtitia: quaſi integrales, quas docet ſuo modo eſſe, facere bonum, & declinare à malo: & quaſi potentiales, vt ſunt religio, virtus pietatis, obſeruantiæ, gratitudinis, & ſimiles, quæ dicuntur virtutes annexæ iuſtitiæ. De primis tractat per Quæſtiones 21. ſcilicet à quæſt. 57. vſque ad 78. incluſiuè: De ſecundis agit vnâ tantùm quæſt. 79. Et de partibus tertij generis diſputat vſque ad quæſt. 122.

Cæterùm quia multa & varia ſolent in hac materia quæri & diſputari à Doctoribus, quæ non tam congruo ordine, & ſine aliqua rerum confuſione ad quæſtiones D.Th. poſſunt accommodari, hinc compendij & maioris omnium connexionis gratiâ, diſtribuemus totam illam diſputationem in nouem diſtinctos Tractatus.

Primus erit de Iuſtitia & Iure in communi, & de dominio, de vſufructu, de vſu, de poſſeſſione, quæ ſunt veluti quædam ſpecies iuris.

Secundus de Iniuria, & reſtitutione in communi, & de iniurijs in particulari quæ committuntur in corpus proximi per homicidium, mutilationem, ſtuprum, adulterium, & de reſtitutione in his requiſita.

Tertius de iniurijs circa bona externa per rapinam, furtum, alióſve modos quibus iniquè damna inferuntur: & de eorum neceſſaria reſtitutione.

Quartus, de iniurijs in nomine & fama per detractionem aut contumeliam, & de neceſſitate reparationis: vbi etiam agetur de iniurijs in bonis ſpiritualibus.

Quintus de contractibus tum in genere, tum de varijs ſpeciebus in particulari.

Sextus de Iudicijs, & de ijs quæ circa iudicium concurrunt.

Septimus de Iuſtitia diſtributiua, vbi agitur de perſonarum acceptione, de beneficijs ac Simonia.

Octauus de religione, eiuſque actibus, & vitijs oppoſitis.

Nonus denique de cæteris virtutibus iuſtitiæ annexis.

Tractatus autem ſingulos ſubdiuidemus in ſua Capita, & Capita in Quęſtiones ſiue diuerſas Dubitationes.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS
De Iuſtitia & Iure in genere, & de iuris quaſi ſpeciebus.

CAPVT PRIMVM,
De ratione Iuſtitiæ.

DVBIVM I.
De nomine Iuſtitiæ, eiuſq; diuerſis acceptionibus.

1 NOMEN Iuſtitiæ ſecundùm generalem notionem ſuam, importat ęqualitatem & rationem quandam debiti, vt docet D. Th. quæſt. 80. art. vnico: & ſatis per ſe patet, quia iuſtum apprehendunt omnes, quod regulæ, cui commenſurari debet, adæquatur, ſiue adæquatè reſpondet.

Ex hoc autem, quòd æqualitatem dicat, cognoſcitur etiam importare ordinem ad alterum: nihil enim ſibi, ſed quidquid æquale dicitur, alteri æquale dicitur, vt infrà magis explicabitur.

Sumitur verò nomen Iuſtitiæ duobus potiſſimùm modis: Primò, quaſi collectiuè pro omni virtute, ſiue pro quadam complectione omnium virtutum. Sic nomen illud accipit Philoſophus 5. Ethic. cap. 1. quando dicit, iuſtitiam non eſſe partem virtutis, ſed virtutẽ vniuerſam. Et ratio huius ſignificati reddi poteſt, quòd in eo reperiatur adæquatio ad debitum cum quodam reſpectu ad alterum: quia vniuerſitas virtutum reddit voluntatem conformẽ & commenſuratam ſuæ regulę, cui commenſa eſſe debet, ſcilicet legi: & ordinem habet ad alterum, ſcilicet legiſlatorem, cui per virtutes ſimul collectas redditur, quod illi ſuo modo debetur.

Satis conformiter vtuntur hoc nomine Scriptores ſacri, quando gratiam habitualem, aut charitatem cum cæteris virtutibus, quibus homo ſanctificatur, iuſtitiam appellant. Ita frequenter hoc nomen vſurpatur in Litteris ſacris: Matth. 5. *Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*: item, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum*, & cap. 6. *Attendite, ne faciatis iuſtitiam veſtram coram hominibus*, 1. ad Timoth. 1. *Iuſto non eſt lex poſita*. Vnde & D. Chryſoſt. Hom. 11. in Matth. dicit, Iuſtitiam nihil aliud eſſe, quàm omnium mandatorum plenam cuſtodiam. Quælibet itaque virtus eſt quædam iuſtitię hoc modo acceptæ pars, & quidem ita vt omnes virtutes ad eam ſint neceſſarię; ita vt ſi vel ab vna recedatur, non conſtet eiuſmodi iuſtitiæ ratio: quia ex ſingularum defectu naſcitur inęqualitas, ſeu difformitas voluntatis cum regula cui debet correſpondere.

Hanc autem virtutem vniuerſam, ſiue 2
iuſtitiam pro virtute vniuerſa acceptam, vocat Philoſophus loco cit. iuſtitiam legalem, quæ proinde ex eius ſententiâ non eſt aliqua virtus realiter diſtincta à collectione omnium virtutum. Quod etiam inde patet, quia eius rationem in hoc conſtituit, quòd quis legibus pareat: id autem plenè præſtat virtutum omnium collectio. Vnde & huic iuſtitiæ accommodat vetus illud dictum:

Iuſtitia vna alias virtutes continet omnes.

Docet tamen virtutem ſic vniuerſam, & iuſtitiam legalem differre notione ac ratione, quamuis ſint re idem: quòd ſcilicet virtutes vt ſimpliciter ſecundùm ſe conſiderantur, rectè diſponant hominem, ſiue in ſe, ſiue in ordine ad aliquas particulares perſonas: ſed iuſtitiæ legalis ſubeant propriè rationem, quatenus conſiderantur rectè diſponere hominem in ordine ad conuenientem ſtatum Reip. aut Communitatis, vt ſcilicet ſit conueniens & benè proportionatum, ac qualificatum membrum ipſius Reip. nam huius intereſt habere ciues honeſtè ac ſtudioſè ſecundùm leges, degentes. Vnde non tantùm in ſubditis, ſed etiam in Rectoribus, vniuerſitas hæc virtutum rectè intelligitur habere rationem iuſtitiæ legalis, non tantùm quaſi effectiuè quatenus curant alios decenter & ſecundùm leges viuere: ſed etiam quaſi formaliter, quatenus eos reddit tales, quales ipſi in ordine ſuo debent eſſe in Republica.

D. Thomas verò quæſt. 58. art. 6. licet
Iuſtitiam legalem, virtutem quoque gene- 3
ralem eſſe dicat, tamen docet eſſe virtutem

aliquam diſtinctam à cæteris virtutibus: nam explicat eam dici virtutem generalem ratione imperij, in quantum ſcilicet ordinat actus aliarum virtutum ad finem ſuum: Sicut enim charitas, inquit, poteſt dici virtus generalis in quantum ſcilicet ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum, ita & Iuſtitia legalis, quia nimirū ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Et ibidem tunc concludit, quòd ſicut charitas, quæ reſpicit bonum diuinum vt proprium obiectum, eſt virtus ſpecialis ſecundùm ſuam eſſentiam, ita & legalis iuſtitia ſit ſpecialis virtus ſecundùm eſſentiam, ſecundùm quod reſpicit commune bonum, tamquā obiectum proprium.

Hanc autem nonnulli volunt eſſe eandem cum pietate: ſed aduerſatur hoc D. Th. infrà q. 101. art. 3. ad 3. Et ex eo refelli poteſt; quia pietas reſpicit bonum ſui principij effectiui, aut conſeruatiui, non propriè bonum communitatis vt tale. Alij itaque exiſtimant illam eſſe eandem cum virtute obedientiæ: cum quâ ſine dubio plus habet affinitatis, quia vtraque conuenit in quâdam generalitate materiæ, quatenus vtraque diſponit hominem ad legum obſeruationem. De obedientia id per ſe conſtat: de legali autem iuſtitia colligitur ex Philoſopho, qui eius rationem in hoc ponit, quòd quis legibus pareat, vt ſuprà dictum eſt.

4 Propriè tamen loquendo, videtur dicendum eſſe, quòd etiam hæ virtutes formali ſaltem ratione differant: nam obedientia exhibet opus tamquam à ſuperiore præceptum; ſed iuſtitia legalis præſtat opus, tamquam debitum bono & ſtatui Reip. cuius is pars & membrum eſt, qui illud facit. Hinc ſuprà diximus, illam etiam ſimpliciter eſſe in ipſis rectoribus cōmunitatis ſiue legiſlatoribus, in quibus tamen non habet locum propriè obedientia, niſi reſpectu alicuius eorum forſitan Superioris: aut quaſi effectiuè tantùm, quatenus curant ſubditos obedire ſuis legibus.

Secundò accipitur nomen Iuſtitię pro virtute particulari, tam quoad eſſentiam, quàm etiam quoad imperij rationem: ita ſcilicet, vt ex eius ratione & officio, non illi conueniat ad ſuum finem (qui eſt ponere æqualitatem inter conciues aut quaſi conciues quoad ius vnius, & debitum alterius) generaliter referre omnes alias virtutes; quamuis interim contingere poſſit, quòd aliquas virtutes ad finem ſuum referat: vt ſi quis temperanter viuat, vt habeat vnde creditoribus ſatiſfaciat. Nam etiam virtutes omninò particulares aliquādo vtuntur mutuis ſubſidijs: ſed ex ratione obiecti ſui non habent quòd virtutes omnes ad finem ſuum referant.

De Iuſtitia itaque hoc poſteriori modo acceptâ, potiſſimùm nobis de cætero erit ſermo, ſic tamen vt etiam ſimul explicentur quædam virtutes cum hac habentes affinitatem, quæque analogicè nomine Iuſtitiæ appellari ſolent.

DVBIVM II.

Quid ſit Iuſtitia?

Reſpondetur: à Iureconſulto L. Iuſtitia: D. de Iuſt. & Iure rectè definitur, Iuſtitia eſſe conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi. Ita docet D.Th. quæſt. 58. art. 1. cuius definitionis reddit hunc ſenſum, quòd Iuſtitia ſit habitus, ſecundùm quem aliquis conſtanti & perpetuâ voluntate ius ſuum vnicuique tribuit. Atque ita ſatis conuenit cum definitione, quam Philoſophus tradit libro 5. Ethic. cap. 1. vbi iuſtitiam dicit eſſe habitum, ſecundùm quem quis dicitur operatiuus ſecundùm electionem iuſti. Quando igitur iuſtitia dicitur eſſe voluntas, non ibi voluntas ſignificat naturalem potentiam appetitiuam, ſed actum, non quidem vt tranſeuntem, ſed quaſi habitualiter permanentem, ſiue habitualem voluntatis affectionem quæ non facilè dimoueri queat, ad operandum actum illum, qui eſt tribuere vnicuique ius ſuum. Quod indicatur, quando iuſtitia dicitur Voluntas conſtans: nam habitus tribuit voluntati firmitatem & quandam immobilitatem, quæ requiritur ad iuſtitiam, ſicut & ad alias virtutes, vt D. Th. art. ſup. cit. docet ex Philoſopho. Neque enim iuſtus, ſiue iuſtitiâ præditus dicetur, qui leuiter dumtaxat vellet reddere vnicuique quod ſuum eſt. 5

Per id, quod additur, Et perpetua, ſignificatur, non ſatis eſſe ad iuſtitiæ virtutem, velle aliquo tempore aut aliquibus in negotijs tribuere vnicuique, quod ſuum eſt, ſed quod oporteat velle tribuere ſemper & in omni occaſione. Per ius autem alterius hîc intelligitur, quod ſtrictâ obligatione alicui debitum eſt: quod is dicitur vnicuique tribuere, qui vnicuique, quod ratione iuris ſui habet, relinquit, & non habenti ſuū procurat vt ad æqualitatem habeat, quatenus id procurare ſibi incumbit. Vnde tribuere hîc ius ſuum, non eſt creare illi aliquod ius, ſed eſt iuri eius non contrauenire, tollendo ſcilicet ab eo quod iure habet: aut ſatiſfacere iuri eius, curando, vt habeat id, quod ex iure illi debetur. Quando verò dicitur, Vnicuique, intellige; qui ſimpliciter eſt alter, ſiue altera perſona, non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter: nam inprimis ſtrictâ & propriè dictâ iuris obligatione nullus ſibi quidquam debet, neque aliquis 6

actum

actum iuſtitiæ erga ſe ipſum exercet. Ex mente autem Iuriſconſulti haud dubiè, allegatâ definitione explicatur Iuſtitia propriè & particulariter dicta. Vnde & ad æqualitatem debet fieri redditio iuris, cuius in definitione fit mentio. Nam vt ſit actus iuſtitiæ, propriè ac ſtrictè acceptæ, tria hæc concurrere oportet:

7 Primum, quod is cui dicimur tribuere ius ſuum, ſit perfectè alius, vti diximus: vnde non tantùm non eſt iuſtitia alicuius ad ſe ipſum, ſed neque patris ad filium, neque domini ad ſeruum, quia ſeruus eſt in rebus domini, & filius eſt aliquid patris.

Secundum, vt ſimpliciter debitum ſit: quare ex gratitudine aliquid tribuere non eſt iuſtitiæ actus.

Tertium, vt tribuatur ad omnimodam æqualitatem, quod debetur. Vnde à definitione & iuſtitiæ ratione ſemouentur hæ virtutes, Iuſtitiæ alioquin annexæ, Religio, Pietas, Obſeruantia: quia numquam Deo, parentibus, præceptoribus & maioribus redditur omninò ad æqualitatem, quod ijs debetur. Similiter legalis iuſtitia hinc remouetur, quia etiam partes aut membra Reipub. ſe non poſſunt vnquam exſoluere ab obligatione, quâ illi tenentur. D. Auguſt. tamen lib. 19. de Ciuit. cap. 21. dictam definitionem extendit, vt etiam illę virtutes annexæ comprehendantur, neque ita preſsè vrget illud, tribuere cuique ius ſuum, vt totum debitum exhauſtum velit circa omnes, quibus pendimus quod debemus. Et haud dubiè ſicut iuſtitiæ nomen pluribus ſolet analogicè attribui, ſic quoque verba definitionis accommodatè accipi poſſunt, vt definitio etiam analogicè omnibus illis accommodetur; ita tamen vt ratio iuſtitiæ ſimpliciter & ſtrictè dictæ, conueniat tantùm illi, quæ eſt inter eos, quorum neuter eſt aliquid alterius, neque alter habet obligationis titulum, cui numquam ad plenitudinem poſſit ſatisfieri, ita vt obligatio cenſeatur aliquando exhauſta: Reliquæ itaque dicuntur iuſtitiæ per quandam affinitatem aut ſimilitudinem ad illam iuſtitiæ rationem, ad quam accedunt, ſed non integrè aſſequuntur.

8 Ex dictis colligitur Primò, iuſtitiam eſſe virtutem: quod D. Thomas docet quæſt. cit. artic. 3. quia tribuere vnicuique ius ſuum, & conſtituere æqualitatem in actionibus quibus inter ſe communicant homines, eſt actus per ſe honeſtus & rectæ rationi conſentaneus: hoc autem eſt opus iuſtitiæ; ergò &c.

Patet Secundò, in quo reſideat iuſtitia tamquam in ſubiecto, ſcilicet in voluntate rationali, vt tradit D. Th. art. 4. quia ordinantur ad rectificandum actum, non potentiæ cognitiuæ, ſed appetitiuæ: quod conſtat ex definitione Philoſophi, quando ei tribuit eſſe habitum operatiuum ſecundùm electionem iuſti: electio enim eſt voluntatis. Quod verò nõ ſit in ſenſitiua, ſed in rationali, oſtenditur, quia cognitio ſenſitiua, quâ ſenſitiuus appetitus dirigitur, non ſe eò extendit, vt poſſit apprehendere proportionem vnius ad alterum, & iudicare de æqualitate, ſed hoc eſt rationis: quare & voluntatis rationalis erit hoc opus eligere, non ſenſitiuæ.

Patet Tertiò Iuſtitiam eſſe ad alterum, quia rectè diſponit hominem in communicationibus & commutationibus quas habet cum altero exercere, vt docet D. Th. art. 2. Inclinat enim hominem, vt velit & præſtet quod alteri debet, quodque iuri illius reſpondet: atque ita non eſſe iuſtitiam hominis ad ſe ipſum, niſi quandam omninò metaphoricè dictam, vt explicat D. Th. ex Philoſophò, quatenus ſcilicet ratio in homine imperat, & vires inferiores obſequuntur, & obtemperant rationi, & generaliter ſecundùm quod vnicuique parti in homine attribuitur, quod ei conuenit.

Colligitur Quartò, quomodò ab alijs virtutibus diſtinguatur: ab intellectualibus enim diſtinguitur, quòd iuſtitia ſit virtus voluntatis: à reliquis autem quæ in voluntate quoque reſident, differt obiecto; à Theologicis quidem, quod earum obiectum ſit Deus, Iuſtitiæ verò ius proximi: ab alijs autem cardinalibus, vt à temperantia, & fortitudine, quòd hæ non diſponant nos ad alterum, ſed ad nos ipſos, vt ſcilicet exerceamus actiones nobis ſecundùm dictamen rationis conuenientes, moderando animi paſſiones abſque aliquo ordine ad aliam perſonam. Quomodo autem diſtinguatur à virtutibus ipſi annexis, conſtat partim ex iam dictis, & amplius conſtabit ex dicendis infrà de his virtutibus in particulari.

DVBIVM III.

Vtrum Iuſtitia verſetur circa paſſiones?

Reſpondetur Iuſtitiam per ſe primò non verſari circa paſſiones animi, ſed 9
circa operationes. Ita D. Th. quæſt. 58. art. 9. ex Philoſopho. Probatur, quia iuſtitia ordinat nos ad alterum; ad conſtituendam ſcilicet æqualitatem inter nos & illum, quoad ius eius, & debitum noſtrum: non autem ad iuſtitiæ proprium officium ſpectat, curare, vt paſſiones animi non excedant, v. g. ne homo nimiùm iraſcatur, aut nimium timeat, aut ne nimiùm ventris cupiditatibus indulgeat; ergò &c.

Sed dices: Eiuſmodi paſſiones aliquando poſſunt cauſare impedimentum, quo minùs aliquis alteri ius ſuum tribuat; ergò etiam ad iuſtitiam ſpectabit, moderari tales paſſiones.

Reſp. Neg. Conſeq. quia eiuſmodi impedimenta erunt tollenda præſidio aliarum virtutum, vt per manſuetudinem, per fortitudinem, per temperantiam, quia virtutes ſeſe mutuò iuuant: & propterea diuerſę ſunt virtutes ad diuerſos actus exercendos, & ad reſiſtendum diuerſis vitijs, quatenus vel virtutis ſibi oppoſitę, vel alterius exercitium impediunt. Adijcio tamen, poſſe Iuſtitiam ſecundariò etiā verſari circa paſſiones, quatenus illarum moderatio aliquando eſt medium neceſſarium ad finem iuſtitiæ, quia poteſt quælibet virtus quoſuis actus externos ob finem ſuum imperare, quatenus ad illum ſunt neceſſarij, aut idonei: paſſiones autem & earum temperamentum ſunt veluti actus externi, quatenus non in voluntate, ſed in parte ſunt ſenſitiuâ. Quare ex vi intentionis, quâ volo actum iuſtitiæ, poteſt ſequi moderatio alicuius paſſionis, quatenus hæc eſt medium neceſſarium ad actum iuſtitiæ, quem intendo: ſuauiùs tamen fit iſta moderatio per virtutem, quæ ex proprio officio circa eiuſmodi paſſiones verſatur.

10 Ex dictis intelligi poterit, quomodo medium iuſtitiæ dicatur eſſe medium rei, non rationis, ſicut aliarum virtutum: nam reliquę virtutes non habent ex parte rerum aliquod certum medium, ſed illud accipiunt à dictamine rationis: V. G. Temperantia non habet in particulari certam quātitatem cibi vel potûs, quam ſumere quilibet debeat; vt actum temperantiæ exerceat, ſed determinationem ſibi præfigendam à ratione exſpectat, conſideratâ perſonâ, & alijs circumſtantijs. Medium autem iuſtitiæ non ſumitur ex conditione ſubiecti ſiue perſonæ, quæ iuſtitiam exercet, neque per alias circumſtantias euagatur ſic vt incerta ſit quantitas rei præſtandæ, donec iudicio rationis ex talibus ęſtimetur, quid & quantum huic perſonæ conueniat tribuere alteri; ſicuti v. g. medium liberalitatis ſtatui poteſt: ſed ex parte rei eſt quędam anticipata ratio medij, quæ obſeruanda eſt, ſcilicet vt ad æqualitatem iuris alterius detur, qualiſcumque perſona tribuens ſit: vt exempli cauſa, quod ſi quis præſtiterit operam merentem mercedem vt octo, tribuatur ei merces vt octo, cuiuſcumque conditionis ſit dans aut recipiens.

DVBIVM IV.

Vtrum Iuſtitia particularis rectè diuidatur in Commutatiuam & Diſtributiuam?

Reſpondetur affirmatiuè: ita docet D. Th. quæſt. 61. art. 1. & alij communiter omnes. 11

Probatur 1. ex Philoſopho 5. Ethic. cap. 2. vbi ponit duas partes iuſtitiæ particularis: vnam, quâ dirigimur in diſtributionibus faciendis, & alteram, quâ dirigimur in commutationibus.

Probatur 2. ratione: quia iuſtitia particularis dicit ordinem in communi ad alterum qui ſit pars communitatis, aut priuata perſona cui tribuatur ius ſuum, quemadmodum iuſtitia legalis ſeu generalis dicit ordinem ad totum ſiue communitatem, cui debitum redditur: atqui ad partem communitatis ſiue priuatam perſonam duplex poteſt ordo iuſtitię attendi: vnus quidē qui ſit partis ad partem, vt ſcilicet quælibet pars tribuat alteri comparti ius ſuum, quod illi competit: alter autem totius ſiue communitatis ad partem, quatenus ſcilicet cōmunitas aut Princeps nomine communitatis tribuit ſingulis ſecundùm quod illis conuenit ex bonis communibus. Diuerſus autem ille ordo inducit diuerſam iuſtitiæ rationem tum ex parte principij, tum etiam ex parte iuris, quod vtrobique non eiuſdem eſt rationis. Quæ itaque dirigit priorem ordinem, iuſtitia dicitur commutatiua, quia in commutationibus maximè quas inter ſe partes faciunt, cernitur: quæ verò dirigit poſteriorem, diſtributiua dicitur, quia in diſtribuendis rebus communibus, officijs, & oneribus inter ciues, iuxta proportionem, quam ad ſe inuicem habent, potiſſimùm conſiſtit. Vnde reſidet primariò in Principe aut Magiſtratu ad quem ſpectant eiuſmodi diſtributiones: in priuatis autem ſecundariò, quatenus eos diſponit, vt proportionatam diſtributionem ament: eaque factâ legitimè, contenti ſint, & conquieſcant, vti ſignificat D. Th. loco ſup. citato.

Itaque pluribus modis diſtinguuntur hæ ſubiectiuæ Partes Iuſtitiæ: primò, quòd vna diſponat rectè priuatum ad priuatum, ſiue eos qui inſtar priuatorum ſe habent in aliquâ communicatione cum alio. Deinde quòd iſta ſpectet conditionem rei alterius, vt reddat æquale. hæc autem conditionem perſonę (v. g. an pauper, an diues, an doctus, an indoctus, vtrum aptus ad aliquid; an ineptus) vt iuxta proportionem illarum conditionum fiat diſtributio. Nam finis intrinſecus prioris, ſcilicet cōmutatiuæ, eſt conſti- 12

Digitized by Google

conſtituere ęqualitatem inter datum & acceptum: poſterioris autem, ſcilicet diſtributiuæ, finis eſt conſtituere paritatem inter proportionem & proportionem, vt nimirùm talis ſit proportio inter res quæ diuerſis diſtribuuntur, qualis eſt inter conditiones perſonarum attendi debitas in eiuſmodi diſtributione: v. g. eſt aliqua pecunia diſtribuenda inter aliquos ſecundum certam aliquam qualitatem eorum, ſi is qui eam habet qualitatem vt duo, accipiat 3. aureos, debebit alter qui eam habet vt 4. accipere aureos 6. & ſic de reliquis ſecundùm ſimilem proportionem. Vide Philoſophum lib. 5. Ethic. cap. 3. & 4.

Obſeruandum verò eſt, non ſemper, quotieſcumque Reſpub. aut Princeps aliquid tribuit priuatis, id fieri ex iuſtitia diſtributiua, ſed poſſe etiam ſoluere ex lege iuſtitiæ commutatiuę, vt quando iuxta conuentionem priuatam ſoluit militibus ſtipendia, aut operarijs mercedem: quia in hac ſolutione non ſpectatur conditio perſonæ, ſed opus, cui debetur talis determinata merces; non enim aliud hîc attenditur, quàm vt in ſingulis conſtituatur æqualitas rei ad rem, ſcilicet mercedis aut ſtipendij, iuxta conuentiones, ad operas præſtitas: vnde Reſpub. ſiue Princeps hæc tribuendo, habet ſe inſtar priuati conducentis operam alterius.

Dicet aliquis: Quotieſcumque fit diſtri-
13 butio bonorum communium ſecundum conditiones perſonarum, videtur illa per ſe ſemper fieri lege iuſtitię commutatiuæ, non ſecus quàm nunc dictum ſit de mercede aut ſtipendio, quæ Reſpub. ſoluit operarijs aut militibus, atque adeo per accidens ſolùm videtur reſultare illa æqualitas proportionum. Confirmatur primò, quia etiam in ſoluendis ſtipendijs militum & operariorum poteſt oſtendi quædam æqualitas proportionum, vt quantum vnus in opera aut officio præſtito excedit alterum, in tantum etiam & excedat datum in ſtipendio percipiendo. Confirmatur 2. quia ſi diſtribuens defraudauerit aliquem dando illi minus, quàm poſtulabat eius conditio, faciet ei iniuriam, quam tenetur reparare ſecundùm legem iuſtitiæ commutatiuæ, vt docet D. Th. qu. 62. art. 1. ad 3. non videtur ergò quod Iuſtitia diſtributiua debeat poni tanquam aliqua pars iuſtitiæ condiſtincta contra commutatiuam.

Reſp. neg. aſſumptum: quin imo dicimus
14 iſtius proportionum paritatis peculiarem eſſe habendam rationem ab eo, qui iuſtè vult communia diſtribuere, eoque nomine opus eſſe iuſtitia diſtributiuâ, quæ contra commutatiuam opponitur, vt diſtribuentem rectè diſponat ad intuendam & obſeruandam æqualitatem inter proportiones conditionum perſonæ, & rerum quæ eis diſtribuuntur: hic enim eſt finis intrinſecus, quem iuſtitia diſtributiua intendit, vt diximus.

Ad primam itaque Confirm. Reſpondetur, in functionibus iuſtitiæ commutatiuæ aliquando poſſe per accidens concurrere aliquam proportionum ſimilitudinē ſiue paritatem: at quia hæc non per ſe intenditur, ſed intenditur tantùm vt inter rem & rem, ſiue inter operas & mercedem ponatur ęqualitas, ideo non admittimus quoque ibi iuſtitiam diſtributiuam propriè habere locum: verùm non ita fit, quando Reſpub. diſtribuit communia bona, vbi ratio debet haberi certæ conditionis aut qualitatis perſonarum: hîc enim per ſe attenditur proportio qualitatis ſiue conditionis perſonæ ad quantitatem rei, quæ diſtribuenda eſt, vt tanto plus vni præ altero diſtribuatur, quanto amplius excedit alterū in qualitate.

Ad 2. Reſpondetur, contingere quod 15
diſtributiua Iuſtitia aliquando in ſuis functionibus ſecum importet etiam commutatiuam: vt quando diſtributio fit bonorum quæ ſtricto iure debentur certis perſonis, quamuis non in æqualitate ſingulis, ſed vni plus, alteri minus ſecundùm diuerſam conditionem perſonarū. Vt ſi aliquis teſtamento relinquat decē modios tritici diſtribuendos inter pauperes alicuius loci, iuxta neceſſitatem, & paupertatē vniuſcuiuſque, obligabitur executor aut hæres lege iuſtitię commutatiuæ ſingulis ad aliquam partem: verùm circa omnes tenebitur ſeruare formā iuſtitię diſtributiuæ, vt in parte ſingulorum ſit ea proportio quantitatis ad partes aliorum, quæ eſt proportio inopiæ aut neceſſitatis ipſorum ad alios. Vnde ſi alicui pauperi dederit minorem partem quàm requirat conditio perſonæ ſecundum proportionem ad alios, tenebitur ex iuſtitia commutatiua ei reſtituere aut ſuperaddere vſque ad iuſtam proportionē, non ſecùs ac ſi teſtator illi in particulari tantumdem reliquiſſet: dum enim voluit ſtrictè ſeruari talem proportionem, aſſignauit implicitè ſingulis certam ſummam quæ debeatur illis lege iuſtitiæ commutatiuę: vnde qui tunc negligit proportionem ſeruare quando diuidit ea quæ ſtricto iure debentur, & diuidenda ſunt ſecundum proportionem qualitatum vniuſcuiuſque, is præuaricatur ſimul & legem iuſtitiæ diſtributiuæ, & legem iuſtitiæ commutatiuæ, & in eiuſmodi caſu loquitur D. Th. citatâ qu. 62. art. 1. ad. 3. in quo caſu licet iuſtitia commutatiua etiam per ſe locum habet, tamen diſtributiua nō per accidens concurrit, neque per accidens exoritur quædam æqualitas proportionum, ſed etiam hæc per ſe omninò intenditur, vt ex dictis facile eſt intelligere.

Digitized by Google

16 Neque tamen ſemper in omni actu diſtributiuæ iuſtitiæ concurrit ſimul commutatiua, ita vt ſi fiat præuaricatio diſtributiuę iuſtitiæ, ſequatur ſemper obligatio reſtitutionis illi faciendæ, cum quo non eſt ſeruata æqualitas proportionum: non enim tunc quando inter aliquos iuxta qualitates & conditiones perſonarum fit diſtributio earum rerum quæ non ex ſtricto iure debent inter illos diuidi: ſed tamen quando diſtribuuntur, debet ſeruari æqualitas proportionum, ſicuti contingit in diſtributione officiorum vel beneficiorum: quæ debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita vt ipſi ſtrictum ius ad aliquod eorum vel in communi habeant: quare ſi prætereantur aut non detur aliquod proportionatũ qualitatibus eorum, non fit illis iniuria vnde eis ſtricto iure debeatur reſtitutio, ſiue reparatio: peccat tamen diſtribuens: vt infrà latius Tract. 7. dicetur.

17 Ex his poteſt colligi, Iuſtitiæ diuiſionem in duo prędicta membra, potius eſſe analogi in analogata, quàm generis in ſpecies: & principale ſignificatum eſſe iuſtitiam commutatiuam, cui etiam propriiſſimè conuenit definitio iuſtitiæ ſuprà aſſignata: nam hæc per ſe præſupponit Ius abſolutum & ſtrictum: non ſic iuſtitia diſtributiua, vt ex iam dictis patet: ſed de hâc per ſe loquendo ſupponit tantùm aliquod quaſi conditionatũ, & ius remiſſius, ſcilicet quòd quando officia publica, vel beneficia, aut etiã aliqua communia bona diſtribuuntur, quod tunc ſecundum proportionem qualitatũ & conditionũ quę in iſtis diſtribuendis reſpectiuè ſunt attendendæ, debeant diſtribuentes ex ratione muneris ſui ſingulis prouidere.

Dixi autem, quod diſtributiua per ſe non præſupponat ius abſolutum & ſtrictum: quia aliquando poteſt accedere ius tale, ſed tunc etiam eatenus ibi locum ſuum habet commutatiua, vt ex antè dictis poteſt intelligi: quare conſequens eſt, iuſtitię rationem principaliter & propriiſſimè cerni in iuſtitia commutatiua.

DVBIVM V.

Vtrum D. Th. quæſt. 75. art. 1. bene diſtinguat Iuſtitiam ab alijs virtutibus, quod iuſtitiæ opus habeat rectitudinem, & ſit iuſtum, nõ conſiderato qualiter ab agente fiat: non autem ſic opera, v. g. temperantiæ aut fortitudinis habeant, niſi cum reſpectu ad agentem?

18 RAtio mouendi huius dubij eſt, quia vel loquitur D. Th. de rectitudine operis vt eſt rectitudo virtutis, aut de rectitudine aliqua operis abſolutè ſiue in communi, etiamſi non ſit virtutis: ſi dicatur priori modo loqui, tunc ſicuti nõ officia aliarum virtutum, ſic neque opera iuſtitię erunt recta & iuſta, niſi cum ordine ad agentem qualiter ab eo fiant: quia vt docet Philoſ. 2. Ethic. cap. 4. nullum eſt opus virtutis niſi fiat propter legitimum finem. Vnde qui detineret gladium alterius, & redderet illi ſam in furore vt occidat inimicum, non faceret is opus iuſtitiæ habens rectitudinem virtutis: ſi autem dicatur poſteriori modo loqui, tunc etiam in actionibus aliarum virtutum videbitur reperiri quædam rectitudo ſine ordine ad agentem: vt ſi quis per hipocriſim ieiunet, habebit ieiunium illud etiam quandam rectitudinem, vt apparet, ſcilicet temperantiæ; non videtur ergo ſubſiſtere eiuſmodi diſtinctio.

Reſpondetur nihilominus, benè D. Th. ſic iuſtitiam diſtinguere contra alias virtutes, licet aliter ſentiat Molina Tom. 1. Tract. 1. Diſp. 2. Pro quo

Notandum eſt, Iuſtitiam dupliciter poſſe conſiderari; vno modo quaſi abſolutè, vt habet genericam rationem virtutis ſiue vt virtus eſt: Alio modo quaſi relatiuè iuxta propriam & diſtinctiuam ſuam rationem, ſecundum quam importat ordinem ad alterum cui reddit ius ſuum: quemadmodum accidentia relatiua habent duplicem ordinem, ſcilicet ad ſubiectum vt accidentia ſunt, & ad terminum, vt relatiua: & ſecundùm vtramq; conſiderationem correſpondere iuſtitiæ ſuam rationem recti ſiue rectitudinis: iuxta priorem patet, quia illa communis eſt omni virtuti vt ſic, & hanc non obtinet quoque opus iuſtitiæ, niſi conſiderato qualiter ab agente fiat: Iuxta poſteriorem declaratur: nam ius etiam non rectâ intentione redditum tollit deformitatem quam ex ſua ratione iuſtitia, quatenus bene hominem ad alterum diſponit, tollere debet: tollit enim inæqualitatem, & ponit æqualitatem, vt quiſque habeat ſuum quod habere debet. In alijs autẽ virtutibus duplex illa conſideratio locum non habet, & proinde neque duplex illa ratio rectitudinis, ſed vnicam habent rectitudinem, quatenus bene diſponunt ſubiectum in ſe ipſo ſecundum dictamen rationis, quam aſſequi non poſſunt, niſi conſiderato, an rectè fiant ab agente ſecundum omnes circumſtantias: alioquin enim non tollunt deformitatem ab homine, quam tollere debent. Et hinc patet, quid ad rationem dubitandi dicendum ſit: quod nimirum D. Th. loquatur de rectitudine poſteriori modo: & ſic opus iuſtitiæ dici rectum & habere rectitudinẽ quandam, qualem inuenire non eſt in officijs aliarum virtutum, vtpote in quibus vnica habet locum, quæ non habetur, niſi conſiderato qualiter ab agente fiant.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM,

De Iure ſecundum ſe.

DVBIVM I.

De varijs Iuris acceptionibus earumque explicatione.

1 TRes ſunt præcipuæ Iuris ſignificationes. Prima eſt, quâ Ius ſignificat idē quod iuſtum. Vnde ſicuti iuſtum dupliciter dicitur, ſic etiā ius in eâ ſignificatione: aliquando enim Iuſtum generaliter ſumitur pro omni eo, quod eſt legitimè factum, ſiue quod legi conforme eſt: quo pacto omne opus virtutis eſt iuſtum. Aliquando autem capitur ſpecialiter & ſtrictè, pro eo quod eſt alteri æquale & debitum.

Altera ſignificatio Iuris eſt, quâ ſignificat legem, quæ eſt regula iuſti in genere. Vnde eodem modo in hac ſignificatione deſcribi poterit, ſicut lex definiri ſolet, quę explicatur in 1. 2. q. 90. & quia Iudicum ſententię ſunt quaſi priuatæ leges, præſcribentes ex ſua ratione, quod iuſtum eſt fieri inter tales & tales perſonas, hinc etiam nomine Iuris appellari ſolent: vnde & Iudices dicuntur ius dicere. Ex ordine autem ad examen & dictamen illud Iudicum, etiam ipſe locus, in quo fit dictamen, aliquando appellatur nomine Iuris, iuxta D. Th. vt dum aliqui dicuntur debere in Iure comparere. Quin & ipſa ſcientia Iuris & legum etiam Ius dicitur: Sic Ius accepit Celſus, teſte Vlpiano l. 1. D. de Iuſt. & Iure, quando illud definiuit Artem boni & æqui.

Tertia acceptio huius nominis eſt, ſecundùm quam ſignificat poteſtatem aliquam: & in hâc poteſt ſic deſcribi, quòd ſit poteſtas ſiue facultas legitima aliquid faciendi, obtinendi, retinendi, vtendi, accipiendi, aut pro ſua voluntate ad rem aliquam ſeſe habendi: cui facultati non poſſit ab altero contraueniri abſque iniuriâ habentis, niſi adeſſet legitima cauſa.

2 Dicitur poteſtas legitima, id eſt, legibus conceſſa, ijſque conſentanea: quia ſi fundaretur tantùm in potentiâ aut robore viriū non eſſet ius, ſed vis & iniuria. Conceditur autem huiuſmodi facultas homini, quædam à lege diuinâ, tum naturali tum poſitiuâ: vt facultas ſuſtentandi vitam per cibum & potum, contrahendi matrimonium, item percipiendi ſacramenta Eccleſiæ; quædam autem à legibus humanis, vt ad hæreditates obtinendas per ſucceſſiones, ad res emendas aut vendendas certis pretijs. Nunc exemplariter declarantur aliæ particulæ. Eſt itaque legitima facultas aliquid faciendi, v. g. negotiandi cum conciuibus, aut cum vicinis populis, item incedendi per vias publicas, & ſimilia agendi. Dicitur, facultas obtinendi, v. g. officium aut beneficium: Dicitur etiam retinendi, v. g. poſſeſſionem rerum ſuarum: ſic etiam dicitur vtendi, vt membris ſuis, & alijs ſuis rebus: item facultas accipiendi, ſcilicet quæ gratis offeruntur, ſicuti habent pauperes ad eleemoſynam, & quiſque ad rem quæ ſibi ex liberali donatione conceditur. Additur, non poſſe eiuſmodi facultati ab alio contrairi ſine iniuriâ, niſi ſubſit iuſta cauſa: quando enim hæc ſubeſt, vt ſi bonum publicum id requirat, aut delictum eius exigat, tunc poteſt quis in illa facultate abſque iniuria impediri.

Alij autem breuiter ſic deſcribunt, quod ius ſit poteſtas legitima ad rē aut functionē, vel quaſi functionem, obtinendam: cuius ſenſus ex iam dictis poteſt intelligi.

DVBIVM II.

Quomodo Ius diuiditur?

DIco & reſpondeo Primò: Ius in prima ſignificatione diuidi poteſt in Ius generaliter dictum, quomodo omne opus virtutis, quia legi conforme, dicitur ius aut iuſtum, & in Ius ſpecialiter dictum, quomodo ſolum opus iuſtitiæ vt eſt virtus particularis, dicitur iuſtum. 3

Dico Secundò: Ius in ſecunda ſignificatione diuiditur in ius naturale, & ius poſitiuum. Naturale autem poteſt ſubdiuidi in ius connaturale naturæ ſimpliciter ſecundùm ſe, & in illud quod eſt connaturale naturæ vt ordinatæ ad finem ſupernaturalem, & eleuatæ per gratiam. Ius poſitiuum ſubdiuiditur in diuinum & humanum. Poſitiuum diuinum eſt, quod Deus homini dictauit & præſcripſit, ſiue hominum ſiue Angelorum miniſterio. Diuiditur autem in ius veteris Teſtamenti, & in ius noui Teſtamenti. Ius humanum dicitur, quod homines poteſtate à Deo acceptâ, condiderunt.

Subdiuiditur autem in Ius quaſi vniuerſale, quod vbique & apud omnes paſſim homines mutuo quodam conſenſu eſt receptum; & reſpectiuè loquendo, in ius parti-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

particulare, quod ſcilicet in certis locis, prouincijs, regnis, aut apud certas nationes, aut certæ profeſſionis homines tantùm obtinet. Hoc autem vlteriùs ſubdiuiditur in Ius Eccleſiaſticum, quod ſcilicet à Magiſtratu Eccleſiaſtico & poteſtate ſpirituali proceſſit: & in ius Ciuile, quod à Magiſtratu Ciuili conditum eſt: quæ omnia exactiùs 1. 2. in Tract. de Legibus explicantur, vbi ad ſimilem formam lex diuidi ſolet.

4 Dico Tertiò: Ius in tertia ſignificatione acceptum, de quo hîc principaliter agimus, poteſt dupliciter diuidi. Primò ex parte originis; vnde facultas ſiue poteſtas illa habetur: & ſic diuiditur in Ius conceſſum à natura, conceſſum poſitiuè à Deo, & in ius conceſſum ab homine, iuxta id quod antè diximus, ſcilicet eam poteſtatem quam hîc ius nominamus, obuenire homini vel à lege naturæ, vel à diuina poſitiua, aut ab humana. Alio modo diuidi poteſt ex ordine ad obiecta ad quæ ſe extendit illa poteſtas: atque ita in primis diuiditur in Ius ad perſonam, quemadmodum v. g. habet dominus in ſeruum, pater in filiosfamilias, maritus in vxorem: & in Ius in res, ſicuti dominus habet in agros ſuos, in domos ſuas: nec tantum dominus, ſed etiam vſusfructuarius, aut poſſeſſor habet ſic quoddam ius in res quarum habet vſumfructum aut poſſeſſionem: & denique in ius ad iudicia, quale ius dicitur habere qui habet actionem ad aliquid, quod eſt ei obligatum, quamuis nondum ſit ipſius, neque quoad proprietatem, neque quoad vſum, ſed debet fieri ipſius.

Deſumitur hæc diuiſio ex lege 2. D. de ſtatu hominum, & ex Inſtitut. de Iure naturali gentium & ciuili, §. vltimo: vt Gudelinus tradit in ſuis libris de Iure nouiſſimo lib. 1. cap. 3.

5 Alio modo ius diuiditur quaſi ex diuerſa forma iuris, in ius in re, & in ius ad rem. Vbi res non diſtinguitur contra perſonam, ſicuti in diuiſione præcedenti: quia etiam circa perſonam poteſt haberi ius in re, & ius ad rem. Deſumitur hæc diuiſio ex Clementina vnica de Sequeſtrat. poſſeſſionum. Ius in re dicitur habere is, cui res ipſa deuincta eſt, ſic vt pariat actionem realem. Ius ad rem verò eſt ius quoddam circa rem, quo nondum habemus eam nobis deuinctam, ſed perſonam, vt faciat eam noſtram. Quare hoc ius parit actionem perſonalem, nec videtur multũ differre à Iure ad iudicia ſiue ad actiones. Sic itaque qui emit equum aut mancipium, ſed nondum ſunt ei tradita, dicitur habere ius ad rem circa equum aut mancipium emptum: ſed vbi traditio acceſſerit, tunc habet eorum ius in re. Vnde ſi quis abducat, poterit agere non tantum cõtra abductorem, ſed etiam in ipſam rem, vbi eam repererit. Si autem ante traditionem venditor eundem equum aut idem mancipium vendat alteri, habebit prior emptor actionem perſonalem contra venditorem, non verò actionem in ipſam rem. Ex quibus liquet, ius ad rem eſſe debilius, faciliuſque deperdi, quam ius in re, vt Gloſſa notat ad Clement. vnic. De Clericis coniugatis.

DVBIVM III.

An Ius ſit obiectum iuſtitiæ?

Resp. & Dico Primò: Ius in prima ſignificatione ſecundùm ſtrictiorem eius acceptionem antè Dub. primo explicatam, eſt propriè obiectum iuſtitiæ. Colligitur ex D. Th. qu. 57. art. 1. ex Ariſt. 5. Ethic. c. 1. Iuſtiniano §. 1. Inſtit. de Iuſtit. & Iure, & Vlpiano l. Iuſtitia D. de Iuſtitia & Iure: qui locis cit. Iuſtitiam definierunt per ordinem ad Ius hâc ſignificatione ſumptum, tamquam per ordinem ad obiectum. Et probatur, quia obiectum cuiuſque virtutis eſt propriè bonum illud, quod per eam in opere intenditur per ſe, & ex propria ratione eius; atqui in opere Iuſtitiæ intenditur per ſe & ex propria eius ratione, ius ſeu iuſtum, ſiue quod debitum eſt & ęquale iuri alterius, vt id tribuatur, ſicuti patet ex iuſtitiæ definitione: vbi illa dicitur vnicuique tribuere ius ſuum: is autem tribuit vnicuique ius ſuum, qui debitum alijs ad æqualitatem reddit, vel, ſi illi teneant omne ſibi debitum, qui ab eis nihil aufert: ergò in opere iuſtitiæ ex propria ratione intenditur ius, vt hoc nomen ſignificat iuſtum ſeu æquale iuri alterius quod illi debetur: ac proinde ius ita acceptum eſt propriè obiectum iuſtitiæ. 6

Dico Secundò: Quamuis itaque Ius ſic in iſta ſignificatione modo explicato ſit propriè obiectum iuſtitiæ quod ipſa intendit, tamen ius in tertia ſignificatione dici poteſt quaſi forma ipſius obiecti, ad eũ modũ quo ſolent obiecta dici forma actuũ aut potentiarum, eiſque tribuere ſpeciem. Declaratur, quia ius illud eſt tale quid ex quo pendet formalis ratio obiecti iuſtitiæ, ſicuti ſpecies actus ab obiecto formali: nam obiectum iuſtitiæ nunc explicatum eſſentialiter dicit ordinem ad ius in tertia ſignificatione acceptum, atque inde ſuam formalitatem trahit. Quod patet, quia non poteſt ſine eo intelligi & explicari debitum & æquale iuri alterius: niſi enim in altero ſupponatur ius ad aliquid, non poteſt aliquid eſſe illi debitum, quod ad æqualitatem ei reddatur. Quia igitur ordo iſte rei ad ius alterius eſt neceſſarius, vt conſtituatur in ratione debiti & æqualis ad alterum, 7

ſub qua

Digitized by Google

ſub qua eſt obiectum, hinc poteſt ius in tertia ſignificatione acceptum dici quaſi forma obiecti iuſtitiæ, ſed extrinſeca, quemadmodum, vt diximus, obiecta dicuntur eſſe forma actuum quibus dant ſpeciem.

Quidam verò dicunt (neque inconuenienter) ius illud eſſe obiectum formale Cui: Pro cuius rei explicatione

Notandum eſt, in virtute iuſtitiæ, ſicut & in alijs quæ ſunt ad alterum, vt ſunt illę quas diximus iuſtitiæ annexas, poſſe diſtingui duplex obiectum, ſcilicet obiectũ Quod; illudq́; iam reſpectu iuſtitiæ explicuimus; & obiectum Cui, quod in propoſito eſt quilibet alius homo, quatenus habet aliquod ius ratione cuius aliquid ei debitum eſt. Ex iure enim eius naſcitur in alio, v. g. in me debitũ pręſtandi id quo ſatisfiat illi iuri, quodq́; expleat illud meũ debitũ: eo autem ſic poſito mouet & inclinat me iuſtitia, vt id affectu velim, & etiam effectu præſtem alteri. Cuius inclinationis ratio obiectiua eſt ipſum ius exiſtẽs in obiecto Cui, ſiue in altero homine: & hinc ius illud non incongruè dici poteſt formale obiectum Cui, quia eſt formalis ratio in obiecto Cui, quare iuſtitia me inclinet vt illi tale vel tale quid velim tribuere & tribuam.

CAPVT TERTIVM,

De Dominio.

DVBIVM I.

De ratione Dominij in genere eiuſque diuiſione.

1 DOMINIVM in genere deſcribi poteſt eſſe ius gubernandi aut diſponendi de rebus, tamquam ſuis. Declaratur, quia dominium, generaliter loquendo iuxta communem apprehenſionem, importat hæc duo, ſcilicet poteſtatem quandam & auctoritatem in rem aut perſonam, prout ſignificat D. Th. de potentia quæſt. 7. art. 10. & ſubiectionem rei aut perſonæ talem, vt inde ipſa dicatur eſſe alterius. Nam dominus dicitur, vt communiter apprehendimus, qui habet aliquid ſuum de quo poſſit diſponere, vel in quod poſſit auctoritatem exercere: nam & Principes reſpectu ſubditorum (quamuis hi non ſint eorum tamquam ſerui) dicuntur domini ratione poteſtatis eos gubernandi. Porrò ſuum dicitur, quod ſic ſubiectum & adſtrictum ei eſt, cuius eſſe dicitur, vt de eo poſſit iure proprio diſponere citra commiſſionem ab alio acceptam. Quare ſicuti omnis creatura perfectiſſimè eſt ipſius Dei, quia ius habet omnimodè independens in vniuerſam creaturam, quo poteſt de illa ſtatuere iuxta ſuum beneplacitum, ita habet ipſe perfectiſſimum dominium in creaturam. Ita quoque ius quod Rex habet in ſuum Regnum, aut Dux in Ducatum, & quiuis in res ſuas, dominium vocatur.

2 Sic autem dominium generaliter ſumptum diuidi ſolet in dominium Iuriſdictionis, & dominium Proprietatis: quæ diuiſio ex ipſius deſcriptione datâ deſumitur. Dominium enim iuriſdictionis eſt poteſtas ſiue ius gubernandi alios vt ſubditos ſuos. Qui itaque gubernant alios ex commiſſione dumtaxat alterius, non habent dominium ipſorum, quia non gubernant illos vt ſuos. Gubernationis autem actus ſunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, præmia reddere. Hoc dominium Iuriſdictionis ſubdiuidi poteſt, ſicuti diuiditur iuriſdictio ordinaria, à qua non videtur diſtinguendum. Vnde aliud eſt Sæculare, quo ſcilicet quis præeſt & gubernat communitatem in rebus ſæcularibus, temporalem tranquillitatem & pacem publicam procurans: eiuſmodi habent Reges & Principes reſpectu locorum & populorum, qui eis in temporalibus ſubſunt. Aliud Eccleſiaſticum, quo ſcilicet quis præeſt & gubernat ſubditos in rebus ſpiritualibus, quæ diuinum cultum & ſalutem animarum concernunt: huiuſmodi habent Pontifices & Epiſcopi, ac reſpectiuè etiam alij Prælati inferiores reſpectu ſuorum ſubditorum.

Dominium Proprietatis eſt ius ſeu poteſtas diſponendi de re aliqua tamquam ſua in commodum ſuum ſiue proprium.

Hoc enim diſcriminis poteſt rectè ſtatui 3
inter dominiũ iuriſdictionis, & dominium proprietatis, quod illud reſpiciat & tendat ad commodum eorum, in quos habetur dominium: ſed hoc ſcilicet Proprietatis, reſpiciat & tendat ad commodum domini, non eorum, quorum habetur dominium. Vnde ſeruus poſſidetur dominio proprietatis à domino: ſed perſonæ ſubditę, dominio Iuriſdictionis. Dominio proprietatis itaque dicitur quilibet rei ſuæ dominus, ſiue is ſit perſona priuata, ſiue publica, aut etiã communitas: nam Princeps quoque & Reſpub. poſſunt poſſidere bona quædam iure priuato, & dominio proprietatis adinſtar priuatæ perſonæ.

DVBIVM

DVBIVM II.

Quomodo Dominium Proprietatis diuidatur.

4 REſpondetur: Ordinariè & rectè diuidi ſolet dominium proprietatis in perfectum ſeu plenum, & in imperfectũ. Dominium imperfectum eſt, quod vel habet tantùm proprietatem rei abſq; emolumentis, vel emolumenta tantùm abſque proprietate. Vnde duplex eiuſmodi imperfectum dominium conſtituitur. Aliud enim dicitur directum: aliud autem vtile. Prius eſt, quod continet ſolam rei proprietatem; à quo quis dicitur proprietarius rei. Tale dominium intelligitur Princeps habere in feudis: item dominus in agro, quem dedit alteri in emphyteuſim, & generaliter qui eſt dominus rerum, quarum alter habet vſumfructum. Et ne eiuſmodi dominium directum exiſtimetur omninò inane, ſciendũ eſt, Legibus ſtatutum eſſe, vt certis caſibus ius & dominiũ vtile ad dominum directum reuertatur, vt ſuis locis explicabitur. Poſterius autem ſiue vtile dicitur, quod continet ſolam rei commoditatem ſiue vtilitatem. Tale eſt dominium, quod habet feudatarius, empytheuta, vel vſufructuarius. Dominium perfectum ſeu plenum quod continet proprietatem rei & commodorum inde prouenientium, communiter deſcribi ſolet eſſe Ius in re ad quemlibet eius vſum, niſi lege quis prohibeatur. Loco generis ponitur, ius in re: quia omne dominium perfectum eſt ius in re, non autem è contra: nam habet quis ius in re circa hypothecam ſuam, aut circa pignus, quorum non habet dominium: item vſus & vſusfructus ſunt ius in re, non dominium.

5 Per hanc itaque partem excluduntur iura ad rem, non autem alia illa iam allegata: quare ſecundo loco per modum differentiæ additur, ad quemlibet rei vſum: nam proprium eſt dominij perfecti vt poſſis re quæ tua eſt, vti pro tuo arbitrio, ſiue eam ſeruando, ſiue alienando, aut deſtruendo. Vnde per hanc partem in primis excluduntur dominia imperfecta: imò & dominium iuriſdictionis, quod ſuperior habet in ſubditos: quia non extendunt ſe iſta iura ad omnem vſum aut diſpoſitionem eorum, quorum quis ab iſtis iuribus vocatur dominus, vt ex antè dictis ſatis poteſt intelligi. Similiter excluduntur illa iura in re, quæ verſantur circa hypothecam aut pignus, & quæ ſunt ſimilia: neque enim hæc tribuunt quoque poteſtatem ad quemlibet vſum hypothecæ aut pignoris. Hinc etiam Religioſus dominium non habet in veſtes, aut libros: quia ius non habet ad omnem eorum vſum, ſed ad aliquem determinatum.

6 Additur denique: niſi lege quis prohibeatur, quia tametſi dominiũ naturâ ſuâ ſit tale, vt tribuat poteſtatem, aut potiùs ſit ipſa poteſtas ad quemlibet rei vſum, tamen interdum lege impediente fit, vt hæc poteſtas non poſſit exire in actum: ſicuti etſi quis habeat naturalem potentiam ambulãdi, poteſt tamen ab actu impediri, non ſublatâ aut diminutâ potentiâ, vt ſi v. g. pedes illi colligentur: quo impedimento iterum ſublato, abſque acceſſione nouæ potentiæ poterit ambulare, & naturalis potentia actũ ſuum exercere. Sic itaque pupillus prohibetur alienare res ſuas vſque ad definitum tempus, cùm tamen verè ſit dominus omnium, vt habet Apoſtolus ad Galatas cap. 4. Sic maioratus, & fideicommiſſa poſſidentur perfecto dominio, ſicut & alia bona quæ dicuntur vinculata; & tamen lege ſic ſtatuente non poſſunt domini illa alienare. Neque impedimentum hoc, quod à lege inijcitur, tollit ab eis ius in re, aut dominiũ: ſed ponit obſtaculum alicui eius vſui, ſicut in ſimili in naturalibus, iam declarauimus. Vnde etiam impedimento per lapſum temporis (vt fit in pupillis) vel alio modo ceſſante, abſque collatione noui iuris, poſſunt domini tunc alienare, quæ priùs alienare non poterant.

7 Notandum autem eſt, quia Iureconſulti volunt res quas vocant incorporales, non poſſideri dominio, ſed quaſi dominio, idcirco ab eis dominium definiri aliquantulum ſtrictiùs, ſcilicet quòd ſit ius perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur: ſed in communi loquendi modo non ſolet iſta differentia vniuerſaliter obſeruari, ne quidem apud Iuriſperitos.

Vnde non eſt neceſſe definitionem reſtringere ad ius & diſpoſitionem rei corporalis: nam etiam cenſus ſeu reditus, & ſeruitutes, quæ apud eos ſunt res incorporales, ſimpliciter poſſidentur dominio, & emptione transferuntur. Sunt tamen quædam aliæ res incorporales, ſicuti officia, & beneficia, quæ conuenientiùs dicuntur poſſideri quaſi dominio, quàm abſolutè poſſideri dominio: ſed ſunt hæ ita incorporales, vt etiam proximè reſpiciant & referantur ad quid incorporale, v. g. ad operationem, vt gubernationem, aut actionem ſacram. Aliæ autem priùs enumeratæ pro obiecto habent res corporales, ſicuti cenſus habet pecunias, aut grana: eſt enim ius percipiendi rem corporalem ex alterius bonis.

8 Obijciet aliquis: Non rectè loco generis in definitione dominij poni videtur, Ius in re, quia dominium eſt quid prius ipſo iure ſeu poteſtate, vti apparet: nam ideo habet quis ius in re ad omnẽ eius vſum, quia habet eius dominium, non contrà. Confirmatur: quia non æquè dixerit appoſitè quiſpiam,

v.g. quia

Digitized by Google

v. g. quia Petrus habet ius ſeu poteſtatem diſponendi de re ad quemlibet vſum, ideo eſt eius dominus, ſicuti dixerit, quia Petrus eſt dominus, ideo habet plenam poteſtatem de re diſponendi; ergò &c.

Reſp. Neg. Aſſ. & ſimul illud, quod ad probationẽ adducitur: imò propterea omninò habet quis dominium alicuius rei, (ſi velimus à priori loqui) quia habet plenum ius de re illa diſponendi ad omnem vſum, non contrà. Quare ad confirmationem

Reſpondetur Primò ſimiliter negando, quòd id non ęquè cõuenienter dicatur: imò ſcientificè loquendo, ita melius dicitur. Reſpondetur ſecundò, Eſto id fortaſſis non eſſe tam conſonum vulgari loquendi modo, & propterea ſermonem illum videri quaſi inſolitum; non tamen illius rei eſſe cauſam, quia dominium ſit quid prius Iure in re ad eius vſum, ſed hanc, quia actualis eiuſmodi vſus legitimi cauſa eſt etiam ipsũ dominiũ. Sicuti non ideo definit naturalis potentia tamquam genus, eſſe prior intellectu, licet magis communiter ſolemus dicere, hominem poſſe intelligere quia habet intellectum, quàm habere intellectum, quia naturalem habet potentiam: Iſtius enim locutionis ratio tantùm eſt, quia intellectus eſt proxima cauſa actualis intellectionis.

DVBIVM III.

Quæ ſint neceſſaria vt quis efficiatur alicuius rei dominus?

9 SVpponimus hanc rerum eſſe diuerſitatem, quòd quædam habeant ſuos dominos, à quibus transferri poſſunt; aliæ verò non habeant dominos.

Dico itaque primò: Quando dominium non eſt transferendum ab vno in alium, quia res dominum non habet, tunc vt quis eius efficiatur dominus, ſufficit rei apprehenſio. Ita enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius ſunt. Sed de hoc infrà latiùs.

Dico Secundò: Quando res habet dominum, & ab vnius dominio transferenda eſt in dominiũ alterius, requiruntur ordinariè hæc duo ad tranſlationẽ, ſcil. titulus, & traditio. Vbi tituli nomine intelligitur fundamentum aliquod ſeu ratio fundandi ius aut dominium, quę ſit veluti radix & origo eorum: vt eſt v. g. emptio, donatio, ſucceſſio hereditaria, electio alicuius in Regem, & ſimilia. Probatur nunc Concluſio ex l. Traditionibus 92. C. De pactis: quæ ſic habet: Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. Vbi inprimis inſinuatur, neceſſarium eſſe titulum, dum dicitur, non nudis pactis dominia transferri; ſupponitur enim pacta quoque ad translationem dominij concurrere. Idque amplius confirmatur ex l. Nunquã 31. D. de acquir. rerum dominio, vbi dicitur: Nunquam nuda traditio transfert dominium, ſed ita ſi venditio, aut aliqua iuſta cauſa præceſſerit, propter quàm traditio ſequeretur. Quòd autem & traditio neceſſaria ſit, id hâc lege indicatur: & ab alterâ priùs allegatâ expreſsè adſtruitur.

Ratio itaque principalis eſt legum diſpoſitio, quia alioquin iure naturæ non eſt traditio ad dominij tranſlationem neceſſaria: eſt tamen rationi ſatis congruum quod accedat, vnde meritò id leges ſtatuerunt. Nam ſicuti vt queam vti re aliquâ naturaliter ratione potentiæ vtendi quæ in me eſt, requiritur etiam ex parte rei quædam eius debita applicatio, ita quoq; præter ius ſeu poteſtatem ad vſum, conuenienter requiritur ex parte rei aliquid per modum applicationis, quod eſt ipſa rei traditio. Huc accedit, quod per traditionem maximè euitetur incertitudo dominiorũ, quæ plurimas ſolet lites procreare: nam traditio rei magis facit de dominij tranſlatione conſtare, & euidétiùs probari poteſt, quàm aliquando nuda pacta, aut alij tituli.

Dixi, iſta duo ordinariè requiri: quia in 10 certis caſibus non eſt traditio neceſſaria: ſicuti in acquirendo dominio hæreditatis ſiue per teſtamentum, ſiue ab inteſtato: ſufficit enim quòd adeat quis hæreditatem, ut patet ex l. Cum hæredes 23. D. De acquir. vel amitt. poſſeſſione. Aditur autem hæreditas, quando verbo vel facto acceptatur, vt habetur Inſtitut. De hæredum qualitate, §. vltimo. Idem habet locum in acquirendo dominio alicuius legati: quando enim hæres acceptat hæreditatem, tunc legatarius fit dominus ſui legati, vt colligitur ex l. A Titio 64. D. De furtis. Idem fit quando aliquid venditur, donatur, aut relinquitur Ciuitatibvs, Eccleſijs aut pijs locis, vt colligitur ex l. vlt. C. De ſacroſanctis Eccleſijs. Similiter ſi quis donauit & tradidit alteri domum aut fundum ſuum, aut quid ſimile eâ conditione, quòd præſtabit ſibi alimenta, ſi alter alimenta non præbeat vti debet, ſtatim ad dominum priorem redeunt dominium & poſſeſſio abſque aliqua noua traditione. Colligitur ex l. 1. C. De donationibus quæ ſub modo &c. Idem contingit in contractu ſocietatis omnium bonorum per matrimonium, vt tradit Couarr. lib. 3. Variar. reſol. c. 19. n. 1. & 2. Similiter ſi Princeps vendat, aut donet, & intendat transferre dominiũ, hoc ipſo transfertur abſque alia traditione: ſicuti enim ex arbitrio Principum eſt, quòd requiratur traditio, ſic etiam eius, qui

Digitized by Google

qui ſupremus eſt, arbitrio poteſt omitti. Vide de his Couar. d. cap. 19. n. 3. Denique in beneficijs etiam acquiritur ius in re & quaſi dominium per collationem & acceptationem, vt conſtat ex cap. Si tibi abſenti De præbendis in 6.

DVBIVM IV.

An omnis natura ſit capax dominij.

11 DICO Primò: Neque rebus inanimatis, neque brutis animantibus competere poteſt alicuius rei dominium. Ita DD. communiter. Declaratur: quia fundamentum capacitatis dominij eſt intellectus & libera voluntas, quibus illa carent. Probatur id primò ex Script. Geneſis enim cap. 1. ſic Deus loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli* &c. vbi manifeſtè iudicatur, ſimilitudinem illam & imaginis rationem per ſe eſſe quid prærequiſitum, atque adeò ſupponendum tanquam fundamentum, vt homo qualificatus exiſtat, vt præſit piſcibus maris, & beſtijs terræ, eorumque habeat dominium. Similitudo autem iſta hominis ad Deum conſiſtit in intellectu & rationali voluntate: quâ de re licet videre Franciſcum à Victoria Relectione de Indis p. 1. num. 2. Probatur ſecundò, ratione: quia illud eſt neceſſarium fundamentum dominij, per quod quiſidoneus eſt rebus vti, & de illis diſponere ad ſuos fines: atqui id præſtant intellectus & voluntas. Docet enim D. Thomas 1. 2. quæſt. 16. & cum illo alij DD. quòd vſus (ſcilicet actiuus) conueniat tantùm naturæ rationali, quia eſt actus potentiæ appetitiuæ, dicens ſiue importans ordinem ad actum rationis, quo diiudicetur & ordinetur de fine, quo res referenda ſit. Vnde D. Auguſt. libro 83. Quæſtionum quæſt. 30. negat quemquam poſſe vti re, qui neſciat, quò referenda ſit. Quare nec bruta dicuntur propriè vti membris ſuis, quia ſcilicet quamuis per appetitum illa moueant, tamen non apprehendunt ordinem & habitudinem membrorum ad actionem aut finem actionis, ſed naturæ inſtinctu mouent. Vnde

12 DICO Secundò: Sola ſuppoſita naturæ rationalis ſiue intellectualis, vt Deus, Angelus, homo, capacia ſunt dominij propriè dicti. Sequitur ex ijs, quæ allegata ſunt. Deus quidem in vniuerſam creaturam dominium habet abſolutiſſimum, quod multis modis excedit dominium, quod vel Angelus vel homo habere poteſt: primò, quia eſt omninò independens: ſecundò, quia in eadem illa perfectione eſt prorſus incommunicabile alteri extra Deum: ſicut & titulus creationis, in quo fundatur: tertiò, quia abdicari non poteſt: quartò, quia nullis legibus reſtringitur, niſi quatenus Deus ipſe liberali ſuo promiſſo illud reſtringit: quatenus enim fidelis eſt, & ſeipſum negare nō poteſt, ſic contra promiſſum non poteſt agere. Angeli quoque dominium habent propriè dictum ſuarum operationum, quas liberè exercent, & facultatum ſiue habituū, quibus vtuntur: Rerum verò externarum, (quibus ad ſuam vtilitatem aut commoditatem vti non ſolent) non habent dominium, vt benè docet Dom. Soto de Iuſtitia & Iure q. 1. a. 2. Mald. Tract. 1. c. 4. Dub. 1. & alij: Quatenus tamen curam gerunt hominum, aut prouinciarum, & directionem eorum habent, dici ſuo modo poſſunt horum domini. Vnde Danielis 10. & alibi in Scripturis vocantur ſubinde domini & Principes, ad eum modū ſcilicet, quo præfecti qui ex parte Principis adminiſtrant & gubernant Rempub. ſolent vocari Domini aliquando, propter eiuſmodi regimen & directionem, quamuis non ſint domini locorum aut prouinciarum: quemadmodū Ioſeph fuit vocatus dominus Ægypti. Hominibus denique competit dominium non tantùm ſuarum actionum liberarum, ſed etiam externarum rerum, in quas illis data eſt poteſtas, vt ad ſuas commoditates & neceſſitates de ijs poſſint diſponere, iuxta illud Pſalmi 8. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, &c. volucres cæli, & piſces maris* &c.

Dixi autem: quòd Suppoſita naturæ rationalis ſola habeant dominium propriè dictum: quia dominium aliquod metaphoricè dictū aliquando attribui poteſt quibuſdam alijs, vt Leoni inter animantia grandia propter aliquas actiones, quas exercet in eiuſmodi animantia, ſimiles cum illis, quas exercent in ſuos ſubditos.

Sed diſputatur, an omnes homines dominij capaces exiſtant. Difficultas principaliter verſatur circa ſex hominum genera, puta circa paruulos, circa filiosfamilias, circa ſeruos, circa Religioſos, circa Clericos ſæculares, & circa peccatores.

DVBIVM V.

Vtrum paruuli ante rationis vſum poſſint habere rerum dominium?

RESponſio eſt affirmatiua. Patet clarè 13
ex Apoſtolo ad Galatas 4. cap. *Quanto tempore heres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium.* Vbi manifeſtè paruulo attri-

lo attribuit dominium hæreditatis, quamuis nondum habeat eius adminiſtrationem, non magis quàm ſeruus. Neque obſtat, quòd difficultatem hîc ingerere poteſt, ſcilicet quòd paruulus ratione vti, & in ordine ad finem de rebus diſponere necdum valeat: quia licet dominium pro fundamento requirat in Suppoſito intellectum & voluntatem rationalem, tamen ad illud in habitu ſiue ad habituale dominium, non eſt neceſſarius actualis vſus rationis & liberæ voluntatis; ſed ſufficiunt ipſæ naturales potentiæ quæ natæ ſunt ſuo tempore, quantum ex ipſis eſt, in actum & vſum exire: & ab eis habet ſuppoſitum imaginis rationem & ſimilitudinem cum Deo: & proinde habet fundamentum ex parte ipſius requiſitum, vt dominij capax exiſtat. Idem dicendum erit de amentibus. Vide à Victoria Relect. de Indis n. 21. & 22. & ſequentibus.

DVBIVM VI.

Vtrũ filijſfamilias ſub patria poteſtate conſtituti habere poßint aliquarum rerum dominium?

14 NOtandum eſt, quadruplex diſtingui bonorum ſeu peculij genus, quod poteſt filijsfamilias competere, prout tradunt communiter Doctores: ſcilicet Caſtrenſe, quaſi Caſtrenſe, Profectitium, & Aduentium: vt videre licet apud Silueſt. V. Peculium. Nauar. cap. 17. n. 142. Gudelinum De iure nouiſſ. lib. 1. cap. 13. & alios.

Caſtrenſe peculium dicitur, quod in militia ſæculari, vel occaſione eius comparatum eſt, vt ſunt ſtipendia militum, prædæ ex hoſtibus, donatiua à ducibus, aut comilitonibus ſuis facta, item teſtamenta & legata intuitu militiæ alicui relicta: ſic etiam mobilia à parentibus vel ab alijs data ipſi ad bellum, item ſi quæ ex iſtis lucratus quis fuerit per negotiationem, aut alios contractus, l. 11. D. De Caſtrenſi peculio & l. 1. D. De Caſtrenſi peculio militum.

Quaſi Caſtrenſe eſt, quod ratione militiæ ſacræ vel togatæ acquiritur, vt quæ alicui proueniunt ex beneficijs Eccleſiaſticis, imò quæcumque alicui poſt Clericatum obueniunt, vt habetur Auth. Preſbyteros Cod. De Epiſcopis & Clericis: item quod quis acquirit ex officijs publicis non mechanicis: vt ex officio Iudicis vel aduocati, aut ex profeſſione Scientiarum vel artis liberalis, & quidquid alicui datur intuitu talis profeſſionis, vt libri, qui à parentibus, vel ab alijs dantur illis, qui ſcientiam profitentur. Vocantur hæc quaſi Caſtrenſia, quia habent quandam affinitatẽ cum Caſtrenſibus, & gaudent priuilegijs bonorum Caſtrenſiũ, licet propriè non ſint talia: ſicuti Clerici quamuis nõ propriè milites ſint, dicuntur tamẽ milites ſpirituales.

Profectitium dicitur, quod prouenit à patre viuo, vel principaliter & proximè patris cauſa datur, aut relinquitur, l. 6. C. De bonis quæ liberis &c. vt ſunt illa quæ à parentibus conceduntur filijsfamilias, vt ea adminiſtrent, & quæ dantur propter amicitiam cum patre vel propter obſequium ab eo acceptum.

Aduentitiũ denique dicitur, quod filiofamilias obuenit non à parente, neque illius intuitu principaliter datur (ſic enim profectitium foret) ſed ab alio abſque reſpectu ad patrem donatur, aut relinquitur, puta quia vult benefacere filio is qui donat, aut teſtamẽto relinquit: item quod propriâ induſtriâ extra militiam ſacram & profanam (quod foret Caſtrenſe aut quaſi Caſtrenſe) ſibi filius comparat, vel quòd fortuitò inuenit, vt ſi theſaurum reperiat, ſic ſi ex pecunijs mutuò acceptis negotiando aliquid lucretur, lucrum illud habebit rationem peculij aduentitij. Vide Silueſt. d. V. Peculium. Huc etiam pertinent bona materna, quæ mortuâ matre ſunt aduentitia filio reſpectu patris, non ita bona paterna; mortuo patre reſpectu matris: quia ius illud patris oritur ex patria poteſtate, quam non habet mater in filium. Vide l. 4. & 6. C. de bonis quæ liberis &c. His ſic explicatis

DICO Primò: Filiusfamilias habet plenum dominium peculij Caſtrenſis, & quaſi Caſtrenſis, ita vt tota proprietas, vſusfructus, & adminiſtratio ſit penes illum. Eſt aperti iuris: multę enim eâ de re exſtant leges in D. & C. de peculio Caſtrenſi. Vnde Gudelinus loco citato n. 18. De caſtrenſi, inquit, vel quaſi caſtrenſi peculio (quoniam id patri non acquiritur, & filius in eo prorſus tamquam paterfamilias habetur) indubiè arbitrio ſuo ſtatuit. Quare de illo poteſt diſponere per donationes, per venditiones, per teſtamentum: ſi tamen ſit pubes (id eſt) ſi annum decimum quartum expleuerit; quia ante hoc tempus teſtari non poteſt. l. A qua ætate: D. Qui teſtamentum facere poſſunt. Sed ante illam ętatem non ſolent bona caſtrenſia haberi, quamuis id fieri poſſit. 15

DICO Secundò: Peculij profectitij nullo modo habet filiusfamilias dominium: hoc enim planè patris eſſe cenſetur. Nam & dominium directum & vtile eſt apud patrẽ: nec habet filius poteſtatem illud adminiſtrandi, niſi ad parentum vtilitatẽ. Quare nihil de hoc poteſt alienare, aut ad propriã commoditatem diuertere, aut diſponere abſque patris conſenſu. Vide Sylueſt. d. V. Peculium: quæſt. 3. & Petr. Nauar. lib. 3. De Reſtit. cap. 1. 16

Digitized by Google

Dico Tertiò: Peculij aduentitij filiuſfamilias habet dominium directum, eſtque proprietarius: ſed vſusfructus & plena adminiſtratio eſt patris, alienatione ei tamen interdictâ: quem vſumfructum pater retinet, quamuis ad ſecundas nuptias tranſeat: quia is vſusfructus in locum dominij, quod olim pater in hoc peculium habere ſolet, ſucceſſit. Pro quo notandum, quòd iuxta iura antiqua, fuerit eadem ratio peculij aduentitij, quæ profectitij, ſic vt plenum dominium illius eſſet quoq; penes patrem; ſed Conſtitutiones poſteriores id mutarunt. Vide Gudelinum loco ſuprà cit. n. 21.

17 Certis nihilominus caſibus contingit filiumfamilias habere quoque ſimul vſumfructum huius Peculij: Primò in donatis aut relictis filio cum expreſſa hac conditione, ne patri vſusfructus acquiratur: quandoquidem enim donator aut teſtator, alteri donare potuerit, vnde nulla vtilitas ad patrem acceſſiſſet, nulla eſt dicendi ratio, quod non poſſit ſic & filio eius dare. Secundò non acquiritur vſusfructus patri in hæreditate, ad quam filius vnà cum patre admiſſus eſt: nam viſum eſt hoc caſu ſatis patrem habere conſortium proprietatis. Tertiò denegatur patri vſusfructus eorum, quæ lege deferuntur liberis ob delictum parentum. Vnde ſi pater fiat hæreticus, hoc ipſo filius efficitur ſui iuris, cap. 2. §. finali De hæreticis in 6. & ſic ad illum redit vuſſructus, quem pater habebat in bonis filij. Denique ſi pater condonet filio vſumfructum talis peculij, quo alioquin ipſe gaudere poterat. Cęterùm ſpectanda ſunt in iſtis particularia iura & conſuetudines locorum, quæ non vbique conformia ſunt iuri communi ſeu ſcripto.

DVBIVM VII.

Vtrum ſerui habeant aliquarum rerum dominium.

18 Dico Primò: Iura non videntur ſeruis vllum dominiū concedere; vſq; adeò vt quidquid acquirant, quâuis cauſâ vel occaſione, velint dominis acquiri. Patet ex Inſtitutis, Per quas perſonas cuique acquiritur: §. item nobis: Ita vt & peculium, quod veluti patrimonium ipſorum eſſe videtur, vtpote quod adminiſtrant, & in quo negotiantur, omninò ex dominorum voluntate pēdeat, & illis adimi quouis tempore poſſit, vt ſcribit Gudelin. lib. 1. cap. 3. Imò in l. Id veſtimentum 23. D. de peculio, dicitur ſeruum nec eſſe dominum veſtimenti quotidiani. Porrò ſicuti nullius habent dominium, nihilque etiam habent, quod ſoluere, præſtareque poſſint, ita quoque nulla in eos cadit obligatio: & ſi quam videantur contrahere, tamen nulla oritur quæ vel valere incipiat, ſi contingat eos manumitti: imò ſi quam contraxerint, antequam in ſeruitutem ſunt redacti, hâc adueniente extinguitur, vt habet Gudelin. loco citato.

Dico Secundò: Videntur tamen prędicta Iura nonnihil per conſuetudinem aliā eſſe mitigata, ſic quòd plerique omnes concedant ſeruis quoddam dominium aliquarum rerum, etſi non omninò perfectum: tale tamen, vt non teneantur res illas dominis tradere: idq; his potiſſimū caſibus: Primò, ſi dominus expreſſè vel tacitè conſentiat, vt ſeruus habeat aliquod peculium proprium. Secundò, ſi aliquid donetur, aut teſtamento relinquatur ſeruo, cum expreſſâ conditione, vt domino non acquiratur. Tertiò volunt etiam ad ſeruum ſpectare, ſi aliquid ipſi abſolutè relinquatur non intuitu domini, ſed ipſius ſerui propter eius induſtriam, vel propter aliquod officium exhibitum. Quartò, ſi illi aliquid detur in cōpenſationem iniuriæ illatæ: Denique ſi aliquid ſibi ſubtrahat ſine domini incommodo, quod liberè poterat expendere, aut ſi præter operas ſibi præſcriptas faciat alia quædam, ex quibus aliquem quæſtum acquirat. Vnde & ex talibus interdum redimere poteſt libertatem.

Sed contra objicitur: Innocentius Cap. 19
Cùm olim De priuilegiatis, dicit ſeruum & Monachum in eo eſſe pares, quod neuter alicuius rei habeat dominium; ergò &c. Reſpondetur eſſe aliquam inter eos paritatem vnâ ex parte, non tamen omnimodam. Paritas in eo eſt, quòd neuter habet dominium omninò perfectum & independens: nā & ea, quæ ſeruo conceduntur cōpetere, & quorum aliquale admittitur habere dominium, ita adhuc ſunt ſub poteſtate domini, vt abſque iniuriâ quæ ad reſtitutionem obliget, poſſit auferre: quamuis id habeatur tanquam inhumanum, & quidam abuſus poteſtatis herilis: diſparitas verò eſt, quod Monachi nullum omninò, ne quidem tale imperfectum, habeant dominium: vnde nihil ſibi retinere poſſunt Superioribus inſcijs. Vide Nauar. de reditibus quæſt. 1. & Pet. Nauarram lib. 3. de reſtit. cap. 1. & Soto lib. 4. de iuſt. & iure. quæſt. 2. art. 2.

DVBIVM VIII.

Vtrum Religioſi habeant dominium aliquarum rerum.

Dico Primò: Religioſi profeſſi poſſunt in communi habere dominium 20
bonorum temporalium, ita vt ipſa communitas

munitas vero dominio illa poſſideat. Ita communiter Doctores contra Nauar. qui Comment. 2. de Regularibus n. 3. & 34. docet ipſis Congregationibus,quæ alioquin reditus & bona immobilia in communi tenent & tenere poſſunt, non competere tamen talium bonorum dominium, ſed tantùm adminiſtrationem: dominium autem vult eſſe penes Chriſtum Dominum. Sed Concluſio probatur primò ex Concil.Trid. Seſſ. 25. cap. 3. de Regularibus, vbi conceditur omnibus monaſterijs, & domibus religioſis tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium (exceptis Franciſcanis, ſcilicet Capucinis & Minoribus de obſeruantia) vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat: atqui is non dicitur propriè eſſe poſſeſſor, qui haberet tantùm ius adminiſtrandi. Secundò, quia Nicolaus III. Extrauag. Exijt De verb. ſignif. in 6. docet, dominium rerum, quibus vtuntur Franciſcani, ad Papam pertinere, non ad eorum congregationem: quibus ſatis ſignificat in alijs Religionibus, vbi bona in communi poſſident, dominiũ pertinere ad ipſas Congregationes. Neque rectè exponit Nauar. dominium, quando per illud dicit intelligi ius adminiſtrandi,tum quia nomen dominij plus per ſe importat, tum quia conſtat Pontificem habere plus iuris in eas res, quàm nudam adminiſtrationem: quia poteſt pro ſuo arbitratu abſque iniuria,illas auferre, & alijs dare. Tertiò, quia communiter tenetur & dicitur, quòd Monachus quidquid acquirit, non ſibi, ſed Monaſterio acquirat: quod valde impropriè diceretur, ſi tantùm adminiſtrationem & non dominium illi acquireret. Quartò, quia communis etiam ſenſus & apprehenſio ſic habent, vt votum paupertatis ſolemne non cenſeatur excludere dominium à Communitate, ſed à ſingulis in particulari.

Vbi tamen obſeruandum, quòd dominium hoc non ſit omninò ita abſolutum & independens, ſicuti ſæcularium: Primò, quia annexum habet onus, quòd non poſſit Communitas talis, aliquid bonorum ſaltem immobilium alienare, niſi in commodum religionis, ſed debeant omnia tranſmitti ad poſteros. Sic enim Communitati videtur donatum, & ita per ſacros Canones habetur conſtitutum,vt Religioſç Domus perſeuerare poſſint. Secundò, quod ob legitimã cauſam Papa qui eſt ſummus adminiſtrator omnium talium bonorum, poſſit ea adimere, & aliò transferre: relictis tantùm ijs ad vitam neceſſarijs.Conſtat ſatis per frequentem praxin & experientiam.

21 Dico Secundò: Religioſi ſolemniter profeſſi non tantùm non habent in particulari dominium rerum temporalium, ſiue mobilium ſiue immobilium, ſed etiam ſunt omninò incapaces omnis dominij, imò & vſusfructus, poſſeſſionis, aut ſimilis iuris talium rerum: quia etiam hæc iura inducunt quandam proprietatem. Eſt communis doctrina: & conſtat ex Cap. Ne dicatis xii. quæſt.1. Ne dicatis aliquid proprium, ſed ſint omnia vobis communia: in quod Capitulum ſcripſit Nauar. ſuum Commentarium ſecundum de Regularibus. Idem patet ex Cap. Cum ad Monaſterium De ſtatu Monachorum: vbi Innoc. III. ſic ſtatuit, Prohibemus, inquit, diſtrictè in virtute obedientiæ, & obteſtatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat: & infrà docet, ne Papam quidem in eo poſſe diſpenſare.Idem diſtrictè prohibet, Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. 2. de Regularibus. Ratio eſt, quia per ſolemnem profeſſionem Religioſus ſpoliat ſe non tantùm dominio temporalium rerum, ſed & incapacẽ ſe facit omnis dominij & iuris temporalis: quamuis enim in voto ſimplici non amittat quis dominium, multoque minùs efficiatur ad illud inhabilis aut incapax, tamen voto ſolemni amittit dominium & illius incapax redditur: hoc enim ſolemne paupertatis votum importat, vt in Tractatu De Religone & de Votis latiùs explicabitur.

Hinc infert Nauar. De Reditibus quæſt. 1. monito 10. & 12. & in Commentario 2. De Regularibus n. 2. Religioſum nullius habere dominium, ne veſtis quidem quâ induitur, aut panis, quo veſcitur: ſed quidquid habet eſſe penitùs ſubiectum adminiſtrationi Superioris ſui,ſine cuius conſenſu nihil omninò habere poſſit. Vnde mortaliter peccat; Primò, ſi aliquid habeat vel recipiat ſine conſenſu Superioris tacito vel expreſſo. Deinde ſi donet vel aliter alienet abſque illo conſenſu. Tertiò, ſi abſcondat, ne Superior ſciat. Quartò, ſi aliquid poſſideat tamquam proprium, nolens illud permittere Superioris diſpoſitioni; vel tamquam iniuriâ affectus obmurmuret, ſi Superior illud ab eo auferat. Ratio eſt, quia hæc omnia & ſimilia, quando abſque cõſenſu Superioris fiunt, ſunt actus quaſi dominij independentis, & iuris proprietarij, qui per votum religioſæ paupertatis redduntur omninò illiciti, vtpote quibus votum & profeſſio violentur.

Dico Tertiò: Superiores Religionum non poſſunt alicui ſuo Religioſo concedere vlla bona ſtabilia, vt ſunt v. g. fundi, reditus, prouentus, ſiue elocationes domorum ad vſumfructum, aut adminiſtrationem. Patet ex Concil.Trid. Seſſ.25.cap.2. vbi ſic ſtatuit. Neque deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, vel adminiſtrationem, vel commendam:

verùm adminiſtratio bonorum Monaſterij, aut Conuentuum, ad ſolos Officiales eorumdem adnutum Superiorum amouibiles, pertineat.

Quare non poteſt modò Prælatus (quod olim ſatis frequens fuit) concedere alicui Regulari bona aliqua Monaſterij immobilia adminiſtranda, eâ lege, vt inde certam penſionem Monaſterio reddat, & ſibi reſeruet neceſſaria; & reliqua pro ſuo arbitrio expendat in pias cauſas. Secundò, non licet quoque Prælatis permittere, quòd viri vel feminæ religioſę teneãt & adminiſtrent reditus vitales, à parentibus vel alijs ſibi relictos, ad veſtes vel alias neceſſitates, etiamſi nihil ſuperflui inde poſſent percipere: ſed ſi permittãtur relinqui tales reditus, debere adminiſtrationem eſſe penes Superiorem, aut Officiales Conuentus. Poterunt autem per hos impendi prouentus vſibus deſtinatis; ita tamen quòd iſti nihil iuris ſibi in eis vindicare poſſint. Tertiò, nõ licet etiam permiſſu Superiorum, nunc religioſo habere certam pecuniæ quantitatem in ſingulos menſes, eâ conditione vt ſi quid ex frugalitate eius ſuperfuerit, poſſit pro ſua voluntate erogare etiam in pios vſus.

Sentit contra hæc Nauar. Comment. 2.
22 de Regularibus n. 15. & 18. qui exiſtimat Concil. Trid. Conſtitutione antè allegatâ, non inducere ius aliquod nouum: ſed tantùm renouare & explicare antiquum, quod continetur cap. Monachi, & Cap. Cùm ad monaſterium ſup. citatis: ac proinde tantùm prohibere, ne Superiores concedant ſuperflua, & ad quemlibet vſum etiam ſecularem. Sed alij DD. communiter aliter ſentiunt, vt refert Mald. Tract. 1. cap. 4. Dub. 6. Eſtq; omninò verius, condi nouum ius per Conſtitutionem Trid. vt non poſſint etiam illa nunc licitè Superiores concedere, quæ olim licitè concedebant: idque tum ad tollendos varios abuſus, qui ex eiuſmodi conceſſionibus ſequi ſolent, tum propter ſpeciem proprietatis, quæ apparet quando Regulares eiuſmodi bona tamquã ſua videntur adminiſtrare, & in quoſuis vſus ſaltem pios pro ſua voluntate poſſunt expendere. Videantur Pet. Nauarra lib. 3. De Reſt. cap. 1. n. 174. & Azorius Tom. 1. lib. 12. cap. 9. Poteſt tamen Pontifex diſpenſare & permittere, vt aliqui Superiores ſic concedant alicui Regulari aliqua bona: quia Pontifex eſt ſupra Concilium, neque iſta conceſſio eſt abſolutè contra votum religioſę paupertatis, quando Religioſus tantùm adminiſtrat de conſenſu Superioris, & cum aſſiduâ ab eius voluntate & nutu dependentiâ: ſicque etiam poſſit, quæ ſibi ſuperſunt, pro ſua diſcretione expendere in cauſas pias. Vnde quando ex Romani Pontificis diſpenſatione Religioſo conceditur certa aliqua penſio, tenent DD. quòd poſſit ſuperflua, ſi quæ inde habet, conuertere pro ſua voluntate in cauſas pias, etiamſi in Bullis id expreſsè non contineatur: quia dum abſolutè conceditur penſio, videtur tacitè dari facultas ad eam expendendam non tantùm in vſus ſibi neceſſarios, ſed ſi quid ſuperſit, ad alios etiam pios: nullo autem modo in vſus ſeculares, & minùs in vſus illicitos. Vide Nauar. Comment. 4. De Regul. n. 67. & 68. & Azorium lib. 12. cap. 10. quæſt. 7.

Dico Quartò: Poſſunt tamen Superiores Religionum concedere aliqua mobilia ſuis Regularibus ad vſus neceſſarios ipſorum, & ad aliqua opera pia. Ita communiter tenent DD. & colligitur ex Trid. ſup. citato, vbi permittit, quòd Superiores mobilium vſum poſſint ſuis concedere, ſic tamen vt eorũ ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat, nihilque ſuperflui in ea ſit. Addit Conc. nihil etiam quod eſt neceſſarium, eis denegetur. Hoc autem dum Superiores nõ obſeruant, prout tenentur, ſæpius ſunt ipſi cauſa ſtudij proprietatis ſubditorũ, cuius proinde ſimul rei conſtituuntur. 23

Dico Quintò: Religioſi etſi in particulari rerum temporalium dominij ſint incapaces, tamen capaces ſunt dominij, aut quaſi dominij rerum quarundam & iurium ſpiritualium. Ita docet Nauar. q. 1. de Red. Eccleſ. monito 9. & Comment. 2. de Reg. & paſſim alij. Declaratur: nam Religioſi capaces ſunt beneficiorum quorum, vbi eis collata fuerint, habent quaſi dominium, ita vt nomine proprio agere poſſint ad illorum poſſeſſionem, receptionem, aut recuperationem ſi deturbati fuerint. Similiter ſimplex Religioſus nomine proprio poteſt agere ſuper iure eligendi ſibi competente, ſuper iure alimentorum, & iure manendi in tali vel tali monaſterio. Vide Nauar. locis cit. Ratio reddi poteſt: quia Religioſi non renuntiant bonis ſpiritualibus, neque iuribus prædictis, vel honoribus qui pro talibus debentur. Neque etiam ex ordinatione vel decreto Eccleſiæ eorum ſunt incapaces; quod ſatis manifeſtat quotidianus vſus ab Eccleſia approbatus. Vide D. Th. infrà qu. 186. art. 7. ad 4. & Caietanum ibidem.

Dico Sextò: Religioſi beneficiarij, vt Abbates, Præpoſiti, Paſtores, Commendatores etſi nullum habeant dominium fructuum ex beneficijs obuenientium, habent tamen ius eos adminiſtrandi, tum ad ſtatus ſui congruam ſuſtentationem, tum ad cauſas pias: id enim ex iure & conſuetudine eſt illis conceſſum, vt tradit Nauar. Cõment. 2. de Regularibus, n. 10. Quod tamen intellige, niſi forſitan aliquo peculiari ſtatuto Ordinis impediantur.

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM IX.

Vtrum Clerici non Religioſi habeant temporalium rerum dominium.

24 DIſtingunt DD. triplicis generis bona tẽporalia, quæ Clerici habere poſſunt: ſcil. patrimonialia, quaſi patrimonialia, & merè Eccleſiaſtica. Bona patrimonialia ſunt, quæ ſucceſſione hæreditariâ, aut per legatũ vel per aliam donationem intuitu perſonæ factam illis obueniunt, aut quæ alijs ſimilibus modis acquiſiuerunt, quibus Laici bona ſibi comparare ſolent, vt ſi ex prouentibus hæreditatis emerint agros, vel reditus. Quaſi patrimonialia vocant, quæ Clerici acquirunt miniſterijs proprijs Clericorum, non tamen ex aliquo beneficio: vt v.g. celebrando Miſſas, cantando officium diuinum, ſubſeruiendo Paſtori in officijs Paſtoralibus, & ſimilibus exercitijs. Merè autem Eccleſiaſtica ſunt, quæ percipiuntur titulo alicuius beneficij Eccleſiaſtici, vt Præpoſituræ, Decanatus, Canonicatus, vel beneficij ſimplicis. His præmiſſis

25 Dico Primò: Indubitatum eſt, Clericos bonorum ſuorum primi generis habere abſolutum dominium, non minùs quàm homines Laici habeant rerum ſuarum; & tam liberè de iſtis poſſe diſponere. Conſtat manifeſtè ex cap. Quia nos, De teſtamentis, quod eſt Alexandri III. Pontificis. Ratio reddi poteſt, quia per Clericatum, ſiue per ordinem ſacrum non efficitur quis incapax dominij rerum temporalium: neque ſe abdicat dominio earum ſi quas habet, ſiue ſpectes intentionem ſuſcipientis, ſiue etiam conſtitutiones Eccleſiæ, neque etiam ſe obligat, quòd eas debebit in pios vſus conuertere. Vbi tamen hoc obſeruandum eſt, quod non idcircò Clerici licitè poſſint expendere bona ſua patrimonialia in omnes illos vſus, in quos Laici licitè expendant: v.g. in notabilem famulatum, in equos, in canes, & ſimilia: non quod non habeant abſolutum ius de ſuis patrimonialibus diſponendi, ſed quia eiuſmodi vſus non congruunt eorum ordini ſiue ſtatui: Verùm magis illis incumbit etiã ex iſtis liberaliores eſſe in pauperes: quia maior illos decet modeſtia, frugalitas, & charitas præ laicis.

Dico Secundò: Similiter ſatis certum eſſe videtur, quod Clerici dominium habeant quoque ſuorum bonorum ſecundi generis, ac liberum ius de illis diſponendi, ſicut de patrimonialibus. Ita docent Couar. in Cap. Cum in offic. De teſtam. tom. 1. c. 7. Malderus Tract. 1. Cap. 4. Dub. 8. Nauar. quæſt. 1. de Reditibus Eccleſ. mon. 19. & 39. cum alijs, quos ibidẽ allegat. Et probari poteſt: nam qui iſta Clericis tribuunt, dant ea per modum alicuius mercedis pro labore vel opere perſonali, aut certè per modum alicuius debiti ad eorum ſuſtentationem, abſque vlla intentione expreſsâ vel tacitâ obligandi eos vt in pias cauſas expendant, ſi quid forſitan eis ſuper excefferet.

Dico Tertiò: Clerici efficiuntur etiam domini fructuum ex beneficijs prouenientium, abſolutè quo ad eam partem ſaltem quæ eſt neceſſaria ad congruam eorum ſuſtentationem, ita vt de his poſſint liberè diſponere, quemadmodũ de patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus, ſi per parcimoniam, aliquid ſibi ex neceſſarijs ad cõgruam ſuſtentationem velint ſubſtrahere. Ita communiter DD. Couarr. ſup. Nauarr. mon. 30. Dom. Soto lib. 10. q. 4. a. 3. Concl. 6. Mald. ſup. Et Probatur: quia ſi liberè poſſint hæc in ſuos vſus expendere, nulla poteſt reddi probabilis ratio, quare ſi velint circa ſe eſſe parciores, aut ex alijs ſuis patrimonialibus bonis viuere, non liceat eis iſtam prouentuum ex ſuo beneficio partem ad alios licitos vſus, etiam ſeculares, applicare. Confirmatur: quia hæc pars eſt veluti iuſtũ ſtipendium ipſius officij, quod beneficium habet annexum: qui enim altari deſeruit, ius habet, vt de altari viuat, vt ſignificat Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 9.

Sed obijciet aliquis: D. Th. infrà quæſt. 185. art. 7. ad 2. ſcribit hoc modo: Et ideo, ſi de eo, quod vſui Epiſcopi vel alicuius Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubſtrahere, & conſanguineis vel alijs dare, non peccat, dummodò illud faciat moderatè, id eſt, inquit, vt non indigeant: non autem vt ditiores inde fiant: ergò videtur ſentire, quòd Clerici etiam illius partis, quam ſuæ ſuſtentationi ſubſtrahunt, non habeant omninò liberam diſpoſitionem.

Reſp. neg. conſ. quia D. Th. tantùm ſignificat vetitum eſſe abuſum illius partis, quem adfert iſta donatio, quæ fit amicis, eo tantùm reſpectu vt fiant ditiores, præſertim quando eâ occaſione negliguntur communia charitatis officia erga indigentes: quo pacto ne quidem ex patrimonialibus licitum eſt ſtudere amicorum ditationi. Quod autem ille ſit ſcopus & ſenſus D. Th. patet ex authoritate D. Ambroſij quam ibidem allegat, & ſuo propoſito accommodat. Quare diſpoſitionem liberam ad vſus decentes quoad partem illam, non negat ibi Clericis D. Thomas. Imò Couarr. ſup. ſentit idem de reditibus, quos digniſſimâ (vt ipſe loquitur) mercede iuſtitiæ & laboris impenſi in regimine Eccleſiæ, percipit is qui Eccleſiæ curam geſſit, vt Paſtor, Lector Capituli, Scholaſticus, Decanus Chriſtianitatis, & ſimiles.

Digitized by Google

Quod tamen non exiſtimarem eſſe verum, ſi vniuerſaliter intelligat de omnibus reditibus aut prouentibus per ſe incorporatis ſiue annexis eiuſmodi beneficijs, tale particulare onus habentibus, quòd ſcilicet Rectores habeant liberam eorum diſpoſitionem quoad omnem vſum etiã vltra partem illam, quæ ad congruam ſuſtentationem eis ſufficiat: ſecus autem ſi tantùm ſermo ſit de prouentibus accidentarijs, qui ex occaſione alicuius officij præſtiti ex liberalitate vel honeſtate fidelium adijciuntur: de alijs enim ſuperfluis vltra congruam ſuſtentationem, exiſtimo eſſe eandem planè rationem, quę de ſuperfluis ex alijs beneficijs. De quibus proinde omnibus principaliter difficultas eſt, & inter DD. diſputatur, Vtrum Clerici talium fructuum efficiantur domini, an verò ſint tantummodo eorum adminiſtratores? Pro cuius rei explicatione

26 Notandum eſt Primò: Bona Eccleſiæ olim fuiſſe indiuiſa, & pluribus ac diuerſis vſibus diuinum cultum concernentibus exſtitiſſe deputata, ſcilicet menſæ Epiſcopali, fabricæ Eccleſiarum, & ſuſtentationi reliqui Cleri: ſic vt tunc eadem pænè eſſet ratio fructuum & emolumentorum Eccleſiæ obuenientium quoad dominium, quæ nunc eſt bonorum ſtabilium: quod ſcilicet neque Epiſcopus, neque particulares Clerici haberent iſtorum prouentuum dominium, ſed tantùm ius commune ex illis viuendi, & pro gradu & ordine ſuo ſe intertenendi.

Notandum Secundò: Eccleſiæ Præpoſitos, & præſertim Epiſcopos, qui iſtorum communium bonorum erant diſpenſatores, vt patet Cap. Epiſcopus, & Cap. Præcipimus, 11. quæſt. 1. ſemper ab initio peculiarem geſſiſſe curam pauperum, vt colligitur etiam ex Apoſt. ad Galatas 2. *Tantùm vt pauperum*, inquit, *memores eſſemus*; quod & ex alijs locis ſcripturæ patet.

Notandum Tertiò: Inde factum fuiſſe, quòd eiuſmodi bona etiam peculiariter viderentur deſtinata pauperibus hoc ipſo quo Eccleſiæ offerebantur, quamuis interim reuera pauperibus non abſolutè donarentur: Quare rectè exiſtimat Dominicus Soto lib. 10. de Iuſtitia & Iure quæſt. 4. art. 3. pauperes non habuiſſe ad illa ius aliquod poſitiuum, tamquam ſibi debita ex iuſtitia. ideoq; ſi in partitione, quando fuit facta bonorum Eccleſiæ diuiſio, eis aliqua portio inde ſit aſſignata, id ex charitate Eccleſiæ, non autem ex iuſtitia vult factum fuiſſe. Quod etiam confirmari poteſt: quia bona Eccleſiæ ſunt, aut decimę, aut prædia, & cenſus, vel etiam dominia prouinciarum, aut locorum: nullum autem genus eiuſmodi bonorum obtinuiſſe videtur Eccleſia cum obligatione ex iuſtitia, inde dandi certam partem pauperibus. Nam quod ad ius decimarum attinet, competit illud ſimpliciter Eccleſiæ ratione adminiſtrationis ſpiritualium, vt communiter tradunt DD. ita quòd illæ non obueniant ex liberâ populi fidelis largitione, ſed tamquã quędã debita lege iuſtitiæ: quia tenetur populus eos, qui ſpiritualia ſeminant & adminiſtrant, pro ratione ſtatus & officij alere, & intertenere. Quare fundamentum nullum eſt dicendi, quòd ex iuſtitia debeatur inde aliqua pars pauperibus. Reliqua verò pro magnâ parte obuenerunt ex liberâ fidelium donatione; & demonſtrari nõ poteſt, quòd cum tali onere, vt inde ex iuſtitia deberet dari pars aliqua pauperibus. Quamuis enim haud dubiè fideles id exſpectarint, & deſiderauerint, vt ea quæ miniſtrorum & diuini cultus intertentioni ſupereſſent, cõuerterentur ad pauperum vſum, tamen veriſimile non eſt, eos talem obligationem impoſuiſſe: tum quòd non dubitarent Epiſcopos & Prælatos id ſuâ ſponte facturos, quos paſſim tam ſollicitam pauperum curam gerere videbant: tum quòd modeſtiores & obſeruantiores erga Superiores ſuos eſſent, quàm vt præſumerent illis talem ſtricti iuris obligationem imponere, præſertim cùm hæc relinquere ſoleant in refrigerium animarum ſuarum, & ſatisfactionem pro peccatis, ſiue vt ſeruorum Dei preces & ſuffragia conſequerentur, vel vt diuinus cultus ampliaretur.

Notandum Quartò: Procedentibus temporibus Clericorum ordinem ſupra numerum fuiſſe multiplicatum, & refrigeſcente charitate in eis paulatim defeciſſe (vt in nimia multitudine fieri ſolet) virtutum perfectiones, quæ vigebant inter primos fideles in communi viuentes: de quibus dicitur Act. cap. 4. quod *Credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat*; ſicuti etiam in multis Religionibus obueniſſe videmus. Vnde Ribera in caput 2. Oſeæ nu. 101. ſcribit, longi temporis vſu conſtare nullam eſſe certiorem ac præſentiorem Religionibus peſtem, quàm multitudinem: & dolenter deplorat illud in Moderatoribus Religionum ſtudium, quo de nulla re magis videntur eſſe ſolliciti, quàm de ſua quiſque Religione augendâ & propagandâ, deque nouis domibus extruendis: neque vnquam quotidianâ malorum experientiâ admoneantur: nec minùs dolenter commemorat, infinitam penè Clericorum vbique multitudinem, & magna, quæ inde Eccleſia patitur, incommoda & ſcandala. Ob defectus itaque exortos virtutum quæ ad vitam communem potiſſimum ſunt neceſſariæ, facta fuit bonorum Eccleſiæ diuiſio, vt ſcilicet menſæ Epiſcopali ſua pars, ſimiliter & fabricæ ſua aſſignaretur: Clericis quoque ſingulis inſtituerentur ſuæ præbendæ cum erectione titulorum quoad beneficia,

Digitized by Google

beneficia, ex quibus quiſque ſibi viueret, & ſuo arbitratu adminiſtraret. His explicatis

27 DICO Quartò: Ante partitionem factã, de quâ iam egimus, Clerici ſinguli nõ erant domini aliquorum bonorum merè Eccleſiaſticorum, nequidem partis illius ſi quæ fortaſſis eis ſuperexceſceret ex quotidiana diſtributione quę fiebat. Patet ex q.2.cauſa 12. & docet Mald. ſuprà, & alij. Ratio eſt, quia mens diſtribuentis Eccleſiæ, aut Superioris erat vt ſolummodo quiſque tantùm acciperet de communi, quantum eſſet ei neceſſarium. Vnde reliquum manebat quaſi non diſtributum, & eiuſdem iuris cum alijs bonis communibus: imò ne Epiſcopi quidem habebant ſuperfluorum dominium, vt ſuprà indicauimus: ſicuti etiam modò Abbates, aut Prælati religionum non ſunt domini prouentuum qui ſibi & ſuis religioſis ſuperexcreſcunt: ſed adminiſtratores vt eos rectè expendant.

Quod non tunc optimè & ſaluberrimè faciunt (vt inſipienter multi videntur opinari ducti cupiditate aut vanitate) quando monaſteria opibus & diuitijs ſiue in pecunijs, ſiue in fundis & reditibus ſine termino ſtudent augere: in quibus luxurientur Succeſſores, & Diſciplina cum pietate, demergatur & ſuffocetur: vti accidit ſemini quod Lucæ 7. cecidit inter ſpinas. Sed meliùs & ſecuriùs id expendent, ſi eſurientem Chriſtum, ſitientem Chriſtum, nudum, peregrinum, captiuum paſcant, potent, veſtiant, ſuſcipiant, redimant cum feruore charitatis & liberalitate: qui toties in membris ſuis in his neceſſitatibus publicè & per domos ipſis ſeſe offert.

28 DICO Quintò: Poſt diuiſionem bonorum Eccleſiæ factam, & erectos beneficiorum Titulos cum ſuis Præbendis, probabile eſt Clericos fieri dominos fructuum ſuorum beneficiorum, etiam quoad illam partem quæ ſupereſt vltra congruam ſuſtentationem. Ita communiter tenent DD. Neoterici contra Nauarr. & pleroſque canoniſtas qui volunt Clericos nõ fieri dominos partis ſuperfluæ, ſed tantùm illius diſpenſatores. Noſtram autem aſſertionem tenent Soto lib. 10. quæſt. 4. art. 3. & 4. Adrianus in 4. de Reſtitutione: §. Pro clariori. Couar. in Cap. Cum in offic. de teſt. tom. 1. c. 7. Franciſcus Sarmiento De Redit. p.2. cap.1. & 2. Malderus ſuprà, & recentiores plerique.

Probari poteſt primò ex capit. vnico de Clericis non reſidentibus in 6. vbi dicitur: Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit (ſcilicet quàm iuxta modum ibi præſcriptum) rerum ſic acceptarum dominium non acquirat: nec eas faciat ſuas: & ex Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 3. de reformatione vbi ſtatuit, vt in omnibus Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis tertia pars prouentuum omnium dignitatum, & officiorum in diſtributiones diuidatur, vt ſcilicet qui ea obtinent, ſi perſonaliter competens ibi ſeruitium, quolibet die ſtatuto non impleuerint, illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoque modo dominium acquirant. Supponitur ergo tam in Canone allegato, quam à Con. Trid. Canonicos, ſiue alios Clericos, qui debitis modis interfuerint diuinis officijs, & ibi expleuerint munia ſibi incumbentia, acquirere dominium diſtributionum, earumque fieri dominos. Et ne quis fortaſſis contendat hoc peculiare eſſe prouentibus qui in diſtributiones ſunt deputati, addenda ſunt hîc alia loca Conc. Trid. vbi ſimili modo loquitur generaliter de fructibus Beneficiorum: vt Seſſ. 3. cap. 1. de reformatione, vbi ſtatuit vt Epiſcopi qui vltra tres menſes, niſi vrgente neceſſitate, abſunt à ſuis Eccleſijs, fructus non faciant ſuos pro rata temporis: ſed teneantur fabricæ, vel pauperibus erogare: ſimile quid ſtatuit ibidem de alijs beneficiatis curam animarum habentibus. Item Seſſ. 24. c. 12. ſtatuit, quatenus prouiſi de Canonicatibus faciant profeſſionem fidei, alioqui nõ faciant fructus ſuos. Quare à contrario ſenſu, rectè colligitur Concilium ſenſiſſe Epiſcopos, Paſtores, & Canonicos, qui rectè expleuerint requiſita, facere ſuorum beneficiorum fructus ſuos, eorumque fieri dominos.

Huius ſententiæ videtur etiam fuiſſe D. Th. quæſt. 185. art. 7. vbi docet: ſi Epiſcopus aliquid ſibi retinuerit de bonis quæ in pauperes, vel vſum miniſtrorum, vel diuinum cultum, ſunt expendenda (quorum ſcilicet ipſe eſt adminiſtrator) non eſſe dubium, quin mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur, inquit: ſed de ijs quæ ſpecialiter eius vſui ſunt deputata, dicit eſſe eãdem rationem, quæ de proprijs bonis, vt ſcilicet propter immoderatum affectum & vſum peccet, ſi immoderata ſibi retineat. Quibus ſatis innuit eum fieri dominum portionis quæ ſibi eſt aſſignata; tum quia dicit eſſe eandem rationem cum bonis proprijs ſiue patrimonialibus, quorum eſſe dominũ manifeſtè conſtat ex capitulo Epiſcopus quæſt. 1. cauſa 12. tum quia non addit, eum committere iniuſtitiam, aut ad reſtitutionem teneri, ſi immoderatè retineat, vel vtatur, prout dicit teneri, ſi de alijs reſeruet, quorum eſt tantùm adminiſtrator.

Sed prò ſententia oppoſita, quæ ſuâ non 29
caret etiam probabilitate, adducuntur multa argumenta: quorum primum ſit: In capitulo Quoniam quæſt. 1. cauſa 16. dicitur: quidquid Clerici habent, id pauperum eſſe: Item, qui bonis parentum ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiant, ſacrilegium profectò committere. Habentur

ſimilia

Digitized by Google

ſimilia apud D. Proſperum lib. 2. de vita contemplatiua cap. 9. & aliquot ſequentibus. Nullo igitur modo videtur dicendum, Clericos fieri dominos etiam ſuperfluorũ, quæ ex beneficijs percipiuntur.

Confirmatur Primò ex ipſo nomine Clerici: ſcribit enim D. Hieron. epiſtola ad Nepotian. Clericus (inquit) qui ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primum vocabulum ſuum: & paulò pòſt: Qui Dominum poſſidet & cũ Propheta dicit, *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominũ habere poteſt. Secundò, Ex ſignificatione tonſuræ Clericalis: nam, vt dicitur in Can. Duo ſunt: XII. q. I. Raſio capitis eſt temporalium omnium depoſitio: Clerici enim victu & veſtitu contenti, nullam inter ſe proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Confirmatur Tertiò: quia ea videtur eſſe conditio, & quaſi natura miniſterij ſpiritualis, vt pro illo accipiatur à populo ſuſtentatio: merces autẽ exſpectetur à Domino: quandoquidem enim Clericorum munia ſunt ſpiritualia, non licet æſtimare ea pretio. Quare nec ſtipendij nomen videtur poſſe obtendi: quidquid ergò vltra ſuſtentationem ſupereſt, debetur Eccleſiæ ſiue diuino cultui, aut pauperibus: nec habent Clerici aliquod illius dominium.

Reſpondetur Can. allegatum deſumptũ eſſe ex D. Hieron. qui ante bonorum Eccleſiæ diuiſionem factam, ſcripſit, quo tempore haud dubiè Clerici, vltra congruam ſuſtentationem, nihil ex bonis Eccleſiæ habebant ſuum, aut alicuius rei dominium, prout antè diximus: ſed quidquid eis ſupererat, hoc manebat Eccleſiæ. Et quia illa huius erat mens & voluntas, vt ſuperflua non ſinguli ſibi cõgregarent & aſſeruarent, ſed erogarentur in pauperes, prout Eccleſia erogabat, ideo dicit Hieron. ea, quæ Clerici habent, eſſe pauperum. Sic quoque non vult illos Clericos Eccleſiæ ſumptibus ali, qui parentum opibus ſiue bonis ſe intertinere poterant: idq; Vel quia patrimonij titulo erant promoti, neque alicui Eccleſiæ inſcripti cui ex officio inſeruirent, vt indicat Gloſſa: vnde ad bona Eccleſiæ non competebat ipſis ius, niſi quatenus pauperes eſſent. Quare tales, qui ex patrimonio ſibi ſufficiebant, ſi quid ex bonis Eccleſiæ accipiebant, id quodammodò pauperibus, quibus ſuperflua deſtinabantur, ſacrilegè ſurripiebant; ſicuti ſi modò ex menſa ſancti Spiritus viuerent opulentiores, dicerentur ſurripere ea quæ pauperum ſunt: Vel idcircò ſic loquitur Hieron. quia ante diuiſionem, quidquid Clericus habebat vltra congruam ſuſtentationem (quam patrimonio diues cenſebatur ex ſuis proprijs habere) iudicabatur ſuperfluum; & proinde debebat id manere in communi maſsâ cum alijs excreſcentijs: quę modo explicato dicebatur eſſe pauperum. Et ſic conuenienti quadam ratione poterant tales dici accipere ea, quæ pauperum erant, non quidem iure iuſtitiæ, ſed ex voluntate & deſtinatione Eccleſiæ, quæ nulli Clerico intendebat dare aut relinquere ſuperfluum: omnes enim, qui ad Ordinem ſiue gradum Clericatus admittebantur, illam vitæ perfectionem cenſebantur aſſumere & profiteri, quòd habentes victum & amictum, ſimpliciter vellent illis eſſe contenti. Similiter explicanda ſunt, quæ apud D. Proſperum leguntur. D. Thomas autem loco ſuprà citato dicit D. Hieron. loqui in caſu, quo pauperes in magna ſunt neceſſitate; extra caſum verò illum, poſſe Clericum, patrimonio diuitem viuere ex bonis Eccleſiæ cui ſeruit.

Ad primam Confirm. Reſpondetur: In primis certum eſt, non debere verba D. Hieron. in eo ſenſu capi, quòd Clericus nihil poſſit habere aut poſſidere extra Dominum, quaſi vellet Clericos vniuerſim eſſe omninò incapaces dominij temporalium bonorum: hoc enim Eccleſia in Wiclef damnauit. Senſus itaque Diui Hieronymi eſt, quòd Clericus ſui nominis ratione & ſignificatione moneatur, quomodo viuere debeat, ſcilicet quandoquidem diuinis miniſterijs ſe mancipando, elegerit Dominum in ſortem & hæreditatem ſuam, non poſſit (conuenienter nimirum ad vitæ genus quod aggreſſus eſt, ſeſe gerendo) cupidè inhiare poſſeſſionibus bonorum temporalium, ijſque incubare: ſed debeat eſſe contentus habere neceſſariam & congruam ſuſtentationem, vt conformiter ad ſtatum vitæ, quem aſſumpſit, ſeſe habeat & degat. Cum quo tamen ſtare poteſt, illum habere dominium eorum, quæ ab Eccleſia illi obueniunt poſt diuiſionem factam, & portiones ſingulas ſingulis titulis beneficiorum aſſignatas.

Eodem modo Reſpondendum eſt ad ſecundam Confirmationem, ſcilicet tonſuram ſiue raſionem capillorum ſignificare depoſitionem curæ & ambitus rerum temporalium: ideoque quia tum in vſu erat, quòd Clerici in communi viuerent, contra inſtitutionem ſuam faciebant, qui propria temporalia ſtudebant poſſidere, quod allegatus Canon in eis redarguit.

Ad tertiam Confirmationem Reſpondetur, eam eſſe conditionem & naturam miniſterij ſpiritualis, quod non debeat per modũ mercationis vendi aut exhiberi propter lucrum aut pretium temporale, ſicuti elocantur aut exhibentur operæ purè corporales: ſed tamen rectè cum eo conſiſtere, quòd per modum iuſtitiæ, operarijs & miniſtris ſpiritualibus reddatur congrua ſuſtentatio;

Digitized by Google

ſtentatio; ita vt illud, quod eo titulo redditur, non ſit eleemoſyna: verùm rectè & meritò etiam poſſit vocari ſtipendium. Quod inprimis ſatis aptè nobis ſignificauit Chriſtus Lucæ 10. quando ſuis, quos ad opus Euangelij mittebat, dixit, *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ in ea ſunt: dignus enim eſt operarius mercede ſuâ.* Quod & Apoſt. 1. Corinth. 9. ſatis indicat, quando docet illos qui in Euangelio laborant, poſſe inde ſuam accipere ſuſtentationem & de altari viuere, hoc argumento: quia nemo ſoleat ſuis militare ſtipendijs, nec paſcere gregem, qui non iure de lacte eius comedat. Vnde & Cap. Quoniam ſup. cit. nominat ſtipendium, quod ſuſtentationis titulo datur. Ex his itaque addo, quòd licet ſit contra rationem & naturam miniſterij ſpiritualis, quod ex eo auarè quæratur lucrum temporale, & ſuper eo fiant mercatus, ſicuti in negotijs temporalibus, tamen licitè ac iuſtè pro eo accipiantur neceſſaria ad ſuſtentationem, eorumque quæ ſic accipiuntur, Clericos ſimpliciter fieri dominos: & quando contingit fideles conferre amplius, aut iam prius plus eſſe collatum & ad ſuſtentationem deputatum, quàm ſit ad eam neceſſarium, etiam iſtius ſuperflui effici dominos: neq; id vllo modo aduerſari conditioni, & rationi ſiue Clericorum, ſiue miniſterij ſpiritualis, quod exhibent: quamuis benè intelligatur inde cauſari aliqua obligatio, quà bona iſta ſuperflua manent peculiari modo obnoxia diuino cultui, aut pauperibus, vel alijs pijs vſibus magis quàm patrimonialia, vt infrà dicemus.

30 Obijcitur Secundò: Nō tantū Pontifices & P P. ante diuiſionem bonorum Eccleſiæ factam & titulos beneficiorum erectos, ſed etiam poſt diuiſionem (quæ tempore Simplicij Papæ circa annum 470. putatur eſſe facta, vt notat Malderus.) dicunt Eccleſiæ bona eſſe patrimonium Chriſti, eſſe bona Dei: & inde peregrinos & pauperes eſſe alendos. Gelaſius Papa epiſtola ad Epiſcopos Siciliæ docet Epiſcopum de ſua parte debere alere peregrinos & captiuos. S. Bernardus Epiſt. 42. pauperes ſic inducit expoſtulantes contra Clericos prodigos: *Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubſtrahitis, quod inaniter expenditis:* ergò etiam modò Clerici opulentiores non ſunt domini ſuorum prouentuum, pro eâ ſaltem parte, quâ ſuperflui eis ſunt, ſed tantùm diſpenſatores.

Reſpondetur Neg. Conſ. quia inprimis illa bona dicuntur patrimonium Chriſti, & bona Dei: non quod verè non ſint Eccleſiæ, & miniſtrorum eius, ſed quia propter Chriſtum & intuitu diuini cultus ſunt Eccleſiæ data: nam & in antiquo Teſtamento etiam ex illis, quæ in ſacrificijs Deo offerebantur, certa portio cedebat Sacerdotibus in proprietatem.

Quo ad alia autem quæ allegantur, rectè eiuſmodi dicta Patrum & Pontificum intelliguntur ſignificare quandam particularem obligationem in Epiſcopis & opulentioribus Clericis, ad ſua ſuperflua quæ ex beneficijs ſuis percipiunt, in opera miſericordiæ eroganda, non tantùm ex communi præcepto charitatis (ſic enim viderentur ipſi iſtorum tam liberum habere vſum quàm patrimonialium) ſed ex peculiari præcepto, quo illis vetitum eſt eiuſmodi bona in vſus ſæculares aut profanos expendere, etiam in tales in quos alioquin patrimonialia ſine peccato impendere poſſint; ſed debeant illa erogare in pauperes, vel alios vſus pios: cum tali namque onere cenſetur dediſſe Eccleſia, & annexuiſſe titulis beneficiorum præbendas ſiue portiones & bona. Id enim Canones & dicta PP. ad minùs importare, fateri oportet. Cū illo tamen conſiſtit, quod Clerici etiam illorum habeant dominium: nam ad hoc ſatis eſt, quòd habeant eorum ius in re ad omnem vſum, lege ipſis non prohibitum. Hinc

Dico Septimò: Licet Clerici habeant dominium ſuperfluorum ex beneficijs, tamen ſub peccato mortali obligantur illa erogare, aut de ijs diſponere ad vſum pauperum, vel alterius cauſæ piæ. Hæc aſſertio eſt communis & omninò certa, ita vt oppoſita nequidem reputetur vllo modo probabilis. Satis abundè conſtat ex auctoritatibus & argumentis contra præcedentem adductis, quæ ad minus hanc conuincunt: & ex alijs quæ videre licet apud Nauar. quæſt. 1. de Redit. Eccleſ. mon. 21. & aliquot ſeqq. Ad hæc accedit conſtitutio Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 1. vbi Epiſcopis, Cardinalibus, & quibuſuis Clericis omnino interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quę Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant, non autem eas diſtrahant, vel diſſipent illorum cauſâ. Quod verò Conc. hîc non tantùm prohibeat bona immobilia Eccleſiæ donari conſanguineis, vel aliter alienari, ſicuti quidam Doctor interpretatur, vt refert Mald. ſup. ſed etiam vetat ſuperfluos prouentus in eos profundi & diſſipari, ex eo ſatis certò conuincitur, quòd eas Eccleſiæ res, quas conſanguineorum cauſâ vetat diſſipari, permittat conſanguineis tanquam pauperibus diſtribui, ſi tales ſint. Conſtat autem Clericos ne quidem pauperibus conſanguineis poſſe reditus aut fundos Eccleſiæ diſtribuere, ſed ex prouentibus tantummodò eis ſubuenire: quare hos prohibet diſſipari aut prodigi

Digitized by Google

prodigi inter cõſanguineos non indigentes.

32 Sed quæres: Quid ſi Clerici de facto expendant in vſus ſæculares ſiue donatione, ſiue alia conſumptione, an teneantur ad reſtitutionem, & alienatio ſit habenda irrita? Id enim videtur indicare Cap. Epiſcopus XII. quæſt. 2. vbi dicitur: Si quid de Eccleſia, non in Eccleſiæ cauſa, aut neceſſitate inſumpſerit (ſcilicet Epiſcopus) quod diſtraxit aut alienauit, irritum habeatur. Caietan. infrà quæſt. 185. art. 7. & alij nonnulli apud Mald. quamuis admittant Epiſcopos poſt diuiſionem, eſſe ſuorum ex Epiſcopatu prouentuum dominos, tamen dicunt eos ex iuſtitia teneri conuertere ſuperflua ad vſum pauperum. Quod Petrus Soto de Vita Sacerdot. Lect. 3. extendit ad omnes Sacerdotes quoad fructus ex beneficijs ſuperexcreſcentes notabiliter vltra honeſtatem ſuſtentationis.

Communiter nihilominus alij, quos diximus tenere Clericos ſuperfluorum fructuum eſſe dominos, docent etiam illos ad reſtitutionẽ non obligari, ſi aliter quàm in pauperes vel pios vſus illa expenderint. Neque alienationes, quas aliter faciunt, eſſe irritas, licet ſic expendendo aut alienando peccent: idque locum habere tam in Epiſcopis, quàm in alijs Clericis. Colligitur ex doctrina D. Th. ſuprà allegata ex qu. 185. art. 7. Et probatur: quia ante diuiſionem bonorum Eccleſiæ factã nõ habebant pauperes ius iuſtitiæ ad aliquam illorum partem, vt antè oſtendimus; licet bonorum adminiſtratores contra iuſtitiam peccarent, ſi ſeruarent ſibi partem, quam ex Eccleſiæ mente & voluntate debebãt pauperibus diſtribuere, fierentque obnoxij reſtitutioni, non quidem proximè pauperibus, ſed ipſi Eccleſiæ. Sicuti quantumuis dominus quiſpiam nullam partem ſuorum bonorum ex iuſtitia debeat pauperibus, ſi tamen ſuo diſpenſatori committat, vt vnam partem in pauperes eroget, peccabit diſpenſator contra iuſtitiam, ſi eam ſibi ſeruet: atqui poſt diuiſionem ſiue per ipſam diuiſionem, non acceſſit pauperibus aliquod nouum ius: neque enim Eccleſia cenſetur impoſuiſſe ſingulis, quando eos fecit quotæ & præbendæ ſuæ dominos, obligationem alterius rationis, quàm quã tenebatur ipſa dare ſuperflua pauperibus, vel in alia miſericordiæ opera erogare, quando in communi adhuc omnia bona poſſidebat: licet bene particulari mandato, vt id præſtent, ijs iniunxerit vt ex allegatis antea Canonibus, & ſententijs PP. ſatis intelligitur, ne ſcil. fideles qui Eccleſiæ bona reliquerunt vel donarunt, ſuã exſpectatione & fine fraudarentur: Quod magis alioquin natum erat euenire, quando ſic ſingulæ partes à ſingulis poſſidentur, quàm dum omnia poſſiderentur in communi. Quamuis igitur Clerici aliter ſuperflua expendendo peccent, non tamen videtur dicendum, quòd ad reſtitutionem exiſtant obligati: nam contrarium etiam ipſa ratio dominij (quod hæc opinio eis cõpetere ſupponit) videtur comprobare.

Confirmatur: quia ſi Eccleſia cenſuiſſet eos ad eiuſmodi reſtitutionem obligatos, veriſimile eſt, quod non prætermiſiſſet iſtã obligationem determinatis & claris verbis in ſuis Concilijs & Conſtitutionibus explicare: quemadmodum explicuit de Epiſcopis, qui vltra tres menſes ab Eccleſijs ſuis abſuerint, & de alijs Clericis, qui diuinis officijs iuxta Conſtitutiones Eccleſiaſticas non interfuerint, aut ea non expleuerint, vt qui preces horarias legere neglexerint: vt videre eſt in Conc. Lateran. ſub Leone X. & in Conc. Trid. locis ſuprà citatis.

Quare ad Cap. Epiſcopus, quod ex Con. Agath. deſumptum eſt, Reſpondetur, vel loqui de bonis Eccleſiarum vbi non erat facta diuiſio; vel de bonis illis quæ non ſpectabant ad Epiſcopi portionem, ſed ad alium vſum Eccleſiæ, quorum ipſe erat adminiſtrator. Vel dici etiam poteſt, de bonis loqui immobilibus, aut de mobilibus pretioſis, quæ ſpectabant ad fabricam vel ornamentum Eccleſiæ: cuiuſmodi, iuxta doctrinam D. Ambroſij, in neceſſitate licet etiam diuendere & diſtrahere, atque etiam vaſa ſacra confringere, vt pauperes alantur, redimantur captiui, & ſimilibus neceſſitatibus ſubueniatur, quando alia media haberi non poſſunt.

DVBIVM X.

Quæ res cadant ſub dominium hominis?

DICO Primò: Res externæ, & ſublunares humanis vſibus accommodatæ cadunt ſub dominium hominis. Ita D. Th. 1. p. quæſt. 96. art. 2. & DD. communiter. Et probatur ex Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius* (ſcilicet hominis) *oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cœli, & piſces maris* &c. 33

Dixi, res externæ & ſublunares: nam in primis Angeli, vtpote qui ſublimioris ſunt naturæ & intellectus, quàm homo, non cadunt ſub hominis dominium, vt ſuo iure imperare, aut de ijs diſponere habeat. Similiter nec cœli ſub eius cadunt dominium: quamuis enim propter hominem conditi ſint, & creati in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt, vt dicitur Deuter. 4. tamen non ſunt vllatenus humanæ poteſtati ſubiecti, quo ad aliquam de illis aut circa illos diſpoſitionem faciendam, ſicuti res in-

res inferiores, quas ad noſtros vſus applicamus, ſiue ex animatæ, ſiue inanimatæ fuerint. Effectuũ tamen eorum, quos cœli nobis præſtant, domini dici poſſumus: nam & his vtimur ad noſtras commoditates, & noſtræ aliquouſque ſubiacent poteſtati, quatenus plus aut minus, v. g. de lumine, aut calore poſſumus admittere, vel à nobis excludere.

34 DICO Secundò: Ipſe quoq; homo cadit ſub dominiũ alterius hominis, non tantùm quoad gubernationẽ, ſed etiam quoad proprietatem, ſic vt licitè vnus poſſit alterum poſſidere tanquam rem ſuam. Aſſertio pro vtraque parte eſt euidens. Prior pars cõſtat ex Scripturis, vt ex libris Iudicum & Regũ, ex quibus patet Deum inſtituiſſe Iudices, & Reges, qui reliquum populum iudicarent & regerent, haberentque eum ſibi ſubditum: cuiuſmodi etiam dominium in ſtatu innocentiæ non defuiſſet, vt mox videbitur.

Poſterior pars probatur etiã ex Scripturis, quia in veteri lege, vt Exodi 21. Leuit. 25. Deut. 20. & 21. multa traduntur iudicialia præcepta, quæ ſeruos concernunt, & inſtruunt quomodo domini ſe debeant erga illos habere: quibus dominium illud, & correſpondens ſeruitus implicitè approbantur. In nouo quoq; Teſtamento, vt ad Epheſ. 6. ad Coloſſ. 3. & 1. Petri 2. mandãt Apoſtoli, vt ſerui obediant dominis ſuis, non tantùm bonis: ſed etiã diſcolis. Neque tantùm gentilibus, ſed & Chriſtianis: nam citato c. 6. ad Epheſ. poſtquã Apoſt. ſeruos monuerat, vt dominis benè ſeruirent, monet quoque dominos, vt modeſtè, non ſeuerius cum ſeruis agant, *Remittentes minas* (inquit) *quia & illorũ, & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio nõ eſt apud eum.* Vnde colligere licet, Chriſtianos quoque habuiſſe tunc ſeruos, & quidem Chriſtianos: vide Gratian. Diſt. 45. vbi habet multa decreta de ſeruis Chriſtianis.

35 Non eſt tamen ſeruitus huiuſmodi introducta iure diuino, aut naturali: ſed humano, puta partim iure gentiũ, partim iure Ciuili; imò dici ſolet eſſe contra naturam, vt patet Inſtit. De iure perſon. §. 1. & l. Libertas D. De ſtatu hominum. Quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi repugnaret rectæ rationi naturali, aut eſſet contra naturale præceptum: ſed quia eſt contra primæuã naturæ humanæ conditionem, & naturalem hominum inter ſe paritatem, quòd vnus ſit deſpoticè alteri ſubiectus, ſitq; res eius, quã ad omnem ſuam commoditatem vti poſſit: non enim vnus homo eſt conditus propter alterum, ſiue in ſeruitutem alterius: hoc quidem modo ſecundùm naturæ eius conditionem, homini ſubmittuntur res inferiores, & in eas conuenit illi habere tale dominiũ, v. g. in animalia bruta, & in inanimata quæ propter hominem creata ſunt: ſed non ita & taliter in alterum hominem.

Quòd tamen vnus homo alteri ſit politicè ſubditus, non eſt à naturæ humanæ conditione alienum. Vnde Philoſ. 1. Polit. c. 3. docet Sapientiorẽ ſecundùm naturam eſſe dominum aliorũ non æquè ſapientum: & D. Th. 1. p. q. 96. a. 4. docet in ſtatu innocentiæ futurum quoque fuiſſe dominiũ gubernationis, quo vnus alterum dirigit in bonum ipſius, qui dirigitur, vel ad bonum cõmunitatis. Quamuis itaque altera ſubiectio ſiue ſeruitus non congruit naturæ humanæ in primæuà integritate ſtanti, tamen naturæ peccatrici ſeu lapſæ non eſt incongrua: quia ſatis recto ordini conſentaneũ, vt quæ debitam ſeruitutẽ ſuo Creatori negauit, iam ſuo modo ſibi aliàs indebitam patiatur. Hinc D. Aug. lib. 19. de Ciuit. c. 15. ſcribit: Conditio quippe ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori: proinde nuſquam Scripturarum legimus ſeruum (inquit) antequam hoc vocabulo Noë iuſtus, peccatum filij vindicaret. Nomen itaque iſtud ſerui culpa meruit, non natura. Quod etiam docuit D. Ambr: lib. de Elia & ieiunio cap. 5.

DICO Tertiò: Dominiũ hominis in hominem non extendit ſe in vitã eius; adeò vt nec dominus illud habeat in vitã ſerui, nec Magiſtratus aut Princeps in vitam ſubditorum, neque aliquis in vitam ſuam propriam.

Probatur Primò: quia Exo. 21. declaratur dominus homicidij reus, qui ſeruũ occiderit: *Qui percuſſerit ſeruum vel ancillam virga* (inquit Script.) *& mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit*: atqui non foret reus criminis, ſi eſſet dominus vitæ ſerui vel ancillæ; ergò &c.

Probatur Secundò: quia dominiũ in vitam hominis, Scriptura paſſim Deo videtur facere proprium, Deut. 32. *Ego occidã, & ego viuere faciam*: Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatẽ*: & alibi ſimilia repetuntur; ergò &c. Idem docuerunt non tantùm Doctores Chriſtiani, ſed etiã Ethnici. Vnde Cicero de Seneɛt. refert Pythagorã dixiſſe, nemini fas eſſe abſq; iuſſu Imperatoris ſummi Dei, de præſidio & ſtatione vitæ diſcedere: quod & tradit Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 1.

Ratio fundamentalis eſſe videtur, quòd ſummus Imperator Deus, hoc dominium in vitam hominis ſibi ſoli reſeruare voluerit in quandam recognitionem, quòd ipſe ſit primum hominis principium & finis vltimus. Primum quidem principium, non tantùm vt cauſa vniuerſalis, ſed etiam vt particularis & propria: quia ipſe eſt qui animã rationalem per ſe creat, & corpori infundit: ſimiliter & finis vltimus, non quomodolibet, ſed ita, vt homo in nullius alterius creaturæ obſequium, ſed tantùm ad Deum, eiuſque cultum ſit creatus. Quare dominium in hominis vitã ſibi voluit omninò eſſe proprium.

Neque his obſtat, quòd Magiſtratus & Principes poſſint malefactores morti trade-

re, aut etiam in neceſſitate, vitam ſubditorũ periculis mortis exponere: quia id non faciunt, vt domini vitæ ſiue malefactorũ, ſiue ſubditorum; ſed partim tanquã miniſtri Dei, qui humanæ vitæ eſt dominus, & mandat Magiſtratibus, ne patiantur malefactores viuere, quod indicat Apoſt. ad Rom. 13. partim etiam tanquam cuſtodes totius corporis Reip. eiuſque tranquillitatis: quemadmodũ homo tanquã cuſtos corporis & vitę ſuę aliquando reſecat membrũ putridũ quod toti corpori interitũ cauſaret, & aliquando exponit partem etiã ſanam pro ſalute totius.

37 Dico Quartò: Nomen & fama hominis ſunt quoq; inter illa, quæ ſub ipſius cadunt dominiũ. Eſt contra Caiet. q. 73. art. 2. & in Summa V. Detractatio: qui putat hominem tantùm habere vſum famæ ſuæ, ſicuti vitæ: cùm enim fama ſit bonũ medium inter vitã & res externas, vult ille potiùs cũ vitâ cuius non ſumus domini, quàm cum rebus externis, eam eſſe connumerandã. Sed Concluſio eſt communis, Antonini 2. p. tit. 2. cap. 1. Adriani q. pen. de reſtit. Soto lib. 4. q. 2. a. 3. Couar. lib. 1. Var. Reſol. c. 2. Mald. c. 5. dub. 5. & indicat D. Th. infrà q. 73. a. 4 ad 1. vbi ſcribit, in hominis eſſe arbitrio, detrimentum famæ ſuæ pati, niſi vergat in periculum aliorum. Supponit igitur hominem eſſe dominum famæ ſuæ: non enim rectè diceretur eſſe ſimpliciter in arbitrio hominis pati detrimentum vitæ ſuæ, etiamſi id in aliorum detrimentum non cederet, idque quia non eſt vitæ ſuæ dominus.

Probatur Primò: quia poſt donũ vitę diuinitus acceptum, homo ſibi nomẽ & famam acquirit, ſicuti res temporales alias: idque per actus liberos doctrinæ, & virtutum, quorum ipſe quoque dominus eſt; ergò &c.

Probatur Secundò: quia ſi nõ eſſet famę ſuæ dominus, non poſſet eius ablationẽ condonare; nemo enim condonare poteſt reſtitutionem eius, quod non eſt ipſius: atqui apud omnes indubitatũ eſt, hominem poſſe condonare obligationem reparandi famam, quando ſaltem alij non ſentiunt inde incommodum; ergò &c.

Obijcitur Primò: Poteſt quis etiã condonare alteri mutilationẽ ſiue membri alicuius ablationẽ, nec tamen eius eſt dominus; ergò id nõ probat. Reſp. N. C. quia hoc fit ſolùm, eo quòd membrũ reſtitui non poſſit: ſi enim reſtitui, ſicuti fama, poſſet, haud dubiè non eſſet in poteſtate mutilati remittere reſtitutionẽ. Vnde nec propriè condonat reſtitutionem membri, quia cùm ſit naturaliter impoſſibilis, ad eam mutilator propriè non tenetur: ſed condonat ſatisfactionem alioquin debitã pro iniuriâ illatâ, & reparationem damni, quod ex mutilatione ſequitur.

Obijcitur Secundò: D. Aug. de bono viduitatis c. 22. dicit conſcientiam noſtrã eſſe neceſſariã nobis, famã proximis, ac proinde crudelem eſſe, qui famam negligit; ergò &c. Reſp. inde non aliud ſequi, quàm non licere prodigere famã, aut ſine iuſtâ aliquâ ratione eam negligere; ſed non inde conſequens eſſe, quòd nõ ſimus eius domini: quia neque bona externa licet prodigere, & principaliter quando illa proximis eſſent neceſſaria.

Contingit autem famã noſtram eſſe proximis neceſſariã tripliciter. 1. quia ſubinde ex noſtra fama pendet fama aliorũ, ſicuti ex fama Religioſi pendet fama Conuentus. 2. quia abſque bona fama non eſt quis idoneus ad præſtandum proximis officium, ad quod ſtricto iure illis obligatur, vt accidit in Epiſcopis, aut Parochis. 3. quando non quidẽ ex particulari officio, ſed tamẽ ex charitate quis tenetur proximo prodeſſe in aliquo, quod tamen infamia impediret. In duobus prioribus caſibus ex multorum opinione tenetur quis ex iuſtitia conſeruare famam, quia per eius neglectum alteri ſumus iniurioſi, aut debito fraudamus officio. In tertio autem caſu ſi quis negligeret, peccaret contra charitatem: ſicut peccat qui prodigit pecunias, quæ ſunt pauperibus ad eorum ſubleuandam miſeriam neceſſariæ.

DVBIVM XI.

Vtrum licitè & conuenienter fieri potuerit eorum, quæ ſub hominis dominiũ cadunt, partitio & dominorum diuiſio?

Notandum hîc eſt, Quędam ex ijs, quę ſub hominis cadunt dominium, eſſe 38
quaſi iure naturæ ſingulis propria, vt ſunt nomen & fama, actus noſtri liberi, & virtutũ habitus qui talibus actibus comparantur: quædam verò nõ ita, quia ſcilicet ius naturæ nihil eorum alicui particulari appropriauit, proprietatemve ſiue dominium attribuit, vt ſunt externa bona, quæ dicuntur fortunæ.

Quæſtio itaque mouetur de bonis poſterioris generis, eorumque partitione.

Reſpondetur: Poſt hominis lapſum & amiſſionem iuſtitię originalis nõ tantùm licitè, ſed etiã conuenienter ac humano generi vtiliter factę fuerunt eiuſmodi diuiſiones.

Prior pars probatur Primò: quia Scrip. ſacra multis locis indicat non eſſe homini illicitũ poſſidere aliqua proprio & particulari dominio. Nam in lege antiqua Patriarchæ habuerunt ſuas particulares poſſeſſiones, tã in terris, quàm in pecoribus: neque vſquam in eo reprehenduntur: quin etiam Deus illas adauxerit & multiplicauerit, ac loco premij quoque de talibus fecerit illis promiſſiones. Deinde Chriſtus in nouo Teſtamento non etiam mandauit fidelibus, vt ſua omnia dimitterent: quamuis id benè conſuluerit, & ſpe magnæ retributionis ad illud induxerit: vnde Matth. 19. adoleſcenti interroganti, quid

Digitized by Google

quid boni faciendo poſſet vitam æternam poſſidere, reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: quæ cùm ſe ſeruaſſe dixiſſet adoleſcens, addit Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*: vbi relinquere omnia ſua, Chriſtus non ad mandata, ſed ad ſtudium perfectionis refert.

Probatur Secundò: quia iam olim tamquàm hæretici ab Eccleſia fuerunt damnati, qui docebant hominẽ non poſſe ſaluari, niſi viueret inſtar Apoſtolorum nudus ab omni diuitiarum proprietate, qui dicti fuerunt Apoſtolici: de quibus videre licet Epiphan. hær. 61. & Aug. hær. 40. Eundem errorẽ videtur ſecutus Pelagius, vt colligi poteſt ex D. Aug. Ep. 106. quæ eſt ad Paulin. Wicleff quoque in Conc. Conſtant. damnatus eſt in eo, quòd diceret Clericos non poſſe habere aliqua propria: ſed omnia debere habere cõmunia; ergò partitio bonorũ, & dominiorũ diſcretio, quibus diuerſa diuerſis ſunt appropriata, non fuerunt nec ſunt illicita.

Probatur pars poſterior: quia ſi poſt amiſſam originalem iuſtitiam, remanſiſſent ſemper omnia cõmunia, iam tunc nata erant ſequi grauiſſima incommoda, ita vt moraliter vix potuiſſet humanum genus ſic ſubſiſtere. Primò, quia non reddit terra fructus ſuos hominum ſuſtentationi neceſſarios aut commodos, niſi in ſudore vultus laborantiũ & colentium eam: ſi autem omnia omnibus mãſiſſent communia, puta ſicuti terræ, ita & fructus, profectò futurum erat, quòd nulli laborare, aut terras excolere voluiſſet: quod namque hi ſeminaſſent, hoc alij voluiſſent metere. Quòd ſi fructus fuiſſent appropriati laborantibus, iam cœpiſſet rerũ diuiſio & diſtinctio dominiorum: ſed neque id amouiſſet omne incommodũ, partim quòd ſuborituræ fuiſſent multæ lites & iurgia, quis fertiliores coleret agros. Vnde Geneſ. 13. exortis ſimilibus contentionibus inter familiam Abrahæ & Lot, qui ſimul viuebant, res compoſita fuit, diuiſione regionis, quòd vnus vnam, & alter alteram partem poſſideret: partim etiam quòd facilè quiſque fructus vellet facere communes, ſicuti ipſæ terræ haberentur communes.

Deinde propter varias neceſſitates, & infirmitates, quibus humanũ genus poſt peccatum, ſubijcitur, opus eſt, vt varia ſint munia, alia ſublimiora, alia dimiſſiora, & magis quaſi contemptibilia, & nihilominus æquè aut magis cõmunitati neceſſaria. Vbi iterùm ſi feceris omnia omnibus hominibus cõmunia, nullus aut rarus inuenietur, qui abiectiores illas operas volet alijs præſtare, ſed omnes volẽt maximè honorifica officia ſubire.

Neque eadẽ hic poteſt obtendi ratio cum vita communi Religioſorũ, quaſi, quia hæc abſque iſtis incommodis tranſigitur, ideo etiam illa generalis vita cõmunis, & vniuerſalis communicatio eiuſmodi incommodis nõ eſſet futura obnoxia: longè enim diſpar eſt ratio, tum quòd ipſi ad grauiores labores poſſint & ſoleant etiam aliorũ ſeruitijs vti, quorum operas mercede conducunt, aut quibus ſua bona tradunt colenda; qui inde ſuum proprium quæſtum faciunt; vel ipſi ſuſtententur ex labore aliorum, colligentes aliquid de temporalibus eorum, quibus ſpiritualia ſeminant; quæ fieri non poſſent ſi omnes homines omnia in cõmuni poſſiderent: tum etiam quia Religioſi profitentur ſtudium perfectionis vitæ & omnium virtutum, & ſpecialiter volnutariæ paupertatis, & promptæ obedientiæ ſub ſuo Superiore. Vnde in communitate talium ſatis facilè ex directione & iuſſu Superioris poſſunt omnia ordinatè & cõmodè fieri, quæ ad communẽ conuictum & ad omnẽ vſum communitatis ſunt neceſſaria. Sed in toto humano genere, vbi pauci ſunt ſtudioſi virtutum, & præſertim obedientiæ & paupertatis, non poſſet abſque infinitis penè incommodis, generalis illa communio obſeruari: nam qui vix legibus & pœnis coërceri poſſunt, vt nunc abſtineant ab alienis, non facilè tunc ſeruarent modum in cõmunibus: & qui malunt ignauam & pauperẽ modò vitam ducere, quàm labore manuum ſibi neceſſaria conquirere, non facilè tunc inducerẽtur, vt pro cõmunibus neceſſitatibus laborarẽt, ſed vellent potiùs in alienis laboribus otiari & luxuriari.

Sed contrà obijcitur Primò Canon Dilectiſſimis, XII. quæſt. I. qui deſumptus eſt ex Epiſt. 5. Clementis, vbi dicitur, Communẽ vitam omnibus eſſe neceſſariam, ſed quòd cùm per iniquitatem, alius hoc ſuum eſſe diceret, & alius illud, ſic inter mortales rerum factam eſſe diuiſionem; ergò &c.

Reſpondetur Pontificẽ ſcribere ad fideles Ieroſolymitanos, qui tum erant vitam 4°
communẽ exemplo Apoſtolorum amplexati: vnde non vult eam ſimpliciter omnibus neceſſariam, ſed, vt addit, præſertim his qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumq; diſcipulorum imitari volunt. Commendat autem illam vitam ab hoc, quia ſi homo in ſua rectitudine perſtitiſſet, rerum omnium vſus omnibus fuiſſet communis: & propterea addit, quòd per iniquitatem, id eſt, occaſione peccati & amiſſæ iuſtitiæ originalis, factũ ſit, quòd homines cœperint diuiſim poſſidere bona, & quiſq; ſua habere propria. Quòd vero infrà dicitur in eodem Can. In omnibus autẽ, ſunt ſine dubio, & coniuges: quaſi & vxores fuiſſent communes, omninò ab aliquo malitioſè eſt inſertum, nec vllo modo ad textum pertinet: nam & Tertull. in Apolog. cap. 38. teſtatur Chriſtianis aliquando omnia indiſcreta fuiſſe, præter vxores. Gloſſa tamen

illud piè conatur interpretari, ſcilicet quòd coniuges debuiſſent eſſe communes, non quoad copulam, ſed quoad domeſtica & alia ſeruitia.

Obijcitur Secundò: Sancti PP. dicunt, neminem debere dicere: Hoc eſt meum, Hoc eſt mihi proprium; eò quòd omnia ſint communia, vt videre licet apud Ambroſ. in cap.12. Lucæ & Chryſoſt. Hom.10. in priorem Epiſt. ad Corinth.

Reſpondetur, Eos tantùm velle, quòd nemo poſſit res ita facere ſibi proprias, quin debeat paratus eſſe, quando fuerit neceſſitas, communicare illas cum alijs: quia non propter illum ſolum creatæ ſunt. Vnde & in neceſſitate omnia ſunt communia.

Ex dictis poteſt intelligi, quare in Concluſione poſitum ſit, poſt lapſum ſiue peccatum, & amiſſionem iuſtitię originalis: quia ſcilicet in ſtatu innocentiæ ſatis commodè manſiſſent indiuiſa rerum dominia: tum quòd rectitudo voluntatis ab omni cupiditate libera facilè in communi rerum vſu pacem conſeruaſſet, dum nullus quid ſuperfluũ appeteret, & quiſq; alijs neceſſaria abſque moleſtiâ communicaret: tum etiam quia vel nullo, vel ſaltem non laborioſo cultu terra indiguiſſet, ad hoc, vt abundè omnia ad vitæ humanæ ſuſtentationem neceſſaria produxiſſet: vnde & in eo ſtatu diuiſio dominiorum veriſimiliter fuiſſet prohibita, tamquam illi minùs congrua.

DVBIVM XII.

Quomodo & quo iure ſit facta prima rerum & dominiorum diuiſio?

41 DICO Primò: Illa diuiſio primùm facta fuit per rerum apprehenſionem ſiue occupationem. Nam inprimis prout ex filijs Adæ quiſque prior aliquam terrę partẽ, aut plagam ſibi occupabat, ſic illius acquirebat dominium: quod deinde poſt diluuium etiam inter filios ac poſteros Noë accedit, prę-ſertim poſt linguarum confuſionem. Deſumuntur hæc ſatis manifeſtè ex libro Geneſ. & notanter ex c.10. & 11. Nam c.10. recenſitis generationibus filiorum Noë, dicitur, quòd ab illis diuiſæ ſint inſulæ gentium in regionibus ſuis: & cap.11. *Celebremus nomen noſtrum, antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Quòd ſi forſitan plures ad eundem locum aſpirarent, vel dubium orirentur, quis prior occupaſſet, potuerunt eiuſmodi difficultates ſorte diremiſſe.

DICO Secundò: Iſta diuiſio non fuit facta iure naturali, neque etiam iure diuino: ſed humano, ſcilicet gentium. Deſumitur ex Can. Quo iure Diſt. 8.

Probatur prima pars: quia natura non fecit bonorum externorum diuiſionem, ſed reliquit omnia omnibus communia, quantũ ex parte ſua eſt, ſicuti antè diximus. Neque ſecundùm ſe ad illam inclinat, quin potiùs in oppoſitum, ſi de homine per ſe, vt recto creato & ante peccatum, loquamur. Vnde ſi homo in ſua rectitudine, in qua conditus erat, perſeueraſſet, non erat eiuſmodi diuiſio inducenda.

Probatur ſecunda pars: nam legitur quidem in Scripturâ ſacrâ Deus hominem cõſtituiſſe dominum harũ rerum inferiorum; ſed non legitur dediſſe mandatum de bonis & dominijs eorum inter homines diuidendis, vt habetur in d. Can. Quo iure. Neque etiam de tali mandato diuino extat vlla traditio, ergò &c. Neque refert, quòd legatur filijs Iſraël dediſſe ſpolia Ægyptiorum, & terram promiſſionis: quia iam tum diuiſio facta erat, atque adeò iſta iam ad certos & determinatos dominos pertinebãt, à quibus Deus pro ſuprema ſua poteſtate dominiũ abſtulit, & tranſtulit in filios Iſraël, non faciendo idcirco per hoc aliquam diuiſionem.

Sed Obijcitur contrà: Geneſ. c.11. de poſteris Noë dicitur: *Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras*; ergò &c. Reſp. Illic Deum dici diuiſiſſe eos in vniuerſas terras, non quòd ipſæ ſingulis ſuas partes attribuerit, aut ſuo præcepto eos ad diuerſa loca delegauerit: ſed quod ex Confuſione linguarum, quam inter illos ponebat, ita vt vnuſquiſque nõ amplius intelligeret proximum ſuum, acciderit, quòd deſinerent ab ædificatione turris, quam ad cœlum volebant perducere, & quòd ita ſinguli ad diuerſas terræ plagas, prout iam antè ire conſtituerant, ſeſe reciperent.

Probatur tertia pars ex Can. Ius gentium 42 Diſt. 1. vbi ad ius gentium refertur ſedium ſiue locorum habitationis occupatio: & ex l. Ex hoc iure D. De Iuſtitia & Iure: nam cùm homines ſpectatâ mortalium indole ac conditione, qui ſui nimis ſunt amantes, & alieni aut cõmunis negligentiores, multiſque paſſionibus ac cupiditatibus obnoxij, attenderent & obſeruarent, non poſſe ſine magno detrimento, & multis incommodis humani generis omnia omnibus relinqui cõmunia, hinc cõmuni iudicio, & cõſenſu in hoc conuenerunt, quòd ſeparationes tam quoad habitationem, quàm quoad terras & poſſeſſiones eſſent faciendæ, prout de facto ſe ſepararunt, & terrã quaſi diuiſerunt: ac primùm quidem diuerſæ eſſent quaſi familiæ, quæ paulatim veluti in regna excreuerunt. Vnde & in illis iam multiplicatis cœperunt etiam particulares ſubditi, aut ciues ſua particularia & propria habere dominia: in quorum diſtinctione de cętero multũ ſubſeruierunt Iura ciuilia. Atque ita generaliter de rerum diuiſione

Digitized by Google

diuiſione loquendo, dicitur illa etiã partim Iure ciuili facta:vt habetur Inſtit. de Rerum diuiſ. §. ſingulorum: vt propterea dixerit D.Auguſt. Tract.6. in Ioannem,& refertur Can. Quo iure ſuprà cit. quòd hæc villa ſit mea, & illa tua, eſſe ex iure Imperatorum, quia ſcilicet per contractus,aut alios modos iure Ciuili introductos, vel approbatos & cõfirmatos, hæc villa mihi, illa tibi obuenit.

Obijciet aliquis: Qui committit furtum, peccat contra ius naturæ; ergò videtur dominium rei ad ipſum particularem iure naturæ pertinere.

Reſp. Neg.Conſ.Non enim ideo furtum eſt contra ius naturæ, quia res illa ad alterum iure naturæ pertineat: ſed quia ratio naturalis dictat, nõ eſſe alteri auferendum quod ipſius eſt, quocumque iure ſiue naturæ,ſiue humano factum ſit ipſius. Sic contra ius naturæ peccat, qui alteri tollit vxorem ſuam, licet manifeſtum ſit, quòd hæc per electionem & liberum conſenſum ſit vxor eius, non autem ex attributione iuris naturæ: idque ideo, quia ius naturæ dictat & mandat vxorem proximi non eſſe violandam aut abducendam.

CAPVT QVARTVM,

De modis particularibus acquirendi dominium in res aliquas, quæ ſub nullius ſunt aut fuerunt dominio, aut ſi fuerint, iam eſſe deſierunt.

DVBIVM I.

Quibus modis acquiratur dominium in hominem priùs non ſeruum?

1 RESPONDETVR: Quatuor poſſunt aſſignari modi, quibus alicui obueniat dominiũ in hominẽ priùs nõ ſeruum.

Inprimis Titulo Natiuitatis, puta quòd proles naſcatur ex ea, quæ tibi eſt ancilla ſeu ſerua: hoc ipſo enim proles cedit tuo dominio, etiamſi pater prolis ſit homo liber, & proles legitima, quia partus ſequitur ventrem. Patet ex l. Partum: C. De rei vindicatione. Si tamẽ mater tempore conceptus, vel quo portauit prolem, fuerit libera tunc iure Cæſareo non contrahet proles ſeruitutem, vt habetur Inſtit. De ingenuis §. ſed & ſi quis.

Secundò, Obuenit dominium Titulo Emptionis & Venditionis, vt quando is qui liber eſt, vendit ſeipſum, vel à parentibus venditur alteri in ſeruum: poteſt enim homo liber validè & licitè,quando ſubeſt cauſa, ſeipſum vendere,aut etiam à parentibus vendi. Prius colligitur ex cap.21. Exodi, vbi conceditur ſeruo Hebræo, quando tempus libertatis eius aduenerit, quòd poſſit ſe domino tradere in ſeruũ perpetuum. Et cõfirmari poteſt exemplo S. Paulini,qui ſe in ſeruum vendi voluit,vt filiũ viduæ redimeret. Ratio reddi poteſt, quia homo eſt dominus ſuæ libertatis,& operarũ quas poteſt præſtare; ergò poteſt eorum dominium à ſe abdicare,& in alium transferre. Poſterius colligitur ſimiliter ex cit. cap. 21. Exodi, quia ibi leges præſcribuntur, quomodo debeant domini agere cum puella, quam pater vendidit in famulam ſiue ſeruam. Vnde ſupponitur id neq; iure naturæ, neq; diuino eſſe illicitum, aut prohibitum. Et ratio eſt, quia proles eſt fructus & veluti pars parentis quamdiu ſub patria eſt poteſtate. Quare parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta, quæ ipſa poſſet de ſe facere, ſi ſui iuris eſſet; atqui poſſet ſe vendere; ergò &c.

Sed Notandum, quòd in vtraque venditione,certæ requirantur de Iure cõditiones; idque in fauorem libertatis. Et quidem dum quis ſuâ venditur voluntate & authoritate,requiritur primò, quòd emptor putet eum eſſe ſeruum: vndè fit quòd non poſſit quis ſe vendere per ſeipſum: ſed neceſſe ſit, id fieri per alium. 2. requiritur, vt qui ſic ſe vendit, ſit maior viginti annis. 3. vt tam ipſe,quàm is per quem ſe vendit, ſciat eum eſſe liberum. 4. vt qui ita venditur, intendat eſſe particeps pretij, & de facto etiam ex illo participet. Vide Syluestrum V. Seruitus q. 3. & Tit. D. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Quando autem parens prolem vendit, requiritur 1. vt id fiat præ nimia paupertate, & victus causâ, vt habetur l. 2. C. De patribus qui filios diſtraxerunt. 2. vt per patrem fiat: quamuis enim ſtando in iure naturæ, id etiam matri liceret, tamẽ leges hoc ſoli patri concedunt. 3.vt proles,quę venditur,nõ ſit emancipata. 4. quòd ſic vendita proles poſſit ſe redimere & libertatem recuperare, pretio reſtituto, perinde ac ſi nunquam fuiſſet ſeruus. Vide l. 2. iam citatam, & Couarr. lib. 3. Var.Reſol.cap. 14.n.4. 2

Digitized by Google

Tertiò acquirit quis dominium Titulo & iure Belli, quod ſcilicet in bellis ſeruari ſolitum eſt, & communiter gentium conſuetudine receptum: quo conceditur facultas, vt, qui aliquem in bello iuſto capit, vindicet illum ſibi in ſeruũ, vt patet ex L. Hoſtes: D. De Captiuis. Quomodo tamen id locum non habeat inter Chriſtianos, dum inter ſe bellum gerunt, ſuprà in Tract. de Bello explicuimus.

Quartò efficitur quis ſeruus alterius per iuſtam condemnationem propter crimina: ſicut enim quis ad mortem, ita etiam ad ſeruitutem damnari poteſt. Ita qui arma, aut alias merces prohibitas deferunt ad Saracenos aut Turcas, ſicut & illi, qui in nauibus eorum piraticis curam gubernationis gerũt, efficiuntur ſerui Chriſtianorum, eos capientium, vt habetur Cap. Ita quorundam De Iudæis & Saracenis.

DVBIVM II.

Vtrum ſerui ita ſint adſtricti dominis ſuis, vt non liceat eis per fugam ſe ab illorum dominio eximere?

3 DICO Primò: Qui iniuſtè à dominis fuerint in ſeruitutẽ tracti, poſſunt per fugã ſe eximere: imò & vi repellere eos qui fugam conantur impedire. Eſt aſſertio hęc cõmunis & lumine naturali nota. Si enim mihi liceat ab hoſtibus recuperare res meas iniuſtè ablatas, & vi repellere volẽtes impedire, multò magis potero me ipſum iniquè abductũ & in ſeruitutem tractum, per fugam reſtituere libertati, etiam vi repellendo eos, qui me impedire volunt: imò tales poſſunt etiam à dominis ſurripere, quantum ſatis eſt ad compenſationem iniuriæ, & operæ pręſtitæ. Vbi tamen ſupponitur, quòd tali ſint loco, vbi via iuris non poſſint ſe liberare, neque compenſationem iuſtam obtinere.

Dico Secundò: Si dominus ſeruum incitet ad peccatum, & rogatus nolit ab incitatione importuna deſiſtere, licebit ſeruo fugere: ſimiliter quoque ſi dominus illum inhumaniter tractet. Prior pars probatur: quia non obligatur ſeruus cum periculo animæ ſuæ, quod illi dominus cauſat, apud dominum remanere: nam & coniunctiſſimi nobis ſunt deſerendi, ſi ſint nobis cauſa ſcandali & ruinæ, iuxta illud Chriſti: *Si oculus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.*

Probatur poſterior pars: quando dominus inhumaniter tractat ſeruum, (vt ſi fame, ſiti, frigore, aut verberibus ſine cauſa affligat) afficit eum iniuriâ, à qua ſe poteſt eximere & ſaluare per fugam, quando alia ratio non ſuppetit. Si tamen res & animus domini ſic mutarentur, vt non ſubeſſet ampliùs periculum ſimilium iniuriarum, teneretur ſeruus ad dominum redire, niſi fortaſſis iniuria quam eſſet perpeſſus, fuiſſet tanta, vt meritò iudicaretur libertate compenſanda.

Dico Tertiò: Si dominus ſit Iudæus, aut paganus, & fiat ſubditus Principi Chriſtiano, aut ſi dominus ſit hæreticus, hoc ipſo ſeruus Chriſtianus ſit liber: & proinde poteſt talem dominum deſerere. Patet ex l. Deo nobis 56. C. De Epiſc. & Clericis, vbi Iuſtinianus id expreſsè diſponit & ordinat. Colligi etiam poteſt ex Cap. vlt. De hæreticis, & ex Cap. 2. & vlt. De Iudæis & Saracenis. 4

Dico Quartò: Qui ſe ipſos vendi permiſerunt, aut qui per parentes legitimè venditi ſunt, fugere non poſſunt, niſi fortaſſis caſus ſecundæ aut tertiæ aſſertionis interueniret. Probatur: quia cùm ſint facti ſerui per legitimum contractum, in quem ipſi, aut parentes illorum vice & loco, iuſtè conſenſerint, omninò tenentur ſatisfacere contractui: nec poſſunt eum violare aut per fugam ſe ſurripere, non magis quàm res alias iuſtè venditas ab emptore auferre.

Dico Quintò: Qui in pœnam criminis eſt iuſtè ad ſeruitutem damnatus, non poteſt quoque fugere. Ita DD. videntur communiter tenere. Probatur: quia obligatur reus ſubire pœnam iuſtè illi impoſitam, ac proinde etiam iuſtam exequi ſententiam, ſi talis ſit vt non niſi per eum poſſit executioni mandari. Si tamen eſſet ſeruitus admodum acerba, non videtur improbabile, quòd liceret fugere oblatâ commodâ occaſione fugæ: quia lex poteſt videri minùs diſcreta, quæ diceretur obligare illũ ad ſpontaneam manſionem in tam acerba ſeruitute, quando occaſio ſe eximendi offertur: nam id videtur quaſi inſupportabile conditioni & fragilitati hominum.

Dico Sextò: Proles ex ſeruâ nata eandem ſubit rationem, quam mater. Vnde ſi mater ſeſe vendidit, aut à parentibus legitimè vendita eſt, vel ob crimen ſeruituti addicta, etiam proles non poteſt fugere. Hinc ſequitur eos, qui eiuſmodi ſeruis conſilium vel auxilium præbent ad fugam, peccare, & ad damni reſtitutionem, quantum ſeruus domino valebat, teneri. Imò Nauar. c. 17. n. 103. & alij quidam cum illo exiſtimant eiuſmodi conſultorem vel cooperatorem ad fugam, teneri quoque ad reſtitutionem eorum, quæ forſitan ſeruus iniuſtè à domino ſecum abſtuliſſet. Quod quidem omninò verùm eſt, ſi eiuſmodi ablationem ſuaſerit, aut ad eam fuerit cooperatus, vel præuiderit aut præuidere debuerit ſeruum fugitiuum

Digitized by Google

fugitiuum id facturum. Alioquin cùm eiuſmodi ablatio non habeat per ſe aliquam neceſſariam aut ordinariam cōnexionem cum fuga ſerui, non apparet quare ex conſilio ſolius fugæ, teneretur conſultor ad reparationem iniquæ ablationis per accidens & præter eius intentionem, coniunctæ cum fuga.

5 Dico Septimò: Serui bello capti poſſunt licitè fugere ad ſuos, ita tamen vt vim domino non inferant. Eſt contra Nauar. loco citato: ſed Concluſionem noſtram tradunt Dominicus Soto lib. 4. de Iuſtitia quæſt. 2. art. 2. Bannefius hîc quæſt. 40. art. 1. Dub. 13. Couarr. ad Regulam Peccatum p. 2. §. 11. n. 6. & lib. 1. Var. reſolut. cap. 2. n. 10. Mald. in 2. 2. quæſt. 40. art. 1. Dub. 7. & plures alij.

Probatur Primò ex Inſtit. De rerum diuiſione: §. Item ea quæ ex hoſtibus: vbi de ſeruis bello captis dicitur, eos, ſi euaſerint Heri poteſtatem, & ad ſuos reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recuperare. Idem indicatur l. Nihil intereſt D. De captiuis & poſtliminio reuerſis: Nihil intereſt, inquit lex, quomodo captiuus reuerſus ſit, vtrum dimiſſus, an vi & fallaciâ poteſtatem hoſtium euaſerit, ita tamen ſi ea mente venerit, vt non illò reuerteretur.

Probatur Secundò ratione: quia ſeruitus, iure belli contracta, non eſt ita vilis, vt cæteræ ſeruitutes; ergò non videtur ad eas anguſtias reſtringēda, quibus obnoxiæ ſunt ſeruitutes ex alijs titulis.

Probatur Tertiò: quia cùm hæc ſeruitus communi gentium conſenſu ſit introducta, non debet eius conditio magis onerari, quàm conſuetudine totius orbis eſt receptum: atqui conſuetudo videtur id obtinere apud omnes, quòd poſſint tales ſerui ſine conſcientiæ ſcrupulo ad ſuos fugere. Neque cenſeantur in eo aliquid illiciti facere, niſi fortaſſis fidem dederint de non fugiendo, & eâ lege peculiariter illis vita eſſet donata: tunc enim obligantur ſtare promiſſis.

Dixi, eos poſſe fugere ad ſuos: non enim licet eis fugere ad vagandum extra poteſtatem domini, ſed tantùm animo reuertendi ad ſuos: quia hæc fuga ſolū iure & conſuetudine ſeruis eſt conceſſa ad libertatem in termino recuperandam, id eſt, cùm ad ſuos vel ad ciuitatem amicam, vbi publico nomine tuti ſunt, peruenerint; vt habetur l. Poſtliminium D. De captiuis. Quòd ſi in via intercipiantur, reduci poſſunt: quia antequam peruenerint ad ſuos, nondum recuperarunt libertatem. Poſtquam autem peruenerint ad ſuos, ita efficiuntur liberi, vt, etiamſi redeant cauſa mercaturæ, vel ſimili occaſione, non poſſint à priori domino retrahi in ſeruitutem. Si autem fugiant, non animo redeundi ad ſuos, peccant, & ad dominum tenentur reuerti, vt docet Couarr. ſuprà: quia dominum priuant vſu ſui, dum adhuc ſunt ſub dominio eius, nec in via liberandi ſeſe per fugam iure permiſſam.

Addidi, etiam, ita vt domino vis non inferatur: quia etiamſi poſſit fugere ſeruus, non tamen ob hoc poteſt vim inferre: ſicuti reus poteſt fugere miniſtros iuſtitiæ, non tamen poteſt eis vim inferre. Quare ſi dominus illum intercipiat, antequam ad ſuos redierit, non poteſt ſe vi contra illū defendere, quia dominus ius habet illum detinendi: alioquin inutilis domino eſſet ſeruitus. Neque obſtat d. l. Nihil intereſt: quia illa loqui videtur de captiuo, qui nondum ad locum victoris deductus eſt, & in ſeruitutem redactus. Idem eſt iudicium de prole, ſi mater bello capta fuit: quia non eſt deterioris conditionis ſuo parente. Manet autem ius illud fugiendi, etſi ſæpiùs diuendatur: nam ſemper cenſetur ſeruus iure duntaxat belli, cuius primæuia ſeruitus ſic eſt conſtituta, etiamſi à domino decies venderetur.

Sed contra Concluſionē opponit Nauar. Can. Si quis ſeruum XVII. quæſt. 4. vbi Conc. Gandrenſe ſub anathemate prohibet, ne quis alieno ſeruo ſuadeat miniſterium domini ſui deſerere: quod etiam prohibetur Can. ſequenti, deſumpto ex Conc. Rom. ſub Martino I. ergò &c. Confirmatur ex l. 1. C. De ſeruis fugitiuis, vbi dicitur furtum ſui facere quicumque ſeruus fugitiuus: & l. 3. ſi in fuga deprehendatur, grauis pœna ei decernitur, ſcilicet amputatio pedis, aut damnatio ad metalla; ergò &c. 6

Reſp. Canonibus allegatis, tantùm prohiberi, ne quis ſub prætextu religionis ſeu libertatis Chriſtianæ, doceat ſeruos contemnere ſuos dominos, & eorum miniſteria deſerere. Vnde ad præſens propoſitum non faciunt.

Ad Confirmationem Reſpondetur, quòd lex 1. loquatur de illo, qui fugit ad alium dominum: lex autem 3. loquatur indiſtinctè de ſeruis, qui fugiebant præſertim ad barbaros, ſiue hoſtes imperij Romani. Quare meritò intelliguntur excepti ſerui in bello capti, qui fugiunt animo redeundi ad ſuos, vt ex alijs textibus citatis colligi poteſt. Quæ exceptio etiam poteſt intelligi in l. 1. quæ indiſtinctè loquitur: non autem de ſeruo in bello capto, cuius eſt ſpecialis ratio.

Obijcitur Secundò: Qui damnatus eſt exilio ad certum locum, non poteſt ex illo fugere: quandoquidem ergò ſeruus ille iure gentium damnatus ſit ad ſeruitutem, non poterit fugere. R. N. C. quia huiuſmodi ſeruus non eſt damnatus vt malefactor in iudicio: ſed modo quodam minùs ignominioſo. Vnde & ſeruitus illa non

Digitized by Google

habetur ita probroſa; ſed potiùs è contrà, ex iure gentium hoc priuilegium fugæ peculiariter cenſetur illi conceſſum.

Obijcitur Tertiò: Solent ſerui grauiter puniri, quando contingit eos à fuga retrahi; ergò non licuit eis fugere, alioquin iniuſtè punirentur. Reſpondetur primò: hîc dici poſſe dominos fortaſſis ſequi alteram opinionem, quæ tenet fugam etiam ſeruis iſtis eſſe illicitam: quæ non eſt improbabilis: quamuis hæc videatur verior. Reſpondetur ſecundò: Etiamſi dominus putaret fugā ſeruo licitam, nihilominus tamen poſſe ſeruum caſtigare non per modum punitionis propriè loquendo, ſed per modum cautelæ & repreſſionis, ne ſerui ſint tam faciles ad fugam: quod in gratiam dominorum poteſt dici ipſis eſſe conceſſum eodem iure, quo ſeruis permittitur fuga, ſcilicet cum tali onere & periculo, ſubeundi nimirum verbera, aut alias plagas ſi intercipiantur. Ita enim videtur communis ſenſus apud omnes nationes habere.

DVBIVM III.

Quomodo in animalia per venationem, piſcationem, aucupium acquiratur dominiū: & quæ ſic licitè poſſint occupari?

7 NOtandum eſt, Animalium quædam naturali indole eſſe manſueta, & domeſtica: quædam verò ſilueſtria, & vaga: Et ex his iterum, aliqua ſubinde arte & vſu eſſe manſuefacta, & eſſe quaſi domeſtica: alia autem retinere naturam ſilueſtrem. His præmiſſis

Dico Primò: Animalia naturâ manſueta & domeſtica, etiamſi dominorum manus aut poteſtatem longiùs euaſerint, non licet capere, neque fiunt capientis. Eiuſmodi ſunt oues, boues, equi, gallinæ domeſticæ &c. Probatur: quia licet aberrauerint aut fugerint, nihilominus adhuc manent ſub dominio ſui domini, vt patet Inſtit. De rerum diuiſ. §. gallinarum. Vnde vbicumque inuenta fuerint oberrantia, dominis ſuis ſunt reſtituenda: imò etſi à lupo aut vulpe capta fuerint, quidquid de illis ſupereſt, ad dominum pertinet.

Dico Secundò: Animalia fera, ſed vſu manſueta quæ conſuetudinem habent, vt ex libera vagatione redeant ad poteſtatem domini, ſimiliter non licet capere. Eiuſmodi ſunt aliquando cerui, aut cuniculi, qui domi nutriuntur, columbæ, & ſimilia. Patet Inſtit. tit. cit. §. pauonum. Vnde qui in ſuo columbario appoſitis illecebris, aliorum columbas eò traducit, tenetur ad reſtitutionem: Nauar. cap. 17. n. 127. & Medina C. De Reſtit. quæſt. 3. ſecus, ſi id abſque fraude accidat v. g. quia melius illas alit, aut commodiorem ſtationem aptauit, vt indicat Nauar. loco cit. & docent alij DD.

Dico Tertiò: Si hæc animalia amittant conſuetudinem redeundi, licebit poſtmodum illa occupare; & tranſeunt in dominium occupantis. Ita habetur Inſtit. ſuprà: & Ratio eſt, quia tum cenſentur ſe recepiſſe in naturalem libertatem, & non amplius eſſe ſub dominio prioris domini. Vnde ſi columbæ vnius aggregauerint ſe columbis alterius columbarij, & prætermiſerint conſuetudinem redeundi ad ſuum, fiunt alterius. Iuxta Nauar. autem c.17.n.128. & Silueſtrum V. Inuentum q.2. tunc cenſentur prætermiſiſſe, ſeu deſeruiſſe conſuetudinem, quando bis, terve non redierint temporibus conſuetis. Quod quidem vt in columbis poſſit admitti, non tamen in omnibus animalibus manſuefactis, talis determinatio dicenda erit habere locum, vt benè aduertit Molin. Tract.2. Diſp.41. nam v.g. continget ceruum manſuefactum aliquoties non redire ſpontè: ſed aberrare circa domum, ita vt facilè permittat ſe deduci, non debebit idcirco animal iſtud dici deſeruiſſe ſic conſuetudinem redeundi, vt iam cenſeatur naturali libertati reſtitutum, atque adeò eſſe nullius, & fieri occupantis. Quare iudicio prudentis eiuſmodi veniunt determinanda.

Dico Quartò: Animalia omninò ſilueſtria quæ à nemine fuerunt occupata, aut ſi fuerint, iam eius euaſerunt poteſtatem & iterum naturali libertati ſunt reſtituta, licet cuilibet capere; & occupando acquirit eorum dominiū. Ita DD. communiter & patet Inſtit. d. tit. De rerum diuiſ. §. feræ. Ratio eſt: quia cum naturæ auctor Deus tribuerit homini dominatum in beſtias terræ, volucres cœli, & piſces maris, non potuit Humanum genus circa acquiſitionem particularis dominij in eiuſmodi animalia vaga conſtituere aliquid aptius, quàm vt, dum aliter diuidi commodè nequeant, cederent illis, qui arte, aut viribus illa apprehenderent, & ſuæ ſubmitterent poteſtati. Vbi hoc aduertendum eſt, quòd qui ceperit eiuſmodi aliquod animal, tādiu ipſius illud cenſeri, quamdiu eius cuſtodiâ coërcetur: ſin autem ſe in naturalem libertatem receperit, tunc deſinere eſſe illius; & propterea antè diximus etiam animal tale fieri occupantis. Tunc verò naturalem cenſetur recepiſſe libertatem, quando oculos domini aufugerit, aut ita euaſerit ſi adhuc ſit in conſpectu, vt tamē difficilis iam ſit proſecutio. 8

Hinc

Digitized by Google

Hinc examen apũ cùm ſilueſtris ſit naturæ, ſi ita euolet, vt difficulter poſſis perſequi, poterit à quolibet apprehendi, quantumuis in fundo alterius, cuius ex arbore hæreret. Quemadmodum enim non ideo auis efficitur alicuius, quia ſedet aut nidificat in arbore eius, ſic nec apes, quia arbori adhærent. Poſſet tamen dominus fundi, quamdiu res eſt integra prohibere, ne alius fundum eius ingrediatur, vt ipſe ſic eum præueniat: ad cuius autem alueare inuolant, illius efficiuntur. Vide Inſtitut. loco cit. & l. 3. 4. 5. D. De rerum diuiſione: & l. 3. §. item feras D. De acquir. poſſeſſione: quibus locis iſta & ſimilia expreſsè habentur.

9 Petes Primò, Vtrùm fera à me vulnerata, & poſtea ab alio capta, ſit mea, an capientis? Reſpondetur, ex communi DD. ſententia, eam fieri capientis, non vulnerantis. Ita docet Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 13. & probat ex l. Naturalem 5. §. illud D. De acquir. rerum dominio. Quod tamen intellige, niſi ita eſſet vulnerata, vt, is qui eam vulnerauit, & adhuc inſequitur, certò ſit apprehenſurus: illis enim poſitis habet is ius propinquum ad feram, nec poteſt alius eum præuertere: ſecùs, quando dubium eſſet, an ille fuiſſet apprehenſurus, vel iam eam deſinit inſequi.

10 Petes Secundò, Vtrùm fera meo laqueo capta ſit mea, an alterius, qui fortè ſuperuenit, & eam è laqueo eximit? Couar. ſuprà & Nauar. cap. 17. n. 176. fauent eximenti niſi alicubi contraria ſit conſuetudo. Sed dicendum eſt, ſi fera inextricabiliter laqueo ſit intricata, vt luctando ſeſe eximere non valeat, tum non fieri eximentis, ſed eius, qui laqueum poſuit. Ita Mald. cap. 6. dub. 5. & Molina Tomo 1. Tract. 2. Diſp. 42. Colligitur ex l. In laqueum 55. D. De acquir. rerum dominio: quamuis alij ex illa lege nitantur contrarium confirmare. Sed declaratur, quia legis reſolutio eſt, vt, ſi aper in meam poteſtatem peruenerit (ſcilicet qui laqueum poſui) meus factus ſit; atqui dum fera inextricabiliter hæret in meo laqueo, iam peruenit in meam poteſtatem; ergò mea eſt. Confirmatur: quia ibidem lex ſtatim ſubiungit: Sin autem aprum meum factum in ſuam naturalem libertatẽ dimiſiſſes, eo facto meus eſſe deſijſſet: actionem verò mihi in factum dari oporteret. Vbi manifeſtè ſupponit lex, quòd dum aper meo laqueo, ſeu reti ſic inhæret, vt ab eo nequeat ſe expedire, iam veniſſe in meam poteſtatem qui laqueum tetendi, atque adeò factum eſſe meum: qui tamen deſinit eſſe meus, ſi quis ſuperueniens dimittat illũ in ſuam naturalem libertatem: contra cuius tamen factum datur mihi actio, ſicuti ibidẽ lex habet: quare tenetur mihi de valore feræ: ſi verò abſtulerit ad eius reſtitutionem.

Dixi, ſi inextricabiliter laqueo meo ſit intricata: nam ſi erat ſeſe expeditura à laqueo, niſi ſuperueniens eam apprehendiſſet, non cenſebitur adhuc perueniſſe vnquam in poteſtatẽ meam plenè, qui laqueũ tetendi. Quod & lex ſatis indicat, nam duos illos modos expreſsè diſtinguit. Quare tunc, quando ſcilicet euaſura aliàs erat, fieret ipſius eximentis ſiue apprehendentis eam. 11

Neque hîc eadem eſt ratio de aue mea cuſtodiæ ſeu caueæ alicui incluſa, quæ forſitan euolatura erat, niſi ſuperueniens illam apprehendiſſet, quæ haud dubiè non idcirco efficitur ipſius apprehendentis, ſed mihi reſtituenda eſt: quia hæc plenè & perfectè à me fuit apprehenſa, & totaliter ſub meo dominio, quamuis nunc forſitan ab eo ſe exemiſſet, quod tamen nondum fecerat: ſed fera quę non eſt inextricabiliter in meo laqueo, non fuit, neque eſt abſolutè ſub mea poteſtate, aut dominio. Ratio igitur aſſertionis, & legis allegatæ eſt: quia dum laqueo meo inextricabiliter inhæret, cenſetur à me apprehenſa; & naturalem libertatem amiſiſſe, atque ita per primam occupationem fuiſſe facta mea: neque enim tantum manibus immediatè, ſed etiam inſtrumentis poſſumus rem apprehendere & occupare.

Aduertendum verò hîc eſt, Quòd, ſi poſueris laqueum in fundo alterius contra eius prohibitionem, & is ſuperueniens feram relaxet, ad nihil tibi teneatur. Ratio eſt, quia ius habet amouendi laqueum à ſuo fundo: neq; vt tibi ſeruetur fera, obligatus eſt laqueũ ibi relinquere. Si autẽ ſibi tollat, dè iure cõmuni tenebitur reddere, vt poteſt colligi ex d. l. In laqueum: quia eſt ipſius, quamdiu non redijt ad naturalem libertatẽ iuxta antè dicta. Poterit tamen is, cuius eſt fundus, deducere damnum ſi quod ſit perpeſſus. Vide Mald. loco ſuprà cit. & Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 4. & 5. Quod ſi fera, quam perſequor, incidat in laqueum ab altero poſitum, habebit vterque ius eam occupandi: ille, quia laqueo eius tenetur; ego autem, quia meâ operâ in laqueum incidit: niſi enim excitaſſem, non incidiſſet. Quare illius efit, qui primò eam occupabit. 12

Quod de laqueo diximus, etiam locum habet in naſsâ piſcibus capiendis in flumine extenſâ, ſcilicet quòd piſces illi inuoluti ſint eius, qui naſſam expoſuit. Quare ſi aliquis ſuperueniens naſſam leuauerit, & piſces exemerit, tenebitur alteri ad reſtitutionem. Quòd ſi naſſam ſimul abſtulerit, & alibi in flumine expoſuerit, tenebitur haud dubiè ad reſtitutionem naſſæ: ſed tamen piſces ſecundâ vice capti erunt ipſius, ſi prior extraxerit: quia licet inſtrumento alterius, tamen huius operâ & induſtriâ,

qui illam

qui illam ſuo nomine poſuit, capti ſunt. Erunt verò alterius, ſi ille inuenerit, & priùs extraxerit, quia eius inſtrumento capti; hoc enim æquitati videtur maximè conſentaneum.

DVBIVM IV.

Vtrum aliquis poßit in fundo aut ſaltu alieno venari?

13 RESPONDETVR: Stando in Iure naturæ poſſe: modò non ſint loca ſic concluſa, vt non valeant feræ egredi. Ratio eſt, quia feræ, quæ ſunt forte fortunâ in fundo alterius, non cenſentur fructus fundi, neque ad fundum aut dominium fundi pertinere, vt tradit Couar. loco citato. Debet tamen iſta venatio fieri abſque damno domini fundi, & ſi inferatur ſiue per ſegetum aut ſepum conculcationem, ſiue per foſſarum deiectionem, ſiue alio modo, debet illud reparari ab ijs qui inferunt, vt tradunt paſſim DD. Silueſter V. Venatio, & eodem V. Angelus & Caietanus, item Nauar. cap.17.n.125. cum alijs. Dixi, ſtando, in Iure naturæ: quia poteſt quilibet venandi ius in ſuis prædijs ſibi ſeruare, & alijs prohibere, ne ibi venentur, vt patet ex §.Feræ Inſtit. De rerum diuiſione, atque ita fiet extraneis illicita: feræ tamen captæ fierent venantis, vt antè diximus, & docet Couar. d. loco. Quòd ſi verò dominus ipſe nolit ibi venari, & multiplicarentur feræ illis in locis cum aliorum detrimento, tunc eiuſmodi prohibitio foret irrationabilis, & eo nomine poſſet negligi: imò dominus teneretur alijs ad reſtitutionem damnorum, quę exinde eſſent perpeſſi, quia cenſeretur cauſa per irrationabilem ſuam prohibitionem.

DVBIVM V.

Vtrum Principes prohibere poßint venationem, aucupium, piſcationem in locis publici iuris?

14 DE hac quæſtione fusè tractat Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 1. vbi multos refert, qui tenent Principes non poſſe iſta prohibere, eò quòd iure naturæ vel gentium eiuſmodi venationes ſint licitæ: quod ius non videtur Princeps poſſe tollere. Ita ſentiunt Hoſtienſis, Decius, Tiraquell. Iaſon & alij. Couar. tamen docet contrarium, pro ſe adducens multos etiam Iuriſperitos: ex Theologis autem cum eo tenent Caietan. tract. 17. opuſculo 1. cap. 12. Medina Codice de reſtitutione qu. 12. Dominicus Sotò lib. 4. de Iuſtitia quæſt.6. art.4. & alij communiter. Vnde

RESPONDEO & DICO Primo: Principes poſſunt prohibere iſtas venationes ſiue interceptiones animalium in locis publicis de conſenſu populi, ſiue gratis, ſiue per aliquem contractum is præſtetur. Conſtat, quia populus poteſt cedere iuri ſuo ad res externas etiam illi quod communis gentium conſenſus, aut natura illis concedit.

DICO Secundò: Similiter poſſunt Principes prohibere, ſi iudicetur id neceſſarium ad Reipub. onera ſuſtinenda, v. g. vt elocetur ius illud, & inde conflentur pecuniæ quæ ad Principis, aut reipubl. onera ſunt neceſſariæ. Ita quoque poſſunt prohibere venationem pro certis temporibus, vt dum niues iacent, vel animalia fœta ſunt, ne ſcilicet nimium deſtruatur, vel quaſi extirpentur cum communi intereſſe & detrimẽto. Sic etiam prohibere poſſunt, ne certis inſtrumentis, vt ſclopetis, aut infectione fluminis animalia eiuſmodi capiantur, quia iſta ſeruiunt bono communi: quæ omnia naturali ratione per ſe ſunt euidentia.

Sed difficultas principalis eſt, Vtrũ Principes poſſint ſibi ad ſolam recreationẽ ſine conſenſu populi reſeruare ius illud? Vnde 15

DICO Tertiò: Poſſunt Principes quoq; ad ſolam recreationem ſibi reſeruare ius venandi in quibuſdam locis etiam abſq; conſenſu populi. Ita Couar. & D. Soto ſuprà & recentiores communiter. Ratio autem hæc eſt, quia Princeps cùm laborat pro Republ. poteſt aliqua loca communia ſuæ recreationi deputare ac reſeruare, cùm & hoc pertineat quoque ad Principis dignitatem. Dixi, in quibuſdam locis; quia non videtur poſſe populum ab omnibus locis publicis excludere, & ſibi totam venationem reſeruare, niſi fortaſſis eâ de cauſâ aliquid remitteret de tributis ſibi debitis, vel aliter compenſet: alioquin enim nimis id foret inhumanum, & quaſi tyrannidem ſapiens, vt notat Medina ſuprà: nam ſine iuſta ratione priuaret omnem populum omni vtilitate, & oblectamento venationis, quæ tamen iure naturali & gentium illi eſt permiſſa.

Obſeruandum nihilominus eſt, Quòd ſicuti Princeps ſibi aliqua poteſt reſeruare loca, ſic quoque aliquibus perſonis de Rep. benè meritis, poteſt appropriare ius venãdi aut piſcandi in quibuſdam locis, alioquin communibus; ſic tamen, vt populus inde nõ nimium grauetur, & ſuâ priuetur commoditate. Ita videmus quibuſdam nobilibus, ac Monaſterijs eiuſmodi priuilegia eſſe cõceſſa.

Obſeruandum Secundò, Etiam conſuetudine legitimè preſcriptâ poſſe huiuſmodi ius acquiri, tum Principi, tum alijs vt docent Medina & Couarruuias ſuprà: nam

eiuſmodi

Digitized by Google

eiuſmodi conſuetudo obtinet vim legis & priuilegij. Verùm aduertendum omninò eſt, ne talis conſuetudo malo titulo ſit vſurpata, vt monet Couar. n. 10.

Obſeruandum Tertiò, Principes, qui ſibi aliquod ius tale reſeruant, obligari ad præcauenda damna, quæ poſſent feræ inferre agris vicinorum: quòd ſi inferant, teneri eos ad reſtitutionem. Neque hîc ſatis eſt, ſi dicant ſe habere propoſitum reſarciendi damna quæ inferuntur, ſed debent etiam ſufficienter aduigilare & cauere, ne inferantur, vt notat Nauar. cap. 17. n. 123. aliud enim peccatum eſt inferre damnum per ſe vel per alium, aliud nolle compenſare illatū. Sed hæc parui pendere ſolent multi, ſicut & alias oppreſſiones grauiores, proh dolor: nec recogitant, quod aliquando *ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.* Sap. cap. 5.

DVBIVM VI.

Qualiter peccet, qui contra iuſtam prohibitionem venatur, piſcatur vel aucupium exercet: & an ad reſtitutionem aliquam teneatur, & quomodo puniri poſſit?

16 NOtat Couar. loco cit. quatuor ex cauſis contingere venationem eſſe interdictam. In primis, ratione Status perſonæ: quo modo eſt prohibita Clericis, & magis Monachis, potiſſimùm illa quæ fit cum magno ſtrepitu canum, aut vi armorum, vt patet ex Cap. 1. De Clerico venatore. Quieta tamen & rara non videtur omninò Eccleſiaſticis prohibita, vt docent Medina C. De reſtitutione quæſt. 12. Silueſter V. Venatio, & Panormit. ad d. Cap. 1. Mald. ſuprà dub. 9. & alij: ſiue fiat neceſſitatis, ſiue exercitij, ſiue moderatæ recreationis causâ. Secundò, ratione Temporis, vt diebus feſtis, & ieiunij, vt indicatur Can. an putatis 13. Diſt. 86. Quam tamen prohibitionem modificatè eſſe intelligendam ſignificat Nauar. c. 13. n. 11. ne ſcilicet ratione venationis omittatur ſacrum aut violetur ieiunium: alioquin non eſſe ſimpliciter iſtis diebus venationem prohibitam. In maximis tamen feſtis, & quibuſdam ieiunijs videtur ipſa ſanctitas myſteriorum quæ recoluntur, inducere prohibitionem ob nimiam animi & corporis occupationem, quam venatio cauſat, licet opus ſeruile non cenſeatur. Tertiò, ratione Publicæ vtilitatis: quomodo diximus prohiberi poſſe venationem pro tempore, quo niues iacent, aut ferę ſunt fœtæ: item ne fiat certis inſtrumentis. Quartò, ratione Loci, vt quia iuſtè Princeps ſibi reſeruauit, & alijs interdixit: item ſi quis priuatus ſibi ius venandi in ſuis fundis & ſyluis reſeruauerit. His præmiſſis

Dico Primò: Clerici, præſertim in altiori aliquo ordine conſtituti, frequenter incumbentes venationibus cum ſtrepitu, aut vi armorum, non videntur à mortali peccato excuſandi. Probatur ex d. Cap. De Clerico venatore, vbi Epiſcopus, qui crebrò talibus venationibus dat operam, iubetur ſuſpendi tribus menſibus a communione, Presbyter verò duobus, Diaconus autem ab officio: atqui pœnæ iſtæ videntur maiores, quàm vt pro ſolo veniali peccato imponantur; ergò &c. Si qui tamen Clerici rariùs, & non ex conſuetudine, ſed quaſi ex accidente, aliquando ſic venationem inſtituerent, videbitur dicendum, quòd venialiter tantùm peccent, modò ſcandalum abſit, & periculum homicidij vel mutilationis: ita Medina & Sylueſter ſuprà, cum pleriſque alijs: quia pœnæ conſtituuntur in iure ijs, qui crebrò dant operam iſtis venationibus, & quaſi ordinariam faciunt ſic venandi profeſſionem. 17

Dico Secundò: Qui diebus indebitis venantur, niſi ſacrum omittant aut ieiunium violent, tantùm videntur peccare venialiter, modò fiat ſine ſcandalo: quod maximis feſtis vix poteſt abeſſe. Ratio reddi poteſt, quia venatio non cenſetur opus ſeruile, neque extat grauior aliqua prohibitio, vt ſimpliciter non fiat feſtis diebus.

Dico Tertiò: Quando venatio eſt prohibita ratione vtilitatis publicę, erit peccatum mortale contrà facere, ſi vel reipsâ per id cauſetur Reipub. notabile damnum, vt ſi quis plurimam ſobolem ferinam extingueret: aut ſi modus venandi cenſeatur notabiliter pernitioſus quo vtitur, qui ideo ſub graui pœna ſit prohibitus, vt ſi quis per infectionem fluminis piſces capere ſtudeat. Si verò neutrum iſtorum concurrat, videbitur tantùm eſſe peccatum veniale. Ita Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 8. Prior pars per ſe euidens eſt: neque enim poteſt quis graue damnum, vel iniuriam Reipub. inferre abſque peccato mortali. Vti autem venatione contra legis mandatum non cenſetur per ſe grauis iniuria, aut læſio reipub. niſi aliunde accedant circumſtantiæ aggrauantes, quandoquidem iure gentium liceat occupare, quæ nullius ſunt.

Dico Quartò: Qui venatur in ſaltu aut fundo alterius, domino inuito, peccat pro ratione iniuriæ aut damni illati: quæ ſi exigua ſint, nō incurret niſi veniale peccatū.

Dico Quintò: Ita quoque qui venatur in locis publici iuris, ſed iuſtâ de cauſâ Principi aut alijs reſeruatis, non peccat niſi

Digitized by Google

niſi venialiter: niſi tamen graue damnum inferret, vt ſi pretioſiores & rariores feras caperet, aut notabiliter minueret numerum ferarum, vel faceret eas fugaciores; vnde contingeret, quod domini non poſſent feras capere, ſicuti ſolent.

Probatur: quia leges prohibentes venationem in talibus locis, etiamſi pœnam appoſitam habeant, tamen communi iudicio non cenſentur grauem inducere obligationem conſcientiæ: nam animalia ſunt nullius, & loca ex ſe communia, & de reliquo non eſt notabilis læſio illorum, quibus loca reſeruata ſunt, prout in Concluſione excipimus. Quare rationi conſonum eſt, vt reſeruatio iſta per Principem facta non tam grauiter accipiatur, vt ſub mortali obliget.

18 Dico Sextò: Qui venantur contra prohibitionem ratione ſtatus vel temporis non tenentur ad aliquam reſtitutionem eâ de cauſa. Patet, quia conditio perſonæ, vel temporis non facit venationis actum iniuſtũ, aut alteri iniurioſum: & proinde non cauſat obligationem ad aliquid reſtituendum.

Dico Septimò: Qui venantur contra prohibitionem ratione publicæ vtilitatis, non tenentur quoque in foro conſcientiæ ad reſtitutionem animalium, quæ fortaſſis ceperint. Ita Couar. ſuprà cum alijs. Declaratur, quia feræ quamdiu ſunt in ſua naturali libertate, ſunt nullius, etiam ſtante illâ prohibitione. Quare licet prohibitio contrariam actionem faciat illicitam, non tamen facit illam iniuſtam præcisè ratione apprehenſionis eiuſmodi animalium. Si tamen vterentur modis venandi pernitioſis, aut damnum notabile inferrent, extinguendo plurimam ſobolem ferinam, vel alio modo, tunc tenebuntur Reipub. aut communitati quæ ius venandi habet, ad reſtitutionem in tantum, quãtum cenſentur ius illud læſiſſe, & ſpem capturæ atque oblectamentum abſtuliſſe, vt ſcilicet tantum debeant reddere, quantum ſpes illa & oblectamentum aliorum iudicantur valere.

19 Dico Octauo: Similiter, qui in alieno fundo venantur, inuito domino, non tenentur ad reſtitutionẽ animalium quæ capiunt: tenentur tamen ad reparationem damnorũ, ſi quæ inferant. Ita docent Couar. ſuprà n. 4. & Med. quæſt. 12. cum alijs contra Ioan. Fabr. & alios, quos Couar. ibidem refert. Ratio eſt, quia animalia illa ſilueſtria & vaga neque per ſe ſunt iſtius domini, neque ſunt fructus fundi, vt illius ratione debeant dici pertinere ad dominum; ergò fiunt primò occupantis. Vnde licet fundi non alium haberent vſum, quàm quòd venationibus ſint commodi, ipſaque venatio eſſet alteri elocata, non tamen ideo animalia fiunt conductoris, aut domini, quamdiu naturali fruuntur libertate; ſed dominus aut conductor fundi ſolum ius venandi illic habet: quod ius ad fructus fundi poteſt dici pertinere. Si quis tamen alius caperet ibi feras, quas veriſimiliter dominus capturus erat, aut ita minueret feras vel abigeret, vt dominus aut conductor non poſſit more conſueto feras capere, teneretur ad reparationem illius damni. Similiter ſi ius venandi, quod elocari ſolet, redderet inutile, aut minoris æſtimationis, quàm eſſe ſolet. Quòd ſi loca ſint concluſa, ita vt animalia egredi non poſſint, & in talibus quis extraneus venaretur; tenebitur ad animalium reſtitutionem, vt ſuprà indicauimus: quia hæc ſunt ipſius domini, qui illa ibi primitus conſtituit, vel ſaltem concludendo in ſuam redegit poteſtatem. Ponit tamen Couar. n. 15. exceptionem, niſi locus eſſet tam vaſtus, vt non minùs difficulter ibi capi poſſint, quàm ſi in apertis ſiluis vagarentur.

Dico Nonò: Similiter qui venantur in locis publici iuris, reſeruatis Principi vel alijs, non tenentur ad reſtitutionem animalium quæ ceperunt: ſed ad reparationem damni, quatenus ſuis venationibus cenſentur damnificaſſe Principem vel illos quibus ius venandi in talibus locis eſt reſeruatũ. Sequitur ex dictis, & tenent DD. citati.

Notat tamen Med. poſſe venatorem etiam à tali reſtitutione in ordine ad Principem excuſari, eò quòd Principes non ſoleant talem reſtitutionem curare, ſed illis ſufficiat quod deprehenſi luant pœnas.

Dico Decimò: Pœna, quæ conſtituitur contra venatores in locis prohibitis 20
quæ alioquin ſunt publici Iuris, non debet eſſe corporalis, v. g. mutulatio, aut flagellatio, ſed pecuniaria. Ita tradunt Silueſter V. Venatio, Nauar. cap. 17. n. 121. & alij communiter. Ratio eſt, quia eiuſmodi venatio non cenſetur in repub. graue crimen, etiamſi quoque notabiliter per eam eſſet commoditas venandi impedita pro illis, quibus ius venandi ibi reſeruatur. Qui tamen modis illicitis & pernitioſis incumberent animalibus capiendis, vt per fluminis infectionem, aut per artes magicas, poſſent etiam in corpore puniri ſecundùm rationem delicti.

DVBIVM VII.

Vtrum vena metallica: vt auri, argenti, cupri, ſtanni ſint inuẽtoris & primò occupantis? an domini fundi aut Principis?

Dico Primò: Sepoſitis iuribus poſitiuis non videntur eiuſmodi venæ re- 21
ferendæ inter res quæ nullius ſunt, quæque fiunt

ſunt primò occupantis, ſed potiùs cenſendæ ſunt pertinere ad dominum fundi. Ita docent Molina Tom. 1. tract. 2. Diſp. 54. & Malderus cap. 5. dub. 10. contra Dom. Soto lib. 5. quæſt. 3. art. 3. ad 2. qui exiſtimat ſecundùm iudicium iuris naturalis eas eſſe nullius. Sed Probatur: quia venæ iſtæ ſunt quædam pars fundi naturaliter ei agnata, aut fructus naturaliter ſuccreſcens multùm diuerſæ rationis à feris, quæ per fundum tantummodò vagantur; ergò dicendum videtur, quòd, ſepoſitis alijs iuribus, pertineant ad dominum fundi. Confirmatur à ſimili: quia lapicidinæ, fodinæ carbonariæ, cretariæ cenſentur partes fundi, & ad dominum fundi pertinere, quia leges aliud non ſtatuerunt; ergò eodem modo & de venis metallicis naturaliter iudicandum eſſet.

Dico Secundò: Iure tamen communi, vel particularium Regnorum factum eſt, quod venæ iſtæ metallicæ regulariter cenſeantur eſſe nullius, antequam inueniantur. Tenent communiter DD. Mald. & Molina ſup. Ratio auté quare Principes ſiue legiſlatores rationabiliter potuerunt ita ſtatuere, reddi poteſt, tum quòd conſiderauerint venas illas eſſe tanti momenti & pretij, vt, licet naturaliter ſint pars agnata fundi, tamen meritò ſecundùm moralem æſtimationem non debeant cenſeri tamquam acceſſorium vilis alicuius agelli, iuxta illud, quod in §. Literæ: Inſtit. De rerum diuiſione dicitur, eſſe ridiculum, quod pictura Apellis vel Parrhaſij cederet in acceſſionem viliſſimæ tabulæ: tum quòd metalla illa præſertim aurum & argentum, videantur ab ipſa natura magis ordinata & producta ad neceſſitatem publici vſus, quàm in gratiam priuatorum. Accedit, quòd venæ illæ ſint rariſſimæ & admodum difficilis inuentionis, propter quod potuit Reſpub. cum ratione ſic reſtringere priuata dominia, vt eiuſmodi venæ cenſeantur exemptæ.

22 Hinc ſequitur, ſi quis eiuſmodi venam reperiret etiam in fundo alterius, & aliquam maſſam auri vel argenti extraheret, fieri ipſius: nec teneri domino ad reſtitutionem auri eruti, ſed ad reparationem damni duntaxat, ſi quod fundo intuliſſet. Si tamen ex lege prouinciæ competeret Principi aliqua certa pars, illam teneretur Principi dare.

Dico Tertiò: Ius tamen effodiendi ad quærendas eiuſmodi venas ita pertinet ad dominum fundi, vt nemo priuatus poſſit illo inuito ibi fodere, & venas illas quærere: ſicut diximus, quòd nec poſſit alius ibi venari, quando id dominus fundi prohibet. Poteſt tamen id Princeps, & quiuis ex authoritate & commiſſione Principis, modò reſarciatur damnum quod infertur fundo. Conſtat ex communi vſu & ordinationibus Principum, quæ ob cauſas antè allegatas cenſentur rationabiles, & æquæ.

Dico Quartò: Quando eiuſmodi venę fuerint inuentæ, eæ ſunt inuentoris aut Principis in ſolidum vel diuiſim, prout habuerit lex vel conſuetudo Regni aut Prouinciæ: æquitas tamen videtur poſtulare, vt habeatur quoque ratio domini fundi, præſertim ſi certò aut probabiliter ipſe erat eam inuenturus. Quod verò attinet ad lapillos, gemmas, corallium, & ſimilia, quæ in littore maris aut in promontorijs inueniri ſolent, cenſentur iſta nullius, & fieri colligentis, vt conſtat ex Inſtit. §. Lapilli De rerum diuiſione.

DVBIVM VIII.

Cui cedere debeat theſaurus inuentus?

Theſaurus, de quo hîc proponitur quęſtio, rectè definitur eſſe vetus quędam depoſitio pecuniæ, cuius nō extat memoria, vt iam dominum non habeat: vt tradit Couar. p. 3. ad Reg. Peccatum §. 2. n. 1. ex l. Nunquam §. Theſaurus: D. De acquir. rerū dom. Vbi pecuniæ nomine cōprehenduntur quæuis opes mobiles, vt ſunt gemmæ, catenæ, vaſa aurea & argentea, & ſimilia: prout colligi poteſt ex l. Nemo: C. De theſauris. 23

Respondeo itaque & Dico Primò: Si quis inueniat theſaurum in ſuo proprio fundo, ſiue fortuitò: ſiue de induſtriâ illum quęſierit, abſque malâ tamē arte, fit totus inuentoris. Conſtat ex Inſtit. De rerum diuiſione §. Theſauros: & ex cit. l. Nemo: quod & Gloſſa in Can. Si quid 6. xvi. quæſt. 5. tradit: & ita docet Couar. ſuprà n. 2. cum alijs pluribus, quos citat. Dixi, abſque mala tamen arte: quia ſi per magiam reperiatur, adiudicatur fiſco, vt communiter tradunt DD. ex eadem l. Nemo. Circa quod tamen

Notandum Primò, Inuentorem talem non obligari illum tradere, antequam à Iudice compellatur, vt docet Nauar. cap. 17. n. 178. Mald. ſuprà & alij, quia lex iſta pro ea parte pœnalis eſt, & quidem ſententię ferendæ, non latæ: dicit enim tantum Imperator, ſe cuique in ſuis locis tribuere facultatem quærendi theſaurum, & inuento fruendi: dummodò ſine ſceleratis & puniendis ſacrificijs, aut aliâ qualibet arte legibus odioſâ quærat. Vbi nullum eſt verbum, quod ipſo facto talem inuentorem priuet inuentis.

Notandum Secundò, Si in fundo alieno per malam artem inuentus ſit theſauris, tunc eſſe fiſco tantum adiudicandum pro ea parte, quæ fuiſſet inuentoris: nam dominus ob

maleficium alterius non videtur puniendus, niſi forſitan in illud conſenſiſſet, vt per talem artem ex eius fundo erueretur.

DICO Secundò: Si duo ſint domini
24 alicuius fundi, vnus qui habeat dominium directum, & alter qui habeat vtile, ſi vnus inuenerit theſaurũ, is retentâ ſibi tamquam inuentori vnâ medietate, reliquam medietatẽ æqualiter diuidet cum altero domino. Ita communiter Doctores, & ſequitur ex principijs poſitis.

DICO Tertiò: Si in fundo alieno quis fortuitò reperiat theſaurum, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini fũndi. Ita D. Th. quæſt. 66. art. 5. ad 2. & conſtat ex iuribus citatis. Quod etiam locum habet, ſi vſufructuarius in fundo, cuius tantùm habet vſumfructum, vel maritus in fundo dotali ſic theſaurum repererit, vt colligitur ex l. Fructus D. Soluto matrimonio: eſtque medietas danda proprietario fundi in foro conſcientiæ, etiam ante exactionem vel ſententiam iudicis: quia iſta diſpoſitio iuris non eſt pænalis, ſed definitiua proprietatis rerum, quid cuique competat, vt benè obſeruauit Nauar. c. 17. n. 178. & Caietan. infrà quæſt. 66. art. 5.

DICO Quartò: Si quis inuito aut ignorante domino, de induſtria quærat & inueniat theſaurum in fundo illius, totus debet cedere domino fundi. Clarè ſic conſtituit Lex Nemo antè cit. Ita tamen, quòd vna medietas illi danda ſit etiam antę iudicis ſententiam iuxta Concluſionem præcedentem, & iura allegata: ſed altera medietas retineri poſſit, donec per Iudicis ſententiam ſecundùm leges compellatur dare. Ratio huius eſt, quòd diſpoſitio legis de hac medietate ſit pœnalis, ad puniendam ſcilicet iniuriam, quam inuentor intulit domino fundi, fodiendo & quærendo abſq; eius conſenſu. Conſtat ex cit. l. Nemo, vbi ſic dicitur: In alienis verò terrulis nemo audeat, inuitis id eſt (inquit lex) nec volentibus vel ignorantibus dominis, opes abditas ſuo nomine perſcrutari: quòd ſi nobis ſuper hoc aliquis crediderit eſſe ſupplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco theſaurum ſcrutatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur. Vbi verbum, *compellatur*, indicat legem eſſe pœnalem, & ſententiam iudicis debere accedere. Non diſſimile videtur iudicium, ſi quis, vbi nouerit in fundo alterius eſſe theſaurum, & ſub alio prætextu impetrauerit facultatem ibi fodiendi: ſecus autem ſi priuſquam fodiat, ſibi locum emat: tunc enim vbi emerit, ſi quærat & inueniat, totus theſaurus erit ipſius, vt docent Nauar. d. c. 17. n. 175. & Dom. Soto lib. 5. quæſt. 3. art. 3. Molina Tract. 2. Diſp. 56. & indicat D. Th. infrà quæſt. 66. art. 5. ad 2. & colligi poteſt ex parabola Matth. 13. Ratio etiam reddi poteſt, quia eruit illum ex fundo iam ſuo: nec tenebatur priori domino indicare, ſed poterat vti ſua ſcientiâ, emendo locum ſecundum communem æſtimationem, quam non auget theſaurus abſconditus, cuius nulla habetur ſuſpicio.

DICO Quintò: Si quis inueniat theſau- 25
rum in loco publico qui dicitur eſſe nullius, vt in platea effoſſa, aut in flumine, totus cedit inuentori. Ita Couar. ad Reg. Peccatum p. 3. §. 2. n. 3. cum pleriſque alijs. Secus tamen ſi in loco publico, qui non tantùm quoad iuriſdictionem (prout etiam viæ & plateæ publicæ dicuntur eſſe Principum) ſed etiam quoad dominij proprietatem pertinet ad Cæſarem, aut fiſcum: tunc enim fortuitò inuentus cum illis erit diuidendus; de induſtria quæſitus totus erit Principis, vt ſumi poteſt ex Inſtit. de rerum diuiſ. §. Theſauros.

DICO Sextò: Si quis in loco ſacro inueniat fortuitò theſaurum, pro media parte erit inuentoris, & pro media parte Eccleſiæ, ſiue Prælati: ſi autem deditâ operâ ſine conſenſu Prælati quæſierit & inuenerit, totus debetur Prælato. Ita Syluest. V. Inuentum quæſt. 3. §. 4. cum Summa Angel. quia, inquit, hodie Eccleſiæ & loca ſacra ſunt Prælatorum: vnde eadem eſt ratio de inuentis in hiſce locis, quæ de inuentis in loco alieno. Idẽ docent Nauar. & Molin. ſuprà.

DVBIVM IX.

Vtrùm res à ſuo domino derelictæ fiant occupantis?

OBſeruandum eſt, Id ſecundùm iura haberi pro derelicto, quod dominus eâ 26
mente abiecit, vt non velit in numero rerũ ſuarum illud amplius eſſe. §. penult. Inſtit. De rerum diuiſione. Quare

Dicendum eſt, quandoquidem per eiuſmodi abiectionem res deſinant eſſe ſub dominio illius, ita vt iam nullius ſint, manifeſtum euadere, quòd iure naturali, & gentium res derelictæ fiant primò occupantis. Sed cauendum eſt, ne occupentur tamquam derelicta, quæ verè derelicta non ſunt: vt v. g. naufragorum bona, quæ in tempeſtate eijciuntur leuandæ nauis cauſâ, vt etiã habetur d. tit. §. vltimo: libentiſſimè enim dominus ea ſibi ſeruaret, ſi poſſet, & poſtquam periculum euaſit, ſummopere deſiderat illa recuperare. Quare iniquę ſunt leges, ſiue conſuetudines quorundã locorum, quę habent, quòd dominus Prouinciæ, vel territorij, ad quod appulerint, apprehẽdat eiuſmodi bona, vt bene tradunt Couar. ad Reg. Peccatũ p. 3. §. 1. n. 5. Molina Diſp. 55. & alij: eſtque

contra

contra ius naturale & cōtra ius ciuile Auth. Nauigia Cod. De furtis: imò qui Chriſtianorum naufragorum bona vſurpauerint, excommunicantur per Bullam Cœnæ Domini. Si quis tamen eiuſmodi aliqua recuperauerit cum periculis & moleſtijs, poterit is æſtimare operas ſuas, quas impendit, & periculum, quod ſubijt.

27 Petes: Quid ſi erant certò peritura, niſi hic ea extraxiſſet? v.g. ſi erant ſaccara, farina, frumentum, aut ſimilia. Reſpondetur, nihilominus non fieri ipſius: quia res quælibet noſtra quantumcumque periclitetur, manet noſtra, quamdiu non eſt conſumpta, vt habetur l. Pomponius De acquirendo rerum dominio. Quemadmodū ſi quis ouem meam ex faucibus eripiat lupi, non cedit ea eripienti, ſed manet mea. Quare iſta erunt etiam domino reſtituenda, niſi fortaſſis dediſſet ſignificationē, ſe habere illa pro derelictis, & dare occupantibus, ſi quis ea vellet proſequi: aut certè operæ impenſæ & periculum adæquarent pretium, ita vt dominus non cuperet illa pro ſuis rebus compenſare.

Sic quoque nec bona vacantia aut incerta debent mox pro derelictis haberi. Vacantia vocant bona illorum, qui inteſtati decedunt, & neminem habent, qui ſecundum leges ab inteſtato eis ſuccedat: incerta autem, quæ non longiſſimo tempore poſſideri deſierunt, & tamen ignoratur illorum dominus, vt ſunt res inuentæ: item fundi, quorum ignorantur domini propter magnam v.g. mortalitatem, aut propter bella.

Quomodo autem & quando præſumi debeat dominus res ſuas abieciſſe, aut dereliquiſſe, dum id expreſsè non declarauit, videtur iudicio prudentum eſſe definiendum, & æſtimandum: cui iudicio formando ſeruire poterunt coniecturæ, quas recenſet Nauar. cap. 17. n. 170. quamuis illis præcisè non ſemper & perpetuò ſtandum ſit, vt monet Molina loco citato, & alij.

DVBIVM X.

Vtrum poßit Reſpub. prohibere ijs, qui de Communitate ſunt, ne in ſyluis, aut paſcuis communibus ligna cædant, aut paſcant: & quomodo delinquunt, qui contra talem prohibitionem faciunt?

28 RESPONDEO & DICO Primò: Iuſtè poteſt Reſpub. prohibere iſta ſuis ſubditis ſecundùm aliquam certam formam, & menſuram: vt v. g. ne hoc anno ligna cædant in talibus locis; item ne tales ſtirpes exſcindant; rurſum ne pecora agant in paſcua ante certum aliquod tempus; item ne quis vltra determinatum numerum, pecora immittat; ne nimis magnam lignorum molem auferat, & ſimilia. Ita docent Dom. Soto lib. 4. De Iure & Iuſt. q. 6. ar. 4. Molina Diſp. 58. & alij. Ratio eſt, quia quòd huiuſmodi ſtatuantur & ordinentur poteſt eſſe multū expediens cōmuni bono: atqui Reip. poteſtas extendit ſe ad omnia quę bono publico neceſſaria, aut valdè conducibilia cenſentur; ergò &c.

DICO Secundò: Non tamen videtur Reſpub. in totum poſſe prohibere ijs, qui de Cōmunitate ſunt, ne vnquā ibi paſcant, aut vlla ligna cædāt. Vide Couar. pra. qq. c. 73. Ratio eſt, quia ſinguli ius habēt inde neceſſaria ſibi comparandi ſecundum proportionē: quo iure abſq; ſuo conſenſu non poſſunt ſpoliari niſi fortaſſis tanta occurrerēt onera Reipub. vt aliâ ratione ſuſtineri nō poſſunt, niſi eiuſmodi cōmunia paſcua, aut communes ſyluas Magiſtratus ad tempus alijs elocet, aut oppignoret: præſertim quando illi, qui de Communitate ſunt, non volunt aut non ſufficiunt alia media ſubminiſtrare.

DICO Tertiò: Si is, qui de Communitate eſt, faciat contra prohibitionē in paſcendo aut ligna cædendo in communibus paſ- 29
cuis, vel ſyluis, non niſi venialiter in eo videtur delinquere; neque ad reſtitutionem putatur teneri, niſi fortaſſis magnum aliquod detrimentum Communitati cenſeatur illatum. Ita Soto d. q. 6. ar. 4. Molina ſup. Mald. c. 7. dub. 1. & tenent alij plures. Ratio reddi poteſt, quia iſta prohibitio non tollit ſingulis ius ſuum ad illas res, ſed certos modos vtendi facit illicitos. Vnde etiam, quia verſatur prohibitio circa res, quæ alioquin ipſis communes ſunt, non cenſetur tam rigorosè aut grauiter accipienda, vt intelligatur ſub mortali obligare: quando eius tranſgreſſio nō habet notabile Cōmunitatis detrimentū coniunctum; ſecùs, ſi id coniunctum foret: vt ſi notabiles & multę ſtirpes inciderentur, ſi arbores ædificijs idoneæ ſternerentur: non autem mox vbi tanta ligna ſiue lignorū copiā abſtulerint, quæ ſufficere poſſit ad peccatū mortale ſi ex ſyluis particularis domini furto auferentur. Quando verò ſunt mulctæ impoſitæ tranſgreſſoribus, oportet eas poſt iudicis ſententiam exſoluere.

DICO Quartò: Idem dicendum erit de incolis duorum locorum, oppidorum ſiue pagorum, habentium ſyluas aut paſcua ſibi confinia, ſi vnius loci ciues in ſyluis aut paſcuis alterius lignentur, aut paſcant. Ita quoque Molina qui Concl. 4. dicit eos à culpa lethali excuſari, & Soto ſuprà. Ratio eſt: quia licet ſubditi vnius loci non habeant ius paſcendi aut lignandi in communibus paſcuis aut ſyluis alterius loci, ta-

men quia contrarium ab vtraque parte ordinariè fieri ſolet, præſumuntur communitates ſibi mutuò condonare, ſi quid ablatum fuerit; modò vna non enormiter aut notabiliter alteram lædat. Interim contentæ ſunt mulctâ impoſitâ, ſi aliqui in facto deprehendantur.

Dico Quintò: Qui paſcunt aut lignantur in fundo alicuius priuati, vel etiam communitatis alienę, vbi ſubditi non habent occaſionem idem viciſſim faciendi, v. g. quia iſta Communitas non habet ſyluas, aut paſcua vicina: vel qui id faciunt in fundis ſuæ quidē cōmunitatis, ſed ex iuſta ratione elocatis alicui, peccant pro ratione rei ablatæ, aut illati damni (quod aliquando maius eſt, quàm res ſucciſa in ſe nunc valet) & tenentur ad reſtitutionem & damni reparationem. Ita etiam Soto ſuprà: & Iura videre licet ad hanc rem pertinentia, apud Couar. Pract. quæſt. cap. 37. Interim in talibus attendendæ ſunt conſuetudines & leges municipales.

Dico Sextò: Pœna in eiuſmodi lignatores qui contra prohibitionem in ſyluis communibus ligna cædunt, debet eſſe moderata, & pecuniaria: non autem corporalis. Quod Malderus poſt Dom. Soto loco citato extendit etiam ad illos, qui lignantur in ſyluis alicui proprijs: quia (inquit Soto) eorum furtum non eſt eâ lance æſtimandum, ac ſi quis de arcâ tuâ, aut de domo tua nummos aut ſupellectilem tuam furaretur: vnde neque ſolent ij infamiâ furum notari, quamuis reuera ſit furtum. Quod crediderim eſſe verum, quando moderatè lignantur, & pro ſuis neceſſitatibus dumtaxat. Fundamentum autem hoc ſubindicat Soto, quia ligna, quæ terra progenuit abſque cultura, iure gentium communia eſſe deberent.

CAPVT QVINTVM,

De modis acquirendi dominium in eas res quæ dominum habent.

1 Dominivm rerum quę ſub aliquo domino ſunt, generatim transferri poteſt duobus modis in alium: & proinde alij, duobus modis poſſunt illud acquirere, ſcilicet aut domino priori volente, aut illo non volente. Domino volente transferuntur eiuſmodi res tripliciter, Donatione, Vltimâ voluntate ſiue Teſtamento, & Cōtractu: de quibus ſingulis infrà latiùs agimus. Similiter domino non volente, tribus modis trāsferri poſſunt. Primò, iure gentium: ſic res iuſto bello captæ fiunt capientis, de quo ſuprà in Tract. de Bello egimus. Secūdò, authoritate alicuius particularis Legis: idque vel ob culpam domini, vt v.g. propter crimen hæreſis, de quo etiam ſuprà aliquid diximus in Tract. de Fide q.11. circa art. 3. vel ſine culpa domini, vt fit legibus Præſcriptionibus, ſiue Vſucapionibus. Tertiò per ſententiam Iudicis, vt ſi adiudicetur illi qui per furtum vel alio modo damnum ab altero perpeſſus eſt, quadruplum illius, quod ſuſtinuit: de quo latiùs infrà tractabimus. Quare hoc loco ex profeſſo tantùm agemus de modo, quo dominium acquiritur in rem alterius, domino non volente, per Præſcriptionem.

DVBIVM I.

De nominibus & rationibus Præſcriptionis & Vſucapionis.

Nomen Præſcriptionis apud Iureconſultos diuerſas habet ſignificationes. 2
Aliquando enim ſumitur, vt idem ſit, quod apud eos Exceptio in genere, quâ ſcilicet reus opponit ſe Actori ad elidendam eius actionem, non negato illius fundamento, ſed allegatâ cauſâ, propter quam, nihilominus petitio actoris non debeat admitti. Eſtq; illa duplex, ſcilicet Dilatoria, vt ſi reus opponat, Iudicem non eſſe competentem: & Peremptoria, vt ſi dicat, ſe mandato Principis feciſſe, aut quid ſimile alleget. Sic generaliter capitur Præſcriptio in D. tit. De exceptionibus & præſcriptionibus. Aliquando autem ſtrictiùs ſumitur, pro exceptione peremptoriâ fundatâ in eo, quòd tempore legibus definito rem poſſidemus, vel iure aliquo vſi ſumus, vel quod alius tali tempore ab vſu alicuius Iuris ceſſauerit, vt tradit Couar. 1. p. ad Reg. Poſſeſſor De R.I. in 6. in princ. & §. vnico. Sic accipitur in Cod. tit. de Pręſcriptione longi temporis: item tit. De Pręſcriptione 30. vel 40. annorum.

Hinc deducitur hoc nomen ad tertiam ſignificationem, quâ nimirum ſignificat acquiſitio-

quiſitionem dominij, aut eliſionem iuris alterius per poſſeſſionē rei aut libertatis tempore legibus requiſito continuatam. Et hoc ſenſu dicitur quis pręſcribere domum, agrū, libertatem fundi, elidendo ſeu euacuando ius quod alter haberet, vt fundus certo modo illi ſeruiret. Et ita ſumi ſolet in Iure Canonico, & apud Interpretes vtriuſq; Iuris, vt tradit Couar. loco citato §. vnico n. 6.

Quod ad nomen Vſucapionis attinet, nō ſolet hoc pro Exceptione ſumi aut vſurpari: ſed l. 3. D. De Vſucap. definitur eſſe acquiſitio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. Vbi acquiſitio dominij tam ſumi poteſt pro ipſo (vt ſic dicam) motu acquiſitionis, puta pro poſſeſſionis continuatione, quàm pro ipſo veluti termino, quo completur acquiſitio, & res iam fit vſucapientis. Nam ſolet dici aliquando Vſucapio interrumpi, vbi quaſi pro motu dicto accipitur: & dicitur etiam quis rem vſucepiſſe, tunc ſcilicet propriè quando iam dominium adeptus eſt.

Poterit autem Vſucapio diſtingui à præſcriptione tertio modo acceptâ (ſi quis exactiùs ea velit conſiderare) ſicut minus commune à magis communi: quia omnis vſucapio eſt præſcriptio, non contrà. Nam præſcriptio, quâ extinguitur actio perſonalis, aut realis alterius, non videtur tam propriè dici vſucapio: nihilominus tamen non videtur quidquam obſtare, quò minùs quis poſſit etiam nomen illud vſucapionis latiùs accipere, & ad eiuſmodi pręſcriptionem quoque extendere: quia non omninò incōgruè ius & libertas ab aliqua obligatione poſſunt etiam dici vſucapi. Sed communiter Iuris Interpretes aliter ſolent iſta duo diſtinguere, quòd ſcilicet Vſucapio ſit mobilium, Præſcriptio autem immobilium. Verumtamen diſtinctio hæc non eſt in legibus aut Canonibus fundata: nam etiam res immobiles in Iure dicuntur vſucapi, vt patet Inſtit. De vſucap. in princ. & quando vſucepimus res mobiles, ſi quis contrà velit agere, opponitur etiam ibi exceptio præſcriptionis. Quare & nomen præſcriptionis rectè extenditur ad acquiſitionem dominij rerum mobilium, quemadmodum ad immobilium: idem enim eſt vtriuſq; fundamentum. Quare nominibus illis nos tamquam ſynonymis hîc vtemur.

DVBIVM II.

Quot & quæ requirantur ad præſcriptionem?

3 RESpondetur: Secundùm Ius Canonicū ad præſcriptionem ordinariè concurrere debent hæc quatuor: ſcilicet Poſſeſſio, Titulus probabiliter præſumptus, Bona fides, & Continuatio poſſeſſionis cum bona fide per tempus lege definitum. Ita communiter tradunt DD. vt teſtatur Silueſter V. Præſcriptio 1. n. 1. De Poſſeſſione conſtat, quia, vt habet Regula Iuris in 6. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit. Similiter requiritur ordinariè Titulus, non quidem in ſe verus & validus (nam hic ſufficeret ſine pręſcriptione ad transferendum dominium, quando ſecuta fuerit traditio) ſed qui talis ſit æſtimatus, vel probabiliter præſumptus, vt habet Gloſſa in Can. Dilectio, cauſa xvi. q. 3. & ad d. Reg. Iuris in 6. Requiritur tertiò Bona fides, quia, vt habet alia Regula Iuris in 6. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit: quod etiam habetur Cap. finali De præſcriptionibus, deſumpto ex magno Conc. Lateran. Requiritur quartò Continuatio poſſeſſionis cum bona fide, vt conſtat tam ex ipſa ratione præſcriptionis, tū ex legibus & Canonibus, infrà allegandis.

DVBIVM III.

Qualis poſſeſsio requiratur ad præſcriptionem?

OBſeruandum hîc Primò, Diſtingui à DD. triplicem Poſſeſſionem, ſcilicet Naturalem tantùm, Ciuilem tantùm, & Naturalem & Ciuilem ſimul. 4

Naturalis tantùm eſt, quâ inſiſtitur rei corporaliter abſque animo tamen eam detinendi vt ſuam: ſic colonus poſſidet villam & terras domini. Sed huiuſmodi poſſeſſio non eſt propriè dicta & abſoluta poſſeſſio.

Ciuilis tantùm dicitur, quâ quis rem detinet animo vt ſuam, quamuis corporaliter illi non inſiſtat: ſicuti dominus abſens poſſidet agros, quos alteri tradidit colēdos. Hæc autem vt vera ſit poſſeſſio, debet præceſſiſſe corporalis detentio aut apprehenſio in ijs rebus, in quibus iura id requirunt. Quod addo, quia res quædam ſunt, quæ ex iuris diſpoſitione incipiunt poſſideri, etſi nulla corporea apprehenſio, vel etiam intentio apprehendēdi præceſſerit, hoc ipſo, quo moritur prior poſſeſſor: & huiuſmodi poſſeſſio vocari ſolet Ciuiliſſima, quia maximè recedit à Naturali. Hinc facilè colligitur, quæ ſit poſſeſſio Naturalis & Ciuilis ſimul, quâ nimirum quis corporaliter rei inſiſtit animo detinendi illam vt ſuam.

Obſeruandum Secundò, Rem ab aliquo poſſideri aliquando nomine proprio, aliquando nomine alieno, ſicuti tutor poſſidet bona pupilli. His præmiſſis,

DICO Primò: Poſſeſſio naturalis & Ciuilis ſimul aptiſſima eſt gignendæ præſcriptioni: Omniū enim conſenſu iſta ſufficit, vt habet Couar. ad Reg. Poſſeſſor §. 1. n. 7.

Digitized by Google

Dico Secundò: Poſſeſſio Ciuilis ſola ſufficit quoque ad generandam præſcriptionem. Ita Couar. parte 2. ad d. Reg. Poſſeſſor in princ. n.7. ex l.1.§. per ſeruum qui in fuga, D. De acq. poſſeſſ. & l. Serui §.vlt. D. De furtis, & alij communiter. Ratio reddi poteſt, quia ciuilis poſſeſſio eſt vera & abſolutè dicta poſſeſſio: non debet ergò illi denegari effectus, quem iura concedunt poſſeſſioni.

Dico Tertiò: Poſſeſſio naturalis ſola non ſufficit ad præſcriptionem inducendam. Ita Couar. & alij communiter. Ratio eſt, quia huiuſmodi poſſeſſio non eſt poſſeſſio ſimpliciter & abſolutè dicta, ſed tantùm ſecundùm quid, aut cum aliquo addito. Et probatur: quia qui poſſidet nomine alieno, quamuis naturaliter poſſideat, non tamen præſcribit: neque enim colonus poteſt præſcribere bona domini ſui: neque tutor bona pupilli, vt conſtat ex l. 1. Cod. Communia De vſucapionibus. Similiter nec emphyteuta ſibi præſcribit dominium directum fundi, cuius habet dominium vtile. Poteſt tamen ſibi pręſcribere ius emphyteuticum, ſi illud priùs verè non habuerit: quamuis enim v. g. villam poſſideat naturaliter, & nomine alieno ſiue alterius, quem recognoſcit habere dominium directum illius, tamen ius emphyteuticum ciuiliter tanquam ſuum poſſidet, & ſic illud poſſidendo præſcribit, vt tradit Couar. loco citato. Quare debet poſſeſſio teneri nomine proprio: alioquin non ſibi quis, ſed alteri, cuius nomine poſſidet, præſcribit. Hinc ſeruus, aut filius, qui inſiſtunt rei nomine domini aut patris, non ſibi, ſed domino, aut patri pręſcribunt, quamuis hi etiam poſſeſſionem ignorarent, vt habet Gloſſa ad cit. Reg. iuris in 6. Vt tamen quis per ſe poſſidés quippiam præſcribat, debet illi eſſe talis rei poſſeſſio cognita. Vnde qui agrum poſſidet, non idcirco præſcribit theſaurum ibi fortè latentem, quia illum poſſidere non cenſetur, quem ignorat ibi eſſe.

Dico Quartò: Vt quis poſſidendo ſibi præſcribat, debet is eſſe dominij capax, alioquin non præſcribit nec acquirit ſibi, etiamſi rei tamquam ſuæ incumbat. Hinc Religioſus ſibi nihil præſcribere poteſt, ſed monaſterio, quantumuis vitio proprietatis detineret rem tamquam ſuam. Neque poſſidens debet tantùm ſimpliciter eſſe capax dominij, ſed etiam dominij talis rei, aut iuris, cui inſiſtit. Hinc enim laicus nō præſcribit ius decimarum, quantumuis longo tempore decimas vt ſuas detineat; quia illius iuris incapax eſt eo ipſo, quo laicus: cùm ius hoc ſit Eccleſiaſticum, de quo videre licet Cap. Cauſam De præſcriptionibus: ſed hac de re infrà Tract. 8. cap. 3. latiùs, vbi de decimis agetur.

DVBIVM IV.

Vtrum in omni præſcriptione requiratur Titulus?

Dico Primò: In omni præſcriptione videtur neceſſarius titulus, qui cognoſcatur, aut aliquando cognitus fuerit à pręſcribente. Colligitur ex Cap. Si diligenti De præſcriptionibus, vbi in fine dicitur ſimpliciter, quòd in præſcriptione bona fides & iuſtus titulus exigantur. Nec refert, quòd ibi agatur de rebus Eccleſiaſticis præſcribendis: quia ſicuti non quoad bonam fidem, ita nec quoad titulum videtur ponenda diſtinctio in præſcriptione rerum laicarum, & Eccleſiaſticarum. Et probatur: quia ad omnem præſcriptionem requiritur, vt quis rem bonâ fide poſſideat vt ſuam; atqui nō poteſt quis incipere bonâ fide poſſidere rem vt ſuam, niſi ſubſit aliquis titulus, ex quo putet eam eſſe ſuam, ſiue v.g. titulo partitionis quia res antea nullius fuerit, ſiue donationis, ſiue hæreditariæ ſucceſſionis, ſiue emptionis, aut aliquo alio.

Dico Secundò: In præſcriptione quam quis defendit ex poſſeſſione infra 30. annos non tantùm requiritur titulus, qui præſupponatur ſubfuiſſe, ſed etiam requiritur probatio illius tituli: qui enim infra illud tempus prætendit ſe præſcripſiſſe, probare debet ſe aliquo titulo probabili rē poſſediſſe & poſſidere incepiſſe ad purgandam malam fidem. Ita cōmunis doctrina habet.

Dico Tertiò: In præſcriptione 30. aut 40. annorum non requiritur tituli probatio, ſed ſufficit bona fides: de quo videre licet Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 8. Ratio reddi poteſt, quia tanto tempore facilè contingit, vt obliuiſcamur tituli. Multa enim ſolent homines habere in rebus ſuis, de quibus poſt multum temporis, non ſatis recordentur, vtrùm emptione, donatione, aut alio titulo illa acquiſierint; aut ſi recordentur, non poſſint tamen id probare. Excipitur verò inde caſus, quando ius eſt contrarium, aut aliunde oritur præſumptio malæ fidei; quæ tamen exceptio locum non habet contra pręſcriptionem temporis immemorialis: quia tunc tituli probatio non requiritur, quantumuis etiam pręſumptio iuris militet contra pręſcribentem. Vide Couar. ſup. §. 5. Cæterùm quando diximus in præſcriptione neceſſarium eſſe titulum, eiuſque probationem, hoc nō eſt intelligendum de titulo vndequaque valido, quia ſic præſcriptioni locus non eſſet: ſed de titulo, qui quidem ex ſuo genere verus eſt, ſed propter concurrentes circumſtantias ignoratas ignorantiâ facti, deſinit eſſe verus & validus.

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM V.

Quæ requirantur ad bonam fidem, quæ in præſcriptione eſt neceſſaria?

6 OBſeruandum hîc Primò, Bonam fidem eſſe neceſſariam ad præſcribendum tum in inchoatione poſſeſſionis rei quæ præſcribitur, tum etiam in continuatione poſſeſſionis toto tempore legibus definito.

Obſeruandum Secundò, Duos occurrere modos, quibus poſſit quis apprehendi aut videri poſſidere bonâ fide rem vt ſuam, quæ non eſt ipſius: primò, ſi ſimpliciter credat ſeu putet eam eſſe ſuam: ſecundò, ſi dubitet, an ſit ſua, ſic tamen, vt non cognoſcat illam eſſe alicuius alterius, & interim exiſtimet ſe licitè rem illam ſibi retinere. His præmiſſis

DICO Primò: Ad bonam fidem, quæ neceſſaria eſt in inchoatione poſſeſſionis, requiritur credulitas ſiue opinio, quâ quis ſimpliciter putet rem illam eſſe ſuam, ita vt ſecundus modus hîc nõ ſufficiat. Ita Couar. ſup. Medina Cod. De reſtitutione qu. 17. & alij omnes communiter. Ratio reddi poteſt: quia ſi dubitem, an mea ſit, an alterius, iniquè ago mihi eam vindicando, cùm antequam poſſideam, non ſit melior mea conditio, quàm alterius. Quare non poſſim cum tali dubio inchoare bonæ fidei poſſeſſionem.

DICO Secundò: Iſta credulitas, quâ quis exiſtimat rem eſſe ſuam, vt ſit bona fides, non poteſt eſſe temeraria, ſed debet eſſe prudens & probabilis; non tamen neceſſariò debet ei ſubeſſe veritas. Probatur: quia Iura vocant malam fidem, non tantùm credulitatem, quâ quis exiſtimat rem nõ eſſe ſuam, vel de eo dubitat: ſed etiam quâ quis ex errore iuris ſimpliciter putat rem ſuam eſſe, quantumuis quoque iſte error eſſet inculpabilis, vt mox oſtendemus; ergò multò magis, ſi proueniat ex ignorantia culpabili, qualiſcumque ea ſit.

7 DICO itaque Tertiò: Vt iſta credulitas, quâ quis putat rem eſſe ſuam, quæ non eſt ipſius, ſit bona fides in ordine ad præſcribendum, non poteſt ea prouenire ex ignorantia Iuris, quantumuis hæc eſſet inculpabilis. Ita cõmuniter DD. penè omnes. Ratio eſt: quia Iura, quæ præſcriptionem induxerunt, eique vim transferendi dominiũ tribuerunt, aliter omninò diſpoſuerunt, vt patet ex L. Numquam 31. D. De Vſucap. Nunquam in vſucapionibus (inquit lex) iuris error poſſeſſoribus prodeſt: & in l. Iuris D. De iuris & facti ignorantia, Iuris ignorantia in vſucapionibus negatur prodeſſe. Et iterum l. Error ibid. Omnibus iuris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet. Vnde ſi quis rem aliquam comparauit contractu vſurario, quem putabat iuſtum, quia exiſtimaret vſuras mediocres eſſe licitas, non poterit eam præſcribere. Similiter nec præſcribet, qui accipit aliquid à Religioſo, ignorans Religioſum non poſſe dare aut alienare.

Excipiunt hîc tamen DD. quando ius ignoratum eſt verè ambiguum, & apud peritos controuerſum: quia in eo caſu docent, bonam fidem ex Iuris ignorantia poſſe naſci, quæ valeat ad præſcriptionem. Ita tenent Silueſter V. Præſcriptio 1. q. 3. §. 2. Couar. ad Reg. poſſeſſ. p. 2. §. 7. n. 12. ex Cap. Cũ Dilectus De Conſuet. cum Panor. ibid. Nauar. lib. 3. Conc. 2. De præſcriptionibus: Error iuris dubij (inquit) perinde valet ad præſcribendũ, ſicut error facti: & alij plures, quos allegat Nauar. Ratio eſt: quia quando ius aliquod eſt verè dubium, de quo vtrimque ſunt peritorum diuerſæ opiniones, poſſumus prudenter in praxi vtramuis partem contradictionis ſequi.

Vnum inſuper hîc eſt obſeruandum, Quòd licet aliâs ignorantia iuris inculpata non valeat ad rem præſcribendam quam ex illa vt ſuam quis tenet, tamẽ ſufficiat ad præſcribendos fructus, qui ex re percipiuntur, ſi ſit frugifera, vt docent Nauar. loco cit. & Couar. lib. 1. Var. Reſol. cap. 3. n. 8. & colligitur ex l. Si fur 32. §. 1. D. De Vſucapionibus. Idem indicat Gloſſa ad l. 2. Cod. Si quis ignorans rem minoris eſſe ſine decreto comparauerit: vbi etiam Baldus & Salicetus Gloſſam ſecuti docent, errantem in iure bonâ fide acquirere fructus ex contractu nullo & iure reprobato. Ratio autem, cur fructus potiùs præſcribantur, quando debito tempore poſſidentur, quàm ipſa res, reddi poteſt, quòd error circa fructus videatur eſſe error facti: putat enim poſſeſſor ſe illos percipere ex re ſua, & ex illo errore credit eos eſſe ſuos. 8

DICO Quartò: Vt credulitas habeat rationem bonæ fidei ad præſcribendum, ſufficit eã fundari in inuincibili ſiue probabili ignorantia facti. Ita communiter tradunt DD. Et patet ex l. Iuris D. De iuris & facti ignorantia; vbi dum negatur iuris ignorantia in vſucapionibus prodeſſe, addit lex, Facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat. Idem indicatur l. Error, eod. titulo. Quare ſi rem emam, & inculpabiliter ignorem, venditorem fuiſſe illam furatum, potero præſcribere, ſi ſic poſſideam tempore legibus definito: ſecus ſi craſſa ſit mea ignorantia, puta quia ſi debitam adhibuiſſem diligentiam, facilè intellexiſſem rem furto

Digitized by Google

ſublatam: quę tum maximè adhiberi debet, quando concurrunt aliquæ circumſtantiæ, quæ poſſint ingenerare aliquam ſuſpicionem aut dubitationem, ne res fortaſſis ſit furtiua.

9 Dico Quintò: Ad bonam fidem requiſitam in continuatione poſſeſſionis ſatis erit, quòd quis non cognoſcat rem eſſe alterius, quamuis dubitare incipiat, an res ſit ipſius. Vnde quando tale dubiū ſuperuenit illi, qui abſq; dubitatione cœpit rem vt ſuam poſſidere, non idcirco bonam fidem amittit, modò debitam diligentiā adhibeat ad cognoſcendum, an ſit alterius, & illâ adhibitâ id non deprehendat, ſed maneat dubius, an ſit ſua. Ita communiter quoque tenent DD. Medina ſup. qu. 17. Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 7. nu. 3. & alij plures, quos citant. Et probari poteſt ex Cap. fin. De præſcriptionibus, quod ad continuationem poſſeſſionis cum bona fide tantùm requirere videtur, vt quis non habeat rei alienæ conſcientiam; ſic enim loquitur: Vnde oportet, vt qui præſcribit in nullâ temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ: atqui is, qui cœpit dubitare, & poſt diligentiam adhibitam non cognoſcit rem eſſe alterius, non habet rei alienæ conſcientiam; ergò &c. Probatur ſecundò ratione: quia in pari dubio melior eſt conditio poſſidentis, vt habet Regula Iuris: Quandoquidem ergò præſcribens iam ſupponatur poſſidere, quando dubium oritur, melior debet cenſeri eius conditio, quā alterius non poſſidentis; ergò ſi adhibitâ inquiſitione debitâ, remaneat dubitatio, poterit is licitè ſibi retinere, & proinde bonâ fide in qua verſatur, continuare poſſeſſionem, quæ abſque peccato eſt, neque à Iure reprobata ad præſcribendum: ſicuti poſſeſſio ex ignorantiâ iuris, quamuis inculpabili in ordine ad præſcriptionem, ſaltem ordinario tempore perficiēdam, prout antè oſtendimus.

10 Sed Quæritur hîc Primò, Quid dicendū ſit de illo, qui incipit dubitare, an res ſit ſua, & illius occaſione dubitat, an ſibi licitum ſit, rem illam retinere, & cum tali dubio retinet, an hic cenſendus ſit continuare poſſeſſionem cum bona fide ad præſcribendū?

Reſpondetur negatiuè: quamuis enim illa dubitatio nō ſit fundata, adeoque licitè retinere poſſit, tamen propter illum errorē, vnde fit quòd agat contra conſcientiam, amittit bonam fidem ſuæ poſſeſſionis. Colligitur ex L. Si fur D. De Vſucap. vbi ſic habetur, Si quis id quod poſſidet, non putet ſibi per leges licere vſucapere, dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere tamen eius vſucapionem, vel quia non bonâ fide videatur poſſidere, vel quia in iure erranti non procedat vſucapio. Et meritò non procedit illi vſucapio; tum quia poſſeſſio illa non eſt abſque peccato, quòd Iura fouere non debent; tum etiā quòd ſecundùm æquitatem non ſuffragentur illi leges, qui ipſas leges nō reueretur, ſed poſſidet, quòd exiſtimat ſibi per leges nôn licere.

Quæritur Secundò, Vtrū ignorantia iuris ſatis certi ac determinati, quæ tamē inculpata eſt, ad nullam vnquam præſcriptionem poſſit valere? Diximus ignorantiam iuris verè dubij & controuerſi poſſe valere ad præſcribendum etiam ordinario modo adinſtar ignorantiæ facti: de ignorantia verò iuris determinati diximus ex ſententia communi oppoſitum.

Sed de hac controuertitur ſatis, quando eſt inculpata, vtrum ſaltem non valeat ad præſcriptionem quæ eſt longiſſimi temporis, aut 30. vel 40. annorum. Negat Molina Diſput. 64. cum Gloſſa in Cap. 2. De his quæ fiunt à Prælato &c. cum Felino, Panormit. & alijs, quos allegat: idque potiſſimùm propter leges ſuprà adductas. Nihilominus contraria ſententia non videtur minùs probabilis, quod ſcilicet in præſcriptione longiſsimi temporis, ac etiam 30. vel 40. annorum valeat. Hoc inprimis admitteret Medina qui loco ſuprà cit. docet quamlibet ignorantiam inculpatā tam iuris quàm facti ſufficere ad præſcribendum in foro conſcientiæ; quod tamē quoad præſcriptionē temporis ordinarij communiter reijcitur. Tenet autem abſolutè Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 7. n. 6. vbi ita concludit: Error Iuris bonam fidem inducit ſufficientem ad eam præſcriptionem, quæ titulum (ſiue tituli probationem) minimè requirit, ſed ſolâ bonâ fide procedit, qualis eſt 30. annorum. Et licet in ſequentibus videatur id reſtringere ad errorem iuris neque aſsiſtentis, neque reſiſtentis, tamen poſtea n. 11. idem concedit de errore Iuris contractui reſiſtentis, modò ſit error inuincibilis; & poſt alia ſubiungit: Quò fit, vt ſi contingat errorem iuris etiam reſiſtentis inuincibilem eſſe, tunc præſcriptio in animæ iudicio obtinebit. Atque ita, inquit, defendi poterit Ioa. Medinę opinio; ſcilicet quo ad pręſcriptionem ſaltem illā, quæ titulum non requirit. Imò, addit, & eâ ſic intellectâ apud Iudicem exteriorem admittenda eſt: quod poſtea in ſubſequentibus probat. 11

Probatur autem hæc opinio, Primò: quia idcirco error iuris impedit præſcriptionem, quia qui ſic errat, vel malâ fide procedit contra conſcientiam, aut præſumitur ſic procedere: atqui Iure Codicis præſcriptio 30. vel 40. annorum valet, etſi poſſeſſor fuerit malæ fidei, vt conſtat ex l. Si quis emptionis C. De præſcript. 30. & 40. annorum. Quare Iure Ciuili valebit præſcriptio etiam cum errore iuris: & per conſequens abſolutè dicenda eſt ſubſiſtere quādo error iſte eſt inculpatus. Probatur Conſequentia: quia

Digitized by Google

quia quòd credulitas quâ quis rem putat eſſe ſuam ex ignorantia Iuris etiam inculpatâ, non cenſeatur fides bona in ordine ad præſcribendum, naſcitur tantùm ex diſpoſitione iuris Ciuilis. Quandoquidem igitur per ius ciuile, poſſeſſio tricenaria etiam cum fide ſimpliciter malâ, ſufficiat ad præſcriptionem, multò magis ſecundùm eiuſdem diſpoſitionem valebit poſſeſſio tricenaria cum fide bonæ conſcientiæ, quæ ex Iuris ignorantia inculpabili procedit.

12 Dicet aliquis: Ius ciuile, quâ parte admittit præſcriptionem ex poſſeſſione malæ fidei etiam 30. vel 40. annorum eſt correctum per Canones; ergò &c. Reſpondetur Ius Ciuile per Canones eſſe correctum, quatenus admittebat præſcriptionem malæ fidei, quæ habebat peccatum coniunctum: non autem Canones loqui de poſſeſſione, quæ tantùm ex iuris diſpoſitione reputatur malæ fidei, & interim à parte rei eſt poſſeſſio abſque peccato, atque adeò bonæ fidei in foro animæ. Conſtat id manifeſtè ex ipſo Cap. fin. De præſcriptionibus quod ita habet: quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali iudicio definiuimus, vt nulla valeat abſque bonâ fide præſcriptio, tam canonica, quàm ciuilis, cùm generaliter ſit omni conſtitutioni & conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. Quare cùm Iuris ciuilis diſpoſitio non impediat, quò minùs poſſeſſio 40. vel 30. annorum, cum credulitate, quòd res ſit ſua, orta ex iuris ignorantia inculpabili, ſufficiat ad præſcribendum, quandoquidem in præſcriptione tot annorum admittat etiam fidem ſimpliciter malam, Canones verò non reprobent illam Iuris ciuilis adminiſtrationem, niſi quatenus eiuſmodi conſtitutio abſque peccato non poteſt obſeruari, manifeſtum euadit, quòd nullâ ex parte, hîc occurrat impedimentum, quo minùs tanta poſſeſſio cum tali fide ortâ ex inculpato errore Iuris, valeat ſimpliciter ad præſcribendum.

Probatur Secundò: quia multi DD. docent præſcriptioné etiã ordinarij temporis, quę titulũ requirit, procedere cum ignorãtia Iuris in illis perſonis, in quibus error iuris toleratur, vt in minoribus, in ruſticis, militibus, mulieribus: quia in talibus non præſumitur mala fides, ſi aliquam adhibuerunt diligentiam, vt notat Molina Iure-Conſ. lib. 2. De primogenijs cap. 7. n. 69. & alij, quos citat. Vnde & Baldus ad l. Poſſeſſiones C. Si quis ignoret rem minoris eſſe, dicit excuſari, ſi errans eſt miles, vel mulier, vel eſt paſſus in Iure difficilis, de quo interrogans ſapientem, habuit reſponſum erroneum; ergò quando iuris error eſt inculpatus (qualiſcumque perſona ſit errans) & poſſeſſio eſt tanta, vt titulum non requirat meritò cenſeri debet, ſufficere ad præſcribendum.

Ex hoc argumento, & alijs quibuſdam ſentiunt nonnulli Medinę opinionem etiam in præſcriptione ordinaria, quæ titulum requirit, non eſſe improbabilem, præſertim in foro conſcientiæ, quando oſtenditur nullam negligentiam poſſeſſoris interueniſſe, ſed feciſſe totum, quod pro ſua conditione debuit, vt iura cognoſceret. Et Confirmari poteſt, quia idcirco error iuris dubij & controuerſi non excludit bonam fidem, vti diximus, DD. communiter tenere, quia quando fecit homo totum, quod debuit ad veritatem Iuris cognoſcendam, & tamen non intellexit, aut aſſecutus eſt, quia obſcura eſt & controuerſa; ergò quamuis etiam aliunde error proueniat, modò fecerit quis totum, quod potuit & debuit, non videtur impedire bonam fidem in ordine ad præſcribendum, ſaltem in foro conſcientiæ: & fortaſſis (addunt quidam) etiam in foro fori eſſet præſcriptio admittenda, quando probaret poſſeſſor nullam omninò negligentiam, ex parte ſua interueniſſe, quò minùs ius illud cognouerit, in quo errauit. 13

Neque referre videtur, quòd hæc præſumptio malæ fidei, quæ contra illum militat, ſit præſumptio iuris & de iure, contra quam dicitur non admitti probatio, cùm ſit inſtar iuris: quia licet ordinariè non admittatur, tamen quando ſubeſt euidens cauſa, tunc admitti poteſt vel Iudicis benignitate, vel reſtitutione in integrum, ex clauſula generali, Si qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur, l. 1. circa finem, D. Ex quibus cauſis maiores 25. annis in integ. reſtituuntur.

Ad leges itaque ſuprà allegatas, quatenus 14
reſolutioni noſtræ videntur aduerſari, dicendum erit, quòd loquantur de præſcriptione ordinaria, quæ titulum requirit, & triennio, aut decennio, aut vicennio completur; non autem de præſcriptione 30. annorum, aut longioris temporis, vbi tituli probatio non eſt neceſſaria: nam huiuſmodi præſcriptio Iure D. non fuit cognita, ex quo leges iſtę ſunt deſumptæ, ſed Iure Cod. fuit introducta. Quòd ſi quis cum Medina velit hanc doctrinam ad præſcriptionem ordinariam extendere, poterit is addere, quòd iſtæ leges procedant ex præſumptione malæ fidei, quæ præſumptio ſuboritur, quando eſt error iuris in contractu, quamdiu ſaltem non probatur contrarium, & non oſtenditur fuiſſe adhibitam omnem diligentiam neceſſariam, vt ius cognoſceretur: cum illo autem ſtare, quòd poſſeſſio cum tali errore proſit ad præſcribendum in foro conſcientiæ, quando probatur fuiſſe inculpabilis, quia in hoc foro ceſſat præſumptio & ſtatur veritati.

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM VI.

An nulla præſcriptio abſq; bona fide poſſit perfici?

RAtio dubitandi poteſt eſſe propter præſcriptiones contra debita, ſiue actiones quas vnus in alterum habet: vbi nō videtur eſſe opus aliquâ bonâ fide: quandoquidem is qui debet, non videatur aliquid alterius poſſidere.

15 RESPONDETVR nihilominus, Propriè loquendo, nunquam procedere præſcriptionem abſque bonâ fide. Probatur ex cap. fin. De præſcript. vbi expreſsè dicitur & definitur, quòd nulla valeat abſque bona fide præſcriptio: quare etiam omnes leges particularium locorum, ſtatuentes præſcriptionem poſt aliquod determinatum tempus in rebus ſiue corporalibus, ſiue ſpiritualibus, id eſt, in iuribus ſeu actionibus tam realibus quàm perſonalibus (huiuſmodi enim ſolent Iureconſulti vocare res ſpirituales ſiue incorporales, quia non conſtant materiâ phyſicâ) debent præſupponere bonam fidem.

Ad rationem itaque dubitandi Reſp. etiam in iſtiuſmodi præſcriptionibus locum habere ſuo modo bonam fidem. Quare vt Petrus, v. g. præſcribat contra debitum pecuniarium, aut alterius rei, ſiue contra actionem, quam Paulus ad illud habet, non ſatis eſt, quòd Paulus tempore legibus definito ad præſcribendum, non exegerit illud debitū: ſed etiam requiritur, quòd Petrus iſto tempore exiſtimauerit bonâ fide ſe nihil Paulo debere; v. g. quia putauit eſſe ſolutum, aut condonatum, vel nullam omninò illius debiti habuerit cognitionem, aut cogitationem: alioquin cenſebitur libertatem ab obligatione, quâ alteri tenetur, malâ fide poſſediſſe. Nam qui elapſo termino ſciens & prudens non ſoluit debitum, cenſetur non eſſe in bonâ fide: quamuis enim creditor non exigat, tamen dies monet pro homine, vt Iuriſtę loquuntur. Vnde & illa mora ſeu dilatio non eſt abſque peccato, niſi forſitan quis probabiliter exiſtimet creditorem facilè permittere huiuſmodi dilationem aut moram.

16 Sed contrà opponi poteſt Primò, quòd is, cuius bona per legem pœnalem ſunt addicta Fiſco, præſcribat contra actionem fiſci certis temporibus (niſi ſit propter hæreſim) cùm tamen ſciat ſua bona fiſco deberi; ergò hîc cùm mala fide currit præſcriptio.

Reſp. Iureconſulti ſic quidem loquuntur, vt vocent hanc malam fidem: ſed rectiùs Theologi, qui dicunt hîc interuenire bonam fidem, non quidem quâ ſibi perſuadeat hæc bona abſolutè & pleno iure eſſe ſua, ſed quâ iudicet licere ſibi illa retinere, donec per fiſcum ab eo tollantur, nec ſe obligari, vt ea fiſco deferat. Quâ de re licebit videre Couar. ad 4. Decretal. p. 2. cap. 6. §. 8. Quod autem hæreticus non præſcribat contra actionem, quam fiſcus ex lege pœnali acquiſiuit, non eſt propter malam fidem poſſeſſionis, ſed quia Ius ita diſpoſuit in odium tanti criminis, vt patet ex Cap. Accuſatus, De Hæreticis in 6. & Cap. 8. De præſcriptionibus ibidem.

Obijcitur Secundò: Poteſt quis præſcribere contra eum, qui habet ius ſeruitutis ruſticæ in eius predio, tametſi ſciat ipſum habere ius illud; ergò &c. 17

Reſp. Neg. Conſeq. quia aliud eſt acquirere ius agendi aliquid circa rem alterius: aliud verò extinguere ius, quod alter habet circa rem meam. Vnde non interuenit hîc mala fides, quia iſta præſcriptio perficitur me quidem ſciente ius alterius, ſed tamen me nihil operante contra ius illud, nec aliquid omittente me, quod facere tenear: verùm ſolummodo me ſcienter tolerante, quòd alter ſuo iure non vtatur: quod vt faciat & vtatur, non obligabar eum monere, aut ad id inducere, vt docet rectè Medina Cod. De reſtitut. q. 17. Atque ita dum alter ſuâ negligentiâ ſecundum legum conſtitutiones amittit ius ſuum, non interueniente aliquâ meâ culpâ, fit, quòd ego ex conſequenti præſcribam bonâ fide fundi mei libertatem.

DVBIVM VII.

Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem?

SVppono hîc, non ſtatim vt quis bonâ fide etiam cum aliquo titulo cœperit rem alterius poſſidere, fieri illius dominum viâ præſcriptionis: ſed ad id requiri determinatum aliquod tempus talis poſſeſſionis, prout legibus fuerit definitum: quod tempus in diuerſis rebus, & in rebus diuerſorum eſt diuerſum, neque in omnibus ſemper vnum & idem. Vnde 18

RESPONDEO & DICO Primò: Ad præſcriptionem rei mobilis ſufficit inter præſentes poſſeſſio bonæ fidei triennalis cum titulo; eaque ſufficit, ſiue res ſit priuatorum, ſiue Eccleſiæ. Ita communiter tradunt DD. vt habet Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 2. nu. 5. Prior pars de re mobili priuatorum conſtat Iuſtit. De vſucapionibus §. 1. & ex l. vnica Cod. De vſucap. transformanda. Poſterior de mobilibus Eccleſiæ habetur Auth. Quas actiones C. De ſacroſ. 19

& ibid.

Digitized by Google

& ibid. Gloſſa communiter recepta in V. Durantibus: quãuis aliter ſentiat Hoſtienſ. ad Cap. 1. De In integr. reſtitutione. Sed Authentica etiam eſt recepta ab Eccleſia, vt patet ex Can. vlt. & penult. XVI. quæſt. 3. Adeò vt Couar. loco cit. n. 6. cum pleriſque alijs doceat hanc triennalem præſcriptionem rei mobilis etiam locum habere contra Eccleſiam Romanam.

DICO Secundò: Ad pręſcriptionem rei mobilis abſque titulo, ſiue vbi titulus non poteſt probari, requiruntur anni 30. cum bona fide, ſiue res ſit priuatorum, ſiue Eccleſiæ. Ita quoque communiter DD. Et de præſcriptione contra priuatos colligitur ex l. 3. Cod. De præſcript. 30. vel 40. annorum, vbi res immobiles contra priuatum conſtituuntur præſcribi abſque titulo 30. annis. Quare cum aliud de mobilibus abſque titulo non reperiatur ſtatutum, idem de his erit dicendum. Vnde & de rebus Eccleſiæ probatur: quia cùm Eccleſia in mobilibus ſuis non inueniatur gaudere priuilegio aliquo peculiari contra ordinariam præſcriptionem, ſed tantùm in ſuis immobilibus, conſequens eſt, vt eodem quoque iure cenſeri debeat quoad præſcriptionem longi temporis, quo priuati. Vide Couar. ſuprà §. 5. n. 2.

19 DICO Tertiò: Rei immobilis præſcriptio contra priuatos cum titulo abſoluitur decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes: ſine titulo autem abſoluitur ſpatio 30. annorum. Duę partes priores cõſtant ex Inſtit. De vſucap. & ex l. Cum in longi Cod. De pręſcriptione longi temporis. Pręſentes autem hîc ſibi cenſentur, qui in eadem prouincia habent domicilium, vt colligitur ex l. citatâ, ſic nimirum vt ſubſint eidem Iudici ſupremo, ſiue interim in ea prouincia ſita ſit res præſcribenda, ſiue non, vt ex Molina notat Malderus.

Petet aliquis: Quid ſi is, contra quem præſcribo, partim præſens partim abſens fuerit? Reſpondetur tunc duplicandum eſſe tempus, quo fuerit abſens. V. G. habitauit is tecum ſex annis, & ad complendam præſcriptionem inter præſentes requiruntur anni decem, ita vt hîc deſiderentur adhuc quatuor anni ſi maneat præſens: quòd ſi tum abeat extra prouinciam, opus erit octo adhuc annis in eius abſentia, vt præſcriptio perficiatur. Auth. Quod ſi quis Cod. De præſcript. longi temporis.

Tertia pars Aſſertionis conſtat ex l. Sicut in rem 3. & l. Si quis emptionis 8. Cod. De præſcript. 30. vel 40. annorum: item ex Cap. Sanctorum De præſcriptionibus, & Can. Placuit XVI. quæſt. 3.

Obſeruandum verò eſt, Quòd ſi priuatus ille ſit pupillus, nullam omninò contra eum currere præſcriptionem ſiue mobilium ſiue immobilium, quamdiu eſt in illa ætate: contra illos autem, qui hanc ætatẽ exceſſerunt, ſed tamen ſunt minores 25. annis, non dari quoque præſcriptionem ordinariam, ſed tantùm tricennalem ſiue 30. annorum. Prius patet ex d. l. Sicut in rem Cod. De pręſcript. 30. vel 40. annorum: quod conſtitutum eſt in fauorem pupillaris ætatis & ſtatus. Poſterius autem ex l. vlt. Cod. In quibus cauſis in integrum reſtitutio neceſſaria non ſit.

DICO Quartò: Rei immobilis præſcriptio contra Romanam Eccleſiam non perficitur niſi annis centum: ſed contra Eccleſias alias perficitur quadraginta annis. De Eccleſia Romana conſtat ex Cap. Cùm ad audientiam, & Cap. Cum vobis, De præſcriptionibus: item ex Can. Nemo, XVI. q. 3. & ex Auth. Quas actiones, C. De ſacroſ. Eccleſijs. Altera pars ſimiliter conſtat ex diuerſis Capitulis, vt ex Cap. de Quarta: ex Cap. Illud autem, & ex Cap. Ad aures, De præſcriptionibus: item ex Auth. iam citata, vbi tempus pręſcriptionis contra alias Eccleſias reducitur ad annos 40. cum priùs fuerint quoque neceſſarij anni centum, vt conſtat ex l. vt inter diuinum, quæ ibidem proximè præcedit. His autem Eccleſijs æquiparantur alia loca pia, vt Hoſpitalia & Monaſteria. 20

DICO Quintò: Legata, & fideicommiſſa non poſſunt præſcribi niſi 30. annis. Colligitur ex l. vlt. §. ſin autem auaritiæ, Cod. Cõmunia de legatis, vbi dicitur, quòd illa præſcribi non poſſunt, ſcilicet tempore ordinario. Ita communiter vtriuſque Iuris Interpretes: quod tamen præſcribantur tricennio ſiue tempore 30. ann. docet Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 3. §. 3. n. 6. concl. 2. vbi plures DD. pro eadẽ ſententia citat: & fundat potiſſimùm in eo, quòd in hac præſcriptione 30. annorum non requiratur titulus, neque aliud Iuris impedimentum ei obſiſtat.

DICO Sextò: Ius patronatus, ſiue ius præſentandi ad beneficium, præſcribi poteſt tempore ordinario contra priuatum, puta decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes, nempe cum titulo: non poteſt tamen laicus præſcribere vllo tempore contra Eccleſiam certò liberam. Ita Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 10. n. 2. & communiter alij omnes, vt refert. Quòd ſi verò de eius libertate non certò conſtet, poſſunt parochiani in Eccleſia parochiali ius patronatus præſcribere cum titulo 40. annis, ſine titulo autem tempore immemoriali. Ita quoque Couar. loco citato cum Ioan. Andrea, & alijs contra Archidiaconum. 21

DICO Septimò: Similiter beneficium Eccleſiaſticum præſcribitur decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes cum titulo; ſicuti & alia iura, quæ bonis immobilibus annumerantur. Sine titulo autẽ non

procedit

procedit iſta præſcriptio, quia ſine titulo ſaltem colorato non poteſt haberi Canonica inſtitutio, & proinde nec poſſeſſio bonæ fidei.

Vbi hoc obſeruandum eſt, Quòd triennalis pacifica beneficij poſſeſſio cum bonâ fide, & abſque ingreſſu ſymoniaco, excludat omnem actionem cuiuſuis impetitoris in foro fori, vt conſtat ex Regula 33. Cancellariæ.

22 Sed Quæri poteſt, Vtrum talis poſt triennalem eiuſmodi poſſeſſionem præſcripſerit ſibi proprietatem beneficij, ita vt quamuis poſtmodùm cognoſcat prouiſionem ſibi factam non fuiſſe validam, poſſit nihilominus in foro conſcientiæ ſibi reſeruare. Negat Couar. ſed Nauar. lib. 3. Conſ. 40. & 42. De præbend. cum Rebuffo & cum Gloſſa antiqua in Regulas Cancellariæ affirmat, & ſequuntur plures recentiores. Videturque hæc ſententia ſatis probabilis: cùm enim Pontifex poſt triennalem eiuſmodi poſſeſſionem, nemini ampliùs concedat actionem ad eiuſmodi beneficium, cenſetur velle iam ſimpliciter eſſe, aut fieri ipſius, atque adeò in conſcientia illum reddere ſecurum, poſtquã cum titulo & bonâ fide, tanto tempore poſſederit: quandoquidem & Pontifex id poſſit, & poſſeſſio bonæ fidei videatur id promereri.

23 DICO Octauo: Res Principis prout ſunt diuerſæ, & diuerſæ quaſi naturę & conditionis, ſic etiam diuerſis modis & temporis præſcribuntur. Et quidem bona fiſco per ſententiam tradita & incorporata non præſcribuntur niſi 40. annis, vt conſtat ex l. Omnes 4. Cod. De præſcript. 30. & 40. annorum. Quod autem Inſtit. De vſucap. §. Res fiſci, dicatur eas vſucapi non poſſe, id intelligendum eſt de tempore ordinario, quo vſucapiuntur res priuatorum. Quando autem res eſt fiſco obnoxia quidem, ſed non incorporata nec tradita, tunc contra actionem fiſci præſcribi poteſt ſpatio quinque annorum, vt poteſt colligi ex l. 2. Cod. De vectigalibus & commiſſis: quando ſcilicet eſt commiſſa aut fiſco obnoxia propter vectigal non ſolutum, vel ſimili ex cauſa. In alijs enim criminibus quamdiu reus poteſt puniri, tamdiu non poteſt ipſe actionem fiſci præſcribere. Alij tamen, ad quos bona eius forſitan deuenerunt, præſcribunt quinquennio contra actionem fiſci, præterquam in caſu hæreſis.

Exemptio autem & immunitas ab ijs, quę Principi debentur in recognitionem ſupremæ poteſtatis, vt ſunt certi cenſus, & vectigalia, numquã poſſunt ab aliquo præſcribi. Ita Panormit. in Cap. Cum nobis, & in Cap. Ad audientiam De præſcriptionibus, & alij communiter. Secus eſt de immunitate à collectis & ſubſidijs, quæ non in recognitionem, ſed pro expenſis alicuius belli, aut propter ſimilem aliquam neceſſitatem publicam indicuntur & ſoluuntur: huiuſmodi enim immunitas poteſt præſcribi, vt colligitur ex d. l. Omnes 4. Cod. De præſcript. 30. & 40. annorum: quâ de re videre licet Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 2. n. 15. & 20.

Similiter quamuis non poſſit aliquis præſcribere exemptionem ab obedientia vel correctione Principis, quamdiu manet ſubditus (nam hæc quaſi eſſentialiter correſpondet Superioritati, & poteſtati Principis) poteſt tamen quis contra Principem præſcribere, vt deſinat eius eſſe ſubditus: quemadmodum multi Principes aliquando Imperio Romano ſubditi videntur feciſſe. Perficitur autem cum titulo hæc præſcriptio 40. annis, abſque titulo autem non niſi tempore immemoriali.

Contra ſummum tamen Pontificem non poteſt ſic præſcribi, vt quis ab eius poteſtate ſe eximat, deſinatq; eſſe eius ſubditus: quin nec ipſe poteſt aliquem extra ſuam iuriſdictionem ponere, quia hæc Iure diuino annexa eſt Pontificatui in omnes Chriſtianos, vt ex dictis alibi conſtat. 24

Iura autem Principatui reſeruata, vt indicendi tributum & ſimilia, poteſt quis præſcribere ſpatio 40. annorum cum titulo, & ſine titulo non niſi tempore immemoriali. Ita Panormit. ſuprà, & alij communiter, vt teſtatur Couar. Bona verò Principis, quæ dicuntur coronæ annexæ, non præſcribuntur niſi centum annis. Si quæ verò Princeps poſſideat tamquam priuatus, in his poteſt quilibet præſcribere contra Principem, ſicuti contra priuatum, vt docet Couar. ſuprà n. 16. ex Baldo & alijs.

DICO Vltimò: Actio iniuriarum exſpirat lapſu vnius anni. Patet ex l. Si non conuicij, Cod. De iniurijs. Actio autem ad accuſandum adulterium ad pœnam criminalem vel ciuilem exſpirat lapſu quinquennij. l. adulter: Cod. Ad L. Iuliam de adulterijs: non tamen extinguitur ad petendum diuortium, vt colligitur ex Can. Admonere 8. XXXII. q. 2. Actio denique de alijs criminibus accuſandis extinguitur annis 20. l. Querela Cod. De falſis.

DVBIVM VIII.

Vtrum quis tutâ cõſcientiâ rem detineat, quam iuxta legum & Canonum cõſtitutiones præſcripſit, ſi poſtea cognoſcat fuiſſe alterius?

Sunt

SVnt plures & diuerſæ hac de re opiniones, quibus prætermiſſis

25 Respondeo Breuiter, ex cōmuni DD. ſententiâ, talem poſſe tutâ conſcientiâ retinere, rem quàm ſic legitimè præſcripſit, & eam vt ſuam poſſe in iudicio defendere cōtra priorem dominum. Sumitur inprimis ex D.Th.Quodlibeto 12. art.26. & ita docent Gloſsa in Cap. Vigilanti De præſcriptionib. Panorm. ibid. qui aſſerit eam eſſe communem Canoniſtarum ſententiam, Couar. ad Reg. Poſseſsor p.3. vbi plures & alios citat, Caiet. & Syluester V. Præſcriptio, D. Soto lib.4. de Iuſt.& Iure q.5. a.4. & recentiores complures, tā Theologi quàm Iureconſulti.

Probatur: quia per legitimā prę́ſcriptionem non tantùm adimitur priori domino actio in foro externo, vt Summa Roſella videtur ſupponere, quę contrariam tenet opinionem, ſed etiam dominium ſecundùm legum diſpoſitionē illi tollitur, & in præſcribentem transfertur, vt clarè probari poteſt ex l.3. D. De vſurpat. & vſucapionibus: vbi vſucapio definitur eſſe adiectio (ſiue, vt alij legunt, adeptio) dominij per continuationē poſſeſſionis tēpore legibus definito. Neque Canones in eo vſquam reprehendunt aut corrigunt Ius ciuile, quamuis præſcriptionē cum mala fide tollant: quin potiùs videntur idipſum omninò ſupponere & approbare, quando iuxta illam legum diſpoſitonem iudicant, & iudicari volunt, vt patet ex Cauſa xvi. q.3. per diuerſos Canones: & in Cap. Sanctorum De præſcript. ait Pontifex, ſe irrefragabiliter confirmare, vt omnes poſſeſſiones ad ſingulas prouincias ſuorum cōfratrum pertinentes, à quibus per 30. annos poſſeſsæ ſunt, quietè & ſyncerè perpetuò teneantur, quod eod.tit. in alijs Capp. indicatur; ergo quando legitima præſcriptio eſt abſoluta, licet præſcribens, poſtmodum intelligat rem fuiſſe alterius, poterit tamen eam ſibi tutò retinere. Probatur Conſeq. quia res illa iam in eius tranſiuit dominium, ita diſponente Imperatore, aut alijs ſuperioribus, qui poteſtatem habent dominium ab vno transferendi in alterum, quemadmodū propter delicta, ita & ex alijs iuſtis cauſis bonum publicum concernentibus. Quòd ſi res in præſcribentis tranſierit dominium, nulla eſt ratio dicendi, quòd non poſſit eam nunc tutâ conſcientiâ retinere.

26 Adrianus autem in 4. De reſtitutione & Ioan. Medina C. De reſtit. q. 18. inter opinionem Summę Roſellę.& inter eam, quam diximus eſſe communiorem, amplectuntur ſententiam quaſi mediam: docent enim aliquando præſcriptione transferri dominiū, non autem ſemper: ſed tunc ſolùm, quando interceſsit prioris domini negligentia notabiliter culpabilis: & proinde tunc, non autē aliàs poſſe detineri rem præſcriptā, ſi poſtea conſtet fuiſſe alterius. Fundamentū horum eſt, quòd leges & Canones videantur ſubinde iudicare prę́ſcriptionem eſſe inductam ad excutiendam dominorum ſegnitiem in rebus ſuis curandis, vt poteſt colligi ex Cap. Vigilanti: De prę́ſcript.& proinde volunt in pœnā negligentiæ eſſe introductam. Quare vbi non eſt grauis negligentia, exiſtimant eam non procedere in foro conſcientię: quia ceſsante causâ ceſsat effectus.

Sed opinio iſta eſt ſingularis,& parum ſolida, aut probabilis: quod enim ad fundamentum iſtud attinet, Reſp. præſcriptionem non eſſe introductam ſaltem principaliter, ad tollendam negligentiam prioris domini, minùs ad eam puniendā, ſed ob alias cauſas maioris momenti, ex quibus etiā leges præſcriptionis iuſtificari ſolent: quarum inprimis vna principalior indicatur l. 1. D. De vſucapionibus, vbi ſic habetur: Bono publico vſucapio introducta eſt, ne ſcilicet quarundam rerum diu & ferè ſemper incerta dominia eſſent. Altera huic affinis, & eſt quaſi huius finis, vt contentiones & lites in Repub. vitentur, & aliquando finiantur, vt dicitur l. vlt. D. Pro ſuo, vbi conceſſa dicitur vſucapio, vt aliquando litium eſſet finis.

Huc iam poteſt accedere etiam reſpectus aliquis legū, ad hoc, vt domini ſic moueantur rem ſuam non nimis diu negligere, &, ſi neglexerint, patiantur illud incommodum, quod priuentur re ſuâ, non tam per modum pœnæ, quàm per modum cautelæ, vt aliàs quiſque ſit ſollicitus, tempeſtiuè rem ſuam curare: idque totum in ordine ad duas cauſas præcedentes, tamquam finem particulariter in præſcriptione à legibus intentum. Et hoc ſolū eſt, quod leges aut Canones aliquando ſubindicant, quando de ſegnitie vitanda loquuntur. Quod confirmatur Primò: quia exigua eſt culpa negligere res ſuas temporales,& ex ratione ſua non eſt mortalis, quemadmodum nec vitium prodigalitatis, inquit Soto, loco ſuprà cit. niſi in caſu grauis neceſſitatis familiæ, vel pauperum, quos debet quis alere; ergò non debet præſcriptio cenſeri inducta, vt illa culpa negligentiæ ſic puniatur: videretur enim illa pœna excedere meritum culpæ, niſi ſubeſſent aliæ cauſæ maioris momenti. Confirmatur Secundò: quia lex prę́ſcriptionis ſimpliciter eſt pœnalis: alioquin nunquā ſtatim à tempore lapſo adimeret dominium, ſed exſpectanda eſſet ſententia Iudicis: quod tamē nec illi volunt, qui docent tum adimere, quādo negligentia eſt culpa mortalis. Huc accedit, quod etiam leges non deſinant habere vim ſuā in particularibus, etſi in illis forſitan legis ratio locū non haberet. Sed contra Concluſionem

Obijcitur Primò d. Cap. Vigilanti, vbi Pontifex videtur derogare legi ciuili, quæ conſtituit ius præſcriptionis. Ait enim: Nobis au- 27

bis autē tam in rebus cognitis, quàm latentibus placuit non habere vigorem.

Reſpondetur, Pontificem loqui de præſcriptione 30. vel 40 annorū cum mala fide, quam dicit Epheſinum quendā legiſlatorem induxiſſe: & hanc vult non habere vigorem, ſiue rem poſſideamus domino conſcio & negligente, ſiue ipſo inſcio, modò nobis cōſtet rem eſſe alterius. Non loquitur autē de præſcriptione cum bona fide: quin potiùs contrariū de hac ſignificet, quando dicit: Quoniam nulla antiqua dierum poſſeſsio iuuat aliquem malæ fidei poſſeſſorem. Inde enim poteſt à contrario ſenſu colligi, quod ex mente Pontificis, antiqua dierum poſſeſsio iuuet poſſeſſorem bonæ fidei.

Sed cōtrà Replicabit aliquis: Iuuat bonę fidei poſſeſsio, quamdiu illa eſt bonæ fidei, & ignoratur, quòd res ſit alterius: atqui dum hoc ſcitur, iam deſinit bona fides, ſi detineatur vlteriùs; ergò &c. Reſp. Quando cognoſcitur, quòd res ſit alterius, antequam tempus legibus definitum ſit completum, tunc ceſſare bonam fidē, ſi vlteriùs detineatur: non autem quando id demùm cognoſcitur poſt tempus legitimū abſolutum: quia licet modò cognoſcat, rem fuiſſe alterius, tamen ſimul nouit eam authoritate Superiorum, qui ex iuſtis cauſis publici boni, id poſsunt, nunc eſse tranſlatum in ſuum dominium, atque ita bonâ fide ex nouo titulo poſsidet illam vt ſuam.

28 Obijcitur Secundò: Locupletari quis nō debet cum alterius iniuriâ, aut iactura, vt habet regula Iuris in 6. Rurſum, Nemo eſt priuandus rebus ſuis abſque ſua culpa; ergò ſaltem quando prior dominus non eſt in culpa non perdet dominium rei ſuæ, & proinde tenebitur alter reſtituere.

Reſp. Neg. Conſ. Regula enim iuris allegata ſic accipienda eſt, quòd nemo locupletari debet cum alterius iniuriâ aut iacturâ, iniquè ſcilicet illatâ: non autem quod nullo modo id fieri poſsit cum alterius iacturâ. Nā qui ludis licitis, aut ſponſione, aut certamine debitis circumſtantijs veſtitis lucrū faciunt, locupletantur cum iacturâ aliorum, nec tamen ad reſtitutionem obligantur. Ad alterū dicendum eſt, Neminem abſque culpâ eſse priuandum rebus ſuis, niſi alia ſubſit iuſta cauſa, pręſertim quę tranquillitatem & bonum Reipub. concernat: qualem ſubeſse in legibus præſcriptionem conſtituentibus, ex antedictis ſatis intelligitur.

29 Obijcitur Tertiò: Bonum illud publicum, quod leges pręſcriptionis attendūt, ſatis obtinetur, quando negatur antiquo poſseſsori actio in foro externo, etſi nouus poſseſsor relinquatur ſuæ conſcientię, nec in eū transferatur dominiū, caſu quo res non eſt ipſius.

Reſp. Neg. Aſsumpt. quia, vt ex dictis cōſtat, bonum, quod leges intendunt, eſt, ne dominia rerū diu & frequenter ſint incerta: quod nō obtinebitur, ſi tantū negetur actio.

Sed dices: Illa incertitudo non cauſabit ſaltē lites, quas maximè videntur leges velle vitare, ergò ſufficienter habebitur bonum publicum intentum. Reſp. Quamuis iſta incertitudo tum nō cauſaret lites & proceſsus coram Iudice, tamen nata erit cauſare priuatas contentiones & rixas, quando prior dominus apprehēdit rem adhuc eſse ſuam, neque eius ſe amiſiſse dominium, & interim nō poſsit nouum poſseſsorem viâ iuris compellere ad reſtitutionem: quod nòn ita natū eſt fieri, quando ex communi ſenſu & doctrina nouerit rem illam non ampliùs ad ſe pertinere, ſed legum authoritate in alterius dominium iam tranſiuiſse: atque ita hoc etiam plurimum ad publicā quietem videtur ſpectare. Deinde æquum eſt, vt hominum conſcientijs quoq; conſulatur, quantum cōmodè fieri poteſt: quòd minùs fieri videtur, quando tam Canones quam leges negarent actionem contra eum, qui detineret rem alterius, quia ſic viderentur illum iniquum poſſeſſorem in ſua iniquitate fouere.

Obijcitur Quartò: Cui res eſt adiudicata per ſententiam Iudicis, fundatā in falſis probationibus, tenetur is ad reſtitutionem, quādo cognoſcit rem non eſſe ſuam, neque per eiuſmodi ſententiam acquirit illius dominium; ergò ſimiliter qui virtute pręſcriptionis rem detinet, obligatur in conſcientia ad reſtitutionem quando cognoſcit ſuam bonam fidem non fuiſſe benè fundatam, ſed rem fuiſſe alterius.

Reſp. N. C. & ratio diuerſitatis eſt, quia nō intendit Iudex, parti tribuere ius aut dominium rei, quam illi adiudicat: ſed tantùm declarat ſecundùm allegata & probata, eſſe rem illius. Vnde quando id facit ex mala informatione, non per tale iudiciū transfertur dominium; ſed remanet illud apud priorem dominum, cui debet in conſcientia reſtitui res, ſi victor litis, id ſciat aut intelligat. Aſt verò lex præſcriptionis, nō tantùm intendit ex tanta poſſeſſione, quaſi ex aliquo argumento, declarare rem eſſe illius poſſeſſoris: ſed poſt tantam & talem poſſeſſionē intendit ſimpliciter iſti poſſeſſori attribuere dominium rei, ſiue priùs fuerit illius, ſiue non, ne rerum dominia diu & ferè ſemper remaneant incerta: & hinc, quia talis poſſeſſor bonæ fidei tranſacto tempore legibus definito acquiſiuit dominium, non obligatur in conſcientia ad rei reſtitutionem.

DVBIVM IX.

Quibus concedatur reſtitutio in integrū aduerſus præſcriptionē?

OBſeruandū eſt, Reſtitutionē in integrū aduerſus præſcriptionem eſſe quod- 30
dam re-

Digitized by Google

dam remedium, quod elapſo tempore ad præſcriptionẽ requiſito adhuc relinquitur priori domino, ſcilicet vt auctoritate Iudicis poſſit reponi in eodẽ ſtatu & iure, in quibus erat ante completam præſcriptionem. Vnde

Obſeruandum Secundò, Quòd ſi ille, qui præſcribit, nouerit iam rem fuiſſe illius, qui in integrum ex veris narratis eſt reſtitutus, non poſſe tunc eum tutâ cõſcientiâ detinere rem præſcriptam, nec ſe contra reſtitutum defendere: quia quemadmodum authoritate publicâ præſcribens dominium rei acquiſierat, ita quoque eâdem authoritate iterum cenſetur illo priuatus, quando alter in integrum reſtituitur, quam poteſtatem ſibi leges reſeruant, quando præſcriptioni dant vigorem. Hinc fortaſſis fundamentum accipiunt quidam dicendi, dominium directũ manere apud priorem dominum poſt præſcriptionẽ, aut ſaltem eum retinere adhuc natiuam veluti actionem ad rem præſcriptam: quæ tamen non videntur congruè dici, neque de neceſſitate ſequuntur ex tali fundamento. His præmiſſis

31 Dico Primò: Minoribus, qui ſcilicet nondum 25. annũ expleuerunt, conceditur reſtitutio in integrum aduerſus pręſcriptionem, non tantùm ordinarij temporis, ſed etiam 30. aut 40. annorum, tametſi etiã non ignorauerint contra ſe præſcribi, modò tamen illam reſtitutionem petant intra quadriennium ab anno 25. ætatis expleto. Conſtat ex l. vnica, Cod. Si aduerſus vſucapionẽ, & l. vlt. C. De temporibus in integrum reſtitutionis. Idem priuilegium competit Eccleſiæ, vt patet ex Cap. 1. & 2. De reſtitutione in integrum in 6. cum Gloſſa ibid. quod etiam tradunt DD. & Gloſſa ad Authenticã, Quas actiones, C. De ſacroſ. Eccleſijs. Vide Couar. ad Reg. Poſſ. p. 3. §. 3. n. 4. & Panor. ad Cap. 1. De præſcript. & ad Cap. Auditis ibid. Imò Eccleſiæ ſubducitur tempus, quo vixit Prælatus, qui indebitè res alienauit vt ex Lælio notat Malderus tract. 1. c. 8. dub. 8.

Dico Secundò: Conceditur etiã maioribus reſtitutio in integrũ aduerſus præſcriptionem 10. & 20. ann. quando ſubeſt iuſta cauſa: qualis eſt, ſi tempore præſcriptionis fuerint occupati contra hoſtes Reip. aut in ſimilibus publicis negotijs impediti, vel apud hoſtes captiui detenti. Ita DD. communiter. Colligitur ex l. 1. D. Ex quibus cauſis maiores &c. & l. vlt. C. De temp. in integrũ reſtit. cognitâ & ceſſatione impedimenti: vt tradit Syluest. V. Præſcriptio 1. q. 14. & alij arg. tex. in Cap. 1. & 2. De in integrum reſtit. Debet tamen peti iſta reſtitutio intra quadriennium à completa præſcriptione.

Sed quæritur, An hi etiam reſtituantur 32
contra præſcriptionem longiſſimi temporis, ſcilicet 30. vel 40. an. Negat hoc Couar. loco cit. n. 1. & fundat ſe in l. Omnes C. De præſcript. 30. vel 40. annorum. Non deſunt tamen, quos & ipſe citat, qui cenſent illos quoque contra eiuſmodi præſcriptionem quandoque eſſe reſtituendos, quamuis non tam facilè, ſed ex maioribus cauſis: vt ſi illis impeditis in negotijs publicis proceſſerit pręſcriptio propter ipſorum abſentiã, ita vt inuincibiliter ignorauerint contra ſe ſeu bona ſua præſcribi, quod videtur indicari, l. vlt. ſuprà cit. C. De temporibus integrũ reſtitutionis. Requiritur autem, quòd plenè poſſint probare ſuam ignorantiam inuincibilem, ſeu iuſtã & probabilẽ, ita vt ex parte ipſorum non cenſeatur interueniſſe negligentia. Sed hæc magis ad forum externũ pertinẽt, de quibus licet plura videre apud Couar. qui quidem admittit rem eſſe dubiam, ſed addit ſuã opinionem in Iure veriorem & in praxi potiorẽ.

Quænam verò ſint talia, quæ præſcribi non poſſint, aut ſaltẽ non niſi tempore longiſſimo, ex ijs, quę hactenus diximus per diuerſas occaſiones, aliquouſq; colligi poterit. Quibus hoc addo, quòd res furto ſublatæ non poſſint præſcribi tempore ordinario, puta trium 10. aut 20. annorũ, ſed bene tempore 30. annorum aut plurium, non quidem à fure qui nõ eſt in bona fide, ſed ab altero, ad quẽ fortè deuenerunt & bonâ fide poſſidentur. Vide Inſt. de vſucapione §. Furtiuę. Eadem eſt ratio de rebus vi poſſeſſis.

CAPVT SEXTVM,

De Vſufructu, Vſu, & Poſſeſſione.

DVBIVM I.

Quid ſit Vſusfructus?

1 Respondetvr: Vſusfructus eſt ius quoddã rebus alienis vtendi, fruendi, ſaluâ earum ſubſtantiâ. Ita definitur Inſtit. De vſufructu in princ.

Per hoc, quod dicitur Ius quoddam, ſignificatur, vſumfructum, de quo agimus, nõ conſiſtere in facto ſeu in actu aliquo (quamuis hic poſſit eſſe eius quaſi effectus) ſed potiùs eſſe aliquam facultatem per modum habitus alicui competentem.

Quando dicitur, rebus alienis vtendi, fruendi, diſtinguitur contra dominiũ, quod eſt ius maius & præſtantius, quàm vſusfructus. Vnde dominus rei non dicitur illius vſufructuarius, licet etiam vtile dominium eius ſimul habeat.

Digitized by Google

Per illud autem, quod dicitur, Ius vtendi, remouetur ius, quod creditor habet in pignore, vel hypotheca, aut depoſitarius in re depoſitâ: quia illud non extendit ſe ad vſum pignoris aut hypothecæ, vel rei depoſitæ, adeò vt, ſi vtantur domino inuito, obligentur reſtituere æſtimationem illius vſus.

2 Quando additur, fruendi, excluditur ius vſus tantùm: quia hoc non ſe extendit ad fructus percipiendos ex re aliena, cuius vſus habetur, ſicuti vſusfructus, quo habetur non tantùm poteſtas vtendi re, ſed etiam ad placitum de illa diſponendi ad propriam vtilitatem, ſaluâ tamen ſemper eius ſubſtantiâ: v.g. elocandi alteri equum, aut domū, cuius quis habet vſumfructum, quod non poteſt, qui tantùm haberet vſum. Imò generaliter dat facultatē percipiendi fructus omnes, vt fœnum colligendi ex prato, ſegetes ex agro, ligna cædua ſecandi ex ſyluis, & hoc ipſo, quo vſufructuarius colligit fructus, acquirit in eis plenè dominium: ſi verò ille moriatur priuſquam eos collegerit, etſi maturi eſſent, cedunt proprietario, non autem hæredibus vſufructuarij, quia quādiu adhærent fundo, cenſentur vnum cum ſolo, donec alter eos colligendo acquiſierit ſibi eorum dominiū. Vide Inſt. De rerum diuiſione §. Is verò.

Additur denique, ſaluâ rerum ſubſtantiâ, quia vſufructuarius debet rem integrā proprietario reſeruare. Hinc fit, vt vſusfructus non poſſit propriè conſtitui in rebus, quæ vſu conſumuntur, vt in vino, frumento, pecunia, l. Omnium D. De vſufructu: tamen vtilitatis cauſa poteſt in ijs conſtitui quaſi vſusfructus; ita quidem, vt eorum dominiū transferatur in illū qui eſt quaſi vſufructuarius (quod fit in alijs) ſed debeat dare cautionem de reſtituendo, vbi tempus præfixum fuerit lapſum, vt de pecunia habetur Inſt. De vſufructu Conſtituitur.

Propter poſtremam itaque partem fit inprimis, vt, qui habet vſumfructum totius alicuius gregis, vel armenti, licet vti frui poſſit lacte, lanâ, fœtu, tamen in locum capitum demortuorum vel inutilium debeat ex fœtibus ſubſtituere alia, quæ poſtquam ſubſtituerit, cedunt in dominium proprietarij. Inſt. De rerum diuiſione §. ſed ſi gregis. Ratio eſt, quia grex aut armentum cenſetur quaſi res perpetua. Vnde ſi quis tantùm habeat vſumfructum vnius alicuius pecoris, & illud naturaliter pereat abſque culpa vſufructuarij, non tenebitur aliud ſubſtituere: Inſtit. De rerum diuiſ. §. in pecudum, & l. Quid ergò D. De vſufructu. Diuerſitatis ratio eſt, quia particularia pecora nō cenſentur quid perpetuum, ſicuti armentum aut grex.

Cōſequitur Secundò, Quòd ſi vſusfructus conſtitutus ſit in ſylua, aut vinea, teneri vſufructuarium loco arborum, aut vitis demortuę alias arbores, aut vitem plantare, niſi forſitan vi tempeſtatis, aut ſimili extraordinario modo forent deiectæ. Similiter ſi in ædibus ſit vſusfructus conſtitutus, teneri illum ad earum reparationem ſuo ſumptu, vt integræ ſaltem permaneant.

Denique vſufructuarius tenetur ad cautionem præſtandam proprietario, quòd ſecundùm boni viri arbitratum vtetur fruetur re ipſius, eamque ſuo tempore ſaluam relinquet. Ita Syluest. V. Vſus q. 4. & ſequenti, cum alijs quos allegat.

DVBIVM II.

Quomodo acquiratur & amittatur Vſusfructus?

Dico Primò: Vſusfructus generaliter duobus modis acquiritur, ſcilicet legis ordinatione, & priuatâ diſpoſitione. Priori modo acquiſitus, dicitur Legalis. Talem habet pater vſufructū peculij aduentitij filiorum, quamdiu ſunt ſub patriâ poteſtate. Poſteriori modo acquiſitus dicitur Conuentionalis. Talem habet, qui ex teſtamento, aut pactionibus ſiue ſtipulationibus ſunt vſufructuarij. Vide Inſtit. De vſufructu §. 1. 3

Dico Secundò: Vſusfructus amittitur pluribus modis; atque inprimis morte tum naturali, tum etiā ciuili, ſecundùm iura. Hęc conſiſtit in maxima capitis diminutione, & in media. Dicebatur autē maxima, quando quis libertate & ciuitate ſimul exuebatur, vt dum capitis damnabatur, aut ad beſtias, vel ad metalla: media verò quando libertas quidem retinebatur, ſed amittebatur ciuitas: vt fiebat in illis, qui deportabantur ad inſulas, aut in perpetuum proſcribebantur: de quibus videre licet Syluest. V. Teſtamentum 1. q. 4. Per profeſſionē autem Religionis (quæ dicitur etiam mors ciuilis) non redit vſusfructus ad proprietarium, ſed ad monaſterium, ſi tamen monaſterium ſit capax ſucceſſionis, vt docet Nauar. Cōment. 2. de Regularibus n. 70. & ſeqq. quod etiam colligi poteſt ex Authentica ingreſſi C. De ſacroſ. Eccleſijs.

Secundò amittitur, ſi vſufructuarius cedat ius ſuum proprietario.

Tertiò, ſi res ipſa pereat, vt ſi domus incendiò abſumatur; ſi pratum, aut ager terræ motu vel inundatione abſorbeantur.

Quartò amittitur viâ præſcriptionis, vt ſi vſufructuarius negligat ius ſuū, & proprietarius bonâ fide percipiat tanto tempore fructus, quanto opus eſt ad pręſcribendū ius illud: quod eſt 10. annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, vt ex ſuprà dictis intelligitur: & ex l. penult. C. De vſufructu.

Quintò ſi pater fiat hæreticus, amittit vſumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij.

Denique

Digitized by Google

Denique ſi vſusfructuarius acquirat rei proprietatẽ: tunc enim deſinit eſſe vſusfructuarius & efficitur dominus, & tum dicitur fieri conſolidatio. Vide Inſt. De vſufructu §. Finitur, & Silueſt. V. Vſus q. 11.

DVBIVM III.

Quid ſit Vſus?

4 RESPONDETVR: Vſus definiri ſolet Ius vtendi rebus alienis, ſaluâ earum ſubſtantiâ, ſcilicet vtendi tantùm, ſic vt non fruendi. Sumitur ex D. tit. De Vſufructu, & Inſtit. eodem tit. & ſequitur Silueſt. V. Vſus cum Gloſſ. ad l. 1. D. De vſu & habit. circa definitionem.

Aduertendum eſt Primò ex Conrado Tract. 1. De Contractib. quæſt. 12. quòd hæc vox, Vſus, ſicut &, Vſusfructus, poſſint dupliciter accipi. Vno modo pro ipſo actu vtendi rebus poſſeſſis, qualis vſus equi, vel domus, eſt actualis equitatio, actualis inhabitatio domus. Alio modo accipiuntur pro iure exercendi tales actiones in rem aliquam; quod ius eſt diſtinctum ab actione: & hoc poſteriori modo ſolent Leges & Canones ſumere iſtas voces.

Aduertendum Secundò, quòd Vti, & Frui non hîc accipiantur in ea ſignificatione, quâ 1. 2. quæſt. 11. & quæſt. 16. ſolent à Theologis definiri & diſtingui: ſed Vti in præſenti materiâ eſt tantùm applicare rem alienam ad aliquam tui ſolius commoditatem: ita vt ſi inde facias vtilitatem elocando illam alijs, vel ſi fragifera ſit, vendendo alijs ex fructibus eius iam non vti ſed frui diceris: Inſtit. tit. De vſu & habitatione, vbi latè explicatur, quidnam concedatur in vſu fundi, ædium, pecoris, mancipij: de quibus etiam videre licet Silueſt. loco citato. Frui verò importat etiam poſſe vtilitatem ſuam facere ex re aliena, deriuando fructus eius, aut actualem eius vſum ad alios, vt vendendo fructus, vel elocando rem &c. quare vſusfructus multò plus iuris includit, quàm nudus vſus. Ex dictis conſtat, quòd dominus rei non debeat dici habere vſum aut vſumfructum rei ſuæ, voces illas propriè accipiendo, vt apud Iure Conſ. accipiuntur, quia ſic verſantur tantùm circa res alienas, & non circa proprias.

Dum in definitione vſus additur, ſaluâ rei ſubſtantiâ, diſtinguitur hic vſus qui vocari ſolet vſusiuris, ab illo vſu, qui admittit rei conſumptionem: qualem habent Religioſi circa cibum & potum, quæ illis apponuntur ſumenda, & vocari poteſt, vſus facti. De quo latiùs agemus Dubio ſequenti.

DVBIVM IV.

Vtrum ſit diſtinguere vſum ſeu ius vtendi à dominio in rebus vſu conſumptibilibus?

PEr res vſu conſumptibiles non intelligimus hîc omnes, quę quocumque modo abſumuntur aut intereunt actuali vſu: non enim ſecurim, veſtes, aut libros comprehendimus ſub rebus vſu conſumptibilibus, quãuis contingat ea pluribus actibus paulatim deteri; ſed illas tantùm, quæ vnico actu, ad quem ordinatæ ſunt, conſumuntur, aut pereunt domino, vt ſub eius non maneant poteſtate. Cuiuſmodi ſunt vinum, oleum, panis, pecunia. In rebus enim prioris generis ſatis euidenter poteſt aduerti diſtinctio dominij & vſus: ſed obſcuritas eſt in poſterioribus. 5

Fuit autem quæſtio hęc operoſiùs examinata & diſputata occaſione Ordinis Fratrum Minorum, qui profitentur & ſuſtinent, ſe neque in communi neque in particulari habere vllius rei dominium. Sunt itaque eâ de re duæ ſententiæ ſatis celebres. Vna eſt Ioannis XXII. Pontificis in Extrauag. Ad Conditorem Canonũ, & duabus ſeqq. tit. De verborum ſignificat. vbi pluribus argumentis oſtendere conatur, in eiuſmodi rebus, vſum ſiue ius vtendi non poſſe diſtingui ab earum dominio: indeque concludit verũ non eſſe, quòd Franciſcani nec in communi, nec in particulari habeant alicuius rei dominium: quam opinionem etiam quidam DD. ſequuntur. Altera eſt huic oppoſita, quæ tenet etiam in talibus rebus vſum quendam poſſe diſtingui ab earum dominio: cui fauent plures Pontifices, qui recognouerunt Fratres Minores nec in communi, nec in particulari habere dominium alicuius rei: vt Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius IX. & Nicolaus III. in Extrauag. Exijt qui ſeminat, De verb. ſignificatione in 6. vbi priores tres ipſe citat. Et quidem hæc ſententia communior eſt, quam tenet Dominicus Soto lib. 4. de Iuſt. quæſt. 1. art. 1. Ledeſma in 2. p. quæſt. 18. art. 1. Nauar. in Comment. ſuper Cap. Non dicatis XII. q. 1. Mald. Tract. 1. cap. 3. dub. 4. Pet. Arrag. in 2. 2. q. 62. in principio de dominio, & alij. Pro reſolutione itaque & explicatione difficultatis propoſitæ ſit hæc

CONCLVSIO: In rebus vſu conſumptibilibus, de quibus controuertitur, ius vtendi independens non videtur diſtingui ab earũ dominio: ſed ius vtendi continuò dependens à poteſtate & voluntate alterius, omninò diſtinguitur à dominio earum rerum; ita vt quis poſſit ſibi ſeruare proprietatem, & alteri eiuſmodi vſum dependentem concedere abſque proprietate aut dominio. 6

Declaratur, quia dupliciter poteſt alicui concedi vſus ſiue ius vtendi pane, vino, & ſimilibus. Vno modo irreuocabiliter, & qui talem vſum concedit talium rerum, videtur transferre dominium: quare vſus ille ſeu ius illud vtendi, & dominium non facilè poterunt diſtingui. Alio modo poteſt concedi reuocabiliter ad placitum concedentis, vel alterius, ita vt quouis momento poſſit à tali vſuario ſine iniuriâ eius, res illa auferri: & hoc ius reuocabile ac dependens facilè obſeruatur eſſe quid à dominio diſtinctum.

Confirmatur Primò: quia dominium eſt ius in re abſolutum & ſtabile ad omnem eius vſum, lege non prohibitum. Hoc autem ius vtendi tali modo & cum tali dependentiâ eſt conditionatum, & inſtabile, vtpote quo ad nutum alterius abſque iniuriâ priuor, ſi alteri placet, ſic vt eâ re vti non poſſim: idque continuò cum tali dependentiâ, donec res vſu ſit conſumpta: poteſt enim alter omni tempore rem repetere, & me vſu fruſtrare.

Confirmatur Secundò: quia certum eſt, Religioſos ſingulos profeſſos non habere vllo tempore in particulari alicuius rei dominium (hoc enim eſt de eſſentia Euangelicæ paupertatis, & indicatur ſatis Actorum cap. 4.) & nihilominus habent eiuſmodi vſum facti, ſeu reuocabilem & dependentem cibi & potus, quos ſumunt; ergo hic vſus eſt quid diſtinctum à dominio earum rerum. Tertiò: Habent conuiuæ vſum facti in cibo & potu in menſa appoſitis, quorum tamen dominium apud hoſpitem manet; ergò &c.

7 Hoc autem ſic præſuppoſito nulla videtur ſubeſſe ratio negandi Conuentus, & totum Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia & Capucinorum, qui id profitentur, non tantùm in rebus alijs, ſed etiam in ijs, quæ vnico actu vtendi conſumuntur, habere nudum vſum, ſeu ius vtendi ſeparatum ab omni dominio. Ita enim inprimis videntur ſenſiſſe Pontifices ſuprà allegati, & alij nonnulli cum ipſis. Deinde, quandoquidem vſus quidam in illis rebus, & dominium poſſint ſeparari, atque adeò ſeparentur de facto in ſingulis Religioſis in particulari quoad illa, quæ eis conceduntur vſu conſumenda (quod etiam Ioannes XXII. in Extrauag. Quia quorundam, vbi ad Conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum ſibi obiectas reſpondet, ſatis videtur innuere & admittere) nihil mirum debet videri, quòd iſta quoque in tota aliqua communitate & Ordine Religioſorum, ſint ſeparata, ita vt tota communitas non habeat niſi merum quaſi vſum facti, & nullam proprietatem aut dominium: præſertim cùm hic ſit perfectior paupertatis gradus, quando ne in communi quidem aliquid cum dominio poſſidetur, vt tradidit Innocẽtius ſiue Cæleſtinus V. vt refert in citata Extrauag. Ioannes XXII. quamuis ipſe aliter videatur ſentire; & dicat Innocentium id docuiſſe vt Fratrem Petrum de Carantaſia, non vt Papam. Contra dicta itaque

Obijcitur Primò auctoritas eiuſdẽ Ioannis XXII. qui in Extrauag. ad Conditorem Canonum, poteſt videri definiuiſſe contrarium: & quod inſuper in fine d. Extrauag. Quia quorundam, vult eos, qui contra definita, ordinata ſeu facta in d. Extrauag. ad Conditorem Canonum, verbo vel ſcripto ſcienter approbant aliquid, vel defendunt, haberi ab omnibus tamquam contumaces & rebelles Romanæ Eccleſiæ; ergò &c.

Reſpondetur negando Ioan. Pont. ibi definiuiſſe aliquid contrariũ noſtris dictis ſeu Concluſioni: ſed quidem inprimis præſupponere & aſſumere contrarium Concluſionis noſtræ, vt apparet, pro argumento, quo poſſit oppoſitum quoque eius, quod nos ex concluſione noſtra ſtatuimus, oſtendere & probare de Fratribus Minoribus, ſcilicet eos non rectè nec verè ſuſtinere, quod ne in communi quidem habeant alicuius qualiſcumque rei dominium, quandoquidem, prout ille aſſumit, & pluribus etiam rationibus aſtruere conatur, non poſſint habere vſum eiuſmodi rerum, quæ vſu conſumuntur, abſque earum dominio. In quibus etſi erraſſet, & erraſſe admitteretur, non magnum erit inconueniens, quia principium illud, & id quod inde deducit, non ſunt materia fidei, neque per ſe aduerſantur bonis moribus. Deinde omnia illa diſputat & reſoluit vt Doctor, non vt Pontifex: quod ex ipſa diſputatione & textu, & modo procedendi facilè patet: idque per modum præambuli, vt viam ſternat certis ordinationibus, eaſque contra obloquia & inuidiam præmuniat, quas ex poteſtate Pontificia intendebat facere & ſtatuere: quarum vnam ſub finem dictæ Extrauag. Ad conditorem, edit his verbis: De Fratrum noſtrorum conſilio, hoc edicto in perpetuum valituro ſancimus, quòd in bonis, quæ in poſterum conferentur, vel offerentur, aut aliàs quomodolibet obuenire continget Fratribus ſeu Ordini ſupradictis, nullum ius ſeu dominium aliquod occaſione ordinationũ à quocumq; prędeceſſorum noſtrorum editarum Romanæ Eccleſiæ acquiratur &c. Quibus tamen per parentheſim hanc exceptionem interſeruit, dicendo: Exceptis Eccleſijs, Oratorijs, officinis, & habitationibus, ac vaſis, libris & veſtimentis, diuinis officijs dedicatis vel dedicandis: ad quæ ſe non extendunt adeò inconuenientia antea ab illo commemorata; ad quæ ſcilicet euitanda ipſe faciebat ordinationem iam recitatam. Alteram verò tradit & ſtatuit his verbis: Deinde diſtrictiùs 8

inhibe-

inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis ſeu adminiſtrandis bonis, quæ in poſterum Ordini vel Fratribus prædictis offerri, vel conferri, ſeu aliàs obuenire continget, quiſquam nominetur à quoquam ſeu conſtituatur noſtro nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ procurator, nec occaſione cuiuſuis priuilegij quicumque adminiſtrationē quorumcumque bonorum, quæ obuenire Fratribus ipſis vel Ordini continget in poſterum, iudicio vel extra agendo vel defendēdo, ſupplicando, vel aliàs quomodolibet aſſumere vel exercere dictæ Eccleſiæ nomine audeat, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Quas quidem Conſtitutiones fecit ad tollenda quædam ſcandala ſiue incommoda, quæ ibidem commemorat.

9 Quare ad id, quod in obiectione adiungitur ex altera Extrauag. Quia quorundam, Reſp. dicta noſtra nihil continere contra definita, ordinata ſeu facta in Extrauag. Ad conditorem, quia non eſt ibi facta authoritatiua aliqua definitio fidei, aut doctrinæ (quamuis Pontifex vt vir doctus diſcuſſerit quæſtionem, quam tractamus, & prout ipſe ſentiebat, determinauerit & reſoluerit difficultatem magis quidem Philoſophicā, & moralem, quàm Theologicam) ſed authoritate Pontificiā tantùm factæ ſunt definitiones ſeu ordinationes rerum faciendarum, ſiue omittendarum: quibus definitionibus ſiue ordinationibus non volebat Pontifex verbo vel ſcripto fieri oppoſitionem aut contradictionē. Eas autem Conſtitutiones nos hîc non tangimus, quamuis per poſteriores Pontifices dicantur immutatæ.

Obijcitur Secundò: Vſus eſt ius re alienâ vtendi ſaluâ eius ſubſtantiâ: atqui rei vnico actu conſumptibilis non poteſt eſſe aliquis actualis vſus, ſaluâ eius ſubſtantiâ; ergò non poteſt in tali re haberi vſus, niſi ſimul habeatur dominium.

10 Reſpondetur, ſic definiri vſum iuris, vt antea ſignificauimus, ſic dictum, tum quia in eo habetur ius quoddam abſolutum & independens vtendi re; tum potiùs, quia iura de illo vſu loquuntur: & verum quidem eſſe, quòd eiuſmodi vſus rei conſumptibilis, vix à dominio diſtinguatur, vt antè diximus: ſed præter illum dari vſum quendam alium, qui non ſit ius abſolutum vtendi re, ſed tantùm dependenter à voluntate alterius, & ad huius rationem non requiri, vt ſalua ſeruetur rei ſubſtantia. Atque huiuſmodi vſum dicimus poſſe conſtitui in re vſu conſumptibili, qui diſtinctus ſit à dominio talis rei, ſicut hoc paulò antè ſatis explicuimus: qui definiri poterit, quòd ſit quædā licentia ſeu facultas re alienâ vtendi vſque ad ipſius rei conſumptionem aut alienationem, niſi à domino priùs reuocetur.

Hinc patet ſolutio ad alterum argumentum, quod idē Ioan. XXII. in ſua Extrauag. 11
Ad conditorem, valde premit, ſcilicet quòd ſi Fratres Minores ne quidem in communi habeant dominium rerum, quas vſu conſumunt, fore illos actus conſumptionis iniuſtos, quia conſumerent & deſtruerent res non ſuas, ſed alienas.

Reſpondetur enim nō eſſe actus iniuſtos, quia quamuis conſumant rem non ſuam, tamen non faciunt id inuito domino, ſed eo volente, qui paratus eſt, & benè vult ſic rem ſibi interire per aliorum conſumptionē.

Ex quibus colligitur hunc vſum facti partim eſſe quid minus, & partim quid amplius, quàm ſit vſus Iuris. Eſt quid minus, quatenus non poteſt haberi aliquis eius actus niſi dependenter à voluntate alterius, nequidem pro aliquo tempore; quod locum non habet in vſu Iuris. Eſt autem quid amplius, quatenus hæc facultas poteſt ſe extendere ad rei conſumptionem & interitum; quo ſe non poteſt extendere vſus iuris.

Quæret aliquis: Si communitas Fratrum 12
Minorum non habet eiuſmodi rerum dominium, penes quem illud erit, cùm Ioannes XXII. in d. Extrauag. ad Conditorem videatur id abdicaſſe? Reſpondetur: Fideles, qui eleemoſynas illis largiuntur, vel intendunt earum ſibi dominium reſeruare quouſque conſumptæ ſunt, vel id non intendunt. Quòd ſi intendant, apud ipſos manebit: ſin minùs, tranſibit ad Eccleſiam, quia poſt illam renunciationem Ioannis XXII. alij Pontifices iterum illud referuntur admiſiſſe, vt habetur in Priuilegijs Minorum V. Paupertas. Pro illo autem tempore, quo valebat ordinatio Ioannis XXII. poteſt dici dominium adhuc fuiſſe penes Eccleſiam vniuerſalem, quia ipſe videtur tantùm abdicaſſe ab Eccleſia Romana, quatenus illa eſt particularis Eccleſia, & habet ſua particularia bona.

Reſtant hîc adhuc difficultates aliquæ circa iſtam diſtinctionē vſus: ſed quæ commodius in Tractatu de vſura expedientur.

DVBIVM V.

Quid ſit Poſſeſſio?

NOtandum eſt, Poſſeſſionem iuxta 13
Iuriſperitos dici à pedum poſitione, vt patet ex l. 1. D. De acquirenda poſſeſſione. Capitur autem aliquando pro ipſa re, cui inſiſtitur ſeu quæ poſſidetur: aliquando & frequentiùs pro actu, aut iure inſiſtendi rei; & ſecundùm eam acceptionem hîc de poſſeſſione agemus. Iuxta etymologicam ergò nominis rationem poſſidens dicitur quaſi pedē ponendo inſiſtens rei, quæ poſſideri dicitur.

Digitized by Google

Definitur autem communiter Poſſeſſio eſſe detentio rei, corporis, animi, & iuris adminuculo. Vbi nomen Rei non tantùm comprehendit res, quas vocant Iuriſperiti corporales, ſed etiam incorporales, cuiuſmodi apud illos ſunt iura, & ſeruitutes: nam & hæc quoque poſſidentur: aut quaſi poſſidentur, vt quidam volunt.

Detentio hîc includit etiam apprehenſionem, quæ eſt inchoata quædam detentio: quemadmodum ipſa detentio eſt quædam inſiſtentia in re, quæ detinetur.

Corporis autem adminuculo tum detinetur, quando ipſa ſecundùm ſe, vel ſecundùm partem corporaliter apprehenditur contactu, aſpectu, ingreſſu, vel ſimili modo; vt ſi particula terræ, ſiue cæſpes ex fundo offeratur Eccleſiæ, quando illi fundus donatur, & dum illam apprehendit, cenſetur poni in poſſeſſione Eccleſia corporis adminuculo, vt colligitur ex Cap. Ex litteris De conſuetudine.

14 Poteſt autem iſta apprehenſio & detentio rei fieri & haberi tum per nos, tum per alios qui noſtras vices in eo ſuppleant, vt per ſeruum, aut per filium, qui ſub noſtra eſt poteſtate: idque etiamſi nos nec corpore nec animo per noſmetipſos ei incumbamus; nam poteſt quis animo ſimul & corpore alieno quippiam poſſidere. Animi verò adminiculum adeſſe debet, quia non ſatis eſt ad poſſeſſionem, quòd quis corporaliter rei inſiſtat: ſed & animo inſiſtat neceſſe eſt, ita ſcilicet, vt illi incumbat tamquam rei ſuæ: alioquin non dicetur ipſe propriè rem poſſidere, vt ex ſuprà dictis de præſcriptione licet intelligere.

15 Additur in deſcriptione, Etiam iuris adminuculo; quod hactenus eſt neceſſarium, vt ſaltem ius noſtris actibus non ſit ita contrarium vt impediat ſuâ diſpoſitione, quo minùs corporalis apprehenſio rei cum animo detinendi illam vt ſuam, ſufficiat vt quis dici poſſit poſſidere, prout aliquando iuris diſpoſitio impedit: vnde ſi Laicus ſic detineat locum religioſum v. g. partem Eccleſiæ, aut cœmeterij animo & corpore vt ſuam, non dicetur eius habere tamen poſſeſſionem, quia iura impediunt.

Dico itaque iuris adminuculum eſſe neceſſarium ſaltem hactenus, vt ſuâ diſpoſitione non impediat illam; quia ad rationem veræ poſſeſſionis non eſt neceſſe, quòd ius approbet detentionem noſtram tamquam iuſtam, ſiue quòd illa legibus iuſtitiæ ſit conformis: quia etiam iniuſta rei alienæ detentio, animo eam ſibi appropriandi poteſt eſſe vera poſſeſſio, quamuis non iuſta: neq; enim leges ab omni tali detentione tollunt energiam, ſiue rationem poſſeſſionis. Quomodo autem diuidatur poſſeſſio in naturalem tantùm, ciuilem tantùm, naturalem & ciuilem ſimul, ſuprà Cap. 5. Dubio 3. explicuimus. Ceterùm præſens deſcriptio proprijſſimè conuenit poſſeſſioni naturali & ciuili ſimul: quia illæ particulæ, corporis, animi adminiculo, per coniunctionem copulatiuam intelliguntur vniri. Si quis autem eam velit accommodare poſſeſſioni vel naturali tantùm, aut ciuili tantùm, poterit interponere coniunctionem diſiunctiuam. Vbi tamen non eſt animus detinendi rem vt ſuam, non poteſt eſſe poſſeſſio niſi valde impropriè: præterquam in caſibus, vbi aliquando legum diſpoſitiones ſupplent tum corporis, tum animi adminuculum, prout fit in poſſeſſione, quam vocant ciuiliſſimam: vt patet ex dictis ſuprà d. Cap. 5. Dubio 3.

DVBIVM VI.

Quomodo acquiratur poſſeſſio?

Respondetvr, Generaliter loquendo acquiri tribus modis, ſcilicet verâ apprehenſione rei, apprehenſione fictâ, & legum diſpoſitione. 16

Apprehenſione verâ acquiritur, quando quis manibus rem apprehendit, aut pedibus rei inſiſtit. Et hæc eſt neceſſaria ad obtinendam poſſeſſionem rerũ, vbi non eſt dominus aut poſſeſſor, qui eas tradat: vt v. g. ad acquirendam poſſeſſionem ferarum, gemmarum, terrarum, inſularum, quæ ſub nullius ſunt dominio: item ad occupandam poſſeſſionem relictæ hæreditatis, quæ etiam domino caret. Similiter vt vi aut clam quis incipiat rem poſſidere, requiritur vera apprehenſio. Denique ſi alius rem poſſideat, qui nolit tibi poſſeſſionem tradere, opus eſt, vt rem verè apprehendas, ad hoc, vt eam poſſidere incipias.

Apprehenſione fictâ acquiri ſolet poſſeſſio earum rerum, quæ dominum habent, 17 quando ab ipſo, vel à Iudice traduntur, abſque verâ tamen & reali apprehenſione. Huiuſmodi traditio fit varijs modis: veluti Primò, Si antiquus poſſeſſor tradat alteri ſcripturam ſiue inſtrumentum, quo conſtat de titulo & iure, quibus rem poſſidebat, animo transferendi poſſeſſionem, & alter ſic acceptet, hoc ipſo acquirit illius rei poſſeſſionẽ; quia res cenſetur in tali inſtrumento quodammodo contineri: ſecus ſi tantùm tradat inſtrumentum contractus, venditionis v.g. cum ipſo initæ; hoc enim ad tradendam poſſeſſionem iure communi non ſufficit. Secundò, Si antiquus poſſeſſor eminùs aut cominùs oſtendat domum, aut agrum, dicatq; ſe tradere alteri poſſeſſionem, & alter ſignificet ſe acceptare, vt patet ex l. Quod meo D. De acquirenda poſſeſſione: oculi enim ſunt veluti quædam longæ manus, quibus res viſas ſuo modo apprehendimus, & veluti

Digitized by Google

& veluti contractamus. Tertiò, Si poſſeſſor tradat alicui claues domus, in quâ merces ſunt recluſæ, intendens mercium poſſeſſionem in eum transferre, & ille ſic acceptet, efficitur hic earum poſſeſſor: patet Inſtitut. De rerum diuiſ. §. Item ſi quis merces. Quartò, Quando poſt initum contractum conſentiente priori poſſeſſore apponitur cuſtodia rei, nomine illius, qui rem emit, ſiue res ſit mobilis, vt pecora, aut grana, ſiue immobilis, vt ager, domus, caſtrum, aut quid ſimile. Quintò, Si conſentiente venditore emptor rem vt ſuam ſignauerit: Sextò, Si is, qui agrum aut domum vendit, ſtipuletur eius conductionem, aut vſumfructum ſibi reſeruet, hoc ipſo emptor poſſeſſionem acquirit: item ſi quis vendat rem ei, apud quem eſt depoſita, acquirit depoſitarius illius poſſeſſionem: denique ſi quis vendat rem abſentem, & ſe coram tabellione conſtituat poſſeſſorem nomine emptoris; quod Iuriſperiti vocant tradere & acquirere poſſeſſionem per clauſulam Conſtituti.

18 Legum diſpoſitione poſſeſſio acquiritur quandoq; tam ſine fictâ, quā verâ apprehenſione: quando ſcilicet leges ita ſtatuerunt: quod ex profeſſo ſuſtinet & docet Couar. lib. 3. Variar. Reſol. c. 5. n. 6. contra Franc. Aretinum, qui in l. 1. n. 23. D. De acquir. poſſeſſ. ſcribit, Statuto, lege & conſuetudine poſſe induci, vt poſſeſſio in ſucceſſorem tranſeat, & item in hæredem, ſtatim ipſo iure: quia id intelligitur per actum fictum traditionis & apprehenſionis, ab ipſa lege inductum, quem & ipſa Lex tacite fingit, licet expreſsè fictionem non induxit: at ſi ſtatutum, vel Lex ſtatuerit poſſeſſionem in hæredem tranſmitti, ſine aliquo actu vero vel ficto, id à Principe vel lege fieri non poſſe, cùm ſit aduerſus ius naturale, quod requirit actum naturalem apprehenſionis ad acquirendam poſſeſſionem, l. 1. in princ. & l. 3. D. De acquir. poſſ. Hæc Aretinus. Contra quæ inprimis infert Couar. pro abſurdo, quòd ſic periclitabitur & quaſi euacuabitur Conſtitutio Regia in Regno Caſtiliæ, quæ in Legibus Taurinis eſt 45. quâ ſtatutum eſt; mortuo poſſeſſore maioratus poſſeſſionem ciuilem & naturalem transferri abſque aliquo actu apprehenſionis, vero vel ficto, in ipſum proximiorem agnatū, cognatumve, qui ex inſtitutione maioratus iure vocatus cenſeatur. Deinde pro ſe allegat Couar. varios textus, vt ex l. Quod meo D. De acquir. poſſeſſ. l. Clauibus D. De contrah. empt. l. Quiſquis C. De Donationibus: cap. 2. De conſuet. quibus (inquit) expreſſim probatur, abſque corporali apprehenſione per actum fictum, aut per alium lege vel conſuetudine ad hunc effectum approbatum, poſſeſſionem acquiri alicuius rei etiam corporeæ.

Cæterùm ſi quis exactiùs conſideret rem & dicta vtriuſque, forſitan obſeruabit, quòd Doctores iſti magis differant in verbis & modo loquendi, quàm in reipſa: & inde inter eos orta ſit differentia, quòd Aretin. inter actus fictos apprehenſionis comprehendat etiam ipſam conſtitutionem legis, quâ fictè traditur, & fictè ab hærede vel ſucceſſore apprehenditur poſſeſſio, prout lex ordinat; atque adeò, niſi huiuſmodi ſaltem apprehenſio ficta accedat, non poſſe lege vel ſtatuto acquiri dominium: quia eſt aduerſus ius naturale, id eſt contra rationem & quaſi repugnantiā inuoluens, quòd fieret talis mutatio etiam ciuilis ſiue moralis, & quòd nullus planè actus naturalis quocūq; modo concurreret, atque adeò, ſi ſtatutum aut lex dicendo, quòd velit poſſeſſionem transferri, abſque omni apprehenſione verâ vel fictâ, excluderet omnem apprehenſionem fictam, tam latè illam extendendo, nihil efficeret, quia ſeipſam deſtrueret, ex quo ipſa tunc excluderet etiam fictam apprehenſionem, quam inducit & per ſe præſtat. Et quidem ſic explicata & intellecta opinio Aretini eſt vera: & quamuis videatur ſubtilior hæc expoſitio, exiſtimo tamen eſſe omninò ad eius mentem. Sequitur verò in hoc loquendi genere magis Philoſophos, quàm Leges aut Iureconſultos. Couar. verò dum aſſerit abſque omni actu apprehenſionis, vero vel ficto, aliquando acquiri dominium, diſtinguit actum fictum apprehenſionis contra conſtitutionem legis; ita vt tantùm neget non opus eſſe tunc alium actum fictum apprehenſionis accedere, præter ipſam legem, quam non vocat ipſe fictam apprehenſionem. Et ſic poterunt etiam conciliari textus, quos hinc inde prædicti Doctores pro ſuâ opinione allegant. Nec periclitabitur Conſtitutio Regia, quia diceret Aretinus, etiam ibi concurrere fictam apprehenſionem, iuxta ſuum loquendi modum, videlicet illam, quæ inducta eſt per ipſam conſtitutionem: legem verò excludere omnem aliam apprehenſionem, veram aut fictam, quæ fiat per actum diſtinctum ab ipſa diſpoſitione legis. Et quidem poſſeſſio ſic acquiſita dicitur ciuiliſſima vt antè iudicauimus, quia minimum quid de actu naturalis apprehenſionis vel quaſi naturalis apprehenſionis hîc concurrit. 19

Poſſeſſio verò iurium & ſeruitutum potiſſimùm apprehenditur dupliciter. Primò, Si quis mittat aliquem in agrum, in quo velit ei ſeruitutem conſtituere, & ille ingrediatur, ſic ingrediendo acquirit poſſeſſionem illius ſeruitutis. Secundò, Si aliquis iure aliquo vtatur tamquam ad ſe pertinente, ſciente ac tolerante eo, cuius intererat concedere vel prohibere. Et hic modus generalis eſt: extenditque ſe etiam ad ea iura, 20

quæ

quæ non ſunt in re aliqua conſtituta, vt ad ius eligendi, ad ius præſentandi, & ſimilia. Vide Couarruuiam ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 8. & ſequente, & lib. 3. Variarum Reſol. cap. 16. nu. 10. In omnibus tamen iſtis ſpectandæ ſunt particulares leges aut conſuetudines Regnorum & Prouinciarum, quæ in diuerſis locis ſolent eſſe diuerſæ.

DVBIVM VII.

Quomodo amittatur rerum poſſeſsio?

21 Dico Primò: Quantum ad res mobiles, in primis earum poſſeſſio, tum ciuilis, tum naturalis amittitur, ſolâ voluntate nolentis eas amplius poſſidere: eſtque hic modus etiam communis in rebus immobilibus. Conſtat ex l. 1. §. Si vir, l. 3. §. In amittendâ, & l. Si quis D. De acquirenda poſſeſſ. Si quis tamen dimitteret ſolùm quaſi ſub tacitâ conditione, v. g. vt in alterum transferatur, tunc poſſeſſionem non amittit, altero non conſequente poſſeſſionẽ, l. Si me, in pr. D. De acquir. poſſeſſ. Secundò, amittitur poſſeſſio rerum mobilium, quando per furtum, vel rapinã quis eas à poſſeſſore aufert. Tertiò, Si is, cuius cuſtodiæ ſunt commiſſæ, incipiat eas detinere, & contrectare tamquam ſuas; vt ſi depoſitarius contractet rem depoſitam tamquam ſuam: & eo animo moueat illam loco ſuo, quod ſimul de Iure requiritur. Patet ex l. 3. §. Si rem: D. De acquir. poſſeſſione. Quartò, per amiſſionem: vt ſi quis burſam, aut annulum perdiderit, etiamſi nullus inuenerit, amittitur eius poſſeſſio, d. l. 3. §. Neruâ, & l. Si Rem D. De acquir. poſſ. Quintò, per fugam, ſi pecora ſint aut animalia, amittitur poſſeſſio: vt ſi pecus aberrauerit à grege ad loca, vnde redire non ſolet, deſinit poſſideri à domino: ſimiliter ſi gallinæ, aut alia domeſtica animalia euolauerint, nec habeant conſuetudinem per ſe redeundi, d. l. 3. §. Nerua. Dixi, ſi pecora ſint aut animalia; quia poſſeſſio hominis vt ſerui, vel ancillæ, non amittitur per ipſorum fugam, vt habetur l. Pomponius D. eod. tit.

22 Dico Secundò: Quantum ad res immobiles pertinet, in primis amittitur quoque poſſeſſio, tum ciuilis, tum naturalis, harum rerum ſolâ voluntate poſſeſſoris, nolentis eas ampliùs poſſidere, vti modò diximus. Deinde amittitur etiam, ſi poſſeſſor longo tempore fuerit abſens, &, nec per ſe, nec per alium rei incubuerit, neque proteſtatus fuerit ſe nolle dimittere poſſeſſionẽ. Quòd ſi non diu abſit aut proteſtetur, tunc amittit tantùm naturalem, non autem poſſeſſionem ciuilem. Tertiò amittit quis poſſeſſionem, ſi rem ab alio ſciat occupatam, & negligat. Quartò, ſi rem quidem repetat, ſed ab occupante repellatur. Quintò, Si timens aut præuidens repulſam, non audeat repetere, vel occupantẽ depellere. Sextò, ſi res ab alio ita ſit occupata, vt non ſit probabilis eius recuperatio, v. g. ſi aliquis valde potens occupet rem inferioris. Septimò, ſi mare aut flumen aſſiduè inundet: quę omnia conſtant ex D. tit. De acq. poſſeſſ. Quamdiu autem poſſeſſor inſiſtit rei, v. g. eſt in domo, aut fundo, aut in conſpectu eius, aut aliàs tã propè, vt præſto poſſit adeſſe dum opus fuerit, cenſetur retinere ſemper rei immobilis poſſeſſionem tum naturalem tum ciuilem.

DVBIVM VIII.

Quid priuilegij & vtilitatis contineat poſſeſsio?

Respondetvr: Poſſeſſio inprimis bonæ fidei parit pręſcriptionem, ſiue operatur, vt res, quę tua nõ eſt, elapſo certo tẽpore fiat tua, vt ex ſuprà dictis conſtat. 23

Secundò, Si oboriatur dubium de rei dominio, adhibitâ morali diligentiâ, & tamen remanente adhuc dubio vtrius res ſit, melior eſt conditio poſſidentis.

Tertio, In iudicijs parit præſumptionem dominij. Vnde poſſeſſor non debet probare rem eſſe ſuã, ſed alter, qui eam repetit: qui niſi ſufficienter probet, nihil contra poſſeſſorẽ obtinebit, Inſt. De Interd. §. Retinẽdæ.

Quartò, Poteſt poſſeſſor armis poſſeſſionem ſuam, non tantùm naturalem, ſed etiam ciuilem tueri, vt patet ex l. 3. D. De vi & vi armata, ex l. 1. Cod. Vnde vi, & ex Cap. Olim De reſtitut. ſpoliat. vt ſi quis domum rediens inueniat illam ab alio iniuſto inuaſore occupatam, poteſt armis illum expellere, conuocatis etiam ad id auxilijs neceſſarijs, ſed ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio eſt, quia non cenſetur id eſſe inuadere alium, ſed poſſeſſionem ſuam defendere: quemadmodum enim non teneor pati, vt quis me deijciat à poſſeſſione naturali domus, aut agri, ita neque vt à ciuili. Deijcior autem, ſi non illum ſtatim expellam, vt patet ex dictis Dub. præced.

Quintò, Poſſeſſor expulſus poteſt armis poſſeſſionem ſuam repetere, modò id fiat ſtatim, & non ex interuallo, vt habetur l. 3. ſuprà cit. Fit autem ſtatim, quod fit quàm citiſsimè fieri commodè poteſt, ſpectatâ rei difficultate, & alijs circumſtantijs. Vide Silueſtrum V. Bellum 2. n. 3.

Sexto, habet hoc præuilegij poſſeſsio, vt ſi dominus rei expellat iniuſtè poſſeſſorem à poſſeſsione, amittat expellens dominium, & applicetur expulſo. Si autem expellens non ſit dominus rei, tenetur reddere poſſeſſionem expulſo, & inſuper eius æſtimationem, vt habetur l. ſi quis in tantã Cod. Vnde vi, ſed ea lex non videtur amplius eſſe in vſu, vt Couar. docet lib. 3. Var. Reſol. c. 16. n. 7.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

De Iniuria & Reſtitutione in communi. Item de iniurijs in particulari in corpus proximi, per homicidium, mutilationem, ſtuprum, adulterium; & de reſtitutione in his requiſitâ.

CAPVT PRIMVM.

De Iniuria & Reſtitutione in communi.

DVBIVM PRIMVM.

An differant Iniuria & Iniuſtitia, & quid vtrumque ſit?

1 OBSERVANDVM eſt, Quòd ſicuti nomen Iuſtitiæ dupliciter accipitur, vt ſuprà explicuimus, aliquando ſcilicet pro collectione omnium virtutum, quibus hominis voluntas commenſuratur ſuæ regulæ, nimirum rectę rationi, & legibus Superiorum; aliquando autem pro virtute ſpeciali, quæ nimirum reddit vnicuique quod ſuum eſt: ſic quoque nomen Iniuſtitiæ ſumi dupliciter, vt docet Philoſophus lib. 5. Ethic. cap. 1. Vno modo pro tranſgreſſione cuiuſuis legis, quia eſt quædam violatio æqualitatis ſeu conformitatis debitæ legi ſeu præcepto, cùm non tribuatur legi quod illi debetur. Vnde in Scripturis ſatis communiter omne peccatum vocatur Iniquitas, & Iniuſtitia, & peccatores dicuntur Iniqui & Iniuſti, vt ad Rom. 1. *Reuelatur ira Dei ſuper iniuſtitiã hominum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent*; & Ioan. cap. 7. & *Iniuſtitia in illo non eſt*. Alio modo capitur Iniuſtitia vt opponitur Iuſtitiæ quatenus hæc eſt virtus particularis; idque vel tanquam actus, vel tanquam habitus. Poteſt namque nomen Iniuſtitiæ ſumi tam pro actu, quàm pro habitu: qui enim alienum aufert, aut non reddit alteri ſuum, dicitur committere iniuſtitiam. His præmiſſis

2 RESPONDETVR breuiter, Iniuſtitiam in poſteriori acceptione, quatenus ſumitur pro actu, & Iniuriam non differre. Declaratur: quia quemadmodũ per actum iuſtitiæ cuique ius ſuum tribuitur, ita per iniuſtitiæ actum ius iſtud violatur: in qua violatione ſita eſt iniuriæ ratio.

Ex quibus nunc patet, quid Iniuria & Iniuſtitia, prout ſignificant actum, ſint: nihil enim aliud ſunt, quàm alieni iuris violatio. Hæc autem violatio duobus modis fit: Primò, iniquâ acceptione, ſeu ablatione rei alienæ, ſiue interim is, qui aufert, habeat inde vtilitatem, ſiue non, & ſiue res pereat, ſiue in ſuo eſſe perſeueret: vt quando furatur quis rem alterius, quando alterius domũ incendit, quando hominẽ occidit, quando famam alterius lædit, cenſetur violare ius alterius. Secũdò, iniquâ detentione rei alienæ, quamuis eam ab altero non acceperit, aut ſaltem non iniquè acceperit: ſic violat ius alterius, qui non ſoluit legatum ex teſtamento, aut aliud iuſtum debitum: item qui non reddit tempore conſtituto depoſitum, aut mutuum acceptum.

Iniuſtitia verò ſumpta pro habitu, qui iuſtitiæ particulari opponitur, nihil eſt aliud, quàm praua voluntatis diſpoſitio ex actibus iniuſtis orta & ad ſimiles inclinans: quæ praua diſpoſitio, non tantùm commiſſione, ſed etiam omiſione contrahi poteſt, vt ſcilicet voluntas etiam quaſi poſitiuè procliuior ſit ad negligendum reddere alteri, quod ipſi debitum eſt: nam & in corporalibus videmus, ex omiſſione exercitiorum, naſci corporis diſpoſitionem contrariam facilitati actuum.

DVBIVM II.

Vtrum aliquis poſſit iniuſtum ſiue iniuriam pati volens?

RESPONDETVR: Quemadmodum nemo poteſt facere iniuſtum, ſiue iniu- 3
riam propriè loquendo niſi volens, ita è contrà

Digitized by Google

contrà pati nemo poteſt iniuſtum, aut iniuriam propriè, niſi nolens. Ita D. Th. q. 59. art. 3. ex Philoſopho, lib. 5. Ethic. cap. 9. & 11. vbi habet, quòd nemo ſpontè patiatur iniuriam, etiamſi poſſit ſpontè lædi & damno affici.

Probatur itaque prior pars; quia actus iniuſtitiæ ſeu iniuriæ, cùm ſit eſſentialiter actus moralis, includit neceſſariò ordinem ad voluntatem vſu rationis directam, tamquam ſuum principium. Vnde Brutum vel homo amens non committunt iniuſtitiam, nec inferunt iniuriam, etiamſi alios lædant, aut res aliorum deſtruant; ergò &c. Non tamen neceſſe eſt, quòd quis formaliter & expreſsè velit facere iniuriá, ſed ſatis eſſe poteſt, quòd implicitè & interpretatiuè velit.

Probatur altera pars: quia non cenſetur quis violare ius alterius, qui ipſo volente aufert aliquid ipſius, vel non reddit quod debet: quia hoc ipſo, quo quis vult actum ablationis rei ſuæ, vel omiſſionē redditionis ſatis cenſetur iuri ſuo cedere, & alteri tribuere poteſtatem ſic agendi: vnde iniuriam non patitur, idque eâ de causâ quia eſt volens reſpectu facti alterius. Confirmatur ex regula Iuris 72. in 6. quæ habet. Scienti & conſentienti non fit iniuria. Sed contrà

4 Obijcitur Primò: Qui occidit alium volentem, committit iniuſtitiam. Vnde Dauid 2. Regum cap. 1. morte puniuit adoleſcentem Amalecitam, qui dicebat ſe Saulem interfeciſſe volentem & præſtolantem; ergò &c.

Reſpondetur, talem quidem peccare contra iuſtitiam, ſed non in eum, quem ſic occidit: verùm in Rempublicam, cuius membrum erat occiſus: & in Deum, qui ſolus vitæ humanæ eſt dominus: ſicuti peccat, qui ſe ipſum occidit, vt tradit D. Th. loco cit. & propterea meritò punitur, qui occidit alium, etiamſi alius occidi vellet.

Obijcitur Secundò: Qui ſoluit vſuras, patitur iniuſtum, & tamen ſoluit volens; ergò etiam volens poteſt quis pati iniuſtum ſiue iniuriam.

Reſp. Etiamſi ſoluat volens ſimpliciter, tamen eſt nolens ſecundum quid, dum ſcilicet vellet non ſoluere, ſi aliter poſſet habere pecunias ſibi neceſſarias, aut recuperare pignora ſua: & huiuſmodi reniſus voluntatis ſufficit, vt non cenſeatur velle exactionem vſuræ, quam alter facit, ſed potiùs eam quaſi coactus tolerare.

5 Obijcitur Tertiò: Ex dictis ſequi videtur, quòd Chriſtus Dominus & SS. Martyres non ſint paſſi iniuriam, quia libenter paſſi ſunt, & pati deſiderarunt.

Reſp. N. C. Quando enim dicitur, quòd nullus iniuriam patiatur volens, intelligitur ſcilicet volens ipſam actionem alterius inferentis malum: qui enim alterius actionem vult & approbat, is cenſetur iuri ſuo cedere, & alteri facere poteſtatem, quantum in ſe eſt, ſic ſecum agendi: Chriſtus Dominus autem, & SS. Martyres non voluerunt nec approbarunt actiones tyrannorũ, quibus in eos ſæuierunt, quamuis lubenti animo paſſiones ob reſpectum altioris & maioris boni, ſuſtinuerunt, & ſuſtinere deſiderarunt: ſed per hoc nõ fecerunt tyrannis vllam poteſtatem, aut licentiam ita contra ſe agendi, nec iuri ſuo in contrarium ceſſerunt, quamuis ſe manibus eorum non ſubducerent. Vnde etiam corã diuino tribunali *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt*, vt habetur Sap. cap. 5.

DVBIVM III.

De Reſtitutionis nomine, & eius quidditate?

REStituere ſecundùm nominis compoſitionem idem eſt, quod iterum quippiam in ſuum locum ſtatuere, vt notat Soto 6 lib. 4. de Iuſt. & Iure q. 6. art. 1. Vnde quando minorennes, vel Eccleſia quæ minorennium priuilegio gaudet, à Iudice reponuntur in ſuo ſtatu & iure, à quibus deciderant, vſitato & celebri ſermone apud Iureconſultos dicuntur in integrum reſtitui. Sed ea reſtitutio non eſt, de quâ hîc agimus: eſt enim iſta ex ſua ratione actus iudicialis & ſuperioris poteſtatis, quæ ab ijs, quos dicitur in integrum reſtituere, nihil habet, vel abſtulit, quod ipſorum eſt. Reſtitutio autem, de qua hîc tractamus eſt actus priuati, aut quaſi priuati: & propriè eius, qui ab altero habet vel abſtulit aliquid quod illius erat, quod loco ſuo reponere, ſiue domino iterum exhibere debet: & vocatur huiuſmodi reſtitutio in iure Redhibitio, quaſi iterum exhibitio, vt patet L. Redhibere D. De Ædilitio edicto & redhibitione, vbi dicitur: Redhibere eſt facere, vt rurſum habeat venditor, quod habuerit.

Hinc Reſtitutio à Pet. Nauarr. Definitur eſſe actus iuſtitiæ, quo damnum proxi- 7 mo datum reſarcitur. Sed quia reſtitutio generaliter ſumpta non videtur neceſſariò ſupponere iniuſtitiam priùs commiſſam, aut damnum illatum, ſiue ab eo, qui reſtituere debet, ſiue ab alio (nam & depoſitarius tempori & loco depoſitum reſtituere debet, vbi non præceſſit iniuria, ſed beneficium) hinc plenior erit definitio, ſi dicatur eſſe actus iuſtitiæ, quo præſtamus, vt alius iterum habeat rem ſuam quæ penes nos eſt, vel cuius ablationis nos cauſa ſumus, vt inquam, iterum eam habeat, ſcilicet in ſe, quantum fieri poteſt, aut in ſuo ſimili vel æquiualenti. Quamuis autem itaque reſtitutio non præ- requirat

Digitized by Google

requirat neceſſariò iniuſtitiam aut læſionem, vt diximus, tamen hæc ſecutura ſemper eſt, ſi tempore & loco reſtitutio non adhibeatur, quia verſatur circa rem alterius, quæ debita eſt illi reddi.

DVBIVM IV.

Vtrum à Reſtitutione differant Solutio, & Satisfactio, & quo modo?

8 RESPONDEO & DICO Primò: Solutio à Reſtitutione differt, propriè loquendo in hoc, quòd Solutio ſit exhibitio rei quæ non eſt ſub dominio illius, nec ſub eius fuit poſſeſſione, cui prçſtatur ſolutio: ſed rei ad quam habet actionem; vnde obligatio dandi id quod ſoluitur, non ex eo oritur, quòd illud ſit alterius: Reſtitutio autem propriè ſit exhibitio rei quæ eſt alterius, ſic vt inde naſcatur obligatio dandi id, quod reſtituitur; adeò vt ſi alia res ſimilis, aut æquiualens ſubſtituatur, id per accidens ſe habeat, quia nimirum res in ſe, quæ eſt aut fuit domini, haberi nõ poteſt: quemadmodum è cõtrà per accidens fieri poteſt, quòd ſolutio præſtetur per rem quę alterius fuit, vt ſi eâdem pecuniâ, quã à te pro mercibus accepi, ſoluam tibi quod debeo, aut eam tibi relinquam in ſolutionem eius, quod debeo.

9 Quæret aliquis, Vtrum pecunia mutuò accepta debeat dici ſolui, an reſtitui? Reſpondetur, magis propriè dicetur ſolui, quàm reſtitui, ſi vtriuſque rationem attendamus: quia mutuatarius tenetur ratione cõtractus mutui, qui eſt talis naturę, vt dominiũ transferat pecuniæ; & hinc non obligatur eandem numero exhibere, quam mutuò accepit, etiamſi apud illum extaret: neque hæc mutuanti eſt obligata, cui tantùm cõperit actio in perſonam, vt aliam ſimilem ſiue eiuſdem ſpeciei præſtet: quare nõ tam reſtituit, quàm ſoluit. Vulgariter tamen loquendo ſolet etiam dici reſtituere, quia contractus iſte importat, quòd debeat præſtari res ſimilis & eiuſdem ſpeciei, ſic vt videatur idem reddi, quod acceptum fuit.

Satisfactio à Reſtitutione differt, quod illa generaliter de ipſa loquendo, latiùs pateat, quàm Reſtitutio: omnis enim reſtitutio eſt quædam ſatisfactio, non è contrà: nam omnis ſolutio dicitur ſatisfactio, non autem reſtitutio: vt v. g. qui ſoluit pretiũ pro equo quem emit, dicitur ſatisfacere, non autem reſtituere. Deinde in eo differt, quòd ſatisfactio reſpiciat propriè perſonam, dum quis præſtat id quod alteri ſatis eſt, etiamſi nõ ſit ęquiualens debito. Reſtitutio verò reſpicit rẽ, dũ exhibetur res ipſa ablata in ſe, aut, quando id fieri non poteſt, aliud ęquiualens tamquam idem, quod ablatum eſt. Tertiò, quòd ſtrictiùs & magis propriè nomen ſatisfactionis accipiendo, ea cõſiſtat in compenſatione iniuriæ, quę perſonę illata eſt, abſtrahendo à damno ſi quod fortè coniunctum aut ſecutum fuit. Vnde propriiſſimè verſatur circa honoris, aut dignitatis violatę reparationem: & conſiſtit magis in actione perſonæ, quàm in exhibitione rerũ, vel reſtauratione damnorum realium illatorum: quamuis hoc diſcrimen in cõmuni loquendi modo non ſemper obſeruetur. Inde tamen fit, quòd homines dicantur Deo ſatisfacere, quia ſcilicet ſe humiliando & pœnas pro delictis, quibus fuerunt ei iniurij, eiuſque honorẽ læſerunt, ſubeundo, resarciunt iniuriam, & quantum in ipſis eſt, honorem eius quaſi reparant, & reſtaurant: non autem dicuntur Deo facere reſtitutionem. Solent allegari & aliæ quædam differentiæ, vt videre eſt apud Dom. Soto, loco ſuprà cit. ſed quæ in his ferè includuntur, aut ex ijs facilè intelliguntur.

DVBIVM V.

Vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ?

RESPONDETVR: Reſtitutio propriè tantùm eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. 10 Ita docet D.Th. q. 62. art. 1. Arragon. ibid. a. 7. Nauar. c. 17. n. 11. Pet. Nauar. lib. 2. c. 1. Difficul. 3. n. 12. & alij plures, quos ipſe citat. Probatur: quia ablatio aut detentio rei alienę eſt actus iniuſtitię circa cõmutationes, quatenus conſtituunt inæqualitatem in rebus, dum vnus habet minùs quàm oportet, & alter amplius, vel ſaltem cauſa eſt, quòd prior minus habeat quàm debeat habere: atqui reſtitutio iſtis opponitur, quia tollit illã inæqualitatem, reddendo detentum, aut cõpenſando ablatum ſecundùm æqualitatem rei ad rem, ſeruando arithmeticam proportionẽ; ergò reſtitutio eſt actus illius iuſtitiæ, quæ commutationum eſt directiua. Vide dicta ſuprà Tract. 1. cap. 1. dub. 3.

Neque obſtat, quòd etiã aliquando diſtributiua læſa reparetur reſtitutione; quia id per accidens fit, quatenus ſcilicet contingit in actibus diſtributionis ſimul etiam lędi iuſtitiam commutatiuam: nam aliquando diſtributiua in ſuâ functione ſecum inuoluit commutatiuã, vt loco cit. explicuimus. Vnde fit, vt dũ reſtituendo reparatur per ſe, quod contra commutatiuam erat commiſſum, ſimul per accidens fiat bonum officium iuſtitiæ deſtributiuæ. Quamuis & hoc dici poſſet, tunc inæqualitatem illatam contra commutatiuam iuſtitiã tolli ſolutione rei potiùs quæ debebatur, quàm reſtitutione; quia res illa, quam vnus in diſtributione minus acceperat, non erat nec fuerat ipſius, ſed tantùm ad eam habebat actionem.

DVBIVM VI.

Quomodo contrahatur obligatio reſtitutionis?

11 RESPONDETVR: Ex duobus his capitibus contrahitur; ſcilicet ex operatione ſeu ablatione iniquâ rei alienę, & ex detentione rei alienæ quantumuis etiam ſine culpa: ſiue, vt alij loquuntur, contrahitur iſta obligatio dupliciter, nimirũ ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis. Ita docet D. Th. hic q. 62. art. 6. 7. & alij paſſim. Dicitur autem is contrahere ratione acceptionis, qui per iniuriã proximo rem abſtulit, ſiue illam ſibi ſeruet, ſiue alteri tradat, ſiue auferendo deſtruat, aut perdat. Sic ratione acceptionis tenetur, qui res alterius furatur, qui domũ incendit, qui hominem mutilat, aut ſtuprum infert, &c. Tales enim per eiuſmodi actus violant æqualitatẽ quam poſtulat iuſtitia commutatiua: quæ proinde per reſtitutionẽ debet reparari. Ratione rei acceptę contrahit obligationem is, apud quẽ res aliena exiſtit, etiamſi non abſtulerit: ſed vel à domino vt depoſitam, aut commodatam accepit, aut ab eo, qui forſitan iniuſtè abſtulit, emit aut dono habuit, idq; ſiue bonâ ſiue malâ fide. Obligatur autẽ hic ad reſtitutionem, quia tametſi nullã iniuriam intulerit, habet tamen plus quam ſuum, & verus dominus habet tantundem minus, quàm ſuũ. Quod ſi exſtet apud eum qui iniuſtè abſtulit, tenebitur is vtroq; titulo & ratione acceptionis, & ratione rei acceptę.

12 Arguunt hîc nonnulli, quòd plures debeant aſſignari tituli, ex quibus naſcatur reſtituendi neceſſitas ſiue obligatio: quia is, qui mutuũ accepit, à quo fur iſtud abſtulit, tenetur ad præſtationem mutui, & tamen neque ratione acceptionis iniuſtæ, neque ratione rei acceptæ, vtpote quæ nunc apud illum non exſtat, ergò ex aliquo alio capite contrahit illam obligationem. Sed iam ſuprà Dub. 4. diximus eum, qui ex cõtractu mutui alteri obligatur, non teneri propriè ad reſtitutionem rei: ſed ad ſatisfaciendum actioni, quam habet is qui mutuum dedit, in perſonam, non in ipſam rem quam dedit mutuò: vnde nõ poſſet hic eam iure repetere ab illo qui eam tenet. Minus verò poteſt dici teneri ad reſtitutionem, qui ex cõtractu emptionis, aut ſimili ratione tenetur ad præſtandũ pretium, aut aliud quid alteri, quod nõ eſt eius, nec ſub eius fuit poſſeſſione, licet interim iniuriam faceret, ſi debitum non præſtaret.

DVBIVM VII.

Qualis culpa requiratur, vt quis obligationem reſtituendi contrahat ratione damni dati?

OBſeruandum hîc eſt, cum Adriano in 4. De reſtitutione §. Vtrùm in foro 13
animæ, aliter ſumi Culpam apud Iureconſultos, & aliter apud Theologos. Apud hos enim culpa idem eſt quod Peccatum, ſiue mortale ſiue veniale: apud illos eſt idẽ, quòd omiſſio alicuius diligentiæ, ex qua aliquod incommodum ſequitur. Diuiduntq; eam in latiſſimam, latiorem, latam, leuem, & leuiſſimam, in quinque ſcilicet membra: Bart. in l. Quod Nerua, D. Depoſiti. Adrian. Quodlib. 4. Latiſſimam vocant, quando eſt dolus manifeſtus: Latiorem, quando eſt dolus præſumptus. Dolum verò definiunt calliditatem, fallaciam, aut machinationem, ad decipiendum aliquem adhibitam. Sumitur ex l. 1. D. De dolo malo. Nõ deſunt tamen, qui iſta duo priora membra nolunt ſub nomine Culpæ comprehendi, ſed ſimpliciter dolum appellant: & diuidunt culpã tantùm in tria poſteriora membra. Culpam latam vocant, quando in actione nõ adhibetur ea diligentia aut circumſpectio, quam paſſim homines eiuſdem conditionis aut ſortis ſolent adhibere, l. Lata D. De verb. ſignif. Leuẽ dicunt, quando non adhibetur ea diligentia, quam diligentiores in illo hominum genere ſolent adhibere: Leuiſſimã denique, quando omittitur id ſolùm, quod prudentiſſimi & vigilantiſſimi adhibent, l. Si putator, D. ad Legẽ Aquiliam. Sic, exempli gratiâ, committere dicitur culpam latam in cuſtodiendo libro ſibi commodato, qui relinquit illũ ante foris domus. Dicitur autem committere leuẽ, qui relinquit illum in cubiculo aperto: leuiſſimam denique, qui attraxit oſtium cubiculi ad claudendum, ſed non tentauit manu, an oſtium eſſet clauſum. Vide Syluest. V. Culpa & Nauar. c. 17. n. 177. His præmiſſis

DICO Primò: Quando nullus interceſſit 14
contractus, ex cõmuniori DD. ſententia, non oritur obligatio reſtitutionis damni ſecuti ex culpa leuiſſima vel leui; oritur autem ex ſententia omnium ex culpa lata, latiori vel latiſſima. Prior pars eſt contra Adrianũ loco cit. & Angelum V. Culpa n. 6. qui ex quauis culpâ docent contrahi iſtam obligationem: ſed tenent aſſertionem noſtram Innocent. in Cap. Sicut dignum, De homicidio, Panor. in Cap. Cum cauſa De teſt. Gab. in 4. diſt. 15. q. 14. a. 3. dub. 2. Syluеſ. d. V. Culpa n. 6. & V. Reſtitutio 2. n. 12. & 17. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. & lib. 5. q. 1. art. 9. Pet. Nauar. lib. 2. c. 1. n. 48. Henriquez Tract. de Irregularitate cap. 15. & alij recentiores paſſim.

Probatur Primò: quia non tenetur quis adhibere maiorem diligentiam, aut circumſpectionem, ne ex ſuis actionibus obueniat alteri damnum, quàm ſuæ conditionis homines habiti boni & prouidi ſolent paſſim adhibere: nemo enim obligatur, vt ſit magis prouidus, aut diligentior, quàm alij ſuæ ſortis eſſe

tis eſſe ſolent; ergò damnum, ſi quod alteri obueniant, non debet huic imputari.

Probatur 2. quia talis non videtur teneri ratione rei acceptæ, quandoquidem illa non extet: quod tamen commune ſatis principiũ, infrà ſuo loco examinabimus: neque ratione acceptionis, quandoquidem eam propriè nõ abſtulerit, ſed tantũ occaſione ſuæ actionis, quæ ſine peccato fuit (vt ſupponimus nunc & mox declarabimus) domino perierit; ergò abſolutè non tenetur ad eius reſtitutionem. Probatur Conſeq: quia alioquin teneretur quis etiã ex caſu planè fortuito, vbi ſumma fuiſſet adhibita diligentia & nulla culpa, quod nemo dixerit: & negat etiã Adrianus. Quod autem ratione culpæ leuiſſimæ, aut leuis non peccauerit (prout de peccato loquuntur Theologi) declaratur, quia, vti diximus, non tenetur quilibet ſemper in ſuis actionibus adhibere eam diligentiam, quam circumſpectiores ſoli aut circumſpectiſſimi adhibent: ſed ſatis facit, dum eam adhibet, quam ſuę conditionis homines boni & prudentes adhibere conſueuerunt.

15 Sed pro ſua ſententia opponit Adrianus quædam Capitula: & inprimis Cap. finale De iniurijs: vbi ait Pontifex, non excuſari eum, cuius imperitiã vel negligentiã damnũ eſt datum: ſed eum dumtaxat, qui, vt non accideret (inquit) de contingentibus nihil omiſit; ergò videtur, quòd quis teneatur de damno etiam ex culpa leui & leuiſſima.

Reſp. Neg. Conſ. quia nomine negligentiæ & imperitię ſignificatur ea, quę eſt culpa lata, atque adeò peccatum, vt colligitur ex ſequentibus. Subditur enim: Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriã veriſimiliter poſſe contingere. Vnde patet, quòd ſit ſermo de ignorantiâ, quam debuit depellere: quamq; alij ſimilis conditionis præcauere & depellere ſolent, & quòd proinde ad culpã latã pertineat. Quod verò Pontifex ait, illũ teneri, qui de contingentibus nihil omiſit, intelligendum conformiter eſt de ijs contingentibus, quę vir prudens illius conditionis prouideret: non autẽ de omnibus omninò euentibus: nam, vt diximus, apud omnes certũ eſt neminẽ teneri ex caſu planè fortuito, qui nec leuiſſimam culpam, prout Iuriſtæ loquuntur, habeat coniunctã.

16 Opponit Secundò Cap. Conſuluiſti 20. 11. q. 5. vbi Stephanus Pont. ſcribit: Monẽdi ſunt & proteſtandi parentes, ne tam tenellos ſecũ in vno lecto collocent, ne negligentiâ qualibet proueniente ſuffocentur, vel opprimantur, vnde ipſi homicidij rei inueniantur.

Reſp. loqui hîc quoque Pontificem de negligentia, quæ eſt peccatum & culpa lata, quæ facilè committitur in re tam periculoſa & ſatis crebri euentus: quando enim periculum eſt magnum & frequens caſus, tum negligentia, quæ alioquin in ſe poſſet parua videri, reputatur magna & grauis.

Obſeruandum autem hîc eſt, In foro externo, tam Eccleſiaſtico, quàm ciuili, puniri interdum culpam etiam leuiſſimam, præſertim in committendo poſitã, partim propter præſumptionem fraudis, quæ magis locum habet circa commiſſiorem, quàm circa omiſſionem; partim ne foueatur negligentia, aut aperiatur feneſtra fraudibus: ſed in foro interiori præſumptio locum non habet.

Poſterior pars Aſſertionis conſtat ex d. Cap. fin. De iniurijs; & probatur: quia quiſque in actionibus periculoſis obligatur præſtare diligentiã, quam paſſim alij ſimilis ſortis ſolent præſtare: qui ergò illam neglexerit adhibere, cenſetur moraliter voluiſſe damnum inde ſecutum: quia non fecit ad illud vitandum, quod potuit & debuit. 17

Quæret aliquis, Vtrum in hac lata culpa debeat eſſe peccatum mortale Theologicè loquendo, vt quis ratione eius teneatur ad damni reparationem, extra caſum officij & contractus? Supponit hæc quæſtio, aliquando culpam latam ſubſiſtere (prout Iuriſtæ de illa loquuntur) cui tamen non ſubſit peccatum mortale. Quod omninò verũ eſt, & conſtat inprimis: quia poteſt quis per latam culpam eſſe alteri cauſa damni alicuius exigui, cui proinde non ſubeſt peccatum mortale. Similiter, vbi eſt cauſa magni damni, poteſt aliquando excuſari à mortali propter aliquam quaſi naturalem inaduertentiã tanti mali aut periculi, vel aliquam obliuionem, imò & ab omni culpa: v. g. exempla ponuntur à DD. aperuit quis puteũ in loco ſatis obuio cum voluntate mox claudendi, & ex datâ aliqua occaſione quaſi naturaliter oblitus fuit claudere, & cõtingit interim aliquem incidere. Rurſum, corripitur ex improuiſo quis ſubitâ irâ & vehementi paſſione, & occidit hominem per motum ſecundò primum, & ſimilia. His præmiſſis 18

Respondetur: Ex culpa iuridicè & ſecundùm forum fori latâ, cui nullum ſubeſt omninò peccatum Theologicè loquendo, nõ conſurgit obligatio reſtitutionis in foro conſcientiæ: quando autem ſubeſt veniale, quod tale eſt dumtaxat propter paruitatem damni dati, naſcitur obligatio reſtituendi, ſed ſub veniali: ſi denique contingat latam culpam, quâ damnum magnum datum ſiue illatũ eſt, excuſari à peccato mortali Theologicè loquendo, propter defectum plenioris aduertentiæ & ita propter defectum ſufficientis libertatis in actu, quamuis non à veniali excuſetur, tunc ex plurium DD. ſentẽtia, nulla quoque reſtitutionis obligatio naſcitur, ſaltem non illa, quæ ſit ſub mortali. 19

Prima pars, & ſecunda communiter tenẽtur ab omnibus. Et ratio primæ partis eſt: quia qui ſic ſine peccato omni cauſam damni dedit, neque tenetur ratione rei acceptæ, vtpote quæ ſupponitur periiſſe, aut ſaltem

 non ex-

Digitized by Google

non extare ſub poteſtate eius, qui cauſam dedit: neque ratione acceptionis iniuſtæ, vtpote quæ formaliter iniurioſa non fuit, quia non voluntaria, ſiue non libera. Addit Bonacina Tom. 2. De Reſt. in genere Diſp. 1.q.1.puncto 3.& vbi non eſt culpa, ibi non eſt pœna, quæ ſupponit culpam: Sed propriè & exactè loquendo, obligatio reſtitutionis, quæ naſcitur ex actione iniurioſa, non eſt pœna, vt infra adhuc dicemus.

Ratio ſecundæ partis eſt: quia qui voluntariè & cum plena aduertentia inæqualitatem ex aliqua ſaltem culpa poſuit, tenetur æqualitatem reſtaurare.

Circa tertiam partem non ita DD. conſentiunt. Tenent autem illam Dom. Soto lib. 4. De Iuſt. quæſt.7. art.2. Pet. Nauarra lib. 2. De Reſtit. cap. 1. n. 48. Henriquez De Irregul. c. 15. Sa V. Reſtitutio, Azorius 3.p.lib.9.c.8. circa fin. Leſſ. Mald. Tract.2. cap. vnico. dub. 5. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 23. n. 160. & alij. Rationem in hoc referunt: quia, quando in tali caſu ſolùm venialis culpa commiſſa eſt, non eſt actus perfectus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus: ideoque dicunt inprimis non conſurgere obligationem reſtitutionis, ſaltem perfectam, quæ adſtringat ſub mortali. Non enim videtur obligatio poſſe maior eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit iniuria in ſuo, ex quâ naſcitur obligatio. Imò amplius addunt, quandoquidem ſolùm veniale peccatum interceſſit in damno cauſando, vt cùm ex quâdam inconſideratione,& diſtractione & quaſi animi alienatione prouenit, quòd debeat cenſeri quaſi fortuitò obueniſſe: quodque ideo ex tali culpa non oriatur vlla obligatio reſtitutionis. Quod à poſteriori confirmari poteſt: nam obligatio in materia graui non poteſt eſſe niſi ſub graui peccato, quia per ſe loquendo, pendet obligationis quantitas ex materiæ grauitate, poſito præcepto naturali vel poſitiuo. Et ſanè mirum videretur hominem obligari ſub veniali tantùm, v. g. ad reſtitutionem aliquot millium aureorum, quorum perditioni dediſſet cauſam ſiue occaſionem per venialem aliquam inconſiderationem vel negligentiam: quodque ab illo ſine reſtitutione illorum abſolui non poſſet.

20 Contra tamen ſentit Bonacina loco ſup. cit. puncto 3. §. vnico num.9. vbi docet ex tali culpa naſci obligationem ad reſtitutionem, ſed non ad reſtitutionem totius damni, aſt ſolùm ſecundùm aliquam proportionem culpæ. Culpam autem poſſe eſſe tam paruam, quòd quis teneatur tantùm ad reſtitutionem partis centeſimæ: aliquando verò tam grauem intra terminos peccati venialis, quòd teneatur quis ad reſtitutionem decimæ partis. Vnde & vlteriùs docet cum Rebellio, Turriano, Reginaldo, & alijs, quos citat, teneri talem ſub peccato mortali ad reſtitutionem, quando peccatum veniale fuit tam graue, vt obligetur ad reſtituendam tantam partem, quæ cenſeatur notabilis in materia iuſtitiæ.

Quæ quidem etſi ab æquitate & ratione non videantur aliena, tamen fundamentum eius non apparet efficax ad conuincendum ſic ex iuſtitia debere fieri. Fundat enim opinionem ſuam in eo, quòd obligatio reſtitutionis nata ſic ex culpa, ſit pœna: quodque proinde pro qualitate & quantitate delicti etiam venialis, creſcat quantitas & qualitas obligationis ad reſtituendum. Hoc autem exactè & propriè loquendo verum non eſt: quod vel inde conſtat, quia fieri poteſt, quòd quis grauiùs delinquat inferendo vni damnum centum, quàm inferendo alteri damnum mille; & tamen non ſecundùm proportionem culpæ, ſed ſecundùm quantitatem damni tenebitur vterque ad tantam & talem reſtitutionẽ. Quare autem illi, qui admittunt ex culpa Iuridicè lata, quæ eſt veniale peccatum tantùm propter paruitatem damni, naſci obligationem reſtitutionis, non etiam admittant ex illa quæ eſt tantùm peccatum veniale ob inconſiderationem &c. oriri obligationem, ratio ab illis redditur: quia in iſta eſt plena & perfecta voluntas, ſaltem interpretatiua reſpectu illius effectus damnoſi ſecuti: non ſic in hac, vt ex modò dictis conſtat. Vnde etiam fit, quod damnum hoc quaſi fortuitò cenſeatur alteri obueniſſe, ſicut explicatum fuit, nõ ſic iſtud.

Cæterùm valdè hoc aduertendum, quod etiam plures monent, ſcilicet quòd, quando damnum eſt graue, cenſeatur ordinariè peccatum mortale interueniſſe, niſi de contrario aliunde conſtet: raró autem veniale tantùm: quia ſi aliquouſque aduertat quis periculum, vel occurrat aliquid, quod meritò mentem ad periculi conſiderationem excitet, & tamen negligat debitam adhibere diligentiam, communiter committit peccatum mortale: quia in operibus externis rariùs accidit conſideratio imperfecta, quæ in re graui ſit venialis tantùm: ſecùs in internis animi motibus: quia opera externa ſtatim ſuum periculum ingerunt, & mentem ad eius conſiderationem mouent & excitant.

DICO Secundò: Quando res eſt 21
apud aliquem ex contractu commodati aut conducti, ſi fortuitò apud eum pereat, ad nullam ipſe tenetur reſtitutionem, niſi expreſsè aliter ſit conuentum. Patet ex Cap. vnico, De Commodato.

Probatur: quia res quæque domino ſuo perit, ſi nulla interceſſerit culpa, aut contraria pactio, ratione cuius alter obligetur damnum reſarcire.

Dico

Digitized by Google

Dico, ſi nulla interceſſit culpa &c. quia v. g. commodatarius tenebitur, ſi fuerit in mora reſtituendi, vt ſi tempore ſtatuto non reddat, cùm poſſit, & poſtmodum apud eum pereat, licet fortuitò: ſi enim reſtituiſſet, fortaſſis non perijſſet. Similiter tenebitur, ſi vſus fuerit re commodatâ aliter, quàm conuentum erat, v. g. alio loco: vt ſi commodatò acceperis vas argenteum, vt domi tuæ vtereris, & extuliſti foras, vbi fortuito incendio perijt. Sic quoque quando interceſſit pactum de reſtituendo, quomodocumque contingat rem perire. Quod pactum is, qui gratis commodat, poteſt ſemper exigere: ſecus quādo iuſto pretio, quia ſupra iuſtū pretium, nihil exigi poteſt pretio æſtimabile. Vbi tamen in taxatione iuſti pretij etiam cōſiderari debet magnitudo periculi, ſi ſubſit. Vide de his cit. Cap. vnicum.

Dico Tertiò: Conſiſtendo intra limites
22 iuris naturalis, nemo de damno dato tenetur, etſi apud eum res ſit ex aliquo contractu, niſi per dolum aut latam culpam pereat. Sumitur ex l. Contractus 23. D. De Regulis Iuris, & ex auctoribus ſuprà ad Concluſionē primam allegatis, qui generaliter loquuntur, & probatur: quia iure naturæ nemo tenetur maiorem adhibere diligentiam in cuſtodia rei. v. g. ſibi commodatæ aut locatæ, quàm in re propria cuſtodienda, & quàm dominus adhibuiſſet, ſi apud eum res fuiſſet; ergò quando hâc diligentiâ præſtitâ nihilominus contingit rē perire, peribit ſine peccato eius, & proinde ſine iniuſtitia eius, apud quē eſt: atqui iure naturæ nemo in conſcientia tenetur de damno dato, niſi iniuſtè datum ſit; ergò cōſiſtendo intra terminos iuris naturæ licet quis habeat rem alterius ex contractu, & pereat citra dolum & latam culpam, non tenebitur ad reſtitutionem.

Dico Quartò: Poſitis tamen legibus hu-
23 manis, quæ deſuper emanarunt, ſi res alterius apud te ſit ex contractu, qui in tuam ſolius tendit vtilitatem, teneberis nō tantùm ex culpa lata, ſed etiam ex leui & leuiſſima, ſi apud te pereat: vt v. g. ſi quis tibi gratis commodauerit librum, veſtem, equum &c. ad tuam tantùm cauſam, teneris eâ in re cuſtodienda adhibere non eam tantùm diligentiam, quam communiter homines in cuſtodiendis ſolent præſtare, ſed illam, quam adhibent diligentiſſimi: vt ſi librum repoſueris in cubiculo, & egrediens attraxeris quidem oſtium, ſed non tentaueris, an firmiter eſſet clauſum, teneris ad reſtitutionem, ſi liber fuerit ex cubiculo ſublatus.

Patet ex citato Cap. vnico De Commodato: vbi dicitur: Cùm gratiâ ſui tantùm quis commodatum accepit, de leuiſſimâ etiam culpâ tenetur. Quod DD. communiter de culpa iuridicè ſumpta accipiunt, quamuis Soto videatur de culpa Theologicè ſumptâ intelligere. Idem colligitur ex l. In rebus commodatis 18. D. Commodati vel contra. Ratio autem aſſignari poteſt: quia æquitas naturalis poſtulat, vt qui in ſuam vtilitatem gratis vtitur re alterius, adhibeat maximam diligentiam ne domino pereat; hoc enim naturali lège gratitudinis debet rependere. Quare ſufficiens hîc ſubeſt fundamentum, vt id lege humana ſtatueretur, & induceretur ſtricta obligatio iuris.

Dico Quintò: Si contractus cedat 24
tantùm in commodum domini, cuius eſt res, teneberis tantùm ex dolo aut lata culpa: non autem ex leuiſſima aut leui. Patet ex Inſtit. Quibus modis contrahi obligatio, §. Interea & is: vbi habetur, depoſitarium (qui ſcilicet rem depoſitam cuſtodit gratis) teneri ſolùm ex dolo. Vbi tamen nomine doli etiam lata culpa comprehenditur, vt Gloſſa ibidem indicat. Vnde ſi quis mihi commendauerit arma in ipſius tantùm defenſionem, aut librum in ipſius tantùm gratiam, vt inde præbeam illi conſilium, tenebor tantùm ex lata culpa aut dolo, ſi apud me pereant: neque enim tunc poſtulat æquitas, quod obliger maiorem adhibere diligentiam, quàm communiter alij homines præſtare ſolent in rebus proprijs cuſtodiendis, quandoquidem res tua non meæ vtilitatis cauſa apud me ſit, ſed vtilitatis tuæ causâ.

Dico Sextò: Si contractus cedat in 25
vtilitatem vtriuſque, teneberis ex culpa lata atque etiam ex leui: non autem ex leuiſſima. Conſtat ex l. Contractus 23. D. De Regulis Iuris, & ex Inſtit. ſuprà §. Creditor. Talis eſt contractus pignoris: nam datur pignus vtriuſque gratiâ: vnde qui pignus accepit, tenetur quidem ad exactam diligentiam in eo cuſtodiendo, vt habetur Inſtit. loco citato, non tamen ad exactiſſimam, vt ibidem docet Gloſſa: talis quoque eſt contractus locati & conducti: item depoſiti, quando datur pretium pro cuſtodia rei: talis etiā poteſt eſſe contractus commodati, ſi vtriuſque gratiâ fiat. Ratio reddi poteſt, quia naturalis æquitas videtur poſtulare, vt rem alterius admodum diligenter cuſtodias, quando tibi præſtatur in tuam vtilitatē: quia tamen non in tui ſolius, ſed etiam propter commodum domini præſtatur, non videtur poſtulare, quòd omninò diligentiſſimè id facere debeas.

Quæret aliquis Primò, Vtrum Leges illæ 26
ciuiles obligent in conſcientia ad faciendam reſtitutionem ex culpa leui aut leuiſſima, etiam ante ſententiam iudicis. Dominicus Soto videtur eas apprehendere tamquam leges pœnales, & idcircò ante ſententiam Iudicis non obligare ad reſtitutionem: quod etiam alij nonnulli exiſtimant

non eſſe planè improbabile, quamuis ex alio fundamento. Verùm communis ſententia tenet contrarium: quia inprimis leges illæ reuera non ſunt pœnales. Deinde quia legibus iſtis poſitis, cenſetur earũ diſpoſitio tranſire in conditionem talium contractuũ, de quibus ſic diſponunt; ita vt, qui gratis commodat, cenſeatur cum tali conditione commodatè dare, vt rem eius diligentiſſimè cuſtodias, & tu viciſſim cenſearis te implicitè obligare ad tantam diligentiam præſtandam. Vbi proindè hoc obſeruandum, quòd non tam propriè itaque hîc oriatur obligatio ad reſtitutionem, quam ad ſolutionem, ad quàm præſtandam teneris ex lege & implicito contractu.

Quæret aliquis Secundò, Vtrum naſcatur obligatio reſtitutionis ex damno dato cum ignorantia concomitante, vt ſi quis putans occidere feram, interficiat inimicum, quem ad necem quærebat, ſed ignorabat ibi inimicum aut hominem eſſe.

Reſp. Negatiuè, ſi ignorantia fuerit inculpata: quia occiſio inimici vel hominis nullo modo tunc eſt voluntaria, & proinde abſque culpa. Neque refert, quòd illum æquè voluiſſet occidere, ſi ſciuiſſet eſſe inimicum: vti nec refert quòd poſtmodùm de inimici occiſione gaudeat: quia iſta voluntas nõ eſt cauſa operis: ſimiliter nec gaudium, quia ſequitur ipſum opus.

DVBIVM VIII.

Vtrum Reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem?

27 RESPONDETVR: Suppoſitâ iniuſtitiâ commiſsâ, vel nunc committendâ per detentionem rei alienæ, eſt reſtitutio ad ſalutem neceſſaria, ſi facultas ſuppetit: quæ ſi non ſuppetat, ſufficiet eo caſu, reſtituendi propoſitum, illudque requiritur neceſſariò.

Probatur Primò ex Scripturis: Ezech. cap. 33. *Si dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam, feceritq́; iudicium & iuſtitiam, & pignus reſtituerit, rapinamq́; reddiderit, vitâ viuet:* quaſi diceret, Si ea non præſtiterit, morte morietur: prout illi dictum fuerat. Tobiæ cap. 2. *Reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*

Idem docet Auguſt. Si res aliena (inquit) propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Quando ſcil. adeſt facultas reddendi. Quod addo, propter nonnullos, qui hinc exiſtimaſſe videntur realem & externam reſtitutionem eſſe neceſſariam quaſi neceſſitate medij, ita vt ſine ea ſalus obtineri nequeat. Quò inclinant, qui ſentiunt, quòd, qui reſtitutioni obnoxij licet cum pœnitentia, & mandato dato de reſtituendo, hinc migrant ante reſtitutionem factam, non ſint ex purgatorio liberandi, quamdiu negligentes forſitan hæredes reſtitutionem non adimplent. Quod omninò verum non eſt, vt ſumitur ex D.Th. Quodlibeto 6. art. 13. & Syluest. V. Teſtamentum, 2. §. 9. Mald. ſup. Dub. 6. & tenent alij communiter: Meritò tamen debent hæredes eâ de re eſſe ſoliciti, quia per negligentiam, nouum ipſi incurrerent iniuſtitiæ peccatum. 28

Probatur Tertiò ratione: quia non reſtituere, quando quis poteſt, eſt voluntariè nocere, & facere iniuriam proximo, quia impeditur à poſſeſſione & vſu rei ſuæ: atqui neceſſarium eſt ad ſalutem, vt nemini voluntariè noceamus aut iniurij ſimus; ergò &c.

Dixi in Concluſione, Si facultas ſuppetit; quia nemo obligatur ad impoſſibile exequendum. Eſt tamen propoſitum reſtituendi neceſſariũ, quia hic voluntatis actus eſt poſſibilis, atque adeò ſine illo non habetur perfectus dolor de iniuſtitia commiſſa, neque propoſitum emendationis & obſeruationis mandatorum Dei. Sed

Obijcitur Primò: Chriſtus Lucæ cap. 11. poſtquam Phariſæis obiecisset: *Quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ, & iniquitate,* ſubiungit, *veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis;* ergò eleemoſyna videtur ſufficere ad tollendum omnem reatum iniuſtitiæ abſque reſtitutione.

Omiſſis diuerſis expoſitionibus huius loci, quas videre licet apud Toletum in c. 11. Lucæ. Reſpondetur Neg. Conſ. inprimis, quia dum Chriſtus tam vehementer ad eleemoſynas hortatur Phariſæos, non debet per hoc intelligi liberare eos à neceſſitate reſtituendi iniquè ablata: ſed potiùs cenſeri præſupponere opus illud iuſtitiæ ex iniquè conquiſitis eſſe præmittendũ, & tunc opus charitatis coniungendum per modum ſatiſfactionis pro peccatis: quomodo illud rectè intellexit Zachęus Lucę c. 19. quando dixit: *Dimidiũ bonorum meorum, Domine, do pauperibus, &, ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* 29

Secundò, Reſponderi etiam poteſt, quòd Chriſtus ibi arguat interiores Phariſæorum affectus, & iniquas cupiditates (dicit enim: *Quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ & iniquitate:*) non autem externos actus. Iam verò praui iſti affectus auaritiæ & iniuſtitiæ ſanantur & mundantur optimè contrarijs actibus & exercitijs, etiam abſque reſtitutione: quia de facto aliena non abſtulerunt; dum ſcilicet illi, qui aliena concupiſcebant, iam propria elargiuntur, & in pauperes diſtribuunt, vt docet S. Auguſt.

Obijci-

Digitized by Google

30 Obijcitur Secundò: In Cap. In litteris, De raptoribus, ita ſcribit Pontifex: Hæredes eius moneas & compellas, vt his, quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contra iuſtitiã irrogauerat, iuxta facultates ſuas condignè ſatisfaciant, vt ſic à peccato valeat liberari. Hîc ſignificatur (vti apparet) hominem etiam poſt mortem, quando non eſt in ipſius poteſtate, vt reſtitutio fiat, manere peccato obnoxium, donec re ipsâ præſtetur ab hæredibus.

Reſpondetur Primò, quòd legendum videatur in numero plurali, vt ſic à peccato valeant liberari: & id referatur ad hæredes. Ita notauit Ioannes Andreæ in ſuo Commentario, & ex illo editio Gregoriana. Alij autem exponunt illud à peccato, id eſt, ab effectu peccati, ſiue, à peccato corã hominibus: quia ſcil. defunctus apud homines habetur tamquam reus & peccator, pro quo non fit reſtitutio. Forſitan verò Pontifex vt particularis Doctor, inclinatior fuit in eorum opinionẽ qui exiſtimant defunctorum animas ſaltem temporaliter diutiùs in purgatorio detineri, quando hæredes non reſtituunt, aut non ſoluunt quam tenet Summa Angelica: quod tamen etiam verum non eſſe, paulò ante oſtendimus: niſi fortaſſis aliquando per accidens, quatenus ex non reſtitutione ſiue nõ ſolutione contingit defunctos priuari aliquibus ſuffragijs aut precibus, qui pro illis fierent ſi reſtitutio aut ſolutio præſtaretur, vt notauit D. Th. Quodlib. 6. art. 13.

CAPVT SECVNDVM,

De iniurijs in corpus proximi per homicidium aut mutillationem, & de reſtitutione in his neceſſaria.

DVBIVM I.

Vtrum homini licitum ſit interimere quæcumque viuentia ad eſum?

1 QVÆSTIO mouetur de plantis, & animalibus brutis, propter Manichæos, qui olim docuerunt nec animalia bruta, neque plantas quaſcumque poſſe interimi ab homine ad ipſius vſum: quia exiſtimabant omnes animas eſſe quaſdam Dei particulas, vt tradit D. Aug. lib. 6. contra Fauſtum, & lib. 1. De ciuit. cap. 20. & Epiphan. Hæreſi 66.

Sed fide tenendum eſt hominem licitè poſſe & plantas, & animantia bruta in vſum ſuum interimere.

Probatur ex Scripturis: Geneſ. cap. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam*. Item Geneſ. cap. 9. poſt diluuium apertè conceduntur etiam omnia animantia in cibum, *Et omne quod mouetur & viuit* (inquit Script.) *erit vobis in cibũ: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Quia verò hęc apud Manichęos nihil efficiunt, eò quod Teſtam. Vetus ipſi non recipiant, probatur idem euidenter ex Nouo Teſtamento; ex quo conſtat Apoſtolos Chriſti ſpicas vellicaſſe, Chriſto id non interdicente: quin & ipſo eos vindicante contra calumnias Phariſæorum, qui arguebant, quòd ſabbathum violarent. Conſtat & illos piſcatos fuiſſe, & Chriſto mandante ex piſcibus captis menſam inſtruxiſſe. Item conſtat ex Chriſti mandato iuiſſe Apoſtolos, vt pararent Paſcha, & Chriſtum ſimul cum illis agnum Paſchalem manducaſſe. Apoſtolus quoque 1. ad Corinth. cap. 10. ſcribit: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Vnde manifeſtum eſt, etiam ſecundùm legem Noui Teſtamenti, licitum eſſe plantas, & animalia bruta interimere ad vſum & eſcam hominis.

Sed hic Quæritur Primò, Vtrum ante 2
tempus diluuij licitus fuerit eſus carnium? Negant id D. Chryſoſt. Hom. 22. in Geneſ. D. Hieron. lib. 1. contra Iouin. D. Th. 1. 2. q. 102. Toſtatus Abulenſ. in cap. 9. Geneſ. quæſt. 1. Affirmant verò è contra Franc. à Victoria Relect. De Temperantia. Dom. Soto lib. 5. De Iuſt. quæſt. 1. art. 7. Banneſius & Arragonius 2. 2. quæſt. 64. art. 1. Caiet. in cap. 9. Geneſ. Ex quibus nonnulli addunt, non tantùm fuiſſe tunc licitum eſum carnium; ſed etiam tam apud bonos, quàm apud malos, fuiſſe frequentatum. Quod inde confirmare nituntur: quia alioquin Abel de gregis ſui primogenitis, & adipibus eorum nõ aptè ſacrificaſſet, Geneſ.

Digitized by Google

cap. 4. vtpote qui ea obtuliſſet, quorum nullus erat vſus, ſi tantùm pelles & lac è gregibus capiebant. Sed hoc parum videtur conuincere, quia magnus vſus erat, hoc ipſum, quod Deo in ſacrificium & holocauſtum immolarentur.

Quarè mediâ viâ alij hîc incedunt, & dicunt eſum carnium poſt lapſum primi parentis nullo tempore prohibitum, aut illicitum fuiſſe: ſed tamen magis probos & veros Dei cultores, tunc temporis à carnibus abſtinuiſſe, tum quia cibus ille eſſet minùs neceſſarius, (erant enim homines robuſtiores, & alia nutrimenta erant tunc maioris virtutis, quàm modò) tum etiam quia ſic abſtinuiſſe conſiderarunt primos humani generis parentes: neque enim eſt veriſimile hos victum ſimpliciorem, quo in paradiſo veſcebantur, commutaſſe cum eſu carnium: quandoquidem nouerant ſe propter intemperantiam è paradiſo eiectos. Poſt diluuium tamen Deus, quando & hominum & herbarum vires multùm minuebantur, peculiari benignitate declarauit expreſſiùs, etiam carnium eſum humano generi eſſe conceſſum: vnde deinceps magis frequentari cœpit.

3 Quæritur Secundò: Vtrum qui crudeliter animalia bruta enecat, in eo peccet? Reſpondetur affirmatiuè: quamuis enim liceat animantia occidere, tamen abſtinendum eſt à crudelitate, ne ſine cauſa, doloribus conficiantur: tum quòd ſic agendo homo aſſueſcat faciliùs ſæuire in alios homines: tum quòd in eo ſit quidam abuſus poteſtatis & dominij, quod homini in beſtias terræ à Deo conceſſum eſt: & hoc probari poteſt ex Scriptura, quæ vult etiam beſtiarũ haberi rationem. Vnde Prouerb. 12. dicitur: *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia.* Et Exodi cap. 23. præcipit Dominus obſeruationem ſabbathi, etiam ob quietem iumentorum. Ionæ cap. vlt. parcit Dominns Niniuæ, tum ob alias cauſas, tum etiam ob innumera pecora, quæ ibi eſſent. Deuter. cap. 22. *Non arabis in boue ſimul & aſino*, ne ſcilicet totum iugum decidat in aſinum, qui minor eſt: & cap. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Neque obſtat, quòd Apoſtolus hunc locum adducens, dicat: *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Vult enim tantùm ſignificare ea non eſſe ſcripta principaliter propter boues, ſed ob rem in eo ſignificatam: quamuis interim ſecundariò etiam eò ſpectent, vt animantia cum moderamine & ratione tractentur. Addunt tamen Doctores in hoc exceſſu non ſolere niſi peccatum veniale committi.

4 Quæritur Tertiò: Vtrum aliquando licitum ſit veſci humanis carnibus? Reſpondetur inprimis: Apud omnes hæc videntur eſſe indubitata, ſcilicet Primò, id non licere in quacumque neceſſitate, quæ non ſit abſolutè extrema. Deinde in neceſſitate etiam extrema neminem teneri, aut compelli poſſe ad id faciendum, vt vitam ſuam conſeruet. Tertiò, nec licere occidere hominem etiam morte dignum, nequidem per authoritatem publicam, vt carnes eius ſint alijs in cibum. Vide Nauar. Caiet. 2. 2. quæſt. 148. art. 2. Mald. Tract. 3. c. 1. Dub. 1. Vnde reſtat

Quæſtio, Vtrùm in neceſſitate extrema liceat edere carnes hominis, aliâ occaſione occiſi. Affirmantem partem tenet Caiet. Toletus, Mald. locis citatis: & indicat Nauar. cap. 23. n. 130. E contra negantem partem tuetur à Victoria Relect. de Temperantia n. 6. & in illam inclinat Azorius Tom. 1. lib. 7. cap. 22. Valentia de temperantia diſput. 9. quæſt. 3. 5. 10. Vtraque ſententia ſua habet argumenta & ſuam probabilitatem: poſterior tamen videtur magis conformis naturæ humanæ inclinationi, quæ ita eſt auerſa & aliena ab eiuſmodi cibo, vt omnes qui nõ extremè fuerunt barbari, ſemper horruerint, ſi quid tale etiã in extrema neceſſitate alicubi accidiſſe intellexiſſent: neque vllus legitur in eiuſmodi neceſſitatis caſu conſuluiſſe, vel approbaſſe talem eſum aut ſuſtentationem ex humanis carnibus. Vnde Valerius Maximus lib. 7. cap. 6. Numantinos eâ de re grauiter arguit, & dicit nullam in his eſſe neceſſitatis excuſationem: Nam quibus mori licuit (inquit) ſic viuere neceſſe non fuit. Quare qui hanc opinionem defendunt, dicunt id eſſe contra legem naturæ, adeoque contra præceptum negatiuum, quod ſemper pro omni tempore obliget: & quidem inprimo gradu iuris naturæ, quod etiam D. Th. infrà quæſt. 142. art. 4. ad 3. & alij Doctores videntur inſinuare, quando inter ſe conferunt beſtialem illam humanæ carnis commeſtionem, & vitium beſtialitatis in genere luxuriæ. Vnde iuxta illos non magis videtur vnquam poſſe eſſe licita iſta comeſtio, quàm hæc copula. Quemadmodum enim inter cætera animalia, nullum eſt homini adiutorium ſimile ſibi, quo poſſit ad generationem vti, ita è contrà nihil ei iuris eſt, vt ex humana carne ſeſe nutriat & ſuſtentat, cui cætera animantia, ſicut olera virentia, conceſſa ſunt in eſcam: ſed vel ius ſepulturæ debetur occiſo, aut ſi illâ in pœnam priuetur, auibus deuorandus relinquitur. Ad hæc accedit, quòd communi reſurrectioni vis quædam videatur inferri tali comeſtione, quam Dominus in nouiſſimo die ſit vindicaturus, quando vnicuique carnem ſuam reſtituet: quod Geneſ. cap. 9. videtur indicari, quando Dominus dicit: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis* &c. id enim ſic exponit Tertullianus, de reſurrectione carnis cap. 28. & 39.

Digitized by Google

& 39. Denique ſi in extrema neceſſitate liceret veſci carnibus hominis aliâ occaſione occiſi, cur non liceat etiam Magiſtratui occidere morte dignos, & ſepulturâ indignos, vt in ſimili neceſſitate carnes dentur alijs in eſcam: hoc tamen neque alterius ſententiæ Authores admittunt; ergò &c.

DVBIVM II.

Vtrum licitum ſit occidere peccatores?

5 CONCLVSIO eſt affirmatiua. Ita docet D. Th. quæſt. 60. art. 2c. eſtque certa & indubitata.

Probatur autem Primò ex Script. Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere*: & alijs locis iubet Dominus lapidari adulteros, & eos, qui ſabbathum violarent. Huc etiam adducit D. Th. illud Pſalmi 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Idem confirmari poteſt ex doctrina, quam tradit Apoſtolus ad Romanos cap. 13. *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.*

Probatur Secundò ratione: quia pars eſt propter totum: vnde pro conſeruatione totius poteſt reſecari: quemadmodum membrum putridum reſcinditur, ne totum corpus inficiat; ergò quandoquidem peccatores ſint pars Reipublicæ, poterunt ob eius quaſi totius incolumitatem tolli, & occidi.

6 Notandum autem hîc eſt, Scotum in 4. diſt. 15. quæſt. 3. circa hanc materiam tradere ſingularem quandam opinionem, ſcilicet non poſſe à publica etiam poteſtate occidi peccatores, niſi eos tantùm, quos Deus in veteri lege interficiendos expreſſit. Fundamentum eius eſt, quia Dominus Exodi cap. 20. & Matthæi cap. 5. generaliter, & abſolutè hominis occiſionem prohibet, dicens, *Non occides.* Vnde infert, non licere quemquam occidere, quantumuis malum, niſi Deo diſpenſante in ſuo præcepto: non diſpenſauit autem niſi circa illos, quos in Scripturis ſignificauit eſſe è medio tollendos. Vnde concludit, non poſſe fures occidi: nec ſe videre, dicit, quòd lex aliqua iuſta poſſit ſtatuere hominem occidi pro furto ſolo.

Sed hæc opinio tamquam minùs ſanæ fidei conformis, ab omnibus reijcitur; & meritò quidem. Quod probatur Primò: quia ſi publica auctoritas numquam potuerit, nec modò poſſit licitè occidere malefactores, niſi quos & quatenus Deus eos exemit ab illo ſuo præcepto, *Non occides*, quod Scotus dicit vniuerſale eſſe; ergò neq; alijs populis, quàm Iudæis, licuit vnquam iuſtâ lege, vel iudicio qualemcumque malefactorem ad mortem damnare, aut morte afficere: neque modò Chriſtianis id licebit. Confirmatur: quia quæ in lege antiqua de puniendis maleficis ſiue peccatoribus Deus conſtituit, quatenus hæc poſitiua ſunt, concernunt tantùm gentem Iudaicam, & poſt Chriſti aduentum, vis & robur eorum ceſſarunt; ergò propter exceptiones illas, quas ſecundùm Scotum in lege veteri Deus fecit à præcepto, *Non occides*, non licuit alijs gentibus gladium in malefactores etiam tales exerere, nec modò licebit Chriſtianis. Prius aduerſatur doctrinæ Apoſtoli ad Rom. 13. Vbi manifeſtè approbat vſum gladij in poteſtate publica, quæ pro illo tempore adhuc erat gentilis, de qua ipſe loquitur; nec etiam reſtringit ad caſus in Scripturis exceptos, ſed ſimpliciter dicit: *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.* Poſterius eidem doctrinæ quæ generalis eſt reſpectu omnis magiſtratus legitimi, non minùs aduerſatur: & fauet errori Anabaptiſtarum, qui aſſerunt Chriſtum in vera ſua Eccleſia non permittere magiſtratui vſum gladij. Dicit quidem Scotus licitè occidi homicidas: quia dixerit Chriſtus Matth. c. 26. *Omnes enim, qui acceperint gladiū, gladio peribunt:* ſed illud dictum parùm ad rem hanc facit: quia ibi Chriſtus non fert legem de homicidis occidendis: neque inſtituit, aut dat facultatem occidendi homicidas contra præceptum, *Non occides*, (vt Scotus videtur accipere:) ſed tantùm ex occaſione adducit & refert, quid mereantur, qui indebitè vtuntur gladio, & quid ordinariè eis obuenire ſolet, qui paratiores propriâ authoritate eſſe ſolent ad gladium eximendum. Quare ſi alias Magiſtratui Chriſtiano non liceret homicidam morte punire, ſanè nec propter allegatum Chriſti ſermonem, videretur id illi eſſe conceſſum.

Probatur Secundò: quia illæ Dei conſtitutiones in lege antiqua de certis malefactoribus occidendis, non fuerunt diſpenſationes, aut exceptiones ab illo præcepto naturali & diuino, *Non occides* (neque enim talium hominum malefactorum occiſiones, per publicam auctoritatem vetantur, aut continentur ſub generalitate illius præcepti, iuxta intentum & proprium eius ſenſum, vt ex infrà dicendis magis conſtabit:) ſed potiùs ſunt quædam expreſſiones & determinationes alterius præcepti naturalis & diuini, ex quo Magiſtratus obligatur ſecundum formam iuſtitiæ tollere è medio illos, qui Rempub. ſiue in ciuilibus, ſiue in ijs quę Dei cultum & veram religionem concernunt, perturbant. Quare non eſt cõſequens, quòd non poſſit Magiſtratus alicuius alterius criminis reos morte plectere: ſed, quod iſtos ſpecialiter 7

Digitized by Google

cialiter ex poſitiuâ Dei Conſtitutione apud Iudæos debebat morte punire. Vtraq; enim lex eſt iuris naturæ, tam quæ dicit, *Non occides*, quàm quæ mandat occidi, & è medio tolli illos, qui Rempub. perturbant: nec poſterior limitat priorem: quæ enim vetat hominem contra iuſtitiam occidi, non prohibet ſecundum leges iuſtitiæ occidi malefactores: quare euidens euadit per hanc non fieri exceptionem ab illa.

Ex his facilè videre eſt quid ad fundamentum Scoti dicendum ſit.

DVBIVM III.

Vtrum authoritate priuata liceat interficere peccatores?

8 CONCLVSIO eſt negatiua. Ita D.Th. quæſt. 64. ſup. cit. art. 3. & eſt certa apud omnes.

Probatur Primò authoritate D. Auguſt. lib. 1. De ciuit. cap. 16. Qui ſine aliqua publica adminiſtratione (inquit) maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto poteſtatem ſibi à Deo non conceſſam vſurpare non timuit.

Probatur Secundò ratione D. Thomæ: quia reſecare, aut tollere membrum Reipublicæ putridum & noxium, non eſt cuiuſlibet, ſed eius, qui curam communitatis ex officio gerit, adeoque ad Magiſtratum pertinet: huius enim eſt examinare & diſcernere, quis Rempub. perturbat, & è medio tollendus ſit, vt Reſp. quieta & ſalua poſſit conſiſtere: & tum illud abſque aliâ perturbatione & periculo Reipub. curare executioni mandari. Vnde Apoſtolus ad Rom. 13. de illo, qui in ſublimi poteſtate conſtitutus eſt, dicit: Quod *non ſine cauſa gladium portat: vindex in iram ei, qui malum agit*: non autem id attribuit omnibus de Republica.

9 Dices: Interim permittitur aliquando, quòd quilibet de populo poſſit aliquam vel aliquas certas perſonas occidere, v. g. proſcriptos hoſtes Reipublicæ aut publicos aliquos latrones; ergò &c.

Reſpondetur, Id non aduerſari dictis: quia eo caſu manifeſtum eſt, quòd licet is, qui occidit, ſit priuatus, tamen authoritas quâ occidit, ſit publica, quam Princeps aut Reſpublica illi attribuit. Debent autem circa tale negotium vt licitè concedatur eiuſmodi authoritas cuilibet, quædam obſeruari. Primò quidem, quòd debeat eſſe Princeps ſupremus, qui talem concedat licentiam, vt notat Soto lib. 5. quæſt. 1. art. 3. Secundò requiritur, quòd manifeſtè de crimine ſit conuictus is, in quem datur talis licentia. Tertiò, quòd aliter apprehendi & puniri nequeat. Quartò, quòd interim non deſinat nocere Reipublicæ. Quamuis enim non peccaretur contra iuſtitiam, ſi in vindictam tantùm criminis priùs admiſſi quis ſic à Principe condemnaretur, tamen videretur peccari contra charitatem (niſi fortaſſis exemplum illud impunitatis eſſet allaturum Reipubl. detrimentum) quia ſcilicet periculum eſt, ne ſic condemnatus occidatur abſque ſpatio pœnitendi & ad mortem ſe præparandi: de quo tamen iuſtitia debet quoque eſſe ſollicita, quantum ſine præiudicio Reipub. fieri poteſt. Deinde alia quædam incommoda etiam in illo caſu facilè interuenirent, de quibus videre licet Pet. Nauar. lib. 2. De Reſtitut. cap. 3. num. 219.

DVBIVM IV.

An priuato liceat occidere ſaltem Tyrannum?

ALphonſus à Caſtro de Hæreſibus V. Tyrannus, ſentire videtur, nullum omninò Tyrannum ab homine priuato poſſe occidi: ſed alij DD. communiter diſtinctione hîc vtuntur. 10

Dupliciter enim poteſt aliquis eſſe Tyrannus. Primò, ob defectum tituli; vt ſi quis nullum habens ius, aut titulum, vi & armis regnum aliquod vel prouinciam inuadat, & ſibi vſurpare nitatur, vel etiam ſibi vſurpet. Et de huiuſmodi tyranno communis eſt ſententia, quod poſſit à priuato occidi. Ita docet D.Th. in 2. Sent. diſt. vlt. quæſt. 2. art. 4. vbi etiam refert, quomodo Cicero laudet eos, qui Cæſarem quamuis familiarem & amicum occiderunt: & exponit ipſe Tullium loqui in eo caſu, quando aliquis ſibi dominium per violentiam arripit, nolentibus ſubditis, vel ad conſenſum coactis, & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore fieri poſſit: tunc enim (inquit) qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur & premium accipit. Sic Iudith occidit Holofernum: ſic Iahel occidit Siſeram, Iudic. cap. 4. & Aod ſic occidit Eglem Regem Moabitarum, qui opprimebat Iſraëlitas, Iudic. cap. 3. Idem docent Caiet. hîc qu. 64. art. 3. Soto lib. 4. quæſt. 1. art. 3. Arrag. 2.2. quæſt. 64. art. 2. & 3. Bannes ibid. art. 3. Mald. Tract. 3. cap. 1. dub. 4. Bonacina Tomo 2. De Reſtitit. Diſp. 2. quæſt. vlt. puncto 3. Molina Tom. 4. Tract. 3. Diſp. 6. num. 6.

Ratio autem redditur: quia ille non eſt Princeps populi; ſed iniquus inuaſor & oppreſſor: quiuis autem de populo poteſt iniquum inuaſorem, & oppreſſorem Reip. è medio

Digitized by Google

medio tollere, quando aliud non eſt medium liberandi Remp. Poteſt verò intelligi id fieri duplici iure. Primò, Iure defenſionis innocentis: & hoc titulo ſeu iure, poteſt etiam is qui non eſt pars Reip. oppreſſæ, eidem ſuccurrere & opprimentem tyrannum occidere, vt tradunt Bannes, Arragonius, Bonacina, & Molina, locis cit. Mens enim & voluntas Reip. eſt, vt defendatur à quouis, ſi aliter liberari nequeat. Secundò, Iure vindictæ, quia Reſp. ſiue eius Princeps (ſi Principem habeat) poteſt vindicare iniurias illatas; ita tamen, vt vindicta iniuriam non ſuperet. Hoc iure non poteſt vti, niſi qui à Republica ſeu Principe accepit authoritatem, vt miles; aut niſi Reſp. omnibus dederit ſimilem authoritatem: quod diximus cum cautelis fieri poſſe.

11 Sunt tamen hîc etiam quædam obſeruanda, vt quis priuatus licitè procedat: ac inprimis quidem, vt manifeſtè conſtet illum iniuſtè inuadere, qui Remp. aggreditur. Vnde non ſemper quàndo duo Principes inter ſe bellum gerunt pro Regno, aut Prouincia, licet priuatis occidere Principem partis aduerſæ: neque enim ſemper cenſendus eſt tyrannus, qui bellum infert: nam ſi probabile ius aliquod habeat, non erit tyrannus. Deinde, vt non timeantur maiora mala, & incommoda Reip. ex tyranni occiſione, quæ à ſucceſſoribus, vt filijs, vel amicis alijs, Reip. imminere poſſint. Tertio, Vt non ſit contra expreſſam Reip. voluntatem: quando enim hæc mauult tolerare, non debet priuatus tyrannum occidere: quia nec titulus vindictæ, quam priuatus, niſi acceperit authoritatem, exercere non poteſt: neque titulo defenſionis, quia dum Reſp. talem defenſionem non vult, nullus priuatus poteſt ſuo iudicio eam adhibere: Talis enim præſumptuoſa temeritas plurimis & maximis eſſet obnoxia incommodis.

Alio modo poteſt quis eſſe tyrannus, ratione dumtaxat adminiſtrationis, ſiue per abuſum ſuæ poteſtatis: vt ſi is, qui verè Princeps eſt, ad ſua priuata commoda, aut voluptates ſolùm intentus, iniuſtis & minimè neceſſarijs exactionibus vltra modum grauet Rempublicam, & eos, qui contradicunt, perſequatur, & ad necem quærat, aut aliter affligat: & de huiuſmodi tyranno dicimus, quòd occidi à priuato non poſſit, quamdiu manet Princeps. Ita tenet communiter DD. antè citati & alij paſſim, vt refert Suarez in Tract. de Fidei confeſſ. lib. 6. c. 4. n. 2.

12 Probatur Primò ex Scripturis, quæ generaliter mandant, vt omnis animâ poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: atqui Princeps quamuis tyrannicè regat, tamen tenet locum poteſtatis ſublimioris. Maior patet ex Apoſt. ad Rom. 13. & ex Epiſt. 1. Pet. cap. 2. quibus locis etiam vterque Apoſtolus reſpicit ad Reges & Principes Ethnicos, quibus volunt obtemperari in licitis, quamuis eſſent tyranni, qui Eccleſiam Dei perſequebantur, & ad impietatem compellebant: non igitur poterit Princeps tyrannus licitè à priuato interfici. Vnde D. Auguſt. propoſitione 73. ad Rom. ſic ſcribit: Ex tyrannis bonus ſubditus laudem habet, vel eos lucrando, vel patiente tolerando, non eos occidendo.

Probatur Secundò, ex Conc. Conſtant. Seſſ. 15. Vbi poſtquàm cõmemoraſſet huiuſmodi quorundã articulum: Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumq; vaſallum ſuũ, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factâ cum illo, non expectatâ ſententiâ, vel mandato Iudicis cuiuſcumque, ſubiungit Conc. ſe damnare iſtum articulum, tamquam erroneum in fide & moribus, hæreticum, ſcandaloſum, & vt ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, & periuria viam ſternentem: ac declarat inſuper, eiuſmodi doctrinam eſſe pernicioſiſſimam, & eius aſſertores eſſe hæreticos, & vt tales puniendos. Nullatenus igitur priuato licet manum mittere propriâ authoritate in talem tyrannum, qui verè Rex, aut Princeps eſt: nam & Scriptura vetat manum mittere in chriſtos ſiue vnctos Domini. Nullo etiam modo expediebat vitam & mortem Principum committere priuatis, qui facilè de prauato, aut imprudenti iudicio iudicauerint ſic Principem exceſſiſſe aut excedere, vt licitè ab eis tamquam tyrannus è medio tolli poſſit: quamuis tyrannus non eſſet, ſed tantùm iuſtitiam exerceret.

Probatur Tertiò: Quia ſubditus naturali Principi debet, quod filius patri: non poteſt autem filius patrem occidere pro defenſione alterius, vt infrà dicetur: ergò nec ſubditus Principem pro defenſione Reipublicæ. Extraneus autem, quia nulla ei eſt cũ Rep. quæ patitur, coniunctio, minùs illud poterit: idque propter maieſtatem principalem, quæ omnibus ſacroſancta eſſe debet. Quòd ſi tamen legittimus alioquin Princeps, ita tyrannicè ageret, vt fieret omninò intollerabilis, poſſet is legitimè exauthorari & declarari Reip. hoſtis, atque adeò, vt loquuntur Canones, diffidari, vt cuilibet liceat in perſonam eius attentare: idque à Repub. ſiue Statibus Regni, vel ab alio maiori habente authoritatem.

DVBIVM V.

Vtrum marito liceat occidere adulterum vxoris cum vxore.

Item

Item, An patri liceat occidere filiam & adulterum in adulterio deprehenſos?

13 RESPONDEO & DICO Primò: Iure ciuili licet patri occidere filiam in adulterio deprehenſam, & ipſum adulterum. Conſtat ex diuerſis legibus, vt l. Patri 2. D. Ad leg. Iul. De adulterijs, & l. 22. ibidem cum aliquot ſeqq.

Requiruntur tamen certæ aliquot conditiones: quarum vna eſt, vt filia ſit iuncta matrimonio: altera, vt ſit in patris poteſtate: tertia, vt eodem impetu occidat filiam & adulterum ſi poſſit. IV. vt crimen committatur in domo patris, aut generi. V. vt eos deprehendat pater in opere turpi, prout ex citatis legibus colligi poteſt, & latiùs videre licet apud Aug. Aretinum de maleficijs, & Iulium Clarum lib. 5. §. Homicidium.

DICO Secundò: Similiter iure ciuili licet marito occidere adulterum vxoris: non autem ipſam vxorem, vt verior habet opinio. Conſtat prior pars ex l. Marito D. Ad leg. Iul. de adult. vbi tamē id reſtringitur ad adulterum vilem in domo ipſius mariti deprehenſum. Idem conſtat ex l. Gracchus C. De adulterijs.

Altera pars ſumitur ex Suetonio qui in Auguſto teſtatur ipſum Auguſtum ſuſtuliſſe maritis eiuſmodi facultatem. Et confirmari poteſt ex cit. l. Marito, quia iubetur ille maritus vxorem ſine mora dimittere, occiſo adultero: & ita docet Couar. De Matrim. 2. p. §. 7. tomo 1.

14 DICO Tertiò: In foro tamen conſcientiæ licitum non eſt, ſiue patri, ſiue marito, aliquid iſtorum exequi, quæ diximus iure Ciuili eis concedi. Eſt contra Iul. Clarum & nonnullos, qui non tantum in foro fori, ſed etiam in foro cōſcientiæ exiſtimant eiuſmodi occiſores eſſe tutos: ſed Concluſionem noſtram communiter & paſſim omnes tenent, vt Couar. de Matrim. ſup. nu. 15. Gloſſ. in Can. Inter hæc XXXIII. q. 2. & plures alij Canoniſtæ, quos Couar. citat. Ex Theologis autē D. Th. in 1. diſt. 37. q. 2. ad 1. Palud. & alij Scholaſt. ibidem: Mald. Tract. 3. c. 1. dub. 5. Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 5. Neque facilè à ſententia cōmuni in quæſtione practica & tanti momenti eſt recedendū.

Probatur autem Primò: quia leges illæ ciuiles videntur per Canones improbatæ. nam cit. Can. Inter hęc, Nicolaus Pont. ſuper eiuſmodi caſu conſultus, reſpondit in hæc verba: Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus, gladium non habet niſi ſpiritualem, qui non occidit, ſed viuificat. Quibus tacitè ſatis indicat Eccleſiam tales leges non recipere.

Confirmatur ex D. Aug. lib. 2. de Adult. Coniugijs c. 15. vbi ita ſcribit: Si, quod verius dicitur, non licet Chriſtiano homini coniugem adulteram occidere, ſed tantùm dimittere, quamuis dicat tibi, Fac quod licet, vt tibi liceat, quod non licet: cùm enim vtrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit ſiue adulteram occidere, ſiue illâ viuente alteram ducere, ab vtroque abſtinendum eſt; ergò &c.

Ratio autem principalior, quare eiuſmodi poteſtas occidendi adulteros, non ſit admittenda, eſt: quia manifeſto periculo exponitur ſalus animæ ipſorum, qui ſic interficiuntur, idque ſine vllâ neceſſitate: nam apprehendi poſſunt, & accuſari, & per Iudicem ſecundùm iuris ordinem puniri. Secus eſt de alijs quibuſdam malefactoribus, quorum exemplum allegant, qui contrarium ſentiunt, in quorum ſcilicet vitam ſubinde datur poteſtas omnibus, vt in bannitis quos vocant, quia nimirum capi non poſſunt alijs modis, ac puniri: neque nocere Reipublicæ ceſſant.

Altera etiam ratio eſt: quia ſic daretur licentia impunè occidendi domi ſuæ, quem quis vellet fingendo, quod cum vxore aut filia deprehenſus ſit habere commercium.

DICO Quartò: Si tamen poſt ſenten- 15
tiam (vxore ſcilicet adulterâ aut filiâ nunc auditâ & iudicatâ) tradatur marito aut patri plectenda, poterit tum ſiue maritus ſiue pater vxorem aut filiam interimere.

Ratio eſt: quia à competenti Iudice committitur eis executio iuſtæ ſententiæ, quæ non minùs ipſis quàm alteri cuiuis committi poteſt. Accedit, quòd eo caſu ceſſent incommoda, propter quæ diximus, talem poteſtatem patri aut marito aliter non eſſe concedendam. Sed contra 3. Aſſertionem

Opponitur, Quòd igitur leges ciuiles videbuntur homines incitare aut fouere in factis quæ ſunt peccatum mortale, & interim ab Eccleſia videantur tolerari.

Reſpondetur Primò, quòd ſicuti modò 16
diximus, iam ſaltem tacitè Eccleſia videatur illas improbaſſe.

Reſp. Secundò, quòd leges, quæ mala ex iuſtis rationibus toleranda ſtatuunt, non cenſeantur idcircò ad malum incitare, aut in malo fouere: cum quibus numerandæ erunt leges ciuiles ſuprà allegatæ, quæ ſcilicet iudicarunt & ſtatuerunt, eiuſmodi adulterorum occiſores non eſſe puniendos ad modum homicidarum aliorum, propter acerbitatem caſus, & iuſtum dolorem. Non fecerunt autem, nec facere potuerunt rem illam in foro conſcientiæ licitam; quia contra rectam omninò rationem eſt ſine neceſſitate ita animas exponere perpetuæ damnationis periculo, cùm alijs modis ſufficienter & ſatis facilè poſſint eiuſmodi crimina caſtigari.

Digitized by Google

caſtigari. Ideoque in foro pœnitentiæ ſalutaris erit eis, qui in eiuſmodi caſum inciderint, iniungenda pœnitentia: publica tamen non æquè, niſi forſitan ædificatio Eccleſiæ id requireret.

DVBIVM VI.

An licitum ſit alterum occidere pro vita propria defenſione?

17 QVidam exiſtimarunt, non eſſe licitum, inuaſorem occidere. Pro qua opinione citantur Auguſt. de Ancona De poteſtate Eccleſiæ quæſt. 52. art. 3. Gerſon Tract. de Euchariſtia, & Abulenſ. in cap. 5. Matthæi. Fundamentum horum eſt, quia videntur Chriſtiani obligari ad mortem potiùs oppetendam, quàm proximum in periculum damnationis præcipitare, quandoquidem iubeantur animas ponere pro fratribus.

Sed communis & recepta ſententia eſt, licitum eſſe occidere iniuſtum inuaſorem ad vitæ propriæ defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Eſt D. Thomæ hîc quæſt. 64. art. 7. Caiet. ibidem & Bannesij, & Arragonij: item à Victoria Relect. de Homicidio n. 17. Dominici Soto lib. 5. quæſt. 1. art. 8. Gomeſij Var. reſolut. Tomo 3. cap. 3. n. 32. Couar. in Clement. Si furioſus p. 3. §. vnicò n. 6. Nauarri cap. 15. n. 2. Pet. Nauarra lib. 2. De reſtit. cap. 3. n. 332. Rodriguez 1. p. cap. 136. Molinæ Tom. 4. Tract. 3. Diſp. 11. Bonacinæ De Reſtit. in particulari Diſp. 2. qu. vlt. ſect. 1. puncto 8. Mald. ſuprà dub. 7.

18 Probari autem poteſt Primò ex Scriptura, Exodi 22. (vnde D. Thomas id deducit;) dicitur enim ibi de fure nocturno: ***Si effringens fur domum ſiue effodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit percuſſor non erit reus ſanguinis***; ergò &c.

Confirmatur authoritate D. Auguſtini, qui quæſt. 84. in Exodum, docet ideò licuiſſe furem nocturnum occidere; quia diſcerni nequeat, vtrum tantùm ad furandum, an etiam ad occidendum venerit; ergò quando ad occidendum quis venit, & nequeat aliter auerti, poterit occidi.

Hoc ipſum probant, & leges ſæculares, quibus fur etiam diurnus armis ſeſe defendens occidi poteſt, vt ſunt l. 4. D. Ad Leg. Aquiliam, & Lex XII. Tabularum, quia ſcilicet iſte non tantùm fur eſt, ſed quid amplius. Idem traditur D. De iuſtitia & iure l. 3. vbi dicitur: Quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe æſtimabitur.

19 Probatur Secundò ex Iure Canonico, vbi illud quoque ſatis expreſſum reperitur. Nam Cap. Significaſti 2. De homicidio dicitur, vim vi repellere leges, omniaque iura permittere: idque approbat Pontifex, quando fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad repellendam iniuriam. Similia habentur Cap. Si verò De ſententia excommunicat. & Clement. vnica De Homicidio.

Addidi, cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia & ratio & Canones dictant illud moderamen eſſe adhibendum, vt ſcilicet defenſio culpâ vacet. Quare in defenſionè non licet vti maiori violentiâ, quàm ſit neceſſarium ad iniuriam depellendam ſiue arcendam: Vnde inuaſus non poteſt ſciens & volens plus mali inferre, quàm defenſio requirat: alioquin non erit defenſio, ſed vltio aut inuaſio, ideoque tenebitur ad reparationem. Hinc ſequitur, quòd eum, qui percuſſit, & iam fugit, aut deſiſtit, ita vt non metuatur ampliùs, non liceat occidere, aut percutere, (quamuis ſi ex incontinenti repercutiatur, leges ciuiles videantur repercutientem in foro fori habere excuſatum:) quia repercuſſio illa non eſt iam neceſſaria, neque idonea ad iniuriam arcendam, vtpote quæ iam non infertur, ſed illata eſt.

Vt verò pleniùs explicentur, quæ circa hanc defenſionem veniunt conſideranda,

Notandum Primò, Quòd pluribus modis diuerſis poſſit fieri inuaſio, & vita alterius impeti, vt inprimis contingit, quòd quis alterum de facto gladio aut alijs armis feriat, & aggrediatur cum periculo mortis aut mutilationis. Et quidem de hoc caſu dubium non eſt, quin talis inuaſor repelli poſſit, etiam cum ipſius occiſione, quando aliud medium euadendi non ſuppetit. 20

Alio modo fit inuaſio, ſi quis accedat ad occidendum alterum, qui non poſſit euadere, niſi fugiat, aut accedentem præueniat: & hoc caſu ſi inuaſus fugere poſſit abſque periculo vitæ, (addunt alij, & abſque ignominia, qua de re infrà) tenetur ſe ſubtrahere, & ſic vitare tam ſuum, quàm proximi incommodum. Si verò non poſſit abſque ſuo periculo fugere, tum docent DD. licitum eſſe in percutiendo præuenire alterum: neque enim tenetur eo caſu expectare, donec ictum acceperit, & ſeſe fortaſſis defendere non poterit. Ita Couarr. Dominicus Soto, & alij citati communiter, vt ſcribit Iulius Clarus §. Homicidium num. 33.

Tertius inuadendi modus poni poteſt, quòd inuaſor nondum quidem accedat, ſed tamen inſtructus eſt: neq; poteſt inuadendus aliter euadere manus eius, niſi illum præueniat. Quo caſu dicunt iterum Doctores licitum eſſe præuenire: & quidem Nauar. c. 15. n. 3. exemplum ponit de marito, qui pugionem condidit ſub ceruicali, vt vxorem in- 21

terficiat, quã tenet cubiculo incluſam: tunc enim docet, vxorẽ, ſi id certò ſciat, & aliud remedium non ſuppetat, poſſe præuenire maritum,& illum occidere. Ratio reddi poteſt, quia iam maritus eſt inuaſor, moraliter loquendo, dum arma habet parata, & vxorẽ tenet cõcluſam, vt vim armorum aliter euadere nequeat: de quo tamen caſu refertur dixiſſe à Victoria, quod ante factum non vellet eum approbare: (& ſanè in eo opus eſt magnâ conſideratione & prudentiâ: tum quò d de mutatione animi poſſit ſæpiùs ſpes ſubeſſe, tùm quod magnus poſſit ſequi abuſus illius doctrinę:) interim addidiſſe, neque poſt factum velle improbare aut damnare.

22 Quartus inuadendi modus poteſt eſſe, quòd quis per famulum aut ſicarium ſtatuat alterũ occidere: neque illi ſpes ſit aliter euadendi, niſi hic occidat mandantem, aut exhortantem. Hoc caſu etiã nonnulli docent, licitum eſſe præuenire, ſi ſit periculum pręſens, vt ſi author, inquiunt, iam mandet aut ſuadeat; quia eadem videtur ratio quæ de præcedenti: parum enim videtur referre, an per ſe, an per alium inuadat,& conetur occidere. Quòd ſi periculum ſit longinquum, vt ſi quis coniurauerit in mortem alterius, & cum ſicarijs egerit, qui oportunitatem quærant exequendi, in eo plus obſcuritatis eſt: exiſtimant tamen etiam tum licere, ſi nulla alia ſit via mortẽ præcauendi: neque volunt eum, cui inſidiæ parantur, obligari potiùs perpetuò ſe intra domum concludere, aut in externas regiones abire, ad periculum præcauendum; ſed magis illi licere, vt præueniendo auctorem inſidiarium, ſe defendat. Ita Banneſ. hîc ad q. 64. art. 2. dub. 4. quem etiam alij quidam ſequuntur. Sed non videtur id in praxi probandum, tum propter periculum frequentioris abuſus, tum quòd vix fieri poſſit, vt non ſuppetat alia ratio euadendi: poteſt enim negotiũ, ſi ſatis conſtat, ad iudicem deferri, vt ille medium adhibeat. Accedit, quòd talì occaſione non ſe à periculis multum eximet, aut ſecuriorẽ ſe reddet: quin potius grauioribus ſe exponet, quia natum eſt fieri, quod famuli aut ſicarij fortiùs illum inſequentur, aut magis inſidiabuntur.

23 Quintus inuadendi modus ponitur, quòd quis inuadat alterũ falſis criminationibus, & falſis teſtibus ſubordinatis, imponendo illi magna & grauiora crimina: & ſic vitam eius impetat in iudicio; neque ſit accuſato aliud medium euadendi ſententiã mortis,& ipſam mortem, niſi occidendo iniquum accuſatorem. Hoc caſu quoque Banneſ. admittit, licitum eſſe occidere eum, qui ſic ad iudicem vadit, vt falſum crimen aut teſtimonium deponat, propter quod eris occidendus. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 360. & 361. ſentit idem eſſe probabile; modò tamen occultè occidatur: quia ſi palàm, iam non vitam defenderet, ſed periculum vitę augeret. Ratio iſtius opinionis ſiue fundamentum eſt, quòd parum videatur intereſſe, vtrum quis me inuadat gladio proprio, aut alieno: nam & is, qui alieno inuadit, occidere dicitur, ſicuti Nathan Propheta dixit ad Dauidem: *Interfeciſti Vriam gladio filiorum Amon*: & D. Auguſt. dicit Iudæos occidiſſe Chriſtum gladio linguæ.

Sed oppoſita ſententia eſt communior & verior, vt bene docet Mald. loco cit. & in praxi omninò tenenda: quam etiam Pet. Nauarra tamquam probabiliorẽ tenet: quia ex altera nata ſunt ſequi multa & grauiſſima incommoda. Facilè enim homines ſibi perſuadent, ſe per calumniam accuſatos, & ſibi non eſſe media aut facultates coram Iudice ſeſe defendendi: atque ita non eſſe aliam rationem euadendæ mortis, niſi per occiſionem accuſatoris: vnde continget facilè multas cædes iniuſtas patrari. 24

Ad fundamentum verò Banneſij Reſp. Eſto, parũ interſit, vtrùm quis inuadat gladio proprio, an alieno, qui etiam ſit propriæ & priuatæ authoritatis, & violentiæ: tamen multùm intereſſe dicimus, an gladio proprio, an autem gladio publicæ poteſtatis, ſeruato iuris ordine. Quandoquidem enim inuaſio per calumniam, viâ tamen iuſtitiæ, & inuaſio per arma, ſint omninò diuerſi ordinis,& quęlibet habeat ſuam propriam rationem defenſionis ſibi correſpondentem, dicimus priori eſſe opponendam defenſionem ſui ordinis, ſcilicet iuris, & non armorum: neque enim qui ſic impetitur, propriè vim patitur, ſed metaphoricè tantùm. Secùs adhuc ſe res habet in illo, cui alter ſtruit inſidias, vt eum per ſicarios occidat: quia totum, quod contra illum agitur, eſt violentum abſque via iuris, ſecundùm quam alter poſſit eiuſmodi inuaſionem repellere.

Docet etiam Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. Si malefica poſitis certis ſignis magicis aſſiduè per dæmonem alicui noceat, poſſe illum vti iure defenſionis, cogendo eam verberibus, vt ab iniuria ceſſet, modò tamen certò conſtet eam mali eſſe authorem, & exiſtimetur ſine nouo maleficio poſſe prius tollere. Quod probat: quia illa perindo facit, ac ſi tyrannus aliquis per ſuos ſatellites aſſiduè torqueret. 25

Sed non minùs puto id reijciendum, quàm alterum præcedens: quia eadem & longè frequentiora incommoda inde nata erunt ſequi: eò quòd homines paſſim eiuſmodi ſuſpicionibus ſoleant circa diuerſas perſonas laborare;& facilè ſibi perſuadeant; certò ſibi conſtare, quòd ſit hæc, quæ malũ eis inferat. Vnde hinc obuenturum eſt, quòd ſæpiùs innocentes iniquiſſimè affligerentur. Accedit, quòd nõ facilè prudenter quis ſibi perſua-

Digitized by Google

perſuadebit, quod ſine nouo maleficio poſſit malefica tollere prius, præſertim quando affligitur quis in corpore.

26 Ad Confirmationẽ verò reſpõderi poteſt, Quòd ſi tyrannus haberet ſuperiorẽ, apud quem læſus poſſet querelas deponere, quiq; eum valeret compeſcere, quod apud ſuperiorem oporteret agere, & non propriâ authoritate illum occidere. Iam verò quando noxa infertur à ſaga, ſi certò nouerint eam eſſe mali authorem, poſſunt ad iudicem deferre, vt ipſe causâ examinatâ debitis illam modis à nocendo cohibeat & puniat. Sanè videtur temerariũ in re obnoxiâ tot & tantis abuſibus indulgere priuatis, vt ipſi ex propria, quã facilè fingunt quaſi certam apprehenſione ex friuolis argumentis, poſſint procedere authoritate propriâ ad aliquẽ vel aliquam verberandam, & verberibus cogendam, vt homines à maleficijs liberet. Sed contra Concluſionem ſuprà poſitam

27 Obijcitur Primò: Petro, qui volebat Chriſtum gladio defendere, dixit Chriſtus: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matthæi c. 26. ergò etiã pro defenſione propriæ vitæ non licebit aggreſſorem occidere.

Reſp. Neg. Conſ. quia Chriſtus tantùm monet Petrum, vt gladium recondat, quia iſta defenſio nõ concordabat, ſiue non conueniebat cum voluntate & ordinatione Patris cæleſtis, cuius beneplacitũ erat, vt Filius non ſubterfugeret etiam iniquam vim & violentiam Iudæorum: ſed toleraret, & in ſe admitteret eorum manus violentas. Deinde ſi alia fuiſſet voluntas & ordinatio Patris, nõ tamẽ conueniſſet Chriſto iſte modus defenſionis: vtpote qui poterat alijs multis modis ſublimioribus, & magis Filio Dei dignis, ſe à manibus illorum liberare, prout aliàs aliquando fecit: & poterat etiam rogare Patrẽ, vt ipſe ait, qui mitteret ei pluſquam duodecim legiones Angelorum. Monuit autem eum quadam reprehenſione, vt apparet, tum quia Petrus præcipitantior erat ad percutiendum; rogauerat enim Dominum, *ſi percutimus in gladio?* & non exſpectato Domini reſponſo, percutiebat: tum quòd aliquis affectus vindictæ videtur fuiſſe coniunctus; quòd ipſa præcipitantia videtur indicare. Accedit, quòd parua ſpes poterat ſubeſſe euadendi malum, per eiuſmodi percuſſionem humanitùs loquendo propter multitudinem aggredientium. Quis verò ſenſus ſit iſtorum verborum, *Omnes enim, qui acceperint gladium* &c. ſuprà dub. 2. ex occaſione explicuimus.

28 Obijcitur Secundò: D. Aug. Epiſt. 154. ad Publicolam dicit: De occidendis hominibus, ne ab eis quiſpiam occidatur, non ſibi placere conſilium: niſi fortè ſit miles, aut publicâ functione teneatur, vt non pro ſe faciat, ſed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi etiam ipſe eſt acceptâ legitimâ poteſtate, ſi eius congruit perſonæ; ergò non videtur licitum eſſe ſecundùm Auguſt. pro vitæ ſuæ defenſione alium occidere.

Reſpondetur, Auguſtinum ibi tantummodò docere non licitum eſſe, priuata inire cõſilia de occidendis illis, à quibus metuunt ſe vel alios occidendos: ſed publicæ id poteſtati incumbere, cuius officium eſt innocentes defendere, & nocentes punire: non autem negare vel reprehendere defenſionem inculpatæ tutelæ, quæ in merâ conſiſtit repulſione violentiæ illatæ: Quin potiùs poſſit videri ibidem tacitè illam probare, quando addit: Qui verò repelluntur aliquo terrore, ne malè faciant, etiam ipſis aliquid fortaſſè præſtatur ſcilicet boni, dum à malo arcentur: permittit itaq; inuaſorem repellere ſine conſilio occidendi. Qui autem ſe repelli non patitur abſque occiſione, potius eſt dicendus in mortem ſuam irruere, quàm ab altero occidi, qui non niſi innoxiam depulſionem intendit.

Obijcitur Tertiò: Idem Aug. lib. 1. De lib. arbitrio cap. 5. dicit eos non eſſe à peccato liberos, qui pro ijs rebus, quas cõtemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt: inter res illas autem comprehendit etiam vitam corporis, & generaliter omnia quæ inuiti poſſumus perdere; ergò &c. 29

Reſp. D.Th. q.64. art.2. ad Primum dicit, Auguſtinum loqui de ijs, qui intendunt hominem occidere, vt ſeipſos à morte liberent: idque non licere. Quod D.Th. dictum iterùm ſuam habet difficultatẽ, de qua paulò pòſt agemus. Interim magis appoſitè ad mẽtem Auguſtini, & ad ipſum contextum, dici poterit, Auguſtinum ibi non omninò aſſertiuè, ſed diſputatiuè loqui, per interrogationem enim ait: Quomodo apud eam (ſcilicet Dei prouidentiam) ſunt iſti peccato liberi, qui pro proprijs rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt. Videtur itaque ipſe dubitaſſe, vtrum in caſu, quo per leges humanas (quas approbat ſaltem ſicuti eas leges, quæ minus malum ad maiora vitanda permittunt) licitum eſt pro ſua defenſione occidere inuaſorem: & tamen ſecundùm Dei legem conſultiùs eſt illi parcere, & pro eo quaſi mori, vtrum, inquã, eo caſu non ſit aliqua occulta Dei lex, ob quam id, quod rectiùs fieret, abſq; peccato omitti nequeat? & in hoc quòd nequeat, ipſe ſatis propendit: quamuis fateatur non conſtare de manifeſta lege, quæ id requirat, vti patet ex antecedentibus in eadem Epiſtola. Licet verò in id propenderit (valde enim ſe oſtendit ſemper alienum ab humanis cædibus) non tamen omninò aſſertiuè ita reſoluit.

Obijcitur Quartò: D. Anſel. in illud 30
ad Rom. cap. 12. *Non vos defendentes, Chariſsimi,*

Digitized by Google

riſſimi, ſed date locum iræ &c. Ita ſcribit: Sinite iram perſecutoris in vobis expleri: ille enim dat locum iræ, qui aduerſarium permittit facere, quod vult; ergò &c.

Reſpondetur, Diuum Anſel. verbis iſtis tantùm docere, iniuriam non eſſe iniurijs propulſandam, vt fit, quando quis priuatus ſe ipſum vindicat, & animo vindicandi alterum propellit: vult autem potiùs ſine vlla propulſatione, patienter iniuriam eſſe tolerandam. Vbi quidem prius eſt in præcepto; poſterius autem in conſilio: niſi forſitan circumſtantiæ aliud exigerent, vt ſi noſtrâ patientiâ aduerſarij redderentur deteriores. Vnde Chriſtus, & Apoſtoli iniquè læſi aut impetiti nō ſemper ab omni defenſione ſaltem verbali per rationes, abſtinuerunt. Idem eſt ſenſus ipſius Scripturæ allegatæ, & Matthæi 5. quando Dominus dicit: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* Vnde & Auguſt. Epiſt. cit. 154. ſic ſcribit: Hinc autem (inquit) dictum eſt, Non reſiſtamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum paſcit, non vt correctionem hominum negligamus.

31 Obijcitur Quintò, Id, quod in principio Dubij diximus, fundamentum eſſe contrariȩ doctrinæ quorundam, ſcilicet quòd debeamus animȩ ſalutem proximi prȩferre noſtrȩ corporali: nam & animas oportet ponere pro fratribus.

Reſp. Iuxta charitatis legem debere nos ſalutem ſpiritualem proximi præferre vitæ noſtræ corporali, quando proximus in ea eſt neceſſitate, vt niſi illi ſubueniamus, & media ſalutis ſubminiſtremus, etiam cum vitæ noſtrȩ periculo, non poſſit ipſe ſiue ſimpliciter, ſiue morali modo ſalutem conſequi. Iſte autem inuaſor per ſe loquendo non eſt in aliquâ neceſſitate, ex qua non poſſit ſe eximere ſine periculo vitæ noſtræ: nec deſunt illi media neceſſaria, ſed ſuâ ſponte & ex mera malitia conijcit ſe in periculum damnationis ſuæ. Ad cuiuſmodi periculū impediendum, ſi dixerimus quemlibet teneri ex charitate mortem oppetere, iam bonus quilibet nequiſſimorum iniurijs ad ipſorum placitum exponetur, plurimumque malitia hominum nequam fouebitur cum bonorum oppreſſione, & Reipublicæ perturbatione: imò ſi eâ ratione procedere oporteat, conſequens videbitur, vt ſi quis etiam minetur ſe manus violentas ſibi ipſi allaturum, niſi alter ſinat, vt innocentem aliquē occidat, aut niſi alter ei totam ſuam ſubſtantiam dederit, aut quid fecerit ſimile, quod oportebit quoque voluntati illius obſequi, & à defenſione innocentis abſtinere, & illi concedere quicquid exegerit, ne manus violentas ſibi inferendo ſe in damnationem præcipitet: quæ ab omni ratione apparent aliena. Vnde docet Aug. Epiſt. 54. ad Macedonium, non eſſe propter iſtas alienarū mortium cauſas, ſceleri cōſentiendū: aut à vindicta, quæ non fit nocendi, ſed corrigendi ſtudio, abſtinendum. Cui addi poteſt, neque à defenſione & cōſeruatione vitæ propriȩ ceſſandum: neque enim omnis, qui cauſa alienæ mortis eſt, (inquit ibidem Aug.) reus eſt; imò moraliter loquendo qui ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non eſt cauſa mortis, nec mali, quod inde ſequitur, ſed ipſemet tantummodò, qui inuadit. Præterea accedit, quòd qui inuaditur, non ſit ſemper certus de ſalute ſua, ſi occidi ſe permittat, quemadmodum neque de inuaſoris damnatione contra quem ſe defendit, quia forſitan vulneratus pœnitebit, & peccatorum cōſequetur remiſſionem.

His tamen Doctores rectè addunt, etſi licitum ſit modo dicto ſe defendere contra 32
iniquum inuaſorem, tamen ſæpiùs eſſe ſalutare conſilium, permittere potiùs ſe occidi, quàm occidere. Id ſatis indicant SS. Patres, vt D. Auguſt. locis ſuprà citatis, & Ambr. lib. 1. in Lucam ad illa verba, *emat gladium.* Item Anſel. ſuprà. Idque inprimis, quia charitas, tametſi non abſolutè obliget, tamen inclinat magis in hoc, ne proximus in peccato ſuo moriatur, & in æternum pereat: & quidem tunc vehementiùs, ſi non ex more & prauâ conſuetudine bonos perturbet, ſed ex ſuperueniente aliqua inſueta iracundia, iniquam aggreſſionem faciat. Deinde quia frequenter periculum cum defenſione concurrit, ne ira & appetitus vindictȩ ſeſe immiſceant, & excedatur moderamen inculpatæ tutelæ. Tertiò, quia ſic magis imitabitur exemplum Chriſti, & Apoſtolorum ac Sanctorum Martyrum.

Addunt hîc vlteriùs nonnulli, quando 33
inuaſus eſt perſona priuata, & parum Reip. vtilis, inuadens autem eſt publica, & ſupremus aliquis Princeps, ex cuius morte periclitarentur ſtatus & quies Reipublicæ, quòd tum ſaltem ex charitate teneatur inuaſus, potiùs mortem ſuſtinere, quàm eiuſmodi inuaſorem iniquum occidere: quia bonum publicum eſt præferendum bono priuato. Ita Iul. Clarus lib. 5. §. Homicidium, Dominicus Soto ſuprà & Tolet. lib. 5. cap. 6. Quamuis in oppoſitum inclinentur Emanuel Rodriguez cap. 135. Summæ: & Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 1. quæſt. 7. & quidam alij: quia dicunt bonum commune eſſe præferendum priuato, quando ita fert neceſſitas ex natura rei, non quando id prouenit ex ipſius malitia. E contra autem perſonam publicam & multùm Reipub. neceſſariam dicunt obligari ad ſe defendendum contra perſonam vilem & inutilem, etiam cum ipſius occiſione, ſi aliter ſe ſaluare nequeat. Vide Soto & Tolet. locis citatis & Bonacinam ſuprà p. 8. propoſ. 2.

DVBIVM

DVBIVM VII.

Vtrum in defenſione liceat intendere occiſionem ſiue mortem inuaſoris?

DIſputatur hoc, occaſione verborum D. Thomæ, quæ ſuprà pro parte retulimus ex quæſt. 64. art. 2. Omiſſis diuerſis diuerſorum in hac materia loquendi modis

RESPONDEO & DICO Primò: Apud omnes hoc indubitatum eſt, non eſſe defendenti licitum intendere mortem inuaſoris tamquam finem actionis ſuæ. Ratio videtur euidens, quia ſic erit actus vindictæ, aut inſtar inuaſionis & impetitionis vitæ alterius.

34 DICO Secundò: Neque licitum eſt intendere, ſiue (vt magis propriè loquamur) eligere formalem occiſionem tamquam medium ad conſeruationem vitæ propriæ. Sumitur ex D. Th. q. 64. art. 7. Caiet. Banneſ. & Salonio ibidem, qui docent ſimpliciter, non poſſe licitè mortem inuaſoris intendi. Ratio dicti reddi poteſt, quia formalis occiſio non eſt medium neceſſarium ad defenſionẽ: ſed in omni euentu ſufficit repulſio ſiue depulſio inuaſoris, aut iniectio impedimenti, quo præpediatur me inuadere, & occidere, & proinde in eo debet ſiſtere intentio defendentis.

35 DICO Tertiò: Licitum tamen eſſe, ex intentione exercere defenſionis actum, ad quem præuides probabiliter, aut etiam moraliter certò ſecuturam mortem inuaſoris, non tamen mortem intendendo: ſed tantum inuaſoris depulſionem, & tuam defenſionem, ita vt mors in ordine ad te, per accidens ex tua actione ſequatur. Hoc ad minus tenent omnes illi, qui abſolutè loquuntur & docent licitè poſſe intendi mortẽ inuaſoris, Mol. tomo 4. Diſp. 11. n. 4. Nauar. c. 15. n. 5. Rodrig. 1. p. c. 136. n. 3. Soto lib. 5. q. 3. a. 8. Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 8. Bonac. ſuprà, & alij.

Dices: Actus ille videtur per ſe eſſe cauſatiuus & illatiuus mortis; ergò eo ipſo, quo ex intentione eligis iſtum actum, tamquam medium tuæ defenſionis; cenſeris ex intentione eligere mortem inuaſoris.

Reſpondetur: Actus ille non eſt per ſe illatiuus mortis ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione quæ ex inuadente dependet, ſcilicet quòd ipſe eo loco præſens ſit, nec ſe retrahat, vbi ictus meus cadit. Vnde neganda eſt Conſeq. quia, vt habet D. Thomas, quando ſunt duo effectus eiuſdem actus, nihil prohibet, quo minùs alter ſolùm ſit ex intentione, & alter præter intentionem, quando iuſta ſubeſt neceſſitas illum exercendi propter vnum effectum, ad quem conſequendum eſt medium per ſe ordinatum. Atque ita in hoc caſu, conſeruatio vitæ propriæ eſt effectus per ſe intentus in illo actu defenſionis: mors inuaſoris autem eſt præter intentionem, & tantùm permiſſa: idque declaratur ſic, quia, vt indicauimus, ad mortem inuaſoris hîc duo concurrunt, ſcilicet actus defendentis, & præſentia obiecti in tali loco quæ cauſatur ex parte inuaſoris, non autem ex parte inuaſi, qui cuperet inuaſorẽ eſſe abſentẽ, & ſic ſe & ſua in tuto, atque ita mors rectè cẽſetur præter intentionẽ defendentis.

Quæritur hîc, Vtrum ſi quis ſuâ culpâ alteri dediſſet occaſionem eum inuadendi, poſſit ſe defendere cũ inuadentis occiſione? 36

Negat Nauar. cap. 15. n. 7. Sed tamen dicendum videtur, Si inuaſor iniuſtè, & præter iuris ordinem aggrediatur eum, à quo forſitan laceſſitus eſt, quòd etiam tum inuaſus, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, poſſit ſe defendere cum inuaſoris occiſione, ſi aliter ipſe mortem effugere nequeat. Ita docet Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 362. Mald. ſup. dub. 9. Bonac. ſuprà

Probatur: quia licet inuaſus occaſionem alicuius iniuriæ dederit, ſaluum tamen illi manet ius ſe defendendi contra iniuriam inuadentis: quia etiam iniquè læſus nõ poteſt propriâ authoritate & per iniuriam contra iuris ordinem ſe vindicare. Quare alter pro vitæ ſuæ defenſione poteſt talem aggreſſorem repellere, etiam cum ipſius internecione, quando aliter ſe ſaluare nequit. Quod inprimis liquidiſſimum eſt, ſi offenſio aliquamdiu præterierit propter quam nunc inuaditur. Deinde etiam quando offenſio eſt talis, & eo modo illata, vt neque ex ſubſtantia actionis, neque ex circumſtãtijs, morale periculum iudicari potuerit habere tantæ rixæ, vt neceſsũ foret vel ipſum offendentem occumbere, aut alterum interfici. Addit Bonac. v.g. Caium, qui iniuſtè inuaſit Titium ab initio, ſed poſtea volebat ab inuaſione deſiſtere, ſuamque voluntatem indicauit Titio inuaſo: Titius autem noluit à pugna deſiſtere, non peccare peccato homicidij occidendo tunc Titium, ſi aliter non poteſt vitam ſuam defendere, niſi illum occidendo. In foro tamen externo puniretur vt homicida, vt ait Molina loco ſuprà cit. n. 2.

DVBIVM VIII.

Vtrum liceat occidere innocentem, quando iniuſtè te inuadit ex ignorantia, aut quando ſine eius occiſione effugere non potes & ſaluare vitam tuam?

RESPONDEO & DICO Primò: 37 Multi Doctores probabiliter docent, licitum eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſe defendere contra iniuſtè inuadentem cum

tem cum ipſius occiſione, etiamſi inuaſor non peccet inuadendo: vt ſi impos ſit mentis, ſiue per ebrietatem ſiue per inſaniam, vel ex ignorantiâ inculpatâ putet inuaſum eſſe publicâ authoritate condemnatum, vt à quolibet occidi poſſit. Ita. Soto loco ſup. cit. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 148. Gomez. tom. 3. variar. c. 3. n. 20. Molina & Bonacina locis ſup. cit. & alij. Addunt tamen, ſi inuaſus ſe ſaluare poſſit per fugam, omnino ad id obligari, neque ad vitandam ignominiam poſſe ſe defendere cum talium occiſione. Quod omnino indubitatè verum eſt: quia ſubterfugere talium ignorantium hominum furorem non habetur probroſum; vnde neque iſte prætextus poteſt hîc obtendi. Quin potiùs ignominioſum ſit contra tales reluctari, quando quis aliter ſe retrahere poteſt.

38 Dico Secundò: Si infantem non baptiſatum fugâ tuâ ſis occiſurus, & aliter effugere non poſſis, potiùs teneris mortem pati, quàm cauſare, vt hic infans alioquin baptiſandus in æternum corpore & animâ pereat. Ita Mald. Tract. 3. cap. 1. dub. 12. & Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 9. ſub finem: & ſumitur à ſimili ex Pet. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 143. & Syluestro, Couarr. & Nauarro, quos citat. Probatur: quia hic militat præceptum charitatis de vita corporali propriâ poſtponenda ſaluti animæ proximi.

Dico Tertiò Similiter quando innocens viâ publicâ incedit vſitato modo, & tibi cedere non poteſt, non licebit eum fugâ conculcare cũ certa illius morte. Ita Pet. Nauar. ſup. n. 135. & pro eadem ſententia citat Syluest. & eiuſmodi innocentẽ æquiparat ei, qui in naufragio reipſa tabulam occupauit, ex quâ non licebit eum deijcere, vt te ſuper illâ ſalues. Secus probabiliter dicitur, ſi innocens incautiùs iaceat in anguſtijs viæ, vbi debet eſſe tranſitus, & te qui ius habes illac tranſeundi impediat, quandoquidem ille ius non habeat anguſtias illas occupandi tali modo & ratione & impediendi ſic neceſſarium tranſitum tuum: modò quantũ in te eſt, euites eius læſionem, vt ſi paululum diuertas equum, vel calcaria addas, vt ſaltu tranſilias. Ita Cordub. qq. lib. 11. q. 38. dub. 2. Mald. tract. 3. cap. 1. dub. 12. & à potiori ſequitur ex doctrina Leſſij ſuprà, & fauet Caiet. 2. 2. quæſt. 67. art. 2. in ſolutione ad 1. & 2. vbi habet: Occidere innocentem per ſe, ita quòd intendatur occiſio innocentis eſt contrà omnia iura, ſed occidere innocentem per accidens, dando operam rei licitæ & neceſſariæ, non eſt contra ius naturale, diuinum, vel ſcriptum. Idem dicunt, ſi fugiens probaliter ſperet, quòd tranſitu ſuo innocentem non occidet. Mald. ſuprà.

39 Dico Quartò: Si aggreſſor tibi obijciat innocentem tamquam clypeum ſuum, vt poſt eum latitans impunè te occidat, & tu fugere non poſſis, poteris cum moderamine inculpatæ tutelæ vitam tuam defendere, etiamſi ex tua defenſione mors innocentis ſequatur. Ita docent Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. n. 147. Cordub. qq. lib. 1. quæſt. 33. Mald. ſuprà dub. 11. & alij plures.

Probatur Primò: quia qui inuaditur habet ius vitam ſuam defendendi contra inuaſorem, neque eo priuatur per illam interpoſitionem innocentis, quæ illo inuito fit. Vnde malum, quod innocenti obuenit, eſt illi præter intentionem & ad illud dicendus eſt ſe habere tantum permiſſiuè, vtpotè qui in omni actu defenſionis ſuæ non aliud intendat, quàm inuaſorem repellere, ac præter illius voluntatem fiat, ſi læſio aut mors innocentis inde ſequatur.

Probatur Secundò, à ſimili: quia qui iuſto bello ciuitatem obſident, poſſunt dirigere tormentum in turrim ex qua hoſtis damna infert caſtris, & impedit victoriam, etiamſi illic innocentes eſſent collocati & ligati, vt communiter tradunt DD. ergò ſimiliter ad neceſſariam vitæ defenſionem poteſt quis depellere aduerſarium, quamuis ille innocentem objiciat, cuius mors videtur inde ſequutura.

DVBIVM IX.

Vtrum pro conſeruatione vitæ matris pregnantis liceat præbere pharmacum, quo fœtus intereat?

Respondeo & Dico Primò: Non tantum non licet poſt fœtus animationem, ſed neque ante animationem præbere matri pharmacum, directè tendens ad cauſandam abortionem aut fætus interitum ſiue exſtinctionem. Ita Couar. Clement. Si furioſus, De homicidio p. 2. §. 3. n. 1. eſtque communis omnium ſententia, inquit Petrus Nauarra ſuprà, num. 1. Henriquez tamen & Sanchez lib. 9. De matrimonio Diſp. 20. n. 6. & 10. docent, quòd quando fœtus nondum eſt animatus, & aborſus iudicetur neceſſarius ad euitandam mortem, licitum ſit dare pharmacum ad faciendum aborſum, vt refert Leſſius lib. 2. c. 9. dub. 10. Sed in re tam graui non ſunt vnus aut alter contra alios omnes audiendi; minùs verò in praxi ſequendi. 40

Probatur autem Aſſertio, atque in primis id non licere poſt fœtus animationem: quia non poteſt quis directè occidere innocentem vt alium ſeruet. Hinc conſtituitur ei pœna mortis, qui hoc fecerit, l. penultima Cod.

Digitized by Google

Cod. Ad leg. Corn. de ſicarijs & l. Diuus D. De extraordinarijs criminibus. Sed neque ante fœtus animationem: quia ex omnium doctrina non licet procurare ſeminis reſolutionem & emiſſionem propter ſanitatem aut vitæ conſeruationem; ergò neque licebit procurare aborſum propter matris curationem aut vitæ conſeruationem. Probatur Conſeq. à ſimili: quia inprimis in eo conueniunt, quod neutrum ſit medium per ſe ordinatum ad ſanitatem curandam. Deinde quia poſterius non minùs eſt contra naturam generationis, atque adeò ipſius quidam abuſus, quàm prius; ergò ſicut prius non licet, ita nec poſterius. Imò hoc magis directè & propinquius aduerſatur generationi, quàm alterum, ſicuti fœtus, etſi nondum animatus, vicinior eſt animæ humanæ, quàm ſemina nondum commixta.

Confirmatur Primò ex Tertulliano, qui
41 in Apologetico cap. 3. ita ſcribit: Nobis homicidio ſemper interdicto, etiam conceptum in vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſoluere non licet. Homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci. Vbi generaliter omnis fœtus humani diſſolutionem in vtero declarat eſſe illicitã, quãdo dicit, dum adhuc ſanguis in homine delibatur.

Confirmatur Secundò ex Cap. Si aliquis, De homicidio, vbi dicitur, eum, qui fecerit, vt mulier non poſſit concipere vel generare, vel vt proles non poſſit naſci, tamquam homicidam tenendum. Lege tamen ciuili non punitur morte, qui fœtum nondum animatum extinxerit, quia propriè homicida non eſt: ſed punitur exilio, ſi eſt nobilis, vel ad metalla, ſi ignobilis, vt habetur l. Si quis 38. §. qui aborſionis, D. De pœnis. Sed contra

42 Obijciunt, qui aliter ſentiunt, quòd in tali caſu fœtus ille ſit aggreſſor, & matrem quaſi inuadat, dum vitæ illius creat periculum: quemadmodum humores inuadunt naturã; ergò, & ſimili ratione poterit depelli, ſicut humores exundantes, cùm nullum incõmodum maioris momenti inde videatur ſequi.

Reſpondetur: Fœtus adhuc inanimis non magis dici poteſt aggreſſor vitæ matris, quàm ſemen hominis, quando ex abundantia eius aut retentione creatur morbus vitæ periculoſus. Imò fœtus animatus potiùs eſſet dicendus inuadere, quàm inanimatus, cùm hic ſit robuſtior, & plus alimenti abſumat, magiſque naturam offendat. Quare cùm nemo dixerit, poſſe idcirco hunc directè expelli pro vitæ conſeruatione matris laborantis; neque etiam id dicendum erit de fœtu nondum animato: neque in eo agnoſcenda erit aliqua aggreſſio, quæ cum directa eius diſtructione poſſit depelli. Satis autem magnum ſequitur inde incommodum, quandoquidem, vt habet Tertull. homicidij feſtinatio ſit prohibere naſci. Si tamen partus eſſet corruptus, tum liceret directè materiam illam abigere pro matris ſalute, quia non habet ampliùs rationem fœtus, ſed malignæ cuiuſdam maſſæ.

Dico Secundò: Si mater periculoſè 43
laboret, & non ſuperſit aliud remedium, poterit illi præberi pharmacum directè & per ſe tendens in curationem morbi, quamuis putetur, quòd aborſio ſit ſecutura, quando proles nondum eſt animata: vt v. g. ſi ad matris curationem ſit neceſſe mouere menſes ſiue menſtrua, aut detrahere ſanguinem, licitum erit directè hæc procurare, etiamſi exiſtimetur ſecuturus aborſus. Ita communiter videntur DD. ſentire Antoninus 3. p. titulo 7. cap. 2. §. 2. Syluester V. Medicus quæſt. 4. Nauar. cap. 25. n. 62. Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 140. Couar. p. 2. De homicid. §. 5. Leſſius ſuprà dub. 10.

Probatur: quia mater ante prolem con- 44
ceptam ius habebat vtendi remedijs neceſſarijs, & per ſe ordinatis ad conſeruationem vitæ; quod ius non illi tollitur per prolis conceptionem. Vnde aborſio, quæ ſequitur, cenſetur tantùm eo caſu permiſſa, non procurata: quemadmodum ſi valetudinis causâ vtendum ſit medicamento directè ad curationem infirmitatis deſtinato, vnde tamen ſecutura putatur pollutio, quæ nullatenus intenditur, ſi obueniat, cenſebitur tantùm per accidens euenire, & non volita aut procurata.

Dico Tertiò: Non tamen licitum erit 45
matri præbere aut ſumere ſimile pharmacũ, cum notabili periculo fœtus, quando eſt animatus, & certò aut probabiliter exiſtimatur viuus in lucem edendus. Ita quoque ſentiunt communiter DD. Anton. Syluester Nauar. Pet. Nauar. n. 143. Couar. ſuprà cum alijs multis. Ratio eſt: quia tenetur quilibet ſalutem ſpiritualem proximi præferre vitæ ſuæ corporali, & hanc pro illa exponere. Quando igitur matre eiuſmodi medicinam aut remedium non admittente, proles ad baptiſmum poteſt peruenire, tenetur illa abſtinere, quamuis id cum certo vitæ diſcrimine ſit coniunctum. Si verò nulla ſit ſpes prolis viuæ edendæ, etiamſi à medicamento abſtineat, & magna ſpes ſit ſanitatis matri reddendæ, ſi vtatur medicamento, quod per ſe tendit ſolùm in curationem matris, tum poterit eo mater vti, & medicus id matri præſcribere. Ita Pet. Nauarra ſuprà.

Quando autem fœtus animetur, id certò non conſtat quoad diem determinatum aliquem. Plerique tradunt maſculum animari interdum à conceptione die 30. interdum 35. aut 40. vel 45. femellam verò interdum die 35. interdum 40. aut 45. vel etiam 46. Sed hanc quæſtionem Medicis relinquimus.

Digitized by Google

Quæret aliquis, An liceat matrem deſperatæ vitæ ſecare, ſi in id conſentiat, & ſic proles viua poſſit extrahi & baptiſari, quæ alioquin cum matre eſt moritura ſine baptiſmo. Reſpondetur: Id nullo modo licitũ eſſe. Ita communiter tenent DD. vt refert Mald. ſup. dub. 16. Et probatur: quia occidere innocentem etiam de ipſius conſenſu eſt intrinſecè malum. Non ſunt autem facienda mala, vt bona eueniant: quare neque mater poteſt in illud conſentire, vt docet Nauar. Conſ. de homicidio voluntario.

DVBIVM X.

Vtrum licet defendere res ſuas cum occiſione raptoris ſiue furis?

46 Respondeo & Dico Primò: Non licet occidere furem diurnum, quando abſque re tua, quam auferre moliebatur, aufugit, vel clamore efficere potes, vt fugiat, aut eum ſine periculo capere vales: quod facillimè fieri poſſe ſcribit Couar. quando deprehenduntur, eò quòd fures animo ſint admodum timidi. Similiter non licebit, quando eum dignoſcis, & ſpes bona ſupereſt recuperandi rem tuam in iudicio. Idem dico de fure nocturno, quando talibus modis aut medijs rem tuam potes tutò ſaluare abſque alio periculo. Colligitur ex l. Furem, D. Ad Leg. Corn. De ſicarijs: vbi dicitur, tunc demùm impunè occidi furem, quando ei parcere ſine tuo periculo non potuiſti. Et ratio videtur per ſe euidens: quia qui in talibus caſibus mutilat aut occidit, ſatis declarat ſe non agere ad defenſionem rerum ſuarum, vtpote quæ ſine occiſione furis, ſaluæ & tutæ eſſe poſſunt, ſed ex meditatione odij, & vindictæ, vt loquuntur Canones.

47 Dico Secundò: Licitum eſt occidere furem nocturnũ, quando res tuas aufert, & neſcis, an tutum tibi ſit tentare aliâ viâ iſtarum recuperationem, eò quod ignores, an tantùm ad furandum, an verò etiam ad occidendum venerit in caſu ſaltem, quo quis prædam illi eripere conatur. Ita Couar. p. 3. §. vnico n. 6. ad Clement. Si furioſus, cum alijs DD. cõmuniter. Et probari poteſt ex c. 22. Exodi. vbi dicitur, non fore reum ſanguinis, qui furem nocturnum occiderit: quod & lex, XII. Tabularum admittit.

48 Dico Tertiò: Licet quoque in defenſione occidere furem, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, qui interdiu inuadit res tuas ſic, vt ſimul inuadat perſonam, quæ res ſuas defendere & furem propulſare conatur. Itaquoque communiter DD. quibus & Couar. citato loco conſentit; conſtatque ſatis ex dictis ſuprà de ijs, quę licent pro defenſione vitæ propriæ contra inuaſores: & probari inſuper poteſt ex Cap. Interfeciſti, De homicidio, quod ita habet: Si ſine odij meditatione, te, tuaque liberando huiuſmodi diaboli membra interfeciſti, (ſecundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei) ſi aliquid ieiunare volueris, bonũ eſt tibi, & eleemoſynam fac largiter. Vbi Canon liberum relinquit à pœnitentia eum, qui ſe, ſuaque liberando, furem aut latronem occiderit, licet ad ieiunium & eleemoſynas hortetur, ſi forſitan in defenſione aliquis exceſſus foret commiſſus. Idem colligitur ex Lege XII. Tabularum, quando dicitur quòd fur in manifeſto furto deprehenſus, ſi aut cùm faceret furtum, nox eſſet, aut interdiu dum deprehenderetur, ſe telo defenderet, impunè occidatur.

Principalior autẽ difficultas eſſe hîc videtur, Vtrũ liceat pro rei ſuæ defenſione occidere furem, qui rem apprehendit & cum eâ fugit? Pro cuius explicatione & reſolutione

Dico Quartò: Non licere occidere furem, quando ſe iam ad locum tutum receperit, vbi rem quietè incœpit poſſidere. 49
Ita DD. communiter.

Dico Quintò: Similiter non licere, ſi res ſit minoris momenti: quod etiã aliàs ſemper locum habet, quando perſonæ vis non infertur; quia pro re paruâ non videtur conceſſa defenſio cum tanto proximi malo, vt illi vita auferatur.

Dico Sextò: Couar. loco ſup. citato, exiſtimat ſimiliter idem non licere, quantumuis fur adhuc in ipſa fuga ſit, & abſtulerit res maioris momẽti: & ponit hunc caſum, quòd fur fugiat equo meo, quem aliter ſaluare nequeo, niſi furem ſagittâ occidam; & dicit id non licere. Fundamentum eius principale eſt, quòd leges & Canones non videantur cõcedere, quòd fur impunè occidatur pro defenſione rerum, niſi ſit nocturnus; vel niſi telo ſe defendat, ſi ſit diurnus. Quæ quidem doctrina ſatis eſt inclinationi charitatis conformis, & laudabiliter practicatur.

Dico Septimò: Communior tamen 50
Doctorum ſententia probabilis eſt, quæ habet, in eiuſmodi caſibus etiam licitum eſſe res ſuas defendere, ſagittæ aut ſclopeti emiſſione, quamuis mors furis inde ſit ſecutura, quando non eſt ſpes aliter res ſuas defendendi, aut recuperandi.

Probari id poteſt, inprimis ex diuerſis Capitulis, vt ex Cap. Olim, De ſpoliatorum reſtitutione, vbi Innocentius III. Pont. pro inculpatis habet eos, qui ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, poſſeſſionem ſuam per vim ab alio occupatam, ex incontinenti, vt illis innotuit, duxerunt vi defendendam, & res ſuas ſibi vindicandas. Et quamuis non expreſsè ponatur, quòd vis illa defenſionis

Digitized by Google

ſenſionis proceſſerit vſque ad internecionem eorum, qui vi poſſeſſionem occupauerunt, tamem Pontifex non dat quoque ſignificationem, quòd eiuſmodi defenſio, ſi eò vſque proceſſiſſet, fuiſſet immoderata vel illicita; ſed ſimpliciter approbat defenſionem etiam vi factam.

51 Secundò, ex Cap. Dilecto De ſententia excōmunicationis in 6. vbi Innocentius V. Pont. ita ſcribit: Cùm omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctiſque ſe defenſare permittant, licuit vtique ipſi Decano (ſi prædictus bailliuus eum bonis ſuis mundanis iniurioſè ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit) contra illius violentiam, iniuriamque ſe tueri. Ex quibus Capitulis Doctores etiam deducunt, non tantùm Laicis, ſed etiam Clericis licitum eſſe, rerum ſuarum defenſionem curare cum raptoris aut furis internecione: quandoquidem illic Pontifices approbent violentam defenſionem rerum temporalium, adhibitam vno loco per Epiſcopum Stridonienſem, & altero loco per Decanum quendam contra bailliuum: quod tamen eſt contra Panormit. ad Cap. Suſcepimus, De homicidio.& alios nonnullos. Interim à pleriſque paſſim tenetur.

52 Tertiò probant ex Cap. Interfeciſti ſuprà cit. quod quidem expreſſiùs loquitur de defenſione vſque ad mortem inuaſoris, vt patet ex verbis iam antè allegatis: ſed tamen minùs poteſt videri vrgere propter coniunctionem copulatiuam; quia dicit, Interfeciſti, te tuaque liberando &c. Nihilominus ſatis probabiliter interpretantur DD. plerique coniunctionem illam non copulatim, ſed copulatiuè aut disiunctiuè ſumi, vt ſenſus ſit: Si te liberando interfeciſti, non peccaſti, vt pœnitentiam tenearis ſubire. Similiter ſi tua liberando occidiſti, non itidem peccaſti: ſiue ſi te, vel tua liberando interfeciſti &c. quod in idem cum priori expoſitione recidit. Ita explicuit Per. Nauarra lib. 2. cap. 3. n.406. cum alijs. Et hic ſenſus confirmari poteſt Primò ex antecedentibus: nam initium Capituli ſic habet: Interfeciſti furem aut latronem, vbi comprehendi poterat abſque occiſione, non intres Eccleſiam &c. Quibus tunc opponit caſum occiſionis, quando iſti comprehendi non potuerunt: & poſteriori quidem parte hunc, vbi pro liberatione perſonæ eſt occiſus latro; priori verò parte iſtum, vbi fur, qui comprehendi non poterat, pro liberatione rerum eſt occiſus: & in vtroque caſu relinquit Canon, pœnitentiam liberam illis, qui ſic occiderunt, nec eam tamquam neceſſariam iniungit, vt ante diximus. Secundò, poteſt confirmari à ſimili: Quando enim in Cap. Verum, De iureiurando, Pontifex à iuramento eſſe abſoluendum declarat, qui inuitus pro vita, & rebus ſuis ſeruandis iurauit, intelligunt & interpretantur DD. illam coniunctionem copulatiuam non copulatim, ſed copulatiuè aut diſiunctiuè modo ſuprà explicato accipiendam.

Probari denique poteſt ratione: quia non tenetur aliquis ex iuſtitia aut charitate res ſuas ſinere deperdi, quas habet ad viuendum conuenienter & decenter neceſſarias, vt iniqui latronis vita (cuius cura tantùm in neceſſitate illi incūbit, prout ſuprà explicuimus) conſeruetur, quandoquidem iſte nunc verè non ſit in neceſſitate, ſed in iniqua voluntate, & nemini fraus ſua aut violentia debeat patrocinari; ergò &c. Vide Dom. Soto lib. 5. quæſt. 1. art. 7. & 8. Caietan. 2. 2. quæſt. 64. art. 7. Syluest. V. Bellum 2. n. 3. & 10. Sed contra dicta.

Obijcitur Primò Cap. Suſcepimus 10. De homicidio: vbi Monachis pœnitentia iniungitur, qui latrones nocturnos occiderant pro rerum ſuarum defenſione. 53

Reſpondetur, id factum videri, quia exceſſerant moderamen inculpatæ tutelæ: tenebant quippe latrones ligatos. Et quamuis hi ſe exſoluere molirentur, tamen non idcirco eos occidere debuerunt, prout fecerunt, ſed potiùs debebant ipſi cum rebus ſuis ſiue veſtimentis, (de quibus potiſſimùm agitur) profugere, & ita ſe & ſua ſaluare. Deinde videntur fuiſſe res minoris momenti, quas auferre fures voluerant: quia dicit Capit. quòd pro rebus tam vilibus, & tranſitorijs non tam acriter in alios debuerint inſurgere: quòd maximè locum habet in Monachis, qui rerum temporalium profitentur contemptum: vnde tales etiam faciliùs iudicantur excedere modum pro talium rerum defenſione.

Obijcitur Secundò: D. Aug. quæſt. 84. in Exodum: quod etiam refertur Can. 30. De homicidio, hanc reddit rationem, quare licuerit potiùs furem nocturnum, quàm diurnum occidere: poterat quippe (inquit) diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum veniſſet; & ideo non deberet occidi. Et ibidem infrà indicat tunc demùm licitum eſſe occidere, quando plus eſt, quàm fur; ergò &c. 54

Reſpondent Soto & Nauarra ſuprà, Auguſtinum haud dubiè vehementer inſinuare ſecundùm legem Exodi, ſicut & ſecundùm legem XII. Tabb. non fuiſſe priuato licitum, pro rerum ſuarum defenſione occidere eum qui non ampliùs fuerit, quàm fur. Hoc tamen ſuppoſito non plus leges illas conceſſiſſe, nihilominus addunt alij, id non expugnare communē doctrinam, eo quòd iſtud ſic ſtatutum ſit propter præſumptionem, nimium quia dum quis fur tantùm eſt, & ipſe dignoſcitur, quòd tunc preſumptio ſit, aliter poſſe rem recuperari, quàm cum occiſione furantis:

Digitized by Google

furantis: nam etiam lex Exodi iudicialis erat, & perficiebat maximè forum externum, in quo locus eſt præſumptioni. Cum quo conſiſtere videtur, quòd, quando certò conſtiterit aliquem non poſſe aliter recuperare res ſuas, quàm cum morte ſuffurantis, tum liceat in conſcientia res defendere, etiamſi ex actu defenſionis mors furis ſequatur.

DVBIVM XI.

Vtrum pro defenſione alterius, qui in ſe aut in ſuis fortunis iniuſtè inuaditur, liceat inuaſorem occidere.

55 DICO Primò: Ordinariè licitum eſt defendere vitam proximi, quæ priuatâ authoritate ab alio impetitur, etiã cum occiſione inuaſoris, ſi eã aliter quis defendere non poſſit. Eſt communis DD. ſententia; & probatur Primò: quia vnicuique mandauit Deus curam de proximo, & tenetur quiſque proximum diligere, ſicut ſeipſum: quare ſicuti poteſt vitam propriam tueri, ita & proximi, qui charitatis & naturæ nexu illi eſt coniunctus.

Probatur Secundò: quia qui inuaditur priuatâ authoritate, cenſetur innocens, etiamſi fortaſſis rixę aliquam dediſſet occaſionem: licitum eſt autem defendere innocentem. Vbi tamen hoc aduertendum eſt, ſi aggreſſor, poſtquam vulnerauit, pacem petat, aut ſe aliò recipiat, & is qui læſus eſt, commotus iniuriâ nolit deſiſtere, tunc eum, qui fuerat inuaſor, incipere iniuſtè impeti, & in ea tunc rixa fieri innocentem: è contra autem eum, qui iniuſtè inuaſus fuerat, incipere fieri aggreſſorem & nocentem. Vnde non iam hic iuuandus erit, ſed alter, ſi periclitetur.

Dixi in aſſertione ordinariè; quia in certis caſibus contingere poteſt, vt id non liceat: quemadmodũ inprimis ſi ipſe iniuſtè inuadens eſſet Princeps bono communi neceſſarius, vel aliàs vir talis, ex cuius morte ſecutura foret notabilis Reipub. perturbatio: ipſe autem inuaſus eſſet perſona priuata, vnde publicum non penderet. Ratio eſt: quia bonum commune eſt præferendum bono priuato, etiam vitæ, non tantùm proximi, ſed etiam propriæ. Similiter ſi inuadens ſit tibi parens, non poteris alterum cum occiſione parentis defendere: quia pietas parentibus debita non permittit, vt cum eius morte per te inferenda, ſuccurras extraneo. Eadem eſt ratio de alijs, quibus peculiari vinculo pietatis aut obſeruantæ ſumus obligati, vt de Mæcenate, aut præceptore, à quibus quis habeat totius vitæ intertentionem, aut rectam inſtitutionem.

DICO Secundò: Similiter idem licitum 56
fuerit pro defenſione pudicitiæ, aut fortunarum proximi, quando magni ſunt momenti; & ipſe particulari vinculo nobis exiſtit coniunctus, aut certè opem noſtram efflagitat. Ita Antoninus p.3.tit.4.cap.3.§.2. & alij communiter.

DICO Tertiò: Nemo tamen tenetur cum probabili periculo vitæ propriæ, impendere eiuſmodi defenſionem proximo: niſi alia obligatio intercedat. Ratio eſt euidens: quia nemo pro corporali vita proximi, minùs pro eius fortunis, tenetur vitam ſuam propriam exponere: poteſt enim quiſque vitam propriam diligere præ vita cuiuſuis alterius priuati. Vnde neque pro defenſione parentis, dicunt eum obligari ad ſubeundum iſtud periculum, quamuis id foret admodum laudabile. Secus res ſe habet, ſi agatur de defenſione Principis, à cuius vitâ multùm pendet quies publica.

Addidi, niſi alia intercedat obligatio; quia poteſt fieri, vt ex aliquo contractu expreſſo aut implicito quis obligetur ſe exponere periculo pro defenſione alterius; vti v.g. milites tenentur pugnare pro ſuis ducibus, & feudatarij ſeu vaſalli obligantur ad defenſionem dominorum.

Quæres, An ſimiliter obligentur cum vi- 57
tæ periculo Prætores aut Magiſtratus ratione officij defendere ſubiectum priuatum iniuſtè inuaſum?

Reſpondetur: Syluester V. Homicidium 1.quæſt.6.inſinuat, tales ratione officij ad id obligatos: ſed contrarium videtur verius: quod DD. paſſim tenent. Non tamen negamus, quin officium eos obliget, vt quietem publicam, cuius ſunt propriè & directè cuſtodes, procurent etiam cum vitæ periculo, & ſic conſecutiuè teneantur quoque vitam & fortunas priuatorum, ſecundùm modum & formam, quibus id conuenienter & rationabiliter fieri poteſt defendere: vt v.g. in latrones & graſſatores diligenter inquirendo, compeſcendo, aut è medio tollendo per iuſtitiam, & iuſtitiæ miniſtros: etiamſi ſcirent, propter eiuſmodi iuſtitiæ adminiſtrationem vitæ ipſorum per malefactores ſtrui inſidias. Hoc itaque eſt, quod dicimus, Magiſtratus non obligari in rixa defendere hunc priuatum iniuſtè inuaſum manibus aut viribus proprijs, quando id non poteſt abſque probabili periculo vitæ ſuæ. Neque enim quiſquam apprehendit ad eiuſmodi manualem defenſionem, Principem aut Magiſtratum obligari, quando id facere non poſſunt, niſi cum vitæ ſuæ periculo.

DICO Quartò: Non tenetur quoque 58
priuatus defendere bona externa ſiue fortunæ

Digitized by Google

tunæ proximi, quando non poteſt niſi cum occiſione iniqui inuaſoris. Ita docent communiter omnes. Et ratio reddi poteſt: quia dum vterque inuaſus & inuaſor eſt noſter proximus, & concurrunt mala inæqualia, quorum vnum longè maius eſt, quàm alterum, ſicuti perditio vitæ, quàm fortunarum, non tenetur quis vni inferre grandius, præſertim illum occidere à quo natura abhorret, vt ab altero auertat longè minus.

Quæret aliquis, An quoque non teneatur vitam inuaſi defendere cum morte inuaſoris? Docet Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 13. non teneri. Præcipuum eius fundamentum eſt, quia nemo tenetur vitam propriam tueri per mortem alterius: Bonacina tamen Tomo 2. De reſtitut. in particulari Diſp. 2. quæſt. vlt. ſect. 1. puncto 11. exiſtimat nos teneri vitam inuaſi defendere cum morte inuaſoris, quando aliter defendi non poteſt, & inuaſus cupit defendi etiam cum morte inuaſoris: nam melior, inquit, debet eſſe conditio innocentis, quàm iniuſti aggreſſoris: & pro ſua ſententia citat Molin. Tract. 3. Diſp. 18. Eman. Sa V. Homicidium n. 16. & Turrian. Diſp. 27. dub. 3. n. 15. Idque videtur verius, quod ordinariè teneamur. Ad fundamentum Leſſij poteſt reſponderi, quod licet in tali caſu poſſimus iuri proprio cedere ob aliquod honeſtum motiuum, non inde eſſe conſequens, quòd poſſimus opem noſtram denegare proximo in illa neceſſitate, qui rationabiliter illam requirit, quamuis poſſet non requirere, & etiam iuri ſuo cedere.

Addidi, Ordinariè: quia ſi inuaſor ſit mihi
59 parens, non ſolum non tenebor, ſed neque licebit defendere alterum cum morte talis inuaſoris: quia id repugnat pietati filiorum in parentes, vt rectè notauit Leſſius loco cit. quod idem dicit habere locum & potiori ratione, ſi Princeps ſit inuaſor, præſertim ſi aliàs in gubernatione Reip. benè ſe gerat.

Dico Quintò: Qui non defendit proximi vitam aut fortunas, quando id aliàs commodè poteſt, peccat mortiferè contra charitatem: non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi alio titulo ex iuſtitia foret ad defenſionem obligatus. Ita communiter DD. vt teſtatur Bonac. ſuprà.

Prior pars probatur Primò ex diuerſis Capitulis ſeu Canonibus: vt Cap. Quantæ 47. De ſententia excommunicationis: vbi Innocentius III. Pont. Eos, inquit, delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare. Et Can. Non ſatis 14. Diſtinct. 86. inter alia dicitur, eſſe grandem culpam, ſi non adiuues fidelem in afflictione ſua, tempore periculi, quo rapitur ad mortem. Item Can. Non in inferenda 7. D. XXIII. qu. 4. dicitur, Qui non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam eſſe in vitio, quàm qui facit. Qui duo Canones deſumpti ſunt ex D. Ambroſio lib. 1. Offic. cap. 30. & 37.

Probatur Secundò: quia lege charitatis iubemur proximos diligere, ſicut noſipſos; ergò quando commodè poſſumus, tenemur vitam & bona eorum contra iniuriantes defendere.

Poſterior quoque pars manifeſta eſt, quia 60
peccata, quæ tantùm contra charitatem militant, non inducunt obligationem reſtitutionis, vt alibi dictum eſt, ſed pœnitentiæ.

Addidi, Niſi alio titulo ex iuſtitia teneretur ad defenſionem; quia qui omittit id, ad quod ex lege iuſtitiæ obligatur, peccat reuera contra iuſtitiam, & conſequenter tenetur ad reparandum damnum ex illa omiſſione ſecutum. Quare Magiſtratus & miniſtri iuſtitiæ venirent quoque in obligationem reſtitutionis, quando innocentem non defenderent contra iniquum inuaſorem, dum id commodè poſſent facere: quamuis enim primò & principaliter obligentur ad curandam quietem publicam, tamen ſecundariò etiam obligantur defendere priuatos in particulari contra fures & latrones, quando id ſine incommodo facere poſſunt: quomodo cenſendi ſunt illi indubitatè poſſe, qui magiſtratum gerunt & gladium portant, etiam tunc, quando non poſſunt niſi cum morte iniqui aggreſſoris: quandoquidem ſuprà diximus cum Bonac. verius videri, quòd etiam priuatus teneatur ſic proximi vitam defendere, quando id proximus poſtularet.

DVBIVM XII.

Vtrum licitum ſit defendere pudicitiam & honorem cum morte inuaſoris?

RESPONDEO & DICO Primò: Li- 61
citum eſt cuilibet defendere pudicitiam ſuam, etiam cum occiſione inuaſoris, quando aliter eam tueri non poſſumus. Eſt cõmunis doctrina, Pet. Nauarra ſup. n. 309. Syluester V. Excommunicatio, quæſt. 5. Dominici Soto lib. 5. De Iuſt. quæſt. 1. art. 8. Nauarri cap. 15. n. 5. Bonac. ſup. puncto 10. in fine: Henriquez lib. 14. cap. 10. & aliorum. D. Auguſtinus tamen hac de re dubitatiuè loquitur, lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. ſicuti & de defenſione vitæ cum occiſione inuaſoris, vt ſuprà diximus. Sed probatur: quia pudicitiæ bonum ſuperat facultates externas; imò quatenus non amittitur abſque periculo peccati & conſenſus, meritò poteſt quis eligere potiùs mori, quàm pati pudicitiæ violationem; ergò dubium eſſe non debet, quin contra inuaſorem

rem

Digitized by Google

rem pudicitię poſſit adhiberi defenſio, etiam cum ipſius occiſione, ſi aliter conſeruari non poſſit. Quod Ethnici quoque intellexerunt: laudatur enim apud Ciceronem in Orat. pro Milone, adoleſcens ille, qui interfecit Tribunum volentem illi vim inferre, & à Mario exercitus Imperatore abſolutus fuit.

62 Dico Secundò: Non licet Religioſis aut Clericis, ſub prætextu defendendi honoris, occidere inuaſorem, qui eis mortem aut mutilationem intentat, quando fugâ aut alio modo vim eius poſſunt euadere: nec licet repercutere ex eodem prætextu, ſi forſitan alter alapam aut baculi ictum impegerit. Ita communiter Doctores, Soto ſup. Nauar. cap. 15. n. 3. & ſeqq. Couar. in Clement. Si furioſus De homicidio p. 3. §. vnico n. 4. Syluester V. Homicidium 1. quæſt. 9. Gloſ. ad d. Clement. Si furioſus, item ad Cap. Suſcepimus De homicidio, Panor. ad Cap. ſignificaſti 8. eod. tit. & ad Cap. 2. De vita & honeſtate Clericorum: Rodriguez 1. p. cap. 137. n. 14. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 309. vbi ait, quòd omnes fateantur illis non eſſe conceſſum occidere honoris aggreſſorem, ſiue ante, ſiue poſt iniuriam acceptam, ſed mortaliter peccare, non tantùm contra religionem ſtatus ſui, ſed etiam contra iuſtitiam & teneri ad reſtitutionem tamquam veros homicidas: quod eſt contra Leſſium ſuprà dub. 12. n. 86. vbi ſubiungit: Niſi forſitan ob leuem alapam vitandam occidat; ſed ita tenent Doctores ante citati, & cum illis Bonacina ſuprà puncto 10. num. 11.

Ratio communiter à Doctoribus redditur, quia in iſtis verè locum non habet defenſio honoris: quandoquidem enim humilitatem, modeſtiam, manſuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accreſcit, ex eiuſmodi fuga, vel etiam contumelioſis verberibus patienter & manſuetè toleratis. Neque eo nomine in hominum animis quicquam de æſtimatione virtutis ipſorum diminuitur, ſed potiùs multum ſuperadditur: non enim bellatores fortes, ſed Dei & humilitatis cultores, ac patientiæ Chriſti imitatores eſſe, & pro talibus haberi, honorificum ipſis eſt. Vnde & apud vulgus vertitur eis vituperio, ſi pro honore contendant armis, aut pugnis. Confirmari poteſt ex d. cap. Significaſti, De homicidio, vbi Innocentius III. ait, Sacerdotem priùs percuſſum ab homicidio non excuſari, qui mox alterum cum ligone in capite repercuſſerat.

63 Dico Tertiò: Similiter non videtur laicis ſeu ſæcularibus idem licere, quorum excellentia & honor, ratione officij, vel ſtatus, ſiue familiæ, non reputantur conſiſtere in armorum contrectatione & fortitudine bellicâ. Colligitur ex Syluestro V. Bellum 2. quæſt. 2. & V. Excommunicatio: quæſt. 9. Pet. Nauarra loco citato n. 392. Couar. & Bonacina ſup. contra Iul. Clarum §. Homicidium n. 32.

Probatur: quandoquidem enim tales non habeantur in æſtimatione, nec eis honor deferri ſoleat, ob excellentiam in peritia & contrectatione armorum, aut ob fortitudinem bellicam, nihil propriè illis de honore decedit, ſi furorem aut impetum inuaſoris cautè ſubterfugiant, & dent locum iræ, ſe ſubſtrahendo, donec mala paſſio proximi tranſierit: neque quiſquam vel mediocriter intelligens & probus hoc eis vitio dabit, quin potiùs laudi ac honori & diſcretioni adſcribet. Pariter quoque, ſi percuſſi non repercutiant, dum inuaſor fugit, aut recedit, nihil de æſtimatione ſua deperdent (niſi forſitan apud ſtultos aliquos æſtimatores qui omnem gloriam in vindicandi temeritate & audaciâ ponunt) vtpote quorum virtus & excellentia in eiuſmodi actibus non reputantur conſiſtere, ac quibus ex officio aut ratione ſtatus, vel generoſæ familiæ eiuſmodi non conueniunt, aut ineſſe debent. Quare ſi repercutiant, in bono iudicio cenſendi ſunt, id magis animo vindicandi facere, quod ex omnium ſententia illicitum eſt, aut certè acquirendi honorem, quàm ad honoris defenſionem, quandoquidem illo non excelluerunt. Quamuis nec tali facto verè honorem poſſint acquirere, quia ſi aliquem ex eo poſſent nanciſci, eſſet honor fortitudinis: docet autem è contrà Philoſ. 3. Ethicorum cap. 8. quòd non ſint verè fortes, qui propter honorem fortia faciunt, & proinde nec propter eiuſmodi facta verè honore digni ſunt. Quin multò plus ęſtimationis & laudis apud ſapientes ſibi comparabunt, ſi prudenter cum patientia diſſimulent. Vt tamen improborum petulantia coërceatur, poterunt per Magiſtratum (qui non ſine cauſa gladium portat) curare inuaſorem puniri. Quis enim Chriſtianus (inquit Pet. Nauarra ſuprà) dedecori dandum putaret, quòd percutientem quis non repercuteret, cùm Chriſtus percutienti ſentiat alteram maxillam præbendam: & Apoſtolus doceat, non eſſe malum pro malo reddendum; ſed non potiùs id, ait, honori habendum, non ſolùm Religioſis & Clericis, ſed cuilibet Chriſtiano, dicente Domino: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*; & iterum: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde?*

Dico Quartò: Probabile tamen eſt, 64
viris ſæcularibus, qui ratione ſtatus, vel nobilis familiæ ſolent & æſtimantur excellere in armorum contrectatione, & fortitudine bellica, quibuſque illa quodammodò debita ſunt ineſſe, licere repellere aggreſſorem, etiam cum illius occiſione, qui ignominioſè illos in-

illos inuadit, vt v.g. pugnis, vel baculo, ſi aliter eius ictus auertere nequeant: neque eos obligari ad fugam, quamuis ſe poſſint per fugam ab illius inuaſione eripere.

Probatur Primò, authoritate communi omnium pænè Doctorum, tam Theologorum, quàm Iuriſperitorum: quæ in huiuſmodi re morali, magni eſt facienda. Ita docent Soto lib. 5. De Iuſt. quæſt. 1. art. 8. Arragonius quæſt. 64. ad art. 7. Banneſ. quæſt. 64. art. 7. Salon. ibidem. Valentia Tom. 3. Diſp. 5. quæſt. 8. puncto 4. Leſſ. dub. 12. Nauar. cap. 15. n. 3. Syluester V. Homicidium 1. quæſt. 5. Gomeſius Var. reſolut. Tomo 3. cap. 3. n. 23. Pet. Nauarra & Bonac. ſuprà, & nouiſſimè Diana Tract. 5. Reſolut. 90. cum pluribus alijs, quos citant.

65 Probatur Secundò ratione: quia talis inuaſus non periclitatur tantùm de vita, mutilatione, aut alia læſione corporali: ſed etiam de amiſſione æſtimationis ſuæ, & honoris. Quamuis autem poſſet per fugam à ſe auertere periculum corporalis læſionis, non tamen poteſt ſic ſaluare ſuam æſtimationem & honorem: ſed quemadmodum ignauiter permittendo ſe percuti, ita & fugiendo, iſta deperdet, & qui habebatur vir generoſus & fortis, qualis etiã ex ordine ſuo eſſe debet, reputabitur vilis, & ignauus; ergò pro defenſione & conſeruatione honoris ſui poterit talis ſubſiſtere, & ignominioſos ictus inuaſoris depellere, &, ſi aliter non valeat, etiam poterit id cum percutientis occiſione. Confirmatur; quia poteſt quis fortunas & facultates externas, quando magni ſunt momenti, defendere cum morte diripientis, vt ſuprà dictum eſt; ergò & honorem, qui pluris æſtimatur, quam bona fortunæ, licebit ſic defendere, quando alius externo actu violento & ignominioſo molitur eum deſtruere & eripere.

Couar. tamen in d. Clement. Si furioſus
66 De homicidio p. 3. §. vnico n. 4. in eam propendet ſententiam, quòd etiam tales non abſque omni culpa poſſint occidere aggreſſorem, quando per fugam poſſunt ſe ſaluare, etiamſi iſta reputetur eis ignominioſa: & pro ſe citat Alexandrum Conſ. 129. qui tradit alteram defenſionem eſſe immoderatam & inhumanam. Conſiderat autem ipſe, vt inquit, eſſe iniquam hanc commutationem, ſaltem non omninò æquam, quòd ob tutelam honoris proprij, vitam quis adimat alteri, præſertim quando is non ſpectat ad probos mores, nec eſt Reipublicæ, aut Religioni Chriſtianæ peculiariter vtilis aut commodus: & cum Couar. tenet Tannerus Tom. 3. Diſp. 4. quæſt. 8. dub. 4. n. 74. Quæ ſanè ex illo quoque capite fieri poſſunt probabiliora & iudicari magis probanda, quòd vir nobilis, aut etiam militaris, cuius magnanimitas & fortitudo alijs occaſionibus contra patriæ hoſtes, aut aliàs in iuſto bello ſatis eluxerunt, & elucere ſolent, non multùm deperditurus ſit de nomine & honore ſuo, ſi prudenter alterius temeritatem aut iracundiam declinet: neque propterea ignauus reputabitur, quin potiùs tamquam vir cum diſcretione & tranquillitate fortis, ab intelligentibus commendabitur.

Dico Quintò: Si aggreſſor poſt percuſſionem factam, pœnitentiâ motus aut terrore perculſus veniam petat, & ſe humiliet, ſatisfactionem offerendo, non licebit tunc talem repercutere ſub prætextu defendendi honorem; minùs autem licebit occidere. Ita docet Pet. Nauarra ſuprà n. 381. Dominicus Soto ſuprà, Richard. in 3. diſt. 37. Armilla V. Moderamen. 67

Probatur: quia eo caſu iſta repercuſſio non poteſt habere aliam rationem, quàm vindictæ, non autem defenſionis aut recuperationis honoris ablati: tum quòd inuaſor ſe ſubmittendo, & veniam petendo, honorem reſtituat, quia recognoſcit alterius valorem & virtutem, & pro iniuria offert ſatisfactionem: tum quòd nullius iudicio reputabitur alteri honorificum, quòd hominem humiliatum & veniam petentem percutiat ac vulneret: neque enim eſt hoc viri fortis & generoſi, ſed crudelis ac ſæui, & pænè hominum maximè ignauorum: quare inquit, Pet. Nauarra. n. 382. procul dubio immoderata, libidinoſa, atque inhumana eſſet illa defenſio, ethnicis digna magis, quàm hominibus in Chriſtiana religione inſtitutis, imò barbaris magis, quàm ratione præditis.

Dico Sextò: Non licet quoque inuaſorem, qui priùs ignominioſum ictum dedit, repercutere ad defendendum, ſiue recuperandum honorem, poſtquã ille iam ad alia negotia diuerterit, & fortuitò occurit læſo, aut dum iam quietè agit. Ita Antonin. p. 3. tit. 4. cap. 3. §. 1. Pet. Nauarra ſuprà n. 380. & alij communiter: quia, inquit Nauarra, aliàs daretur via multis Reipublicæ perturbationibus, ſcandalis, inſidijs, inimicitijs, atque adeò ſub hoc prætextu omnes poſſent ſumere licentiam vindicandi propriâ authoritate ſuas iniurias; ergò id tamquam licitum nullo modo admittendum eſt. 68

Confirmatur à ſimili: quia dum fur rem furtiuam tuto loco collocauit, non licet domino propriâ authoritate per vim eripere, & furis poſſionem turbare; ergò &c.

Dico Septimò: Similiter non videtur licitum ſub eodem prætextu percutere, & minùs licitum occidere eum, qui priùs ignominioſè percuſſit: ſed iam fugit, aut aliò ſe retrahit, Secus dici poſſet, ſi adhuc coram

inſultans, & ignauiam exprobrans ſubſiſtat. Ita docent Soto ſuprà art. 8. Couar. loco citato, Malderus Tract. 3. cap. 1. dub. 14. cum pluribus alijs, contra quoſdam citatos apud Leſſium ſuprà dub. 12. n. 70. quorum ſententiam dicit ſpeculatiuè probabilem, ſed in praxi non facilè permittendam: & quidem meritò, quia cùm iſte iam vim nullam inferat, neque quicquam tuum auferre pergat, non poterit iſta percuſſio habere rationem defenſionis rei tuæ: ſed tantùm vltionis ſiue vindictæ. Vnde alia eſt ratio de illis, qui cum mea ſubſtantia fugiunt, quia eos percutiendo aut ſagittam in eos emittendo impedire intendo, ne pergant in violenta ablatione rei meæ, quam continuant. Quod hic locum non habet: nam inuaſor nullam actionem ignominioſam, vt ſupponitur, continuat, quin potiùs fugiendo, aut ſe aliò retrahendo, declarat ſe virtutem inuaſi & fortitudinem recognoſcere, atque adeo reformidare: vnde iſta repercuſſio non videtur poſſe ſeruire ad defenſionem honoris, ſed tantùm ad vindictam. Si verò aliquid ad honorem facere exiſtimetur, valebit potiùs ad nouum honorem acquirendum, quàm ad defendendum: conſtat autem non licere percutere alterum quietum, vel fugientem, vt ex illa percuſſione tamquam facinore generoſo, quis ſibi honorem comparet. Accedit, parum eſſe honorificum, percutere hominem fugientem: neque enim aliqua in eo relucet virtus.

69 Quare parum conſideratè videtur à nonnullis dictum, (inter quos citantur Nauarrus cap. 15. n. 4. & Henriquez de Irregularitate cap. 10.) quod ſi vir nobilis aut honoratus eiuſmodi iniuriâ ſit affectus, poſſe etiam fugientem inſequi, & tantum infligere verberum & vulnerum, quantum putatur neceſſarium ad honorem recuperandum. Quaſi verò magnitudo & multitudo verberum non ſeruirent potiùs ad inducendum æqualitatem per modum iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ priuatis non eſt commiſſa, quàm ad honoris defenſionem. Quinimò ſi vel leuiſſimo verbere alterum fugientem tangat, nec fiat oppoſitio, plus honoris recuperabit, quàm ſi grauiter vulneret: ſi tamen iſtis modis reuerberationis honor defendi dicendus, quod non equidem exiſtimo.

Addidi: Secus dici poſſet, ſi adhuc inſultans, & ignauiam exprobans ſubſiſtat: quia de illo adhuc ſubſiſtente & exprobrãte videtur quodammodo eadem ratio, quæ de aggreſſore, qui percutiendo nititur timiditatis & ignauiæ vitium impingere. Vnde ſi liceat ictum auertere etiam cum alterius læſione, aut morte, nec teneatur inuaſus fugere, videbitur ſimiliter poſſe continuatam iniuriam partim verbere, partim verbo, à ſe eodem modo propellere, quando aliter non poteſt: præſertim attento periculo, quod eo caſu ſubeſt, ne alios ictus ignominioſos ſuperaddat. Sunt tamen hæc valde obnoxia periculo animi vindicatiui & peccati, & vix vnquam neceſſaria ad defenſionem honoris: quia ſi nulli adſint non minuitur æſtimatio apud alios: ſi verò aliqui deſint, poterit verbalis inuaſor contumilioſus apud iudicem accuſari, & per hunc ad reparandum honorem debitè compelli.

Dico Octauò: Non etiam licet, ſub prætextu defendendi honoris, acceptare duellum, quamuis ab alio oblatum, neque ad condictum locum comparere. Ita DD. communiter, Rodriguez 1. p. cap. 137. n. 1. Peregrinus de Duello fol. 4. Valentia Tom. 3. quæſt. 17. puncto 1. Bonacina ſuprà puncto 10. n. 9. cum alijs, quos citat. Conſtat ex Cõncil. Trid. Seſſ. 25. cap. 19. De reformatione, vbi ita de hâc re loquitur & ſtatuit: Deteſtabilis duelliorum vſus, fabricante diabolo introductus, vt cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur: & conſequenter duellantibus, excommunicationis & perpetuæ infamiæ pœnas imponit, cum priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi in duello occumbant. Similiter cooperatoribus & conſiliarijs, diuerſas pœnas infligit. 70

Dicet aliquis: Videtur eiuſmodi conſtitutio eſſe contra rationem, quia videatur quis facere ea, quæ ſunt neceſſaria ad defenſionem & conſeruationem honoris ſui: quemadmodum contra rationem eſſet lex illa, quâ prohiberetur quis defendere vitam ſuam, aut bona temporalia. 71

Reſpondetur Negando Aſſumptũ: quia tametſi contra rationem foret lex, quæ generaliter prohiberet defendere honorem, aut vitam, vel bona temporalia: tamen non eſt contra rationem, prohibere certos modos, & certos caſus defenſionis ſiue bonorum, ſiue vitæ, ſiue honoris: vt puta quando illi modi adducerent magnum detrimentum publico bono: tunc enim particulares poſſunt rationabiliter obligari, vt potiùs ſuarum rerum ſuſtineant damnum, quàm quod talibus modis, aut medijs eas tueantur. Sic reſpublica poteſt prohibere, ne ciues vitam ſuam defendant aut tueantur fugiendo à ſtatione, quando hoſtis irruit. Similiter prohibere poteſt, ne excurrant extra vrbem, vt ibi res ſuas defendant, ſi intus ſit periculum, ne hoſtis interea ciuitatem expugnet. Sic ergò propter multa Reipublicæ incommoda, & propter periculum animarum, quæ ex duellis ſolent ſequi, valde rationabiliter potuerunt tam ſeuerè prohiberi, non tantùm quoad offerentes, ſed etiam

quoad

Digitized by Google

quoad acceptantes, etiamſi recuſando exiſtimarent (licet imprudenter) ſe notam infamiæ incurrere.

Secundò potuit Concilium iuſtè prohibere, quia in vero iudicio per acceptationem duelli, non defenditur honor: neque enim eſt actus virtutis, nequidem moralis fortitudinis aut magnaminitatis: quin potiùs repudiatio eius erit talis, ſi fiat, vt quis ſe patriæ defenſioni contra eius hoſtes, pro tempore & loco oportunis reſeruet. Omnis enim actus virtutis debet eſſe prudens: ſummæ autem imprudentiæ, & contra rationem eſt, abſque vlla neceſſitate & abſque vllo bono accedere, vt vel proximum occidas, vel ab eo occidaris: ex quo facto nihil vtilitatis natum eſt Reipublicæ prouenire, ſed potiùs detrimentum, quòd ipſa viris aliâs ſibi neceſſarijs ſine neceſſitate & fructu nunc ſpolietur. Accedit, quòd etiam ex Philoſopho ſuprà diximus, non eſſe verè fortes, qui propter honorem fortia faciunt; quod alioquin hîc poſſet fortaſſis prætendi.

72 DICO Nono: Non licet pro defenſione honoris occidere eum, qui cõtumelioſis tantùm verbis contra te agit, præſertim ſi alia vitia, quàm ignauiæ, aut timiditatis tibi improperet. Leſſ. ſup. dub. 12. Mald. dub. 14. Azorius 3. p. lib. 2. qu. 2. & alij, quos refert Bonac. qui tamen aliter ſentit.

Probatur Primò: quia verberando vel occidendo nullatenus diluuntur alia crimina; quin potiùs videri poſſunt cõfirmari. Vt ſi quis obijciat alteri crimen falſi, aut adulterij, non purgabit ſe apud adſtantes vel audientes, ſi in eum exurgat, & percutiat, aut occidat; ſed potiùs confirmabit. Nam vbi ratio defenſionis deficit, ibi maximè ſolent eiuſmodi impetus, & paſſiones inualeſcere. Magis verò purgabit ſe, vocando adſtantes in teſtes, vt tẽpori & loco de tali improperio ſibi facto, teſtimonium perhibeant, & tum per iudicem compellat contumilioſum ad reuocationem, & curet eum pro improbitate ſua puniri. Quòd ſi nulli adſint, qui in teſtes poſſint adhiberi, iam non perdit honorem, ſed exercetur eius patientia: de quo exercitio, quamuis iniuſtè patiatur, non poteſt tamen per impatientiam, ſe priuatâ authoritate vindicare.

Probatur Secundò: quia iſte contumelioſus nullam vim propriè dictam infert; ergò non poteſt illa iniuria per vim propriâ authoritate repelli: prout ſuprà diximus, non eſſe licitum occidere eum, qui vitæ alterius ſtruit inſidias, calumniando apud Iudicem.

73 DICO Decimò: Quamuis autem aliquid apparentiæ videri poſſit habere, quòd contumelioſum, qui ignauiam exprobrat, liceret verberare, ad obiectionem ignauiæ diluendam, eo quòd hic actus videatur per ſe talem calumniam diluere, quatenus ipſo facto quis ſe declarat, non eſſe talem, prout alter exprobrat, tamen propter rationem poſteriorem iam adductam, mihi veriſimilius fit, ne quidem eiuſmodi obiectionem tali medio reprimendam aut diluendam. Indicant hoc etiam DD. antè citati, quando abſolutè docent, non licere inuaſorem pro defenſione honoris occidere, quando tantùm per verba aut ſigna contumeliam infert. Multò minus probanda videtur opinio, in quam Pet. Nauarra ſuprà n. 375. & nonnulli alij inclinant, quod ſcilicet licitum erit interficere eum, qui detractionibus, aut falſis criminationibus, apud Principem, vel alios honoratos viros, molitur nomen & famam tuam minuere, & ſuffurari, quando aliter illud damnum famæ auertere nequeas: quia inprimis iſta doctrina infinitis machinationibus in occultas hominum cædes aperit oſtium latiſſimum, quæ admittit quemlibet poſſe iniuriam omnem armis à ſe propulſare, per ſe vel alios occultè interficiendo iniuriantem: quamuis vi externâ, & ſiue armorum nõ inferatur, ſed cauilloſâ viâ iuris, aut conſilijs, vel verbis: nam facilè homines ſibi perſuadent alios ſibi manifeſtam iniuriam inferre, & ſe vel propter mediorum defectum, vel propter iudicum iniquitatem, non poſſe tales iniurias à ſe auertere, eaſve ſubterfugere. Quare ſi hoc ſibi licitum eſſe intelligant, mox refugium ſuum ad occultas cædes iniuriantium habebunt, vt illo medio ſe à damnis, calumnijs, & iniurijs liberent aut præſeruent: quo nihil pœnè funeſtius poteſt Reipublicæ obuenire. Oportet autẽ ſine dubitatione in iure defenſionis concedẽdo etiam attendere, vtrùm eius vſus non vergat in perniciem Reipublicæ.

Deinde fundamentum iſtorum non poteſt 74 eſſe aliud: quàm quòd ſecundùm omnia iura liceat vim vi repellere, quod in talibus prætendunt habere locũ, quia aliter nequeat alij iniuriã auertere. Sed longè aliud eſt repellere vim, aliud repellere iniuriam; quod illi non ſatis videntur conſideraſſe: quia non omnis iniuria, quamuis auerti nequeat, poteſt dici per vim propriè loquendo, inferri. Quare neque licebit omnem iniuriam, quamuis aliter eam euadere non poſſimus, propulſare armis, & vi propriè dictâ. Neque ab antiquioribus videtur illud axioma, tam latè vnquam intellectum aut extenſum, prout modo ab aliquibus extenditur.

Accedit, quòd vix fieri poſſit, vt contra Detractores, aut occultos Calumniatores, quis honorem ſuum defendat, illos occidendo; & non poſſit alio modo. Nam ſi honorẽ iam læſerint, non eum recuperabit offenſus, quamuis illos occultè interficiat: quinimò ſi id fortaſſis publicetur, hoc ipſo apud omnes famam & nomen perdet, & quæcum-

Digitized by Google

que de illo fuerint dicta exiſtimabuntur veriſſima: ſi autem nondum honorem abſtulerint, ſed alter tantùm timeat, ne per detractiones tollant, valde temerarium erit, propterea occidere: quia inprimis parum certum eſt, an tuus metus ſit fundatus: deinde vtrum alij iſtis detractoribus ſint fidem habituri. Tertiò, non erit difficile viro bono per alios idoneos teſtes ſuæ vitæ & conuerſationis, curare meliùs illos informari, apud quos detractores eum forſitan minuerint. Quare tam licentioſas opiniones non valde tutum eſt admittere, aut recipere: & multo minùs apud populum explicare aut prædicare. Sanè D. Aug. longiſſimè ab eiuſmodi ſenſu abfuit: qui etiam in hoc magis videtur inclinari, vt ne pro vitæ, aut pudicitiæ defenſione licitum ſit, violentum inuaſorem occidere, quantumuis non poſſit quis aliter vim eius euadere, vt colligere eſt ex ijs, quæ ſcribit hac de re libro 1. de libero arbitrio cap. 5. & epiſtola 54. & 154.

DVBIVM XIII.

Vtrum aliquo caſu liceat interficere innocentem?

75 RESPONDEO & DICO Primò: Nunquam licet occidere innocentem. Ita D. Th. quæſt. 64. art. 6 eſtque communis & certa doctrina.

Probatur Aſſertio ex illo Exodi cap. 23. *Inſontem & iuſtum non occides, quia auerſor impium.* Et ratio reddi poteſt, quia nemini conceſſit Deus poteſtatem & dominium in vitã hominis. Hæc tamen ſic intellige, non eſſe licitum per ſe & directè vnquam interficere innocentem: nam ſuprà in Tractatu de Bello & alibi diximus, quomodo liceat aliquando facere actiones ex ſe honeſtas, & ad finem noſtrum neceſſarias, etiamſi ex malitia aliorum per accidens inde ſequatur mors innocentum præter noſtram opinionem extra caſum neceſſariæ defenſionis, quando ex furia vel ignorantia, inculpatè innocens inuadit innocentem. Quantumuis itaque tyrannus aliquis interminaretur ciuitati exterminium cum internecione omnium, qui in ea ſunt, niſi Reſpublica interficeret innocentem ibidem exiſtentem, aut niſi ille occideret ſeipſum, non tamen licebit vel magiſtratui illum occidere innocentem, neque ipſi licebit occidere ſeipſum: ſed debebit Reſpublica potiùs extrema mala perpeti.

76 Objiciet aliquis: Poteſt Reſpublica exponere vitam ſuorum ciuium periculo mortis, atque adeò ipſi morti, ob communem ſalutem; ergò poterit quoque illam alicui eripere, quando id eſt neceſſarium ad commune bonum, & conſeruationem communitatis. Confirmatur exemplo Scripturæ ſanctæ, quia viri Samariæ interfecerunt 70. filios Achab, timore belli, & exterminij, quod eis minabatur Iehu, vt patet 4. Reg. cap. 10. ergò &c.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia Reſpublica non exponit vitam ſuorum ciuium propter communem ſalutem; niſi quatenus imperat, vt quiſque ſtationem ſuam debitè ſeruet, & fortiter contra hoſtes ciuitatis pugnet, quantumuis vitæ pericula ingruant: eaque mandat tamquam media per ſe & ex natura ſua idonea ad mala à Republica arcenda, vt ſic illa defendatur, non autem vt ciues interficiat, ſiue vt illi interficiantur. Quare ſi contingat eos occumbere, id per accidens ſequitur ad imperium Reipublicæ, & ad ipſam quoque actionem imperatam, ſcilicet ex violentia & malitia hoſtium, non ex intentione Reipublicæ, neque ex natura actionis, quam imperat, vtpotè quæ per ſe tendit ad defenſionem Reipublicæ, non ad internecionem pugnantium: quemadmodum ad hanc tenderet actus, quo Reſpublica eos interimeret.

Ad Confirmationem Reſpondetur Primò, Non eſſe magnum incommodum admittere, quòd viri Samariæ in eo peccauerint, interficiendo omnes filios Achab ad mandatum Iehu: neque enim Scriptura illud virorum Samariæ factum commendat, aut approbat.

Reſpondetur Secundò; Poſſe tamen eos excuſari, quia veriſimile ſit Iehu indicaſſe eis voluntatem Domini eſſe, vt totam progeniem Achab ipſe deleret: fuiſſe verò hanc Dei voluntatem (qui vitæ & mortis in omnes habet poteſtatem) colligi poteſt ex cap. 22. libri tertij Paralipom. vbi Dominus legitur vnxiſſe Iehu, vt deleret domum Achab.

DICO Secundò: Si tyrannus à Repub. petat ſibi innocentem tradi interficiendum, 77
ſiue vt eum interficiat, idque ſub comminatione extremi exterminij niſi faciat, tamen non licebit Reipub. tradere innocentem ad illum finem, vt tyrannus eum occidat. Probatur: quia ſic ad illum finem tradendo Reſpublica per ſe iam cooperaretur, & directè intenderet occiſionem innocentis. Quod numquam poteſt eſſe licitum: adeò vt, ſi tyrannus exigeret Reipublicæ declarationem, quòd tradat hunc innocentem vt ipſe pro ſua libidine illum occidat, haud dubiè deberet illa potiùs quæcumque in commoda ſuſtinere, quàm in eo obſequi tyranno: non enim tantùm morte digni ſunt, qui talia agunt, iuxta Apoſtolum ad Romanos 1. ſed & illi qui conſentiunt facientibus.

DICO

78 Dico Tertiò: Si tyrannus ſub commi-natione exterminij requirat aliquem, vel ali-quos innocentes ex ciuitate dimitti, aliud nõ addendo, ſi Reſp. perſentiat ſibi exterminiũ inſtare, niſi dimittat, poterit illum vel illos extra ciuitatem exponere, & à ſe excludere. Ita communiter Doctores omnes. Probatur: quia non tenetur Reſpubublica cum tanto periculo totius ciuitatis defendere aliquem, vel aliquos particulares ſuos ſubditos, quan-tumuis innocentes, vt docet Soto lib. 5. q. 1. art. 7. & apparet per ſe ſatis euidens: atqui iſta extramiſſio non eſt niſi quædam dene-gatio defenſionis ipſorum: vnde tunc relin-quuntur ſibi, vt ſui ipſorum curam habeant.

79 Dico Quartò: Licitum eſt innocenti-bus, qui à tyranno ſic requiruntur, etſi pute-tur ad mortem, accedere ad illum: Imò ex charitate tenentur, vt ſuo acceſſu Rempub-licã totam liberent ab exitio, quod alioquin illi inſtat. Ita quoque Soto ſup. & commu-niter alij omnes: quęlibet enim pars tenetur ſe exponere pro conſeruatione totius.

Dicet aliquis: Si tyrannus expoſceret ſibi tradi virginem, quam vult violare, non te-neretur illa ex charitate ad eum accedere pro conſeruatione Reipublicæ; ergò neque alter innocens, quem tyrannus expoſcit & vult interficere, tenebitur accedere.

Reſpondetur, admittendo Antecedens: (Imò dico, quòd virgo tali caſu non ſolùm non tenetur, ſed nec ei liceat accedere.) Ne-gando conſequentiam. Ratio autem di-uerſitatis eſt; quia virgo non tantùm non poteſt cooperari actiuæ violationi, quam tyrannus prætendit, ſed ne quidem poteſt eſſe animo parata ſuſtinere violationem pro quocumque bono fine, quando poteſt ſub-terfugere aut impedire. Innocens autem quamuis ipſi non liceat tyranno cooperari ad ſuam mortem, tamen ille ex iuſta cauſa poteſt eſſe animo paratus mortem ſuſtinere, quam exiſtimat tyrannum illaturum, etiam-ſi poſſet ſubterfugere aut impedire. Quem-admodum Chriſtus Dominus, ſuà volun-tate mortem perpeſſus eſt, quam ſubter-fugere potuiſſet, ſi ita ei placuiſſet. Quare quandoquidẽ virgo ſic expetita declararet ſe animo paratam ſuſtinere violationem, ſi accederet, hinc fit, quòd ei talis acceſſus reddatur illicitus: non ita innocenti, quam-uis ſciat ſe expeti ad mortem.

80 Dico Quintò: Non licet Reip. trade-re innocentem tyranno quẽ vult occidere, quamuis ſub cõminatione exterminij expe-tat ſibi tradi, quamdiu ſaltem ipſa habet vi-res aliquas, & ſpem probabilem aliquo mo-do, quòd contra potentiam & violentiam ipſius tyranni poterit ſe, & ſuos defendere. Probatur: quia Totum debet ſtare pro ſa-lute & conſeruatione ſingulorum membro-rum: neque poteſt illa exponere euidenti periculo internecionis, abſque maxima ne-ceſſitate; præ ſertim per aliquẽ actũ, qui per ſe & ex ratione ſua nihil confert ad bonum aut conſeruationem totius, qualis eſt illa traditio innocentis ad manus tyranni. Et ita in Rebuſpublicis benè conſtitutis, vbi ſimiles caſus obuenerunt, legimus obſer-uatum, vt lib. 2. Machabæorum cap. 14. vbi iſtę ſunt minæ Nicanoris Iudæorum ho-ſtis, *Niſi Iudam vinctum mihi tradideritis, iſtud Dei fanum, in planitiem deducam* &c. & tamen Iudam non tradiderunt. Sic quoque Reſ-publica Athenienſis noluit tradere Demo-ſthenem, quem hoſtis obſidione ciuitatem premens, ſibi tradi exigebat, cum promiſ-ſione, quòd tum eam relinqueret inco-lumem.

In dictis itaque hactenus, exiſtimo Do-ctores omnes à parte rei ſatis conuenire: Sed difficultas & controuerſia magna eſt, Vtrùm ſi tyrannus innocentem expetat, vt eum occidat, idq; ſub cõminatione extremi excidij, niſi ciuitas aut Reſpublica eum tra-dat, & Reſpublica non habeat aliud me-dium euadendi inſtans exitium, niſi traden-do innocentem, vtrùm, inquam, tunc Reip. liceat tradere; ſic tamen vt ipſum tradat non cum intentione, vt interficiatur, ſed tantùm vt auertat à ſe malum imminens? Multi ne-gant id Reipublicæ licitum eſſe, vt Domi-nicus Soto loco antè citato, Sylueſter V. Homicidium 1. quæſt. 2. Aragonius hîc ad quæſt. 64. art. 6. Toletus lib. 5. cap. 6. & alij. Non-deſunt autem qui affirmant licere, vt Lopez 1. p. cap. 6. vbi etiam Adrianum ci-tat, Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 120. & ſeqq. Valentia tom. 3. q. 8. Bannes & Salon. 2. 2. q. 64. art. 6. Tann. tom. 3. Diſp. 4. q. 8. dub. 4. puncto 2. Leſſius dub. 7. & diuerſi recentiores. Vtraquę ſententia habetur pro-babilis, vt refert Mald. Tract. 3. c. 1. dub. 21. Vnde quia obſeruo pleroſque in hac materia ſatis dubiè locutos, & loqui diſputatiuè magis, quàm aſſertiuè: partem affirmantem conabor explicare & adſtruere.

Probatur itaque hæc Primo, quia ſi Reſ- 81
publica in tali caſu non poſſet licitè illud facere, id eſſet, quia vel ipſa proximè & per ſe, innocenti inferret iniuriam, tradendo illum ad manus tyranni, vel quia per hanc traditionem cooperaretur iniquo tyranno in occiſione innocentis, vel propter vtrum-que: ſed nihil iſtorum videtur eſſe verum; ergò &c.

Probatur, quòd non prius, quia ille in-nocens tenetur ex pietate erga patriam, & ex charitate, vt omnes fatentur, egredi, & ſe morti exponere pro ſalute totius Reipubli-cæ, ſi pro certo habeatur, quòd ſuo ad ty-rannum acceſſu, ſuo item periculo & malo poſſit generalem calamitatem communita-tis auertere; ergò ſi monitus non faciat,

 poterit

poterit Reſpub. quæ eius eſt ſuperior, illum compellere, vt Reipublicæ præſtet, quod bonus ſubditus ex charitate & officio ſubditi præſtare obligatur: nec ei iniuriam faciet, ſi ad illius executionem compellat, aut cooperetur. Neque refert, quòd non obligetur ex iuſtitia particulari, quod huc reſpondet Dominicus Soto; quia poteſt Magiſtratus ſubditos cogere ad multa, ad quæ non tenentur, niſi ex charitate & pietate in Rempubl. quando communitatis intereſt, vt illa præſtentur. Sic videmus diuites iuſtè poſſe cogi, vt tempore famis vendant frumenta ſibi ſuperflua: item ad dandas eleemoſynas in caritate annonæ, & ad vitandos exceſſus & luxus conuiuiorum; ad quæ & ſimilia non obligantur ex particulari iuſtitia, ſed ex charitate tantùm. Quandoquidem ergò, hic innocens ſaltem ex charitate obligatur, vt omnes fatentur, imò non tantùm ex charitate Chriſtianâ, ſed etiam ex pietate debitâ patriæ, certè ſi tali caſu recuſet ſe tyranno ſiſtere, poterit, vt id faciat, à Rep. compelli: imò ſi non vellet acquieſcere, iam eo ipſo fiet nocens, & poterit Reſpublica illum tamquam inofficioſum ſubditum punire.

82 Confirmatur: quia ſi Princeps, qui patriæ eſt neceſſarius, aut admodum vtilis, foret in extremâ neceſſitate ob defectum cibi conſtitutus, & ſubditus quiſquam vnicum dumtaxat haberet panem, poſſet eo priuari, vt daretur Principi, quantumuis ex inde contingeret ſubditum illum fame moriturum: quod etiam alij non videntur negare; ergò & ſimiliter licebit ſine iniuria tradere ſubditum ex ſimili neceſſitate, quamuis inde futurum ſit, quod moriatur ſiue occidatur.

Probatur quod neque poſterius locum habeat: quia tradere innocentem ad manus tyranni ſiue hoſtis, non eſt per ſe intrinſecè malum: & quamuis dum præuidetur magna eius iniuria, aut mors inde ſequutura, ſit Reipublicæ (quæ illum tamquam partem & membrum ſuum obligatur potiùs tueri) illicitum, tradere tunc illum abſque neceſſitate aut iuſta cauſa, adeò vt illius iniurijs & occiſioni cenſeretur conſentire & cooperari, ſi ita faceret, tamen quando Reſpublica habet neceſſitatem, & iuſtam cauſam, vt v. g. quia aliter ſe non poteſt ſaluam conſeruare, licebit illi tunc hanc traditionem facere, neque eam faciendo, cenſebitur mortem innocentis velle, aut ad eam cooperari.

83 Confirmatur: quia iſta traditio non eſt per ſe mala, ſed eſt actio ex ſe indifferens: quæ tamen propter incommoda proximi aliunde ſequutura, omitti debet: niſi grauiora mala, & quæ Reſpublica magis debet vitare, certiſſimè immineant: propter quæ poteſt ipſa meritò negligere iſtud damnum proximi tamquam minus incommodum, quod præter ſuam intentionem, & naturam actionis ſuæ præuidet ſequuturum. Vnde hoc caſu cenſebitur tantùm illud permittere, nullo autem modo velle, aut ad id operam conferre: quod in pluribus alijs cernitur euenire. Et vt non longiùs à materia digrediamur, non licet Reipublicæ mittere, & diſponere abſque neceſſitate, aut publica vtilitate, ciuem in aliquo loco, vbi periculum imminet, ne à graſſatoribus occidatur: quando tamen id neceſſarium eſt pro Reipublicæ conſeruatione & incolumitate, licitè id facere poterit, prout nullus negabit: & ſi occidatur ciuis ille, non cenſebitur Reſpublica mortem eius voluiſſe, vel ad eam fuiſſe cooperata. Rurſum ipſi innocenti non licet ſuâ ſponte abſque neceſſitate, aut ſpe alicuius boni accedere tyrannum, à quo putatur occidendus: & ſi ſic accedat, reputabitur vitam ſuam prodigere, & morti ſuæ cooperari: ſi autem id faciat pro conſeruatione patriæ, aut Religionis, aut aliâ iuſtâ de causâ, licitè id facere poterit, nec dicetur ipſe mortis ſuæ cauſa, aut vitam prodigere, quamuis à tyranno interficiatur.

Confirmatur Secundò: quia, vt ſuprà Dubio 7. ex D. Thoma diximus, quando 84
ſunt duo effectus eiuſdem actus, nihil prohibet, quo minùs alter tantùm ſit ex intentione, & alter præter intentionem: quando ſcilicet eſt neceſſitas, aut iuſta ratio actum exercendi propter vnum illum effectum, & alter effectus non ex neceſſitate ex illo actu ſequitur, ſed ſimul pendet ex alia cauſa, quæ poteſt & debet illũ impedire: atque ita iſtius traditionis, vnicus hic effectus ſcilicet conſeruatio & incolumitas Reip. poteſt hîc dici eſſe intentus, & ab eo actio ſortiri rationem & ſpeciem; alter autem effectus, ſcilicet mors innocentis ſequi per accidens, & præter intentionem euenire: à quo proinde actus traditionis, nec ſpeciem nec malitiam contrahat: quare meritò potuit propter effectum priorem Reſp. actionem iſtam eligere, cum qua poſterior non habet neceſſariam dependentiam: ſed tantùm ex voluntate & malitia alterius ſequitur, qui tenebatur ab eo abſtinere; ergò &c.

Sed Obijcitur Primò: Si Reſpublica ex mandato tyranni ad ſe conſeruandam, traderet innocentem beſtijs illum deuoraturis, haud dubiè cenſeretur illa ad mortem eius cooperari: neque vllo modo illum ei licitum eſſe poteſt; ergò, neque vt tradat illum tyranno, qui eum poſtulat, vt occidat.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia beſtiæ agunt naturaliter & quadam naturæ neceſſitate: atque ita ex iſta traditione ſequitur ex neceſſitate interfectio ſeu mors innocentis, non ſecus quàm ſi eum aquæ vel igni traderetur. Aliter ſe res habet in tyranno, qui

agit

Digitized by Google

agit cum intellectu & libertate: quare dum Reſpublica tradit tyranno, non exercet actionem ad quam ex neceſſitate mors ſequitur, ſicuti diximus fieri, ſi objiciat beſtijs illum deuoraturis.

85 Objicitur Secundò: Satellites tyranni, qui innocentem apprehendunt, & tradunt ſuo magiſtro, à quo putant illum occidendum, ſic agendo cooperantur innocentis internecioni; ergò ſimiliter Reſpublica.

Reſpondetur Neg. Conſeq. Primò, quia milites illi ſiue ſatellites tyranni non habent ius manus immittendi in innocentem, & proinde inferunt ei iniuriam, quando illum iniuſtè apprehendunt, aut ducunt, quò non vult. Et hinc dum ita iniurioſè illum ducunt, cenſentur quoque cauſa aliarum iniuriarum, quas vident ei vlteriùs inferendas. Reſpublica autem ius habet in ſubditum innocentem, vt poſſit eum mittere, aut ducere etiam, quò non vult, quando iuſtam habet rationem. Quemadmodum quando Princeps eſt in neceſſitate, poteſt ſubdito etiam nolenti panem eripere, vt ſaluetur vita Principis, à quo pendet bonum Reip. ſicut modò diximus. Secundò, Illi milites ſiue ſatellites ſunt miniſtri & tamquā animata inſtrumenta, ſubordinata ſuo principali ſiue domino, & quod agunt, cenſentur ex eadem intentione, & ad eundem finem agere, prout ipſe principalis, qui mandat: Alia autem Reſpublica non eſt ſubordinata tyranno, & poteſt aliâ intentione & ad alium finem præſtare eiuſmodi actionem ſeu traditionem: vnde iam non cenſetur cooperari malignæ voluntati tyranni; quemadmodum eius ſatellites.

86 Objicitur Tertiò: Longè videtur eſſe diſpar ratio inter traditionem innocentis ad manus tyranni pro conſeruatione Reipublicæ, & inter ablationem panis ab innocente pro vita Principis ſaluanda: quia Reſpublica ius habet in panem, & ipſum quoque panem in ſuo poſſidet ſubdito; ſed in vitam ſubditi ius non habet: Verùm ſicuti anima Principis eſt Dei, ita & vita ciuis: & nec altum nec propinquum in eam habet Reſpublica dominium; ergò argumentum iſtud non procedit, in quo tamen magna vis videtur fieri.

Reſpondetur, verum quidem eſſe, Rempublicam non habere dominium in vitam ciuis: vnde nec dicimus, quòd Reſpublica pro ſua conſeruatione poſſit de vita eius diſponere, vt licitè eum morti, aut ad mortem tradat, prout ſuperiùs etiam explicuimus: ſed dicimus, Rempublicam habere ius & poteſtatem in actiones ſubditi, & in perſonam, ita vt poſſit & operâ eius, & ipſâ perſonâ vti in omnibus, quæ neceſſaria ſunt pro conſeruatione totius corporis, quæ neque ex natura actionis, neque ex intentione finis, mala ſunt, aut mortē adferunt: quamuis præuideat aliunde mortem ſecuturam. Quare cùm tradere innocentem & ſiſtere illum coram tyranno, non ſit per ſe malum, neque ex natura actionis aut intentione Reipublicæ ſit cauſatiuum mortis, non cenſebitur ipſa vti dominio in vitam ſubditi, ſed tantùm vti ipſâ perſonâ, ſiſtendo eam coram hoſte, quando id ex iuſta neceſſitate facit, etiamſi præuideat illam ab hoſte interficiendam. Vnde hæc Reipublicæ facultas tradendi innocentem in tali caſu & tali neceſſitate, non tantùm fundatur in obligatione, quâ tenetur ſubditus ex officio & charitate, ſe ſuâ ſponte ſiſtere tyranno, ad auertendum exitium totius communitatis, verùm etiam, vt ex iam dictis poteſt intelligi, in iure, quod Reſpublica habet, quemadmodum in bona particularium, ita & in eorum actiones & perſonas, quatenus omnia & ſingula poteſt adhibere ad ſui defenſionem aut conſeruationem abſque eo, quòd non poſſit perſonis vitam adimere: benè tamen mittere, &, ſi nolint ire, etiam inuitos ibi ſiſtere, vbi eorum præſentia eſt neceſſaria, ad hoc, vt Reſpublica maneat ſalua & incolumis; quamuis præuideatur aliorum actione & malitiâ eos ibi eſſe interficiendos. Ex quo licebit & hoc colligere, quod non tantùm vir adultus, qui præcepti capax eſt, ac etiam præuaricationis contra Rempublicam, ſiue eius mandatum, poſſit ab ea ſiſti tyranno, ſi monitus ſua ſponte ad illum non accedat; ſed & infans, quæ pars eſt Reipublicæ: quia illud non eſt infantem occidere, neque ad eius occiſionem cooperari, quando propter neceſſitatem Reipublicæ fit, ſed iure ſuo vti, & applicare ac ſiſtere ſubditum eo loco, vbi eius præſentia pro Reipublicæ incolumitate eſt neceſſaria.

Objicitur Quartò: Non licet Reipublicæ 87
virginem tradere tyranno violandam; ergò neque innocentem occidendum.

Reſpondetur: Id meritò dici, quod Reipublicæ nō liceat tradere tyranno virginem violandam, quia hic ſermo videtur importare, quod Reipublicæ intentio extendat ſe ad violationem virginis, tamquam ad finem ſuæ actionis, quod haud dubiè illicitum eſt: vnde antè etiam diximus Rempublicam non poſſe tradere innocentem, vt occidatur ſiue occidendum.

Sed dices: Ne quidem poteſt tradere virginem tyranno, qui ſcitur aut putatur eam violaturus: quamuis Reſpublica illam violationem non intendat, ſed tantum ſui conſeruationem; ergò nec ſimili modo innocentem.

Ad hoc quidam Reſpondent, inter quos Leſſius ſuprà dub. 7. n. 40. Neg. Conſeq. quia putant prius non eſſe licitum, propter periculum peccati ex parte virginis: ob quod illa quoque non tenetur ſponte ſuâ

 accedere

Digitized by Google

accedere tyrannum, ſicuti innocens ſubditus (licet ei inſtet, mors) accedere obligatur. Quibus nos ſuprà dub. 12. n. 79. addidimus, virginẽ non ſolùm non teneri ad id, ſed nec ei licitum eſſet idq; non tantùm propter periculũ conſenſus, qui poſſet in opere accedere; ſed propter ipſum cõſenſum, quo iam in perpeſſionẽ violationis cõſentiret, hoc ipſo, quo voluntariè accedit, vbi nouit ſibi certò inſtare neceſſitatem patiendi violationem. Cæterùm, non eadem hîc videtur eſſe ratio Reip. & virginis, vt ſcil. quòd ſicuti hæc non tenetur, imò nec poteſt ire ad tyrannum, à quo præſcit ſe violandã, ita nec poſſit Reſp. eam mittere & tradere tyranno. Declaratur, quia licet, nullus debeat aut licitè poſſit accedere ad locum, vbi nouit ſibi imminere morale periculũ labendi in peccatum, tamen ſi iuſtam habeat cauſam accedendi ad locum, vbi præter ſuam intentionem, nouit veriſimiliter aliquem alium peccaturum ex occaſione præſentiæ illius, non tenebitur idcircò cum ſuo grauiori incommodo abſtinere ab illo loco: & ſi alter peccet occaſione eius, non cẽſebitur hic id voluiſſe, aut ad illud cooperatus fuiſſe, ſed ſe habuiſſe ad illud permiſſiuè duntaxat. Quare nõ videtur quoq; Reſp. cum ſuo exitio obligata præcauere illud periculum peccati virginis, quod præter Reip. intentionẽ eueniet, ſi in opere, conſenſus eius accedat: quemadmodum & ipſa violatio contra intentionem & voluntatem eſt Reipublicæ, quæ tantùm intendit ſe ſaluam conſeruare, vtendo iure ſuo in ſiſtendo talem perſonam eo loco, vbi eius requiritur præſentia, vt Reſpublica ab exterminio liberetur. In ipſo autem acceſſu, quando virgo inuita ducitur, tunc ipſa non peccat, quia nec in violationem actiuam, neque in eius perpeſſionem cenſetur conſentire. Quarè videtur, quod Aſſumptum obiectionis negari poſſit. Tamen explicandæ materiæ gratiâ per modum inquiſitionis veritatis, non omninò per modum aſſertionis hæc dicta ſunto.

88 Obijcitur Quartò: Certum eſt, ſi tyrannus mandaret ſibi tradi Codices ſacros ad exurendum, aut Sacramenta ad ea temeranda, idque ſub comminatione exterminij, quod non liceret Reipublicæ illa tradere vt ſe conſeruet; ergò nec hominem innocentẽ.

Reſp. N.C. & ratio hæc mihi apparet clarior & ſolidior: quia res illę ſacrę ſunt altioris ordinis, neq; inſtitutę aut ordinatę ad finem aliquem temporalem, & ne quidem ad temporale bonum totius communitatis, aut eius temporalem incolumnitatem: Nec ſubiacent iuri aut poteſtati Reipublicæ, vt illis poſſit ad fines temporales ſiue ſæculares vti. Quare abutuntur eiuſmodi rebus ſacris, ſi pro ſua temporali ſalute eas tradant ad manus eorum, à quibus norunt indignè & iniurioſè tractandas, quamuis eiuſmodi indignam contrectationem expreſsè non intendant. Vnde hoc pro magno crimine habuerũt veteres, vt conſtat ex epiſt. 64. & 71. Aug. Accedit quod eiuſmodi traditio non poſſit quoque ſine magno ſcandalo fieri.

DVBIVM XIV.

An liceat homini occidere ſeipſum?

Donatiſtæ quidam dicti Circumcelliones exiſtimarunt quoddam eſſe martyrij genus, ſeipſum interimere: vnde varijs modis, vt in aquas, aut ignem ſe conijciendo, aut præcipitijs collidendo, ſe ipſos paſſim enecabant, vt refert Alph. à Caſtro V. Martyriũ: & D. Aug. hæreſi 46. & alijs locis: contra quos etiam ipſo diſputat toto penè lib. 4. quem ſcripſit contra epiſtolam Gaudentij & lib. 1. de Ciuitate à cap. 17. vſque ad cap. 28. & alibi 89

Respondetur autem & Dico Primò: Non eſt homini licitum interficere ſeipſum authoritate propriâ. Eſt D. Th. quæſt. 64. art. 5. vbi ſimpliciter reſpondet non eſſe licitum, occidere ſeipſum: eſtque doctrina certiſſima.

Probatur Primò: quia eiuſmodi occiſio eſt contra præceptum *Non occides*, vt docet D. Auguſt. lib. 1. de Ciuitate cap. 2. idque non ſolùm, quia regulam diligendi proximum debet Dilector à ſe ipſo accipere; verùm etiam ex verbis præcepti, quæ abſoluta ſunt: non enim dicit Lex, *Non occides proximum*, inquit, ſicuti dicit, *Non dices aduerſus proximum falſum teſtimonium*; ſed ſimpliciter, *Non occides.*

Probatur Secundò: quia, vt docet idem Auguſt. lib. 1. De patientia cap. 13. Qui ſe occidit, non tantùm homicida eſt, ſed paricida; imò, inquit, pluſquam paricida. Ratio eſt, quia nemo homini propinquior eſt, quàm quiſque ſibi ipſi.

Probatur Tertiò: quia qui ſeipſum occidit, peccat contra multas & diuerſas virtutes, vt contra iuſtitiam, charitatem, patientiam, fortitudinem, & prudentiam. Contra iuſtitiam quidem, quia deſtruit rem alterius, inuito domino: vita namque hominis ſub ſolius Dei eſt dominio qui ſibi vitæ & necis reſeruauit poteſtatem, vt ſuprà Tract. 1. c. 3. dub. 10. latiùs diximus, vbi de ijs egimus, quæ ſub hominis cadunt dominium: Neque vult ipſe eam abſq; ſuo iuſſu aut ordine, per quemquam tolli vel deſtrui. Quin & Reipublicæ iniurioſus eſt, qui abſque eius conſenſu ſe interimit, quia ſcilicet eam nolentem ſpoliaret vno ſuo membro, ſeu parte. Contra charitatem verò, quia vt habet D. Thomas 90

Thomas loco cit. ad Primum, aduerſatur charitati, quam quiſque ſibi debet. Contra patientiam, quia iuxta D. Auguſt. lib. cit. quadrat in talem illud Eccleſiaſtici cap. 2. *Va his, qui perdiderunt ſuſtinentiam*. Contra fortitudinem quoque eſſe docet idem Auguſt. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 22. quia magis infirmi animi eſt, quàm fortis, ſibi manus inferre potiùs, quàm huius vitæ aduerſa fortiter tolerare. Denique eſt etiam contra prudentiam: qui enim ſe ipſum occidit, non finit miſerias, ſed auget. Nam ſi innocentem ſe occidit, tanto fit nocentior, quanto innocentiorem occidit: ſin nocentem, non expiat peccatum, ſed cum Iuda proditore aggrauat. Adimit ſibi quippè tempus, quod ei ad dignos pœnitentiæ fructus poterat ſeruire. Rectè itaque Diuus Auguſt. lib. cit. cap. 26. oſtendit talem occiſionem ad nihil eorum conducere, propter quæ poſſet prætexi tanquam cum ratione fieri; ſic enim ſcribit: Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, veluti fugiendo moleſtias temporales, idque ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere grauiſſimum proprium, quem nō polluebat alienum (quo indicat ne quidem ad vitandam violentam violationem pudicitiæ, quæ conſiſtit in peccato alieno, nam in proprio, quemquam debere ſeipſum interficere:) neminem quoque propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ eſt opus, vt poſſint pœnitendo ſanari: neminem velut deſiderio melioris vitæ quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

91 Dico Secundò: Licitum tamen eſt, ſe in mortem conijcere ex mandato aut conceſſione. Eſt per ſe euidens; quia Deus ipſe eſt dominus abſolutus vitæ noſtræ, ſicuti & omnis creaturæ, quam pro ſuo placito in nihilum poteſt redigere, ſicuti ex nihilo creauit. Quare ſicut poteſt cuiuis alteri mandare, vt innocentem aliquem occidat, qui & tunc licitè id poterit exequi (prout Abrahamo mandauerat, vt filium immolaret, quod & promptè erat executurus, niſi diuinitùs iterum fuiſſet impeditus;) ita poteſt quoque mandare, vt quis ſibi vitam adimat. Et hoc modo ſanctarum aliquot Virginum facta, quæ perſecutorum violentiam præueniendo, à quibus pudicitiæ violationem timebant, ſeſe in mortem coniecerunt, excuſantur à D. Auguſt. locis citatis, & ab alijs pleriſque, quòd ſcilicet id fecerint diuinâ inſpiratione: quo etiam modo excuſat Dominicus Soto S. Apoloniam, quæ ex manibus exſiliens ſatellitũ, in ignem inſilijt. Simili modo excuſat, Auguſt. Samſonem, qui concuſſione columnarum domus, cum hoſtibus populi Dei ſe ipſum oppreſſit, vt refertur Iudic. cap. 16. Quod enim in eo opere non peccauerit, colligitur tum ex hoc, quòd Deus ad id reddiderit illi fortitudinem, tum ex Apoſtolo ad Hebr. 11. vbi Samſonem inter Sanctos commemorat. Sic etiam ab aliquibus excuſatur Raſias, qui ſe gladio petijt, eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis iniurijs affici, vt habetur 2. Machab. cap. 14. Quibus fauere poteſt, quòd legatur moriens inuocaſſe dominatorem vitæ ac ſpiritus, vt ei hæc (nimirum inteſtina, quæ defluentia in turbam proijciebat) redderet. Quamquam D. Auguſt. Epiſt. 61. vbi Donatiſtis qui hoc exemplo pro errore ſuo vtebantur, reſpondet, non excuſet factum illud, ſed dicat à Scriptura non commendari: Scriptum eſt (inquit) quòd voluerit viriliter & nobiliter mori: ſed nunquid ideo ſapienter? nobiliter ſcilicet, ne libertatem ſui generis captiuus amitteret &c.

Nonnulli tamen exiſtimant, Virgines illas alio modo excuſari poſſe, quòd ſcilicet 92 per inculpatam ignorantiam id fecerint: quia ſe occidere pro patriæ ſalute, aut pro pudicitiæ cuſtodiâ, non eſt tam euidenter malum, quin inculpatè à multis potuerit hoc ignorari, & putari licitũ, cùm non tantùm plures ethnici Philoſophi, præſertim Stoici, ſed etiam quidam, vt apparet, Chriſtiani, viri docti, ita ſenſerint: inter quos principaliter recenſetur D. Hieron. eo quòd in cap. 3. Ionæ ita ſcribat: Vnde in perſecutionibus (inquit) non licet propriâ perire manu, abſque eo, vbi caſtitas periclitatur. Adducunt etiam D. Ambroſium, tanquam inclinatum in hanc ſententiam, eo quòd lib. 3. de Virginibus circa medium & lib. 2. epiſt. 7. commendet Pelagiam, quæ ſe ipſam, ne caſtitas periclitaretur, interemit: ſed dum, ait eam Deo plenam ſic egiſſe, rectè poteſt intelligi, commendare factum Pelagiæ tanquam quod ex Spiritus ſancti inſtinctu proceſſit, atque ita idem ſenſiſſe quod Auguſt. in ſimilibus. Quin & de S. Hieronymo conuenienter dici poteſt, illum excipere caſum, vbi caſtitas periclitatur, non quaſi tunc ſemper & abſolutè licitum ſit, propriâ perire manu: ſed quia tunc ex peculari Dei authoritate, pluribus fuerit conceſſum, vt ſic abſque peccato pudicitiam conſeruarent: vt intelligatur ſcilicet hoc adieciſſe, propter exempla earum Virginum, quæ ex Spiritus Sancti inſpiratione id licitè fecerunt: de quibus videre licet Euſeb. lib. 8. cap. 12. & 17. Aliter quidam excuſant & interpretantur verba D. Hieronymi, ſed nimis violentè & parum appoſitè ad communẽ loquendi modum. Nonnulli etiam Samſonis factum aliter quàm Aug. volunt

volunt excuſare, quòd ſcilicet ille ſeipſum in mortem tradiderit tantùm indirectè, occidendo directè hoſtes populi Dei: quomodo & Eleazarum excuſant, qui lib. 1. Machab. c. 6. Elephantem occidendo cauſauit ſui oppreſſionem & mortem: de quo ſcribit D. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 40. quòd hæredem virtutis ſuæ pacem reliquerit.

Ex his itaque facilè ſoluuntur obiectiones, quæ ab exemplis Sanctorum & Scripturæ ſacræ moueri ſolent contra primam noſtram Concluſionem.

93 DICO Tertiò: Ex ſuperiori authoritate humana, ſiue ex conceſſione Principis aut Magiſtratus, non poteſt innocens quâcumq; de cauſâ licitè ſeipſum occidere: imò neque nocens, etiamſi ad id à Iudice eſſet condemnatus.

Prior pars eſt certa & communis omnium Doctorum: licet interim non defuerint aliquando populi, apud quos contrarium in vſu fuiſſe dicitur. Nam Marſilienſibus ferunt olim vſitatum fuiſſe, quòd allegatis cauſis, quare mortē ſibi quis expetendam duceret, ex permiſſu Magiſtratus poſſet ſibi veneno mortē conſciſcere: quod & à Valerio Maximo laudatur, prout ex alijs refert Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. Sed doctrina aſſertionis eſt clariſſima, & poteſt euidens illius reddi ratio apud inſtructos fide: quia de vitâ innocentis nullus poteſt ſtatuere aut diſponere, præter illum, qui *ſolus vitæ & necis habet imperium*, nempe Deus, Sap. c. 16. qui eam nullius alterius, ſiue hominis priuati, ſiue publici magiſtratus poteſtati aut diſpoſitioni ſubiecit. Vnde illud apud Ethnicos ſatis communiter fuit agnitum, non eſſe fas cuiquam ſine iuſſu ſummi Imperatoris ex huius vitæ ſtatione diſcedere, ita vt Poëtæ quoque ominati fuerint malè eis futurum,

— Qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemq; peroſi
Proiecere animas; ergò &c.

94 Pars poſterior videtur quoque indubitata & communis: neque verum apparet, quod Franc. à Victoria Relect. De Homicid. nu. 30. & Arragonius 2. 2. qu. 69. art. 4. eam reuocent in dubium, aut aliter ſentiant, vt aliqui de ipſis videntur opinari. Quamuis enim in eam propendeant opinionem quòd quis condemnatus, vt veneno tollatur, eo caſu ſic damnatus poſſit venenatum poculum bibere; negant, tamen illum idcircò dicendum eſſe occidere ſe ipſum, aut morti ſuæ cooperari; vnde concluſioni noſtræ nō aduerſantur. Nam comparant illum, qui ita ſumeret poculum venenatum, cum eo, qui ad ſuſpendium condemnatus aſcendit ſcalas, vel qui gladio damnatus eſt, diſponit & exhibet iugulum, quæ quidem licet DD. omnes fateantur poſſe reos ſic condemnatos facere, non tamen ideò admittunt illos ſibi mortem inferre, aut licitè inferre poſſe, An verò comparationes ab illis adductæ ſubſiſtant, & quid de caſu veneni ſentiendum ſit, Paulò inferiùs dub. 16. dicemus: hîc tantùm declarare intendo, à Victoria & Arragonium non ſenſiſſe, reum ex ſententia Iudicis licitè ſe poſſe occidere, vt v.g. ſibi ventrem aperire (ad quod apud Iapones in gentilitate adhuc verſantes, ſolent rei ex ſententia ſiue mandato Regis condemnari:) aut iugulum præſcindere: quæ etiam expreſsè negant.

Ratio interim huius partis non eſt tam euidens, quàm prioris. Vnde in contrarium formari poteſt huiuſmodi argumentum: 95
Reus, qui ex ſententia Iudicis occidit ſeipſum, non videtur peccare contra præceptum, *Non occides*, neque contra charitatem, quam ſibi debet; ergò hoc ei licebit. Probatur prima pars Antecedentis: quia non occidit innocentem, ſed nocentem; non authoritate priuatâ, ſed publicâ, & ſecundùm Iuris ordinem, quod præcepto illo non prohibetur. Probatur & ſecunda pars: quia vbi iuſtitia aliud poſtulat, ibi ceſſat obligatio charitatis: vnde contra charitatem non peccat, qui proximo condemnato, vt fame moriatur non ſubminſtrat cibum, quamuis eum ſubminiſtrare poſſet; ergò &c. Quod autem non peccet contra Rempublicam patet, quia facit ex decreto Principis aut Magiſtratus: ſimiliter neque in Deum, quia non contra eius mandatum; ergò &c.

His tamen non obſtantibus Aſſertio eſt indubitatè tenenda. Et ratio fundamentalis aſſignatur huiuſmodi: quia Iudex non poteſt executionem ſententiæ mortis mandare aut committere ipſi reo, vt communiter omnes tradunt: quòd 96

Confirmatur 1. quia hoc nimis aduerſatur naturæ, vt ipſa ſeipſam interimat, atque adeò nimis apparet crudele: præſertim quia nunquam ſufficiens poteſt allegari neceſſitas id faciendi; ergò non debet cenſeri hoc magiſtratui à Deo conceſſum, vt ſic iuſtitiam adminiſtret committendo reo, vt ſeipſum interimat, ſed vt adminiſtret hoc modis naturæ & rationi magis accommodis. Hinc Magiſtratus gladium portat, non ipſi malefactores, qui gladio plectendi ſunt.

Confirmatur Secundò: quia, iuxta communem omnium apprehenſionem, nemo conuenienter à Iudice conſtitueretur executor ſententiæ mortis in proprium parentem, non tantùm ob reuerentiam ratione principij illi debitam, verùm etiam propter naturæ coniunctionem, & quaſi identitatem; ergò multò minùs in ſeipſum. Quod ſi itaq; non poſſit Iudex reo cōmittere, vt ſententiā mortis in ſeipſum exequatur, ſequitur quòd quantumuis Iudex præſumat committere,

tere, non tamen idcirco reo licebit exequi: quia perinde faceret, ac ſi priuatâ authoritate ſeſe interimeret, quandoquidem Iudicis poteſtas non ſe eò extendat, vt poſſit illi mandare aut facultatem facere ſe interficiendi. Quemadmodum ſi Iudex condemnaret aliquem nullo modo ſubditum, non liceret lictori eiuſmodi ſententiam exequi, & ſi exequeretur, committeret homicidium, perinde ac ſi abſque ſententia & cognitione cauſæ occidiſſet: quia Iudex excederet limites ſuæ poteſtatis.

Ex his patet ſolutio argumenti in contrarium adducti. Etenim negandum eſt, talem non peccare contra præceptum, *Non occides*. Et ad probationẽ Reſpondetur, quòd non occidat authoritate publicâ verè, ſed apparenter tantùm, eò quòd poteſtas magiſtratui à Deo attributa ad malefactores è medio tollendos, non ſe extendat ad hunc modum, vt faciat nocentem interimere ſeipſum, ob rationes antè allegatas. Quod & inde confirmari poteſt, quia omnes paſſim homines communi ſenſu & iudicio cenſuerunt ac cenſent illum indebitum eſſe, & à ratione alienum ſupplicij modum. Non tamen videtur intrinſecè ita malus, quin Deus potuerit ſic ordinare, & illam quoque iuſtitiæ ſic adminiſtrandæ attribuere Magiſtratui poteſtatem, ſi ita probatum illi fuiſſet.

97 Dico Quartò: Ex iuſtis cauſis poteſt homo multa facere, aut multa omittere, etiamſi probabiliter aut quaſi certò præuideat, inde mortem ſibi obuenturam: vt tamen numquam directè, ita nec poteſt intendere vel indirectè, ſe occidere. Ita communiter tradunt DD. Soto lib. 5. q. 1. art. 5. Tolet. lib. 5. cap. 6. n. 4. Arragonius & Victoria ſuprà, Lopez c. 63. Inſtruct. Bonacina ſuprà puncto 5. Leſſius cap. 9. dub. 6. Couarr. lib. 1. Var. Reſol. cap. 2. num. 8. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 64. & 72.

Declaratur prior pars: ſic enim poteſt miles, imo tenetur ſtationem ſuam defendere contra hoſtem ingruentem, etiamſi videat ſe occidendum: ſic Paſtor poteſt & ſæpiùs tenetur miniſtrare Sacramenta ſubditis peſte infectis, etiamſi immineat ei periculum infectionis & mortis: vxor ſimiliter poteſt aſſiſtere marito infecto, nõ tantùm occaſione neceſſarij ſeruitij præſtandi, ſed etiam pro eius ſolatio, & aliquali ſubleuamine. Vbi tamen hoc addendum eſt, niſi prolium (ſi quæ ſint) neceſſitas aut earum ratione charitas aliud poſtularet. Sic etiam damnatus ad ſuſpendium poteſt ſcalas aſcendere, & gladio damnatus exponere ceruicem. Ita quoque Apoſtoli & Apoſtolici viri licitè prædicarunt Euangelium Chriſti apud gentes, & ante Reges ac Præſides fidem confeſſi ſunt, eorumque perfidiam arguerunt, quamuis cognoſcerent inde ſibi ſupplicia & mortem inſtare.

Similiter poteſt ad mortem damnatus 98 manere in carcere. Quamuis pateat illi effugium, prout multi Sancti Martyres fecerunt. Poteſt quoque malefactor zelo iuſtitiæ, vt ſua peccata iuſtè vindicentur ad aliorum exemplum, offerre ſe Iudici publico, à quo opinatur ſe iuſtè condemnandum, vt docent Pet. Nauarra ſuprà n. 75. Banneſ. 2. 2. quæſt. 69. art. 4. in fine, Salon. ibid. Controuerſ. 2. Concl. 2. & Arragonius, Leſſius dub. 6. Bonacina ſuprà puncto 5. n. 7. cum alijs, quos citat. Neque enim hoc eſt ſe occidere, ſed deſiderare pati mortem: quod ob iuſtam cauſam quis poteſt velle. Ratio autem generalis eſt: quia nihil iſtorum, ſiue poſitiuum ſiue negatiuum ſit, ex natura & ratione ſua infert aut cauſat mortem; ſed per accidens, interueniente actione alterius, ſiue iuſtâ ſiue iniquâ ſequitur mors. Et qui iſta faciunt, aut omittunt taliter, habent, vt ſupponitur, iuſtam & ſufficientem cauſam ita ſeſe gerendi, ad finem bonum & honeſtum, quem reſpiciunt. Quæ addo: qui enim abſq; iuſta cauſa & reſpectu finis boni ac honeſti, eiuſmodi quid facerent non cenſerentur immunes ab homicidio ſui ipſius, vt habet Pet. Nauarra lib. 2. cap. 3. n. 64.

Vnde declaratur pars poſterior: quod enim non poteſt quis velle directè, eo quòd per ſe ſit malum, id quoque non poteſt velle indirectè aut interpretatiuè, quia in moralibus voluntas directa, & voluntas indirecta pro iiſdem habentur. Quare in omnibus illis, quę admittimus licitè poſſe ab homine fieri, aut omitti, quamuis præuideatur inde mors ſecutura, dicimus non includi voluntatem indirectam vel implicitam ſiue interpretatiuam ſe occidendi: quamuis benè dici poſſit includi indirectam aut implicitam voluntatem ſuſtinendi aut ſubeundi mortem; quod malum non eſt.

Verùm difficultates quædã hîc oriuntur circa quędam particularia facta, Vtrum ſine culpa homicidij, poſſit quis illis incumbere aut ea præſtare; quas per aliquot Dubia ſequentia explicabimus.

DVBIVM XV.

Vtrum licitum ſit aſperitatibus & afflictionibus corporis, aut ieiunijs & vigilijs, ad domandam carnem inſiſtere, cum vitæ dimunitione?

Respondeo & Dico Primò: Nemo 99 obligatur cibis delicatioribus aut extraordi-

traordinarijs vti ad vitam prolongandam, etiamſi id poſſet: ſed ſatis eſt, cibis vti communibus & vſitatis, vt vitam non cenſeatur prodigere: ijſque poteſt quilibet eſſe contentus, quantum ad ordinarium conuictum. Ita docet Couar. lib. 1. Variarum reſolut. cap. 2. n. 10. Adrian. Quodlibeto 4. art. 3. ad 4. Gerſon Tractatu De Abſtinentia, Maior in 4. diſtinct. 38. q. 24. & Soto lib. 5. q. 1. art. 5. ad Primum, à Victoria Relect. de Homicidio n. 33.

100 Dico Secundo: Nemo tantum de cibo poteſt ſubſtrahere, vt natura conſeruari non poſſit, vel vt reddatur impotens ad debita opera peragenda. Eſt D. Thomæ q. 142. art. 1. vbi docet id eſſe contra rectam rationem, & Nauarri cap. 15. n. 120. Caiet. inf. q. 147. art. 1. Pet. Nauarræ ſup. n. 88. cum Couar. ſup. Bonacina De Reſtitut. in particulari Diſp. 2. q. vlt. puncto 5. n. 9. & alijs; qui tradunt eum peccare mortaliter, qui aduertens ſe notabiliter vitam minuere inſiſtit eiuſmodi abſtinentijs aut vigilijs vel ſimilibus exercitijs. Et Confirmari poteſt ex Can. Non mediocriter 24. De Conſecrat. Diſtinct. 5. deſumpto ex S. Hieron. vbi dicitur, eos non mediocriter errare, qui propter ſimilia exercitia indiſcretè vſurpata, amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrunt. Neque à peccato etiam mortali excuſabuntur per intentionem boni finis, v. g. quia faciunt, vt carnem ſpiritui ſubijciant: niſi ſimul concurreret aliqua probabilis ignorantia, quâ non apprehenderent nocumenti grauitatem ſeu notabilitatem, vt loquitur Caiet. loco cit.

101 Dico Tertiò: Abſtinentiæ, vigiliæ, labores, aſperitates, & victus ratio licitè & laudabiliter obſeruantur in Religionibus, quæ Regulæ ſiue Statuta Ordinis præſcribunt ſeruanda, etſi contingeret inde vitam nonnihil abbreuiari. Sumitur ex doctrina Franc. à Victoria Relect. De Temper. n. 1. Arragonij quæſt. 69. art. 4. Pet. Nauarræ lib. 2. cap. 3. n. 89. Azorij Inſt. moral. p. 1. lib. 5. cap. 6. quæſt. 7. Tolet. lib. 5. c. 6. Bonac. ſuprà & aliorum quos citat.

Probatur: quia omnia eiuſmodi exercitia corporalia, inſtituta per formam generalis ordinationis in Religione approbata, debent meritò cenſeri rationabilia & moderata: cum quibus poſſit ſufficienter vita interteneri & ſuſtentari, quantum ex parte hominis requiritur, ita vt ſimul modis competentibus corpus in ſeruitutem ſpiritus redigatur, & vitioſę paſſiones comprimantur, liberiuſque veræ & ſanctæ virtutes, exerceantur: quandoquidem ab Eccleſia ſint probata, & vſu atque obſeruantiâ ſanctiſſimorum virorum confirmata.

Nec obſtat iſte aliqualis breuior vitæ terminus: quia in bono iudicio non ſunt ipſi dicendi velle idcircò abbreuiare vitam (quod abſolutè quoque non poſſunt intendere, vt docent omnes;) ſed potiùs non velle ſtudere prolongationi vitæ, ob melius ſtudium ſcilicet mortificationis carnis, & profectus in virtutibus: à quibus non tenetur quis abſtinere ad vitam prolongandam: ſicuti nec tenetur pretioſioribus & delicatioribus cibis ſe nutrire, vt vita prolongetur, vt diximus, & communiter docent omnes.

DVBIVM XVI.

Vtrum condemnatus, vt veneno interimatur, poſſit ex ſententia Iudicis ſine Culpa ſumere venenum propinatum?

Rurſum.

Vtrum Condemnatus, vt fame intereat, poſſit abſtinere à cibo clanculum oblato?

Prioris caſus partem affirmatiuam tenent à Victoria Relect. de Homicid. n. 30. & 31. Arragon. q. 69. art. 4. Sa V. Iudicialis actus, Bonacina ſup. & eò inclinat Tolet. lib. 5. c. 6. nu. 13. Sed negant communiter alij, Caiet. hîc q. 69. art. 4. Solonius ibid. Soto lib. 5. q. 6. art. vltimo. Nauar. ſup. n. 81. Mald. ſup. dub. 18. Vaſquez 1. 2. Diſp. 173. c. 3. Leſſ. dubit. 6. n. 26. Pet. Nauar. ſup. n. 81. Et horum opinio videtur probabilior. 102

Probatur: quia qui ſumit venenum, ille ſibi applicat & intro ſumit rem, quę non minùs directè naturam deſtruit & interimit, quàm ignis, vel gladius, aut plumbum liquatum. Vnde conſtat nihil hîc commune eſſe cum aſcenſu ſcalarum ad patibulum, ſiue cum diſpoſitione Iuguli ad gladium, quæ tamquam ſimilia adducunt à Victoria & Arragonius, cùm manifeſtum ſit, hæc mortem non operari ſicuti veneni applicatio.

Confirmatur: quia veneni ſumptio idcircò lege naturali illicita eſt, quia eſt ſui ipſius occiſio: atqui hanc deformitatem non exuit, cogente ſiue iubente alio homine, non magis quàm iniectio ſui in ignem, aut iuguli proprij præciſio; ergò propter Iudicis ſententiam non licebit venenum ſumere.

Neque refert, quòd bibitio ex genere & ratione ſua non inferat mortem, quod allegat Arragon. ſatis enim eſt ad hoc, vt cenſeatur ſui occiſio, quòd bibitio huius potus, aut ſumptio huius boli ex ſuâ ratione & efficacia cauſet mortem. Plauſibilius fundamentum videretur pro ea opinione poſſe ſtatui,

Digitized by Google

ſtatui, quod ſumptio iſta ex ſe præciſè non inferat mortē, ſed retentio veneni: quæ non videtur inſeparabiliter coniuncta, quia per antidotum poſſet fortaſſis liberari, niſi ab eo ſumendo impediretur.

103 Poſterioris caſus partem affirmatiuam plerique videntur tenere, vt Maior. in 4. diſtinct. 15. quæſt. 22. Henr. à Gandauo Quodlib. 5. quæſt. 31. Soto ſuprà art. 4. quamuis nonnihil dubitanter loquatur. à Valentia diſput. 5. quæſt. 14. puncto 4. Toletus lib. 5. cap. 6. Pet. Nauarra ſuprà n.750. & ſequentibus, Malderus ſuprà dub. 19. & Leſſius dubit. 6. nu. 29. Ratio reddi poteſt: quia qui à cibo oblato abſtinet, nullam violentiam ſibi infert, ſed permittit calore interno vitam abſumi. Itaque ſolùm non conſeruat vitam; quam vt negligat, ſatis iuſtam dicunt eum habere cauſam, ſcilicet vt ſe conformet iuſtæ ſententiæ Iudicis.

Non deſunt tamen, qui partem tueantur negatiuam, vt à Victoria ſuprà n. 28. Caiet. hîc ad quæſt. 6. art. 4. & ibid. Arragon. & Couar. d. lib. 1. Variarum reſol. cap. 2. num. 10. quibus fauet D. Th. quæſt. iam citatâ art. 4. ad 2. vbi ſcribit: Si aliquis ſit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat, ſi cibum occultè ſibi miniſtratum ſumat; quia non ſumere, inquit, eſſet ſe ipſum occidere. Et confirmari poteſt: quia videtur lege naturali prohibitum tam negligere vitæ ſuſtentationem, quando quis poteſt ſuſtentare, quàm vitam ſibi tollere; ergò ſicuti propter Iudicis ſententiam non poteſt quis licitè vitam ſibi tollere, ita nec eius ſuſtentationem negligere, quando ad manum habet alimentum, quo interteneat: quia illud eſſet moraliter ſibi mortem adferre. Ex quibus patet reſponſio ad fundamentum aliorum.

DVBIVM XVII.

Vtrum, ſi quis in domo aut turri conflagrante exiſtens, de ſublimi exiliret per feneſtram altiorem, dum alia non ſuppetit via euadendi incendium, eſſet cenſendus homicida ſui ipſius?

104 Reſpondetur breuiter negatiuè. Ita docet Bonac. ſup. n.8. Leſſ. n.35. Probatur: quia talis, vti ſuppono, non intendit expreſſè & directo actu voluntatis, ſe occidere, ſic exiliendo, quod haud dubiè illicitum eſt; ſed tantùm fugere certiſſimam & ſæuiſſimam mortem ſe iam inuadentē, quod omninò naturaliſſimū eſt: neque etiam actu illo exiliendi debet cenſeri velle implicitè & indirectè ſe occidere: quamuis enim hoc ita eſſet, ſi non premeret neceſſitas, tamen in caſu poſito non ita iudicandum eſt.

Et ratio reddi poteſt: quia quando ex vna parte mors certiſſima & ſæuiſſima hominem inuadit, & ideo in alteram partē ſe conijcit, vbi, tametſi mors etiam moraliter certò immineat, tamen apprehenditur quædam extraordinaria & caſualiter poſſibilis vitæ ſaluatio, tum actus ille morali iudicio tantùm habet rationem fugæ, neque cenſebitur implicitam continere voluntatem occidendi ſeipſum.

Similiter ſi quis exiſtat in naue, quæ totaliter exuratur, poterit per modum fugæ ab incendio ſe conijcere in mare: quamuis non ſubſit moralis aliqua ſpes euadendi, ſed tantùm generalis illa apprehenſio, poſſibile eſſe, quòd caſualiter, aut Dei prouidentiâ adduceretur ad portum. Secus eſſet, ſi quis laqueo, vel ferro ſe extingueret, aut expreſſè intenderet ſe ſubmergere ad euadendos cruciatus ignis.

DVBIVM XVIII.

Vtrum milites nauales vel nautæ poſſint immittere ignem in puluerem tormentarium, quo ipſi & nauis abſumantur, ne cùm damno publico nauis veniat in poteſtatem hoſtium?

Respondeo & Dico Primò: Militibus licitum eſt inijcere ignem in puluerem hoſtilem, ad hoſtium nocumentum, etiamſi adſit periculum aliquod, ne fortaſſis ipſi aut aliqua eorum pars ſimul igne abſumatur: quemadmodum etiam poſſunt ſuffodere turres & muros hoſtiles, cum aliquo periculo, ne fortaſſis ruinâ eorum opprimantur; quod ſatis communiter ab omnibus videtur admitti. An verò etiam poſſint iſta licitè facere, cum certiſſima ſua abſumptione, v. g. an quis intra domum exiſtens, vbi puluis hoſtilis eſt, & ibi manens poſſit eum incendere, vt hoſti noceat: item, an poſſit ſuffodere murum, à quo videt ſe ineuitabiliter opprimendum, plus habet difficultatis. Et quamuis Leſſius, Bonacina ſup. & forſitan alij quidam recentiores id licitum eſſe videantur arbitrari; non tamen auſim illi opinioni aſſentiri, præſertim cum Auguſt. lib. 1. de Ciuit. cap. 21. expreſſè dicat, Samſonem non excuſari, niſi quia ſpiritus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. 105

Ratio autē diuerſitatis inter priores iſtos caſus, & hos poſteriores poteſt aſſignari: quòd facere actiones vitæ periculoſas, ad quas non præuidetur certò & ineuitabiliter mors ſe-

quitur, non includat aut importet voluntatem occidendi ſeipſum, quando iuſta ſubeſt neceſſitas, vel quando cauſa magni boni publici id exigit: ſed qui illas facit tali occaſione, cenſetur tantùm velle finem illum bonum & honeſtum, ad quem ſeruiunt: &, ſi mors ſequatur, hoc euenit præter intentionem. Facere verò actionem cum certiſſimo & ineuitabili ictu mortis, abſque alterius vlteriori concurſu, videtur omninò neceſſariò habere adiunctam voluntatem occidendi ſeipſum, ſi non expreſſam, ſaltem implicitam, ſeu interpretatiuam, quæ ex bono fine intento non liberatur à deformitate, quam ex ſe habet.

106 Dico Secundò: Minùs videtur licitum nautis vel militibus naualibus inijcere ignem in proprium puluerem tormentarium, quo contingat ipſos & nauem abſumi, ne ſcilicet nauis veniat in poteſtatem hoſtium, cum publico detrimento. Ratio eadem eſt: quia ab eiuſmodi actione non poteſt (vt apparet) reſcindi voluntas occidendi ſeipſum, ita vt tantummodò in alterum finem intentum cadat. Idque eò minùs, quòd huiuſmodi actio propinquiùs & magis per ſe inuadat ſuum auctorem, ipſique mortem adferat, quàm inuadat hoſtem, aut illi noceat: imò tantùm conſecutiuè & quaſi per accidens in detrimentum cedit hoſtium; per ſe autem primò tendit ex ſe iſta actio in nocumentum & mortem authoris. Vnde etiam communis Chriſtianorum ſenſus ab eiuſmodi factis tamquam horrendis atq; illicitis videtur abhorrere. Si tamen qui in naue ſunt, & certò occidendi cum aliqua ſpe enatandi in mare ſe conijcerent, & ſic nauem incenderent, tum non ita difficile videbitur eiuſmodi factũ ab homicidio proprio excuſare, quantumuis fortaſſis etiam authores incendio interirent, ſicuti antè diximus de quibuſdam non abſimilibus caſibus.

DVBIVM XIX.

Vtrum quis poßit ſeipſum mutilare?

107 Respondeo & Dico Primò: Poteſtas publica propter delictum poteſt hominem mutilare, ſiue membro aliquo truncare. Ita docet D. Thomas quæſt. 65. art. 1. Et res clara eſt: quia publica poteſtas licitè propter culpam poteſt priuare hominem totaliter vitâ; ergò poterit quoque eum priuare aliquo membro.

Dico Secundò: Quando membrum aliquod eſt infectum, & corruptiuum totius ſuppoſiti, vt ſi cancer inuaſerit, aut vipera momorderit, nec ſit præſto aliud remedium, poteſt quis etiam licitè ſuâ priuatâ voluntate curare membrum illud abſcindi. Ita quoque docet D. Thomas loco citato, & alij paſſim omnes. Ratio reddi poteſt, quia membra ſunt propter bonum totius: quando igitur membrũ aliquod toti corpori adduceret perniciem, ratio naturalis dictat, illud reſcindi & abijci poſſe: imò obligatur quis permittere ſibi membrum ſecari, ſi Medici id iudicent neceſſarium ad vitæ conſeruationem, modò abſque magnis doloribus fieri poſſit, vt cum alijs tradit Soto lib. 5. quæſt. 2. art. 1. Si tamen ingentes cruciatus eſſent tolerandi, non ad id obligatur, nec cogi poterit, vt ibidem docet Soto, quia nemo cum tanta difficultate & cum euentu non ſatis certo tenetur vitam conſeruare; nam, vt quidam dixit in ſimili caſu, non eſt tanto dolore digna ſalus, corporis videlicet corruptibilis & breui nihilominus interituri. Niſi tamen eſſet perſona, cuius vita ſit neceſſaria Reipublicę aut communi bono: tunc enim teneretur permittere ac dolores ſufferre, ad quod etiam à Republica poſſet cogi, vt docet Leſſius ſuprà dubit. 14. Similiter abſque peccato poſſet quis amputare membrum aliquod aridum: quia propter animæ abſentiam, non eſt iam propriè, ſed quaſi ęquiuocè tantùm membrum. Quod limitatur tamen à Doctoribus, niſi ex eius reſciſſione naſceretur naturalis deformitas, quæ functionem aliquam neceſſariam impediret. Vide Suarez de Cenſuris diſput. 44. Sect. 2. vbi alioquin docet, aliquem poſſe talis membri abſciſſionem facere ſine irregularitate.

Dico Tertiò: Non tantùm, quando propter intrinſecam membri indiſpoſitionem, ſiue infectionem requiritur eius abſciſſio ad hoc, vt ſuppoſitum conſeruetur, 108
ſed etiam quando hæc eſt neceſſaria ad totius conſeruationem ex cauſa extrinſecùs adueniente, quam quis aliter amouere non poteſt, licitum eſt ſe membro illo priuare ad ſuppoſiti conſeruationem: vt v. g. eſt quis manu alligatus in domo, quæ incenditur, ſi nequeat ſe diſſoluere, licebit manum diuellere, aut à brachio reſcindere ad mortem euadendam. Ità cum pleriſque alijs Dom. Soto ſuprà: parum enim videtur referre, quomodo naſcatur neceſſitas, quando ſaltem eſt in homine, qui aliter ſe liberare à corruptione totius non poteſt. Negat tamen Soto, id licere ad mandatum tyranni, qui alioquin minatur te occidere, niſi manum aut aliud membrum amputes: ſed Petrus Nauarra ſuprà n. 98. Toletus lib. 5. c. 6. n. 8. Mald. dub. 20. Leſſ. ſup. dub. 14. & alij plures etiam in tali caſu volunt eſſe licitum: quia æquum apparet, quod generaliter pro ſalute totius ſuppoſiti (quo pereunte etiam

quælibet pars perit, liceat partem aliquam abſcindere, quæ conſeruationi totius non eſt neceſſaria, quando alioquin ex quocumque euentu ſuppoſitum ſit extinguendum.

109 Obijcitur Primò: Ergò videtur licitum Reipublicæ etiam occidere non tantùm nocentem, ſed & innocentem ſubditum; quando tyrannus id præcipit, ne ipſa tota pereat.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia ſubditus eſt ſuppoſitum per ſe conſiſtens, & ſui iuris, atque adeò tale, quod non eſt principaliter propter communitatem, cuius pars eſt, ſed propter alium finem proprium & principaliorem: membrum autem corporis non eſt ſuppoſitum per ſe, aut totũ aliquod, quod eſt propter ſe, ſed tantùm à Deo & natura ordinatũ eſt ad ſuppoſitũ. Et præterea habet homo plus poteſtatis in membrum ſanum & integrum in ordine ad ſaluandum totum ſuppoſitum, quàm Reſpublica in ſubditum innocentem in ordine ad ſaluandam communitatem.

Obijcitur Secundò: Non ſumus domini ſed cuſtodes membrorum; ergò non poſſumus de illis pro arbitrio tyranni diſponere.

Reſpondetur, Satis inde ſequi nos non poſſe de illis diſponere pro noſtro aut tyranni nudo arbitrio: vnde haud dubiè quaſi pro ſola voluptate tyranni ad petitionem ipſius, quando alioquin toti ſuppoſito non inſtaret interitus, nõ foret licitum ſibi membrum amputare: nec id dicimus; ſed tantùm dicimus, hoc licitum eſſe ad ſaluandum totum, quando illi imminet alioquin certum exitium ab ipſo tyranno. Quamuis itaque non ſimus ſic domini membrorum, vt pro placito poſſimus de illis diſponere, poſſumus tamen de illis diſponere, quatenus talis diſpoſitio, quocumque euentu eſt neceſſaria, vt ſuppoſitum in eſſe conſeruetur. Vnde

110 Dico Quartò: Extra neceſſitatem nemini licet ſe mutilare, ſiue membro aliquo ſe priuare, neque curare id fieri per alium. Ratio patet ex modò dictis: & confirmari poteſt ex pluribus Capitulis, vt ex Cap. Significauit De corpore vitiatis, Can. Si quis abſcidit 4. & Can. Qui partem 6. Diſtinct. 55. adeò vt nequidem id liceat ſub prætextu vitandi carnis concupiſcentias aut peccata. Vnde nec oculos ſibi eruere, aut ſe caſtrare quiſquam poteſt. Conſtat ex Can. 22. Apoſtolorum & Can. 1. Concilij Nicæni, vbi id expreſsè prohibetur, & docet idem D. Th. loco citato. Ratio eſt: quia ad peccati euitationem non eſt membri aſciſſio neceſſaria; peccatum enim ſubiacet voluntati, inquit D. Th. Motus itaque carnis ſine conſenſu voluntatis peccata non ſunt. Quare dum inuitis nobis exurgunt, potiùs tolerandi ſunt cum luctâ contraria, quàm membra reſcindenda. Quod ergò Matth. 19. dicitur, *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Dei*, interpretatur, D. Chryſoſt. Homil. 63. in Matthæum, fieri non per membrorum abſciſſionem, ſed per malarum cogitationum interemptionem. Perfectiſſimè autem id fit per ſolemne votum perpetuæ continentiæ, quo quis ſe facit moraliter impotentem ad generationem. Perperam verò id intellexiſſe videtur Origines, qui corporaliter ſe caſtraſſe refertur, cuius factum ab alijs omnibus improbatur: de quo videre licet Euſebium lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6. & Baronium tomo 2. ad annum Dom. 208. Accedit, quòd fruſtrà ad eos fines fiat membrorum exſectio: quia, vt loco citato notat D. Thomas ex Chryſoſtomo, per illam non fit concupiſcentia manſuetior, ſed moleſtior. Cui conformiter ſcribit D. Baſilius lib. de Virginitate circa finem: & Auguſt. lib. 6. contra Iulian. cap. 5. quod & Scriptura videtur indicare Eccleſ. cap. 20. quando dicit, *Concupiſcentia ſpadonum deuirginabit iuuenculam*: quibus indicat eorum concupiſcentiam eſſe vehementiſſimam. Comprimitur autem magis, inquit D. Th. per frænum cogitationũ, quod tunc mens capeſcit faciliùs, quando pijs orationibus ac meditationibus frequentiùs exercetur, & corpus per ſtudium ſobrietatis in ſeruitutem ſpiritus redigitur.

Id verò quod Chriſtus in Euangelio dixit de oculo eruendo, & de manu ac pede abſcindendis, ſi nos ſcandalizent, communiter Sancti Patres explicant non de membris illis in ſua proprietate: ſed de alijs hominibus, vſu & conuerſatione nobis coniunctis, atq; adeò operam aliquam neceſſariam, aut vtilem nobis præſtantibus: quos iubet Chriſtus reſcindere & à conuerſatione noſtra amouere, ſi ſuis conſilijs, ſuggeſtionibus, vel exemplo nos ſcandalizent, & in peccatum inducant. Sed contra dicta

Obijcitur exemplum D. Marci, qui fertur pollicem ſibi abſcidiſſe, ne Sacerdos ordinaretur, vt videre eſt in Gloſſa ad d. Cap. Si quis abſcidit; ergò &c. 111

Reſpondetur, Marcum illum non fuiſſe Marcum Euangeliſtam, ſed Anachoretam aliquem, vt oſtendit Baronius circa annum Dom. 45. De Anachoreta autem illo dici probabiliter poteſt, illum laboraſſe ignorantiâ inuincibili, atque ita excuſari. Vel cùm Gloſſa citata reſponderi poteſt, illud non eſſe in exemplum traditum; quia qui Spiritum ſanctum habet impulſorem, communi lege non cenſetur. Vbi tamen hoc obſeruandum eſt, non eſſe acquieſcendum internæ impulſioni ad tales mutilationes, & minùs ad proprias occiſiones, niſi clarè & certò conſtaret eam eſſe à Deo: quia ſolet dæmon, hoſtis humani generis, frequenter ad eiuſmodi ſcelera homines concitare.

Digitized by Google

Sed petes, Vtrum Iudex in pœnam delicti poſſit reo imponere, vt ſibi ipſi membrum aliquod, vt v. g. manum, amputet, & an reus teneatur obedir? Reſpondetur, id non videri licitum Iudici, vt docet Mald. ſup. Dub. 20. Pœnæ namque corporales, quæ ad perſonæ interitum tendunt, & quæ illis ſunt affines, debent à reo ſuſtineri, non ab ipſo ſibi inferri. Si tamen præciperet Iudex, &, niſi obtemperet reus, condemnaret eum mortis, tum quidem docent communiter, reum poſſe membrum amputare ad mortem euadendam, iuxta ea, quæ ſuprà diximus: non tamen obligari, quia neque Iudex legitimè mandat, neque reus tenetur tam duro remedio vitam redimere.

DVBIVM XX.

Vtrum qui occidit caſualiter alterum incurrat homicidij reatum?

112 RESPONDEO & DICO Primò: Qui propriè & abſolutè loquendo caſualiter ſiue fortuitò occidit hominem, non incurrit reatum homicidij, neque propriè dictum committit homicidium, quod ſonat peccatum. Ita docet D. Th. quæſt. 64. art. 8. eſtque communis & certa doctrina. Ratio eſt: quia tunc propriè & abſolutè caſualiter cenſetur quis occidere alterum, quando omninò præter intentionẽ occidit, ita vt illa occiſio nec in ſe, nec in ſua cauſa poſſit dici intenta aut voluntaria: quod autẽ neque in ſe, neque in ſua cauſa eſt voluntarium, non poteſt habere reatum peccati; ergò &c.

113 DICO Secundò: Qui alterum occidit caſualiter hactenus tantùm, quia præter ſuam intentionem expreſſam & formalem, ſed interim tali modo, vt interpretatiuè, & in ſua cauſa cenſeatur voluiſſe occidere, is reuera incurrit reatum homicidij, & committit peccatum iniuſtitiæ. Eſt ſimiliter doctrina D. Thomæ loco cit. & ſub iſtis terminis eſt communis & ſatis euidens: quia malum interpretatiuè volitum pertinet ad eandem ſpeciem cum directè volito: quamuis poſſit in eodem genere eſſe minùs graue.

Difficultas autem principalis in hac materia eſt, quandonam operans cenſeatur interpretatiuè ſiue in cauſa voluiſſe occiſionem, cuius non habet expreſſam & formalem intentionem? Pro huius explicatione Reſpondeo &

114 DICO Tertiò: Non quotieſcumque operans incumbit operi quomodolibet illicito, cenſetur interpretatiuè & in cauſa voluiſſe occiſionem, ſi quæ ſequatur, cuius nullam habuit expreſſam voluntatem ſiue intentionem. Videtur eſſe contra communiorem opinionem Canoniſtarum, & multorum veterum Scholaſticorum, quibus etiã ſatis fauet D. Th. loco cit. Vbi duos ponit modos, quibus homicidium in cauſa ſit volitum, ſiue, vt ipſe loquitur, per accidens ſit volitum & intentum: vno, inquit, modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, incurrit homicidium. Sed Aſſertio noſtra hoc tempore ab omnibus penè Theologis, & ab inſignioribus Canoniſtis tenetur. Colligitur ex Dominico Soto lib. 5. qu. 1. art. 6. vt ex infrà dicendis conſtabit: & docent Toletus lib. 5. cap. 7. n. 9. vbi etiam citat Soto: Suarez de Cenſuris Diſput. 45. ſect. 6. Mald. Tract. 3. de Iuſt. & Iure cap. 2. dub. 3. Medina 1. 2. quæſt. 73. art. 8. Couar. De homicidio p. 2. §. 4. n. 1. Gomeſius tomo 3. cap. 3. n. 25. Caſtro de lege pœnali lib. 2. cap. 15. Leſſ. ſup. dub. 15. & plures alij.

Probatur: quia fieri poteſt, quòd ſic operans, in opere illo vetito nihil omninò de 115
contingentibus omiſerit ad homicidium præcauendum, non minus quàm ſi in opere ſimili licito eſſet verſatus; ergò ſi ſequatur occiſio alterius, debebit dici planè caſualiter ſecuta, præſertim ſi opus non eſt prohibitum propter periculum tale.

Confirmatur: quia circumſtantia inuincibiliter ignorata non addit nouam malitiam, vt ſolet doceri in 1. 2.

Declaratur itaque per exemplum: vt v. g. Clericus dat operam venationi cum armis, quod illi illicitum eſt, quia per Canones vetitum, propter dignitatem ſtatus, & ad diſtractiones nimias vitandas. Dum verò huic rei incumbit cum debita circumſpectione, ne hominem occidat, contingit frangi bombardam, & parte vnâ fragmenti occidi ſocium adſtantem, peccabit talis Clericus contra præceptum Eccleſiæ & virtutem religionis, non tamen incurrit reatum homicidij, neque tenebitur de peccato iniuſtitiæ, non magis, quàm in ſimili euentu teneretur laicus: quia tam illi, quàm huic eſt omni modo illa occiſio inuoluntaria.

DICO Quartò: Nequidem occiſio, 116
quæ ſequitur ex opere, viam ſuo modo ſternente ac inchoatè tendente aliquo modo ad mortem; vel etiam quæ ſequitur ex opere prohibito, ſiue vniuerſaliter omnibus, ſiue certis perſonis, propter periculum occiſionis, quæ ex tali opere ſequi poſſet, ſemper cenſenda eſt interpretatiuè, ſiue in cauſa eſſe voluntaria. Sumitur ex DD. citatis.

Declaratur Aſſertio pro priori parte: quia fieri poteſt, quòd opus illud, licet aliquo modo ad occiſionem tendat, tamen nullatenus ex ſe ſit efficax cauſa mortis: neque ex

eo aut

eo aut ſimili ſolet mors ſequi, quamuis hîc per accidens ex alio adiuncto aut ſuperueniente, ſequatur. Quare qui illud opus dumtaxat voluit, non debet cenſeri mortem voluiſſe, quæ nec neceſſariò, nec cõmuniter inde ſequitur: vt v.g. infligit quis alteri vulnus non lethale, ſed tamen contingit eum mori, quia chirurgus vel ſuâ malitiâ aut imperitiâ appoſuit noxia; vel quia ipſe læſus ſuâ temeritate vulnus neglexit, neq; remedia opportuna voluit adhibere, hæc mors omninò erit caſualis vulneranti, ſi eam nõ intenderit, nec tenebitur ad reparationem tamquam homicida, ſed tantùm vt vulnerans, prout expreſsè tradit Dom. Soto ſuprà: & Confirmari poteſt ex cap. Significaſti 18. De homicidio. Vbi Innocentius III. ait, Si percuſſio, medicorũ iudicio aſſeratur non fuiſſe lethalis, percuſſorem poſt pœnitentiam ad cautelam iniunctam, poſſe in officio ſacerdotali miniſtrare. Quibus ſatis indicat, quod tum non debeat haberi tamquam homicida, neque vt talis deponi, ſiue ab altaris miniſterio amoueri. Ratio autem eſt: quia, licet vulnus illud aliqua ſit occaſio, tamen reuera non eſt cauſa mortis, ſed malitia aut imperitia medici, vel temeritas læſi: tenebatur enim vterque facere, quæ illis incumbebant: quare eis, qui iſta neglexerunt, imputandus eſt effectus. Secus tamen, ſi læſus de re medio ſufficienter inquirat, ſed tali loco haberi non poſſit: quia eo loco & tempore infligere eiuſmodi vulnus, cenſetur eſſe lethaliter vulnerare.

117 Sed contra opponi poteſt ex cap. vltimo De homicidio in 6. vbi dicitur eum, qui mandat aliquem verberari, irregularẽ effici, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat: quia quando mandabas, hoc euenire poſſe, debuiſti cogitare; ergò, etiam qui vulnerat, cenſetur homicidij reus quando mors ſequitur.

Reſpondetur, aliud eſſe de mandante alteri, aliud de illo, qui ipſe facit: quia mandans non habet actiones & exceſſus mandatarij in ſua poteſtate. Vnde qui tale quid mandat, cenſetur velle mortem alterius, quia per alium infert ei actionem periculoſam, quam ipſe non poteſt ſatis moderari: ſed quando quis ipſe vulnerat, poteſt fieri, quòd neque expreſsè intendat occidere, & ſufficientem adhibeat cautelam, ne vulnus lethale inferat; & talem dicimus non incurrere reatum homicidij, neque de illo teneri, quamuis contingeret læſum aliunde per accidens mori, modo iam dicto. Quòd ſi vulnerans vel occidere intendat, aut ſufficientem circumſpectionem non adhibeat, haud dubiè in animo erit homicida, ſiue vulnus ſit lethale, ſiue non. Quando tamen vulnus reuera non eſt lethale, licet ex imperitia chirurgi, vel temeritate propriâ, læſus moriatur, non tenebitur vulnerans ne quidem in conſcientia de homicidio externo, ſiue de damnis inde ſecutis: nec in foro fori in illa condemnabitur, ſed tantùm de vulneratione.

Declaratur Aſſertio pro parte poſteriori: quia ponatur caſus, quòd vniuerſaliter ſit prohibitum, ne quis ligna per feneſtram deijciat in plateas propter periculum; ſi quis tamen id faciat, & ſufficientem adhibuerit cautionem ad præcauendã occiſionem, quæ inde ſequi poſſet, impediendã, vt ſi, v.g. platea non ſit multùm frequentata, & inſuper aliquem poſuerit, qui ſingulos tranſeuntes moneat, vt ad alteram partem ſe recipiant, & interim ipſemet incautè incurrit in ictum, & occiditur: eo caſu deijciens ligna peccauerit quidem contra legem Magiſtratus, non tamen in foro conſcientiæ reus erit homicidij: neque eum cogitare poterat aut debebat, quòd iſte foret tam parum prouidus aut temerarius, quod in ictum incurreret. In foro tamen fori non facilè ab homicidio ſe purgaret: quando enim opus eſt prohibitum, quia periculoſum, tum præſumptio iuris ſemper militat contra tranſgreſſores mandati, tamquam qui malum ſecutum voluerint. Sic prohibitum eſt Clericis & Monachis ſeſe immiſcere inciſionibus chirurgicis per Capit. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotijs ſe immiſceant: & tamen ſi Clericus aut Monachus, artis chirurgicæ ſufficienter peritus, incidat tumorem vel apoſtema, ſecundùm præſcriptum artis, & contingat laborantẽm mori, non propter indebitam inciſionem, ſed quia contra monita exponit ſe iniurijs aëris, aut ſimili ex cauſa, multùm quidem deliquerit ille Clericus, officium alienum vſurpando, quod ſibi minimè congruebat, vt dicitur in Cap. Tua nos 19. De homicidio, vbi hic caſus proponitur: ſed tamen in foro conſcientiæ non erit reus homicidij. Quod ipſum ſatis indicat citatum cap. quando Pontifex ait, quòd talis ſi cauſâ pietatis, & non cupidinis id fecerit, non adeò ſit reprobandus, quin poſt condignam ſatisfactionem cum eo poſſit miſericorditer agi, vt diuina valeat celebrare. Nec refert, quod ibidem addatur: Alioquin interdicenda eſt ei ſacerdotalis ordinis executio de rigore; quia id ad ſummum importaret, illum inciſſe in ſuſpenſionem aut irregularitatem: cuiuſmodi pœnam imponere poteſt Eccleſia, non tantùm propter homicidij reatum, ſed etiam propter præuaricationem præcepti hui s, quo vetat opus ratione periculi occiſionis quæ poſſit aduenire, præſertim quando de facto ſequitur mors: quia, vt diximus, præſumit ius ſemper contra tales præuaricatores. Vnde eo

ſenſu Canones eiuſmodi ſolent punire caſuales occiſiones, quæ ad opus periculoſum & prohibitum ſequuntur: non quòd idcircò ſignificent eiuſmodi occiſiones vera eſſe homicidia, ſiue continere homicidij reatum.

119 Dico Quintò: Tunc igitur operans cenſebitur in cauſa vel interpretatiuè voluiſſe mortem aut occiſionem alterius, quæ præter illius alioquin intentionē expreſſam ſequitur, quando incumbit operi, ſiue multùm ſiue parùm periculoſo, & non adhibuit circumſpectionem debitam & periculo proportionatam, ne occiſio aliqua ſequatur, ſiue interim opus in ſe ſit licitum ſiue illicitum: incurritque talis culpam homicidij maiorem aut minorem pro ratione negligentiæ circa debitam cautelam adhibendam. Ita communiter tenent DD. & per ſe ſatis cōſtat: quia nemo aliter apprehendit, quàm quod ille malum velit, quod ex actione ſua ſequitur, qui negligit debitam adhibere diligentiam ad illud excludendum, aut præcauendum, quando actio aliquomodo erat periculoſa. Sic itaque vult homicidium, qui ſine circumſpectione proijcit grauiora pondera in publicam plateam, hominibus frequentatam.

120 Quòd tamen non ſit maior culpa in opere quàm ſit negligentia.

Probatur: quia occiſio, quę ſequitur, non eſt voluntaria, niſi ratione negligentiæ; vnde non poteſt niſi ratione illius eſſe huic culpabilis. Quando igitur negligentia eſt grauis ſiue craſſa, erit mortalis culpa homicidij: ſi leuis, poterit eſſe culpa tantùm venialis (quamuis id rariùs contingat in opere multùm periculoſo;) ſicuti quando omnis debita diligentia eſt adhibita, vt nulla interceſſerit negligentia, nulla quoque culpa homicidij contrahitur. Quando autem cenſeatur prætermiſſa debita diligentia, ad periculum præcauendum, ſiue circa commiſſionem, ſiue omiſſionem ex qua etiam ſequi poteſt alterius occiſio, poterit colligi ex dictis ſuprà Tractatu 2. cap. 1. dub. 7. vbi explicuimus, qualis culpa requiratur, vt quis teneatur de damno dato.

Cum his, quæ hactenus diximus, ſatis conuenit, quod ad rem attinet, doctrina Caiet. 2. 2. ad art. 8. quæſt. 64. quamuis in verbis nonnihil diſcrepet, idque ne videatur recedere à doctrina D. Thomæ. Vnde admittit quidem ille vnum modum eſſe, quo quis in cauſa vult homicidium, quando incumbit operi illicito aut prohibito propter periculum, etiamſi adhibuerit debitam diligentiam ad malum præcauendum: ſed illud velle homicidium in cauſa, explicat nihil aliud eſſe, quam voluiſſe id, vnde per accidens & præter intentionem ſequitur occiſio; ita vt tantùm contrahat culpam iſtius operis illiciti, nullo autem modo culpam ſiue reatum ipſius homicidij, idque propter defectum voluntarij reſpectu illius euentus: quod in re cum dictis noſtris coincidit.

121 Sed dicet aliquis: Hoc ipſo, quo quis vult opus periculoſum, & quidem lege prohibitum, propter periculum talis euentus, qui ex illo natus eſt ſequi, ſi non neceſſariò, ſaltem communiter, aut ſatis familiariter, videtur omninò cenſendus velle iſtum euentum; ergò &c.

Reſpondetur Neg. Aſſumptum, ſi intelligatur vniuerſaliter omnem illum, qui ſic operatur, eſſe ſemper cenſendum velle talem euentum. Ratio eſt: quia circumſpectio & diligentia, quæ præſupponuntur adhibita, poſſunt detergere periculum, quod eſt in opere alioquin nudè conſiderato; ita vt dum fit cum talibus circumſtantijs, non cenſeatur moraliter ſubeſſe periculum: quamuis per accidens planè aliquod incommodum eueniat.

Replicabis: Per hoc, quod opus prohibeatur propter periculum, videtur indicari, quòd numquam ſatis poſſit caueri periculum, quod operi ineſt, niſi per omnimodam ceſſationem ab opere.

Reſpondetur Neg. Aſſumpt. quia, vt rationabiliter talis fiat prohibitio, ſufficit, quod opus periculoſum ſit, quodque homines communiter negligentiores eſſe ſoleant, neque ſatis attenti ad periculum præcauendum: non tamen neceſſe eſt, quòd numquam cum qualibuſcumque circumſtantijs & circumſpectione fieri poſſit, vt moraliter omne periculum abeſſe cenſeatur.

DVBIVM XXI.

Vtrum, ſi ex iniuria, vel maleficio circa alterum, contingat occidi tertium, teneatur ille primus de homicidio tertij?

Respondeo & Dico Primò: Si malefactum vnius ſit tale, vt ex eo 122 nata ſit ſequi aut plerumque ſequatur occiſio tertij, tunc certum eſt illum incurrere culpam homicidij, ac reum eſſe occiſionis tertij, atque adeo contrahere obligationem reſtituendi damna, niſi fortaſſis aliqua inuincibilis ignorantia excuſaret. Ita Malderus cap. 2. dub. 6. & conſtat ſatis ex ſuprà dictis cap. 1. dub. 7. & hîc dub. præcedenti.

Dico Secundò: Si omninò per accidens ex hoc maleficio huic illato, contingat occidi tertium, quod inferens neque intendit, neque præuidit, non erit ille tum reus iſtius occiſionis. Declaratur exemplo. v.g.

Ioannes

Digitized by Google

Ioannes occidit Paulum, qui cum Petro habuit rixas, & contra quem fouet ſimultates, id quod Ioannes ignorabat, aut nullo modo attendebat, interim imponitur occiſio Pauli per falſos teſtes Petro, & is à Iudice capitis damnatur: non erit Ioannes reus homicidij Petri, ſed tantùm Pauli. Ita communiter ſentiunt DD. Petrus Nauarra lib. 2. c. 1. circa finem, Malder. ſup. & Leſſius lib. 2. cap. 9. Dubit. 16. Nauarr. cap. 15. n. 17. contra Medinam vt apparet Cod. de Pœnitentia: & ſatis conſtat ex dictis Dubio præcedente.

123 Dico Tertiò: Non deſunt Doctores, qui tenent etiam in caſu, quo inferens iniuriam huic, præuiderit ex occaſione huius ſuæ actionis obuenturam mortem vel aliud graue damnum tertio, non tamen dicendus ſit ideo committere iniuriam in tertium, atque ita nec obligari tertio de damnis, quæ patitur: quando per accidens, & non ex cõditione actionis talis, ſequuntur mala tertio. Ita Leſſ. ſup. citans Dominicum Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. & Lopez Tomo 1. cap. 63. & addit ſup. Mald. id eſſe probabilius.

Et probari poteſt: quia quando ex aliqua actione ſequitur damnum tertij, non ex natura actionis, neque vt plurimum: ſed ex malitia, vel ignorantia aliorum, quę ſeſe immiſcet, non videtur tum iccirco huiuſmodi actio cenſenda iniurioſa tertio: atqui hæc occiſio Pauli eſt talis; ergò &c.

124 Si quis opponat: Qui aduertit ex opere ſuo ſecuturum damnum tertij, tenetur adhibere debitam cautionem ne ſequatur: atqui iſte aduertit, & nihilominus facit abſque alia cautione adhibita; ergò erit reus peccati & iniuriæ? Reſpondent illi, Quando ſequitur ex opere, non ex natura operis, neque vt plurimum, ſed per accidens, non teneri tunc ex iuſtitia ad cauendum, ne ſequatur damnum alterius, ſed tantùm ex charitate. Vnde admittunt, talem non eſſe excuſandum à reatu homicidij, etiam ipſius tertij quoad affectum & voluntatem, ſaltem interpretatiuam; ſed tantùm dicunt, non teneri eum de iniuria & damno illatis, quia non obligetur ex iuſtitia ad omittendam actionem ſuam eiuſmodi, propter malum, quòd præuidebat per accidens ex ea obuenturum tertio. Quemadmodum ſi quis priuatus negligeret aduerſus iniquum inuaſorem defendere proximum, quem commodè poterat, & ex charitate tenebatur defendere, erit quidem is reus iſtius occiſionis, ſed tamen non tenebitur de iniuria occiſo facta, nec ad illius reparationem obligatur.

Imò addunt aliqui, idem habere locum, etiamſi Ioannes occidendo Paulum, non tantum præuiderit inde ſequuturam mortem Petri, ſed etiam intenderit ſimul cauſare mortem Petri, modò actio Ioannis exterior cũ circunſtantijs talibus ſit, vt ex eâ non ſequatur damnum vt plurimum, ſeu ex conditione actionis.

Probari poteſt: quia intentio ſola non videtur facere, vt opus ſit iniuſtum, niſi aliàs ex natura ſua, aut ſuis circumſtantijs ſit tale: atqui illa occiſio Pauli, quam committit Ioannes, non videtur ex ſe aut ſuis circumſtantijs iniuſta vel iniurioſa reſpectu Petri, quia illum non attingit; ergò &c.

Dico Quartò: Probabilius tamen, & verius videtur, quòd in primis, dum quis ex occaſione ſuæ actionis iniurioſæ in hunc, præuidet mortem vel aliud graue damnum obuenturum tertio, quia eius factum imputabitur alteri, & illud ſimul intendens operatur; quod, inquam, talis delinquat non tantùm contra charitatem in tertium: ſed etiam contra iuſtitiam, atque adeò contrahat obligationẽ reſtitutionis; imò etiamſi non explicitè intendat, ſed ſatis præuidens illud ſecuturum, tamen operatur. Ita expreſſè docet Pet. Nauarra lib. 2. cap. 1. circa finem, & cum illo, priorem quoque partem tenent Soto ſuprà, Corduba lib. 1. qq. q. 31. art. 3. & Pedraza in Summa Præcepto 5. §. 6. vt ipſe ibidem refert, quamuis in poſteriori parte videantur hi diſſentire. Sed Probatur Aſſertio ſimpliciter, quia fuit in lata culpa talis (inquit Nauarra) & cauſam efficacem dedit iſtius damni voluntariè, etſi non intenderit explicitè; ergò eſt reus iniuriæ contra Petrum. Confirmatur: quia licet hæc occiſio Pauli, quam Ioannes committit, nudè per ſe conſiderata, non ſit actio, ex qua eſt per ſe nata ſequi, vel ex qua vt plurimũ ſequatur apprehenſio, & mors tertij, tamen conſiderata vt eſt veſtita talibus circumſtantijs, vt ex ijs, qui eam exercet, iam tum præuideat, exinde iſtud malum tertij, omninò videtur dicenda eſſe talis, vt ex ea ſit natum ſequi incommodum tertio, & quòd vt plurimum ex ſimili actione cum talibus circumſtantijs ſequi ſoleat incommodum tertij; ergò qui eam voluit, ſtantibus talibus circumſtantijs, quas cognouit, debet cenſeri ſufficiens & efficax cauſſa illius pro parte ſua, reſpectu occiſionis Pauli: ita vt non per accidens ad illam eius actionem vt ſic conſideratam debeat dici ſequi iſtud malum tertij. Igitur qui cognoſcit cum ſua actione concurrere tales circumſtantias, nec ab ea abſtinet, neque alijs modis obuiat incommodis, quæ præuidet ſecutura ex ſua actione cum talibus circumſtantijs, videtur omninò dicendus non tantùm velle permittere, quod ex charitate debebat impedire: ſed velle inferre, atque adeò inferre in ſua cauſa alteri malum, quod ſecundum iuſtitiam ei inferre non poteſt, atque ita teneri de iniuria & damnis. Et quamuis hoc appareat euidentius verum, quando operans ex- 125

K iiij preſſè

Digitized by Google

preſsè intendit illud malum tertij, quod obſeruat ſecuturum, quia directè & explicitè vult cauſam, tamen eadem videtur ratio, etiamſi non expreſsè intendat, quia adeſt voluntas interpretatiua quando cognoſcat circumſtantias cum quibus præuidet ſecuturum: quæ in moralibus æquiualet explicitæ. Imò aliquando plus valet: nam ſi v.g. Ioannes in caſu propoſito, deſideraſſet quidem expreſsè, quod ex occiſione, quam committebat in Paulum, ſequeretur etiam mors Petri, abſque eo, quòd cognoſceret aut vllo modo præuideret res & circumſtantias ſic eſſe diſpoſitas, quòd ex occiſione Pauli veriſimiliter eſſet ſequutura apprehenſio & condemnatio Petri, non foret reus exterioris iniuriæ Petri, nec ad eius reparationem obligabitur: quia tunc Ioannes ad inſtar illius ſe habet, qui ſagittam emittit in altum, & optat eam incidere in caput inimici ſui, quem tamen putat ad aliquot milliaria inde abeſſe, & nihilominus caſu accidit, vt circa locum ſit præſens, & ſagitta eum occidat; quæ occiſio quoad externum factum eſt verè caſualis, quare neque author de iniuria aut damno tenebitur, quia mala illa voluntas non cenſetur fuiſſe cauſa illius occiſionis, nec in eam influere, licet in animo ſit homicida propter homicidij affectum, vt docet P. Nauarra, lib. 3. c. 1. n. 70.

126 Vnde notandum, quia actio eiuſmodi ex conditione ſua, non eſt talis, quòd ex ea per ſe ſit natum ſequi tale malum proximi, neque ex illa in communi conſiderata ſequatur vt plurimum, ideo quoque operantem non obligari ſpecialem aliquam habere reflexionem aut diligentiam adhibere ad illud præcauendum, ne ſequatur: ſed tamen quando aduertit eſſe circumſtantias tales, quod ſequetur, & tamen ad opus procedit, tunc dicimus illum in iſto opere velle cauſare, atque adeò moraliter cauſam ponere iſtius mali.

Notandum denique, Quidquid ſit de incommodis, quæ patitur tertius, per modum pœnæ aut mulctæ, à quorum reſtitutione liberatur ex ſententia Doctorum, qui tenent tertiam Concluſionē, primus qui ſecundum occidit, aut graui damno affecit, tamen indubitatè verum eſſe, ſi tertius ille fuerit condemnatus in reparationem damnorum, & ſatisfactionem iniuriarum, quę à primo, v.g. Ioanne ſunt illata ſecundo, v.g. Paulo, quòd primus teneatur eiuſmodi ſumptus in conſcientia reſtituere tertio, v.g. Petro vt maneamus in caſu propoſito, ſicuti benè notauit Nauarra lib.2.c.1.n.78. nō longè à fine. Et rationem reddit: ſi enim tenetur in conſcientia, ea ipſa reſtituere immediato ab ipſo læſo & damnificato, cùm alter innocens iſta pro ipſo ſoluerit, tenebitur ei tunc iſta reſtituere, cùm is ſuccedat in iure damnificati, vt palam eſſe ait.

DVBIVM XXII.

Vtrum homicidium ſiue aliud damnū alicui illatum per mancipium vel animal alterius, illi imputetur, ita vt ad reſtitutionem aliquam teneatur.

RESPONDEO & DICO Primò: 127
Si damnum illud factum ſit à mancipio, ſiue ab animali ex culpa domini, vt quia iuſſit, aut incitauit, vel negligens fuit in eo præcauendo, vbi poterat & debebat, tenetur ad reſtitutionem damni, pro ratione culpæ. Ita communiter DD. Neque tunc ſuffecerit mancipium vel aliud animal noxę dedere, ſiue ad noxam aut damnum ſarciendum tradere: ſed totum damnum refarciendum eſt, vt habetur l. Si ſeruus 2. D. De noxialibus actionibus, & cap. Si culpa vlt. de iniurijs & damno dato.

DICO Secundò: Si nulla omninò domini culpa interuenerit, non tenebitur ipſe ſimpliciter reparare damnum: ſed ſuffecerit ſeruum vel animal noxæ dedere. Ita habetur locis citatis: vt v.g. ſeruus furatus eſt, aut homicidium commiſit ſine vlla domini culpa, vel animal eius occidit animal alterius: non ad aliud obligatur dominus, quàm ſeruum vel animal noxæ tradere: non enim hîc dominus obligatur ratione ſui, aut culpæ à ſe commiſſæ, ſed quia eius mancipium aut animal, manet læſo obnoxium; ſeruus quidem ratione culpæ, animal verò ratione legis ſic diſponentis, & idcirco debet noxæ dedere.

Sed controuertitur, Vtrum ante Iudicis 128
ſententiam, dominus in conſcientia teneatur dedere noxæ ſeruum aut animal?

Reſpondetur verius videri dominum non obligari in conſcientia ad id faciendum ante ſententiam Iudicis: non quidem idcircò, quia leges ea de re diſponentes pœnales ſint, vt exiſtimare videtur Nauarra lib.2. cap. 2. n.35. nam dominus, vt ſupponitur, in culpa non fuit, & propterea nec pœnâ afficiendus: ſed quia obligatio oritur tantùm ex lege poſitiua, quæ non aliter videtur diſpoſuiſſe, quàm vt poſt Iudicis ſententiam dedatur ſiue ſeruus ſiue animal noxæ, vt colligi poteſt ex l. ſi quis 14. & ſequentibus, D. De action. noxialib. & ex l. 1. D. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, §. & cùm etiam: nam ibi dicitur, ſi ante litem conteſtatam deceſſerit animal, exſtingui actionē.

Sed opponi poteſt cit. cap. Si culpa 129
De iniurijs & damno dato, vbi ait Pont. Quòd ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilo-

Digitized by Google

nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi ea dando paſſis damnum, velis liberare te ipſum. Quibus videtur ſignificare Pont. obligationem reſtituendi, aut animal noxæ tradendi, ſtatim etiam ante ſententiam Iudicis naſci.

Reſpondetur: Ob hoc argumentum, quoſdam ſic ſentire: ſed reſponderi poteſt, Pontificem ibi loqui iuxta diſpoſitionem iuris ciuilis, ad quam reſpicit, vt ſatis conſtat ex verbis: & proinde ipſum neque ſignificare, & minus inducere aliam obligationem reparandi damni, præter eam, quam leges ciuiles induxerunt, ſcilicet vt mancipium aut animal offendens fiat obnoxium læſo; ita tamen, vt dominus non obligetur noxæ tradere, niſi poſt Iudicis ſententiam, vt modò oſtendimus. Hinc DD. inferunt, dominum poſſe abſcondere animal, aut ſeruum, ne apprehendantur à læſo ante ſententiam; de quo videre eſt Pet. Nauarram loco ſup. citato: quia ſtando in terminis iuris naturalis nō magis tenetur dominus animal noxæ dedere, quàm v.g. ſtatuam æneam, quæ fortuitò ſine culpa domini cadit, & adſtantem opprimit. Imò ſi animal aut ſeruus cœperint eſſe extra poteſtatem domini, deſinit contra dominum actio, vt patet ex Inſtitut. De noxal. actionibus §. omnis autem. Si verò in alterius poteſtatem deuenerint, erit contra nouum dominum actio: &, ſi ſeruus fuerit manumiſſus, poterit ipſe conueniri inſtar liberi. Poteſt etiam dominus illum vendere, ſed tenetur emptori indicare vitium, ſcilicet eum noxæ eſſe ſubiectum. Vide de his plura Inſtit. & D. tit. De noxal. actionibus.

Petes: Quid ſi filiusfamilias occiderit vel damnum dederit?

Respondeo, quòd ſi parens in culpa non fuit, eum ex delicto filij non teneri ad damnum ſarciendum: ſed neque teneri filium dedere noxæ, ſecundùm ius commune, vt patet Inſtitut. ſup. §. vltimo. Ratio reddi poteſt: quia iniquum apparet, quòd inprimis malitia filij aut filiæ patri vltra ipſorum corpora, ſit damnoſa, prout de ſeruis dicitur §. 1. Inſtit. dicto tit. Et ex altera parte, nimis inhumanum & durum ſit, quòd parens cogeretur corpora liberorum noxæ dedere. Poſſunt tamen illi pro ſuis delictis conueniri, vt patet Inſtitut. eod. tit. §. vltimo. Verùm in diuerſis locis diuerſa ſunt Iura & conſuetudines particulares de eiuſmodi delictis filiorumfamilias: & in multis tenentur in foro fori parentes, quando filij non ſunt emancipati, quia præſumitur culpa ſiue negligentia parentum. 139

CAPVT TERTIVM.

De reſtitutione per homicidam vel mutilatorem facienda.

DVBIVM I.

An debeat aliquid reſtitui ab homicida vel mutilatore pro vita occiſi aut membro mutilato?

1 Dvplex damnum diſtinguunt DD. quod iniquè infert homicida aut mutilator: vnum quod vocant Perſonale, conſiſtens in priuatione vitæ, aut membri, vel vſus illius: Alterum conſiſtens in priuatione commodorum, quorum acquiſitio aut conſecutio pendebat ex vita, vel ex corpore integro, & illæſo: quod per oppoſitionem ad prius vocari poteſt Reale.

Hîc itaque primò Dubium mouetur de damno priori, Vtrùm pro damno perſonali debeat aliquam reſtitutionem, qui illud iniquè cauſauit?

Duæ ſunt de hac re opiniones celebres: vna antiquorum DD. qui ſatis conformiter 2
videntur ſentire, talem omninò ad aliquam reſtitutionem pro eiuſmodi damno perſonali obligari. Indicat id Diuus Th. hîc q. 62. art. 2. ad 1. vbi ſimul modum faciendæ huius reſtitutionis explicat ita ſcribens: Quando id, quod eſt ablatum (inquit) non eſt reſtituibile per aliquod æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt, puta cùm aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore; conſideratâ conditione vtriuſque perſonæ, ſecundùm arbitrium boni viri: idem docent Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. Richard. ibid. art. 5. q. 2. Gabriel ſimiliter q. 15. Adrianus in 4. de reſtitutione q. vlt. Dom. Soto lib. 4. de Iuſtitia & Iure qu. 6. art. 5. ad 3. Caiet. in ſumma V. Reſtitutio cap. 2. Arragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 2. & ibid. Salonius: à Valentia tomo 3. Diſp. 5. puncto 6. q. 5. §. 1. Azor. 3. p. lib. 5. c. 3. q. 4. Rebell. 1. p. lib. 3. q. 13. Lopez c. 71. Sylueſt. V. Reſtitutio 3. §. 2.

Probari

Digitized by Google

Probari poteſt Primò generali hâc ratione: quia quicumque alicuius iniuſtę inæqualitatis, inquiunt, eſt cauſa, tenetur illam recompenſare eo modo, quo poteſt; quod ex dictamine rationis naturalis ac legis iuſtitiæ commutatiuæ videtur omninò euidens: atqui is, qui occidit iniuſtè alterum, aut mutilat, vel detrimentum in corpore infert, eſt cauſa iniuſtæ inæqualitatis; ergò &c.

Probari poteſt Secundò ex cap.21. Exodi, vbi dicitur: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortum fecerit, ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint.* Hîc vult Scriptura damnum fœtus humani ad arbitrium iudicum compenſari. Rurſus ibidem dicitur: *Si quis percuſſerit oculum ſerui ſui, vel ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.* Vbi damnum oculi eruti vult recompenſari donatione libertatis; ergò tam lege naturæ, quàm diuinâ poſitiuâ, vti appparet, pro corporali damno vitæ aut membrorum debet fieri compenſatio ſaltem talis, qualis fieri poteſt, ſecundùm eam quantitatem, quam prudentes & probi arbitri determinauerint.

3 Altera ſententia eſt multorum recentiorum, qui contrarium ſuſtinent, nempe pro perſonali eiuſmodi damno hominis liberi nullam eſſe faciendam reſtitutionem. Ita docent Nauar. cap. 15. n. 22. Ledeſma in 4. diſtinct. 24. quæſt. 25. art. 2. dubio 7. Petrus Nauarra lib. 4. cap. 1. n. 20. Couar. lib. 2. Variarum reſol. cap. 10. n. 7. Vaſquez De Reſtitutione cap. 2. §. 3. dub. 3. Luiſius Turrianus Diſp. 26. dub. 1. Malder. cap. 3. dub. 1. Leſſ. lib. 2. c. 9. dubit. 23. Bonacina De Reſtit. in particulari Diſp. 2. q. vlt. ſect. 2. puncto primo, & alij plures.

Probant autem Primò: quia nulla poteſt eſſe obligatio reſtitutionis alicuius ex iuſtitia, niſi vbi poteſt adæquatè reddi æquiualens damno illato: atqui non poteſt reddi aliquid æquiualens vitæ hominis liberi, aut membro vel integritati corporis: quia humanæ vires non ſe eò extendunt, vt poſſint iſta reſtituere in ſpecie; & quicquid aliud redditur, eſt minus illis; ergò &c.

4 Confirmari poteſt Primò ex l. vlt. D. De his qui effuderint vel deiecerint; vbi dicitur: Cùm liberi hominis corpus ex eo, quod deiectum, effuſumve quid erit, læſum fuerit, Iudex computet mercedes medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id, quod inutilis factus eſt. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem. Quibus Lex reum abſoluit à reſtitutione pro damno perſonali hominis liberi, quoad cicatricem ſiue deformitatem illatam, quia corpus illud inæſtimabile eſt; ergò ſimiliter abſoluendus eſt ab alijs damnis perſonalibus reſtituendis, ſi quæ intulerit. Quod videtur etiam poſſe confirmari ex Scriptura, quæ Exodi cap. 21. vult eum, qui percuſſerit alterum, ſi hic ſanatus fuerit, teneri ad operas læſi impeditas, & ad impenſas in medicos factas, & aliud à percutiente nō exigit eo caſu; ergò &c.

Ambæ ſententiæ probabiles ſunt, tum propter rationum momenta, tum propter authoritatem hinc inde eas ſuſtinentium. Inclinor tamen magis in priorem, tum quòd D. Thomas & plures antiquiores DD. ſic ſenſerint: tum quòd vergat in grauamen homicidarum, atque ita ſeruiat ad homines magis auocandos & deterrendos ab illo horrendo & deteſtabili crimine homicidij.

5 Vnde ad argumenta, pro poſteriori adducta, poterit quis reſpondere: ad primum, Neg. Maiorem: quia non apparet ſufficiens ratio, cur non poſſit lex iuſtitiæ obligare ad faciendam compenſationem inæqualitatis poſitæ talem & tantam, qualis & quanta fieri poteſt, vti D. Thomas aſſerit, etiamſi adæquata omninò fieri non poſſit, præſertim quando hoc non prouenit, quia eſt ordinis ſupernaturalis.

Quod etiam ex eo confirmari poteſt: quia vitæ omnium hominum ſunt æqualis dignitatis, vt expreſsè ponit & aſſerit Leſſ. loco cit. & ſatis apparet per ſe euidens; & tamen pro vita mancipij, ſicuti & animalis bruti, neceſſariò facienda eſt reſtitutio pecuniaria, vt idem docet eodem loco: neque negant alij. Cur non igitur etiā pro vitâ hominis liberi erit reſtitutio facienda? Quod enim pro vita huius reſtitutio facienda non eſſet, vel erit propter dignitatem naturæ humanæ: quod dici non poterit, quia eadem dignitas naturæ eſt in ſeruo, pro cuius vita admittunt eſſe faciendam reſtitutionem: vel erit propter conditionem libertatis; ſed neque hoc dici poteſt, quia libertatem ſuam poteſt quis pretio vendere, ergò poteſt hæc etiam pretio æſtimari.

Ad ſecundum verò, ſiue ad Legem allegatam, reſpondere licebit, quòd lex ita loquatur & ordinet, quia ſcilicet non apparet decens, quòd corpus hominis liberi æſtimetur aliquo pretio pecuniario; & ita paſſim omnes apprehendunt: ſolent enim ingenui corpus ſuum, & ſuorum parentum tanti facere, vt pro eo reſpuant omne tale pretium, ne videantur ſe facere viliores: & quòd idcirco lex dicat, corpus liberum non recipere ęſtimationem, quia quaſi communi conſenſu reijcitur pro eo pretium: non autem, quòd reuera pro eius internecione aut mutilatione ex iuſtitia non debeatur aliqua compenſatio, ſi homines vellent compenſationem

tionem

Digitized by Google

tionem pecuniariã recipere. Licet enim non omninò ad æqualitatem compenſari poſſit, tamen non excedit ordinem verum naturalium, & ideo incongruũ non apparet, quod cum illis veniat in comparationem aliquam.

Ad Scripturam reſpondet Adrianus loco citato, cum Richardo, quòd hæc loquatur de eo, qui curatus fuerit, ita vt nulla corporis mutilatio aut deformitas notabilis ſuperſit. Aliter dici etiam poteſt, Scripturam ibi loqui & ordinare ſecundùm eam rationem & ſenſum, quibus iam diximus legem ciuilẽ loqui: quod non præiudicat priori opinioni.

Quibus autem magis placet ſententia poſterior, quam non omninò reijcimus, ad argumenta prioris reſpondent inprimis, principiũ iſtud, quod aſſumitur, non habere locum, quando inæqualitas eſt poſita in re, quæ ex natura ſua non poteſt ab homine reddi, neque in ſe, neque in alio præcisè æquiualenti; quod ex alijs quibuſdam huic affinibus conantur oſtendere.

Ad Replicam priorem dici poterit, ibi ſermonem eſſe de fœtu nondum animato, vt docet Aug. q. 80. ſuper Exod. qui nondum eſt eius præſtantiæ, cuius vita hominis.

Ad poſteriorem verò dicunt, illam donationem libertatis conſtitui non per modum compenſationis pro oculo eruto, ſed per modum pœnæ ſeu mulctæ, cui lex vult ſubiacere dominum, qui ſic ſeruum vel ancillam percuſſerit: aut certè conformiter ad ſua principia dicere poterunt, aliam eſſe rationem corporis hominis liberi, aliam verò ſerui & ancillæ.

DVBIVM II.

Vtrùm homicida aut mutulator teneatur ad reſtitutionem damnorum realium?

6 RESPONDEO & DICO Primò: Homicida, mutilator, vulnerator reſpectiuè tenentur læſo, mutilato, aut occiſo, ſiue eius hæredibus, de lucro ceſſante, & damno inde emergente. Eſt communis & certa doctrina Pet. Nauarræ lib. 4. cap. 1. n. 64. Gomez. 3. Variar. c. 3. n. 37. Nauar. c. 15. n. 19. Molin. tomo 4. Tract. 3. Diſp. 83. Azor. p. 3. lib. 5. cap. 3. Vaſquez cap. 2. De reſtit. Couar. lib. 2. Variar. c. 10. n. 6. & 7. Mald. tract. 3. cap. 3. dub. 3.

Probari poteſt Primò ex citato cap. 21. Exodi: vbi Scriptura obligat percuſſorem ad compenſanda diſpendia operarum deperditarum, ratione læſionis: quòd ſi percutiens debeat compenſare operas deperditas propter læſionem, multò magis tenebitur compenſare incommoda, quæ ex occiſione ſequuntur.

Probatur Secundò, ex l. Ex hac 3. D. Si quadrupes pauper. fec. dic. vbi lex vult haberi rationem operarũ amiſſarũ. Idem confirmari poteſt ex l. Qui occidit 30. D. Ad Legem Aquiliam, & ex cap. fin. De iniurijs: quibus locis dicitur, eum videri damnum dediſſe, qui occaſionẽ damni dedit: atqui homicida occaſionẽ damni dedit; ergò &c.

Probatur tertiò: quia qui furatus fuerit inſtrumentum, quo operarius victum conquirebat, reſtituere debet non valorem tantùm inſtrumenti, ſed etiam damnum, quod intulit, impediendo eius operas per inſtrumenti ablationem; ergo &c. Itaque etiamſi percutiens pro vita, membro, aut deformitate corporis relicta nihil reſtituere obligaretur, prout multi ſentiunt, vti diximus, tenebitur tamen damnum reale compenſare tamquam obueniens ratione ablationis inſtrumenti coniuncti, quod erat vita, aut membrum: neque enim ratio vllatenus patitur, quòd ad intereſſe obligetur, qui fabro ſecurim excuſſiſſet, non autem qui iniuriosè abſcidiſſet manum. Et ratio eſt, quia ſuâ iniuſtâ actione fuit cauſa efficax talis damni & ceſſationis lucri: tenetur ergò in conſcientia lege iuſtitię ad eorum reparationem: idque ante omnem Iudicis ſententiam, vt bene monet Pet. Nauarra.

DICO Secundò: Non tenentur tamen illi reſpectiuè de toto ſimpliciter lucro ceſſante, quod occiſus aut vulneratus potuiſſet forſitan facere: ſed de tanto, quantum ſpes lucri videbatur valere, ijs quoque detractis, quæ occiſus conſumere ſolebat: quæ namque ipſe conſumere conſueuerat, non debent cenſeri in lucris ad hæredes peruenturis: vt v. g. ſi ſpes lucri æſtimetur ad centum aureos, & eius conſumptio, quam correſpondenter ſolet facere, æſtimetur ad ſexaginta, erunt reſtituendi quadraginta tantùm, qui ſupereſſent. Ita Couar. ſuprà, Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 3. Pet. Nauarra ſup. n. 67. Leſſ. dub. 19. Mald. & Bonacina ſuprà. 7

Sed difficultas prima hîc eſt, An ex iſta ſumma debeat quoque detrahi æſtimatio laboris, quem occiſus aut mutilatus debuiſſet ſubire, ad lucrum conquirendum? Affirmat Ioan. Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 19. Sed communiter alij omnes negant, vt videre eſt apud eos, quos antè citauimus. Et ratio eſt, quia ſic iſta reſtituendi obligatio in pleriſque propemodum tota euacuaretur: & quidem in ordine ad illos, vbi compenſatio eſt maximè neceſſaria: nam labor in cõmunibus operarijs tanti æſtimatur, quanti ipſa merces, quam percipere ſolent: totam enim mercedem propter laborem, non propter ingenium aut induſtriam, ordinariè promerentur & percipiunt; vnde eorũ merces condignitatem & æqualitatem dicit ad

ipſum

ipſum laborem. Quare ſi laboris æſtimatio ſit deducenda, nihil reſtituendum relinquitur. Deinde communis eſt apprehenſio omnium, eum qui alterum iniuſtè impediuit à labore diurno, obligari ad illi reſarciendum lucrum illius diei, non detractâ parte, quia laborem non ſubierit: cupiebat enim alter laborare, & ſuum denarium diurnum integrum percipere. Accedit, quòd lex diuina Exodi. cap. 21. & lex ciuilis ſuprà citata, ſimpliciter mandent damnum operarum eſſe reſtituendum: hæc ſignificent quippiam eſſe diminuendum propter non præſtitum laborem; ergò &c.

Si tamē læſi ſiue percuſſi libenter vnâ parte lucri redimerent ordinarios ſuos labores, vt aliquando contingit in ijs, qui commoda habent viuendi media, tùm improbabile non eſt, poſſe eiuſmodi partem deduci in lucris æſtimandis quoad operas: ſecus, ſi noluiſſent laborem redimere cum lucri diminutione.

8 Altera difficultas eſt, Quomodo lucri futuri ſit facienda æſtimatio, cùm incertum ſit quanto tempore occiſus fuiſſet victurus. Quidam voluerunt hominis vitam debere præſumi fore centum annorū, & ſecundum hoc eſſe taxandum lucrum: idque ideo, quia l. vlt. C. De ſacroſ. Eccleſijs Imperator ait, longiſſimum tempus vitæ humanæ præſumi centū annorum. Sed immeritò idcirco cuilibet illud longiſſimum tempus aſſignabitur.

Alij itaque dixerunt eum, qui minor fuerit triginta annis præſumi adhuc victurum 30. annis: ſi autem fuerit 30. annorum, aut ampliùs, præſumi victurum vſque ad annum ſexageſimum. Fundant ſe hi in l. Computationi 68. D. Ad Legem Falcidiam: vbi etiam indicatur, eum qui ſexageſimum annum exceſſerit, præſumi victurum adhuc ad quinque annos: qua de re licet videre Couar. libro. 2. Variarum reſol. cap. 10. n. 7.

Sed etiam hic modus taxandi vitam & operas, ſua habet incommoda: Nam ſic efficeretur, quod, qui occidiſſet hominem quinquaginta octo annorum, minùs teneretur reſtituere, quàm qui occidiſſet ſexagenarium, quia iſte cenſeretur tantùm abſtuliſſe lucrum duorum annorum, hic autem quinque. Deinde manifeſtiſſimum eſt, quòd non omnes, qui eiuſdem ſunt ætatis, debeant moraliter cenſeri æquè futuri longæui. Quin etiam iuuenes frequenter eius ſunt complexionis, vt cenſendi non ſint æqualis vitæ cum alijs quibuſdam ſenioribus. Quare optimè videntur loqui, qui docent, non poſſe regulam commodiorem hîc præſcribi, quàm vt tantum reſtituatur, quantum prudentes & probi arbitri, perpenſis omnibus circumſtantijs, iudicauerint ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis eſſe reſtituendum: Petr. Nauarra ſup. n. 71. Mald. dub. 3. Leſſius dubit. 20. Quòd etiam locum habebit, dum vita læſi non fuit ſtatim ſublata, ſed ratione vulneris acciſa ſiue breuior effecta. Cæterùm monet Bonac. ſup. quia difficile eſt ad vnguem definire, quid reſtituendum ſit, expedire, vt adhibeatur & ineatur tranſactio ac compoſitio cum partibus, quibus facienda eſt reſtitutio, quæ vt plurimum ſolent aliquid etiam remittere.

Dices: Leges videntur æſtimaſſe lucrum probabile hæredibus reſtituendum ad 50. aureos: vt tradit Nauarr. c. 15. n. 24. ex l. 2. §. 1. D. De ijs qui Eccleſ. vel off. citans Hoſtienſem. 9

Reſpondetur, negando Aſſumptum: Quod ad legem attinet, quæ ad hoc adducitur, dicendum eſt, illam non agere de reſtitutione damni aut lucri ceſſantis; nam hæc debetur etiam ante condemnationem & ſententiam Iudicis: ſed de pœna ſeu mulcta, quæ per Iudicem eſt imponenda. Ita enim habet Edictum prætorium: Si eo ictu homo liber perijſſe dicatur, 50. aureorum iudicium dabo, id eſt, ad quinquaginta aureos condemnabo. Vnde patet legem loqui de pœna infligenda quam ad 50. aureos æſtimat: nam & immediatè antè dixerat, illum ſe in duplum daturum Iudicium, ſi ex eiecto vel effuſo, damnum aliquod datum ſit. Eodem modo dixit Gloſſa in Cap. 1. De iniurijs & damno dato, Si homo liber perijt, 50. aureorum ſit condemnatio.

Quæret aliquis: Quid ſi occiſus vel naturali, aut aliàs iuſtâ morte è medio erat tollendus, vtrum homicida teneretur ad aliquam reſtitutionem? Reſpondent negatiuè; Petrus Nauarra loco ſuprà citato n. 78. Mald. & Leſſius ſup. & ſequuntur plures recentiores. Rationem reddunt: quia tametſi iniuriam in corpus alterius committat, tamen damnum pecuniarium non cenſetur adferre, eo quòd tam breui tempore, quod illi ſupererat, lucrū facturus non eſſet, quod mereatur in conſiderationem venire. Idque conformiter ad ſua principia, quibus ſtatuunt, quod pro vita ipſa non debeatur reſtitutio. Si tamen non morte naturali, aut aliàs iuſtâ è medio tollendus erat, ſed iniquè ab alijs, vt à latrone, vel magiſtratu, per iniuſtam ſententiam interficiendus erat, tenebitur occiſor præueniens ad omnia damna: Petr. Nauarra ſup. lib. 4. c. 1. n. 78. Leſſ. Mald. ſup. & alij communiter. Ratio eſt: quia alij, qui illum interfeciſſent, manſuri erant obligati: in quorum obligationem, dum ipſe omnes præuenit, ſeſe præcipitat. Non enim, ideo quis amittit aliquid de iure lucri ſui, quod facturus eſt, 10

quia

quia alius ſtatuerat iniuſtè illum impedire: de quo licet videre etiam Petrum Nauarra lib. 3. cap. 4. vbi latiùs hoc proſequitur.

DVBIVM III.

Vtrum homicida teneatur ad expenſas in medicos & exequias?

11 Respondetvr: De impendijs in medicos certum eſt apud omnes illum teneri: vtpote quorum cauſam euidenter dedit. Et ita ſtatuitur Exodi cap. 21. & l. Qua actione in princ. D. Ad Legem Aquiliam.

Quod autem attinet ad expenſas exequiarum, vult Nauar. cap. 15. n. 22. etiam de illis homicidam teneri: quod ait ante ſe neminem terminaſſe. Sed communis ſententia eſt, non teneri illum vlteriùs, quàm quatenus potuerit earum eſſe pro parte cauſa. Vnde ſi non plures factæ ſint, quàm ſi non fuiſſet occiſus, ſed in die ſuo mortuus, non erit occiſor impenſis illis grauandus: quod enim citiùs fiant, non videtur per ſe vergere in grauamen hæredum, ad quos citiùs quoque deuoluitur hæreditas, cum omni reali intereſſe, quod homicida tenetur ſupplere. Si autem in loco eſſet occiſus, vbi expenſæ exequiarum ſunt maiores, quàm in patria, teneretur occiſor de incremento eiuſmodi. Ita Pet. Nauarra lib. 4. cap. 1. n. 73. cum alijs.

DVBIVM IV.

Vtrum hæredes homicidæ, ſi ipſe moriatur, teneantur pro ipſo reſtituere.

12 Respondeo & Dico Primò: Hæredes pro viribus hæreditatis obligantur ad damna reſarcienda, quibus defunctus cauſam dedit per homicidium. Ita docent communiter DD. & conſtat ex capit. vltimo De ſepulturis: item ex Capit. In litteris De raptoribus: æquum enim eſt, vt qui ſentiunt temporalia commoda ex defuncto, ferant quoque eiuſmodi onera defuncti. Vnde & fiſcus, ſi ſuccedat, tenetur ad damna realia reſtituenda, vt patet l. Non poſſunt: & l. In ſumma 17. D. De iure fiſci.

Dico Secundò: Non tamen tenentur hæredes ad pœnas aut mulctas pro iniuria, quam forſitan defunctus alijs intulit, niſi ante mortem eius deſuper fuerit lis conteſtata. Petr. Nauarra ſup. n. 66. Mald. & alij ſup. & patet ex l. Ex iudiciorum 20. D. De accuſationibus. Sed

Quæritur, Vtrum teneātur vltra vires hæreditatis, ſi non fecerint inuentarium? Gloſſa ad Capit. In litteris, iam citatum, videtur eos obligare: ſed contrarium tradit ad idem Capit. Panormit: & Iul. Clarus lib. 5. q. 51. num. 17. dicens hanc eſſe ſententiam communem iuxta Aret. in Rub. D. De acq. hæred. idque ſatis euidenter intelligitur eſſe verum in foro conſcientiæ. Vide Mald. ſup. c. 3. Dub. 4. 13

DVBIVM V.

Vtrùm à reſtitutione liberentur hæredes homicidæ, quando ille ſuſtinuit pœnam talionis?

Non deſunt hîc, qui exiſtiment hæredes tum à reſtitutione eſſe liberos, præſertim ſi alterius hæredes egerint ad pœnam talionis: quibus videtur fauere Scriptura Exodi. 21. quæ non imponit onus alicuius reſtitutionis, quando Homicida luit talionis pœnam. Ita docent Scotus in 4. diſt. 15. ibidem Gabriel q. 15. & Banneſ. hîc q. 62. art. 2. Adrian. De Reſtit. q. vlt. Roſella V. Reſtitutio. Nihilominus communior ſententia, & vt apparet, verior, habet, etiam tum ab hæredibus ex bonis illius, qui pœnam talionis luit, damna realia eſſe compenſanda. Ita Nauar. cap. 15. n. 25. Couar. libro 2. Variarum Reſolut. cap. 10. num. 7. Petrus Nauar. lib. 4. cap. 1. num. 19. Lopez 1. p. cap. 72. Leſſ. dubit. 22. Malder. ſup. Dub. 5. 14

Probatur, quia licet fur, qui rem alterius abſtulit, in punitionem criminis ſuſpendatur, nihilominus res ablata debet reſtitui illi, à quo oblata eſt: ergò etiamſi in vindictam ſceleris tollatur è medio homicida, incumbit tamen hæredibus damnorum reparatio ex bonis illius: quia pœna illa non infligitur ad reparanda damna: ſed ad ſatisfaciendum Reip. cui eſt iniuria illata. Vnde non idcircò dicēdus erit homicida puniri bis in idipſum, quia reſtituendo damna quæ alteri cauſauit, non patitur pœnam, propriè loquendo, pro iniuria criminis, quā Reſpublica vindicauit: ſed ſoluitur alteri, quod ei debetur. Quare id, quod diximus, rectè poteſt ita extendi, vt locum habeat etiam, quando pars læſa egit ad pænam talonis. Quod confirmatur, quia licet pars accepiſſet pecuniam pro iniuria illata, & ſic pœna eſſet redempta, tamen debetur illi inſuper compenſatio damnorum: imò etiamſi occiſor ab inquiſitione eſſet abſolutus, poteſt tamen hæres occiſi

contra eum ciuiliter agere ad reparationem damnorum & intereſſe, vt plures Iureconſulti tradunt, vt refert Malderus ſuprà dub. 5.

15 Obſeruandum tamen eſt, valde probabiliter dici poſſe, hæredes defuncti homicidæ qui luit talionis pœnam, non teneri in conſcientiâ ad dicta damna reparanda, niſi hæredes ipſius occiſi id ab eis exigant: quia ſic videtur communis habere ſenſus & vſus, vt ſumpto de homicida ſupplicio, alij cõquieſcant, & omnis iniuria habeatur non ſolùm tamquam vindicata, in quantum offendit Rempub. ſed etiam quodammodo compenſata, vt læſit partes. Neque ſolent honeſtiores aliud exigere, poſtquam malefactor pœnâ luit. Vide Saloniũ q.62.a.2. Quando tamen exigunt, oportet reſarcire, vt prius dictum eſt, quia damnũ iniuſtè datum, per pœnam talionis ſimpliciter non compenſatur.

Hoc denique obſeruandum etiã eſt, quod qui ſentiunt aliàs aliquid eſſe pro vita reſtituendum, id tamen iudicent non eſſe neceſſarium, quando occiſor ſupplicium luit.

DVBIVM VI.

Vtrùm ad reſtitutionẽ teneatur qui in defenſione exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ.

16 RESPONDEO & DICO Primò: Qui inuaſus ab altero, dum poſſet fugere, imò etſi ex charitate, non autem ex iuſtitia, teneretur fugere, ſubſiſtit, & ſeruando moderamen inculpatæ tutelæ ſe defendit ac inuaſorem occidit, non obligatur ad reſtitutionem. Ita communiter DD. &

Probatur: quia reſtitutio eſt quædam reparatio iuſtitiæ læſæ: atqui iſte non læſit iuſtitiam: quia vel non tenebatur fugere, vt aliquando contingit; aut non tenebatur niſi ex charitate, vt ſupponimus: & licet tunc contra eam peccet, tamen alteri non facit iniuriam quando ſe cum moderamine debito defendit; ergò &c. Vide Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. n. 362. vbi vult id locum quoque habere, etiamſi inuaſus forſitã priùs affeciſſet inuadentẽ aliquâ contumeliâ, vel iniuriâ aliâ: quod eſt contra Nauarrum cap. 15. n. 7. Ratio reddi poteſt: quia inuadens non poterat priuatâ authoritate iniuriam priùs illatã vindicare: vnde hic poterit cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendere contra violentam eiuſmodi inuaſionem. Sententia tamen Nauarri ſatis mihi probatur in caſu, quo inuaſus præuiderit alterum ſic irritandum ſuis contumelijs, quod eum inuadet: Videtur tunc enim quæſiuiſſe occaſionem adijciendi verbera vltra contumelias, & eum occidendi.

DICO Secundò: Qui ab altero ad pugnam prouocatus, eum occidit, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi modum exceſſerit: ita Mald. ſup. dub. 6. Bann. 2.2.q.62.a.2. Et ratio eſt, non quòd non peccauerit, ſed quia alter prouocando cenſetur iuri ſuo cedere, & reſtitutionem remittere, ſi occumbat: quod & in vtroque locum habebit, ſi ſe mutuò prouocauerint. 17

DICO Tertiò: Si is, qui ab alterò inuaditur, abſque prouocatione, iuſtã moderationem in defenſione notabiliter exceſſerit, ſic vt mortaliter peccauerit inuaſorẽ occidendo, obligatur damna & intereſſe compenſare. Ita Nauar. c. 15. n. 27. Leſſius dub. 21. & alij infrà citandi. 18

Probatur: quia qui ſic occidit, facit alteri iniuriam, eſtque cauſa damnorũ & intereſſe, quæ ſequuntur: ſicuti is, qui dolo vel latâ culpâ eſt alteri damnorũ cauſa; ergò ad eorum reparationem obligatur. Quando tamẽ non omninò atrociter, quamuis mortaliter exceſſerit, ſatis probaliter docent nonnulli, tunc eum non cogendum, vt integrè omnia damna reſarciat; quemadmodum is, qui aggreſſor eſt, ſiue qui dolo proximum extra omnem caſum defenſionis, occidit: ſed ſecundùm naturalem æquitatem & rationem aliquid hic eſſe minuendum: Soto lib. 4. q. 6. art. 3. Mald. ſup. & pro eadẽ opinione citat Syluest. V. Reſtitutio 3. q2. & Angel. V. Reſtitutio 1. §. Homicida: cuius rei rationẽ non benè aſſignaueris ex eo capite, per ſe loquendo, quia iſte minùs grauiter deliquerit, ſiquidem reſtitutio debet proportionari magnitudini damnorum, non grauitati peccati, cui pœna propriè correſpondet: ſed ex hoc quia ex eo, quòd ab altero inuaſus fuerit; iam non hic ſolus, ſed ipſe quoque inuaſor quodammodò ſe occidiſſe, & cauſam necis & incommodorũ ſuorum dediſſe cenſendus eſt: qui proinde meritò quoque partem ſuorum incommodorũ ferre debet. Accedit, quòd difficillimũ ſit, iuſtũ temperare dolorem dum quis inuaditur: vt dubium videri queat, an paſſio & indeliberatio nõ reddiderint culpam leuẽ de qua non teneatur. Pro qualitate igitur dubij, inquit Mald. reſtituet ad arbitrium boni viri: ſecus autem, ſi omninò atrociter exceſſerit, vt ſi pro re exiguâ defendenda occiderit, aut ſi facillimè & ſine omni ſuo periculo potuerit ictus alterius abſq; eius occiſione auertere ſi voluiſſet.

DVBIVM VII.

Vtrùm animæ occiſi quippiam ex iuſtitia reſtituendum ſit?

Scotus

Digitized by Google

19 Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. Gabriel ibid. qu. 15. art. 2. Adrian. qu. vlt. de Reſtitutione §. homicida. ſentiunt homicidam ſi non luat pœnam talionis, debere pro vita occiſi ſatisfacere in bonis ſpiritualibus; vt per eleemoſynas, orationes, ſacrificia, & ſimilia. Sed ſententia cōmunior habet, non obligari homicidam ex iuſtitia ad huiuſmodi reſtitutionem faciendam: licet ſaluberrimi cōſilij ſit, & naturali ęquitati valde conſonum, vt ita faciat. Quare meritò in foro pœnitentiæ ſunt homicidæ, pro ſatisfactione ſui delicti, eiuſmodi opera à Sacerdote iniungenda. Ita docet Soto ſuprà, Antonin. p. 2. tit. 2. cap. 2. Siueſter V. Reſtitutio 3. q. 2. Mald. ſup. Dub. 7. Leſſ. Dubit. 25. Ratio autem reddi poteſt: quia ſecundum communem hominum etiam piorum ac doctorum ſenſum & vſum non apprehenditur, quòd tēporalia & ordinis naturalis debeant ex iuſtitia compenſari per ſpiritualia ordinis ſupernaturalis, etiãſi iſta corporalia in ſe reſtitui non poſſunt: neque enim commutatiua iuſtitia, inter illa tam diuerſi ordinis conſiſtit aut cōſiſtere valet. Imò inquit Nauarra lib. 4. c. 1. n. 98. aliàs teneretur multò plus reſtituere quàm acceperit: ſiquidem opera ſpiritualia longe excedant quamcumq; rem temporalem: Iuſtitia autem non poteſt cogere, vt plus reſtituatur, quàm ſit ablatum.

20 Dices: Quamuis eiuſmodi non debeat homicida reddere pro vita, tamen videtur obligari, quatenus priuauit occiſum opportunitate exſoluendi in hoc ſæculo pœnas reſtantes, quas pro delictis commiſſis debebat: vnde in purgatorio longiores & acerbiores fortaſſis luiturus eſt pœnas.

Reſp: Pet. Nauarra ſup. n. 99. admittit Homicidam lege iuſtitiæ teneri orationibus & ſatisfactionibus ſuis vel aliorum, iuuare defunctū in caſu poſito, quando veriſimile eſt, quod ſatisfeciſſet pro ſuis delictis, ſi ſuperuixiſſet: ſed iſta particularia quæ ſunt futuri ſæculi, aut ibi obuentura, ſunt occultiora, quàm vt ex illis res humanæ & ciuiles hìc menſurari debeant. Quare in hoc, quòd occiſus fortaſſis ibi in purgatorio grauiores pœnas ſuſtineat, quas minoribus laboribus aut doloribus exſoluiſſe hìc potuiſſet, non videtur fundandum ius aliquod iuſtitiæ, quo quis in hoc ſæculo exiſtens obligatur recōpenſam facere, vt benè notat Malderus ſuprà, & Soto lib. 4. quæſt. 6. art. 3. ad 3. Minus autem aliquid reſtituendum eſt pro meritis, quæ occiſus fortaſſis comparaſſet, ſi vlteriùs vixiſſet, quia facultas merendi irreparabilis exiſtit: & merita vnius in hoc ſæculo non poſſunt in ratione meriti defuncto applicari.

DVBIVM VIII.

An obligetur homicida omnibus ad reſtitutionem qui ex morte occiſi ſentiunt incommodum?

Notandvm eſt, damna realia quæ ex homicidio conſequuntur, eſſe in duplici differentia: quædam enim directè concernunt aut afficiunt occiſum, vt damnū emergens, & lucrum ceſſans: quædam verò directè nō pertinent ad occiſum, ſed ad alios qui ex illo, dum viueret, percipiebant aliqua commoda, vel qui ex eius morte patiuntur damna; vt ſunt v. g. creditores, quibus ſolet benè ſatisfacere, qui poſt mortem eius non aſſequuntur ſolutionem: item pauperes, famuli, domeſtici, aut fratres, aut cognati, quos ſolebat alere, aut aliàs illis benefacere: item vxor, liberi, & parentes, quos intertenebat. His præmiſſis 21

Respondeo & Dico Primò: Tenetur homicida reſtituere hæredibus occiſi, ſiue neceſſarijs, ſiue extraneis, damna & intereſſe, quæ directè cenſentur occiſum concernere. Patet: quia hi plenè ſuccedunt in ius defuncti: cui, ſi adhuc eſſet capax in ſe, haud dubiè teneretur occiſor omnia iſta reſtituere; ergò & illis, qui plenè ius eius & cauſam habent. Vide dicta ſuprà dub. 2. 22

Dico Secundò: Non videtur homicida obligatus creditoribus occiſi, etiamſi ex occaſione mortis patiantur præiudicium in ſolutione aſſequenda. Ita ſatis communiter ſentiunt DD. Soto & Salonius ſuprà, Lopez 1. p. cap. 72. Bonacina ſuprà quæſt. vlt. Sect. 2. p. 2. ſiue vlt. & alij.

Probari poteſt Primò: quia omninò per accidens ſe habet, quòd occiſus creditoribus ſit obligatus, qui occaſione mortis eius damnum patiuntur, ac proinde non videtur occidens ad id debuiſſe attendere & præcauere. Secundò, quia creditor non habet ius in debitorem, niſi quouſque ſe extendunt bona eius quæ actu habet, vel veriſimiliter habiturus erat, ſi ſuperuixiſſet: atqui ea quæ actu habet, non aufert homicida occidendo, & quæ lucraturus erat, tenetur hæredibus ſupplere, in quos tranſfertur obligatio defuncti; ergò non videtur fundamentum, vnde damnum illud creditoris debeat imputari homicidæ; quin potiùs malitiæ aut negligentiæ hæredum, ſi aliàs occiſus ſufficiens fuerit, aut futurus erat ad ſatisfaciendum.

Similiter dicendum eſt de famulis, quia illi alebantur intuitu ſeruitij, quod poterunt alteri impendere à quo ſuſtentationem accipient, ſi hæredes illos dimittant. Ita DD.

Digitized by Google

antè citati. Neque ſolet quiſquã apprehendere, homicidam talibus exiſtere ex iuſtitia obligatum, vt eis reſtitutionem vel compenſationem aliquam faciat.

23 Dico Tertiò: Similiter homicida non videtur obligandus ad reſtituẽda fratribus, cognatis, vel pauperibus ea, quæ ſolent illi ex liberalitate occiſi ab ipſo percipere commoda. Ita quoque Soto ſuprâ, Bannes 2. 2. q.62.a.2.dub.6.Mald.c.3.dub.8. cum alijs.

Probatur Primò: quia hoc damnum omninò per accidens eſt coniunctũ cum morte, quam homicida infert. Deinde occiſus non tenebatur eis præſtare illa bona; ergò nec is, qui occidit. Tertiò, quia illa non cenſentur ex voluntate occiſi ex parte eius diutiùs eis præſtanda, quàm dũ ipſe vixerit, ſiue morte naturali ſiue violentâ contingat eum mori; ergò non debet cenſeri remanere aliqua obligatio homicidæ ad illa præſtanda poſt mortem alterius.

24 Dico Quartò: Obligatur homicida reſtituere prolibus, parentibus, & vxori occiſi intereſſe ſua, quæ in ſe ſentiunt ex morte illius: v.g. ad alimenta, & alia neceſſaria tribuenda, ſi occiſus eis hęc pręſtabat. Ita Soto ſup. Molina ſup. diſp.83. n.6. Mald. & Bonacina ſup. & alij ſatis cõmuniter. Et rationem bonam reddunt: quia maritus, vxor, liberi, parentes, cenſentur quodãmodò vna perſona, ac proinde quando hi læduntur reſpectiuè in marito, patre, filio, lęduntur quodãmodò in aliqua ſui parte: vnde meritò hoc eis reſtituendũ eſt, quod patiuntur præiudiciũ ex ablatione illius ſuę quodãmodò partis. Deinde, quia ſecundùm naturalẽ rationem, illi tum vt marito, tum vt patri incumbit prouidere talibus, quãdiu indigent & ſuperſunt; igitur meritò cenſetur obligatio iſta tranſire in eũ, qui iniurioſè occiſum impediuit, quò minùs poſſet diutius iſtud pręſtare.

Obſeruandum autem Primò, Probabiliter ſatis ab aliquibus dici, quòd cùm vxor non ſit inter hæredes neceſſarios, ſi hęc cum dote fuerit ſuſcepta, & ſatis cõmodè viuere queat, tunc homicidam illi non teneri de alimentis: vt neque parenti ipſius occiſi, quando non eſt hæres, nec ab occiſo alebatur, aliundeque viuere poſſit. Vide Mald dub. 8. antè cit.

25 Obſeruandũ Secundò, Si læſus ante mortem remittat aduerſario non tantum iniuriã, ſed etiam damna & intereſſe tunc homicidam ne quidem filijs teneri ad cõpenſationem, vt plures quoque DD. ſuprà citati tradunt: quia non fit filijs iniuria in bonis fortunæ, niſi quatenus læduntur in parente contra ipſius voluntatẽ. Quando igitur parens condonat omne damnum illatum, non remanet ius aliquod filijs: non tamen rectè faceret ſic condonando damnum & intereſſe, quando proles eſſent indigentes.

DVBIVM IX.

Penes quos ſit poteſtas concedendi remiſſionem mutilationis, & homicidij quoad pœnas de iure Conſtitutas?

Notandum eſt, cum Bonacina De Reſtit. in particulari Diſp.2. q.vlt. Sect. 2.p.1.n.14. homicidam duplicis ſatisfactionis contrahere obligationem, atque ita duplicem ab illo exhibendam ſatisfactionem: vnam Reipub. quæ paſſa eſt iniuriam: alterã hæredibus, pro damno eis illato. Hæc ſicuti hæredibus debetur, ita ab illis remitti ſeu cõdonari poteſt: altera autem Reipub. exhiberi ſolet, tum per actionem homicidæ, puta per criminis agnitionem, & petitionem veniæ à Principe ſiue Magiſtratu, & à populo, tum per paſſionẽ, ſubeundo pœnas corporales legibus ſtatutas in eiuſmodi delicta. Cæterùm quia Principem decet aliquando exercere clementiam in reos: idque etiam aliquando fieri ex iuſtis reſpectibus expedit pro bono communi: hinc quæritur, penes quos ſit hęc poteſtas remittendi delicta Reipub. iniurioſa, & pœnas eis condignas? 26

Respondeo & Dico Primò: Poteſtas hæc fundamentaliter & in ſummo gradu eſt penes Principes ſupremos, ſiue penes Rẽpub. quæ ſuperiorem non recognoſcit. Ratio eſt euidens, quia ſicuti primò & per ſe eis incumbit cura publicæ tranquillitatis & pacis, & ijs cõpetit ius gladij & correctio malefactorum, qui publicã quietem perturbant: ita quoque primò & in ſummo gradu iure maieſtatis penes illos eſt poteſtas aliquando ex iuſtis rationibus pro faciliori & tranquilliori regimine, relaxandi meritas pœnas malefactoribus, non tantùm pecuniarias, ſed & corporales, Boſſius tit. De remed. ex ſola clementia Principis &c. 27

Dico Secundò: Comites & Barones regalia habentes, de iure pœnam pecuniariam quæ illis competit, non autem corporalẽ, aut infamię remittere poſſunt. Ita Bart. in l. acta 45.§. de ampliando, D. De re iud. Innocent. in Cap. Cum F. tabellio penult. De fide inſtrument. & cũ illis Kinſchot. De reſcriptis gratiæ Tract.3. c.1. vbi refert Chaſſeneũ ad Conſuet. Burg. Rubr.1. ſcripſiſſe Philippum Ducem Burgundiæ, in eodem ſuo Ducatu authoritatem non habuiſſe dandi gratiã delinquentibus; eò quòd, vt idem author alibi tradit, recognoſceret Dux ille Regem Francię, & per reſortũ ſubeſſet Parlamento Pariſienſi, cuius rei examen alijs relinquimus. 28

Dico Tertiò: Per indulta tamen ſupremorum Principum, aut per conſuetudinem immemorialem diuerſis in locis eſt facultas iſta concedendi remiſſionem homicidij, & ſimilium criminum, deriuata in 29

Comites,

Digitized by Google

Comites,Barones,alioſque Vaſallos,merum & mixtum imperium, ſiue, vt aiunt, altam, mediam,& baſſam iuriſdictionem habentes. Tradit Kinſchot. loco citato, in Brabantia tales hoc ita obtinuiſſe, & poteſtate illâ frui. Cuius rei etiam fit mentio in quadam Conſtitutione Caroli V.Imp. de anno 1541. artic. 5. Idem in Ducatu Mediolanenſi eiuſmodi nobilibus & Vaſallis permitti ſcribit Boſſius cit. tit. De remed. ex ſola Clem. princ. n.51. atque alibi paſſim in Italia per Barones, gratias tales fuiſſe conceſſas, ſatis teſtantur Cyn. Bald. Fulgoſ. & Alberic. in l. ſeruos 8. C. ad Leg. Iul. De vi publica. Idipſum dicitur quoque communiter obſeruari per Germaniam. Hoc autem ſic obſeruatur in Ducatu Brabantiæ, vt optionem habeant ſubditi, ſiue à Principe ſupremo & domino directo, ſiue à Baronibus & Vaſallis rogandi & impetrandi iſtam remiſſionis gratiam. Cæterùm quia intereſt eiuſmodi vaſallorum, & etiam boni publici, ne veritate celatâ à principe impetretur, quod ipſi concedere potuerunt, & iuſtis de cauſis Principi ſiue Senatui incognitis, fortè denegarunt, hinc eis permiſſum eſt, quòd re integrâ poſſint ſeſe interinemento ſiue approbationi talium diplomatum ſiue literarum remiſſionis faciendæ per principem, opponere. Vide Kinſchotium ſup. c.2.

30 Sed quæret hîc aliquis: Sint tres Vaſalli, qui facultatem habeant dandi codicillos remiſſionis,& contingit ſubditum vnius committere homicidium in territorio alterius, eumque apprehendi in loco ſubiecto Iuriſdictioni tertij: cui ex tribus competet tunc tali delinquenti remiſſionis gratiam concedere? Poſſet videri competere tertio, ſaltem in locis ſuæ maieſtati Catholicæ ſubiectis: quandoquidem artic. 11. præfatæ conſtitutionis, dicatur, homicidas in omnibus locis punibiles eſſe, atque Officiales ad informationis tranſmiſſionem inuicem teneri: cuius verò eſt punire delictum, eius videtur quoque eſſe condonare.

Reſpondetur tamen, neq; in his locis, & multò minùs alibi, vbi apprehenſus remitti debet ad locum delicti, vel alium Iudicem, competere iſti tertio, qui illum ſub ſuo territorio apprehendit, & iudicare poteſt, facultatem condonandi homicidium. Idque in primis, quia vſus & praxis hoc non habet, vt teſtatur Kinſchot. ſup. cap.5. n.4. Deinde nec conuenit ei tribuere, quia res illa innumerabilibus fraudibus occaſionem dare poſſet, cum magna delictorum impunitate & bonorum præiudicio: quia contingere frequenter natum eſt, quod delinquentes ſub prætextu ſimulatæ apprehenſionis apud alium vaſallum, quem ſibi fauentem habent, remiſſionis gratiam obtineant, aut pecunia emant. Quare iuriſdictio iſta, quæ per perſonæ apprehenſionem acquiritur, vtpote iuri aduerſaria, (iuxta quod remittendus eſſet apprehenſus ad Iudicem loci delicti, Iul. Clarus lib.5. Sentent. q.38. n. 19.) ſtrictè eſt interpretanda, neque ad facultatem dandi Codicillos veniales, extendenda: per ea, quæ de vſu arreſtorum non extendendo tradit D. Peck. De iure ſiſtendi cap. 2. circa finem.

31 Verùm neq; domino domicilij attribuenda eſt iſta poteſtas, ſed ſoli domino loci, in quo crimen commiſſum eſt. Ita ſentit Kinſchot.ſup.cap.5. n.5. quod colligit ex art.5. præfatæ Conſtitutionis Carolinæ: vbi loquens de Baronibus ius Remiſſionis ſiue Condonationis habentibus, id reſtringit & limitat ad commiſſa in illorum Baronijs: & ex art. 10. vbi interdicitur ſecuritatem ſiue ſaluum conductum dare, quando delictum accidit extra iuriſdictionem eius, à quo petitur: quare multò magis debet cenſeri ei interdictum eſſe,concedere criminis remiſſionem. Et certè non conueniebat, neque conſultum erat, vtrique domino tribuere poteſtatem iſtam remittendi delicta, ne hoc delectu ſibi conceſſo, mali audaciores fiant ad crimina committenda ſub ſpe impunitatis ab hoc vel illo impetrandæ. Potiùs autem attribuitur domino loci, vbi crimen commiſſum, quàm alteri, quia hic rectiùs & pleniùs ſuper qualitate & circumſtantijs delicti poteſt ſeſe informare, quàm alius: vnde etiam huius vel officialis eius informatio atque citatio,non alterius,iuxta conſtitutionem prędictam requiritur ante approbationem veniæ à Principe vel eius Senatu dandæ.

DVBIVM X.

Quibus in caſibus concedantur remiſſiones homicidij?

32 RESPONDETVR: Caſus illi potiùs ex arbitrio & voluntate habentis poteſtatem, & præſertim ſupremi Principis, pendent, quàm certo iure, aut regulâ poſſint definiri.

De cætero ſolent codicilli veniales communiter concedi in primis, quando homicidium eſt cōmiſſum pro iuſta defenſione ſui, vel rerum ſuarum cum moderamine inculpatæ tutelæ; vel omninò caſualiter abſque culpa: quamuis tunc potiùs purgationi locus ſit, quàm gratiæ remiſſionis; licet propter difficultatem probandæ innocentiæ, ſoleat pro maiore ſecuritate ſimul remiſſionis gratia implorari & impendi.

Secundò etiam concedi ſolent, quando concurrunt circumſtantiæ, quæ grauitatem delicti minuunt, etſi non omninò culpam tollant: vt ſi occaſione defenſionis, ſed excedendo inculpatam tutelam, ex aliquo

Digitized by Google

iuſto calore iracundiæ ſi caſualiter, ſed non adhibitâ circumſpectione debitâ circa actus ſuos: ſi item in ebrietate: quia inquit D. Henricus Kinſchotius ſup. cap. 9. moribus Belgij huius, ebrij excuſantur à pœna homicidij, per l. Omne Delictum §. per Vnum D. De re milit. l. Diſpiciendum 11. §. Delinquunt D. De pœnis: & Can. Sanè: XV. q. 1. Quod & Vaſquius Senator Regius Illuſtr. Controuerſ. lib. 3. cap. 96. multorum authoritate probat: vbi notat etiam apud Hiſpanos Iure Regio id probari. Et rectè quidem hoc rationem habet in ebrio qui præter morem in ebrietatem incidit, & ſic homicidium commiſit: vel ſi ſæpiùs inebriari ſolet, tamen ſolet eſſe in ebrietate modeſtus & pacificus, ſed ex aliqua extraordinaria occaſione iam alium occidit. Secus autem ſecundùm bonam rationem putarem dicendum de ebrijs, qui nouerunt ſe in ebrietate procliues ad rixas, & ad iniurias alijs inferendas, & ſolitos aggredi, & percutere alios: non enim videntur tales gratiâ aut minori pœnâ digni, quia à talibus non eſt expectanda emendatio, ſed frequentatio potius oppreſſionis & internecionis bonorum. Quando autem deliberato animo, ſiue per inſidias ad hoc ſtructas, ſiue per inopinatam aggreſſionem homicidium eſt commiſſum, non ſolet, aut ſaltem non deberet remiſſionis gratia concedi, vt teſtatur Boſſ. loco cit. n. 42. vbi ait monſtroſum fore, talem videre gratiam. Vide plura de iſtis apud D. Kinſchot. ſup. cap. 7. & aliquot ſequentibus.

Hoc denique obſeruatu dignum, quod iuxta præfatam conſtitutionem Imp. remiſſio iſta homicidij fieri non debeat infra annum; Neque etiam concedi niſi initâ pace & concordiâ cum conſanguineis defuncti: Ratio prioris eſt, quia tam velox gratiæ conceſſio multis ſcandalo eſſe, & alios ad delinquendum proniores reddere poſſet: atque complures hac impetrationis facilitate abuterentur. Deinde vt, inquit Boſſ. ſup. n. 47. foret res admodum turpis, quòd homicida, ſanguine adhuc caleſcente ambularet ante conſpectum offenſorum, alleg. l. Cum ſupra virentes 12. C. De re milit. Ratio poſterioris reddi poteſt, quia non eſt æquum quòd Princeps ſuâ benignitate obſit læſis, & intereſſe habentibus, & in hoc patrocinetur criminoſis. Et propterea permiſſum eſt omnibus intereſſe habentibus, impugnare veniales codicillos: ad quem finem tam ex ſtylo, quam Iure communi citandi ſunt.

Diſputatur verò hic inter Iureconſultos, 33
Vtrum ſufficiat pax habita cum defuncto, puta quia ille lethaliter vulneratus delinquenti remiſit factum. Affirmatiuam partem tenet Bald. in l. 2. n. 3. C. De libertis & eor. lib. Sed negatiuam partem docent Bartol. in l. Damni §. Sabini D. De Damno infecto: n. 2. & Imola ibid. dicens, quòd vulneratus de facili pacem faciat, vt ab altiſſimo veniam impetret. Certè ſi ſtatutum aliquod diſponat, quòd pax habeatur ab hæredibus, tunc etiam procul dubio, inquit Clarus ſup. q. 58. n. 29. de iure non prodeſt pax cum defuncto habita. Neque debet Iudex multum moueri propter eiuſmodi condonationem factam à defuncto, præſertim quando circumſtantiæ non alleuiant factum: quia Iudicis eſt ſecundum iuſtitiam vindicare delictum: priuato autem iniuriâ affecto conuenit ſecundum legem & exemplum Chriſti, quod facilis ſit ad ignoſcendum: quod iuſtitiæ vindicatiuæ præiudicare non debet, quæ videtur nimis frequẽter ſub ſpicie miſericordiæ à diuerſis impediri: & à Superioribus ſiue ex illâ, ſiue ex aliâ occaſione negligi: vnde malis tanta accreſcit audacia opprimendi innocentes.

CAPVT QVARTVM.

De iniurijs in corpus proximi per ſtuprum & adulterium, & de reſtitutione neceſſaria.

DVBIVM I.

An ſtuprum turpitudini ſimplicis fornicationis ſuperaddat aliam deformitatem?

1 NOTANDVM eſt, Stupri nomen tripliciter vſurpari. Vno modo generaliter pro quolibet concubitu legibus prohibito, vt patet l. Inter liberas D. Ad Leg. Iuliam De adulterijs: vnde apud ſcriptores frequentiùs inceſtus, adulterium, libido præpoſtera, ſtuprum vocantur. Secundò, pro concubitu violento, non habitâ ratione virginitatis aut ſexus, vt tradit Valla: quomodo & adoleſcenti & mulieri priùs corruptæ dicitur etiam inferri ſtuprum, quando violentè opprimuntur. Tertiò, ac magis propriè, pro defloratione puellæ virginis extra ſtatum matrimonij: & ſecundùm hanc ſignificationem

Digitized by Google

tionem nobis potiſſimùm eſt ſermo, quando de ſtupro hîc agimus. Ita accipitur Can. Lex illa §. cùm ergò xxxvi. q. 1.

Notandum Secundò, eiuſmodi deflorationem tripliciter rurſum fieri poſſe. Primò, quando virgo non eſt ampliùs ſub poteſtate parentum aut tutorum: vel ſi ſit, hi tamen ſimul cum virgine conſentiunt in concubitum. Secundò, quando ipſa eſt ſub poteſtate parentum, qui non conſentiunt, ipſa verò conſentit. Tertiò, quando vis infertur virgini contra ipſius voluntatem. His præmiſſis

2 Respondeo & Dico Primò: Stuprum in quod virgo ſuæ exiſtens poteſtatis, liberè conſentit, aut ſi ſub aliorum ſit poteſtate, in quod illi quoque conſentiunt, non videtur includere nouam deformitatem mortalem ſupra ſimplicem fornicationem. Ita Dominic. Soto in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. Vaſquez 1. 2. diſput. 112. n. 1. & 3. Sanchez lib. 7. De matrimonio diſput. 14. Pet. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 433. Suarez in 3. p. Tomo 4. Diſp. 22. ſect. 4. n. 4. Leſſ. cap. 10. dub. 1. Mald. cap. 4. Dub. 1. & plures paſſim recentiores.

Probatur, quia in ſtupro non videtur aliquo ex capite poſſe demonſtrari ſpecialis deformitas ſiue malitia mortalis, niſi interueniat ſpecialis iniuria: ſed non apparet in tali ſtupro particularis iniuria, quandoquidem ſcienti & volenti non fiat iniuria; virgo autem & parentes (vt ſupponimus) in deflorationem conſentiunt; ergò &c.

Dixi, non includere aliam deformitatem mortalem; quia non videtur negandum ſuperaddere aliquam inordinationem ad minùs venialem ſupra fornicationem quæ cum aliqua priùs corrupta committitur: nam fœdior eſt libido, quæ non veretur corporis virginalis integritatem violare, quæ ſingulare eſt virginis ornamentum, & veluti quædam naturæ dos reſeruanda honori matrimonij, & gratiæ ac complacentiæ mariti. Quod nonnulli ita ponderant, vt exiſtiment inde naſci nouam malitiam mortalem in eodem genere vitij, ſcilicet luxuriæ. Sed non videtur res illa tanti, vt tam grauem ſuperaddat malitiam; idque primò, quia poteſt puella iam corrupta à matrimonio abſtinere, quia non eſt in præcepto. Deinde quia integritas illa corporis non eſt in matrimonio perpetua, ſed mox tollenda. Accedit, quòd principalior honos matrimonij conſiſtat in obſeruatione fidei matrimonialis, quando iam contractum eſt, & in recta prolium educatione.

3 Dico Secundò: Similiter, quando puella ſubeſt adhuc poteſtati parentum, etiamſi abſque horum conſenſu violetur, modò ipſa liberè conſentiat, non videtur violatio illa continere ſpecialem malitiam mortalem intra ſpeciem luxuriæ, ratione virginitatis ablatæ inſcijs vel non conſentientibus parentibus: poteſt tamen eſſe circumſtantia mortaliter aggrauans, puta ratione mœroris, quem hinc parentes concipiunt, vel infamiæ, quæ inuritur familiæ. Ita Soto & alij ſup. citati contra Caiet. 2. 2. q. 154. art. 4. vel 6. ad Dub. 1. Azor. 3. p. lib. 5. q. 1. Bonac. Tomo 1. De ijs quæ pertinent ad vſum matrim. q. 4. puncto 17. cum alijs, quos citat.

Probatur prior pars, de qua eſt controuerſia: quia licet parens aut tutor curam & ius habeat cuſtodiendi virginem ſuam, ita vt poſſint ab ea excludere & arcere omnes de quibus timent, ne illius pudicitiæ inſidientur; proindeque iniuriam illis faciant, qui per vim parant ſibi acceſſum, aut contra parentis voluntatem abducunt, quæ ſpectant ad ſpeciem raptus: tamen dominium & ius in corpus virginis quoad vſum copulæ non eſt propriè penes parentem, ſed ſimpliciter competit virgini; ergò quando hæc ſuâ ſponte è domo parentum egreditur, & liberè concedit vſum corporis, ac permittit virginitatem violari, non apparet ſufficiens fundamentum, ex quo iſta violatio adferat ſecum peculiarem & tantam deformitatem quæ debeat cenſeri mortalis ſupra aliam ſimplicem formicationem, ſecluſis illis parentum incommodis, ſiue non habito ad illa reſpectu, quæ quodammodò per accidens comitantur aut ſequuntur ad eiuſmodi virginis deflorationem. 4

Confirmatur: quia ius, quod parenti in virginem competit, hîc non inuaditur aut læditur: quia nec vi, nec fraude (vt ſupponimus) inuadit is qui virginem deflorat, cuſtodiam, quam parens aut tutor adhibet, quæ propriè eſt ipſorum iuris & curæ; ergò in hac violatione nihil apparet, quod per ſe ſit iniurioſum parenti ſiue tutori: quia licet ius cuſtodiæ ad eos pertineat, tamen vti diximus, ius in corpus virginis, non habent magis, quam in corpus filiæ ſub eorum poteſtate exiſtentis iam priùs corruptæ: hanc autem ſi quis libere conſentientem inſcijs parentibus, cognouerit, nemo dixerit eiuſmodi fornicationem inuoluere particularem deformitatem mortiferam; ergò &c.

Poſterior pars, quòd ſcilicet aliunde ex circumſtantijs concurrentibus eiuſmodi virginis defloratio poſſit habere coniunctam aliam culpam mortalem, declaratur: quia ſolet inde parentibus ingens triſtitia obuenire, tum propter ſpem fruſtratam de honorabiliori matrimonio, tum propter dedecoratam ſuo modo familiam. Quæ incommoda, primò quidem & principaliter vitare tenetur ipſa puella: deinde quoque ille, qui eam, quamuis conſentientem violat: quia non illi licet cooperari in facto tali, atque 5

Digitized by Google

adeo ipſum actum exercere, vnde tanta incommoda alijs eueniunt. Quia tamen hæc quaſi per accidens ſequuntur (poſſunt enim non ſequi vt ſi ſtuprum maneat occultum) hinc fit, quòd talis defloratio non cenſeatur conſtituere ſimpliciter luxuriç ſpeciem particularis deformitatis, condiſtinctam contra fornicationem: ſed intra eius limites manere, licet in eadem ſpecie ſit grauior, quàm quæ committitur cum puella priùs corrupta, vt antè diximus. Sed contra iam dicta

6 Obijcitur: Congreſſus cum vxore alterius, licet ipſa conſentiat, eiuſque maritus, tamen inuoluit ſpecialem malitiam ſupra ſimplicem fornicationem: idque ideò, vt apparet, quia non poſſunt cedere iuri ſuo; ergò ſimiliter congreſſus cum virgine, quamuis ipſa conſentiat, imò & parentes eius, videbitur inuoluere nouam malitiam mortalem propter virginitatis ablationem, in qua non poſſunt hi quoque cedere iuri ſuo, ſicuti non poteſt quis cedere iuri ſuo, vt alter illi manum aut pedem tollat.

Reſpondetur: In adulterio, licet maritus & vxor conſentiant, dupliciter peccari: primò, quia eſt commercium carnale inter eas perſonas, inter quas non intercedit matrimonium: deinde peculiariter, quia contrauenitur vinculo matrimoniali, ex quo naſcitur particularis obligatio & in ipſis coniugibus non cognoſcendi aliam perſonam, præter illam, cum qua matrimonium initum eſt: & in alijs quoque ne quis cum vna ex illis carnale commercium habeat: Naſcitur, inquam, obligatio, non iure humano tantùm: ſed lege naturali & diuinâ, contra quam peculiariter peccant adulteri: neque partium conſenſus poteſt huic detrahere, ſicuti nec facere matrimonium ſolubile. Accedit, quòd peccetur ſimul contra bonum prolis, & Sanctitatem Sacramenti. Sed quando ſuo conſenſu ac parentum violatur virgo, tunc non peccatur in aliam legem, quàm in hanc, quâ prohibetur copula carnalis extra ſtatum matrimonij: nam ſeruare virginitatis integritatem per ſe non cadit ſub præcepto, quandoquidem licitè poſſit in eius amiſſionem conſentire per actum matrimonialem. Quamuis itaque peccet virgo, quia extra matrimonium admittit virum, non tamen contra legem aliam quæ ſpecialiter mandat ſeruare virginitatem, ſiuę ſimpliciter, ſiue vſque ad matrimonium, cùm corporis integritas ſeu virginitas etiam alijs modis abſque culpa poſſit amitti; vt oſtendit D. Auguſt. lib. 1. de ciuit. cap. 18. Quare nec eadem eſt ratio ablationis huius integritatis, & ablationis alicuius membri: quia non eſt illa omninò ſubſtracta dominio virginis, nec à natura data, vt perpetuò conſeruetur intacta; ſicuti ſe res habet in membris hominis. Quare non tantùm ſine iniuria puellæ, ſed etiam ſine peccato, in ſtatu matrimonij, ea tollitur abſque aliqua neceſſitate pro ſuppoſiti conſeruatione. Quod numquam in membris locum habet; quæ, quamuis dici poſſint reſcindi ſine iniuria hominis, quando conſentit, nunquam tamen ſine peccato, quando aliqua non ſubeſt neceſſitas. Quod autem corporis illa integritas dicatur ſeruanda honori matrimonij, non eſt res tanti, prout diximus, vt cenſenda ſit cauſare nouam ſpeciem malitiæ mortalis: nam etiam iuuenes maſculi meritò virginitatem ſeruare debent matrimonio, ſi ad illud tendant. Vnde monet Sapiens Prouerb. cap. 5. *Fili mi, ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli,* dehortans ſcilicet adoleſcentes à meretricijs commercijs: & tamen nullus idcirco iudicat primum actum fornicationis in iuuene importare aliam malitiam mortalem ſupra ſimplicem fornicationem.

Ex dictis licet colligere, eum, qui moroſis delectationibus indulſerit, non neceſſariò in confeſſione debere exprimere, ſe animo verſatum fuiſſe circa puellam virginem, licet etiam in amplexum eius deliberatè conſenſerit: quia non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, aut notabiliter aggrauans, ita vt debeat cenſeri addere nouam malitiam mortalem, niſi etiam animo fuiſſet paratus violentiam illi inferre, ſi occaſio ſe præſentaſſet; hoc enim explicandum foret. Similiter nec eum, qui cum puella virgine eſt fornicatus, ex neceſſitate debere exprimere illam circumſtantiam, quòd fuerit virgo, ſi ſine fraude & violentia, illa liberè conſenſit, & non alia incommoda parentum eius ſint aut putentur ſecutura. Tertiò, neque virginem de neceſſitate debere explicare, quòd hac ſuâ fornicatione amiſerit virginitatem, quando aliud incommodum non eſt adiunctum. 7

Dico itaque Tertiò: Tunc virginis ſtuprum demum addit ſpecialem deformitatem mortiferam, ratione cuius conſtituitur diſtincta luxuriæ ſpecies à ſimplici fornicatione, quando virgo violatur inuita ſiue abſque ſuo conſenſu. Ita DD. ſuprà citati & plerique alij recentiores: quod non aliàs ex hactenus dictis poteſt conſtare. Quod autem tunc, ſic declaratur: quia infertur virgini grauis iniuria contra ius, quod habet ad conſeruandam corporis integritatem & virginitatem; quæ omnium apprehenſione & iudicio magnum quoddam eius bonum cenſetur: quare libido eam violans & tollens citra illius conſenſum, meritò cenſenda eſt adferre nouam malitiæ mortalis ſpeciem 8

Obſeruandum verò eſt, à Doctoribus duplicem hic diſtingui vim: aliam propriè dictam & phyſicam, vt quando corporali

& externâ

Digitized by Google

& externâ violentiâ virgo opprimitur: alteram verò metaphoricè dictam, & quaſi moralem, quando ſcilicet importunis præcibus & ſollicitationibus, quibus nimium fatigatur, permittit ſe induci virgo in conſenſum copulæ: fieri enim poteſt, vt importunitas tanta ſit, vt puella magis eligat graue illud virginitatis detrimentum ſuſtinere, quàm aſſiduè tam improbâ ſollicitatione quodammodò enecari. Rariùs tamen preces & ſollicitationes iudicandæ ſunt vim attuliſſe, niſi fortaſſis adfuerit metus reuerentialis; vt ſi ſit dominus, aut vir magnæ authoritatis, cui nihil ipſa audeat recuſare, vel qui in alijs poſſit ei multum obeſſe. Alioquin enim poſſunt ordinariè virgines eiuſmodi moleſtas ſollicitationes excutere, quando abſolutè diſplicent, ſubterfugiendo nimirum ſollicitantis conſortium, &; ſi quandoque ſe ingerat, cum ſtomacho & amara dedignatione fortiter eum reijciendo, prout ſolent ac debent caſtæ virgines in tali occaſione agere. Quando autem hæc non adhibentur, quamuis videantur repugnare ab initio, tamen ferè contingit, quòd poſtea ſatis voluntariè ac liberè præbeant conſenſum. Cæterum dum importunitas eſt tanta, vt violentiæ quodammodò æquiparetur, tum haud dubiè ſtuprum illud ſpecialem quoque malitiam ſimplici fornicationi ſuperaddit, propter particularem iniuriam, quæ virgini infertur, quando tali importunitate eius virginitas tollitur.

9 Quæret aliquis: Quare potiùs violenta virginis defloratio referatur ad ſpecies luxuriæ, quàm ad iniuſtitiam? Reſpondetur breuiter, quia in illo actu finis principalis eſt libido: idcirco enim violentiam cum iniuria infert ſtuprator, vt libidinem expleat. Solent autem actus ſortiri denominationem peccati à fine potiùs, quàm ab obiecto proximo. Vnde D. Auguſt. docet eum, qui furatur, vt adulteret, potiùs eſſe adulterum, quàm furem. Quòd ſi verò inferret quiſpiam violentiam virgini non tam affectu libidinis, quàm iniuriandi ac dedecorandi puellam & familiam, actus ille potius diceretur iniuſtitiæ quam libidinis.

DVBIVM II.

Ad quid teneatur, qui virginem ſtuprauit?

10 RESPONDEO & DICO Primò: Si virgo liberè omninò conſentit in deflorationem, ad nihil in conſcientia illi obligabitur, qui eam defloraiuit. Ita communiter DD. & patet: quia obligatio reſtituendi, ſi quæ eſſet, naſceretur ex violatione iuſtitiæ, & ex iniuria illata: ſed qui copulam obtinuit à puella liberè conſentiente, non intulit iniuriam; quia ſcienti & volenti non fit iniuria, ergò &c.

DICO Secundò: Imò neque parentibus virginis, ſub quorum cura erat, in conſcientia obligabitur ad augendam puellæ dotem, quatenus hanc maiorem requirit iam corrupta, quàm exiſtens integra, vt ad æquale matrimonium poſſit elocari. Ita docent Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2. Toletus lib. 5. cap. 11. Sanch. lib. 7. de Matrim. Diſput. 14. & tamquam verius approbat Malderus, quamuis oppoſitum dicat eſſe probabile.

Probatur autem: quia per deflorationem in quam omninò liberè conſentit virgo, non committitur iniuſtitia aliqua contra parentem.

Confirmatur ex dictis Dubio præcedenti ad Concluſionem 2. quia licet parens habeat ius cuſtodiæ filiæ virginis, non tamen habet dominium eius corporis ſiue integritatis virginalis, ſed hoc eſt penes ipſam filiam. Quando igitur nec vi nec fraude, alter eam abducit extra cuſtodiam parentum, ſed liberè exiuit, & liberè permittit ſe corrumpi, non lædit hic ius proprium parentis, neque iniuſtitiam contra illum committit, ratione cuius debeat dici in conſcientia parenti obligatus ad tale augmentum dotis.

Confirmatur Secundo: quia quando ſine vi & fraude virgo liberè conſentit, cenſetur iuri ſuo cedere, quod habere poterat ad eas nuptias, quas fuiſſet aſſecuta, ſi virginitatem non prodigeret, atque adeò deflorantem liberare ab onere parandi ei conſimiles nuptias: ſed neque ipſa iure à parentibus poterit exigere dotem maiorem; non ergò apparet ratio, quare deflorator teneretur eo caſu parentibus illam ſupplere. Sed

Dices fortaſſis, Quod non tantùm filia 11
habeat ius ad tales nuptias, ſed etiam parens habeat ius elocandi filiam ad tales nuptias, quales ſimilis conditionis virginis ſolent aſſequi, quod corruptor filiæ impediuit aut deſtruxit.

Reſpondetur, parentem tantum poſſidere ius illud dependenter à voluntate filiæ: vnde per voluntatem filiæ poteſt illud amittere, non læſâ iuſtitiâ commutatiuâ.

Dixi, quòd non teneatur parenti ad augmentum dotis; quia ſi ſtupro euulgato ſequatur aliquod dedecus familiæ, non videtur ſtuprator liberandus ab onere reparandi honorem, quoad fieri poterit: quia licet filia principaliter cauſet hanc notam, tamen ipſe iniquè cooperatur, quando præuidet aut præuidere poteſt infamiam illam ſecuturam. Sunt tamen ex authoribus ſuprà citatis, qui ſtupratorem in dicto caſu etiam ab hac obligatione liberent.

Illud verò hîc obſeruandum eſt, frequen- 12
tius poſſe

Digitized by Google

tius poſſe contingere, quòd ſaltem ex charitate eiuſmodi defloratores virginum peculiariter eis teneantur ad aliqualē dotem. v. g. ſi illi potentes ſint & diuites, virgo autem deflorata pauperior, quæ ob amiſſam virginitatem & carentiam dotis ſeſe datura ſit viræ liberiori, ac proſtituet totaliter: tunc enim ad eiuſmodi mala præcauenda tenebitur haud dubiè ex charitate talis ſtuprator aliquomodo eam dotare. Cuius rei rationem meritò debent habere Confeſſarij, quando iſti caſus qui ſatis frequentes ſunt, in confeſſione occurrunt.

13 Dico Tertiò: In ſtupratores ſimpliciter & propriè violentos, iure ciuili eſt ſtatuta pœna capitis. Patet Inſtitut. De publicis Iudicijs. §. Sin autem: cui pœnæ adiungitur tranſlatio omnium bonorum ad puellam, ſi ea fuerit ingenua, l. vnica: C. De raptu virginum. Idemque extenditur ad bona ſodalium, comitum, auxiliatorum in tali ſtupro. Vbi hoc

Obſeruandum eſt: Quamuis in ordine ad reſtituenda puellæ damna, vel ad mulctam pecuniariam perſoluendam, Iura facilè præſumant virginem inuitam fuiſſe oppreſſam ſiue corruptam, in ordine tamen ad pœnam capitis, vel aliam ordinariam pœnam violenti ſtupratoris, iura non præſumere violentiam: neque credere virgini, aut parentibus, vti ex Iureconſultis Claro, & Baiardo tradit Malder. c. 4. dub. 3. Puellæ tamen de virginitate creditur, iuxta communem Doctorum ſententiam, ita vt præſumatur virgo fuiſſe, niſi pars probet contrarium. Clamando autem facit inditium violentiæ: at non clamando, ſi fuerit in ciuitate præſtat inditium conſenſus, ſicut & quando poſt factum diu tacuit. In agro autem oppræſſa præſumitur clamaſſe, vt videre licet Deuter. cap. 22.

14 Dico Tertiò: In foro conſcientiæ, qui vi vel fraude, aut talibus ſollicitationibus quæ vi æquiparantur, ſtuprum abſque promiſſione coniugij extorſerit, tenetur ad alterutrum horum, vel corruptam in matrimonium adſumere, vel alio modo damna reparare. Ita Silueſter V. Luxuria q. 5. Anton. 2. p. tit. 5. cap. 6. Nauarr. cap. 16. n. 16. & ſequentibus Pet. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 434. Azor. 3. p. lib. 4. c. 5. Molina Tomo 4. Diſp. 106. & alij complures.

Probatur quia puellæ per iniuriam eſt damnum illatum; ergo debet reſarciri iure naturæ. Hoc autem fieri poteſt, vel per adſumptionem ad matrimonium, vel per damni reparationem ſecundum æſtimationem iuſtam.

Dico, in foro conſcientiæ; quia in foro externo Eccleſiæ compelletur illam dotare & ducere in vxorem, vt patet ex Capitulis 1. & 2. de adulterijs & ſtupro.

Dixi quoque, ſi abſque promiſſione coniugij; quia ſi interceſſerit promiſſio, illa implenda erit, vt paulò poſt dicemus.

Petes: Quid ſi parens puellæ, vel ipſa non velit admittere matrimonium, quod ſtuprator offert, an hic tenebitur alio modo damnum reſarcire? 15

Reſpondetur, ſi vi corrupta fuerit, poteſt recuſare ipſius matrimonium, & exigere tantumdem, quanto eget amplius, vt liberè poſſit nubere cuiuis alteri, perinde ac ſi ſtuprum perpeſſa non eſſet: quod ſtuprator in conſcientia obligabitur præſtare.

Idem dicendum videtur, ſi fallaciter eam induxerit, ita vt cognitâ veritate meritò poſſit cenſeri inuita: v. g. ſi adoleſcens ſe fingebat nobilem aut valde diuitem, & talis non ſit: qui enim fingit aliquid propter quod illa conſentit, aliàs nullo modo conſenſura, manifeſtè iniuriam illi facit, quæ non compenſabitur per matrimonium, quando non eſt talis, qualem ſe exhibebat.

Petes Secundò: Quid ſi puella non velit admittere aliam reparationem damni, ſed vrgeat omninò matrimonium, an tenebitur illam ducere? 16

Reſpondetur, Si nec expreſſè, nec tacitè promiſerit, non tenebitur ante ſententiam Iudicis: ſed ſatisfaciet in conſcientia præſtando compenſationem damni illati. Vide Couar in 4. Decretal. p. 2. cap. 6. §. 8.

Dico Quintò: Si puella ſimilibus modis decepta, poſtmodum æquè commodis potita fuerit nuptijs, ſic vt nihil detrimenti acceperit, non tenebitur tunc corruptor ex multorum opinione, aliquid reſtituere, niſi forſitan iam interceſſerit ante nuptias puellæ, conuentio cum illo qui eam defloraueat. Ita Nauar. cap. 17. n. 19. Petr. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 451. Vaſquez De Reſtit. c. 3. §. 2. dub. 3. n. 8. Molina tomo 4. Diſp. 106. n. 11. Concl. 8. Leſſ. lib. 2. c. 10. dubit. 2. Bonacina ſup. n. 8. cum alijs, quos inſuper citat.

Probant: quia quemadmodum pro vita & membro præciſè non eſt aliquid reſtituendum, ita nec pro ablatione virginitatis: vtpote quæ ſint irreparabilia, & prætio non æſtimanda: ſed neque pro damno ſecuto, quia nullum reipſa detrimentum illa inde accepit, vt ſupponimus. Hinc è contrà alij, qui cum D. Thoma docent, aliquid etiam ex iuſtitiâ eſſe reſtituendum pro vita, aut membro, quamuis ad æqualitatem compenſari non poſſint, conformiter loquendo tenebunt, ſtupratorem ex iuſtitia obligari ad compenſandam ablatam virginitatem, iuxta arbitrium bonorum virorum, tametſi in ſe reſtitui non poſſit, neque omninò ad æqualitatem compenſari, ſi ipſa eiuſmodi compenſationem requirat. Ita præter Doctores ſupra citatos, tenent etiam Bar-

thol.

Digitized by Google

tholom. Medina in Summa lib. 1. c. 14. & Gom. n. 11. vt refert P. Nauarr. loco cit. & Clauis Regia lib. 11. c. 2. n. 29. vt refert Bonacina ſup. Vtraque opinio ſuam habet probabilitatem. Vide dicta ſup. Dubio iam citato.

17 Dico Sextò: Si promiſit coniugium & ea ſpe, ſeu conditione vſum corporis puellæ impetrauit, tenetur ſimpliciter illam vxorem ducere, etiam in foro conſcientiæ. Ita Petr. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 142. Lopez cap. 76. Bonac. ſup. n. 7. Malder. Dub. 5. & eſt communis doctrina. Probatur: quia hæc promiſſio eſt facta per modum contractus Do vt des. Quandoquidem igitur hæc ex parte ſua compleuerit contractum, etiam ille pro parte ſua tenetur complere, prout exteriùs iuxta iudicium prudentum ſonat & initus fuit. Quare non ſatisfaciet eam dotando, vel largis donationibus damnum reſarciendo, ſi ipſa non velit eiuſmodi admittere in matrimonij commutationem.

Quod & locum habet, ſi quis animo ficto contrahat cum virgine per verba de præſenti, ſolùm, vt eâ potiatur, vti tradunt Soto in 4. diſtinct. 29. q. 1. art. 3. & Adrian. q. 2. de Matrimonio, Leſſius ſup. dub. 3. & alij.

18 Obſeruandum verò eſt, aliquos excipi caſus à Doctoribus, quibus non tenebitur deflorator puellam ducere, ſed ſatisfaciet aliter damnum reparando. Primò, quando graue ſcandalum ex eo naſceretur: Nauarr. c. 16. n. 17. & Mald. ſup. Secundò, ſi ille valde nobilis ſit, & ipſa hoc ſciuerit: neque vllo modo eſſet paris conditionis, ita vt potuerit facilè ſuſpicari ipſum fictè nuptias promittere, vt eâ poſſit frui. Petr. Nauarr. ſuprà. Dico, & illa nullo modo paris ſit conditionis; quia ſi non admodum inferioris ſit conditionis, tenebitur illam ducere, vt ex Lopez & alijs tradit Mald. ſuprà. Addo, & ipſa hoc ſciuerit; nam ſi omninò ignoraret eius nobilitatem, ita vt ſecundùm exteriorem apparentiam non haberet occaſionem ſuſpicandæ fraudis vel fictionis, ſimiliter tenebitur ipſe eam ducere, ſi illa omninò velit, vt docet Pet. Nauarra loco iam cit.

Tertiò, ſi ex alijs circumſtantijs facilè potuerit puella aduertere, ipſum non ex animo promittere matrimonium: vt ſi inconſtanter loquatur, ſi nimijs vtatur exaggerationibus, ſi verbis ambiguis vtatur, vt non difficile fuerit fucum deprehendere: quando enim potuit ſuſpicari fraudem, non cenſetur decepta. Quartò, non tenebitur deflorator eam ducere, ſi aliquod impedimentum ſuperueniat; vt ſi fiat illi affinis, ſi ducat aliam per verba de præſenti, ſi ſacros ordines ſuſcipiat: quamuis iſta faciendo cum præiudicio puellæ grauiter peccaret. In iſtis tamen & ſimilibus caſibus, vt v.g. ſi grande incommodum ex matrimonio illo eſſet ſecuturum, tenebitur damnum alio modo compenſare. Denique ſi pater puellæ non velit matrimonium permittere: quo in caſu nec videtur teneri ad aliam compenſationem faciendam, ſiue ex animo ſiue fictè tantùm nuptias promiſerit, modò tamen iam ſit paratus eam ducere. Liberabitur quoque adoleſcens à ſua promiſſione, ſi contingeret illam poſtea cum alio fornicari. Ratio eſt, quia etiam in promiſſione ſponſalium cenſetur iſte caſus exceptus.

An verò in caſu hoc fornicationis de- 19
beret alio modo ſatisfacere, Quæri poteſt? Nonnulli exiſtimant ipſum teneri, ſi tantùm fictè promiſiſſet coniugium; non autem ſi ſincerè & ex animo; Alij abſolutè dicunt, ipſum ad nihil amplius teneri, quomodocumque matrimonium promiſiſſet: quod videtur verius, quia reparatio iniuriæ ſeu potiùs cōplementum contractus conſtitutum erat in futuris nuptijs. Quare dum ipſa ſuo vitio faciat, vt alter ad complementum illud præſtandum non teneatur, nulla videtur ampliùs reſtare obligatio: niſi tamē priùs, antequam fornicaretur, initum fuerit pactum de reſarciendo damno per pecunias, & de non contrahendo matrimonio. Sic quoque non tenebitur, ſi promiſerit nuptias puellæ, quæ diceret ſe virginem, & poſtea conſtet, non fuiſſe virginem: Lopez. 1. p. c. 76. Corduba lib. 1. Quæſt. 13. ſui Quæſtionarij dicto 3. quia ab illa fuit deceptus. Imò tunc ne quidem ad damna tenebitur, ſi ipſa ſe virginem eſſe mentita eſt, quando de nuptijs ſtipulabatur, vt habet Mald. ſup. Dub. 5.

Quod nonnulli etiam extendunt ad caſum, quo æſtimauerit eam eſſe virginem, & poſtea deprehendat non eſſe, quamuis ex eius verbis deceptus nō fuerit, ſaltem hactenus, vt non teneatur eam ducere. Ita Corduba dictâ q. 13. ſui Quæſtionarij, quia illa cauſa eſt etiam ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia. Volunt tamen, & meritò, hunc eſſe obligatum ad compenſationem alio modo faciendam, quia illa non decepit eum fraude aliquâ: Mald. ſup. Si verò ſciuerit eam non eſſe virginem, & tamen promiſerit matrimonium, ſiue ex animo ſiue tantum fictè ad obtinendam copulam, tenebitur illam ſibi matrimonio coniungere, ſi ita ipſa velit, quia ille deceptus non fuit, & ipſa ex parte ſua eſt obſecuta conditioni contractus. Ita Silueſter V. Matrimonium 4. q. 4. & Dominicus Soto in 4. diſtinct. 29. q. 2. artic. 3.

Quidam tamen ſentiunt illum non teneri 20
ad eam ducendam quando fictè tantùm promiſiſſet, & non ſequeretur notabilis infamia, eò quòd concubitus cum corrupta non videatur tantum mereri, vt debeat matrimonio

Digitized by Google

trimonio compenſari: ſed quod diximus apparet verius, & magis ſequendum.

Hoc autem inprimis hîc notandum, tunc puellam in hoc genere ſermonis cenſeri virginem, quando virum non cognouit, etiamſi fortaſſis, vel voluntate vel propriâ pollutione virginitatis virtutem amiſiſſet. Deinde Notandum, hæc intelligenda eſſe locum principaliter habere in foro conſcientiæ, quia in externo ſæpiùs quo ad illas obligationes aliter propter Iuris præſumptionem continget iudicari, ſicut ſuprà etiam indicauimus.

21 Petes, An is, qui vouerat ingredi Religionem, ſi poſtmodum puellam ſub promiſſione Matrimonij deceperit, poſſet eam ingredi? Nauarrus lib. 4. conſ. 1. cum alijs nonnullis, tenet, talem obligari ad Religionis ingreſſum, neque poſſe deceptam ducere. Fundat ſe in Capit. Rurſus: Qui Clerici vel vouentes &c. Sed contraria ſententia pœnè communis eſt, ſcilicet talem teneri ducere eam in vxorem, quam ſub ſpe & promiſſione matrimonij defloraiut.

Ratio redditur: quia voti impletio eatenus iam cēſetur illi facta impoſſibilis, quatenus abſq; alterius iniuria non poteſt ſeruari: ſicut qui alijs debitis eſt obnoxius, priùs ea ſoluere debet, quàm iuxta votum poſſit ingredi Religionem, dum ſpes eſt, quòd eis ſatisfacere poterit. Confirmatur à ſimili: quia ſi quis vouiſſet centum dare in eleemoſynam, & poſtea inferret alteri damnum tantæ æſtimationis, nec haberet aliunde, quo illud poſſet reparare, tenebitur illa centum etſi Deo vouerat, in reſtitutionem impendere: nec poterit votum perſoluere omiſsâ damni compenſatione; ergò ſimiliter hîc, cùm ratione damni illati ſit obnoxius puellæ, nec poſſit aliter ex æquo facere compenſationem, niſi contrahendo cum illa, tenebitur matrimonium contrahere, atque adeò etiam conſummare; cum alioquin non occurreretur ſatis damno ipſius puellæ quoad infamiam, & alia incommoda. Neque illa obligatur admittere aliam compenſationem; quia non tenetur ſubire infamiam quòd extra matrimonij ſtatum ſit ſpoliata virginitatis flore.

Hæc tamen intellige, ſi puella ignorabat eius votum, vt etiam monet Sanchez, quia ſi ſciuerit, non tenebitur alter abſtinere ab ingreſſu Religionis: imò ad eum tenebitur: quia puellæ ad matrimonium non erit obligatus, quandoquidem non bonâ fide cum eo quaſi contraxit de futuro matrimonio, cùm ſciret eum non poſſe licitè id promittere, nec præſtare.

Ad Capit. itaque, quod Nauar. allegat, Reſpondetur, non illud verſari in caſu noſtro: neque enim agit de eo, qui ſub promiſſione Matrimonij puellâ eſt potitus: ſed tantùm de eo, qui caſtitatem vouerat, & poſtmodum iurauerat quandam ducere. Quæret 22 aliquis, An tenebitur eo caſu petere diſpenſationem in voto ſuo ſimplici ſiue caſtitatis, ſiue Religionis? Reſpondetur, non videri id ſimpliciter neceſſarium, quia executio voti iam illi facta eſt illicita; nihilominus tamen conſulendum eſſe, vt petatur; quia alioquin, non poſſet exigere debitum, ſed reddere tantùm, quod valde periculoſum eſt in ſtatu matrimonij.

DVBIVM III.

An adulter teneatur aliquid reſtituere marito adultera pro iniuria, ſi nullus partus ſit ſequutus?

SVppono adulterum eo caſu non obligari ad aliquam reſtitutionem damnorum 23 realium, quia hæc præſupponuntur nulla ſecuta. Similiter neque teneri ad reparationem alicuius damni quaſi perſonalis, quod in perſona vxoris poteſt ſuſtinuiſſe maritus: quia illud quoque aut nullum aut exiguum eſt. Si tamen eſſet tale, quod cenſetur notabile: vt v. g. ſi nuptam ipſe defloraſſet ante matrimonij conſummationem, tunc iterum concurrit concertatio opinionum: quarum vna ſuſtinet pro eiuſmodi damnis nihil ex iuſtitia reſtituendum: quia ex æquo compenſari non poſſunt: altera verò dicit, eſſe faciendam reſtitutionem, quatenus fieri poteſt. Vbi relinquimus lectorem ſequi ſuum iudicium, quia vtrimque ſunt authores notabiles & rationes, vt ex ſuprà dictis conſtat.

DICO itaque Primò: Adulter, dum partus non eſt ſecutus, non obligatur pro iniuria marito illata aliquid reſtituere, loquendo de reſtitutione propriè dicta. Ita ſatis communiter DD. ſentiunt. Ratio eſt: quia iniuriæ ab omni damno ſeparatæ non debetur reſtitutio propriè dicta: ſed quædam ſatisfactio per veniæ petitionem, per ſigna doloris, aut ſimilem ſubmiſſionem & humilationem.

DICO Secundò: Nec huiuſmodi ſatiſfactio debet fieri niſi maritus factum nouerit. Malder. ſup. Dub. 8. & Leſſ. Dubit. 5. Et ratio eſt: tum quia hoc periculoſum foret, atque adeò animum mariti potiùs exarcerbaret, quàm placaret, vnde nec conſultum eo caſu foret: tum quia ſatisfactio pro iniuria, quæ aliud damnum non habet coniunctum, non exhibetur, niſi ſcienti & ſentienti ſe iniuriam perpeſſum.

DICO Tertiò: Quando maritus reſciuit factum, obligatur adulter in conſcientia ad præ-

Digitized by Google

ad præmiſſam ſatisfactionem illi exhibendã etiam ante omnem ſententiam, ſi exiſtimet eam fore gratam, & ab altero acceptandam. Ita Mald. ſup. & communiter DD. Et ratio eſt euidens: qui enim iniurioſè alterum læſit verbo aut facto, tenetur competenti modo illam læſionem reparare.

DICO Quartò: Si maritus forſitan pro eiuſmodi iniuria exigeret ſatisfactionem pecuniariam, non tenebitur adulter eam præſtare. Ratio eſt: quia iure prohibita eſt conuentio ſeu tranſactio pecuniaria pro iniuria adulterij, vt patet l. Tranſigere C. De tranſactionib. vbi dicitur, tranſigere vel paciſci de crimine capitali prohibitum non eſſe, excepto adulterio. Idẽ prohibetur l. Miles 11. D. Ad Leg. Iuliam De adulterijs: quod idcirco ius meritò vetuit, ne maritus videatur ex corpore vxoris quæſtum facere, illudque tamquam læno proſtituere: imò ne detur eis anſa id faciendi.

Notant tamen DD. priuatim & ſecretò, ceſſante lænocinij vitio & omni ſcandalo, non videri eiuſmodi aliquam conuentionem pro iniuria, quam maritus ſuſtinuit, fore illicitam, atque adeò habituram vim obligandi in foro cõſcientiæ; eo quòd iura hiſce tranſactionibus non videantur adimere vim obligandi naturalem, ſed tantùm negare ex eis actionem in foro contentioſo. Vide Sanchez lib. 11. Diſp. 8. n. 22.

DVBIVM IV.

An quid teneatur adulter quando ex adulterio proles nata fuerit?

25 DICO Primò: Non tenetur adulter ad compenſationẽ damni alicuius, quamdiu habet rationem verè probabilem dubitandi, an proles ſit ipſius. Ita Salon. 2. 2. q. 62. art. 6. Graff. lib. 2. c. 131. n. 36. Nauar. c. 16. n. 49. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. ſub finem, Mald. dub. 9. qui id deſumunt ex Cap. Dominus 2. De ſecundis nuptijs. Ratio reddi poteſt: quia melior eſt conditio poſſidentis. Quare quamdiu probabiliter quis dubitat, an verè ſubſit cauſa obligationis, non debet libertate priuari, & ad onus ſubeundum adſtringi. Et videtur hæc ſententia ſatis communis. Quãuis enim nonnulli dicant, ipſum teneri, quando probabiliter credit eſſe ſuam prolem, id tamen non tam generaliter erit accipiendũ, vt ſonat; ſed quando ita credit, vt nõ habeat probabilia argumenta de contrario. Fieri enim poteſt, quòd quis probabiliter exiſtimet eſſe prolem ſuam, & tamen habeat probabiles rationes exiſtimandi, non eſſe ſuam, cùm duæ oppoſitæ partes poſſint ſimul eſſe probabiles. Vnde tunc poteſt adhærere parti quę ſibi magis eſt fauorabilis.

26 DICO Secundò: Quando adulter agnoſcit eſſe ſuam prolem, aut certè non habet iuſtam rationem dubitandi, tenetur reſtituere ea, quæ impenſa ſunt in alimentationẽ prolis ab anno tertio, & deinceps, quamdiu parens ſaltẽ obligatur prolem intertenere. Ita communiter DD. quamuis ſuprà Soto dubitanter loquatur eâ de re. Sed probatur: quia tenetur pater ab anno tertio prolem alere, & deinceps, donec ſibi prouidere poſſit: à partu autem vſque ad annum tertium incluſiuè tenetur mater, vt ſumitur ex cap. 2. & finali De conuerſione infidelium, & ex l. Nec filiũ C. De patria poteſtate: & tradit Couar. De matrim. p. 2. c. 8. §. 6. n. 19. & alij paſſim.

DICO Tertiò: Si adulter ſuaſerit, aut procurauerit, vt adultera prolem ſuſceptam marito ſupponeret ſiue eſſe eius fingeret, tenebitur non tantũ de alimentis modo dicto, ſed etiã ad reſtituenda damna, quæ inde filijs legitimis aut veris alioquin hæredibus obueniunt. Nauar. c. 16. n. 48. Salon. ſup. & eſt cõmunis ſentẽtia. Ratio eſt manifeſta, quia ex ſuo facto & ſuo conſilio dedit cauſam dãno.

DICO Quartò: Idem dicendum eſt, quãuis adulter non ſuaſerit adulteræ eiuſmodi ſuppoſitionem, nec illam ſuppoſitionẽ peculiariter procurauerit. Ita quoque ferè DD. omnes Nauar. ſup. vbi ſimpliciter dicit adulterum, ſi credit, aut credere debet, eſſe ſuum filiũ, teneri ad damna reſarciẽda. Bonac. tom. 1 De ijs quæ pertinent ad vſum matrimonij. q. 4. puncto 15. n. 8. Azor. 3. p. lib. 5. c. 6. q. 2. Mol. Diſp. 101. n. 5. Leſſ. ſup. Dub. 6. Mald. Dub. 9. contra Dominicũ Soto ſup. vti apparet, & Henriquez lib. 1. De matrim. c. 21. 27

Probatur: quia tametſi adulter non ſuaſerit ſuppoſitionem prolis, tamen eſt cauſa, cur nothus ille veniat in æſtimationem prolis legitimæ, & in partitionem hæreditatis cum legitimis: idque iniquo modo, ſcilicet per iniuſtum commercium cum vxore aliena. Atque adeò ſatis illam prolem ipſe ſupponit, quando ex vxore marito cohabitante procreat: nam præſumitur ex cõiugio procreata proles, quę in cõiugio naſcitur. Et hinc patet reſponſio ad fundamentũ Henriquez & aliorum, contrà ſententiam. Accedit, quòd non ſatis æquum nec rationi conſentaneũ appareat, ita totaliter ſubleuare adulterum, & totum onus in adulteram reijcere.

DICO Quinto: Si contingat prolem exponi, & ali à domo Hoſpitali, tenetur adulter ad reſtitutionẽ ſumptuũ, quos domus in illa educanda expendit, modò ipſe non laboret egeſtate. Bon. ſup. n. 11. cum alijs. Idem locũ habet in alijs fornicarijs in ſimili caſu. Ratio eſt: quia domus Hoſpitalis inſtituta eſt ad alendos pauperes aut proles pauperũ. 28

Neque refert, quòd promiſcuè omnes proles, quæ inueniuntur expoſitæ, ſoleant à talibus domibus recipi: quia hoc fit miſericorditer, ne proles frigore & inediâ pereat dum

Digitized by Google

dum parentes ſeſe ob periculum infamiæ non audent manifeſtare: non autem vt liberentur parentes ab onere ſuſtentandi, quando media habent. Neque etiam difficile eſt, ſine periculo infamiæ recompenſare domui expenſas, quas ſuſtinet. Addit Molina Tomo 4. Tract. 3. Diſp. 103. & cum illo Bonacina ſup. n. 12. adulterum teneri etiam ad reſtitutionem pro tribus primis annis, quibus proles fuit expoſita, ne manifeſtaretur mater, vel pater: nam mater tenetur alimenta lactis tribuere tantũ, inquiunt, quando commodè poteſt tribuere. In hoc autem caſu commodè non potuit ob periculum infamiæ.

DVBIVM V.

Ad quid teneatur adultera, quando proles ex adulterio eſt ſecuta?

28 Respondeo & Dico Primò: Non tenetur adultera primò & principaliter ad ſumptus qui poſt tertium annum impendũtur proli, ſed ad eos proximè obligatur adulter, vt modò diximus: ipſo tamen deficiente venit illa in obligationem, quia & ipſa eſt cauſa iſtorum indebitorum grauaminum mariti.

Dico Secundò: Tenetur adultera æquè primò & principaliter atq; ipſe adulter ad reſarciēda damna, quæ prolibus legitimis, ſiue veris hæredibus obueniunt occaſione iſtius illegitimæ prolis, in hæreditate percipienda aut diuidenda. Ita quoque DD. cõmuniter.

Probatur: quia æque primò & principaliter poſuit cauſam iſtorum damnorum. Neque hìc ſubeſt ratio, quare pater adulter ad ea priùs teneatur, quàm mater adultera: ſicuti tenetur in ſumptibus alimentationis ferendis: quia hoc Iura ita ſtatuerunt; non item iſtud. Quare tenebitur illa, quantũ poteſt procurare ne legitimi hæredes inde damnum ſuſtineant, aut illud pro ſua parte reparare, & monere, vt adulter reliquum ſuppleat. Quod ſi non præſtiterit, debebit quantum poterit & ſuffecerit, totum compenſare: ſicut & adulter, ſi adultera deficiat aut non poſſit. Quare ſi hæc habeat parapherna: aut aliquid ex proprio labore, vel induſtriâ poſſit lucrari, tenebitur inde legitimis prolibus prouidere, & reparare damnũ, quod occaſione prolis illegitimę ſuſtinerēt. Diminuere quoque debebit ſumptus, quos circa ſe ſolet facere, quantum conditio ſtatus ſaltem permittit; vt ſic quoque hæreditas fiat maior, & aliquid legitimis prolibus amplius accreſcat, quàm alioquin fieret.

Monent hìc nonnulli, Si per iſta & ſimilia non poſſit ſufficienter occurrere damnis veri hæredis, quod debeat adlaborare, vt illegitima proles ingrediatur Religionem, ne in hæreditatem ingrediatur. Quod quidam non videtur improbandum, ſi proles ſit idonea ad Religionem, & videatur in eam propendere, atq; eò à Deo vocari: alioquin nullo modo propterea erit importuniùs vrgenda, & quaſi in Monaſteriũ protrudēda: vnde ſcandala, & multa incommoda ſolent ſequi: ſolent enim eiuſmodi nuptiæ, etſi ſpirituales ex obiecto, habere triſtes exitus.

DVBIVM VI.

Vtrùm ſi adultera ſimpliciter non valeat impedire damna legitimorum hæredum, teneatur crimen ſuum marito, vel alijs indicare?

Respondeo & Dico Primò: Nõ tenetur crimē aperire, quando nõ eſt moraliter certa, quòd aperiendo ipſa auertet damna legitimorum hæredũ. Ratio eſt: quia imprudenter ſe infamaret, quando nullā inde probabiliter & quaſi certò ſperaret vtilitatem. 29

Dico Secundò: Quamuis etiam certa ſpes eſſet per reuelationem criminis, damna temporalia mariti ac legitimi hæredis fore impedienda, non tamē obligabitur crimen ſuum patefacere, ſi inde periculũ vitæ, aut infamię illi immineret. De periculo vitę, eſt communis omnium Doctorũ ſententia. De periculo etiam famæ tenent plurimi, Caiet. 2.2.q.62. art.6. Scotus in 4. Diſt.15. q.2. Nauar. c.16.n.47.& 48.itē c.17.n.59. vbi fuſiùs id probat, Nauarra lib.2.c.4.p.2. dub.9.Bonac.ſup. Couar. ad Regulam Peccatum p.1.n.7. Innocent. Panor. & alij Canoniſtæ in Cap. Officij 4. De pœnitentijs & remiſſionibus, Medina Cod. De reſtit. q.3. Caſtro lib.2.De poteſtate legis pœnalis c.11. Mald.Tract.3.cap.4. dub.10. & alij contra Dom. Soto ſuprà & Adrianum q. 1. De reſtitutione §.ſed reſtat, qui & amplius docet, ſcilicet adulteram teneri crimen detegere, etiamſi non habeat probabilē certitudinem alicuius fructus, quia fortaſſis poſſit prodeſſe ad damna auertenda: ſed in eo non videtur habere ſequaces.

Probatur autem inprimis, quòd non cum periculo vitæ; quia vita nullo pretio temporali eſt æſtimanda: vnde vt rem pecuniariam reſtituat, numquam tenetur quis vitam prodigere, aut periculo exponere.

Addunt tamen multi, vt refert Malderus ſuprà dub. 10. ſi ſpurius eſſet malignæ indolis ac peruerſorum morum, agereturque de hæreditate Regni vel Prouinciæ alicuius, & ex eius dominatu timeretur mala Reip. adminiſtratio, & oppreſſio; legitimus verò eſſet melioris exſpectationis; quòd tum adultera 30

ultera teneretur etiam cum vitæ periculo impedire ſpurij ſucceſſionẽ. Verùm id non prouenit ex obligatione, quâ teneretur impedire temporale damnũ hæredis, ſed quia tenetur etiam cum periculo vitæ auertere malum Reipub. quæ quidẽ obligatio potiùs eſt ex lege charitatis, aut iuſtitiæ legalis, quã iuſtitiæ commutatiuæ. Azorius autem 3. p. lib. 5.c.6.& cum eo Mald.admittunt,eo caſu charitatem inclinare,vt adultera id faciat, non tamẽ exiſtimant obligare ſub pręcepto: poteſt enim eſſe, inquiunt, charitatis inclinatio abſq; obligatione. Sed ſi moralis eſſet certitudo de his duobus, quòd ſcilicet Reſpublica grauiter & iniquè eſſet opprimenda per ſpuriũ, ſi ad regimen perueniat: & quòd per manifeſtationem ipſe moraliter certò foret impediendus,putarem matrem ex pręcepto teneri auertere etiã cum periculo vitę tanta Reipub.damna, quibus ſuâ culpâ dedit ipſa cauſam: ſed caſus iſte eſt extra noſtram aſſertionem, vt diximus.

Nunc Probatur, quòd neque cum periculo famæ, Primò ex Cap. Officij ſuprà cit. vbi Pont.conſultus de quadam muliere,quę partum inſigni artificio ſibi ſuppoſuerat, an eſſet abſoluenda, cùm dolum ſuum timeret marito ſuo detegere? Reſpondit: Sicut mulieri, quæ ignorante viro de adulterio prolẽ concepit, quãuis id timeat confiteri (ſcilicet marito ſuo) non eſt pœnitentia deneganda, ita nec illi: ſed competens ſatisfactio debet iniungi per diſcretum Sacerdotem. Hic itaque Pontifex in genere loquens ſignificat eam, quæ ob aliquam iuſtam cauſam timet marito detegere ſuppoſitionem prolis, vt puta ob periculum vitæ, vel famæ,aut etiam perpetuæ offenſionis, non eſſe obligatam ad id faciendum.

Secundò probatur: quia fama eſt res ſuperioris ordinis, quæ iuxta regulam Scoti, Caietani, Nauarri, atque adeò ſatis communem, numquam neceſſariò eſt exponenda pro re ordinis inferioris, vt ſunt res temporales: quare dixit Sapiens Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.*

31 Obſeruandum autem eſt, Sermonem hîc eſſe de muliere,quæ apud omnes promiſcuè habetur pro muliere vitæ & conditionis honeſtæ: huiuſmodi enim propriè eſt bonæ famæ. Si enim ſuſpectæ ſit conuerſationis, vt eius fama Iudicio prudentum paruæ ſit æſtimationis, tunc poſſet habere locum ſententia Dominici Soto & quorundam aliorum, quos refert Bonac. ſuprà num. 20. qui dicunt damna obuenientia marito & legitimis hæredibus aliquando poſſe iudicio prudentum pręponderare,aut ęqualia eſſe famæ adulteræ: vt ſi agatur de magna & notabili hæreditate, & tunc eam teneri cum periculo famæ factum ſuũ manifeſtare,ſi credat probabiliter quod ſic damna impedientur. Quod tamen non videtur admittendum, quando mulier abſolutè & ſimpliciter poſſidet bonam famam, vt tenet Leſſius lib. 2. c. 11. Dubit. 7. n.57. & alij.

Obſeruandum præterea, Si maritus eſſet vir valde bonus & prudens;ſimiliter & filius illegitimus, ita vt rem ſilentio ſint compreſſuri, nec ideo mulierẽ odio ſint proſecuturi aut affecturi probris: quòd non cenſebitur tum ipſa ſe infamare,quamuis crimẽ illis aperiret. Vnde quando adeſſent hæ circumſtantiæ, & ſimul probabilis ſpes auertendi damnum veri hæredis, teneretur mulier crimen ſuum manifeſtare: ſed moraliter iſta vix vmquam occurrunt.

Quæret aliquis, Vtrum ſpurius teneatur in conſcientia credere matri, dicenti illum eſſe ſpurium? Reſpondetur ordinariè non teneri, etiãſi quoq; iuramento id confirmet, aut in mortis articulo aſſeueret. Ita Mald. ſuprà dub. 10. Sylueſt. V. Adulterium n. 5. Banneſ.2.2.q.62.art.6. Suarez tomo 5. De Cenſ.Diſp.50.ſect.4. Azor.3.p.lib.3.c.6.q. 5.& alij, quos citat & ſequitur Bonac. n.22. Et ratio inprimis eſt, quia iura indicant matri non eſſe ea in re fidem adhibendam, vt patet l. Miles 11. D. Ad Leg. Iuliam de adulterijs, & l. Filium 6. De his quæ ſunt ſui vel alieni iuris. Deinde quia alleganti ſuam turpitudinem nulla debetur fides, vt habet Regula iuris: quæ maximè locum habet, quando id cedit in alterius præiudicium. Vide Gloſſ. ad Cap. Officij De pœnitentijs & remiſſ. 32

Huc accedit, quòd mulierum ingenium tale eſſe ſoleat, vt frequenter vnam prolem ament nimiùm, & alteram habeant exoſam. Vnde nec tenebitur in conſcientia à ſe hęreditatem abdicare, propter tale dictũ matris.

Hinc infert vlteriùs Bonac. Confeſſarium debere vti magnâ prudentiâ, ne vltra modũ vrgeat adulteram in articulo mortis ad detegendum ſuum crimen: tum quia filius non teneatur credere: tum propter alia grauia incõmoda, quæ inde ſunt nata ſequi: tum quia rarò ad quidquam proſit detectio adulterij. Quare ſentio ne quidem eſſe conſulendum, niſi valde moraliter certum eſſet ex pluribus circũſtantijs, quod ſine alijs grauioribus incõmodis ſic poſſent auerti damna, quæ alioquin legitimis hæredibus ſunt obuentura.

Addit ille ex Azorio & Henriquez neque conſulendũ eſſe, vt adultera detegatur poſt mortem per confeſſarium, de ipſius ſcilicet conſenſu dato: quia periculum ſit,quòd proles adulterina, vel Confeſſarius ipſe occidatur, inquit. Præterea haberetur violator ſigilli confeſſionis, & etiam iniquæ diffamationis: niſi forſitan per ſcripturam & ſignaturam defunctæ ſe poſſet defendere.

Dixi, ordinariè, quia ſi proferentur eiuſmodi argumenta conceptus adulterini, qui-

Digitized by Google

bus ſpurius in conſcientia conuinceretur ita eſſe, puta quia paterfamilias tempore conceptus abfuiſſe ſatis oſtenditur; vel quia, vt habet citata l. Filium, interueniente infirmitate, aut alia de cauſa tunc demonſtretur abſtinuiſſe ab vxore; vel eâ valetudine fuiſſe, vt generare non potuerit, teneretur abſtinere ab hæreditate, & ſeruare veros hæredes indemnes, vt notant Bonac. ſuprà & alij DD. Sed ſi paterfamilias vixerit tempore partus, non apparet, quomodo ſpurius poſtea conuinci poterit, aliquid iſtorum ſubfuiſſe, cùm haud dubiè maritus ea facilè animaduertiſſet, & prolem ab initio tamquam illegitimam reſpuiſſet.

TRACTATVS TERTIVS,

De iniurijs circa bona temporalia, ſiue bona fortunæ: & de neceſſaria in his reſtitutione.

CAPVT PRIMVM

De furti, & rapinæ ratione & differentia, & qualem importent culpam.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Furtum? & quomodo à Rapina diſtinguatur?

1 RESPONDEO & DICO Primò: Nomen Furti, quemadmodum & Rapinæ, aliquando valde generaliter ſumitur: & ſic generaliſſimè ſumptũ definiri poteſt, Eſſe iniuſta acceptio, & vſurpatio rei alienæ. Quo pacto iuxta Aug. lib. 2. qq. ſuper Exod. q. 7. accipitur in ſeptimo Præcepto Decalogi, quãdo dicitur, *Non furtum facies*: Non enim rapinam permiſit, inquit, qui furtum prohibuit. In eadem generalitate vſurpat idem Auguſt. nomẽ rapinæ dum ſcribit: Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti, vt refertur Cauſa XIV. qu. 4. Cui generali ſignificationi accommodari poteſt definitio illa Furti, quæ habetur l. 1. D. De furtis: vbi dicitur eſſe cõtrectatio rei fraudulоſa lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel etiã vſus, poſſeſſioniſve: explicando ſcilicet illam contrectationẽ fraudulоſam, pro cõtrectatione iniuſta. Vide Nauar. c. 17. n. 1. vbi hanc definitionẽ explicat.

DICO Secundò: Furtum tam latè acceptum diuidi poteſt in furtum Occultum, Violentum, & Fraudulentum.

Furtum Occultum, quod propriiſſimè furtum dicitur & communiter furti nomine ſolet intelligi, definitur à Theologis Eſſe occulta rei alienæ ablatio, inuito domino: D. Th. hîc q. 66. art. 3. Arrag. ibid. Soto lib. 5. qu. 3. art. 1. Molina tomo 2. Diſp. 68. num. 16. & alij paſſim. Addunt nonnulli, & iniuſta; ſed non videtur id neceſſarium, quia iniuſta ſatis in alijs partibus continetur: nihil tamẽ vetat maioris explicationis causâ addi.

Habet autem dicta definitio tres partes principaliores. Prima eſt, ablatio ſiue acceptio occulta. Vbi acceptionis nomine intelligitur quoq; detentio, quæ inſtar acceptionis eſt: quia acceptio & accepti detentio, concurrentibus ijſdem circumſtantijs & actionibus, cenſentur moraliter eadẽ actio. Vnde ſi quis id, quod etiam iuſtè accepit, v. g. commodatò, aut quod inueniendo apprehendit, poſtea iniquè detineat, ſcilicet tempori & loco non reſtituendo, committit furtum: quia perinde facit ac ſi tum iniuſtè primò acciperet: vt habet D. Th. loco cit. in Reſp. ad 2.

Additur, occulta, vt diſtinguatur à Rapina propriè & ſpecialiter dicta: hæc enim nõ fit domino inſcio, ſed ſciente & reluctante quantum in ipſo eſt. Quod autem dicitur occulta, intellige, ſcilicet ex intentione accipientis. Vnde ſi quis rem alienam auferret, domino quidem vidente, ſed hoc auferens ignoraret, committeret furtum, non rapinã.

Dicet

Dicet aliquis: Non videtur crimē ſumere ſpeciem, aut ſpecificam diſtinctionem ex eo, quod ſit occultum aut manifeſtum; ergò non rectè conſtituitur ſpecialis ratio furti in hoc, quod occultè fiat.

Reſpondetur: Quando eſſe occultum eſt cauſa peccati, vt dum quis vtitur occultatione ad peccandum, tunc conſtituit ſpeciem peccati. Si quis autem vtatur tantum ob verecundiam aut pœnam vitandam; erit circumſtantia dumtaxat peccati, vt habet D. Th. loco cit. ad 1. quæ ratio ſuppleri & perfici poteſt ex ijs, quæ habet idem Th. art. 4. in Corpore & ad 1. eadem q.& art. 9. quod ſcilicet furtum & rapina habeant rationem peccati, quia acceptio eſt inuolūtaria ex parte eius, cui aliquid aufertur, ſiue quia fit inuito. Vnde ſecundū diuerſam rationē inuolūtarij, quæ in vno & in altero reperitur, poſſunt illa ſpecie diſtingui. Iam verò acceptio occulta cauſat aliam inuoluntarij rationem in eo, cui aufertur, & aliam cauſat acceptio manifeſta: quia alia eſt ratio inuoluntarij propter ignorantiam, & alia eſt propter violentiam: & inde naſcitur ſpecifica diuerſitas inter furtum & rapinam.

Secunda pars definitionis datæ eſt, acceptio rei alienæ: nam acceptio rei propriæ, quæ eſt apud alium, non eſt furtū, quatenus ſaltē eſt acceptio rei ſuę: quamuis poſſit eſſe, quatenus res illa eſſet alteri oppignorata, aut accomodata, vt notat Bonac. Tomo 2. De Reſtit. in particulari Diſp. 2. q. 8. puncto 1. ex Filuccio: tunc enim aufertur illi ius ſuū, quod habebat in re illa pro ſua ſecuritate vel ad vſum illius rei cōmodatę. Simili modo committeret furtū, qui acciperet rem cuius quidem haberet dominium & proprietatem, ſed alter vſumfructum aut vſum.

3 Res autē aliena hîc propriè dicitur, quæ ab alio poſſidetur vero dominio, aut quaſi dominio: prout etiam res incorporales, vt Iuriſtæ vocant, poſſidentur, ſicuti ſunt iura, ſeruitutes, cēſus. Atque ita propter hanc particulam non dicitur committere furtū propriè dictum, qui capit vel abducit hominem liberum, v.g. vxorem, aut filiam alterius; quia adhuc ſenſum homo liber non eſt propriè res aliena, quia nō habet homo liber dominum à quo poſſideatur: Dicitur verò talis committere propriè crimen plagiatus, ſi ſurripiat, vt vendat, vel ſibi in mancipiū ſeruet; generaliter tamē & minus propriè loquendo poteſt dici committere furtum. Quod ſi abducat tantùm ad libidinosè fruendū perſonā, tum dicitur crimen raptus. Si autem abducat alterius mancipium, vt vendat aut ſibi ſeruiat, erit verum & propriè dictum furtum, quia mancipium eſt quaſi pecunia domini, & proinde eſt acceptio rei alienæ.

Per eandem ſecundam partem excludi poteſt damnificatio, quam abſque proprio commodo, ſiue abſque applicatione rei alienæ ſibi facta, quis alteri occultè infert: vt dum quis domum alterius, aut ſegetes occultè incendit: quia non eſt propriè loquendo acceptio rei alienæ, ſed tantùm eius deſtructio: vnde neque talis eo nomine ſolet fur appellari.

Tertia pars definitionis eſt, inuito domino; quia ſi quis exiſtimaret ex iuſta aliqua ratione, non diſplicere domino illā acceptionē rei, non committeret furtū, quamuis occultè acciperet; eò quod propter verecūdiā impediatur petere; cōſentienti enim non fit iniuria. Vide Syluest. V. furtū q. 1. Bonac. ſup. 4
In eo autē, quid dicitur, inuito domino, intellige ſcil. rationabiliter. Vnde qui in extrema neceſſitate conſtitutus aufert rem alienam non conſentiente, ſed diſſentiente domino, non committit furtum; quia dominus non eſt rationabiliter tum inuitus. Idem (ait Bonac.) de illo, qui libros hæreticos aufert ab eo, qui non habet facultatem legendi, ne illos legat: & de eo, qui gladiū aufert alicui, ne alterum iniuſtè occidat; hoc tamen intellige, quando conſtat, quod iam alteri mortem machinetur. Excluduntur per eandem particulam etiam iniuriæ quædam, quę committuntur in contractibus: nonnullæ quidē; quia non fiunt domino ſimpliciter inuito, vt vſuræ quæ accipiuntur ratione mutui; nonnullæ verò; quia non propriè videntur eſſe rei alienæ ablationes occultæ: ſic enim defraudans in contractibus non tam intendit rem alienam tollere, quàm cupiat vt dominus non aduertat iniuſtitiam contractus.

Addunt nonnulli, quòd ſit acceptio rei mobilis & corporalis, vt Syluest. V. Furtum: & videtur ſe fundare in §. Quod autem dictum eſt, Inſtitut. De vſucapionib. Sed ex cōmuni ſententia Theolg. melius iſta omittuntur: nam poteſt quoque agri alieni furtū eſſe dum inuaditur: & poteſt quis alterius iura occupare furtiuè. Obſeruandum tamen, quod ſicuti iſta in Iure diuerſa habent nomina, ſic etiam diuersâ actione debeant repeti: ſed cum in foro conſcientiæ eodem modo de iſtis fur ſit impellandus, ideo apud Theologos non eſt neceſſe ſic multiplicare voces, vt notat Mald. tract. 4. c. 1. dub. 1.

D. Thomas q. citatā prætermiſit partem illam, inuito domino: veriſimiliter quia cenſuit, alienum non accipi, quando domino conſentiente accipitur: quod quodam ſenſu non prorſus incommodè dici poteſt. Petes, 5
Vtrum, ſi quis vidente & non contradicente domino, rem eius auferat, dicatur committere furtum, & teneri ad reſtitutionem?

Reſpondetur affirmatiuè, ſi dominus taceat ex metu, aut verecundia, vt ſæpè cōtingit, quando potentiores auferunt res quaſdā inferiorum, aut ſubditorum: tunc enim dominus

Digitized by Google

minus eſt initus l. penult. D. De furtis: ſecus ſi taceat abſque metu aut occaſione verecundiæ: nam tunc non cenſetur dominus inuitus Cap. Error Diſt. 23. Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 379. Syluest. ſup. Azorius 3. p. c. 5. n. 11. Bonacina ſuprà.

Furtum Violentū ſiue Rapina ſpecialiter accepta, eſt Violenta rei alienæ acceptio domino inuito, ſcilicet ipſo vidente aut ſciente, nec valente impedire.

Conſtat hæc definitio ſatis ex ijs, quæ hactenus diximus. Ex quibus etiam facilè intelligitur, quomodo furtū & rapina vtrimque ſpecialiter ſumpta diſtinguantur: quòd ſcilicet rapina includat violentiam, quæ fit domino præſente & vidente, ſiue ijs ſaltem qui curam rei habent: quam violentiam furtum excludit. Ideoq; rapina nouam rationē inuoluntarij in domino ponit, & conſequenter diſtinctam iniuriæ rationem, vt antè ex D. Thoma indicauimus. Quare rapina eſt peccatum grauius, quàm furtum occultum, cæteris nimirum paribus, vt docet D. Th. q. citatâ art. 9. Caiet. ibid. & paſſim alij. Vnde ſi quis etiam animo tantùm ſic fuerit affectus, vt, quod clanculum auferebat, violentè fuiſſet ablaturus, ſi aduenſſet dominus & impedire voluiſſet, reus cenſendus erit, nō tantùm furti, ſed rapinæ: quòd proinde in cōfeſſione tenebitur explicare. Idque potiori ratione habet locum in eo, qui rem aufert in præſentia domini non reluctantis ideò, quia videt alterum paratū ad violentiam, cui non poſſit reſiſtere. Si tamen fur ignoret præſentiā domini, nec cogitet inferre violentiam, dominus autem rei videat & fugiat terrore vano perculſus, non cenſebitur crimen rapinæ, ſed furti tantùm.

6 Furtum Fraudulentum ſpecialiter acceptum dicitur, quando quis dolo alterum circumuenit, & ſub ſpecie iuſtitiæ rem alterius ſibi vindicat. Tale furtum committunt, qui in mercibus emendis aut vendendis fraudes adhibent; vt quando infra iuſtum pretium emunt, aut ſupra illud vendunt: rurſum quando merces corruptas pro integris diuendunt: item quando vtuntur iniquo pondere, aut menſura &c.

Ex dictis facilè eſt colligere, quænam Furti generaliter accepti ſint quaſi ſpecies, ſcilicet Furtum ſpecialiter omninò dictum, Rapina, & Furtum fraudulentum: quamuis & hoc non tam ſpecificâ ratione, quàm connotato videatur differre à furto ſpecialiter dicto; cum quo proinde poſſit ſimul comprehendi. Nam in iſtis non apparet diuerſa ratio inuoluntarij ex parte eius, qui iniquè priuatur re ſua, & proinde nec diuerſa ratio iniuriæ: ſiue enim occultè per fraudulentum contractum, ſiue occultè per ablationem rei quis priuetur ſuis, parùm videtur facere ad mutationem inuoluntarij, & iniuriæ quam patitur. Licet interim iniuſtitia in contractu commiſſa non ita cōmuniter appelletur nomine furti; ſicut nec illi qui committunt, ita communiter vocentur fures, ſed potius generali nomine homines iniqui & iniuſti.

Porrò furti ſpecialiter dicti poſſunt vlteriùs aſſignari quędam ſpecies quaſi accidentariæ, quæ non tam differunt in ratione iniuſtitiæ, quàm in ratione materiæ aut alterius accidentis. Eiuſmodi ſunt v. g. Peculatus, quando quis diripit ærarium communitatis: Sacrilegium, quando quis occultè aufert rem ſacram, vel res profanas ex loco ſacro. Huc etiam quidam referunt Plagium, quo abducitur homo liber in ſeruitutem; ſed, vt ex antè dictis conſtat, nō rectè ponitur inter eiuſmodi ſpecies furti, niſi forſitan furti analogicè accepti: quia homo liber non eſt res quæ dominio aut quaſi dominio poſſidebatur.

DVBIVM II.

Quale peccatum ſit furtum?

RESPONDEO & DICO Primò: Furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Ita D. Th. q. 66. art. 6. & alij omnes communiter. 7

Probari poteſt Primò ex Scripturis: Eccleſiaſtici cap. 34. *Qui aufert in panem ſudore* (ſiue *in ſudore partum*, iuxta illud: *In ſudore veſceris pane tuo*) *quaſi qui occidit proximum ſuum*: Zachariæ cap. 5. *Omnis fur iudicabitur*; vel vti LXX. legunt, *Omnis fur vſque ad mortem iudicabitur.* Item Ieremiæ 7. furtum & homicidium & adulterium, & periurium copulantur, & ſimul reprehenduntur. Iſaiæ cap. 1. arguuntur principes infideles & ſocij furum. 1. Petri cap. 4. *Nemo veſtrûm patiatur* (inquit Apoſtolus) *vt homicida, aut fur, aut alienorum appetitor*: & 1. ad Corinth. 6. *Neque rapaces, neque fures regnum, Dei poſſidebunt.* Ex quibus omnibus ſatis conſtat, furtum ex genere ſuo eſſe graue & mortale peccatum. Idem indicant Canones: vide Can. vlt. Cauſa XIV. q. 6. & Capit. Fures De furtis.

Probatur Secundò ratione: quia furtum adfert proximo nocumentum, quod eſt & contra iuſtitiam, & contra charitatem proximo debitam; ergò &c.

DICO Secundò: Fieri tamen poteſt, quòd furtum ſit tantùm veniale peccatum: Idque ex duplici capite, videlicet vel propter materiæ paruitatem, vel propter indeliberationem actus: Ita communiter DD. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. Arragon. ibidem, Soto lib. 5. q. 3. art. 3. Nauarr. c. 17. n. 3. Med. Cod. De Reſt. q. 4. Syluest. V. Furtum q. 2. Couar. lib. 1. Var. reſol. c. 3. n. 12. Bonac. ſup. cum alijs, quos citat. contra Gabrielem in 4. diſt. 15. q. 3. notabili 8

Digitized by Google

tabili 5. vbi docet etiam furtũ rei paruæ ſufficienter deliberatum, quod fit animo poſſidendi rem alienam, eſſe mortale.

Probatur Concluſio, & in primis pro priori parte, quam oppugnat Gabriel: quia in tali furto non eſt notabilis læſio proximi: & poteſt fieri, quod ex parte eius qui furtum illud committit, non ſit aliquis affectus lædendi grauiùs proximum in bonis ſuis: non apparet igitur, vnde tanta grauitas culpæ ibi reperiatur, vt debeat mortale peccatum cenſeri.

Quod ad partem poſteriorem attinet, poteſt illa frequentiùs quidem locum habere in actibus interioribus, ſcilicet in voluntate furandi, quæ nondum exit in actum externum; hæc enim poteſt faciliùs ſubrepere & eſſe abſque plenâ rationis aduertentia: nihilominus tamen poſſet quoque contingere, quòd aliquando quiſpiam abſque ſufficiente conſideratione rem aliquam alterius de facto auferat: vt dum alicui, qui ad furandum valde eſt procliuis, ſubitò offertur inſignis furandi occaſio, fieri poteſt, quòd ex quadam indeliberatione rem alienam animo auferendi apprehendat.

9 Contra priorem autem partem pro opinione Gabrielis

Opponitur Primò: Sola concupiſcentia rei alienæ, quæ nihil detrimenti proximo infert, poteſt eſſe peccatum mortale; ergò & ablatio rei alienæ modicæ, ſi deliberatè & animo poſſidendi rem alienam fiat, erit peccatum mortale, tametſi non magnum, ſed exiguum inferat nocumentum.

Confirmatur Primò ex D. Th. q. citatâ art. 6. ad 3. vbi ſic ſcribit: Ille qui accipit, poteſt præſumere, hoc non eſſe contra voluntatem domini, & pro tanto, ſi quis furtiuè huiuſmodi rem minimam accipiat, poteſt excuſari à peccato mortali. Si tamen animum habet furandi, inquit, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale.

Confirmatur Secundò ex dicto Can. vlt. XIV. q. 16. deſumpto ex Comment. D. Hieronymi, ſuper Epiſt. ad Tit. c. 2. vbi dicitur, furtum non tantum in maioribus, ſed etiam in minoribus iudicari; non enim id quod furto ſublatum eſt, ſed mentem furantis attendi; ergò &c.

10 Reſp. Neg. Conſeq. Neque enim nos dicimus ex ſolo detrimento actualiter ſecuto malitiam furti, ac culpæ quantitatem eſſe æſtimandam: ſed & ex affectu iniuſtitiæ in mente accipientis, illa eſſe iudicanda: nam cupiditas quæ eſt in mente, eſt fundamentum iniuriæ & omnis mali, vt ſignificat Apoſtolus Petrus loco ſup. cit. quando dicit, *Aut alienorum appetitor*: Iam verò vbi ſola concupiſcentia rei alienæ eſt, poteſt eſſe magnus affectus iniuſtitiæ & inferendi magnam iniuriam ſiue nocumentum proximo, qui proinde adferat culpam mortalem. In ablatione autem rei alienæ modicæ, neque adeſt de facto magna iniuria ſiue nocumentum proximi: neque ex illa ablatione conuincitur adeſſe affectus magnum nocumentum inferendi: quia auferens ſic animo poteſt eſſe conſtitutus, vt nullo modo vellet notabile detrimentum aliquod inferre proximo.

Ad priorem Confirmationem Reſpondetur, verba D. Thomæ rectè in hunc poſſe ſenſum exponi, quod ſcilicet tunc in talibus minimis poſſit eſſe peccatum mortale, quando quis habet animum furandi abſolutè, & inferendi quomodolibet nocumentum proximo, ita vt tantùm per accidens contingat, reſpectu affectus & voluntatis talis, quod auferat dumtaxat parua: quia nimirum auferendi maiora non ſe offerebat occaſio: vti eum explicat Arragon. in illum locum. Qui ſenſus ex eo videtur poſſe ſtatui, quod D. Thomas addat: Sicut & in ſolo cogitatu, per conſenſum ſcilicet, poteſt eſſe peccatum mortale: quo indicat ſe reſpicere ad affectum furandi, quem ſupponit abſolutum tam in ordine ad rem magnam quàm paruam, prout ſe offert occaſio. Alij tamen nonnulli exponunt D. Thomã, quod loquatur de rebus paruis, ex quarum ablatione conſequitur maius detrimentum aut incommoditas eius, à quo auferuntur, ſicuti ex ablatione pennæ, vel acus poteſt contingere, de quibus procedit argumentum: ſed videtur expoſitio prior eſſe magis ſolida & conueniens. 11

Ad poſteriorem Confirmationẽ Reſpondet Nauar. in dictum Canonem, quòd D. Ieronymus velit furem iudicari, non tantùm in maioribus, ſed etiam in minoribus, pro tanto, quod ſcil. vtrobiq; reuera ſpecies furti reperiatur. Alij autem dicunt eum loqui, quando animus non deeſt furandi maiora, ſed tantùm omittit, quia res maiores auferendi non adeſt occaſio, ſicuti etiã explicuimus verba D. Th. Et hæc explicatio videtur magis ad mentem Hieronymi: & ſatis ſignificatur per hoc, quod additur: Non enim id quod furto ablatũ eſt, ſed mens furantis attenditur, vt benè obſeruauit Arrag. ſuprà.

Addunt dictis quidam tertium caput, ex quo contingat furtũ eſſe aliquando veniale tantùm, quando ſcilicet dominus non eſt inuitus quoad ſubſtantiam rei acceptæ, ſed ſolùm quoad modum: vt quando dominus ægrè fert rem, quæ aufertur, non peti, vel accipi ad ludum, vel ad aliquem vſum ei minùs gratum. Ex quo fit (inquit Bonacina De Reſtitut. in particulari Diſp. 2. q. 8. puncto 1. n. 6.) vt vxor clam aliquid accipiens à marito, filius à patre vel auo, nepos à patruo, ſæpiùs excuſentur à mortali, quan- 12

do veroſimiliter ex iuſta cauſa creditur dominus conceſſurus, ſi peteretur: quod prætermittunt vel propter aliquam verecundiam, vel propter moroſitatem quam parentes vel maritus ſolent oſtentare, quando petitur, etſi interim concedant; quia tunc non cenſetur inuitus dominus quoad ſubſtantiam, ſed quo ad modum tantùm: quod & plures alij cum ipſo tenent, quos loco citato allegat: & rectè quidem: ſed non committitur tunc furtum propriè dictum, vnde non ſolet tertium hoc caput paſſim exprimi.

13 Principalis autem hîc occurrit difficultas circa determinationem quantitatis, quæ ad peccatum mortale, per ſe loquendo, requiritur.

Antiquiores Scholaſtici videntur reliquiſſe eam quantitatem iudicio prudentum determinandam, pro diuerſitate circumſtantiarum: ad quos ſatis accedit Bonacina loco cit. n. 7. vbi conſtituit quattuor genera hominum, à quibus contingit aliquid auferri: & ſecundum diuerſitatem mediorum ponit diuerſam quantitatem furti requiſitam, vt ſit peccatum mortale. Poſteriores autem plerique eò videntur inclinari, quod ſimpliciter ſtatuenda ſit aliqua determinata quantitas, quæ per ſe loquendo ſit requiſita & ſufficiat ad malitiam peccati mortalis in furto, à quocumque res auferatur. Ita Nauar. ad Can. finalem ſuprà citatum, & in Enchiridio cap. 19. n. 4. Barth. Medina. 1. 2. q. 88. art. 4. Toletus lib. 5. c. 16. Arragon. ad q. 66. art. 6. Et Soto lib. 5. q. 3. art. 3. aſſerit ſimiliter eſſe quandam quantitatem, quæ ſufficiat ad mortale, à quocumque res auferatur; ſed minorem aliquam poſſe conſtituere peccatum mortale, etiam in ſpecie furti propriè dicti, ſi auferatur à mediocribus vel pauperioribus.

14 Cæterùm valde variant in aſſignanda huiuſmodi quantitate, quæ per ſe loquendo conſtituat furtum mortale. Nauarrus locis citatis videtur æſtimare, medium regalem ſufficere. Alij requirunt regalem vnum: alij regalem cum dimidio, aut duos regales, vt Toletus & Medina cit. locis indicant: alij medium aureum. Soto duos aut tres ducatos, ſi dominus potentior ſit: reſpectu autem domini pauperioris putat poſſe ſufficere vnum aut alterum argenteum ſiue regalem, etiam abſque alijs incommodis. Quidam loquuntur de centum aureis, vt refert Arragon. loco citato; ſed hæc ſententia nimis exceſſiuè laxa eſt, & proinde reijcienda.

Varietas autem hæc tanta in æſtimatione iſtius quantitatis facienda, videtur mihi nata ex hoc, quòd auctores in ea taxa conſtituenda nimis attenderint ad qualitatem perſonarum à quibus res aufertur, quaſi videlicet notabilis quantitas furti deberet principaliter æſtimari ex notabilitate incommodi, quod perſonæ iſtæ patiuntur. Quod omninò verum non eſt: nam cùm ablatio rei vnius & eiuſdē pretij, vt à diuerſis aufertur perſonis, pariat longè diuerſa incommoda in vnâ quàm in alterâ, in vnâ quidem grauiora, in alterâ leuiora, fieri non poteſt, quòd, iſti conſiderationi inſiſtendo, aſſignetur vna determinata quantitas, quæ ſit notabilis & requiſita ad mortale in ſpecie furti, ſic vt inferior non ſit magna ſatis, vt mortale conſtituatur in furti ſpecie. Quare mirum non eſt, quòd in tam diſtantes taxationes DD. proceſſerint. Ideoque notabilis quantitas in hoc negotio taxanda videtur ſimpliciter ex ipſis rebus abſque ordine & reſpectu ad qualitatem perſonæ & incommodi, quod patitur is, à quo res aufertur.

Vera itaque ratio ritè faciendi iſtam taxationem erit, attendere quæ quantitas in bonis fortunæ communi & morali iudicio æſtimetur & habeatur notabilis, ſine reſpectu ad has vel illas perſonas, ſed nudè & ſimpliciter: quia quantitas peccati in furto propriè dicto æſtimanda eſt ex affectu poſſidendi rem alienam, inuito domino, ſiue interim is inde incommodum magnum aut paruum ſentiat, vel patiatur. Nam poteſt peccatum mortale furti committere, qui rem aufert, quam dominus neſciebat ſe habere, & quâ nunquam erat vſurus. Similiter per multa minuta furta, etiam quæ fiunt à perſonis diuerſis, peccari poteſt mortiferè, quamuis nullus inde notabili afficeretur incommodo: qua de re infrà latius. 15

Qui igitur habet affectum poſſidendi rem notabilem alienam, is cenſendus erit incidere in peccatum mortale furti, quicquid ſit de incommodo damni. Hoc autem fundamento ſic conſtituto, planè videtur improbabile, furtum medij regalis, aut vnius regalis, vel etiam duorum, per ſe loquendo, & alijs incommodis ſecluſis, eſſe peccatum mortale. Non videtur enim, quod quiſquam iudicio abſoluto & ſine reſpectu ad aliquas miſeriores perſonas, cenſebit aliquam ſimilem ſummam aut rem talis pretij eſſe quid notabile in bonis fortunæ. Quare facilè ſenſero cum illis, qui exiſtimant ad notabilem quantitatem in furto requiri duos, aut ad minus vnum aureum in regionibus, vbi eſt ea pecuniarum abundantia, ſicut modò in his & multis alijs. Quando autem dicitur de vno aureo, non cenſetur mutari quantitas, etiamſi aliquot ſtuferi forſitan ſint minùs, quia debet iſta æſtimatio moraliter accipi, ita vt non cenſeatur conſiſtere in aliquo omninò indiuiſibili.

Dixi, vbi eſt ea pecuniarum abundantia &c. nam vbi eſt raritas, qualis aliquando etiā in his locis fuit, vt dum modius, v. g. ſiliginis æſtimaretur tantùm regali cum medio,

dio, aut duobus regalibus, ibi admiſerim vnum regalem poſſe æſtimari quantitatem notabilem, cuius ablatio ad mortale furtum ſufficiat: rectè enim monet Nauar. locis citatis, in taxatione hac facienda dum in pecunijs fit, debere rationem haberi abundantiæ, vel raritatis pecuniæ, ſecundùm diuerſas regiones.

16 His tamen poſtremò addo, furem frequenter poſſe mortaliter delinquere, auferendo etiam res minoris pretij, vt v.g. trium, duorum, aut vnius regalis, imò auferendo rem nullius quaſi pretij, v. g. acum, aut ſubulam; idque vel propter anguſtias & miſerias, quas patitur is cui res aufertur: vt ſi auferantur aliquot ſtuferi ab eo, qui alias pecunias non habet, & caret cibo, quem manducet; vnde fiat, quod ipſe & familia famem patiantur: vel propter aliud incommodum, vt quòd ſutor vel ſartor propter ablationem inſtrumenti non valeat operari, & ſic dietas perdat & domi anguſtietur: vel etiam propter animi afflictionem & mœrorem quibus conficitur is, cui res illa ſibi admodum chara ex particulari aliqua ratione, quamuis non propter prætij æſtimationem, aufertur: vel quia diras imprecabitur & blaſphemabit. Quæ tamen intellige, quando fur iſta præuidit aut facilè præuidere & cognoſcere potuit.

17 Sed hîc obſeruandum eſt, Quando per ablationem rei infra notabilem quantitatem, modis prædictis aut ſimilibus committitur peccatum mortale, tunc peccatum illud non eſſe mortale in ſpecie furti propriè dicti, ſed in alio genere damnificationis iniuſtæ vel alterius malitiæ, veluti contra legem charitatis Dei, & proximi: vt quando nouit vel exiſtimat fur alterum idcircò blaſphematurum, vel in morbum aut grauem animi mœrorem caſurum. Ita docent Nauarr. c. 17. n. 3. & ad Can. finalem XIV. q. 6. Rebell. 1. p. q. 15. De obligat. Iuſtitiæ ſect. 2. n. 13. Lopez 1. p. c. 93. Vaſquez in Opuſc. c. 5. §. 1. Dub. 5. & 6. Malder. tract. 4. c. 1. dub. 3. & alij plures: Et hoc (inquit Bonacina loco antè cit. n. 8.) diligenter aduertendum eſt: nam excommunicatio, quæ fertur contra fures, niſi reſtituatur, non comprehendit illos, qui furati ſunt rem leuem, etiamſi ex eius ablatione ſit ſecutum graue damnũ vel ſcandalum: excõmunicatio enim fertur propter furtum mortale, inquit, quod habet mortalem malitiam in ſpecie furti. Similia habet Tann. Tom. 3. Diſp. 4. q. 6. Dub. 9. in fine, & quidem alij. Quod tamen non eſt vniuerſaliter verum neque admittendum: quia quando vni alicui eſt illatum graue damnum à pluribus per minuta furta, poteſt contingere quod iuſta ſubſit ratio, quare Epiſcopus aut Superior Eccleſiaſticus mandet omnibus & ſingulis, ſub pœna excommunicationis, vt quiſque reſtituat quod abſtulit: quod quidem mandatum eò erit æquius, quia ſinguli ſine ſuo quaſi incommodo poſſunt illi ſatisfacere, & ſubuenietur iſti qui graue alioquin damnum, ex quo forſitan de ſtatu periclitatur, ſuſtinebit. Neque refert, quod excommunicationes non ſint ferendæ niſi propter peccatum: quia non infertur cenſura propter leue furtum, ſed propter contumaciam mortalem, quia non vult obedire rationabili præcepto Eccleſiæ: vt Malderus Tract. 4. cap. 1. Dub. 5. & alij quidam recentiores rectè notant poſt Dominicum Sotò lib. 4. de Iuſt. & Iure q. 7. art. 3. quod etiam Leſſius lib. 2. cap. 12. dubit. 9. admittit quamuis poſtmodum adijciat aliquam limitationem.

Cæterùm quidquid interim damni aut incommodi alter inde abſque culpa ſua ſuſtinet, hoc debet fur indubitatè reſtituere & reparare. Addo, quidquid patitur abſque ſua culpa; quia ſi operarius, v. g. ſutor, aut ſartor propter ſublatam hanc ſubulam, vel acum nollet operari, etiamſi aliam haberet, non teneretur eo caſu fur de illo damno ſecuto: quamuis ex eâ parte poſſit peccare contra charitatem, quando cognoſceret id obuenturum.

DVBIVM III.

Vtrùm mortiferè peccet, qui furtis minutis ſibi acquirit rem alienam notabilem?

RESPONDEO & DICO Primò: Qui intendit per furta minuta diteſcere, aut conquirere rem notabilem, v. g. per ſtateram doloſam, aut pondus iniuſtum, ſingulis modicum aliquid auferendo, aut alio ſimili modo, peccat mortiferè illâ voluntate, & quouis actu externo ab illa procedente: Ita communiter Doctores. 18

Probatur autem inprimis, quòd mortaliter peccet eiuſmodi voluntate ex Scripturis: Deuteron. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iuſtum & verum* &c. *abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Vbi Scriptura manifeſtè indicat talem committere peccatum mortale, & incurrere diuinam indignationem. Prouerb. cap. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*: & ſimilia habentur Leuit. cap. 19. & Michææ cap. 6. Ratio ſatis eſt euidens, quia talis vult accipere rem alienam notabilem dominis inuitis.

Probatur autem, quòd quouis actu externo ab illa voluntate procedente peccet mortali-

mortaliter: quia ſingula minuta furta ſunt executio iſtius prauæ ac mortiferæ intentionis: quare eius malitiam induunt, atque illâ veluti informantur. Omnia tamen iſta ſunt quodammodo vnum peccatum mortale continuatum, quatenus ab vna voluntate ſic conquirendi rem notabilem alienam, procedunt: non autem ſingula diſtincta & noua mortalia peccata. Vt verò ſingula reſpiciunt voluntatem hanc particularem, quæ eſt auferendi hoc modicum, abſq; relatione ad iſtum alium finem, ſic videntur rectè dici poſſet noua & diſtincta peccata venialia.

19 Neque excuſabitur ex eo, quòd forſitan velit tantum à diuerſis auferre minuta, nec vni alicui cupiat per minuta furta notabile damnum aut incommodum inferre, prout DD. tenent communiter contra Hieron. ab Hangeſto cap. 9. Moral. pag. 130. vt refert Leſſ. Dubit. 7. Rationem autem rei huius reddit Leſſius, quia talis ſaltem vult ipſi multitudini notabile damnum inferre, quod non eſt minus peccatum, inquiunt, quàm auferre vni particulari, cæteris paribus: ſicuti non minus peccat, qui ſpoliat theſaurum Reipublicæ, quàm qui hominis priuati. Veruntamen cùm iſti multi non patiantur per modum vnius ſuppoſiti ſiue Corporis, prout conſiderantur quando res ſunt ipſius Reipublicæ aut communitatis alicuius, vt in pretenſo ſimili allegato: ſed ſinguli ſuſtineant ſuum perticulare incommodum quod eſt modicum, non apparet, quâ ratione hîc ex iſtis multis poſſit conſtitui vnum aliquod notabile damnum alicuius. Quare ſolidior & magis probanda videtur hæc ratio, quòd ſcilicet talis, etiamſi neque vni particulari, neque alicui communitati adferre intendat, vel adferat notabile damnum, tamen peccet mortiferè, quia vult auferre, & poſſidere rem alienam notabilem inuitis dominis: hoc enim ſufficit ad conſtituendum furtum mortale, quicquid ſit de incommodis quę inde obueniunt alijs: quod indicat Mald. ſup. Dub. 4.

20 Dico Secundò: Qui committit plura minuta furta, non intendens, nec cogitans rem comparare notabilem, ſed ex occaſione nunc hîc, nunc illic aliquid aufert, non peccat mortiferè, antequam minuta illa ad notabilem quantitatem perueniant: ſed ſimulatque ad illam partigerint, mortiferè peccabit, niſi per inaduertentiam excuſetur.

Prior pars eſt communis: & patet, quia neque interno neque externo actu aufert rem alienam notabilis pretij, vt ſupponitur; ergò &c. Pars poſterior etiam à pleriſque tenetur: Ita docent Soto lib. 5. q. 3. art. 3. ad 3. Arragon. Bannez, Salon. 2. 2. q. 66. art. 6. Pet. Nauarra lib. 3. c. 1. n. 5. & ſeq. Couar. lib. 1. Variar. c. 3. n. 12. Vaſquez 1. 2. Diſp. 146. cap. 2. & Tanner. tomo 3. Diſp. 6. quæſt. 6. Dub. 9. n. 276. admittit ſpeculatiuè. Et probatur: quia iam tum incipit velle ſiue habere ſiue retinere rem alienam in notabili quantitate domino vel dominis inuitis: quæ eſt materia furti mortalis; ergo tunc mortaliter peccat.

Hoc itaque aduerte, quòd ipſum furtum vltimum complens quantitatem notabilem, etſi per ſe ſeorſim ſpectatum non ſit niſi peccatum veniale, tamen vt habens ordinem ad alia præcedentia ex quo conuincitur adeſſe voluntas auferendi res alienas in notabili quantitate, reddatur mortale. Quare ſi de prioribus furtis minutis quis pœnituiſſet, aut feciſſet abſolutum propoſitum reſtituendi illa, quam primum habiturus ſit facultatem & opportunitatem reſtituendi, non peccabit talis mortaliter, licet iterum aliquod minutum furtum committeret antequam per opportunitatem licuiſſet propoſitum illud adimplere, & reſtitutionem facere. Ratio eſt: quia ille non habet voluntatem auferendi & detinendi rem alienam notabilis quantitatis: quia per illud propoſitum eſt facta interruptio, vt id quod modò auffertur, non aliquo vinculo voluntatis coaleſcat in vnum cum priùs ablatis. Neque iam habet voluntatem detinendi illa quæ prius abſtulit: quod verò aufert poſteriùs, hoc non eſt per ſe aliquid notabile, vt ſupponitur. 21

Quæ quidē licet ſpeculatiuè vera ſint, vix tamen in praxi locum habent, quando ſaltem de induſtriâ iterum minutum furtum committitur: non enim videtur talis habere ſeriam voluntatem reſtituendi minuta priùs ablata, qui nondū deſinit auferre alia, niſi eſſet forſitan in alia materia quæ illi ſit modò peculiariter oportuna.

Dixi in Concluſione, niſi per inaduertentiam excuſetur, quia hæc facilè poteſt & ſolet abſque graui culpa interuenire: præſertim quando iſta minuta furta fiunt magnis temporum interuallis, & circa diuerſas perſonas, aut in diuerſis rebus. Vbi tamen incœperit quis ſe reflectere ſuper præterita parua furta, ac obſeruare ſe quantitatem notabilem dominis inuitis, paulatim abſtuliſſe, peccabit mortaliter, ſi voluntatis acceſſerit approbatio ſiue complacentia: niſi forſitan, quia perſona ipſa indigentior eſt, & bonâ fide exiſtimet, quod domini facilè illi iſta indulgeant. Quod ſatis probabili ratione poteſt præſumi, quando à diuerſis perſonis non indigentibus, aut per occaſionem ab vna, ſed per longa interualla, abſtulerit. 22

Notant autem DD. communiter maiorem requiri quantitatem ad peccatum mortale, dum quis longis interuallis per minuta furta alicui ſua tollit, quàm dum breui tempore: 23

Digitized by Google

pore: rurſum quando id facit per occaſionem, & veluti fortuitò, quàm dum de induſtria; non quidem quia per ſe hîc requiratur maior quantitas ad conſtituendum peccatum mortale (quam diximus in ſe æſtimandam abſque ordine & reſpectu ad circumſtantias, dummodo aufertur domino inuito) ſed quia in huiuſmodi ablationibus non ſolent domini ita eſſe inuiti. Quia namque damna ſenſim illata per longa interualla minùs percipiunt, ideo quoque minoris illa æſtimant, neque pro tam iniurioſa ablatione reputant. Sic quoque non tam eis diſplicet, quando per occaſionem & quaſi fortuitò minuta illa auferuntur, quàm dum de induſtria & ex certo propoſito tolluntur.

24 Similiter notant DD. maiorem requiri quantitatem, quando quis minuta furatur à diuerſis, quàm dum ab vno. Ratio eadem eſt, quia ſcilicet non tam ſunt inuiti plures quando à ſingulis eſt modicum quid ablatum, quàm vnus à quo ſolo eſt per modica furta aliquid notabile ſublatum.

Addunt inſuper, etiam furta eſculentorum & poculentorum, quæ committuntur à famulis & ancillis, non eſſe ordinariè peccata mortalia, etiamſi paulatim veniant ad aliquam quantitatem notabilem: modò non ſint cibi & potus extraordinarij, ſed communes; & tantùm eos auferant, vt ipſimet ijs vtantur & conſumant, quia forſitan auidiores ſunt cibi & potus: ſecus, ſi vt diuendant, vel vt cum alijs dilapident. Ratio iterum huius eſt, quia domini non omninò ſunt inuiti: cuius ſignum poteſt eſſe, quia licet reſciant talia fieri, non tamen arctiùs recludunt: & ſi ab eis peterentur, non omninò abnuerent: Eſto, quòd aliquid difficultatis, aut moroſitatis forſitan oſtenderent: quod cauſare poteſt, vt miniſtri verecundentur petere. Poteſt & alia ratio occurrere, puta, quòd domini ſint tenaciores, neque ſuis famulis ſufficientem ſubminiſtrent ſuſtentationem pro qualitate laborum, quos ſubeunt: & tum ſi domini eſſent inuiti, irrationabiliter eſſent inuiti, quia tenentur quantum ad communem cibum & potum eis præbere ſufficientem alimentationem.

25 Dico Tertiò: Qui per minuta furta acquiſiuit rem notabilem, quando id aduertit, tenetur ſub mortali ad reſtitutionem; & quidem illis, à quibus accepit, quantum fieri poteſt: quando autem id non poteſt fieri, vel quia domini ignorantur, vel quia eſſet periculum infamiæ, aut quia à multis diuerſis ſunt minuta ſublata, qui nunc longiùs diſtant, tenebitur tunc dare pauperibus vel erogare in alia pia opera. Hoc enim maximè ſecundum rationem velle cenſentur caſu illo, à quibus ſublata ſunt. Debent tamen adhibere iuſtam diligentiam vt dominis proprijs reſtituant, præſertim quando ab vno & eodem ſuſtulerunt vſque ad notabilem quantitatem.

Si verò ipſe pœnitens ſit tenuis aut valde mediocris, & non de induſtriâ ſit furatus, ſed quaſi fortuitò ſubinde minuta quædam abſtulerit, idque à diuerſis, aut ſi ab eodem, tamen per longum temporis ſpatium, quæ tandem aduertit aſcendere ad quantitatem aliquam notabilem, quam difficulter poſſit reſtituere, non videretur is tam arctè obligandus ad reſtitutionem: quia ſatis probabiliter præſumi poteſt, eo caſu dominos, qui ſinguli modicum paſſi ſunt, vel per tanta temporis interualla, vt damnum quaſi non perceperint, non omninò à tali requirere reſtitutionem. Quod ſine dubio facilè admiſerit quoque Tannerus, qui ſup. n. 28. ponit huiuſmodi aſſertionem: Quod etiam, omni inaduertentiâ & cõdonatione ſecluſâ, probabile ſit, eiuſmodi minutis furtis numquam peccatum mortale patrari, nec obligationem ſub peccato mortali contrahi, niſi quando inter ſe comparata, peculiari ratione modum aliquem vnius habuerint: vt ſi non per magna interualla fiant in eodem genere, ſicut ſolet fieri ab ijs, qui vinum aquâ mixtum vendunt aut merces diminuto pondere: aut qui animo cogregandi notabilem quantitatem à multis aliquid furantur; & in alijs ſimilibus caſibus. Secus, inquit, ſi nõ habeant modum aut rationem vnius. Et pro ſe citat Rebellum lib. 3. q. 15. ſect. 5. n. 44. & ſatis accedit quoque Nauarr. c. 17. n. 139. Rationem reddit, quia contrarium videtur non parum obnoxium ſcrupulis: & contra communem ſenſum, & praxim. Sed difficile videtur, quomodo non ſemper induant aliquem modum vnius, quando poſt multa parua furta commiſſa aduertit quis ſe notabilem quantitatem rei alienæ inuitis dominis abſtuliſſe, per illam ipſam reflexionem ſuper iſtis: & quomodo proinde tunc non per modum vnius retinebit illa, ſi nolit reſtituere? Vnde non ſatis apparet, quomodo talis non contrahat tunc obligationem reſtituendi ſub mortali, niſi ex aliquibus probabilibus rationibus credat dominos non ita rigoroſè reſtitutionem ab eo exigere, ſicuti iam diximus ex certis circumſtantijs tum perſonæ quæ abſtulit, tum perſonarum à quibus abſtulit, ac ſimul etiam modi & temporis, poſſe facilè præſumi.

Cæterùm expedit, quod Confeſſarij non ita ſint faciles in diſſimulandis paruis furtis, licet etiam ad peccatum mortale non pertigerint: ſed pro capacitate & conditione perſonarum, præſertim quæ non aliquâ mediocri laborant neceſſitate, reſtitutionem aliquam iniungant, quæ fiat aut reddendo rem eandem ſi exſtet, aut aliam eiuſdem ſpeciei, aut pretium illius vel aliquo 26

alio

alio modo compenſando. Hac enim ratione, quando non tranſeunt impunè, magis deterrentur ab eiuſmodi peccatis; quibus alioquin allecti non ſine periculo animę ſuę prouocantur ad ea ſæpiùs iteranda, & maiora adijcienda.

DVBIVM IV.

Vtrùm qui vſque ad quantitatem notabilem abſtulit aliena, faciet ſufficientem reſtitutionem, ſi reddat partem, quâ excedebatur obiectum furti venialis. v. g. paulatim quis abſtulit vſq; ad valorem vnius aurei, vtrũ ſufficiet reſtituere vnam tertiam partẽ, præſuppoſito, quod duæ tertiæ vnius aurei non ſint cenſendæ, in hac materia quantitas notabilis?

27 PEtrus Nauarra, lib. 3. cap. 1. n. 60. & ſequentibus, docet eum non teneri ad vlteriorem reſtitutionem ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali. Ratio eius eſt, quia debitum minoris quantitatis infra notabilem, non obligat ſub mortali. Nauar. tamen ſuprà cap. 17. cum Medina & Corduba, quos allegat, dicit talem à mortali non excuſari, reddendo tantummodo illum exceſſum: ſed debere ita ſummam ablatam reddere, vt moraliter dici poſſit eam reſtituiſſe, id eſt vt tam parum reſtet ſoluendum ſiue reddendum, vt id reſpectu ſummæ totius quaſi pro nihilo computari poſſit. Quare is, qui aureum abſtuliſſet, iuxta hanc ſententiam ſub mortali teneretur reddere ad minus tres quartas cum dimidia, aut aliquid amplius, vt liberetur ab obligatione ſub mortali. Pro difficultatis huius reſolutione

RESPONDEO & DICO Primò: Si quis plura commiſerit furta mortalia, non ſatisfaciet, nec abſolui poterit, etiamſi ex quolibet velit reſtituere totum hoc, quo vnumquodque excedebat obiectum furti venialis. Ratio apparet euidens: quia plura illa minuta, quæ ex ſingulis furtis reſeruat, ſimul collata conſtituunt quantitatem notabilem: atque ita dum non vult illa reſtituere, conuincitur habere affectum & voluntatem detinendi rem alienam notabilem dominis inuitis.

28 DICO Secundò: Ad determinandam prædictam difficultatem non conuenienter aſſignaretur regula huiuſmodi, quam videtur ponere Nauar. quòd ſub mortali teneatur fur reſtituere ablatum in tantum, vt dici poſſit moraliter ſummam ablatam reſtituiſſe: quodque is, qui ſic reſtituerit, non teneatur vlteriùs ſub mortali.

Declaratur: quia ſic videretur cõſequens fore, quod qui furatus fuiſſet v. g. decem millia aureorum faceret reſtitutionem ſufficientem, quando redderet omnes, exceptis duobus vel tribus: qui reſpectu totius ſummæ quaſi pro nihilo computantur, ita vt communi loquendi modo talis diceretur feciſſe reſtitutionem furti ſui: è contrà autem qui abſtuliſſet vnum aureum, & retineret ſibi dimidium, teneretur ſub mortali reſtituere reliquum, niſi forſitan exceptis aliquot ſtuferis, vt moraliter dici poſſit reſtituiſſe ablatum: quæ inter ſe non ſatis cohærent.

DICO Tertiò: Sentẽtia P. Nauarræ bono ſenſu intellecta omninò videtur probanda, 29
ſcilicet quòd dum quis ſiue vno, ſiue pluribus furtis acquiſiuit rem aut res notabiles, & ſic reſtituerit, vt ex omnibus non ſuperſit illi res aliena, niſi modica, quæ ſit infra notabilem quantitatem, non obligari ſub mortali ad illius modicæ quantitatis vlteriorem reſtitutionem.

Ratio eſt, quia talis nec detinet neque voluntatem habet detinendi rem alienam notabilis æſtimationis: ſi enim non peccaret mortiferè, auferendo rem eiuſmodi, prout ſupponitur, non apparet ratio, cur mortiferè peccet detinendo, quando nullam aliam rem alienam ſimul detinet aut detinere cupit, vnde conuinci poſſit affectus detinendi notabilem rem alterius: imò iam ſatis declaratur exuiſſe omnem eiuſmodi affectum, quando reliqua omnia reſtituit.

DVBIVM V.

Vtrum mortaliter peccent & ſub mortali teneantur, qui ſinguli intulerunt damnum exiguum, ſed omnes ſimul magnum & notabile?

RESPONDEO & DICO Primò: 30
Si id fecerint communi conſilio, omnes ſunt rei peccati mortiferi, & ſinguli tenentur ad reſtitutionem, non tantùm pro ſua parte, ſed etiam in ſolidum in defectu ſociorum. Ita communiter DD. Azorius tomo 3. lib. 5. c. 13. Medina q. 10. De Reſtitut. Couar. lib. 1. Var. c. 3. n. 12. Rebell. lib. 3. q. 15. ſect. 4. Mald. ſup. Dub. 5. Soto lib. 4. q. 7. art. 3. Tanner. ſup.

Probatur: quia ſinguli non tantùm exequuntur damnum ſecundum partem, ſed

Digitized by Google

etiam cooperarentur ad totum. Vnde rectè Dominic. Soto loco citato docet id obtinere, etiamſi ſinguli non fuiſſent cauſa ſine qua non: v. g. quòd etiamſi Petrus non adfuiſſet inter illos, tamen damnum nihilominus fuiſſet illatum, obligaretur tamen ſimul Petrus: quod eſt contra de Graffijs lib. 2. c. 127. vt refert Mald. ſufficit enim, quòd ſimpliciter communi conſilio cum alijs ſit cooperatus. Si verò vnus fuerit reliquis auctor huius damni inferendi, hic ante alios tenebitur inſolidum, vt notat Azorius p. 3. lib. 5. cap. 13. & ex mox dicendis conſtabit.

32 DICO itaque Secundò: Quando quis obſeruat exemplo parui furti, quod committit, alios efficaciter excitandos ad ſimilia facienda, vnde videt proximo notabile damnum inferendum, tunc peccat ipſe mortaliter, & ad reſtitutionem totius damni tenetur, alijs deficientibus.

Probatur: quia qui alios verbis hortaretur ad eiuſmodi furta, peccaret mortaliter, & teneretur ad reparationem damni, quando alij non reſtituerent; ergò & hic, qui ſuo exemplo alios prouocat & excitat. Neque refert, quòd fortaſſis intentione formali & expreſsâ non intendat alios excitare: quia cenſetur id ſatis intendere hoc ipſo, quo ex ſuo facto iniquo, cuius nullam habet iuſtam cauſam, præuidet futurum, quod alij eius exemplum ſequentes notabile damnū proximo inferent. Si tamen quis tantum eſſet primus in re parua auferenda, & alij poſtmodum ſubſequerentur, quòd quidem futurum primus præuidiſſet, ſic tamen, vt non exemplo eius alij moti id facturi eſſent; ſed ſi ille primus non eſſet, nihilominus aliquem alium primò id facturum: tum non videretur is obligari ad reparationē damni totius, quod ſequitur: non enim is efficax damni ſecuti tunc cauſa cenſendus eſt. Quomodo verò talis peccet, ex dicendis infrà patebit.

33 DICO Tertiò: Si caſu fiat, quod quiſpiam patiatur graue damnum per parua furta à pluribus commiſſa, ſicuti quando nullus iſtorum fuit conſcius facti alterius, vel aliorum, tunc nemo ex illis in eo mortiferè delinquit, nec tenetur vllus ad reſtitutionem totius in ſolidum, etiam alijs deficientibus: ſed ſinguli ſub veniali obligantur ad illius exigui, quod abſtulerunt, redditionem. Ita Nauar. cap. 17. n. 130. Pet. Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 47. & 48. cùm alijs communiter omnibus.

34 Ratio eſt, quia nullus rem aufert aut detinet alienam notabilem, neque quiſquam fuit cauſa damni notabilis proximi: nec in illud conſenſiſſe poteſt argui ex tali facto, ita vt poſſit cenſeri voluiſſe moraliter illud notabile damnum proximi.

Nonnulli autem recentiores hanc Aſſertionem extendunt etiam ad illos, qui ſic minuta auferendo benè aduertunt alijs ſimiliter parua furantibus, inferri proximo damnum notabile, modò tamē non ſint ſibi mutuò cōcauſa, nec vnus ad furtum alterius quomodolibet concurrat. Ita Tanner. ſup. q. 6. Dub. 9. n. 185. Leſſ. Dubit. 9. n. 52. qui citat Dominicum Soto tamquam qui videatur id tenere in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. Concl. 3. Sed verba eius benè inſpecta id nō important nec præ ſe ferunt. Alij autem è contra ſatis communiter docent ſingulos tunc peccare mortaliter. Ita Couar. lib. 1. Variar. Reſolut. cap. 3. n. 12. Medina Cod. de Reſtitut. q. 10. Pet. Nauarra loco citato n. 48. Vaſquez 1. 2. Diſp. 146. c. 2. & alij plures, quos ibidem allegat Leſſius. Ratio huius reddi poteſt, quia eo caſu ſinguli cenſentur conſentire in notabile damnum proximi: quia aduertunt ex ſuis & aliorum actibus graue damnum iniquè proximo obuenturum. Quando enim ſinguli pro ſuo poſſe non impediunt, vel potiùs dum ſinguli ſcienter pro modulo ſuo cooperantur, omninò conuinci videntur notabile damnum illud proximi velle.

Addunt tamen dicti auctores, non obligari ſingulos in ſolidum ad reſtitutionem totius damni: ſed ad eam dumtaxat partem, quam quiſque abſtulit, quia ſcilicet non fuerunt ſibi mutuò cauſa, nec vnus ad furtum alterius concurrit: quod etiam indicauimus in fine 2. concluſionis ſuprà poſitæ.

Sed difficultas grauis tum remanet, Quomodo igitur actus ille modici furti fuerit mortalis, & quomodo relinquatur obligatio ſub mortali (quod etiam expreſſè tradit Pet. Nauar. & Vaſquez locis citat.) ad reſtitutionem illius modici, donec ſaltē ab alijs omnia ſint reſtituta eo vſque, vt proximus iam ex omnibus nō ſentiat notabile detrimentum? 35
Sanè ſatis difficulter illa ſimul poſſunt cōciliari: ideoque prior opinio poteſt apparere non improbabilis: mihi tamen poſterior, vti magis communis, & iuſtitiæ grauiter læſæ reparandæ oportunior, ita & verior videtur. Vaſquez itaque vt iſti argumento occurrat, ita loco cit. n. 5. hac de re ſcribit: Eadem ratione hi omnes (qui ſimul ſcienter parua furando inferunt domino damnum notabile) ſimul peccabunt mortaliter: nā cùm ſint cauſa notabilis damni, ad quod omnes ſimul concurrunt, & non ſit maior ratio, quare vnus potiùs, quàm alius ſit reus illius, omnes, inquit, debent eſſe: atq; ita quaſi à poſteriori reddit ille rationē aliquā. Cui inſiſtendo vlteriùs ſcribit: Si ſint quatuor, quorum vnuſquiſque per ſe notabile damnum inferat: & poſteà, aut ſimul cum illis accedat alius, & furetur ab eodem paruam quantitatem, non peccabit hic mortaliter. Et rationem diſcriminis conformiter aſſignat: quia cum in priori caſu non ſit maior ratio,

ratio, cur vni potiùs, quam alteri notabile damnum imputetur, ſingulis tribui debet. Cũ verò in poſteriori caſu aliqui determinatè fuerint cauſa per ſe notabilis damni, alius, qui cum illis paruam quantitatem vſurpauit, non debet cenſeri conſors notabilis damni, & proinde neque mortalis peccati reus.

36 Quibus pro pleniori aliqua ſatisfactione in re tam perplexa addo, ex duplici capite fieri poſſe, quòd illi actus furti minoris cenſeantur mortales, abſque eo quòd ſingulos obligent ad reparationem damni totius: inprimis, quia dum ſinguli auferunt modicum, & vident atque aduertunt ita proximo inferri graue detrimentum, ſatis indicant ſe affectu probare magnum illud damnum, quod proximus patitur, & in illud conſentire, vti iam antè indicauimus: quæ tamen approbatio ſiue conſenſus quia non eſt cauſa totius damni, nec influit in actionem aliorum, ideo non adducit obligationem in ſolidum ad reparationem totius damni, licet interim in ſe mortaliter culpabilis ſit: Manere nihilominus poteſt obligatio etiam ſub mortali ad reſtitutionem modici illius ablati, quia non videtur affectus ille efficaciter deponi, quamdiu quis pro parte ſua non reparat illud damnum quantum ex iuſtitia ipſe tenetur.

37 Secundò, quia videntur peccare contra charitatem quâ obligantur auertere magnum damnum proximi, quatenus abſque incommodo poſſunt: qui enim in tali caſu pro aliqua parte, licet parua, volunt intertenere damnũ, conuincuntur non velle impedire magnum, quod vident proximo ſimilibus modis inferri. Vnde & ex hac parte poterit eſſe peccatũ mortale, ſic tamen, vt ad totius damni reparationem non oriatur obligatio. Quemadmodum etiam is, qui nihil abſtulerit, ſed quando ex charitate obligabatur, non impediuerit, peccaſſet mortiferè, abſque eo tamen, quod ad aliquam damni reparationem eſſet obligatus. Si tamen illa quaſi approbatio grauioris damni, quod proximus ſuſtinet, reuera eo caſu ab animo queat abeſſe, quando ſinguli aduertũt ſuis paruis furtis cauſari alteri graue damnum, & tamen pergent in paruis furtis: aut dum vident illatũ, & dum poſſunt, nõ reſtituunt, tunc ſententia aliorum poſſet habere locum, & quidem metaphyſicè loquendo, non videntur iſta omninò repugnare, ſed moraliter vix in facto ſimul conſiſtere poſſunt.

DVBIVM VI.

Vtrum qui rem ſuam vel ſibi debitam occultè alteri ſurripit, ſibique vindicat, committat furtum, aut peccet mortiferè?

RESPONDEO & DICO Primò: Qui rem ſuam, quæ iuſto titulo, v.g. locationis, commodati, pignoris, &c. apud alium exiſtit, ante tempus occultè tollit, peccat, & quidem peccato furti, & ad reſtitutionem tenetur. Malderus Dub. 6. Leſſ. Dubit. 10. & tenetur communiter. Indicat D. Th. q. 66. art. 5. ad 3. vbi ſic ſcribit: Ille, qui furtim accipit rem ſuam, apud alium depoſitam, grauat depoſitarium, quia hic tenetur ad reſtitutionem, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Vnde ille peccat & tenetur ad releuandum grauamen depoſitarij. Quod magis locum habet, quando titulo locationis, commodati, aut pignoris apud alium exiſtit. 38

Declaratur: quia ſpoliat alterum vſu rei, aut ſaltem poſſeſſione & detentione, quæ iure reſpectiuè illi competebant; ergò ea ex parte furtum committit, & tenetur alteri reſtituere ius, quod illi abſtulit, ſiue vſum, ſiue poſſeſſionẽ & detentionẽ. Hæc tamen intellige, niſi idcirco ab eo abſtulerit, quia de fuga ineunda cum re tua, vel cum alia defraudatione tua, ex iuſto fundamento erat ſuſpectus: ſic enim hanc doctrinam DD. limitare ſolent.

DICO Secundò: Si quis rem ſuam iniuſtè apud alios detentam, vel ſibi liquidè debitam, recuperauerit occultè, non tenetur ad reſtitutionem: peccauerit tamen ſic auferendo, niſi adſit iuſta aliqua ratio, quæ modum illum auferendi cohoneſtet vel excuſet. Priorem partem docet D. Th. loco ſuprà citato, Nauarr. c. 17. n. 12. & eſt communis. 39

Probatur: quia qui ſic abſtulit rem ſuam ab iniquo detentore, non poſuit aliquam inæqualitatem; neque enim alterum re aliquâ ipſius, aut aliquo iure, quod in rem haberet, priuauit; ergò non tenetur illi ad reſtitutionem.

Duo tamen hîc notanda ſunt: Vnum eſt, quod res debeat certò eſſe illius, qui eam abſtulit: nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis: Vnde iniquè exuit alterum poſſeſſione, ſi dubium ſubſit, atque ita tenebitur redintegrare poſſeſſionem alterius. Similiter qui rem acceperit tamquam liquidè ſibi debitam, ad reſtitutionem tenebitur, ſi res non eſſet creditoris, quia non poteſt rem tertij ſibi retinere & illi creare præiudicium: debet enim compenſatio fieri ex bonis creditoris, non ex bonis alienis. Alterum 40

Digitized by Google

terum eſt, quod ſi iniquus detentor à quo dominus clàm abſtulit rem ſuam, putetur aliquando forſitan reſtiturus hæredibus, tum obligari dominum ei indicare, ſe nihil ab illo ampliùs exigere, ſibique ſatisfactum eſſe: imò quamuis putetur, quod nunquam dabit operam reſtitutioni, tamen ex charitate oportebit ſignificare eum ab obligatione reſtituendi eſſe liberum ſeu liberatum, vt conſcientiam rei alienæ iniquè detentæ deponere poſſit, ne illi ſit in laqueum, quòd exiſtimet ſe reſtitutioni obnoxium. Vide Syluеſt. V. Furtum qu. 12. Caiet. hîc ad quæſt. 66. art. 5. Soto lib. 5. q. 3. art. 3. & Nauarrum cap. ſup. num. 113.

41 Partem poſteriorem, quòd ſcilicet dominus ſic occultè rem ſuam auferendo peccet, tradit ſimiliter D. Tho. loco citato, ſic ſcribens: *Qui verò furtim accipit rem ſuam, apud alium iniuſtè detentam, peccat quidem, non quia grauet eum, qui detinet, ſed peccat contra communem iuſtitiam, dum ipſe ſibi vſurpat ſuæ rei iudicium iuris ordine prætermiſſo: & ideo, inquit, tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, vt ſcandalum, ſi inde ſit exortum, ſedetur.* Accedit, quòd hac occaſione præbeatur exemplum auferendi res alienas, vt habetur Inſtitut. De vi bonorum raptorum §. Ita tamen. Vnde ne id fiat cauetur ibi ſub pœna cadendi dominio rei propriæ ſic recuperatæ.

Addidi in Concluſione, Niſi tamen adſit iuſta ratio &c. quia quando hæc ſubeſt, tunc etiam abſque peccato in foro conſcientiæ licebit domino clam auferre rem ſuam ab iniquo detentore: vt v. g. quia non potuiſſet aliter recuperare rem ſuam, aut certè non abſque ambiguitate & magnis moleſtijs aut expenſis, eo quod vel non poſſet ſufficienter in iudicio probare rem eſſe ſuam, quamuis certiſſimè ſciat rem eſſe ſuam; vel quia detentor potens eſt opibus & amicis, ita vt dominus rei non ſit illi par ad contendendum iudicio. Debet tamen ſemper cauere ſcandalum publicum, & periculum propriæ infamiæ, ne tamquam fur puniatur, vel habeatur talis. Vnde Medina C. de Reſtit. quæſt. 11. enumerat ex D. Bernardino, & alijs, ſex conditiones, quæ hic debeant concurrere: Prima eſt, quod debitum ſit omninò liquidum & non dubium: alioquin peccaret propriâ authoritate volens ſibi ſatisfacere. Secunda, quod non ſperet debitum ſuum per viam iudicij recuperare ſine notabili iactura & periculo, vt poteſt contingere propter occaſiones aliquot iam poſitas. Tertia, quod non ſit veriſimile inde ſequi infamiam propriam aut damnum corporale, vt quod tanquam fur plecteretur. Quarta, quod non immineat inde ſcandalum aut grauamen alicui, quod ipſe ex charitate ſaltem obligatur euitare. Quinta, quod conſcientia creditoris hoc modo ſibi ſatisfacientis ſit ſana & non læſa: ſed credat id in caſu ſibi licere, id eſt, ne operetur hic contra conſcientiam. Sexta, quod prudenter iudicet, quod ad rem ſuam vel debitum recuperandum nihil prodeſſet, illud à domino petere aut exigere. Sed contra dicta

Opponitur Capit. Bona fides, de depoſito, vbi expreſsè vetat Pontifex, ne contra depoſitorem fiat debitorum compenſatio, quamuis etiam ſint liquida. Si igitur eiuſmodi compenſatio non debeat admitti à Iudice; ergò multò minùs poterit quis priuatim & occultè eam facere. 42

Reſpondetur Primò: Quandoquidem ſpecialiter prohibeatur compenſatio in re depoſita, hinc à contrario ſenſu poſſe colligi, quod ſit admittenda, ſaltem in alijs rebus. Deinde reſpondent. DD. vt Pet. Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 309. Pontificem tantùm loqui in ordine ad forum externum, non autem de eo, quid in foro conſcientiæ liceat, quando iuſtum & liquidum debitum aliter non poſſet recuperari; iuſtum, inquam, ex abſoluta iuſtitia, non tantùm ex gratitudine aut ſimili inferiori titulo.

Cęterùm quia occultè iſtę ſubreptiones & compenſationes, licet debitis interuenientibus & ſeruatis conditionibus ac circumſtantijs iniquæ non ſint, in iure tamē habentur odioſę, & ſatis natę ſunt inducere, quod ſenſim quilibet præſumat ſibi ius facere, non ſine periculo magnæ confuſionis in Republica; hinc conuenit magis, homines paſſim ab eis dehortari ac deterrere: quàm eiuſmodi modos eis ſuggerere aut inculcare: vt ab aliquibus nimis promptè fit.

Ex dictis autem rectè inferunt DD. Si excommunicatio feratur in eos, qui rem talem ſurripuerint, non ſub eâ comprehendi hunc qui ſurripuerit ſiue abſtulerit illam, quia ſua erat, quantumuis etiam id non ſine peccato feciſſet, vt puta quia aliter recuperare poterat: quod eſt contra Medinam Cod. de Reſtitut. q. 11. Et ratio redditur quia licet auferendo peccauerit, non tamen iniquè abſtulit. Neque peccat retinendo, ſed peccauit tantùm in modo auferendi, non in ablationis ſubſtantia, & proinde non tenetur ad reſtitutionem. Mandatum autem Iudicis & excommunicatio comminata cenſentur tantùm afficere illum, qui iniuſtè abſtulit, & iniuſtè detinet rem ablatam, vt talis ſcilicet in excommunicationem incidat, niſi mandato ſatisfecerit & repoſuerit ſiue reddiderit. Vide Nauarr. c. 17. n. 114. §. Notanda tamen ſ[illegible]nt: & n. 115. Vbi addit iſta procedere, etiãſi Epiſcopus iuberet reuelari eos qui rem illam pro recuperatione rerum ſuarũ acceperunt, vt rectè, 43

 inquit,

Digitized by Google

inquit, probat Syluest. V. Furtum q. 5. idque tum quia nemo ſe, aut alium innocentem tenetur prodere, præſertim ad damnum & præiudicium: tum quia, vt idem Syluester ait, ſi intentio Iudicis eſt, vt manifeſtaretur, quamuis acceperit in iuſtam compenſationem, intolerabilem errorem contineret, & ita non valeret: quod maximè verum tunc eſt, quando neque in modo accipiendi fuit peccatum commiſſum in foro conſcientiæ: prout etiam Medina quæſt. citata tenet in caſu, quando conditiones ſupra enumeratæ concurrunt in clancularia ſuæ rei ablatione.

44 Addunt quoque DD. talem, ſi furti accuſatus interrogetur à Iudice, vtrum rem eiuſmodi ſuſtulerit, poſſe negare ſe ſuſtuliſſe, intelligendo ad mentem interrogantis, ſcilicet ſe non furtiuè & iniquè ſuſtuliſſe, de cuiuſmodi ablatione Iudex inquirit. Vnde & dicunt eum iuramento poſſe id affirmare: quia reſponſio hæc ad ſenſum Iudicis data, non ampliùs continet, quàm ipſum non eſſe furatũ, ſeu furto non abſtuliſſe rẽ, de qua quæritur: quomodo eſt veriſſima, prout ſupponitur. Vide Nauar. c. 17. n. 16. Neque intercedit hîc propriè reſtrictio mentalis, vt aliqui apprehendunt: ſed præſuppoſitâ tali interrogatione, trahitur quaſi ex natura rei & communi intelligendi modo, reſponſio iſta ad talem ſenſum.

Intelligendum tamen cenſeo iſtud dictũ Doctorum tunc locum habere, quando interrogato non conſtat aliunde Iudicem latiùs extendere ſuam interrogationem: hoc enim caſu non liceret ſimpliciter negatiuè reſpondere, præſertim quando auferendo occultè peccaſſet, etſi furtum non commiſiſſet: quia propter malè perturbatum ab illo iuris ordinem, poteſt etiam meritò Iudex tam latè eum interrogare. Si verò ſine peccato abſtuliſſet, quia aliter rem ſuam non poterat recuperare, tum probabiliter poſſet licitè vti aliquâ æquiuocatione, & ſic Iudicis interrogationem declinare.

45 Quæritur hîc à nonnullis, Vtrum ſi quis iuraſſet, quod alteri ſolueret debitum, poſſetne etiã tum licitè vti cõpenſatione? Tractat Panorm. hanc quæſtionem in Cap. Ad noſtram De iureiurando: & ſatis perplexè reſoluit. Sed breuiter

Reſpondetur, cum diſtinctione: Si iurauerit tantum ad liberandum creditorem metu fraudis, ſiue iniquæ dilationis, ſeu non ſolutionis, tum non obſtante iuramento poſſet adducere rationem compenſationis: Si verò iuramentum præſtiterit de ſoluendo, ad liberandum alterum metu compenſationis faciendæ, quia ſcilicet alter nouerat ſe iſti obnoxium, & timebat, quod vellet compenſationem facere, quæ ſibi eſſet importuna, eoque nomine præſtitum eſt iuramentum, ne hæc fieret, tum minime licitum eſſet compenſatione vti ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium. Vide Mald. ſup. Dub. 6. Quomodo autem, ſiue quo ſenſu præſtitum ſit iuramentum intelligi poterit ex circumſtantijs contractus & mente iurantis.

Quæritur iterum, Vtrum domino non liceat aliquando etiam per vim referre rem ſuam ab iniquo detentore? 46

Reſpondetur inprimis, id non licere, quando ſuppetit alius modus recuperandi rem ſuam: in quo ſatis conſentiunt DD. omnes: addit Dominic. Soto lib. 5. qu. 3. art. 3. nequidem, etiamſi non ſuppetat, v. g. propter defectum teſtium, vel etiam propter inquitatem iudicis, ſed tunc potiùs iniuriam eſſe tolerandam, quàm confugiendum ad violentiam, authoritate propriâ inferendam: Idem tenet Arragon. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. Addit tamen D. Soto, ſi quis non poſſet rem ſuam aliter recuperare propter Rempublicam adeò perturbatam, vt nemini ius dicatur, nec poſſit quis proinde viâ iuſtitiæ, ſua obtinere, tunc probabiliter licitum fore domino non tantum occultè, ſed etiam palam & vi quadam rem ſuam è poteſtate furis tollere, abſque tamẽ, inquit, ſtridore armorum.

Dicunt verò aliqui alij, inter quos Malderus ſuprà Dub. 6. & Leſſ. Dub. 11. quod dominus vi poſſit domum & ciſtas aperire, vbi nouit rem ſuam in ſpecie eſſe recluſam; non tamen poſſit inuadere iniquum detentorem: quamuis ſi hic vellet impedire, ne rem ſuam dominus iam apprehenſam auferat, tunc quoque poſſit vi eum à ſe repellere; quia hoc non erit inuadere detentorem, ſed ſe & ſua contra illum defendere. Quæ videntur ſatis probabiliter poſſe dici, quando non ſubeſſent pericula ſcandalorum, & grauioris incommodi Reipub. quæ à talibus factis violentis vix poſſunt abeſſe: vnde in praxi magis eſt inculcanda & ſequenda doctrina Dominici Soto.

DVBIVM VII.

Vtrum fur peccet continuò, donec reſtituat?

Respondeo & Dico Primò: Fur & omnis iniquus detentor rei alienæ, aut alteri debitæ, actualiter continuò peccat toto eo tempore, quo, cùm poſſit, non reſtituit. Eſt contra Caiet. quæſt. 66. a. 3. circa ſolutionem 3. argumenti: vbi docet detentionem non continuare actum furti, eò quòd non ſit actio, ſed effectus actionis; & proinde eiuſmodi furem eſſe tantum in habituali peccato. 47

Sed Con-

Digitized by Google

Sed Concluſio noſtra colligitur ex D.Th. q. 62. art. 1. vbi probat ſtatim eſſe faciendam reſtitutionem: quia ne quidem ad momentum liceat manere in peccato (agit autem de detentione rei alienæ) Hoc vt verum ſit, debet intelligi de peccato actuali: non enim obligatur quis ſtatim ſe à peccato habituali expedire: Sentit ergò D. Th. detentionem rei alienæ eſſe actuale peccatum: idem indicant Gabriel, in 4. diſtinct. 15. q. 2. & Soto lib. 4. q. 7. art. 4. & docet expreſsè Arragon. ad quæſt. 62. iam citatam art. 8. & cum eo plures alij.

Probatur autem Primò: quia talis iniquus detentor continuò lædit proximum, impediendo ipſum à poſſeſſione & vſu rei ſuæ: quæ læſio continuò dependet à libera non reſtituendi voluntate, ſiue à libera reſtitutionis omiſſione; ergò actualiter continuò peccat: quemadmodum qui omittit facere id quod tenetur, cuius omiſſione proximus continuò iniuriam patitur; v. g. magiſtratus ſi ſciat aliquem iniquè torqueri à latronibus, quem poteſt & tenetur liberare, & non liberat, delinquit continuò iſtâ omiſſione, quamdiu alter patitur propter iſtam omiſſionem; ergò &c.

Confirmatur à ſimili: quia ſi quis iniuſtè detruſiſſet aliquem ad carcerem, vt ibi fame eum enecet, is eſt in continuo actuali peccato homicidij, quamdiu illum non liberat, dum poteſt; ergò &c.

48 Dicet aliquis: Ergò etiam verſabitur in actuali peccato homicidij, aut iniquæ læſionis, qui alteri vulnus inflixit, vnde eſt moriturus, aut grauiores patitur dolores: quod dicendum non apparet.

Reſpondetur: Neg. Conſeq. neque enim hîc par eſt ratio, quia non in poteſtate eſt eius qui læſit, vt læſus à morte, aut doloribus liberetur; quæ iam non pendent ex illius voluntate, ſed naturaliter quâdam neceſſitate conſequuntur ex cauſa poſita: atque propterea qui læſit non cenſetur continuò malum inferre, quod læſus patitur, ac proinde nec inferendo actualiter continuò peccare. Si tamen ipſe poſſet læſum à morte aut doloribus liberare, & non vellet facere, tunc pariter admittimus eum continuò peccare, prout in maleficis ſæpè contingit.

Probatur Secundò & ſimul occurritur fundamento Caietani: quia voluntaria rei alienæ detentio, etſi non ſit propriè actio phyſicè loquendo, tamen eſt inſtar actionis, atque adeò moraliter cenſetur actio, ſicuti rei poſſeſſio. Vnde non tam priuatiuè, quàm poſitiuè, & quodammodò contrariè opponuntur, detinere alienum, & reſtituere. Imò nec tantum rei alienæ detentio, ſed etiam voluntaria reſtituendi omiſſio eſt inſtar actus, moraliter loquendo: neque enim tantùm per commiſſionem, ſed etiam per omiſſionem peccamus actualiter. Facilè igitur in illa detentione, aut reſtitutionis omiſſione poteſt intelligi continuari actualiter furtũ.

Confirmatur: quia aliter cenſetur eſſe in peccato, qui detinet rem alienam, nec vult reſtituere: & aliter is, qui iam reſtituit quod furto abſtulerat, licet interim necdum pœnitentiam de furto cõmiſſo egerit, proindeq́, maneat in peccato habituali; ergò &c.

DICO Secundo: Interrumpitur peccatum illud, quando reſtitutio furi, ſiue iniquo detẽtori redditur impoſſibilis, vt ſi totus depauperatus fuerit: vel dominus rei in longinquas regiones abierit, nec domi curatorem rerum ſuarum conſtituerit. Ita communiter DD. & propterea in prima Concluſione addidi continuari peccatum toto tempore, quo, cùm poſſit, non reſtituit. 49

Probatur: quia iam reſtitutionis omiſſio, ſiue alterius rei detentio deſinit eſſe peccatum: quia non à voluntate nunc pendent, ſed ex rerum quadam neceſſitate continuantur; ergò pro nunc non peccat fur aut debitor peccato furti vel iniquæ detentionis, ſaltem externo. Quod adijcio, quia ſi remaneret voluntatis complacentia in talibus, cum hac reflexione, non reſtituerem etiamſi poſſem, vel detinerẽ etiamſi dominus adeſſet, continuaretur internum peccatum.

Vbi tamen hoc notandum, ſi interim excõmunicatio ferretur in eos, qui rem talem detinerent & non reſtituerent, quod nõ incurreret fur eiuſmodi iam impotens illam cenſuram pro illo tempore: incideret verò ſimulatq; factus eſſet potens, & reſtituendi occaſio ſe exhiberet, eamque negligeret. Ratio diuerſitatis eſt: quia antecedenti tempore non eſt exterior detentio, ſiue reſtitutionis omiſſio peccatum: neque enim in poteſtate eius eſt eam deponere: poſtmodum verò iterum incipit eſſe peccatum externum, dum poteſt reſtituere & non reſtituit.

DICO Tertiò: Interrumpitur quoque peccatum illud, quando quis propoſitum detinendi abſolutè mutat, conſtituens in animo primâ opportunitate reſtiuere: & hæc eſt perfectior interruptio. Ac propterea quando ſuprà dictum eſt, quòd continuò peccet toto tempore, quo, cùm poſſit, non reſtituit; intelligitur de illo, qui non reſtituit nec re, nec voluntate: quamquam & voluntate reſtituere dicendus non ſit, qui dum poteſt, re ipsâ non facit, niſi forſitan, quia meliorem opportunitatem breui adfuturam exſpectat, & interim probabiliter putat hanc moram non futuram domino grauem & ingratam. 50

Dicet aliquis: Non detinere alienum domino inuito eſt præcepti negatiui, quod ſemper & pro ſemper obligat; ergò quicquid interueniat, non videtur ceſſari à peccato, quamdiu de facto non eſt reſtitutum. 51

Reſpondetur, & ſimul materia pleniùs explicatur: non detinere alienum domino inuito, conſiderando iſta formaliter, ſunt præcepti negatiui, ita ſcilicet, vt pro omni tempore eius exſtet obligatio, pro quo ſunt formaliter materia illius præcepti: ſunt autem formaliter materia quando detentor ſibi rem voluntariè ſeruat, & dominus rationabiliter eſt inuitus. Vnde quamdiu ſic res retinetur, non ceſſatur à peccando. Sed poteſt fieri, quod fur vel non voluntariè iam detineat, puta quia abſolutum habet propoſitum reddendi primâ opportunitate, ita vt vlteriùs vſque ad illã opportunitatem non tam ſibi vſurpet, quàm domino cuſtodiat; vel certè quod non detineat alienum inuito domino rationabiliter, vt quia propter eius abſentiam & diſtantiam non poteſt fur illi reſtituere: vel quia non habet, vnde reſtituat. Quamuis enim dominus meritò malè ferat, quòd fur abſtulerit, non tamen rationabiliter indignabitur, quod non reddat pro tempore, quo non eſt in ipſius poteſtate reddere. Et ſic quidem contingit peccatum interrumpi & ceſſari à peccando: non quòd negatiuum præceptum propriè deſinat obligare ſimpliciter, vel ad tempus dum res non eſt reſtituta, ſed quia ſubtrahitur materia, circa quam verſari debet. Quando autem materia formaliter redit, vt quòd iterũ voluntariè detinere & ſibi vſurpare incipiat, aut opportunitate datâ & facultate, reſtituere negligat, rurſum peccatur contra obligationem negatiui præcepti, quod vetat detinere alienum. Et quia ſic aliquãdo quaſi alternatur materia formalis, fit, quod præceptum de non detinendo alieno videatur per modum affirmatiui tantùm obligare, ſcilicet ſemper, ſed non pro ſemper.

52 Petet aliquis, Vtrum peccatum illud iniquæ detentionis continuetur etiam in ſomno, ebrietate, aut ſimili poſito impedimento vſus rationis, aut libertatis.

Reſpondetur, Quando præuidetur eiuſmodi impedimentum, & tamen quis vult detinere, rectè dici poſſe peccatum continuari: non quidem quòd pro illo tempore, quo vſus rationis eſt impeditus, nouam culpam quis contrahat, vel eam augeat (hoc enim non fit niſi de præſenti voluntas liberè operetur, aut liberè non operetur:) ſed quia opus externum peccaminoſum virtute voluntatis præcedentis cõtinuatur, atque adeò libertate iſtius voluntatis, quodammodo informatur; ita vt opus illud, quatenus ab illa voluntate quodammodò pendens, ſimpliciter dici queat peccatum: cuius tamen reatus totus exiſtit, quando voluntas illud pro tanto tempore voluit.

Neque reſponſioni obſtat, quòd diximus non contrahi tunc nouam culpam ſiue reatum: quia etiam de quolibet peccato externo dici ſolet, quòd non addat nouam culpam, ſiue malitiam, neque per ſe loquendo augeat culpã malæ voluntatis quã illud efficaciter appetitur; quod tamen omnes admittunt ſimpliciter dici & eſſe peccatum.

Simili modo videtur dicendum de continuatione, quæ fit interueniente aliquâ impotentiâ, quam quis ſibi voluntariè ad tempus iniicit; vt ſi rem furtiuam commodet aut locet alteri; & ſic extra ſuam poteſtatem conſtituat: Eſt enim iſta tunc reſtitutionis omiſſio voluntaria & cauſata à libera voluntate, quâ pro tanto tempore voluit rem extra poteſtatem ſuam eſſe.

Quæritur Secundò An continuationis tempus & interruptionum numerus in confeſſione ſint explicanda. 53

Reſpondetur inprimis, tempus continuationis, quando fuit extraordinariè, aut notabiliter longum, eſſe exprimendum v. g. trium, quatuorue menſiũ, & magis ſi vnius, aut plurium annorum: quia eſt circumſtãtia notabiliter augens malitiam, ita vt poſſit vnum peccatum facere æquiualere in malitia pluribus numero diſtinctis, vt tradit Arragon. 2. 2. q. 62. art. 8. & alij. Accedit, quod longo tempore ſoleant interuenire plures complacentiæ circa ipſam detentionem. Vt itaque etiam harum aliqua habeatur notitia, conuenit tempus illud explicari. Vbi & hoc notant DD. eſſe quoque neceſſariò exprimendum, ſi dominus rei ex carentia illius paſſus fuerit aliqua alia damna vel incommoda, quæ fur nouerit, aut noſſe & præuidiſſe debuerit.

Reſp. Secundò, ſi interceſſerint perfectæ interruptiones peccati, vt quia fur aliquoties abſolutũ fecerit propoſitũ primâ opportunitate reſtituendi ablatum, & poſteà occaſione datâ iterum voluerit retinere, & reſtitutionem negligere, oportebit quoque & illum numerum, quantum fieri poterit, exprimere. Sumitur ex Arragon. ſuprà & Pet. Nauar. lib. 4. cap. 4. n. 14. quia toties commiſit nouum & diſtinctum peccatum iniuſtitiæ quoad numerum. Imò fieri poteſt, quod interea cum tali propoſito & vera pœnitentia fuiſſet conſecutus iuſtitiam: à quâ iterum excidiſſet, quando de nouo voluit retinere, aut datâ occaſione, reſtitutionem neglexit; Quare non rectè quidam videntur exiſtimare, illius numeri expreſſionem non requiri.

Nec refert, quòd forſitan vnum idemque peccatum continuatum æquiualeret malitiæ plurium: quia numerus peccatorum mortalium exprimendus eſt. Quemadmodum ſi quis à diuerſis eſſet furatus, & à ſingulis notabilem ſummam, quæ per ſe mortale peccatum conſtituat, non ſufficienter confitetur, dicendo ſe furatum eſſe tantam ſummam,

Digitized by Google

mam, quanta exurgit ex omnibus ſimul ſumptis, & non diceret, quòd per diſtinctos actus ſingulis vicibus notabilem ſummam abſtuliſſet.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ſi res furtiua apud furem pereat, maneat ipſe obligatus ad reſtitutionem?

RESPONDEO & DICO Primò: Si
54 fur, ſiue iniquus detentor moram non purgauerit, & res iniquè detenta apud eum pereat, tametſi fortuitò & ſine alia eius culpa, tenebitur ordinariè is ad reſtitutionem rei ſimilis, aut prætij. Eius ſententia eſt communis DD. D.Th. q.62. a.6. Arragon. ibidem, Sylueſtri V. Reſtitutio 7. q. 5. Couar. ad Reg. Peccatum. p. 2. §. 6. num. 1. & aliorum.

Ratio redditur: quia qui rem iniquè ſiue iniuſtè accipit, non tantùm obligatur ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis, ergò, etiamſi caſu pereat, tenetur ad reſarciendum damnum, quia ratione iniuſtæ acceptionis dicitur ſemper eſſe in mora: quo fit vt omnis caſus fortuitus illi imputetur. Vide l. In re furtiua D. De condict. furtiua.

Dixi, ſi fur moram non purgauerit; quia ſi moram purgaſſet, vt Iuriſperiti loquuntur, offerendo ſcilicet rem domino, & dominus non acceptaſſet, ſed commiſiſſet ei illam cuſtodiendam aut reſeruandã in aliud tempus, non teneretur tunc ex caſu fortuito, quia non amplius ipſe fuit in mora. Si tamen culpâ eius perijſſet, tunc teneretur, ſicuti depoſitarius.

Dixi etiam, illum ordinariè teneri; quia controuertitur valde, Vtrum teneatur fur ad reſtitutionem quando res perit apud illum, quæ nihilominus peritura erat apud dominum, ſi ipſe non abſtuliſſet vel, ſi reſtituiſſet, v. g. Abſtulit fur veſtẽ vel equum ex domo alterius & tulit ad domũ ſuã; & caſu ſuperuenit incendium, quod abſumit domũ furis, atq; etiam domum domini rei furtiuæ, cum omnibus mobilibus & beſtijs, quæ in vtraque domo erant: aut hoſtis iuſtum bellum fouens inuadit ciuitatem, & diripit omnia, tam in domo, vnde fur abſtulerat, quàm in domo furis: quæritur an tunc fur ſit liber à Reſtitutione? pro cuius explanatione

DICO Secundò: Si res caſu aut iuſtâ
55 hoſtium incurſione ſimiliter ſiue eodem modo erat peritura apud dominum, prout perijt apud furem, tunc iuxta opinionem ſatis communem abſoluitur fur ab obligatione reſtituendi. Ita Pet. Nauarra lib. 4. c. 1. n. 17. Couar. ſup. Sylueſter V. Reſt. 7. quæſt. 5. §. Tertium: quamuis explicet in exemplo non omninò ſimili huic caſui. Malderus dub. 8. Leſſ. dub. 15. & alij.

Dicunt, ſi caſu vel iuſtâ hoſtiũ incurſione; quia ſi non erat peritura apud dominum, niſi per iniuriam illi inferendam, haud dubiè non liberatur fur à reſtitutione. Nam is, qui eam per iniuriam ablaturus, aut deuaſtaturus erat, fuiſſet domino obligatus; ergò ſi tu præuenias iniuriã inferre domino, obligaberis: nam obligatio quâ alter fuiſſet obſtrictus, in te iam transfuſa eſt propter damnum, quod priùs intuliſti. Quod etiam locum habet, etiamſi actio contra alterum propter eius potentiam, fuiſſet domino futura inutilis; ſufficit enim quòd præueniendo in eius loco conſtitueris, qui reſtituere debuiſſet.

Addunt quoque, ſi certò apud dominum erat res peritura; quia ſi hoc dubium ſit, vt quia fortaſſis dominus eam vendidiſſet, aut aliò tranſtuliſſet, antequam infortunium ſuperuenerit, omninò etiam iuxta omnes fur tunc tenetur, quia in dubio magis inclinandum eſt in fauorem veri domini & innocentis, quàm furis & nocentis: nec periculum, ſi quod apud dominum ſubfuiſſet, (quandoquidem ſine effectu fuerit) debet tamquam damnum cum effectu computari.

Ratio aſſertionis redditur, quia non videtur 56
fur aut iniquus detentor eo caſu cauſaſſe ipſi domino verum aliquod damnum, moraliter loquendo, quandoquidem æqualiter perijſſet ipſi res ſua eodem modo, quamuis fur eam loco ſuo non mouiſſet: & modò ille nihil detinet, quod alterius eſt; ergò fur, vt apparet, ad nihil illi obligandus eſt.

Similiter aliqui ex dictis authoribus furẽ liberant ab obligatione reſtituendi, etiamſi ipſius culpâ res talis perierit, v. g. ſi eam negligentiâ perdiderit, vel etiam vaſtarit, aut conſumpſerit: modò id fecerit eo loco & intra illud tempus, quibus alioquin certò etiam abſque eius culpa peritura erat tam apud furem quàm apud dominum, ſi adhuc extitiſſet. Ita Leſſ. & Mald. ſuprà: contra Pet. Nauar. qui expreſsè docet contrarium.

Rationem reddunt: quia res tales in eo ſtatu conſideratę domino nullius ſunt pretij, quia certò illi ſunt perituræ abſq; omni eius commodo, vti ſupponitur, ergò etiamſi fur aut alius quiſpiam eas conſumat, aut ipſius culpâ aliter perdantur, non cenſetur hic ideo irrogare damnum alicuius ſaltem momenti domino.

Confirmatur, præſuppoſitâ veritate ſecundæ aſſertionis: quia parum videtur referre aut intereſſe, quo modo apud furem res pereat, caſu an culpâ, cùm non excuſe-

Digitized by Google

tur à reſtitutione ex hoc capite, quòd tali vel tali modo apud illum perierit, ſicuti poſſeſſor bonæ fidei; ſed quia res certò erat domino peritura, vt nihil commodi inde erat futurum illi ſuperſtes; ergò &c.

57 Addunt autem modò id fecerit eo loco & intra illud tempus &c. quia ſi culpâ furis res pereat aut conſumatur eo loco, vbi citra culpam non perijſſet, fur tenebitur. Similiter ſi poſt tempus illud, quo alioquin in domo furis aut domini peritura erat: v.g. ſi fur tuliſſet rem furtiuam, vt equum aut veſtes ad illum locum, quò hoſtis, aut incendium non peruenit, & ibi culpa eius perierint; aut ſi è domo veſtes abſtulerit, vbi omnia ſunt cõflagrata, & de pòſt apud eum pereant, tenetur fur ille, ſiue ipſius, ſiue abſq; culpa eius pereant. Ratio eſt: quia res tali loco tuto conſtituta valebat ſuo domino: ſimiliter & res ex incendio erepta valet, & eſt ipſius domini, & conſequenter illi debet reſtitui. Si quis tamen rem alterius ſic eripuiſſet, non animo furandi, ſed cuſtodiendi domino ſuo, tum non tenebitur, ſi pereat etiam poſt incendium abſque ipſius culpa.

58 Contrarium verò tam ſecundæ aſſertionis, quam additamenti, quod prædicti DD. faciunt, tenet Paludanus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1. & cum illo plerique Iuriſconſulti ſimiliter ſentiunt, vt refert Couar. loco cit. Frequenti omnium conſenſu, inquit, in foro exteriori receptum eſt, occupantem rem alienam malâ fide per crimen & delictum, teneri omnino ad eius reſtitutionem & æſtimationem re peremptâ apud ipſum eodem penitus modo, quo & apud dominum foret peritura, & citat Gloſſ. ad l. D. De vi & vi armata §. Rectiſſime, cum Bartolo communiter recepto: quam opinionem (inquit) fatentur eſſe communem Alexand. in l. Cum Res §. vlt. D. De legatis: & Iuniores ad l. Quod te mihi D. Si cert. petat; & addit quod Ioannes Med. De Reſtit. q. 6. dicat eandem ſententiam etiam in foro animæ eſſe iuſtam, quem Leſſ. citat ſimpliciter pro alterâ opinione. Verùm finaliter Medina dicit ſe poſuiſſe duas reſponſiones: liberũ autẽ eſſe lectori eam eligere quam iuſtiorem eſſe cognouerit: Hæc ſecunda, inquit, planior, nec multis diſtinctionibus indiget, ſed rigidior & iuſta: altera verò ſuprà extenſa, humanior eſſe videtur. Cæterùm doctrina Paludani, vti Iuſtitiæ fauorabilior, vt indicat Medina, ita & verior eſſe videtur, & ſequenda, maximè in caſu, quo res apud furem perijt priùs, & non ſimul eodẽ euentu, quo apud dominum peritura erat, & multò magis ſi culpâ illius antè perierit, aut conſumpta vel deuaſtata fuerit: præſertim ſi nondum tunc cõſtaret rem certò perituram domino, ſi reſtitueret, aut ſi ipſe non abſumeret, aut perderet. Rationem communem reddit Palud. quia fur ſiue iniquus detentor rei alienæ ſemper eſt in mora: mora autem trahit ad ſe periculum, vt iura determinant.

Et Probatur 1. quia quando apud furem perit res furtiua ſiue culpâ eius, ſiue caſu: ſimiliter quãdo inimicus homo perdit & deuaſtat rem proximi ſui, tum dominus amittit illius dominium (quia rei non ampliùs exiſtentis nullus habet dominium) ſed loco dominij acquirit dominus ius & actionem in perſonam, quæ illã iniuſtè abſtulit, aut conſumpſit, vel vaſtauit: atqui nulla apparet ratio, quare ius illud domino iam creatum dicatur extingui, idcirco, quòd prope diem ſuccedat infortuniũ, quo res illa cum cæteris domini rebus perijſſet, ſi fur non abſtuliſſet, aut ſi eam reſtituiſſet: quandoquidem illud ius ſecundùm ſe non ſubiaceat iſti infortunio tali; ergò &c. 59

Confirmatur Primo: quia ſi res apud furem extaret, eo infortunio non obſtante, obligaretur ille domino, nec dominus amitteret ius vel actionẽ tam in furem quàm in rem ſuã vt omnes docent: cur igitur perſonalis obligatio furis remanens, poſtquam apud illum res perijt, extingueretur per hoc, quod res apud dominum perijſſet?

Confirmatur Secundò: quia ſi apud emptorem periret, teneretur ille de pretio, quamuis apud venditorem quoque certò peritura fuiſſet; ergò &c.

Dices: non videtur eadem eſſe ratio, quia per emptionem res tranſijt in dominium emptoris, & ſic huic perit, non priori domino: res furtiua autem non tranſiuit in dominium furis. 60

Reſpondetur: Quamuis in furis dominium non tranſierit res, tamen quando apud illum perit, naſcitur domino ius in furem, & in ipſo fure obligatio correſpondens ad rem ſimilem aut pretium reſtituendum, ſicuti in emptore eſt obligatio pretij ſoluendi: quare ergò domino magis peribit ius ſuum in furem, propter hoc, quod res peritura erat, quàm ob eandẽ cauſam illi pereat ius ſuum in emptorem? Certè non videtur rationi conſonũ, quod huic debeat dici obeſſe ſua iuſtitia, quia iuſto titulo rem habuit, & alteri patrocinari ſua iniquitas, quia iniuſtè abſtulit, & per ſuam iniquam actionem contraxit talem obligationem, ideoque hæc extinguatur, non illa.

Probatur Secundò: quia ſi res alicuius penes aliquem ſit titulo depoſiti, & pereat culpâ depoſitarij, tenebitur de illa depoſitarius, quamuis etiam certò peritura fuiſſet apud ipſum dominum, ſi ibi fuiſſet; ergò ſimiliter ſi apud furem culpâ illius perierit.

Et ne quis opponat, quod depoſitarius ſpeciali titulo iuſtitiæ fuerit obligatus cuſtodire rem depoſitam, & cauere periculum per- 61

lum perditionis, qualis iuſtitiæ obligatio non videtur reperiri in fure.

Contrà opponi poteſt; quòd etiam is in caſu culpæ teneatur, apud quem res eſt titulo commodati aut locati, quamuis etiam ſub pretio ſoluendo: qui certè non videtur magis obligatus cuſtodire rem domini, quàm fur, qui iniuſtè abſtulit, & ad ſuam ſolius vtilitatem detinet. Accedit, quòd licet fur non ex contractu habeat obligationem cuſtodiendi, ſicuti depoſitarius, tamen ex natura rei, eam videtur contrahere. Quibus omnibus attentis, non videntur priores opiniones in iuſtitia & iure ſatis fundatæ, ſed forſitan dici poſſunt aliquod habere fundamentum in quadam *ἐπιεικείᾳ* & humanitate, quatenus ſcilicet apparet ſatis æquum, vt dum res nihilominus domino erant certò perituræ, atque adeò perijſſent abſque omni eius commodo in re, & in ſpe, non ita rigidè ipſe earum reſtitutionem requirat ab illo, qui iniquè eas ſuſtulit, & apud quem etiam abſq; illius emolumento, perierunt; propter quod dicit Medina hanc ſententiam videri humaniorem. Quæ quidem æquitatis conſideratio magis militat, quando ſimul eodem modo & caſu apud furem perierunt, quo apud dominum perituræ erant.

62 Addidi autem, Præſertim quando tunc nondum conſtaret &c. quia quando is, qui aufert, & conſumit, aut deſtruit, videt iam rem certò & ineuitabiliter domino nihilominus perituram, abſque omni commodo, non videtur is tunc ſiue eam conſumendo, ſiue aliter deſtruendo, exercere actionem iniurioſam: quia in tali caſu poteſt præſumi dominus non eſſe inuitus, aut dici non rationabiliter inuitus. Vnde fieri poſſet, quòd ne quidem mortaliter peccaret, quando non faceret ex odio, vel inuidia, aut cum complacentia ſuper malo proximi: ſed ex leuitate, vel vt ex eo aliquid commodi perciperet, quod nihilominus proximo iam totaliter erat periturum. Quare talis non videtur contrahere reſtituendi obligationem rationе iniuſtæ acceptionis; atque ita cùm res apud eum quoque non exſtat, poterit ſatis bonâ ratione dici non teneri ad reſtitutionem in eiuſmodi caſu.

63 Dico Tertiò: Ex ſententia certa & communi, ſi fur rem vendiderit, vel conſumendo factus ſit locupletior, vt quia rebus ſuis proprijs, quas conſumpſiſſet, pepercit, tenetur ad reſtitutionem, quatenus eſt factus ditior, etiamſi apud dominum res fuiſſet certò peritura.

Ratio reddi poteſt: quia dominus loco dominij, quod in rem ſuam nunc conſumptam habebat, acquiſiuit ius & actionem in perſonam furis, quod ius elidi aut domino extingui propter alterum ſuperueniens infortunium, nec iuſtitia, nec etiam vlla æquitas permittunt, quando fur ex re illa profecit & factus eſt ditior.

Confirmatur: quia tunc pretium rei, ſiue augmentum fortunarum furis ſucceſſit in locum rei, ita vt res quodammodò in altero ſe apud furem videatur exſtare; ergò nulla poteſt ſubeſſe ratio liberandi eum à reſtitutione, ſaltem in tantum, in quantum ipſe ex re iniuſtè ablata eſt factus locupletior: nemo enim debet ex re alterius iniuſtè accepta fieri ditior, eam ſecundum ſe vel ſecundùm ſuum valorem detinendo.

DVBIVM IX.

Vtrùm fur aut quiuis alius detentor rei alienæ teneatur facere reſtitutionem iuxta ſummam æſtimationem, quam res habuit ſiue ab intrinſeco ſiue ab extrinſeco tẽpore detentionis?

Nauarrus Enchir. cap. 17. n. 26. inclinat in partem affirmatiuam: ſed rectiùs 64
Medina cod. de Reſtitutione q. 6. Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 6. n. 2. & 3. & alij, vtuntur diſtinctione. Vnde

Respondeo & Dico Primò: Si res effecta ſit melior, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, puta quia eſt maioris valoris propter eius raritatem, aut emptorum multitudinem, & adhuc exſtet, tota domino eſt reddenda, cum toto incremento. Ita communiter omnes. Ratio eſt: quia res ſemper fuit & eſt in dominio ipſius domini; vnde ad illum pertinet omnis melior eius ſtatus, qui acceſſit: vt ſi fur abduxerit equum, aut bouem macilentum, & poſtea ſint impinguati, debet reddere eos vt ſunt. Nec refert, quòd apud dominum res forſitan non fuiſſet effecta melior, vel etiam perijſſet, quia hoc ipſo, quo exſtat, eſt domini, & ratione rei acceptæ, & in ſpecie exſtãtis tenetur fur reſtituere.

Notandum tamen eſt ex Couar. & Medina locis ſuprà cit. & Pet. Nauarra lib. 4. c. 1. 65
n. 32. expenſas inde eſſe deducendas, ſaltem in foro conſcientiæ, quibus res melior eſt effecta, quaſque dominus ipſe debuiſſet facere, ſi rem ad illum ſtatum voluiſſet perducere: vt ſi fur aluerit pullum equinum, aut vitulum vſque ad iuſtam ætatem; aut ſi ex argento pateram fieri curauerit, &c. quam dominus fieri curaſſet: in foro tamen externo leges non patiuntur expenſas deduci; ſed in pœnam priuant furem illis. At verò cùm hoc pœnale ſit, non obligat ante ſententiam Iudicis, vt docet cit. loco Couar. Quare ſi quis rem ſuam recuperet meliorem effectam abſque Iudicis ſententia, tenebitur habere rationem

rationem expenſarum, quibus facta eſt melior. Si verò dominus cum damno caruerit re ſuâ, hoc etiam æſtimari ac compenſari ex parte furis debet. Quando autem per ſententiam alicui adiudicatur res ſua cum meliorationibus, tunc etiã in foro conſcientię, non videtur dominus obligari ad expenſas ſupplendas furi, cùm lex illa pœnalis non ſit iniqua: Quod etiam poteſt locum habere, quando fur rem reſtituit melioratam, & cedit domino meliorationem, ne per iudicem curet ſibi rem ſuam adiudicari.

66 DICO Secundo: Si res permanſerit in eodem ſtatu, ſuffecerit illam prout eſt reſtituere: lucrum tamen ceſſans & damnum emergens, ſi quod fuerit, ſemper domino eſt reſarciendum; huic enim fur factus eſt obnoxius ratione iniuſtæ acceptionis. Quare ſi res ablata erat induſtriâ domini futura melior, hoc æſtimandum eſt, & ſupplendum: Defectus enim ille maioris bonitatis ad lucrum ceſſans ſpectat: deduci tamen debent labores & expenſæ, ſi quæ ſimul cum induſtriâ fuiſſent adhibenda.

67 DICO Tertiò: Si res intrinſecè facta ſit deterior apud furem, ſiue culpâ eius, ſiue caſu, quamuis ſimiliter apud dominum ex eius neglectu aut inconſideratione fuiſſet deteriorata, tenebitur nihilominus fur eam reſtituere ſecundùm valorem, quem habuit quando auferebatur. Ita præter Nauarrum ſup. Mald. Tract. 4. c. 1. dub. 9. Concluſ. 4.

Probatur: Quia reuera ipſe rem tantæ bonitatis ſimpliciter & abſolutè ab altero iniuſtè abſtulit, & dominus tantum ex rebus ſuis tunc deperdidit: vt igitur æqualitas reparetur, debet rem tantæ bonitatis reddere, aut defectum ſupplere. Neque enim tantùm culpa, ſed etiam periculum, & caſus ſunt ad onus furis, qui in mora eſt, quique non tantùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione acceptionis tenetur: Sed nec ratio apparet, quare futura incuria domini rei deberet furi prodeſſe: quamuis enim quiſque rei ſuæ ſit arbiter ita vt eam deſtruere, aut negligere poſſit, non tamen idcircò alius eius iniquus detentor id potuit facere abſque iniuſtitiâ, etſi dominus hoc erat facturus.

68 DICO Quartò: Si res extrinſecè tantum ſit facta deterior apud furem, quia ſcilicet minoris iam eſt pretij, licet eiuſdem bonitatis, & dominus eam non ad lucrum ſiue negotiationem, ſed ad vſum, aut ad voluptatem tenebat, ac certò ſeruaturus erat, ſuffecerit eandem prout eſt reddere, vel ſimilem, eiuſdem bonitatis intrinſecæ, ſi apud furem perierit. Ita Medina ſup. q. 6. De Reſtitut. & alij communiter.

Ratio eſt: Quia iſta bonitas ſiue valor extrinſecus rei in hoc caſu videtur impertinens, nec debere in conſiderationem hîc venire, quandoquidem ſola bonitas intrinſeca à domino æſtimabatur, eique ſeruiret, & valitura erat. Quare tota inæqualitas videtur reparata, quando domino res eiuſdem bonitatis intrinſecæ fuerit reſtituta, nec fur maiorem quæſtum ex ea fecerit: atque ita videntur homines id ſatis communiter apprehendere.

Supplendũ tamen erit à fure, Quanti ęſtimabitur carentia vſus illius rei pro eo tẽpore, quo fuit apud furẽ: aut ſi dominus debuerit aliam rem ſimilem emere cariùs, tenebitur illud intereſſe & damnum emergens compenſare: quod DD. generaliter tradunt.

Dixi, Et dominus etiam non ad lucrum &c. quia ſi ille in tali re negotiaretur, & vel 69 dubium ſit, vtrum eam venditurus non fuiſſet, quando res erat altioris valoris, facienda tum erit eius æſtimatio ſecundum optimum ſtatum, etiam extrinſecum: & ſic facienda erit reſtitutio, vt ſatis communiter tradunt DD. quia in eo ſtatu res vendi poterat; & iuxta illum valorem futura erat domino vtilis. In dubio autem melior eſt conditio innocentis, & in eius fauorem potiùs eſt inclinandum. Quare id magis obtinet, quando certum fuerit, quòd dominus eam ſummo valore vendidiſſet. Quando tamen verè dubium eſſet, vtrùm dominus tali tempore diſtracturus eam fuiſſet, non improbabiliter quidam dicunt, poſſe tunc in foro conſcientiæ aliquid minus reddi, ratione illius incertitudinis: quia non videtur tunc damnum omninò tanti æſtimandum, quàm ſi certò res vendenda fuiſſet.

DICO Quintò: Si res apud furem facta 70 intrinſecè melior ab eodem ſit vendita, tenetur domino reſtituere æſtimationẽ, quam habuit in illo ſtatu, detractis tamen expenſis neceſſarijs, vt ſuprà indicauimus in ſimili: etiamſi apud dominum non erat futura melior. Ita quoque communiter DD.

Ratio eſt: nam totum illud incrementum intrinſecum, ſtatuſque optimus rei inhærens eſt quid pertinens ad dominum rei, ratione cuius res in ſe, & ipſi domino melior eſt iuxta communem æſtimationem; ergò ſicuti valor ſubſtantiæ rei eſt domino reddendus, quamuis fortaſſis apud dominum peritura fuiſſet, ita quoque valor huius incrementi quaſi ſubſtantialis, quamuis apud dominum illud acceſſurum non fuiſſet.

DICO Sextò: Si res apud furem ſeruata ſit aucta extrinſecè, quia maioris pretij, 71 & ipſe tunc eam vendiderit, quam dominus certò erat ſeruaturus, probabiliter aliqui opinantur tum ſufficere, quòd reſtituat ſecundùm eam æſtimationem, quâ domino erat valitura, quando ſcilicet non poteſt rem ſecundùm ſe nec aliam ſimilem ei reſtituere. Ita Leſſ. Dubit. 16. Rationem indicat: quia exceſſus ille pretij rei à fure diſtractæ

Digitized by Google

ſtractæ videtur fructibus induſtriæ annumerandus, non prouentibus ipſius rei.

Verius tamen apparet, etiam illum exceſſum pretij domino eſſe reddendum. Ita Mald. dub. 9. & ratio videtur clara: Quandoquidem enim res maneat ipſius domini, tunc quoque, quando maiori pretio venditur à fure, videtur omninò totum pretium, quod percipitur, tamquam rei pro tunc æquiualens, deberi ipſi domino, ipſique incrementum illud accreuiſſe.

72 Confirmatur Primò: quia ex omnium ſententiâ quando fur vendidit rem furtiuam, tenetur domino de pretio, quamuis apud dominum perijſſet, quia pretium in locum rei ſucceſſit: cur non igitur etiam de hoc incremento, quamuis tamdiu apud dominum non fuiſſet ſeruata? Certè quòd ſeruata fuerit, non debet eſſe bona fortuna furis, qui fuit ſemper in mora & culpa, ſed domini.

Confirmatur Secundò: quia nemo ex re aliena poteſt diteſcere: quod hîc fiet, quia fur auxerit rem ſuam ex parte pretij, quod in æquiualenti eſt res alterius.

Ad rationem itaque aliorum Reſponderi poterit, ſine fundamento illud incrementum pretij dici fructum induſtriæ: neque enim apparet ratio, quare illud incrementum, quod accedit quaſi extrinſecè, v. g. propter mercium raritatem, aut ob ſimilem cauſam, magis ad induſtriam ſit referendũ, quàm ad meliorem ſtatum rei. Nam ſicuti illi dicunt, induſtriæ eſſe, ſcire vendere rem, quando plus valet, ſic quoque dicere licebit, induſtriæ eſſe, ſcire rem vendere, quando eſt in optimo ſtatu ſuo: & proinde etiam hoc incrementum deberet cedere furi; quod tamen ipſi non admittunt; ergò &c.

DVBIVM X.

An fur non tantùm teneatur reſtituere rem ablatam ſed etiam fructus ex illa perceptos?

73 RESPONDEO & DICO Primò: Fur, & quiuis malæ fidei poſſeſſor, tenetur reſtituere non tantùm rem alienam, ſed etiam omnes fructus ex ea perceptos. Eſt doctrina communis: Sylueſt. V. Reſtitutio 3. q. 7. Pet. Nauar. lib. 4. c. 1. n. 42. & ſequentibus: Medina q. 6. Tanneri tom. 3. Diſp. 4. quæſt. 6. dub. 9. Salonij quæſt. 66. art. 6. Concluſ. 3.

Ratio eſt: quia fructus rei hoc ipſo, quo ex re proueniunt, cedunt in dominium domini ipſius rei, vt patet Inſtit. De rerum diuiſ. §. Is verò; ergò non minùs domino ſunt reſtituendi, quàm res ipſa: ita vt de illis eadem quoque ſit ratio, ſiue adhuc exſtent, ſiue perierint, quæ de re ipſa.

Notandum tamen eſt Primò, deducendas hîc eſſe expenſas, quas dominus facere debuiſſet ad fructus illos ex re ſua percipiendos: vt ſi malæ fidei poſſeſſor agri alterius, eundem excoluerit, deducenda erit æſtimatio culturæ: quod intellige non tantùm de expenſis omninò neceſſarijs, ſed etiam de vtilibus, quibus res facta eſt magis frugifera: Imò & deducenda eſt æſtimatio laboris eius & induſtriæ in foro conſcientiæ. Ita Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 23. n. 146. Emanuel Sa V. Reſtitutio n. 15. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 6. Controuerſia 3. Bonacina De Reſtit. in genere Diſp. 1. q. 3. puncto vlt. §. 2. n. 9. & alij quos citat. 74

Notandum Secundò: Concluſionem intelligendam eſſe de fructibus ipſius rei, qui ſcilicet ex ipſa re proueniunt: eſto quòd interueniat humanus labor, vel aliqua induſtria, vt ſunt fructus agri, aut elocatæ domus, vel equi elocati: non autẽ de fructibus nudæ induſtriæ, neque enim hi reſtituendi ſunt: vt ſi fur negotiatus fuerit pecuniâ alienâ, vel dederit ad vſuram, non tenetur reddere lucrum, quod fecit, vt communiter tradunt DD. ſed tantummodo ſummam acceptam, & compenſare domino damnum emergens, & lucrum ceſſans, ſi aliquid ſimile interuenerit ratione carentiæ pecuniæ. Quare ſi dominus facturus fuiſſet tantumdem, vel maius lucrum, ſi pecunia non fuiſſet ei ſublata, tenetur fur hoc totum compenſare.

Petet aliquis, quid ſi fur rem elocauerit quam dominus non erat elocaturus? 75

Reſpondeo, nihilominus pretium elocationis domino eſſe reddendum, quando ſaltem res eſt talis, quæ elocari conſueuit: quia verè pretium illud eſt fructus rei, & ſic cedit in dominium domini. Ita docent Pet. Nauarra lib. 4. cap. 1. n. 48. Tanner. tom. 3. Diſp. 4. q. 6. dub. 9. Mald. dub. 10. Azor. 3. p. lib. 4. cap. 4. Bonacina ſuprà n. 3. & alij.

Addo, quando ſaltem res eſt talis &c. quia ſi eiuſmodi ſit, quæ elocari non ſoleat, vt v. g. ſi fur alteri elocet nummos aureos ad oſtentandum quos ſurripuit, videtur pretium illud magis referendum ad fructus induſtriæ, quàm ad fructus rei.

De pretio autem elocationis torquis aurei, ſi illum fur elocet, cõtrouertitur, vtrum eſſet reſtituendum. Negat Nauar. cap. 17. n. 25. veriſimiliter ideo, quia non reputet torquem inter res elocabiles, & proinde habeat pretium illud inter fructus merè induſtriales. Sed videtur ſatis vſitatum, quòd torques aurei elocentur pretio, ſicut & vaſa argentea. Quare etiã pretiũ illud elocationis reddendum erit, quamuis domini non ſoleant, nec fuiſſent elocaturi. Si tamen hi ſint opulen-

opulentiores, qui putantur eiuſmodi pretia reſpuere tanquam vilia, tunc poterit locum habere Nauarri ſententia.

76 Dico Secundò: Non tantùm fructus perceptos, ſed etiam fructus non perceptos, quos dominus ſuâ curâ & ſingulari etiā diligentiâ ex re ſua percepturus erat, reſarcire tenetur fur,& quiuis alius malæ fidei poſſeſſor rei alienæ. Ita docent antè citati DD. & Couar. p. 2. ad Reg. Peccatum §. 6. ſub finem.

Conſtat ex Cap. Conquirente 7. & cap. Grauis 11. De reſtitutione ſpoliatorum: Reddi faciatis (inquit Pontifex) non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent. Et ratio eſt, quia tales ſuâ iniquâ detentione ſunt cauſa illius lucri ceſſantis. Vbi

77 Notandum eſt, id locum habere etiam quoad fructus rei, quos vel per diligentiſſimam operam dominus fuiſſet percepturus, quod eſt contra Deciū qui putat furem tantum teneri de fructibus quos dominus ordinariâ curâ erat percepturus, vt refert Couar. loco cit. quod ipſe reijcit. Imò teneri etiā quoad fructus nudæ induſtriæ domini, vt quos dominus facturus erat negotiādo in talibus rebus: & quidem ſi propter particularem experientiam & rerum peritiam facturus fuerit maiores fructus, quàm communiter alij, etiam exceſſus ille erit ſupplendus: Quin & ſi fur aut iniquus poſſeſſor feciſſet rem alterius magis frugiferam, & de poſt per ſuam negligentiam non percepiſſet fructus ampliores, quos dominus, re tum ſibi reſtitutâ, facturus erat, tenebitur iſte ad ampliores illos reſtituendos, quamuis dominus non fuiſſet eam rem facturus magis frugiferam ſicuti fur fecit. Ita Azor. ſup. & Leſſ. Dub. 17. & pro parte etiam Mald. Dub. 10. Et ratio eſt: quia ſicuti ab initio res, ita etiam incrementum bonitatis, quando acceſſit, debuit ſtatim cum ipſa re reddi domino, cui accreuerat, qui iam maiores ex re ſua ſic melioratâ fructus percepiſſet: Atque ita alter per ſuam moram & iniquam detentionem rei nunc magis frugiferæ eſt domino cauſa lucri ceſſantis, etiam pro parte illâ, quâ res iam eſt fecundior aut aptior, vt maiores fructus reddat:

Contrarium tamen huius tenet Couar. lib. 1. Variarum reſol. c. 8. n. 4. pro cuius opinione militat quædam, vt apparet, æquitas: quia æquum videtur, quod dominus ſit contentus fructibus, quos res illi dediſſet ſi nunquam ab eo fuiſſet ablata, quando alter maiores de facto non acceperit: & inſuper ei reddatur res iam melior effecta. Secundùm rigorem nihilominus alterum eſt verius, vt ratio adducta ſatis oſtendit. Vide Panormit: ad dictum Cap. Grauis: De reſtit. ſpoliatorum, vbi docet in rigore fori exterioris talem teneri.

Dico Tertiò: Tenetur quoque malæ fidei poſſeſſor reſtituere fructus, quos ipſe ſingulari ſuâ diligentiâ & induſtriâ ex ipſa re percepit, quamuis dominus eos percepturus non fuiſſet; modò ſint fructus ipſius rei, deductis tamen expenſis. Ita Couar. p. 2. ad Regulam peccatum §. 6. Leſſius ſup. & alij. Ratio eſt, quia omnes fructus rei, quamuis vel labor vel induſtria alterius interueniat, hoc ipſo tamen quo exſtant, cedunt in dominium eius, cuius eſt ipſa res, vt patet Inſtit. De rerum diuiſione §. Titius:& duobus ſeqq. vbi dicitur plantas, quæ terræ coaluerunt,& frumenta, quæ ſata ſunt, ſolo cedere. Vnde ſi contingat fundum pluris elocari à fure ratione plantarū quas ipſe poſuit, aut ratione domus, quam in eo fundo ædificauit, tenetur ad reſtitutionē illius augmenti, inquit Bonacina ſup. n. 6. quamdiu durant plantæ vel domus: cum enim iſta melioratio cedat domino fundi, debet domino fructificare. 78

Quæritur Primò: An fur etiam de illis fructibus teneatur, ſi non ampliùs apud illum exſtent, neque ex illis ſit factus locupletior: v.g. quia eos inutiliter conſumpſerit, aut ſuâ negligentiâ perierint? 79

Nonnulli opinantur non teneri tunc de illis vt Silueſter V. Reſtitutio 3. q. 7. n. 9. & Couar. dicto §. 6. n. 4. Petr. Nauarra ſup. n. 46. Sed oppoſitum in rigore eſt verius: quod tenet Leſſius Dubit. 17. Molina tom. 2. Diſp. 569. Sanchez ſup. n. 126. Bonacina cum alijs quos citat. Ratio eſt, quia fructus rei hoc ipſo, quo ex re exſtant ſiue ſponte aut caſu, ſiue labore & induſtriâ furis accedentibus, cedunt domino rei, vt patet Inſtit. loco iam cit. ergò debent ſtatim reddi, cùm in propria ſpecie ſint alterius; & per conſequens ſicuti illos tunc detinere, ita & eos conſumere eſt domino iniuriam & damnum inferre. Imò etiamſi fortuitò apud furem perirent, tamen de illis tenebitur; quia fuit in mora: debuiſſet enim ſtatim reddere. Si tamen hoc accideret, antequam hos fructus commodè potuiſſet reddere, tunc non erit obligandus, quia non cenſetur tum quoad hos fructus fuiſſe in mora reſtituendi: etſi enim rem iniquè detinuerit, nondum tamen eo caſu hos fructus dicendus eſt iniquè detinuiſſe.

Quæretur Secundò: Quid ſi quiſpiam alteri intulerit damnum in re, ad meliorem & perfectiorem ſtatum tendente, vtrum tenebitur integrè reſarcire, perinde ac ſi fuiſſet adulta & perfecta V. G. Conculcauit aut vaſtauit quis ſegetes, quæ vt tunc in agro, æſtimabantur ad centum, ſed in meſſe æſtimarentur ad centum quinquaginta, aut amplius: vel, occidit quis pullum equinum, 80

qui

Digitized by Google

qui tunc valebat triginta, ſed poſtea valiturus erat centum?

Quidam affirmant integrè eſſe reſarciendum damnum, ac ſi res perueniſſent ad ſuam perfectionem: deductis tamen expenſis, ſi quæ fuiſſent faciendæ. Alij verò negant: quia reſtitutio damni illati eſt tantùm facienda ſecundùm æqualitatem, prout boni & intelligentes viri arbitrabuntur.

Sed forſitan magis diſcrepant in loquendi modo, quàm in re ipſa. Neque enim veriſimile eſt, quòd prioris ſententiæ authores velint damnificatorem eſſe obligatum ad reſtitutionem, prout res adulta abſolutè valeret: verùm deductis non tantum expenſis, ſed etiam periculis fortuitorum caſuum, quibus res eſt ſubiecta; dum adoleſcit, & ad perfectum tendit.

Rurſum veriſimile non eſt, quòd ſententiæ poſterioris authores velint id ſolùm reſtituendum, quod tunc de facto res valet, abſque æſtimatione fructus ſiue profectus, qui in ſpe habetur: neque enim dixerint (vt opinor) eum, qui ſegetes conculcauit, aut vaſtauit, non teneri ad amplius, quàm valerent ſegetes nunc immaturæ demeſſæ: ſed quantum cenſentur valere iudicio prudentum cum ſpe, quod ad maturitatem perueniſſent. Et ſic vtramque ſententiam intelligendo, parum differentiæ quoad rem ipſam, videtur ſupereſſe: atque eo ſenſu vtraque poteſt dici habere ſuam veritatem.

Dicet aliquis: Non voluiſſet dominus carere re ſuâ cum diminutione facta ratione euentuum, quibus res ſubiacet; ergò apparet, quòd omninò integrè debeat illi damnum reſarciri ſecundùm æſtimationem & valorem rei omninò adultæ & perfectæ. 81

Reſpondetur Negando Conſequentiam: quia ex eo quòd dominus non voluiſſet re ſuâ carere, aut rem tali pretio vendere, non ſequitur damnum illatum eſſe maius, ſed iniuriam eſſe maiorem, quia magis eſt contra domini voluntatem. Declaratur: quia ſi quis auferat à duobus res eiuſdem pretij, vtrique ęquè cōmodas, quorum tamen vnus magis rei ſuæ afficeretur, & ęgriùs eâ vellet carere, quàm alter: non idcirco fur ille maius damnum vni infert, quàm alteri; nec plus debet reſtituere illi, quam huic: ſed benè cenſetur inferre maiorem iniuriam, quæ ſoleat veniæ petitione, aut ſimili humiliatione compenſari.

CAPVT SECVNDVM,

De peccato cooperantium ad furtum vel rapinam: & de reſtitutione per hos facienda.

DVBIVM PRIMVM.

Quinam cenſendi ſint cooperari ad furtum aut damnum: & quomodo peccent?

1 DVPLICITER poteſt alicui obuenire damnum ab alijs: Vno modo immediatè & proximè per ſe inferendo: alio modo mediatè concurrendo ſiue cooperando, vt mandando, conſulendo, conniuendo &c. De priori modo hactenus actum eſt: De altero autem modo iam deinceps agendum eſt: vbi quæritur primo, quinam cenſendi ſint cooperari ad furtum aut damnum: & quomodo peccent. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Illi cooperantur ad furtum, qui ſunt alteri cauſa iniuſtæ acceptionis rei alienæ. Ita D. Thomas quæſt. 62. art. 7. in Corpore: vbi docet duobus modis id contingere, directè, inquit; & indirectè. Tunc autem explicat quempiam directè eſſe alteri cauſam iniuſtæ acceptionis, quando poſitiuè ſuo modo concurrit & influit: Indirectè verò quando priuatiuè eſt cauſa eiuſmodi acceptionis, ſiue ablationis rei alienæ.

Generatim autem ponuntur communiter nouem modi cooperandi ad furtum, quos ſic huiuſmodi diſcurſu colligit D. Thomas: quia quatuor modis poteſt quis poſitiuè concurrere ex parte ipſius actionis, ſcilicet, eam mandando, conſulendo, conſentiendo, & laudando. Vnus verò modus ſumi poteſt ex parte perſonæ exequentis ſiue furantis, quò quis poſitiuè cooperetur receptando illum, intertenendo, aut qualitercumque opem illi ferendo

rendo: & vnus inſuper ex parte rei acceptæ, quo quis poſitiuè concurrit quatenus participat in furto, aut rapina tamquam ſocius maleficij. Tres denique ſunt modi, quibus indirectè ſiue priuatiuè quis alteri eſt cauſa furti. Primus occurrit, quando omittitur furti prohibitio aut diſſuaſio: ſecundus, quando non præſtatur auxilium, quo impediatur furtum vel damnum: tertius, quando res furtiua non manifeſtatur, ſed potiùs, occultatur. Qui omnes modi continentur his verſiculis:

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

2 Dico Secundò: Qui furto notabili cooperantur, peccant mortiferè: quemadmodum & ipſi, qui exequuntur. Eſt doctrina communis & certa.

Probatur ex Scripturis: Pſalmo 49. vbi Propheta diuerſa vitia redarguens, dicit inter alia: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Iſaiæ cap. 1. *Principes tui ſocij furum*: & Prouerb. cap. 29. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam.* Et ad Rom. c. 1. Apoſtolus generaliter pronuntiat morte dignos, non tantùm eos, qui talia agunt, ſed etiam illos, qui conſentiunt facientibus: atqui qui furto cooperantur, non tantùm conſentiunt, ſed etiam ſimul ſunt cauſa; ergò &c.

DVBIVM II.

Vtrum illi, qui cooperantur poſitiuè tunc ſolum ad reſtitutionem teneantur, quando ſic ſunt cauſa, vt ſine illis damnum non fuiſſet illatum?

3 NOnnulli ſic loquuntur, vt dicant eos cooperantes tantummodo teneri ad reſtitutionem, qui ſic ſunt cauſa damni, vt ſine illis non inferretur. Ita Gabriel in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 3. Paludanus ibidem quæſt. 2. Syluester V. Reſtitutio 3. quæſt. 6. §. 3. Adrian. in 4. de Reſtitutione quæſt. 1. §. De concurrentibus cum fure, Nauarrus cap. 17. num. 17. & ſequentibus. D. Antoninus p. 2. cap. 1. tit 12. §. 12. vbi ex Paludano ita ſcribit. Si ſine conſilio vel mandato fuiſſet nihilominus facta rapina vel damnificatio, & nihil ampliùs per illa eſt additum, non tenentur (ſcilicet qui conſilium aut mandatum dederint) niſi quantum ad eos de rapina peruenit? D. Thomas quoque in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 5. ad tertiam quæſtiunculam, vt conſulens teneatur ad reſtitutionem, requirit, vt probabiliter credat conſilium ſuum fuiſſe efficax, & quòd ſine eo, inquit, iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet. Verùm quia iſtæ locutiones poſſunt diuerſimodè intelligi, aut modificari, prout etiam à diuerſis diuerſo modo accipiuntur, hinc pro quæſtionis reſolutione ac materiæ explicatione

Respondeo & Dico Primò: Qui ſuo iuſſu, conſilio, conſenſu, laudatione, receptatione, aut ſimili modo, alterum verè mouet ad furtum faciendum, vel damnum inferendum, non ideo liberatur ab onere reſtitutionis, quia non defuturus erat alius, qui ſimiliter ſuo mandato, conſilio &c. authorem furti ad idem faciendum commouiſſet. Ita Caietanus hîc ad quæſt. 62. artic. 6. Medina Cod. de Reſtitutione quæſt. 7. & 8. Dominicus Soto lib. 4. quæſt. 7. artic. 3. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 46. & ſequentibus. Eſtque doctrina omninò certa: neque credibile eſt, quòd DD. ſuprà citati hanc propoſitionem eſſent negaturi. 4

Probatur autem, quia talis verè cauſam damni dedit: ſic enim permouit alterum, vt reuera inde damnum ſit ſecutum ex eius cooperatione: quemadmodum ſi vnus aliquis ignem applicet, vt exurat domum proximi, verè eſt cauſa iſtius combuſtionis & damni ſecuti quamuis non defuturus erat alius, qui iniuſtè ſimiliter incendium in domum erat immiſſurus: & ſicuti eſt verè cauſa mortis Petri, qui illum occidit, quamuis alius latro eum erat occiſurus, vt communiter DD. omnes tradunt; ergò ad reſtitutionem ſuo ordine tenetur: eadem enim eſt ratio ex ea parte de cauſa ſic cooperante, & de cauſa principaliter exequente. Neque verum eſt, vt quiſpiam ſit cauſa propriè dicta & efficax, quod debeat ita eſſe cauſa, vt eâ non poſitâ, effectus non eſſet ſecuturus: ſufficit enim quòd ipſe abſolutè & efficaciter in effectum influat; eſto, quòd ſi hic defuiſſet, alius aliquis eundem effectum materialem fuiſſet operaturus. Qamuis ſi fortuito caſu, & ſine iniuſtitia idem malum proximo erat obuenturum certò & ineuitabiliter, idque fuerit ab authore præcognitum, tunc à reſtitutione veriſimiliter poſſit abſolui, non quòd ſimpliciter non fuerit cauſa illius effectus, ſed quia præſumere potuit dominum non eſſe inuoluntarium, aut ſaltem non rationabiliter in tali caſu, prout latiùs diximus cap. præcedenti Dub. octauo.

Dico Secundò: Si fur aut alius iniqui facti executor abſque meo conſilio, 5
iuſſu,

iuſſu, collaudatione &c. æquè nihilominus & eodem modo damnum erat illaturus ex proprio motu, tametſi quoq; nulla alia ſimilis cauſa conſulendo, mandando &c. fuiſſet ſuperuentura, tum ad reſtitutionem non obligabor: vt v. g. ſi conſilio aut mandato, vel conſenſu &c. inuitem illum ad factum, qui iam operi ſe accingebat, paratiſſimuſque ac reſolutiſſimus erat perficere: quique non ideo celeriùs, nec atrociùs, aut alacriùs malum infert, nec in propoſito firmatur, ad reſtitutionem damni quod præſtat, non tenebor. Ita Medina Cod. de Reſtitut. cap. 7. Pet. Nauarr. lib. 3. c. 4. n. 48. & alij communiter.

Ratio eſt: quia tametſi tali caſu grauiter peccem etiam peccato contra iuſtitiam ex parte affectus & voluntatis, tamen quia ſiue mandatum, ſiue conſilium meum non efficaciter in damnum influit (quatenus ſcilicet nihil ad actionem confert) ideo non poſſum aut debeo cenſeri cauſa damni extrinſecè & rationaliter illati: non enim aliter me habeo ad illud ac ſi tantum approbarem factum iniquum, quod alter commiſit, aut committit, nihil interim ad factum conferendo.

6 Dico Tertiò: Quamuis fur ſine mandato, conſilio, aut conſenſu meo &c. erat rem ablaturus vel illaturus damnum, ſi tamen mandatum, conſilium, aut conſenſus meus &c. accedat, & ſimul moueat & influat in actionem damnoſam, vt fit, quando citiùs, animoque ſecuriùs, vel atrociùs ipſe exequitur factum ſuum, veriùs apparet me tunc ad reſtitutionem quoque teneri. Videtur eſſe contra Gabrielem, Paludan. Syluest. Nauar. ſuprà in initio Dubij allegatos: ſed nobiſcum ſentiunt Pet. Nauarra, Medina, Malderus tract. 4. cap. 2. dub. 3. & alij pro prima Concluſione citati.

Probatur: quia ſic iubens, conſulens, laudans &c. verè eſt concauſa efficaciter influens in actionem damnoſam; ergò de damno tenetur. Neque refert, quòd exequens erat per ſe ſufficiens & quoque damnum illaturus ſine tali conſilio &c. quia non iuſtificat factum meum, quòd alter idem fuiſſet iniquè perpetraturus, quando ego præuenio aut efficaciter ſimul operor, vt ex dictis poteſt colligi. Vnde etiam D. Th. hîc in ſumma quæſt. citatâ 62. art. 7. dicit ſimpliciter: Et ideo quicumque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur, inquit, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quòd ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſecuta; neque addit, & quòd ſine illis non fuiſſet facta. Sed contrà

Obijcitur: Qui volenti nunc furari ſua-
7 det, vt differat in alterum diem, is videtur cauſa furti illius in indiuiduo, quod alter tali die committit; & tamen non apparet, quòd idcircò ſit obligandus ad reſtitutionem. Similiter ſi quis rogaret, vt latro non occideret alterum hoc loco, v. g. in cœmeterio, ſed potiùs alio loco videtur is cauſa, & concurrere ad illam occiſionem, vt hîc & nunc fit; & tamen non teneretur de homicidio propterea in conſcientia: ergò licet quiſpiam influat aliquo modo in actionem quoad indiuiduationem, modò tamen abſque illo actio ſimilis in ſubſtantia erat ponenda, non debebit idcirco dici obligatus ad reſtitutionem ſeu reparationem damni.

Reſpondetur dupliciter fieri poſſe, quòd quis volenti, & iam parato inferre malum proximo, conſulat vt differat in alterum diem. Vno modo ſic, vt conſilium illud cauſet & influat ſolùm in dilationem facti; prodeat autem altero die ipſum factum ab eâ tantùm voluntate præconcepta & virtualiter perſeuerante, non accenſâ, non renouatâ ex virtute illius conſilij: & tunc verum eſt, quòd ille conſultor non obligetur ad reſtitutionem damni, quia reuera nec phyſicè nec moraliter influxit in ipſam actionem, quamuis aliqua eius circumſtantia, temporis ſcilicet, ſit mutata ratione huius conſilij: ſed ſic mutata, vt hæc mutatio magis nata fuerit impedire, quàm cauſare, vel promouere factum, ſicut & ipſum conſilium tale. Et ſic ferè ſolet res ſe habere, quando conſultor dilationis intendit aut ſperat factum impedire: quemadmodum, ſi quis ad tempus cohiberet latronem ne alterum occideret, & poſt effugiat ac occidat, non poterit is qui cohibuit, dici cauſa illius occiſionis, aut in eam influere, licet ratione cohibitionis ſit mutata circumſtantia temporis & loci.

Alio modo poteſt fieri, quòd conſultor
ille, dum dilationem procurat, ſimul in- 8
fluat in actionem, quæ alterâ die eſt committenda, vt ſi ita ſuadeat dilationem vt etiam media ſuggerat, quibus alterâ die ſecuriùs fieri poſſit, vel voluntatem ſimul accendat, & renouare faciat: & de tali dicendum eſt, quòd teneatur etiam ad reparationem damni alterâ die ſecuti, non obſtante, quòd exequens hodie illud intuliſſet, ſi conſultor ille ſeſe non immiſcuiſſet. Ratio eſt, quia reuera eſt concauſa iſtius iniquæ occiſionis, quæ die ſequenti fit.

Declaratur à ſimili: quia ſi quis alteri ſuaderet, vt ſuum factum differat, & quòd die ſequenti ſimul cum illo velit illud exequi, & tum etiam exequatur ſimul cum illo, non eſt dubium, quin tenebitur ſimul de damno, quamuis alter pridie ſolus intuliſſet; ergò ſimiliter conſultor, quando eius conſilium influit,

Digitized by Google

eſtque cauſa ſimul facti, quòd ſequenti die committitur.

9 Dico Quartò: Si fur non totum, aut non tam multum erat ablaturus, ſed partem aliquã dumtaxat, niſi alter vt totum, vel vt plus auferre mandaſſet, ſuaſiſſet, aut alio modo ex dictis ad amplius fuiſſet cooperatus, volunt quidam vt Syluest. V. Reſtit. 3. q. 6. n. 3. eo caſu talem cooperatorem teneri, non tantùm de parte ampliùs ablata, ſed etiam in ſolidum de toto. Alij verò, inter quos Medina de Reſtit. q. 8. & Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 12. nu. 4. Malder. ſuprà docent eum teneri tantùm de parte illa, quam occaſione cooperationis, fur amplius abſtulit: & hoc ordinariè videtur verum eſſe. Explicationis gratiâ ſit caſus iſte: Petrus paratus eſt, & iam indubitatè auferet decem: Adeſt Ioannes, qui ſuadet, vt auferat & alia decem; vel ſimpliciter ſuadet & dicit ei, vt auferat viginti, qui ablaturus erat decem, dicimus Ioannem, aut ſimilem conſultorem, non teneri tunc de viginti, ſed tantùm de decem, ſaltem ordinariè. Adrian. in 4. q. 1. de Reſtit. §. Iam dicam, admittit quidẽ conſultorem tantùm teneri de decẽ, ſi ſolùm dixerit tali furi, vt auferret alia decẽ: verùm ſi dixerit, vt auferret viginti, putat tunc eum teneri de viginti, quamuis fur ſine eo fuiſſet ablaturus decem. Sed licet euidentiùs appareat, illum, dum priori modo conſulit, teneri tantùm de decem, quàm dum poſteriori modo loquitur, quia faciliùs tunc apprehenditur tantùm eſſe cauſa iniquæ ablationis quoad alia decem, tamen probatur etiam teneri tantum de decem, quando poſteriori modo conſulit aut agit: quia eſto, ſupponamus vnum eſſe indiuiduum actum voluntatis, quo vult nunc fur auferre viginti, qui volebat auferre decem, & vnam quaſi indiuiduam actionem, quâ viginti nunc aufert (quod aliorum eſt fundamentum) tamen quia in actibus illis reperitur quædam veluti extenſio ratione obiectorum, hinc poteſt accedens conſilium intelligi influere in actiones illas, quatenus attingunt eam partem obiecti; quæ alioquin auferenda non erat, & eatenus ab illo conſilio dependere, non autem vt attingunt alteram partem, ad quam auferendam iam prius erat voluntas determinata: atque adeò eatenus non ab illo conſilio, ſed ex priori determinatione profluere ac dependere. Et quidem ita videtur res ſe ordinariè habere in ſimilibus caſibus.

10 Dico, ordinariè; quia fieri poteſt, quòd voluntas furis, vel alterius hominis nequam, ad aliquam damni partem inferendam iam parati, ſic illo conſilio afficiatur & incendatur, vt volitio damni ſecundùm totam latitudinem quaſi de nouo naſcatur ex illius influxu & efficacia; cuius rei ſignum poteſt eſſe, ſi fur iſto conſilio excitetur & animetur, non tantùm ad plus auferendum, ſed ad liberiùs, alacriùs vel atrociùs facinus patrandum, totumque damnum inferendum, quam prius eſſet ad auferendam partem: & tali caſu conformiter ad ea, quæ ſuprà diximus, tenebitur conſultor in ſolidum etiam de toto.

Cæterùm addit Medina ſuprà quæſt. 7. quia ſciri non poteſt, quandonam agens, qui iam paratus erat damnum inferre, moueatur quoque ob conſilium ipſum ad furandum, niſi cognito animo ipſius agentis, quòd ideo, dum animus agentis ignoratur, non obligaret ipſe conſulentẽ ad reſtituendum ſub pœna peccati mortalis: modò paratus ſit reſtituere quando ſciuerit ſe cauſam furto dediſſe. Intellige, ſcil. ita dediſſe, quòd eius conſilium ſimul in furtum influxerit: & hoc rectè, quando non adſunt ſigna, quæ diximus, ex quibus ſatis appareat, quòd conſiliũ addiderit animum, & incenderit voluntatem furis. Notat præterea ex ſolo conſilio ſine ope adhibitâ generaliter non teneri conſultorem in foro iudiciali, ſecundùm leges, vt habetur Inſtitut. De obligat. quæ ex delicto naſc. §. Certè qui nullam opem: quamuis in foro conſcientiæ ad reſtitutionẽ obligetur, ſecundùm iſta quæ dicta ſunt.

DVBIVM III.

An iubens & conſulens aliquando non incurrant obligationem reſtituendi.

Respondeo & Dico Primò: Non incurrunt, quando dato mandato vel conſilio, nullus poſtea ſequitur effectus. 11

Ratio eſt euidens: quia licet peccauerint iniquâ voluntate contra ius proximi, tamen quia reſtitutioni locus non eſt, quando nullum damnum realiter eſt illatum, hinc obligationem reſtituendi nullam contrahunt.

Dico Secundò: Non incurrunt etiam obligationem reſtitutionis, licet damnum ſit illatum, quando præceptum vel conſilium ad damni illationem impertinenter ſe habuit, nec præbuit aliquam efficaciam aut influxum in actionem furis, vel alterius iniqui damnificatoris, iuxta ea, quæ diximus Dubio præcedenti Concluſione ſecunda, Vt ſi executor facti nihil omninò motus fuerit meo mandato, vel conſilio, qui iam pertinaciter reſolutus erat facinus patrare. Cuius rei ſignum eſſe poterit, ſi reſponderit, Non curo mandatum tuum, vel, Non egeo tuo conſilio, iam firma ſtabat & ſtat

Digitized by Google

& ſtat ſententia id faciendi, aut ſimili modo id indicauerit. Quin & dum dubium eſt, vtrum operatio mea influxerit in opus, non tenebor dubio manente, iuxta Syluest. V. Reſtitutio 3. q. 6. vt notat Mald. Tract. 4. cap. 2. dub. 3. & ſignificat Medina ſuprà quæſt. 7.

12 DICO Tertiò: Similiter non incurrit reſtituendi obligationem mandans, qui ante executionem mandati, illud reuocauit, & reuocationem ipſi mandatario intimauit. Ita communiter D D. & extant eâ de re plures leges D. Mandati.

Ratio eſt: quia iam ſuſtulit cauſam, quam dederat, eiuſque vim & efficaciam eneruauit: quia mandatum non mouet aut influit, niſi quatenus inducit quandam obligationem, & veluti neceſſitatem alteri imponit ſatisfaciendi voluntati mandantis, quæ tolluntur per reuocationem. Si tamen duo ſint mandatarij ſubordinati, & primus iam iniunxerit ſecundo, nō ſufficiet reuocaſſe mandatum apud primum, eique iniunxiſſe, vt apud ſecundum reuocet, niſi de facto etiam apud ſecundum fuerit reuocatum: alioquin ſi hic exequatur, tenebitur etiam primus iuſſor, vt notat Mald. cap. 3. dub. 3. quia non ſufficienter remouit cauſam, quam poſuit.

13 Notant hîc quidam, ſufficere tacitè reuocaſſe mandatum, vt v. g. ſi mandatario conſcio mandans fecerit pacem, & redierit in gratiam cum illo, cui debebat malum inferri. Sed non videtur modus iſte reuocandi ſatis tutus, & fortaſſis non ſufficere: quia facilè contingere poteſt, quòd mandatarius apprehendat pacem illam non ex vero animo factam, præſertim quando dominus habitâ opportunitate reuocandi mandatum, non illud expreſsè reuocat. Alterum autem, quod ſimiliter notant, verius dicitur, ſcilicet ſi mandatarius non acceptauerit mandatum, & tamen poſtmodum exequatur factum, non teneri tunc mandantem de damno: quia per mandatum non acceptatum non cenſetur mandans in actionem ſequentem influere, ſed executor ex motu proprio tum agere iudicandus eſt.

14 Sed petet aliquis, Vtrum ſi poſt mandati reuocationem, mandatario inſinuatam, ipſe tamen perſiſtat in propoſito facinoris patrandi, v. g. occidendi Petrum, vel domum eius incendendi, an obligetur mandans lege iuſtitiæ monere Petrum, vt ſibi caueat, aut aliter effectum impedire, ita vt alioquin teneatur de damno ſecuto?

Reſpondetur Primò, Certum eſſe, quòd obligetur lege charitatis ad ea omnia præſtanda quæ oportuna ſunt ad impediendum malum: & quidem ſtrictiùs quam alij: quia occaſionem ſaltem periculi poſuit, in quo Petrus verſatur.

Reſpondetur Secundò, Quòd non teneatur ex iuſtitia in qualitate mandantis. Ratio eſt: quia licet mandatum priùs datum fuerit iniquum & iniurioſum Petro, quatenus natum erat cauſare tale malum ſiue incommodum Petri: tamen quia mandatum illud iam ſublatum eſſe ſupponitur, ceſſat mandans in qualitate mandantis concurrere, aut cooperari ad malum adhuc iminens Petro.

Reſpondetur Tertiò, Nihilominus verius videri, quòd ſimpliciter teneatur ex iuſtitia impedire malum illud Petri, quantum in ipſo eſt; ita vt ſi id non faciat, teneatur de damno ſecuto, quia ſcilicet non obſtitit, quando debuit & potuit; Licet aliter ſentiat Leſſius. 15

Probatur: quia valde rationi conſentaneum eſt, eum, qui iniquâ actione cauſauit alteri periculum, cenſeri non tantùm obligatum ex iuſtitia ad cauſam amouendam, quam poſuit: ſed etiam ad præcauendum idem periculum, quantum poteſt, ſi ex cauſa eius, licet iam amotâ, ſuperſit adhuc occaſio malum inferendi: atque adeò niſi id fecerit, malum illi quoque venire imputandum, ſi illatum fuerit: ad eiuſmodi enim obligationem rationabiliter ei imponendam, atque adeò illi ex naturali ratione & iure ineſſe, exiſtimandum, omninò videtur ſufficere, quòd Petrus ex iniuria à mandante ſibi illatâ per prius iniquum mandatum verſetur in hoc periculo.

Dices: Si ita ſit, ergò videbitur dicendum, quòd mandans ſemper tenebitur ſecuto effectu, etiamſi non tantùm reuocauerit & reuocationem ſignificauerit, ſed omnibus alijs modis quoque fuerit conatus impedire: ſicuti is, qui per iniuriam conſtituit aliquem in periculo hoſtium, tenetur de damno ſecuto, quamuis conatus fuerit omni modo eum eripere, & non potuerit. 16

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia dicimus illum obligari ex iuſtitia, non in qualitate mandantis, aut aliàs poſitiuè cooperantis, ſed in qualitate non obſtantis, qui obſtare tenebatur. Talis autem quando fecit, quod potuit, ad impediendum malum, & illud nihilominus ſequitur, non tenetur de ſecuto damno. Exemplum autem allegatum non eſt ſimile, quia ille ſupponitur cauſam damni ſecuti dediſſe ſiue poſuiſſe, quam debet ſuſtuliſſe efficaciter, vt cenſeatur non cooperari damno: nec ſatis eſt voluiſſe tollere aut laboraſſe ad tollendum. Sicuti ſi mandans velit mandatum reuocare, & de mandatario inquirat, ſed interim mandatarius ante intimatam reuocationem exequatur, tenebitur nihilominus mandans de damno ſecuto: quia licet fuerit conatus cauſam à

ſam à ſe poſitam amouere, non tamen de facto amouit: ſed quando reuocauit & reuocationem mandati inſinuauit, tunc cauſam, quam dederat, amouit de facto, & quod proinde alter vlterius agit, id ex ſe ipſo, non ex aliqua motione aut influxu mandantis agit. Vnde hic non cenſebitur iam poſitiuè cooperari: ſed tamen quia per iniuriam dedit ſaltem occaſionem iſti vlteriori malę voluntati alterius, hinc dicimus eum ex iuſtitia obligari ad obſtandum, quantum poteſt: eo autem præſtito ab onere reſtituendi liberari, quamuis alter exequatur:

Declarantur iſta à ſimili, quia iuxta communem etiam ſententiam tenetur mandans ex iuſtitia ad impediendum, quando mandatarius eſt ipſius ſubditus (vt ferè eſſe ſolet) quem cohibere aliàs tenetur: præſtito autem quantum in ſe eſt, ad impediendum, ipſe exoneratur, licet alter factum exequatur: ergò etiam in caſu poſito: quia tametſi mandatarius fortaſſis non eſſet ſimpliciter ſubditus, tamen mandans ſufficienter contraxit obligationem impediendi ex eo, quòd ipſius occaſione alter verſetur in iſto periculo, ſicuti modò oſtendimus.

17 Dico Quartò: Is qui ratum tantummodò habet damnum, nomine ſuo ab alio illatum proximo, non tenetur in foro conſcientiæ ad illius reparationem. Ita Medina de Reſtit. q. 7. Pet. Nauarr. lib. 3. c. 4. n. 69. Mald. ſup. dub. 3. & DD. alij ſatis communiter. Nauar. tamen cap. 27. n. 233. exiſtimat ratihabitionem tunc adinſtar mandati obligare, quando quis ratum habet facinus nomine ſuo patratum ab illo, cui ipſe mandare poterat: quod etiam indicat Syluester ſuprà V. Reſtitutio 3. q. 6. Sed

Probatur ſimpliciter Concluſio: quia per nudam ratihabitionem non influit quis in ipſum opus damnoſum, neque ex illo vt cauſa efficienter mouente dependere poteſt. Nec refert, quòd illatum ſit nomine tuo, quia inde tantum ſequitur quòd fueris quodammodò finalis cauſa, ſcilicet vt tibi gratum præſtaretur: ſed non id ſatis eſt, vt cenſearis cauſa voluntariè concurrens & mouens ad damni illationem; & ideo nec eius reparatio tibi debet imponi, quamuis per ratihabitionem efficiaris reus ipſius culpæ in conſcientia. Si tamen quis vel implicitè mandaſſet, vt ſi ſeruis priùs dixiſſet, rem gratam ſibi facturum illum quicunque tale quid exequeretur, & ſerui exequantur; iam de ſecuto damno tenebitur, ſicuti Henricus II. Rex Angliæ Thomam Epiſcopum Cantuarienſem fecit occidi. Quod ſimiliter habebit locum, ſi priùs expreſsè mandaſſet quamuis à longiori tempore, niſi mandatum fuerit reuocatum, aut niſi mandaſſet fieri intra certum tempus, quod diutiùs eſſet præterlapſum: imò ex talibus mandatis tenetur, licet ratihabitio poſtmodum non accederet. Sed contra concluſionem

Opponitur Capit. Ratihabitio De Regulis iuris in 6. vbi dicitur, ratihabitionem retrotrahi, & mandato non comparari; ergò qui ratum habet maleficium, tenetur ad damni reparationē, ſicuti is, qui mandauit. 18

Reſpondetur Neg. Conſeq. Regula enim illa Iuris intelligenda eſt militare in ijs, quæ ratihabitione quaſi de nouo fiunt & formantur, vt principaliter ſunt contractus, qui licet præteriti, tamen voluntate ſolâ poſtea declaratâ firmantur, & quaſi de nouo formantur.

Item ad diſpoſitionem illius Cap. referri poſſunt reatus illi culpæ atq; etiam pœnarum, in quibus iura id ſpecialiter ſtatuerunt. Quemadmodum ſi quis ratam habeat percuſſionem clerici, ab amico ſuo factam ad illi complacendum, incurrit excommunicationem per Cap. Cum quis 23. De ſententia excommunicat. in 6. modò tamen percuſſio illius nomine ſit facta, & eam tanquam nomine ſuo factam habeat ratam, vt tradit Mald. ſuprà ex Aret. Tract. de Maleficijs tit. de Mandatore delicti n. 34. Non autem militat in ijs, in quibus tantùm ſpectatur initium, ſiue cauſa, vt ait Gloſſa ad Cap. cit. ſiue quæ per ratihabitionem non quaſi iterantur, quale quid eſt ipſum damnum proximo illatum, in quod nullo modo influit ratihabitio ſequens, neque illud renouat: ſed influunt ea, quæ præcedunt. Quare non poteſt ratihabitio æquipollere hîc mandato quoad efficientiam, quæ prioritatem requirit, & vnde dependet reſtitutionis obligatio. Si tamen ratihabitio impediat reſtitutionem, quam alter alioquin feciſſet, iam incipiet de damno quoque teneri.

Vt autē quę de conſulente dicenda reſtāt, clariùs explicentur & pleniùs intelligantur. 19

Notandum eſt, poſſe quempiam triplici ratione dici conſulentem. Primò, quia rogatus vel ſpontè inſtruit alterum de honeſtate vel turpitudine actus, & docet eum, quòd ſit licitus vel illicitus. Secundò, quia meditanti inferre malum proximo explicat modos & media, quibus poſſit illud exequi, aut ſaltem commodiùs, vel ſine periculo peragere. Tertiò dicitur aliquis conſulens, non quia alterum propriè inſtruit; ſed quia ſub ſpecie vtilitatis, voluptatis, vel honoris, quæ ob oculos ponit, ingenerat alteri affectum ſiue voluntatem, aliquod malum alteri inferendi, aut talibus modis voluntatem accendit, & corroborat. His præmiſſis

Dico Quintò: Qui tertio hoc modo conſuluit maleficium, non liberatur ab onere reſtitutionis, quantumuis ipſe ante executionem retractauerit incentiuam ſuaſionem, dixeritque ſe rem malam ſuaſiſſe, aut aliàs conatus fuerit contrarium ſuadere; ſi 20

nihil-

nihilominus alter vtilitate, voluptate, aut vanæ gloriæ cupiditate, aut alijs propoſitis illectus & inflammatus, inferat malum, nec monitori iam velit auſcultare & abſtinere. Ita Malderus ſup. Tract. 4. cap. 2. dub. 3. §. De conſulente. Leſſ. lib. 2. cap. 13. dub. 3. n. 16. & alij DD. quamuis non deſint qui contrarium tenere videantur, vt Salonius q. 62. art. 7. Concl. 6. Azorius p. 3. lib. 4. cap. 11. & Pet. Nauarr. ſup. tit. 27. quorum opinionem admittit Leſſ. non eſſe improbabilem num. 18. Sed

Probatur Concluſio: quia ſuaſio priùs facta perſeuerat & verè influit in maleficium, non obſtante, quòd author retractauerit, & conatus fuerit effectum impedire; ergò tenebitur de maleficio ſecuto.

Confirmatur à ſimili: Nã ſi quis applicuit ignem ad domũ, aut ſegetes alterius, & poſtmodum velit ac conetur ſupprimere, ſed de facto non ſupprimit, quia non poteſt, haud dubiè tenetur de damno ſecuto; ergò &c. Probatur conſeq. Quando enim aliquis verã cauſam dedit, non ſatis eſt, voluiſſe aut laboraſſe ad eam amouendam, vt quis damni non cenſeatur author, ſed de facto debet amouiſſe. Quare hîc locum habet commune dictum: Malum conſilium conſultori peſſimum. Debebat enim ille perpendere mala, quorum ſe ſuadendo conſtituebat quaſi authorem: ac ſimul attendere, poſtea veriſimiliter non futurum in eius poteſtate impedire, ne ſuaſio ſortiretur effectum, quamuis forſitan impedire vellet.

21 Dices: Ille, qui conſilium ſuum reuocauit modo ſuprà dicto, videtur nunc bono conſilio affeciſſe animum, quem malo infecerat; non igitur ampliùs de effectu poſtmodum ſecuto tenebitur.

Reſpondetur, Non verè affeciſſe animum bono cõſilio, quamdiu vim prioris ſuaſionis, eiuſque motionem non abſtulerit: quia licet conatus fuerit afficere ille, non tamen hic ad animum admiſit. Si verò quis ſuaſiſſet, aut precibus induxiſſet alium, vt tale quid faceret tantummodo in gratiam & vtilitatem ipſius ſuadentis, & hic ante executionem reuocet, conteſteturq; non fore ſibi factum gratum, nec ſe habiturũ pro re ſibi commodâ, ſed pro damnosâ, tunc rectè dicetur talis ab onere reſtitutionis abſolutus, quamuis alter exequatur: & eo caſu locum habere poteſt opinio Pet. Nauar. Salonij, & Azorij. Ratio eſt, quia ſic reuocando, ac cõteſtando adimit priori cohortationi ac petitioni ita propoſitę omnem vim motiuam, vt quilibet facilè apprehẽdit. Vnde quòd alter de poſt agit, merè ex ſua voluntate agit, non ex influente alterius conſilio aut petitione.

22 Dico Sextò: Si quis ſecundo modo prædicto fuerit conſulens, quia ſcil. machinanti malũ proximo ſuggeſſit, aut apperuit modos & media, quibus poſſit malã voluntatem explere, tenebitur ille ſimiliter de malo effectu ſecuto, quantumuis laborauerit alteri contrarium ſuadere.

Ratio eadem eſt, quæ ſuprà: quia inſtructio data de modo exequendi verè cõcurrit ad factum, & illâ mediante etiam is qui eam dedit: quemadmodum qui furioſo præbuit arma ad alterum occidendum, cooperaretur ad occiſionem, etiamſi fortaſſis pœnitentiâ ductus voluerit repetere, nec recuperare potuerit. Quare non ſatis eſt laboraſſe per contrariam inſtructionem ad prioris effectum impediendum, ſed neceſſe eſt eam euertiſſe, vel effectum omninò impediuiſſe, vt cenſeatur non alteri cooperari. Quod ſi quis tamen ita contrario modo inſtruxiſſet, oſtendendo modos & media à ſe ſuggeſta nõ eſſe conuenientia, vel ea eſſe periculoſa, ita vt alter his relictis cogitauerit & adinuenerit alia, quibus facinus ſuum perficiat, tunc huiuſmodi conſultor à damni reſtitutione haberi poteſt immunis, ſi aliàs non accenderit illius affectum & voluntatem: quia iam eius conſilium ſeu inſtructio non influit nec concurrit ad factum.

Dixi, Si machinanti malum dederit tale conſilium, quomodo poſſet cogitationem ſuam explere; quia ſi tantum fortuitò quis in genere dixerit, quâ ratione furtum aliquod ſubtiliter & impunè, ſiue abſque periculo fieri poſſit, non in ordine, vt quis illâ cognitione vtatur, ſed pro recreatione, vel ad oſtendendam induſtriam, tum licet fortaſſis quiſpiam inde occaſionem arripiat furandi, non idcirco de furto ſecuto tenebitur, eò quòd talem diſcurſum fecerit, vt Mald. tradit ex Graffio, qui ad huius rei confirmationem adducit illud dictum Iureconſultorum: Multa in genere licent, quæ in ſpecie non licerent. 23

Ratio reddi poteſt: quia ipſa notitia ſpeculatiua, eiuſque explicatio ex ſe mala non eſt; imò poteſt bonum habere vſum, vt quiſque ſcilicet ſibi prouideat contra eiuſmodi cautelas: præter intentionem autem eius eſt, quòd alter eâ notitiâ abutatur. Si tamen aduertiſſet, aut facilè aduertere potuiſſet, adeſſe tales, qui tali inſtructione abuterentur, tum videretur obligari, quia cenſebitur interpretatiuè dediſſe eis conſilium faciendi furtum.

Dico Septimò: Qui fuerit conſulens primo modo, quia ſcil. conſultus v. g. ſuper iuſtitia contractus, aut ſuper iure alicuius falsò dixerit contractum eſſe iuſtum, quo tamen alius defraudatur, vel dixerit aliquem ius habere, quod non habet, liberabitur is ab onere reſtitutionis, ſi ante executionem ſui conſilij, retractauerit dictum ſuum, ſignificaueritque ſe malè informaſſe alterum. Ita communiter DD. 24

Ratio eſt: quia per hanc retractationem amouet reipsâ cauſam à ſe datam, nimirum authoritatem aſſerentis, quæ poterat alium mouere ad iniuſtitiam committendam.

Petet aliquis: Quid ſi plauſibilia adiunxerit argumenta, & alter nunc diceret, ſe adhærere eius rationibus, non autem credere illi nunc contrarium aſſerenti?

Reſpondetur, conſultorem tunc obligari, vt argumenta iſta diſſoluat, & ſufficienter oſtendat, ea non conuincere, nec probabilem poſſe generare opinionem. Quòd ſi eo præſtito, nihilominus alter velit ad factum progredi, iam meritò præſumitur non moueri conſilio priùs dato, ſed tantùm propriâ ſuâ malitiâ, quodque tantùm pro velamine eius obtendat conſilium alterius, & rationes priùs factas, quandoquidem conſulens reuocauit dictũ ſuum & clarè oſtendit, argumenta ſua nihil probare.

Petes Secundò: Quid ſi conſultus quiſpiam, bonâ fide ſuggerat conſilium falſum & noxium, ſiue ipſi petenti, ſiue tertio, vtrum de damno tenebitur?

24 Reſpondetur: Si ratione officij aut profeſſionis, vel quia aliàs ſe pro perito in tali genere exponit & vendicat, ab eo conſilium petatur, tenebitur de damno, ſi ex ignorantia craſſa vel quomodolibet lata culpa id procedat. Ita Ioan. Medina Cod. De Reſtitut. quæſt. 7. ad 2. & Pet. Nauarra lib. 3. cap. 3. n. 23. iuxta illud, inquit, ſi culpâ tuâ datum eſt &c. De iniurijs & damnis Cap. Finali: & alij ſatis communiter.

Probari poteſt Primò: quia talis ex officio aut profeſſione tenebatur id ſcire, & cõſultus vitare in ſua reſponſione eiuſmodi errorem vel negligentiam, & non fecit; ergò cenſetur cauſa damni ſecuti. Deinde ratione officij aut profeſſionis exiſtimatur prudenter ab eo, qui conſilium petit, eſſe ſufficiens, vt ſanum conſilium dare poſſit; ergò ſi non ſit ſufficiens, & reſpondeat, decipit alterum. Vide dicta ſuprà Tract. 2. cap. 1. dub. 7.

Dicet aliquis: Regula Iuris in 6. habet, quòd nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non ſit, obligetur; ergò &c.

Reſpondetur Primò, Regulas iſtas potiſſimùm concernere forum externum; nos autem hîc loqui de foro conſcientiæ. Deinde conſilium cenſeri fraudulentum, non tantùm, quando dolus formalis intercedit, ſed etiam, quando conſultor, qui prudenter idoneus habebatur, culpam latam admittit.

25 Notant tamen DD. circa hanc materiam numquam teneri illum, qui reſpondet iuxta ſententiam verè probabilem: ſi tamen agatur de cauſa ventilandâ in iudicio, deberet explicare oppoſitũ eſſe probabilius, ſi ſciret: quia ſic debet Iudex iudicare: vnde alioquin ex eius conſilio exponitur cliens periculo expenſarum inutilium, quarum ipſe videbitur cauſa. Præterea notant, nec illum, teneri qui tantùm ſimpliciter aperit ſuam opinionem, dicens, ſic ſibi videri, non aſſerens, neque ſuadens, vt alter ſequatur. Similiter neque eum, qui indicat ſe dubitare: tum enim conſilium petens debet ſibi adſcribere, ſi ſequendo talem dubiam reſolutionem, ipſi incomodum obueniat. Quando autem non ratione officij aut ſimili titulo petitur ab aliquo conſilium, & hic dederit conſilium non fundatum, bonâ tamen fide, non tenebitur de damno, quamuis etiam ſe ingeſſiſſet ad conſilium dandum. Licet in eo contradicat Medina ſup. qu. 7. Ita Pet. Nauarra lib. 3. cap. 3. n. 25. & alij.

Ratio eſt: quia ſibi, ſuæque imprudentiæ imputare meritò debet, quod homini inſufficienti ac ignaro nimis fuerit credulus, ſi ex illius conſilio damnum capiat. Quando tamen agitur de damno tertij, tunc talis conſultor etiam tertio tenebitur: vt ſi ſuaſerit contractum iniuſtum, qui vergit in grauamen tertij, aut ſuaſerit non facere reſtitutionem, quia exiſtimat alterum non teneri, cùm tamen teneatur. Ratio eſt: quia malo ſuo conſilio eſt cauſa damni, quod tertius patitur, abſque ſua culpa. Neque refert, quod conſultor ille inculpabiliter ignoraret iniuſtitiam facti: quia nemo debet ſe miſcere dandis conſilijs in negotijs, quæ non intelligit. Vnde propter ſuam temeritatem committit hîc latam culpam.

DVBIVM IV.

An qui conſulit minus malum ad auertendum maius, quod aliter impediri non poteſt, teneatur ad reſtitutionem.

RESPONDEO & DICO Primò: Si malefactori iam parato inferre, v.g. Petro damnum, ſed dubitanti, an hoc maius, an alterum minus velit ei inferre; conſulas, vt minus inferat potiùs, non teneberis ad reſtitutionem, ſi, maiori prætermiſſo, inferat minus. Ita communiter DD. Salonius 2. 2. q. 62. art. 7. concl. 7. Mald. Leſſ. ſup. 26

Ratio redditur: quia vtiliter negotium Petri egiſti: neq; exiſtimare poteſt ille ſibi à te illatam iniuriâ, ſed potiùs impenſum beneficium, pro quo tibi debeat gratias. Quod etiam verum eſt, quantumuis malefactor iſte, qui maius malum inferre parabat, non cogitaret de minori iſto malo; ſi aliter à maiori malo inferendo auerti non poterat: quod videtur eſſe contra Pet. Nauarram lib. 3. cap. 4. n. 29. & 30. ſed ab alijs tene-

tur

tur communiter; quia eadem ratio militat hîc, quæ in altero: neque enim talis abſolutè ſuadet malum illud minus, non magis quàm prior: ſed quaſi ſub conditione, ſi improbus obfirmato animo velit malum Petro inferre, quod omninò impedire nō poteſt, vt inferat minus: atq; adeò huius conſilij obiectum & finis, eſt tantùm minoritas mali formalis ſiue diminutio mali maioris, non autem malum ſiue illatio mali alicuius. Et ſic patet ſolutio ad fundamentum prædicti authoris.

Dico Secundò: Si ſuadeas homini pa-
27 rato inferre magnum damnum Petro, vt inferat minus damnum Paulo, de quo ille non cogitabat, teneberis Paulo de iſto damno minori, ſi inferatur. Ita Soto lib. 4. q. 7. art. 3. non longè à fine, Pet. Nauarra ſuprà, Mald. ſup. & alij paſſim.

Patet: quia Paulo iniuriam facis, quando illum, vel res eius obijcis animo malefactoris iam nocendi cupido: neque licet damnum Petri impedire etſi maius, cum iniuria Pauli, quamuis in ſe minori. Si tamen Paulus eſſet vir opulentus, & charitatiuus, qui putatur non grauatè ſubiturus exiguum damnum, vt Petrus liberetur à multo grauiori, aut ſi damnum Pauli eſſet facilè reparabile, & putetur Petrus libenter illud reparaturus, tunc poſſet quis etiam ſine culpa ita conſulere: quia ex charitate teneretur Paulus id permittere, quandoquidem Petrus illi damnum ſit reparaturus.

Dico Tertiò: Si malefactor cogitet
28 de vtroque: ſed hæreat anceps, cui malum velit inferre, reſolutus tamen alterutri inferre, teneberis de damno, ſi conſulueris aut rogaueris vt damnum inferat Paulo, quod in ſe minus eſt. Ita Pet. Nauarra ſup. n. 10. Soto q. 7. cit. art. 3. & alij communiter.

Ratio eſt: quia iniuriam facis Paulo, quando malefactoris indeterminatum animum ad vtrumlibet inclinas, & determinas in particulari ad malum iſti inferendum: tantum enim habet iuris Paulus, vt ſibi ſeruetur res ſua integra, quæ minoris eſt pretij, quàm Petrus, vt ſibi ſeruetur res ſua, quæ maioris eſt momenti.

Notant hic quidam, ſi tantum in genere
29 dixeris, minora mala eſſe potiùs facienda, quàm maiora, vel hoc eſſe minus malum ſiue peccatum, quàm alterum, non idcirco te incurrere obligationem reſtituendi, quamuis malefactor rem iſtius poſtea auferat vel deſtruat. Ita Salonius 2. 2. q. 62. art. 7. Concl. 6. Mald. ſup. Dub. 3. Leſſ. ſup. n. 21.

Ratio redditur: quia tu veram doctrinam tantùm explicuiſti, quâ ipſe ex ſua voluntate ſeſe determinauit ad damnum inferendum Paulo potiùs quàm Petro. Exiſtimarem tamen, quòd ille cenſeretur moraliter malefactorem inclinare & quaſi determinare ad damnum Pauli, qui aſſumptum & ſubſumptum ſimul ei proponeret, præſertim ſi non rogatus id faciat, cùm non appareat alius pænè vſus iſtius diſcurſus. Non enim dici poteſt ſeruire ad impediendam maiorem culpam, quia iam malefactor voluntate & affectu in vtrumque indifferenter fertur. Secus autem eſſet, ſi ipſe peteret, vtrùm ſit maius malum & peccatum, quodque velit tantum facere minus, & tum reſpondetur, illud, ſiue tale eſſe minus malum: quam rationis diuerſitatem quiſque poteſt facilè apprehendere: & ideò addidi, Præſertim ſi non rogatus.

DVBIVM V.

Vtrùm conſentiens, laudans, receptans, & participans, aliquando ſint immunes ab onere reſtitutionis.

RESPONDETVR & DICO Primò: 30
Conſentiens iniquo operi non tenetur ad reſtitutionem, niſi eius conſenſus fuerit ſimul cauſſa operis: quamuis interim etiam aliàs conſentiendo mortaliter peccet.

Ratio eſt euidens: quia vt quis ad damni teneatur reſtitutionem debet fuiſſe illius aliquo modo cauſa.

Vnde colligitur, Si quis non habens ius eligendi aut ſuffragandi, conſentiat iniquæ electioni magiſtratus aut prælati, vel eorundem confirmationi, etiamſi quoque conſenſum ſuum vel ad applauſum exprimat, non teneri de damnis vel incommodis, quæ ſequuntur; nec de iniuria, quæ forſitan per euiſmodi electionem alteri fit. Similiter nec illum de homicidio teneri, qui intelligens illud eſſe præ manibus, animo conſentit & optat, vel etiam explicat ſe optare illud fieri, quando non obligatur impedire: neque per conſenſum ſuum alios animat, aut corroborat in propoſito ſuo: quod ſatis natum eſt fieri, quando conſenſus ante factum explicatur illis qui animo illud conceperunt. Sed

Quæritur, Si plures ſint, qui ius habent eligendi, & ego ſciam certò per maiorem partē, etiam abſq; meo ſuffragio eſſe eligendum aliquem indignū, vtrùm de damnis tenebor, ſi tali caſu ſuffragium meum in eundē indignum conferam? apparet enim quod non, quia æquè benè abſque meo ſuffragio idem effectus eſſet ſequuturus. Pro huius difficultatis reſolutione Reſpondeo &

Dico ſecundò: Si talis in caſu propoſito ſuffragatus fuerit primo loco, aut ſaltem priùs quàm maior pars nunc palam vota ſua iſti indigno dederit, tenebitur de damnis ſecutis. Ita communiter DD. ſentiunt. Graff.

lib. 2.

Digitized by Google

lib.2. cap.127. Mald. tract.4. cap.2.dub.3. §. de Conſentiente,& alij.

Ratio eſt: quia nullo modo excuſari poteſt ille, quaſi ſuffragium eius non ſit cauſa partialis iſtius iniquæ electionis, quia conſtituit de facto cum alijs maiorem partem antè non conſtitutam, quæ ad electionem requiritur ac ſufficit, vti ſupponimus. Nec refert, quòd certò nouerat alium vel alios acceſſuros, qui maiorem partem conſtituerent, etiamſi ipſe aliter ſuffragium dediſſet: quandoquidem enim præueniat & iniuriam inferat & damnum cauſet, incidit indubitanter in obligationem, quam alius contraxiſſet: prout ex dictis ſuprà dub. 2. ſatis conſtat.

Addunt DD. Similiter teneri etiam ſuffragantem, poſt ſuffragia per maiorem partem datam, ſi ſpes erat quòd ſuo ſuffragio in perſonam dignam collato potuiſſet præcedentes commouere ad ſua ſuffragia retractanda: quin & teneri illum, qui habens ius ſuffragij tacet, ſi ſuo ſuffragio iniquam electionem poterat impedire, vt ex Graffio loco cit. docet Malderus. Ratio eſt; quia non impediuit malum, vbi & quando tenebatur & poterat illud impedire.

Addunt denique, Et illum teneri, qui vltimo loco ſuffragatur quando ſuffragia ſunt occulta, licet forſitan maior pars ante illum ſua ſuffragia in eundem indignum contuliſſet.

Ratio reddi poteſt: quia quando ſunt occulta, videtur quis & intentione & efficaciâ æquè concurrere ad indigni promotionem ac præcedentes, licet poſterius ſuffragetur, vt ex mox dicendis ampliùs conſtabit.

31 Sed pluſculum difficultatis eſt de illo, qui poſtremo loco dat ſuffragium pro indigno, quando iam aliorum, aut maioris ſaltem partis ſuffragijs palàm datis indigno, ſine vllâ ſpe eos à propoſito dimouendi, videt rem eſſe conclamatam & confectam. Plerique DD. ſentiunt talem eſſe liberum ab onere reſtitutionis incommodorum, quæ ad talem electionem ſequuntur. Ratio eorum videtur hæc eſſe: quia cauſa damni nunc ita erat diſpoſita, vt æquè & eodem modo damnum ſit ſecuturum abſque huius ſuffragio, atque illo accedente: & proinde volunt ſuffragium illud accedens non eſſe cauſam iniuriæ quæ committitur, aut damni quod ſequitur. His tamen non obſtantibus

32 DICO Tertiò: Non tantum talis peccat conſentiendo iniquitati aliorum: ſed verius videtur etiam ipſum cum alijs teneri de incommodis & damnis ſubſequentibus.

Prior Pars eſt communis & euidens. Poſterior autem probatur: quia eſto, quod ante ſuffragium huius, cauſa damni ſufficienter diſpoſita ſit, ex qua damnum ſequatur; tamen ſuffragium huius hoc ipſo quo accedit, æquè influit & concurrit ad promotionem indigni, ac ſuffragium quodlibet priùs datum.

Declaratur: quia Concluſio quæ capitur & quâ pronuntiatur talis eſſe electus, tam procedit & ſumitur ex illo ſuffragio accedente poſt maiorem partem, quàm ex ſuffragio cuiuſlibet alterius præcedentis; ergò tam ille eſt cauſa promotionis huius perſonæ indignæ, & excluſionis alterius dignæ, quàm quilibet alius præcedens & per conſequens tenetur ſicut cæteri ſuffragantes præcedentes. Confirmatur Primò à ſimili: nam eſto, quòd ſint alicubi ſex iam parati & ſufficientes, qui funibus domum alterius trahendo demoliantur, & accedat ſeptimus, qui ſe iungat & ſimul trahat, cenſebitur hic quoque cauſare ruinam domus, & de damno tenebitur, licet ſex iam hic eſſent diſpoſiti & in opere, ſic vt etiam ſine illius concurrentiâ, domus eſſet deijcienda. Vide plura quæ ad hanc rem faciunt ſuprà Dubio 2.

Confirmatur Secundò: quia ſi ille iniquæ concluſioni captæ ſubſcribat, ita vt nomine quoque ipſius mandetur executioni, tenebitur de iniuria & damnis, vt docet Mald. & Graffius ſuprà lib. 2. c. 26. n. 14. & ſeq. vbi citat D. Soto & Nauarr. quare igitur non etiam tum, quando ex eius ſuffragio, quemadmodum & ex aliorum ſuffragijs, concluſio capitur & formatur, & conſequenter tam eius quàm aliorum nomine mandatur executioni quantumuis non ſubſcripſerit, dum nec alij ſubſcripſerunt.

Accedit, quòd non facilè dari poſſit diuerſitatis ratio; cur magis teneatur quando aliorum ſuffragia ſunt occulta, quæ in maiori numero data exiſtunt (in quo caſu DD. paſſim admittunt illum teneri ſicuti diximus) quàm dum de illis conſtat; quandoquidem etiam in iſto caſu cauſa damni ſic ſit diſpoſita, vt æquè & eodem modo ſit ſecuturum damnum abſque eius ſuffragio, ſicuti illo accedente, non minùs quàm tunc, quando ſunt cognita alia. Quamuis enim poſſit dici minus intendiſſe illud, aut voluiſſe, quia ſcilicet ſciebat rem ſine ſuo ſuffragio quaſi actam aut certò perficiendam, non tamen plus aut minus concurſus aut influxus præbet ad effectum in vno caſu, quàm in altero: Reſtitutionis autem obligatio non ex voluntate malefaciendi, ſed ex concurſu ad damnum naſcitur; ergò &c.

DICO Quartò: Laudans ſiue adulator tenetur ad reparationem damni quando ex eius laudatione, vel etiam ignauiæ exprobatione, alter impellitur ad maleficium patrandum: ſecus, ſi illius collaudatio ſiue adulatio nullo modo in malefactum influat, vt ſi poſt patratum facinus ad comparandam 33

malefa-

Digitized by Google

malefactoris gratiam, illud commendat, niſi tamen hac ratione impediret reſtitutionem, quæ alioquin fieret. Ita Nauar. c. 17. n. 132. & DD. communiter. Et Ratio primæ partis eſt: quia laudans eſt inſtar conſultoris: proponit enim gloriam vel honorem, aut ignominiæ abſterſionem, quæ ex maleficio ſuo ipſe eſt conſecuturus, quibus eum mouet & quaſi propellit ad facinus. Vnde ſub laudantis ſiue adulantis nomine non is ſolus comprehenditur, qui factum extollit, & malefactorem ſi id audeat præſtare, magnâ laude dignum deprædicat, ſed etiam qui exprobrat ignominiam, ſi iniurias illatas taliter aut taliter non vlciſcatur, & ſic ad vindictam permouet.

Altera pars euidens eſt: quia non tenetur quis, niſi quatenus efficaciter & de facto concurrit ad damnum, quod hunc non feciſſe ſupponitur.

34 Dico Quintò: Receptans furem ſeu latronem per modum tranſitus, ſicuti alios viatores ad hoſpitium ſolet excipere, ignarus maleficij ipſorum, aut ſi forſitan ſciuerit, nihil tamen in fauorem maleficij præteriti aut futuri agit, non tenetur de maleficijs aut damnis. Ita de Graffijs ſuprà n. 43. & alij DD. & Declaratur: quia talis nullum præbet concurſum ad iniquum eorum factum. Si tamen ex officio obligaretur ſiue accuſare, ſiue eos comprehendere, tunc propter neglectum officium, poterit teneri, ſi id non faciat.

Dico Sextò: Ratione receptationis tenetur, qui ſic receptat, ſiue rem furtiuam, ſiue furem aut latronem, vt per hoc non tantùm impediatur punitio; ſed etiam impediatur reſtitutio, vel vt inde fiat quòd ſæpiùs, enormiùs, aut ſecuriùs eiuſmodi furta, aut latrocinia ipſi committere audeant: vt qui eiuſmodi malefactores occultè intertinet, aut eorum inſtrumenta conſeruat, aut aliter cum eis agit, vt moraliter cenſeatur ad ipſorum malefacta concurrere. Ita Malderus ſuprà dub. 3. §. De receptante, de Graffijs, & alij: & ratio ex antè dictis eſt manifeſta.

Petes: An qui occultat furem, dum quæritur à lictoribus, tenebitur ad reſtitutionem damnorum, ſi quæ poſtea intulerit?

Reſpondetur: Si per miniſtros iuſtitiæ quæratur fur, quia adhuc penes illum ſit res furtiua, vt hæc recuperetur, vel vt aliàs cogatur ad iuſtam reſtitutionem eorum, quæ abſtulit, quam potens eſſet facere, & quis illum occultet, vnde fit, quòd cum re furtiua fugiat, vel aliàs quòd ab eo reſtitutio obtineri non poſſit, tenebitur talis occultans ad reſtitutionem ſupplendam, quam fur potens erat & debebat præſtare, atque adeò ab eo obtenta fuiſſet, niſi operâ huius fuiſſet occultatus, & ſic euaſiſſet.

Ratio euidens eſt: quia hæc furis occultatio eſt cauſa non recuperatę rei ablatę, ſiue non reſtitutionis eiuſdem quæ alioquin iam facienda erat.

Similiter criminis reos, & reſtitutioni obnoxios meritò cenſet Pet. Nauarra lib. 3. cap. c. 4. n. 38. eos, qui pro homine apud Iudicem & Principem interueniunt, ne ablata reſtituere cogatur, vel fauore impediunt, quò minùs poſſint alij ſua recuperare, factum excuſando, hominem defendendo, vt paſſim Aduocati, inquit, facere ſolent. Addo, & alij aliquãdo fortaſſis efficacius ſub ſpecie commiſerationis, & pietatis, habentes zelum ſed non ſecundùm ſcientiam impedientes iuſtitiam: contra quos D. Aug. epiſt. 54. ad Maced. ita ſcribit: Illud verò fidentiſſimè dixerim, eum, qui pro alio ad hoc interuenit, ne malè ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantùm honeſtè poteſt, non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis: quæ referuntur Can. 1. xiv. quæſt. 6.

Si autem quæratur fur tantùm ad captiuitatem, & punitionem abſq; reſpectu & ſpe tunc ſi recuperandi ablata, vt ſæpè cõtingit, & quis illum occultet, vt à ſupplicijs eximat, non tenebitur is de priùs ablatis per furem. 35
Ratio eſt: quia neque ablationis, neque non reſtitutionis cauſa eſt per eiuſmodi occultationem. Sed nec de illis tenebitur, quæ forſitan poſtmodum idem furabitur, ſi ita miſericorditer id fecerit, vt non dederit ei ſpem refugij, aut ſimilis opitulationis in poſterum, quibus fur poſſit animari vt ſimilia de cætero audeat aggredi & tentare. Ratio eſt: quia tunc non ſolet cenſeri moraliter cauſa talis damni, ſed quaſi merè per accidens ex opere illo miſericordiæ cenſetur damnum illud conſequi. Si tamen conſtaret; qeòd aliquoties liberatus, ſemper ad ingenium redierit, & noua damna alijs intulerit, non vellem ab onere reſtitutionis excuſare illum, qui talem occultaret, ne à miniſtris iuſtitiæ apprehendatur: & quia communiter fures ſolent ad ingenium redire, non poſſum eiuſmodi commiſerationes, quę iuſtitiam impediunt, probare, niſi conſtaret per ſeductionem, aut aliquam egeſtatem incidiſſe in tale factum. Quod denique ad participantem attinet,

Notandum eſt, Dupliciter quempiã poſſe dici participẽ: vno modo, quia particeps ſit in actione furtiua, ſiue alia aliqua iniurioſa damnificatione: ſed de eo, qui ſic participat, iam hîc nõ agimus, quia iſte modus generaliter ſe diffundit ad omnes cooperantes. Alio itaque modo dicitur participans, qui particeps eſt rei furtiuæ, de quo hic agimus. 36

Dico igitur Sextò: Certum eſt, huiuſmodi participantem teneri ad reſtitutionem de omni eo, quod ad illum peruenerit, aut quo factus eſt locupletior ratione rei acceptæ

ceptæ quantumuis etiam bonâ fide exiſtimauerit, non eſſe rem furtiuam. Caiet. V. Reſtitutio §. aduerte circa hanc regulam, & alij paſſim. Quare ſi cuipiam gratis datus fuerit ſcyphus furtiuus, quem ignorans eſſe furtiuum, vendiderit, tenebitur pretium reddere, quando intellexerit fuiſſe alterius. Si verò ſciuerit eſſe rem furtiuam, dum eam acciperet, tenebitur ratione acceptionis etiam de re iam non exſtante, quantumuis quoque per eam in nullo ſit factus ditior. Non tamen in ſolidum tenebitur de toto furto cuius dumtaxat partem aliquam habuit; ſi alioquin ad id non fuerit cooperatus: neque futura huius eius participatio animum furi addiderit: quod ſæpiùs fieri ſolet quando potentiores ſunt, qui ex furtis ſuam accipiunt partem. Ratio itaq; eſt, quia tunc non tantũ particeps eſt in re furtiuâ, ſed etiã participat & concurrit ad ipſum actum furandi.

37 Quod ſi quis pecuniam, quam recipit iuſto titulo, credat eſſe furtiuam, ſed ita alijs pecunijs furis eſſe permixtam, vt iam in furis dominium tranſierit, non tenebitur ratione illius ad reſtitutionem, niſi recipiendo, reddat furem impotentem ad reſtituendum: tenebitur verò ſi certò ſciret hos determinatos nummos eſſe alienos, vt patet l. Si alieni 78. D. De ſolutionibus.

38 Sed particularis hîc mouetur difficultas de militibus inuadentibus & ſpoliantibus vrbem iniuſtè, vtrùm ſinguli teneãtur in ſolidum ad reſtitutionem totius prædæ, an verò ſolùm ad id, quod quiſque abſtulit aut vaſtauit? Diſputat hanc quæſtionem latè Pet. Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 52. & diuerſas refert opiniones. Ipſe autem reſpondet inprimis, quòd generalis dux exercitus teneatur de toto damno illato per ſibi ſubiectos, vtpote cuius vera cauſa exiſtit. Quod haud dubiè verum eſt, ſi ex eius mandato ſiue ordinatione non tantùm expugnauerint, ſed etiam ſpoliauerint: ſin autem contra eius ordinationem id fecerint, non videtur tum obligandus ad reparanda illa, quę ſic direpta ſunt: ſi tamen ipſe hoc impedire quoq; non potuit, vtputa quia præſens non fuit, vel ad illum attendere milites in feruore noluerunt. Secundò dicit, quòd ſimiliter vti dux, ita quoque illi in ſolidũ teneantur cum quibus fuit res communicata, qui conſilium cauſatiuum, vel auxilium ad totum damnum dederunt: quod conforme eſt ijs, quæ de conſulente antea iam diximus.

39 Quod ad priuatos ſiue gregarios milites attinet, allegat ipſe plures Doctores, qui docent illos quoque ſingulos teneri in ſolidum ad reſtitutionem totius damni illati, vt Caiet. 2. 2. quæſt. 62. art. 7. Adrianum, Ioan. Medinam, Couar. ad Reg peccatum 2. p. §. 12. n. 2. Ratio horum eſt: quia vnus ſine alio non auderet ire, nec poſſet inferre damnum: atque ita in tali caſu quilibet iuuat alterum, & facit alterum fortiorem, & ſic quilibet videtur de omni damno teneri. Ipſe autem Pet. Nauarra tenet tanquam verius oppoſitum, quòd ſcilicet quilibet iſtorum teneatur ſolùm de parte illa prædæ, quæ ad ipſum peruenit, aut de damnificatione, quam intulit: citatque Syluest. qui V. Bellum 1. quæſt. 10. concl. 7. ita docet, & Nauar. cap. 17. n. 21. Palud. in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 5. Rationem indicat idem Nauarra n. 55. quia in direptione illa qui in alia domo rapit, non mouetur per eum, qui alibi furatur, imò fortaſſe, inquit, neque eum nouit, aut vnquam vidit in exercitu: imò etiam ipſe nollet alterum eripere, quo ipſe abundantiùs ſpoliet.

Cæterùm videntur mihi iſtæ ſententiæ poſſe conciliari, & ambæ benè explicatæ habere veritatem: quod fieri poterit hoc modo, dicendo ſcilicet, quòd authores ſententiæ poſterioris loquantur in caſu, quo milites tantùm iuſſu ſuperiores inuadunt vrbem aut caſtrum, ipſis inter ſe non communicantibus de inuadendo & ſpoliando vrbem: ſed iam loco ſuperato & obtento incipiant pro ſua particulari voluntate prædas agere, abſque omni reſpectu vnius ad alterum; neq; enim ſolet tunc vnus ab altero in præda capienda dependere, aut iuuari. Et tunc videtur verum, quòd non ſinguli teneantur in ſolidum de totâ præda, quodque iſti ſic intellexerint ſuam doctrinam ſatis ex adiunctis percipitur; prioris verò ſententiæ authores dicantur loqui in caſu, quando omnes communi conſilio, aut mutuâ exhortatione & veluti vna manus inuadunt domum aut locum ad deprędandum: prout ſæpe contingit, quod aliqua pars exercitus tali modo diripiat minora oppidula, aut aliqua loca minùs firma, vel etiam exercitus ſeſe ad prædã animans, & ſine iuſſu ſuperioris oppugnans ciuitatem & diripiens: & in eiuſmodi caſu veritatem obtinet, ſicuti omninò apparet, quod ſinguli in ſolidum teneantur de toto damno: quem ſenſum etiam ſatis præſeferunt verba horum DD. 40

De officiatis autẽ ſubordinatis, vt de Centurionibus, Decurionibus, dicit quoque Pet. Nauarra, quòd teneantur in ſolidum de damnis iniuſtè illatis à ſuis ſubiectis. Quod quidem inprimis verum eſt, ſi ipſi ſeparatim cum ſuis locum aut domum inuadant, quia ipſi tanquam mandantes ſunt cauſa totius: Deinde etiam in communi concurſu, vbi adeſt alius ſupremus, quatenus non impediunt ſuos ab inferendis damnis, vti tenentur, niſi forſitan non poſſent: alioquin non videntur tunc teneri de iſtis damnis tanquam propriè & poſitiuè per mandatum, aut ordinationem cooperantibus: quia quæ tunc diripiuntur, videntur 41

tantùm

Digitized by Google

tantùm ex ordinatione aut conceſſione ſupremi Præfecti,& conſiliariorum eius fieri, non dependenter ab iſtis ſubordinatis officiatis.

DVBIVM VI.

An ſemper teneantur ad reſtitutionem, qui indirectè ſiue priuatiuè ad furta vel alias iniurioſas actiones concurrunt?

42 IVxta ea, quæ ſuprà diximus, tribus modis contingit indirectè, vt loquitur D. Tho. concurri, ſcilicet tacendo, non obſiſtendo, non manifeſtando: qui ſignificantur his verbis in verſiculo vulgari,

---- *Mutus, non obſtans, non manifeſtans.*

Mutus dicitur, qui dum videt, & deberet loqui, tacet: vt v. g. quando deberet prohibere, reprehendere, diſſuadere, aut contrarium mandare, vel etiam clamare, aut ſtrepitum edere, nihil iſtorum facit.

Non obſtans dicitur, qui opere vel auxilio poterat & tenebatur impedire damnum, & non impediuit: prout accidere ſolet, quando Magiſtratus & Præfecti Reipublicæ negligunt officium.

Non manifeſtans dicitur, qui potuit & obligatus fuit manifeſtare malefactorem ante factum, & ſic damnum impedire: vel etiam poſt factum, & ſic efficere, vt damnum reſarciatur, & non fecit: vt ſi teſtis rogatus in iudicio non manifeſtet veritatem. Ita paſſim has cauſas explicant Soto, Caiet. Syluester,& alij. His præmiſſis

43 Respondeo & Dico Primò: Nemo ratione damni non impediti tenetur ad reſtitutionem ex iuſtitia, niſi ex officio fuerit ad impediendum obligatus. Eſt contra Caiet. V. Reſtitutio cap. 1. §. Aduerte: vbi docet etiam teneri illos, qui etſi ex officio non obligarentur impedire, facilè tamen ſine incommodo ſuo damnum impedire poterant: vt monendo alterum, quatenus ſibi caueret, vel demonſtrando furem, vt ab eo repetat, quod abſtulit.

Sed Concluſio noſtra eſt penè communis, Nauarri cap. 17. n. 18. & 136. Ioannis Medinæ De reſtit. quæſt. 9. §. primus modus: Antonini 2. p. tit. 1. cap. 12. §. 13. Pet. Nauarræ lib. 3. cap. 4. n. 130. & paſſim aliorum: & colligitur manifeſtè ex D. Th. quæſt. 62. art. 2. ad 3. vbi ſcribit in hæc verba: Dicendum, quòd non ſemper ille, qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit: ſed tantum, quando alicui incumbit ex officio; ſicuti, inquit, principibus terræ, quibus ex hoc nullum imminet periculum.

Ratio autem eſt: quia qui non obligatur ex officio ad impediendum, is obligatur tantùm ex charitate, ſi aliqua ſit obligatio: atqui violatio obligationis ex lege charitatis contractæ ſiue natæ, non inducit neceſſitatem reſtituendi ex iuſtitia: hoc enim proprium eſt violatæ iuſtitiæ, vnde vbi hæc læſa non eſt, ibi nec reſtaurari ſiue reparari debet; ergò &c. Sed contra

Obijcitur Primò ex Cap. Quantæ 47. De ſententia excommunicationis, quod eſt Innocent. III. vbi ſic dicitur: Ne autem ſolos huius violentiæ (ſcilicet immiſſionis manuum in Clericos) authores, aliquorum præſumptio exiſtimet puniendos, fauentes & conſentientes pari pœnâ plectendos Catholica condemnat authoritas: & additur: Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui, cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare. Item ex Cap. Sicut dignum 6. De homicidio: vbi dicitur, ſimiliter eum non carere ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori non deſinit obuiare; ergò apparet, quòd etiam teneantur de delicto & damno generaliter, qui cum potuerint impedire, non impediuerunt, quamuis ex officio non eſſent obligati. 44

Reſpondetur, Negando Conſequentiam: quia declarat quidem Pontifex priori Cap. eos, qui conſentiunt inijcientibus violentas manus, & eos, qui inijciunt, pari pœna, ſcilicet excommunicationis, condemnari ab Eccleſia: ſed loquitur, vt exponit Gloſſa, de ijs, qui conſentiunt, aut non impediunt, dum ex officio impedire tenerentur. Deinde negandum non eſt, excommunicationem etiam ſtatui poſſe in illum, qui non tenetur ex officio, ſi dum facilè & ſine ſuo incommodo impedire poſſit, non tamen vult impedire, nec impedit. Sed inde non ſequitur, idcirco eum obligatum fore ad reſtitutionem: quia propter peccatum mortale externum poteſt quis excommunicari, quamuis ad reſtitutionem non obligetur.

Poſteriori autem Capit. declarat tantùm Pontifex contra eos, qui manifeſtum facinus non impediunt, quando commodè poſſunt, eſſe præſumptione aliquam, quòd occultè ſint ſocij illius, qui facinus committit. Quod & clariùs indicatur Cap. ſuprà cit. ſub finem, verbis allegatis: vbi eos delinquentibus fauere interpretatur, qui cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare. Et quidem ſi ita ſit, quòd ſint ſocij & complices facinoris,

facinoris, de furto aut iniurijs quoque tenebuntur: ſin minùs, non obſtante illâ præſumptione, non tenebuntur in conſcientia, ſi alioquin ex officio ad impediendum non erant obligati.

45 Obijcitur Secundò: Qui ſuadet alteri, ne impediat furem aut latronem, qui alterum aggreditur, tenetur ad reſtitutionem; ergò etiam is, qui non impedit, quando commodè poteſt: Medina Cod. de Reſtitut. q. 9. admiſſo Antecedente, negat Conſeq. & oſtendere conatur, interdum teneri eum, qui remotior eſt, quando tamen non obligatur propinquior: quod licet aliquādo verum ſit, vt ex mox dicendis licebit intelligere, tamen melius diſtinguitur Antecedens: ſi enim is qui ſuadet alicui, ne furem aut latronem impediat, id perſuadeat abſque vi & fraude, non tenebitur ad reſtitutionem, licet grauiſſimè peccet contra charitatem: quia non facit contra aliquod ius iuſtitiæ, quod damnificatus habebat ad illud ſubſidium: ſed tantū cauſa fuit omiſſi auxilij debiti ex charitate, quia innocens non habet ius iuſtitiæ ad auxilium iſtius, niſi vt hoc in libera eius voluntate relinquatur. Quare quamdiu libera voluntas huius non impeditur, (vt fieret per vim & fraudem) non fit illi iniuria: Sed ſi hic qui ſuadendo impedit auxilium, faciat id vi vel fraude, iam verām iniuriam irrogabit; & de damno tenebitur ipſe taliter ſuadens, & non ipſe omittens: & de hoc caſu videtur tantùm loqui Medina, quando admittit Antecedens, & negat Conſeq. & quidem tunc rectè, vt obſeruat & explicat Pet. Nauarra lib. 3. c. 4. n. 136. & ex dictis facilè intelligitur. Similiter qui ſuadet ei qui ex officio obligatur impedire, vt non impediat, ipſe quoque tenebitur, vt benè monet idem Nauarra loco cit.

Petes: Quid ſi latro det alicui aliquid, ne ipſius latrocinium impediat clamando, aut aliter manifeſtando, vtrùm hic tenebitur ad damni reparationem?

46 Dominicus Soto lib. 4. q. 7. art. 3. ſimpliciter aſſerit, eum non teneri, niſi fortaſſis id quod latro dedit, ſit pars furti; hanc enim tenebitur reſtituere ratione rei acceptæ. Fundamentum eſſe poteſt; quia non idcircò videtur quis magis obligari ad impediendum, quia accepit pretium, vt non impediat: nam accipiendo pretium non videtur iniuriā facere illi, quem latro parat inuadere.

Nihilominus contrarium eſt verius; & & ita docet Pet. Nauarra cit. lib. 3. cap. 4. n. 132. Leſſius lib. 2. cap. 13. dub. 10. & Salonius ab illo cit. & alij.

Rationem indicat P. Nauarra: quia tunc non tantùm eſt quædam non impeditio, ſed etiam quædam veluti poſitiua cooperatio, quatenus ſcilicet ſic paciſcendo cum latrone, animat eundem, ſecurioremque facit, ſine quo pacto aut non feciſſet, aut non tam liberè & audacter feciſſet: vnde poſitiuè ſuo modo in factum influit, eoque nomine venit meritò ad reſtitutionem obligandus.

Obijcitur Tertiò: Qui poteſt impedire furem aut malefactorem, ne proximo noceat, nec eſt alius qui impediat, tenetur in tali neceſſitate impedire: atqui generaliter qui tenetur ratione articuli neceſſitatis auertere malum proximi, & non auertit, dum poteſt, videtur eſſe cauſa damni indirectè: vt ſi quis nouerit aliquos ſtatuiſſe incendere domum proximi, vel eum interficere: & eidem ſignificando poſſit impedire, & non ſignificat, videtur talis indirectè eſſe cauſa, etiamſi non ex officio ad indicandum ſit obligatus: quòd ſi cauſa ſit, ergò ad reſtitutionem tenetur. Ita ferè Caiet. Et confirmari poteſt: quia alioquin, ſi nullo modo eſſet cauſa, non videretur peccare, ne contra charitatem quidem; ſicuti non peccat, qui ignoraret, vel impedire non poſſet. 47

Reſpondetur: De moralibus oportet moraliter loqui & iudicare. Quare negandum eſt, generaliter eſſe verum, omnem illum qui quomodolibet tenetur in neceſſitate impedire, & non impedit, eſſe aut cenſeri damni cauſam: ſed eum dūmtaxat, qui ex officio ad impediendum exiſtit obligatus. Quod cōmunis apprehenſio, & loquēdi modus ſatis videntur confirmare: neq; enim quis dixerit, nauclerum huius nauis eſſe cauſam ſubmerſionis nauis alterius, cuius cura ad ipſum non ſpectabat, quamuis potuiſſet eam liberāre ſiue ſaluare, & id prætermiſerit. Neque ſi quis omninò priuatus tranſeat, vbi latro aliquem ſpoliat, vel occidit, dicetur is cauſa ſpolij vel homicidij: tametſi clamando, vel aliâ ratione impedire potuiſſet, & non impedierit. Sed ſolent dici tales malè feciſſe quòd charitatis officium neglexerint: vnde & peccant, non quòd ſint aut habeantur moraliter cauſa talis incommodi, ſed tantùm, quia proximo non impenderunt id, ad quod lex charitatis eos obligabat. Quare negandum eſt, quod pro confirmatione aſſumitur: & ratio ex iam dictis ſatis patet.

Sed replicabit aliquis: Sancti Patres & Pontifices videntur etiam illos dicere cauſam damni vel iniuriæ proximi, qui non auerterunt quando potuerunt, etiamſi tantùm ex charitate tenerentur. Dicit enim S. Ambroſius: Si non pauiſti, occidiſti, vt refertur Can. Paſce, Diſtinct. 87. & Alexander III. Capit. Sicut dignum De homicidio refert ſcriptum eſſe: Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit; idque videtur quoque approbare; ergò &c. 48

Reſponde-

Digitized by Google

Reſpondetur Primò: Quod attinet ad Cap. Sicut dignum, Gloſſam interpretari ea quæ ibi dicuntur, locum habere in illis, qui ex officio ſunt obligati impedire, ſicut antè diximus: quod & caſui Cap. ſatis eſt conforme.

Addo tamen Patres aliquando vti talibus loquendi modis, vt vehementiùs prouocent fideles ad miſericordiæ opera proximis in neceſſitate impendenda: non quòd ſimpliciter ſint vel haberi debeant cauſa ipſius mali, ſed quia efficiuntur rei culpæ: redarguuntur enim & quaſi conuincuntur implicitè velle, ſiue conſentire in illud proximi malũ, quando non auertunt, dum auertere poſſunt. Qui tamen eorum conſenſus non cenſetur cauſa influens in ipſum effectum: ſicuti enim poſſum expreſsè velle aut cõſentire in damnum proximi quod ab alijs infertur, & ſic effici reus culpæ, & tamen non ideo eſſe cauſa damni vel cooperari, ſic etiam implicitè idem poſſum.

49 Dico Secundò: Omnes, qui ex officio obligantur impedire damna aliorum, ſi ex culpa graui negligant, tenentur ad reſtitutionem & reparationem damnorum. Eſt communis doctrina: de Graffijs lib. 2. c. 26. n. 27. Ioan. Medinæ Cod. de Reſtit. c. 15. & aliorum, quos ſuprà citauimus.

Ratio reddi poteſt: quia iſti ex iuſtitia debent illam ſubuentionem ſuis tempore & loco impendere; ergò quando tunc omittunt, delinquunt contra iuſtitiam, & conſequenter ipſi ſunt iniuſta cauſa (priuatiuè) damni, quod ex iſta omiſſione ſequitur, ac proinde tenentur ad reſtitutionem.

Confirmatur: quia qui opus poſitiuum, à quo ex iuſtitia tenebatur abſtinere, facit aut exercet, ex quo damnum proximi ſequitur, is eſt cauſa illius damni, & ad reſtitutionem obligatur; ergò ſimiliter qui opus omittit, ad quod ex iuſtitia obligabatur, ſi ex omiſſione ſequatur damnum proximi, erit ille cauſa talis damni & ad reſtitutionem obligabitur: ſicuti & debitor tenetur creditori ad intereſſe, quod ſequitur ex non præſtita ſolutione tempore & loco conſignatis, vt rectè allegat Medina Cod. De reſtitut. quæſt. 9.

50 Hinc infertur Primò, Principes, Magiſtratus, Prætores, Duces belli teneri ad reſtitutionem, ſi omittant impedire furta, iniuſta monopolia, latrocinia, & ſimilia mala, quando ea impedire in ipſorũ eſt poteſtate: quia ratione officij ex iuſtitia ad illa impedienda tenentur, tamquam ad hoc aſſumpti & conducti: ideo namque ſtipendia à Reipub. accipiunt, & honores eis deferuntur.

Infertur Secundò, Idem dicendum eſſe de omnibus illis, qui per modum contractus ad aliquarum rerum cuſtodiam ſeſe obligarunt, ſtipendium eâ de cauſa promerentes: quia lege iuſtitiæ tenentur hi cuſtodiam præſtare: quam ſi hanc negligant, tenentur de damno ſecuto, ſiue illud ab hominibus inferatur, vt à furibus, ſiue ab animalibus ſylueſtribus, quæ coërcere & abigere debuiſſent. Sic tenentur cuſtodes hortorum vinearum, ſyluarum, ſtagnorum, ſi ex ipſorum negligentia damna inferantur: non tamen tenebuntur cuſtodes ſyluæ communis, ſi permittant ijs auferre ligna, quibus iniuſtè id fuerat prohibitum, vt habet Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 142. vel, vt addit ex Solonio Mald. qui vitam aliàs tolerare non poſſunt, ſiue vt loquitur de Graffijs ſuprà n. 30. qui cognoſcuntur id facere adducti neceſſitate, quæ à mortali excuſet. Vide Nauar. cap. 17. n. 122. & 123.

Quod ſi verò eiuſmodi cuſtodes, pretio accepto, permittant alios aufere ligna, vel res ſuæ cuſtodiæ commiſſas, obligabuntur tunc ad reſtitutionem etiam ante illos, qui res abſtulerunt: quia cenſentur illi tum principales authores damni, quia quodammodò quaſi vendunt res alienas, idque ſiue pretium exegerint, ſiue oblatum acceperint. Vide Pet. Nauarram loco citato.

Infertur Tertiò, Etiam tutores & curatores ad reſtitutionem teneri, qui negligunt impedire damna pupillorum aut minorum, vt notat de Graffijs lib. 2. cap. 26. num. 27. Nauarrus cap. 17. num. 21. & alij. Ratio eſt, quia ex iuſtitia ad hoc obligantur: quamuis enim ſtipendia non recipiant, nihilominus lege iuſtitiæ tenentur. Nam poteſtas publica poteſt hanc obligationem eis imponere, & iuxta communem ſenſum habetur impoſita. Eandem obligationem poteſt dominus imponere famulo, quando certæ alicuius rei cuſtodiam illi demandat: nõ tamen hoc ipſo, quo famulus eſt, tenetur lege iuſtitiæ cuſtodire res domini, ſaltem nõ contra domeſticos: quia non cenſentur omnes ſe ad hoc obligare, qui famulitio ſimpliciter ſe addicunt: ſed illi, quibus inter miniſtros cura eſt demandata. Vnde licet fortuitò quis alium domeſticum aliquid videat ſurripientem, non tenebitur ex iuſtitia impedire, & per conſequens, neque contrahet obligationem reſtituendi. Benè autem monet de Graffijs ſuprà n. 42. quod tamen peccet mortaliter non manifeſtando, niſi paruitas materiæ, vel periculum maioris incommodi excuſet. 51

Dixi, Saltem non contra domeſticos; quia contra externos tenetur: omnes enim ratione famulatus cenſentur obligari ad res domini ſeruandas immunes ab externorum iniurijs, vt docet Soto lib. 4. quæſt. 7. art. 3. Cui autem peculiariter cura domus etiam in ordine ad domeſticos eſt commiſſa, obligabitur ille quoque ex iuſtitia impedire, ne dominus ab his damnum patiatur. Sed

Digitized by Google

52 Quæritur, quid dicendum ſit de filio vel ſubdito, qui non manifeſtat maleficiū, quod nouit committendum in patrem, Principē, vel Epiſcopum, aut proprium parochum?

Ratio quæſtionis eſt, quia dubium non videtur, quin illi peculiari ratione ſint obligati ad eiuſmodi iniuriam à talibus perſonis auertendam, vt docet Panorm. in Cap. Licet De reſtit. ſpoliatorum: & ratio per ſe ſatis clarè id dictat. Imò ſi de crimine læſę Maieſtatis agatur, habebitur reus, qui tacuit, quāuis maleficium non fuerit ſecutum de facto. Nihilominus quia in reſtitutionis obligatione reſpicere oportet, ex qua virtute naſcatur obligatio auertendi damni per manifeſtationem maleficij, hinc dicendum erit, quòd tales, licet tacendo grauiter peccent, non tamē incurrant onus reſtituendi aut reſarciendi damnum vel iniuriā, quæ fuerit iſtis perſonis illata, vt indicat Mald. ſup. dub. 4. Ratio eſt: quia obligatio in illis ad damna & incōmoda auertenda oritur tantùm ex pietate, obſeruantia, aut religione, vel ſimili virtute, non ex iuſtitia ſtrictè ſumpta: niſi fortaſſis ſubditus aliâ aliquâ peculiari ratione domino aut Principi eſſet obſtrictus. Sola autem obligatio iuſtitiæ ad damnum vel iniuriam impediendam inducit onus reſtituendi, ſi quis ſuâ culpâ neglexerit impedire, vt iam antè oſtenſum fuit.

DVBIVM VII.

Vtrum Præfectus cuſtodia vrbis, qui ex iuramento & officio tenetur accuſare, quos inuenit poſt ſonum campanæ, & non accuſat, teneatur ad ſolutionem mulcta in eos conſtituta: & ſimiliter, quando eſt mulcta conſtituta contra eos, qui in talibus vel talibus locis lignantur, piſcantur: vel contra eos, qui merces, non ſolutis vectigalibus, efferunt, vel inferunt, Vtrum cuſtodes ſiue obſeruatores inſtituti diſſimulantes, vel non deferentes, obligentur ad reſtitutionem non tantùm damnorum, ſed etiam ad ſuppletionem mulcta?

53 DE hac Quæſtione DD. non vniformiter loquuntur: nihilominus quia non omnes, qui diuerſimodè loquuntur, videntur in re omninò diſſentire, hinc pro reſolutione & explicatione

RESPONDEO & DICO I. Si quis à Principe, aut Repub. certo pretio redemiſſet ſiue cōduxiſſet ius mulctarum omnium, quę illis poſſent obuenire, & hic cōſtitueret cuſtodes quibus ſtipendium perſolueret, ad obſeruandos tranſgreſſores Legum, vel Edictorum Principis, ad hunc finem & effectum, vt eos pro ſuo commodo & lucro ad mulctæ ſolutionem compellat; haud dubiè eiuſmodi cuſtodes ſic conſtituti & conducti, ſi diſſimulent, nec deferant præuaricatores ad ſuum committentē, tenebuntur ad reſtitutionem mulctæ, in tantum ſaltem, quantum valebat ſpes iſtius mulctæ, ſi præuaricatio fuiſſet manifeſtata. Res per ſe apparet euidens, prę ſuppoſito, quòd mulctæ ſint legitimè & iuſtè conſtitutæ: & ita tenent DD. mox citandi pro tertia Aſſertione. Neque exiſtimo, quòd quiſquam ibi contradiceret.

DICO Secundò: Quando pœnę ſiue mulctæ ſunt conſtitutæ in præuaricatores Legis 54
aut Edicti, quod dumtaxat concernit bonū regimen & tranquillitatem Reipub. non vtilitatem Principis, aut ærarij publici, tum probabiliter dici poteſt, quòd Præfecti aut cuſtodes conſtituti ad accuſandos ſiue deferendos tranſgreſſores talis Edicti, etſi diſſimulent, non teneantur ad ſoluendas mulctas, quas alij debuiſſent luere, licet grauiter peccent. Ita in tali caſu expreſſè tenet Syluester V. Reſtitutio 3. q. 5. §. Septimò Cuſtodes & Vigiles: & idem docent ſub terminis generalioribus de Graffijs lib. 2. c. 126. n. 28. Nauar. c. 25. n. 34. Leſſius lib. 2. c. 13. dub. 10. & quidam alij. Et ratio reddi poteſt: quia eiuſmodi leges pœnales & commiſſoriæ in talibus materijs non videntur factæ, vt Princeps aut Reſpub. ex pœnis iſtis ditetur, aut lucrum reportet, ſicuti nec ex ipſa obſeruatione vtilitas pecuniaria ei accreſcit: ſed vt metu iſtarum cōſeruetur tranquillitas communitatis. Quare eiuſmodi cuſtodes & præfecti non videntur ratione officij ex mente Reipub. aut Principis obligati ad præſtationem mulctarū, quas neglexerunt, ſed potiùs cenſendi ſunt ſubiacere tantùm alteri correctioni arbitrariæ.

Nec huic obſtat, quod diximus in præcedenti Aſſertione: quia ſi Princeps etiā huiuſmodi mulctas alicui ſub pretio conſignet in arrendationē, tunc ſatis declarat ſe quoque curare & intendere vtilitatem, quę ex talibus prouenire poteſt, prout licitè poteſt, ſi velit.

DICO Tertiò: Quando pœnæ ſeu mulctæ ſunt conſtitutæ contra tranſgreſſores legum 55
ſeu ordinationum de ſoluendis Principi tributis, ſiue vectigalibus, ſiue de nō inferendo eis damno in publicis bonis, tum videtur probabiliùs & veriùs dici, quòd præfecti aut cuſtodes conſtituti ad obſeruandos & deferendos tranſgreſſores talium legum, ſi diſſimulent, teneantur non tantùm de tributis fraudatis, aut damnis illatis, iuxta antè dicta: ſed etiam de ipſis mulctis, ſaltem in quantum ſpes iſtarum Reipub. valebat. Ita docet Sylu. V. Pœna q. 28. quamuis non ita expreſſè limitet: ſed ne ſibi repugnet, putamus eum ſic limitatè, iuxta noſtram Concluſionem, intelligendū. Probat autē à ſimili ex doctrina, quam tradit D. Th. de obligatione Iudicis 2. 2. q. 67. Idem generaliùs docent

Ioan.

Digitized by Google

Ioan Med. Cod. de Reſt. q. 15. circa finem, Barth. Med. lib. 1. Summæ c. 14. §. 30. Salon. 2.2. q. 62. art. 6. Cõtrouerſ. 5. & Pet. Nauar. lib. 3. cap. 4. n. 142. Et rationem reddunt: quia hoc ipſo, quo quis contra legem eiuſmodi pœnalem delinquit, acquirit Princeps ſiue Reſpub. ius ad mulctam conſtitutam. Ex pacto autem ſub iuramento ordinariè & ſtipendio inſtituuntur præfecti ſiue cuſtodes obligantes ſeſe, quòd tranſgreſſores fideliter deferent, atq; ita ex iuſtitia tenentur deferre; ergò ſi diſſimulent aut negligant deferre, ſunt ipſi cauſa damni dominorũ ſuorum, non tantùm quoad vectigalia non ſoluta, vel res communes ablatas: ſed etiam quoad mulctas non ſolutas, tenentur ſaltem in tantum quantum ſpes illarum conſequendarum iudicabitur valere.

Neque eadem hîc omninò eſt ratio cum mulctis, de quibus egimus in præcedenti Aſſertione: quia cùm hæ leges verſentur circa vtilitatem & commoda Reipub. aut Principis, ſiue publici ærarij conſeruanda & promouenda, magis exiſtimandum eſt, quod Reſpub. etiã hîc ex mulctis intendat captare quæſtum, ſi non vt inde diteſcat, ſaltem vt inde recuperet, quod aliquando per occultas fraudes vel dolos ex ſuis vectigalibus aut alijs communibus bonis deperdit.

56 Quæret aliquis, An cuſtodi liceat ſe occultare, & exſpectare, donec in furto deprehendat, quem potuiſſet priùs impedire.

Reſpondetur, Id licitum eſſe, ſi faciat, vt deprehenſus efficaciùs corrigatur, & inpoſterum ipſe abſtineat, atque alij eius exemplo terreantur. Ita Nauar. cap. 17. n. 123. Mald. ſup. dub. 4. ſub finem. Ratio eſt, quia non debet hic in tali caſu cenſeri cauſa peccati alterius, vtpote qui iam animo & voluntate illud commiſit. Quare propter iuſtã rationem poteſt permittere, quòd actus externus accedat, quando peculiare incommodum non habet adiunctum; atqui hic pro charitate fit, quòd permittatur ad actum externum procedere, ſcilicet vt habeatur occaſio efficaciùs eum corrigendi: & fit ſimul etiam pro communi bono, vt alij exemplo correctionis huius à ſimilibus arceãtur. Neque cuſtos talis incurret obligationẽ reſtitutionis, quia ſupponitur, quòd in ipſo facto eum apprehendat & rem furtiuam excutiat.

DVBIVM VIII.

Vtrum aliquo ordine, & quo, ad reſtitutionẽ teneantur plures, qui ad idem furtum aut damnum inferendum concurrerunt, vel cooperati ſunt?

RESPONDEO & DICO Primò: Non improbabiliter dici poteſt, quòd omnes poſitiuè cõcurrentes & cooperantes ad idem damnum teneantur immediatè ad reparationem damni, ſcilicet ſinguli ad reparationem alicuius partis, maioris vel minoris, ſecundùm proportionem cauſalitatis & influxus in ipſum damnum illatum. Prolixè nititur hoc tanquã probabile adſtruere Pet. Nauarra lib. 3. de Reſtit. c. 4. n. 101. & aliquot ſequentibus: & videtur tenere Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. De quarto. Leſſius quoque ſup. dub. 5. n. 43. ait opinionem illam non eſſe improbabilem. 57

Probatur autem: quia omnes iſti verè cõcurrunt ad damnum inferendum, & quaſi ſibi mutuò ſunt cauſæ & opitulantur ad illationem damni, etiam illi qui minùs principaliter concurrunt; ergò omnes tenentur reſtituere, quiſq; pro ratione cooperationis in damno magis vel minus. Igitur licet principalis reſtituat, adhuc minùs principales reſtitutionis vinculo tenentur faciendæ ipſi principali, quiſque ſcilicet pro ſua quota ſecundùm proportionem ſui influxus iuxta arbitrium boni viri.

Quod tamen ad conſulentem, vel laudantem attinet, exiſtimarem illos ab hoc onere reſtituendi aliquid ipſi principali, quando totũ reſtituit, fore indubitanter eximendos, ſi ante factũ retractauerint conſilium & cõmendationem facti: quia tunc non videtur principalis iuſtâ aliquã ratione poſſe eis imputare ſuum factum, & eos trahere in damnorum quæ intulit & ſoluit aliquam compenſationem.

Dixi, Nõ improbabiliter dici poſſe, quòd omnes poſitiuè concurrentes aut cooperantes teneantur &c. quia nõ iudico vllã ratione probabile, quòd qui purè priuatiuè concurrerunt, teneãtur æquè primò & immediatè, ac principalis & alij poſitiuè cooperantes: quamuis Nauarra etiam ad hos extendat: nam ponit exemplũ de mandante, exequente, & nõ obſtante, quos equè primò pro rata ſua vult teneri. Et ratio diuerſitatis reddi poteſt: quia iſti priuatiuè ſe habẽtes, licet iniurioſi ſint ei, cui damnum infertur nõ amouendo, vt poſſunt & debent, nullam tamen præſtant operam, aut influxũ in illos, qui poſitiuè cauſant damnũ cum defectus in præſtatione horũ officij debiti ſit quaſi poſterior maleficio iſtorum: atque adeò ridiculũ videretur, quod iſti aliquid exigerent ab alijs dicendo, Vos nõ impediuiſtis noſtram malitiã quam exercuimus, ergò debetis nobis compenſare incõmoda quæ inde ſuſtinuimus: nõ enim officiati ſunt obligati aliquo iure vt malefactores ſeruent indẽnes, ſed vt innocẽtes. 58

DICO Secundò: Oppoſita tamen ſententia, quòd nec omnes qui quomodolibet poſitiue concurrunt, teneantur immediatè ad reſti-

ad reſtitutionem, ſed tantùm ordine quodã ſuo, principali deficiente in reſtitutione facienda, vti paſſim apud omnes magis recepta, ita & verior eſſe exiſtimanda eſt. Ita apertè docet D. Th. 2.2. q. 62. art. 7. ad 2. Principaliter tenetur, inquit, reſtituere, qui eſt principalis in facto: principaliter quidem præcipiens, ſecundariò verò exequens: & cõſequenter alij per ordinem: & in ſequentibus indicat, ſi minùs principales reſtituerint, quod principales in facto teneantur his reſtituere, & non è contra: quem ſequuntur eius commentatores & paſſim alij DD. Neque repugnans docet ibidem art. 6. quando dicit, quòd poſtquàm reſtitutio per vnũ eſt facta ei, à quo res eſt ablata, alij non teneantur ei vlterius reſtituere, ſed magis refuſionẽ facere ei qui reſtituit; quia ibi loquitur de pluribus, qui in eodem gradu & eodem modo concurrerunt ad furtũ aut damnum inferendum, qui obligantur omnes immediatè & æquè primò pro ſuis partibus, vt infrà dicemus.

Ratio Aſſertionis poteſt ſumi ex doctrina D. Thomæ: quia cùm non omnes æquè principales ſint in facto, ſed quaſi ſubordinati in damnificatione, meritò etiam cenſentur ſimiliter ſubordinati in obligatione ad reſtituendum. Vnde patet reſponſio ad fundamentum alterius opinionis. Itaque

59 DICO Tertiò: Quando damnum illatum eſt per ablationem rei alienæ, tunc inter omnes, primo loco tenetur is, apud quem res aliena in ſpecie exſtat. Ita D. Th. q. 62. art. 6. ad 1. Syluest. V. Reſtitutio 3. q. 6. vbi benè notat, quo ad reſtitutionem ſemper illum eſſe principalem, qui rem habet, quamuis non quoad perpetrationem delicti. Medina de Reſtit. q. 10. Mald. Tract. 4. c. 2. dub. 6. & alij. Ratio eſt: quia obligatio, quæ oritur ex detentione rei alienæ, prima eſt & perfectiſſima, ac in interitu poſtrema, adeò vt ne quidem apud bonæ fidei poſſeſſorem extinguatur: naturaliſſimi enim præcepti eſt, quod nullus debeat apud ſe detinere

60 rem alienam domino inuito. Quod ſi verò ab illo, ad quem deuenit, fuerit conſumpta, tunc conſiderandum erit, an bona, an mala fide conſumpta ſit. Si bonâ fide conſumpta eſt ab eo, qui ignorabat eſſe rem alienam ſiue furtiuam, nõ tenebitur hic, niſi in quantum ex ea factus eſt ditior: ſi autem conſumpta eſt malâ fide ab eo, qui ſciebat rem eſſe alienam, aut certè dubitabat, tenebitur hîc reſtituere totum pretium rei, quia quod eam malâ fide conſumpſerit, illum non liberat, qui proinde primo loco tenetur, non ſecus ac ſi exſtaret: alioquin noua illa iniuria ipſi iniurianti prodeſſet, ipſumque exoneraret. Quandoquidem itaque ipſe ex ea re commodum aut voluptatem ſciens & volens præ reliquis perceperit, par etiam eſt, vt præ reliquis teneatur & veniat in onus reſtitutionis. Quòd ſi forſitan aliquis ex ſocijs damnum compenſauerit, huic res reſtituenda erit, aut pretium, non domino: quia hic, qui compenſauit in ius domini ſucceſſit. Vide Caiet. quæſt. 62. art. 6. & Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 12. Medin. ſuprà.

DICO Quartò: Proximè poſt detentorem rei, tenetur ad reſtitutionem mandans, ſi quis talis fuerit. Ita Syluest. & Mald. ſuprà. Leſſius quidem ponit ſecundo loco executorem facti; ſed loquitur in caſu, quo non fuit mandans vel alius huic æquiparatus, vt patet per exceptionem, quam adiungit, & tunc ſic rectè collocatur tanquã principalis. 61
Ratio Concluſionis eſt: quia mandans apud omnes habetur principalis cauſa & author facti, quando habet poteſtatem in eum, cui mandauit: exequens autem reputatur tantùm veluti eius inſtrumentum, quo abutitur, & per quod ipſe malum operatur. Quarè meritò cenſendus eſt priori ordine ante executorem eſſe ad reſtituendum obligatus, ita vt dum ille reſtituerit, hic ſit exoneratus, non tantùm reſpectu eius, cui damnum eſt illatum, ſed etiam reſpectu mandantis, qui reſtituit. Quis enim iudicaret in tali caſu dominum, qui mandauit aliquid rationabiliter repetere à famulo, qui ei obediuit?

Dixi, Quando habet poteſtatem in eum, cui mandauit; quia ſi quis mandaret, qui nihil authoritatis, vel poteſtatis in alterum haberet, ſanè ſi obtemperaret, diceretur non tam motus imperio feciſſe, quàm propriâ ſponte, vel ad ſummum, quòd non mandati, ſed tantùm conſilij ratio interueniſſet: quare tunc author facti ante eiuſmodi imperantem obligaretur, vt docet P. Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 78.

Dices: Numquam habet quis authoritatem imperandi alteri maleficium; ergò mandans nunquam tenebitur ante mandatarium. 62

Reſpondetur: Non requiritur, quòd habeat authoritatem imperandi tale maleficium, ſed ſatis eſt, quòd ſimpliciter habeat poteſtatem imperandi tali perſonæ: hoc enim ſufficit, vt poſſit verè alterum mouere ſuo mandato, ſiue propter obſeruantiam, quam famuli aut ſubditi deferunt ſuis dominis, ſiue propter metum alicuius incommodi, aut indignationis, quam incurrent, ſi non obtemperauerint. Quæ quidem non excuſant eos à peccato, ſed faciunt imperantem priori loco ad reſtitutionem obligari.

Imperanti æquiparatur ex communi quoque ſententia is, qui coëgit, aut vi vel fraude induxit: vnde de his eadem eſt ratio, quæ de mandante, & in eodem ordine ſunt collocandi. Quibus etiam annumerandus videtur & communiter annumerari ſolet, qui ſuo nomine & in ſui gratiam rogauit, vel ſua-

vel ſuaſit facinus fieri, vt tradunt Mald. & Leſſ. ſuprà: quia is, cuius nomine fit, cenſetur quoque principalis, quia inſtar finis & efficientis moralis mouet cæteras cauſas. Deinde qui ſui commodi, vel honoris, aut voluptatis causâ, ſiue vt ſuæ ſatisfiat paſſioni, curat nomine ſuo maleficium patrari, v. g. inimicum ſuum occidi, impliciter cenſetur hoc ipſo totum onus reſtituendi in ſe ſuſcipere: neque enim æquum eſt, vt onus & obligationem maleficij in alium poſſit reijcere, qui illud ſui causâ ac nomine fieri poſtulat. Et in prædictis obtinet ſententia Caiet. q. 62. art. 6. Banneſij ibid. art. 7. & Soto lib. 4. q. 7. art. 3. quâ docent eum, qui alios induxit, teneri priori loco, & inductos non obligari ad quicquam ei reſtituendum: non ſic in omnibus qualitercumque inducentibus. Quòd ſi plures contingat illis modis quaſi in vno & eodem gradu concurrere, tunc inter eos iuxta iudicium prudentis, debebit onus reſtituendi diuidi; ita tamen, vt, ſi aliqui reſtituere prætermittant, tum alij, qui proximè ſuccedent, ſupplere teneantur: quemadmodum in eodem gradu inter ſe tenentur, ſi plures idem factum conſuluerint ſeu ſuaſerint.

63 Dico Quintò: Poſt eiuſmodi imperantem, aut vi vel dolo inducentem, atque alios, quos eis adiunximus, proximè ſuccedit ipſe executor inſtrumentalis ad onus reſtituendi, vt communiter à DD. traditur Syluеſt. & Mald. ſup. & ſignificat D. Th. ſup. Si plures autem communi conſilio & conſpiratione furtum aliquod commiſerint, vel damnum intulerint, quiſque reſpectu ſociorum tenetur principaliùs ad damni partem, quam per ſe intulit, & ad reliquum damnum in defectu aliorum in ſolidum.

Dico Sextò: Quod ad reliquos poſitiuè cooperantes, vt conſulentem, laudantem, conſentientem, receptantem, ſolent & debent omnes iſti cenſeri in eodem gradu cooperari ad damnum: & ſic inter ſe æquè immediatè in obligationē reſtituendi ſuccedunt, tunc ſcilicet, quando iſti, de quibus in præcedentibus Aſſertionibus egimus, non reſtituunt. Ita Mald. ſup. & Leſſ. dub. 6. & alij, qui inter iſtos non ponunt ordinem.

Ratio prioris partis eſt: quia illi inter ſe non ſunt ſubordinati, vt vnus alterum moueat, vel vnus alteri ſubſeruiat: neque enim qui laudat, mouet conſulentem, aut conſentientem: neque qui conſulit, ſubſeruit laudanti, vel receptanti, aut aliud auxilium præbenti; ſed omnes quaſi æquè proximè influunt in primã ſeu principalem cauſam, neque quiſquam horum nomine alterius agit, prout ſupponimus. Nam ſi fortaſſis conſulens, v. g. ſubornaret alterum, vt factum commendaret, vt ſic efficaciùs quod conſulit, ab eo, cui conſilium dat, peragatur, videbitur talis conſulens qui ſui gratiâ petijt, vt alter laudaret, obligari priori loco ante laudantem, quatenus hic nomine conſulentis laudauit; & ſic in alijs.

Ratio poſterioris partis eſt: quia omnes hi ſunt ſecundarij operatores & ſubſeruientes ipſis, de quibus primò diximus, quatenus ſcilicet vel eos inſtruunt, aut animant, vtilitatem vel gloriam proponendo, vel ſecuritatem, aut auxilium ſubminiſtrant. Quare hi poſt alios iſtos ſuccedunt in onus reſtituendi, ita quidem, vt, ſi illi reſtituerint, hi omnes liberentur: ſi verò non reſtituerint, tum hi omnes quaſi æquè primò ad reſtituendum ſint obligati; non tamen ſemper omnes ad æqualem partem, ſed cum quadam proportione, vt ſcilicet maiorem partem teneatur reſtituere is, qui magis & efficaciùs mouerit executorem ad damnum inferendum; minorem autem, qui minùs efficaciter mouerit aut concurrerit. Vnde ex his ille, qui eſt cauſa ſine qua abſolutè damnum non fieret, plus tenebitur conferre, quàm is, qui ſolùm eſt cauſa concurrens, & ſine quo nihilominus damnum fieret. Quare contingere poteſt, vt interdũ plus teneatur cõferre conſentiens, quàm laudans, vel conſulens; aliquando autem è contrà, prout executor magis vel minùs ab hoc, quàm ab illo ad agendum fuerit motus. Interim verò ſinguli horum veniunt quoque in onus reſtituendi partem alterius, ſi quiſpiam illorum non reſtituerit.

Caiet. autem Banneſ. & Soto ſuprà exiſtimant, quòd ij, qui executorem induxerint, ita vt fuerint ſimpliciter cauſa ſine qua non, teneantur aliquid ipſi refundere: quia qui ſic inducunt ſunt cauſa, cur ille incurrat obligationem reſtitutionis. Similiter de illis loquuntur, qui comitantur executorem ad facinus, qui aliàs non fuiſſet auſus attentare. Quæ quidem vtcumque ſunt affinia opinioni, quam explicuimus in prima Aſſertione, & ab æquitate non aliena, vt ſæpè inculcat Pet. Nauarra: ſed contrarium in rigore eſt verius, & magis communiter tenetur. Quamuis enim illi ſint executori cauſa vel occaſio iſtius grauaminis, tamen quia nullâ vi, vel fraude, vt ſupponimus, eum induxerunt, non apparet ſufficiens ratio hos illi obligandi ad aliquam reſtitutionem, ſed debet ſibi malum & onus ſuum imputare, quod ſciens & volens permiſerit ſe ad tale quid faciendum induci. 64

Hinc fit, quòd, ſi rei alienæ detentore, furti iuſſore, ac executore in reſtituendo deficientibus, alij poſteriores ſoluerint, tũ priores iſti obligẽtur in cõſcientia his refundere: quia ſoluendo intrarunt in ius domini, quod ille in priores iſtos habebat, qui primo loco ſunt obligati quemadmodũ ſi fideiuſſor ſoluerit creditori, tenebitur principalis debitor fide-

Digitized by Google

fideiuſſori refundere. Pari modo ſi merus executor reſtituerit, tenebitur ei iuſſor, aut qui cum iuſſore ſunt in eodem gradu. Vide Syluestr. V. Reſtitutio 3. quæſt. 6. & Couar. ad Reg. peccatum p. 2. §. 12. n. 3.

65 Dico Septimò: Quoad eos, qui priuatiuè tantùm concurrerunt, tenentur hi demùm ad reſtitutionem damni, cuius ſuo modo fuerunt cauſa poſt eos, qui poſitiuè ad idem damnum cooperati fuerunt: non tamen æquè primò omnes, ſed cum ordine aliquo inter ſe, vt mox explicabitur. Ita communiter DD. Leſſ. ſuprà dub. 11. n. 81. Mald. dub. 6.

Ratio eſt manifeſta: ſi enim ideo iuſtitiam læſerunt, quia non impedierunt malum, quando ex iuſtitia debebant, conſequens eſt, quòd priùs læſerint illi, qui poſitiuè illud intulerunt, aut ad inferendum concurrerunt: quare ſi iſti damnum, prout debent, reparauerint, ad nihil tenebuntur qui damnum non impediuerunt.

Confirmatur: quia haud dubiè ſatisfaciunt hi, ſi curent vt alij reſtituant, quod ipſi auferre iniuſtè permiſerunt; ergò etiam liberantur ab onere reſtitutionis, ſi aliunde id curatum aut præſtitum fuerit. Vide dicta ſuprà circa Aſſertionem primam.

Dico Octauò: Inter hos autem ſic priuatiuè cooperantes rectè à multis ſtatuitur hic ordo obligationis, quòd ſcilicet primo loco inter eos teneatur non obſtans, vt eſt (inquit Pet. Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 147.) Princeps & miniſtri iuſtitiæ, qui ex iuſtitia tenentur damna & iniurias ciuium propulſare.

Ratio redditur: quia ſicuti cenſetur cauſam dare, qui non ponit impedimentum quod tenetur ponere, ita efficaciùs videtur cauſam dare, qui efficacius tenebatur ponere impedimentum & non ponit: atqui eſt impedimentum efficacius, furi obſiſtere facto, quàm verbo tantùm, magiſque quàm manifeſtare ſolùm alijs, vt facto aut verbo impediant. Cæteris tamen paribus videtur particularis dominus aut ſuperior furis, qui non prohibuit, vbi & quando ex iuſtitia tenebatur, & poterat, obligari ad reſtitutionem ante alios non impedientes, quia propinquiorem & magis particularem habet obligationem, cæteris paribus ad impediendum, quàm alij magiſtratus.

Secundo loco dicunt teneri mutum, vt qui non diſſuaſit, qui non clamauit, vbi & quando diſuadere aut clamare tenebatur ad damnum præcauendum. Tertio autem loco ponitur non manifeſtans. Ratio huius ordinis eſt: quandoquidē enim iſti per ſe poterant & debebant impedire, & non impediuerunt, cenſentur cauſa propinquior & efficacior damni, quàm hic qui manifeſtare alijs tenebatur, vt ipſi impedirent, vel ad reparandum damnum cogerent malefactorem.

Hoc interim obſeruandum eſt, quandò ſunt ita plures, vt quorundam officium impediendi facto, vel verbo, ſiue clamore aut manifeſtatione ſeu delatione, ſit alijs ſubordinatū, teneri tunc illos ante reliquos, quorum immediatior erat in particulari cura impediendi: vt ſi conſtituti ſint cuſtodes, aut vigiles ad impedienda furta nocturna, tenebuntur hi ante alios, ſi negligant impedire.

DVBIVM IX.

Vtrum ſi is, qui damnum paſſus eſt, remittat vni eorum, qui ad illud inferendum concurrerunt, abſoluantur cæteri ab obligatione reſtituendi?

Respondeo & Dico Primò: Si damnificatus condonet illi, qui primo loco tenebatur ad totum damnum, liberantur alij, qui ſecundo loco tenebantur. Ita Anton. 2. p. tit. 1. c. 12. §. 15. Pet. Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 112. & communiter DD. eſtque res clara, quia hæc remiſſio eſt inſtar ſatisfactionis ab ipſo principali præſtitæ: atqui ſatisfaciente ſeu reſtituente illo, qui primo loco tenetur, cæteri ſunt ab obligatione abſoluti; ergò &c. 66

Confirmatur: quia ſi non reſtituente eo qui primo loco tenetur, alij reſtituant, tenebitur ille his, & ab eo poterunt exigere, & recuperare, quod ad reſtitutionem contulerunt. Vnde remiſſio facta eſſet quaſi nulla, ſi adhuc tenerentur, qui ſecundo loco erant obligati, nam his deberet ille reſtituere: neque enim poteſt priori fieri remiſſio cum præiudicio ſubſequentium.

Dico Secundò: Si damnificatus remittat ei, qui ſecundo vel tertio loco tenebatur, non ideo liberantur, qui ante illum reſtituere erant obligati. Ita quoque Antonin. & Pet. Nauarra ſup. n. 114. qui ad huius probationem adducit Cap. Tranſlatio De Conſtit. & communiter DD. Ratio eſt: quia obligatio prioris non eſt dependens ab obligatione poſterioris: quare poteſt hæc tolli & remitti, remanente altera.

Dico Tertiò: Quando plures tenentur eodem gradu (id eſt æquè primò vel æquè ſecundariò) etſi vni fiat perfecta remiſſio, non ideo reliqui ſunt liberi à ſuarum partium reſtitutione. D. Soto lib. 4. q. 7. art. 3. Medina q. 8. Pet. Nauarra ſuprà n. 117. 67

Ratio eſt: quia omnes æquè proximè obligantur ad reſtitutionem ſuarum partium: neque

Digitized by Google

neque obligatio hæc vnius eſt vllo modo dependens à ſimili obligatione alterius. Quamuis igitur tollatur obligatio vnius, tamen remanet cæterorum ad ſuas partes.

Petes: Quid ſi fuerint v.g. tres, qui æqualiter & eodem ordine ad damni reparationem tenentur, vni autem fiat plena remiſſio: ſecundus verò non velit vel non poſſit partem ſuam reſtituere, An tenebitur tertius ſuam partem & ſocij deficientis ſoluere?

Reſpondetur: Non tenebitur ad totam portionem deficientis ſupplendam, ſed tantùm ad dimidiam; quia ad alteram dimidiā tenebatur eo caſu ille, cui facta eſt remiſſio: Per remiſſionem autem non poteſt grauari alter ſocius, quemadmodum nec per ſolutionem, ſi vnus forſitan priùs ante alterum ſuam partem ſoluiſſet; nam & iſte deberet iterum concurrere ad ſupplendam partem deficientis in reſtitutione. Quando itaque damnificatus plenè remittit vni talium concurrentium, cenſetur illi triplicem facere remiſſionem, ſcilicet in primis partis illius, quam deberet ipſe reddere, cæteris ſuam partem ſimul reſtituentibus: deinde illius portionis, quam deberet, vno recuſante, aut negligente reſtitutionem: tertiò damni totius, ad quod reparandum in ſolidum teneretur, omnibus alijs ſuam partem ſoluere recuſantibus.

CAPVT TERTIVM,

De reſtitutione facienda ratione rei acceptæ.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum qui bonâ fide rem alienam conſumpſit vel alienauit tamquam ſuam, teneatur ad aliquam reſtitutionem?

1 SVpponimus hîc quemlibet, qui tenet rem alienā, quamuis optimâ fide illam poſſederit, exiſtimans eſſe ſuam, ſimul tamen ac cognouerit alienam (prout aliena non eſt, ſi legitimâ præſcriptione fortaſſis iam fecerit eam ſuam) teneri ad eius reſtitutionem, primâ opportunitate faciendam; idque tantum ratione rei acceptæ: nemo enim poteſt retinere rem alterius, ipſo domino rationabiliter inuito, quod eſt euidentiſſimi Iuris. Hinc leges ciuiles concedunt domino euictionem & vindicationem rei ſuæ, vbicumque fuerit: nec pretium, ſi quod pro eâ quis dederit, poteſt à domino exigere, vt conſtat l. Mater tua 3. l. Si mancipium. 23. Cod. De rei vindicatione. Ratio eſt: quia par non eſt, quòd dominus rem ſuam emat. Quare emptor bonæ fidei illud à venditore repetere debet: l. 1. D. De euiction. Si quis autem, habitâ opportunitate reſtituendi, vlteriùs eam detineat, dum ſcit eſſe alienam, iam incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, ac proinde de cætero tenetur nō tantùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquiualet acceptioni iniquæ. Vnde ſi interim pereat, quamuis caſu, obligabitur ad reſtitutionem, quia in mora fuit reſtituendi. His præmiſſis,

2 RESPONDEO & DICO Primò: Si is, qui rem alienam bonâ fide vt ſuam poſſidebat, eamdem conſumpſerit, vel alienauerit, vbi cognouerit fuiſſe alienam, tenebitur reſtituere tantum, quanto factus eſt inde locupletior, & non ad amplius. Ita DD. communiter. Syluester V. Reſtitutio 3. q. 7. Caiet. q. 62. art. 6. Med. q. 10. De Reſtit. Nauarrus cap. 17. n. 7. & ſequentibus.

Probatur prior pars: quia tenebatur ratione rei acceptæ, quæ erat alterius; ergò quicquid apud illum de re ſupereſt, ſiue in ſe, ſiue in alio, quod in locum rei ſucceſſit aut ſucceſſiſſe cenſetur, debet ipſe domino reſtituere: in tantum autem cenſetur apud illum de re ſupereſſe, in quantum ex illa eſt factus locupletior; ergò &c.

Probatur pars poſterior: quia tantummodò obligabatur ratione rei acceptæ, vt ſupponimus; ergò quatenus illa non amplius apud eū exſtit in ſe vel in æquiualenti, eatenus quoq; ceſſat & extinguitur ipſius obligatio ad illam reddendā; ergò quando bonâ fide conſumpſit, vel alienauit, nō tenebitur ad amplius, quàm quo factus eſt ex illa ditior.

Hinc itaque infertur Primo, Si quis bonâ fide rem furtiuam emit, & deinde bonâ fide vendidit eodem pretio, ad nihil ipſum domino teneri: quòd ſi eam pluris vendiderit, & rem familiæ auxerit, teneri ad reſtituendum auctuarium, & non ad amplius. Ioannes Medina quæſt. 10. & alij.

Infertur Secundò, Si eam dono accepit, & bonâ fide vendidit, debere reſtituere pretium, niſi fortaſſis illud inſumpſerit in uſum, vel in munera alijs data, ita vt ex eo non ſit factus ditior. Hoc tamen intellige, ſi alioquin non fuiſſet eiuſmodi expenſas facturus: nam ſi decreuerat, vel aliàs neceſſarium erat eiuſmodi ſumptus facere, quamuis non obtigiſſet pretium illius rei iam

cenſetur

Digitized by Google

cenſetur inde factus eſſe locupletior: nam pepercit rebus ſuis, quas alioquin expendiſſet.

Infertur Tertiò, Non teneri, ſi eam rem bonâ fide alteri donauerit, non donaturus alioquin ſimilem, aut diſſimilem, niſi hanc habuiſſet: quia non eſt factus ex re aliena ditior. Secus eſt, ſi aliam erat donaturus ex bonis ſuis: iam enim pepercit rebus ſuis, donans rem alienam, & ſic profectum aliquem ex illa accepit. Si tamen donaturus fuiſſet rem minoris pretij, non tenebitur, niſi ad pretium rei, quam daturus erat: quia non plus cenſetur ex re aliena profeciſſe.

Infertur Quartò, Ad nihil teneri, ſi res perijt durante bonâ fide, ſiue perierit fortuitò, ſiue culpâ paruâ vel magna. Ita Mald. tract. 4. cap. 3. dub. 1. & Leſſ. Ioan. Medina Cod. de Reſtit. quæſt. 10. licet Nauar. cap. 17. n. 7. aliud inſinuet, dum ait, Si abſque culpa ipſius perijt: & Soto lib. 4. quæſt. 7. art. 2. dum ait, Si abſque magna culpa perijt.

Sed fundamentũ noſtri dicti videtur ſolidum: quia ſcilicet talis non tenetur ratione damnificationis ſeu iniquæ acceptionis (nam interitus rei, aut negligens cuſtodia non poteſt hîc cenſeri actio iniuſta, quandoquidem bonâ fide ſe gerat circa rem illam tamquam circa rem ſuam, vtpote quam exiſtimat eſſe ſuam;) ſed ſolùm ratione rei acceptæ; ergò quando res non extat apud eum ampliùs nec in ſe, nec in pretio quo factus ſit ditior, vndecumque id acciderit, dum bonâ fide accidit, ad nihil tenebitur.

Difficultates autem aliquæ mouentur circa fructus, qui forſitan fuerint percepti ex re aliena: pro quarum explicatione

Dico Secundò: Qui rem alienam bo-
3 nâ fide poſſedit, vbi cognouerit eſſe alienã, tenetur quoque reſtituere omnes fructus rei, qui apud illum exſtant, modò non ſint fructus qui dicuntur eſſe meræ induſtriæ. Ita Ioan. Medina ſuprà & alij communiter.

Ratio eſt: quia fructus per ſe debentur domino rei: hoc ipſo enim, quo ex re alicuius proueniunt, cedunt in ipſius dominium, vt ſuprà diximus: & patet Inſtit. de rerum diuiſione §. Si Titius & ſeqq. Eiuſmodi autem inprimis ſunt, qui ſine labore aut opera ex re naſcuntur, vt fœnum, ligna, glandes, & ſimilia. Item & illi, qui interueniente labore quidem, ſed tamen ex ipſa re proueniunt, vt ſegetes, vuæ, & ſimilia. In his tamen erunt detrahendæ expenſæ, & æſtimatio operarum. Fructus autem nudæ induſtriæ reſtituendi non ſunt, ne quidem à poſſeſſore malæ fidei, vt ſuprà dictum fuit: v. g. ſi quis in aliena pecunia fuerit negotiatus, & quæſtum fecerit, tenetur hic domino ſolùm de pecunijs, & de intereſſe, ſi quod fortè fuerit paſſus. Vide dicta ſuprà, vbi latiùs hac de re actum eſt.

Dico Tertiò: Si fructus quidem non 4
extent, tamen ex illis factus eſt locupletior, tenetur domino rei, in tantum, quanto ditior inde factus eſt, ſiue fuerint fructus merè naturales, ſiue mixti, vbi labor & opera ſimul interuenerint. Ita Medina Cod. de Reſtit. quæſt. 10. & alij DD. Communiter.

Ratio patet ex dictis: quia fructus debentur domino, ſubſtractis expenſis, ſi quæ fuerint factæ. Quamuis autem apud eum fructus iam in ſe non extent, tamen exſtat, quod in locum fructuum ſuccedit, ſcilicet id, quo factus eſt ditior, ergò illud debet domino: atque ita in foro conſcientiæ ſeruandum eſt, vt docet Syluester V. Fructus quæſt. 1. licet in foro fori in quibuſdam tribunalibus, mixti fructus non extantes, etiãſi inde quis factus ſit ditior, iudicentur non reſtituendi, vt ſcribit Couar. lib. 1. Variarum reſol. cap. 3. n. 6. ſed praxis illa non ſatis ſolido nititur fundamento; nec ſatis eſt ſecura pro conſcientia, vt ex Syluest. diximus, quia eſt contra doctrinam communem, præſertim Theologorum: cui etiam fauet apertus textus iuris l. Si me Titium 3. D. Si certum petatur.

Quod autem ad iura, quæ in contrarium allegantur, attinet, vt eſt L. Quæſitum 40. D. De acquir. rerum dominio, & §. Si quis à non domino: Iuſtit. de rerum diuiſione, rectè ad illa reſpondebitur, ea intelligi de fructibus illis non reſtituendis, qui non exſtant, ſcilicet nec in ſe, nec in æquiualenti, quo factus eſt quis locupletior.

Cæterùm eximuntur hîc fructus tam in ſe, quàm in eo quo quis factus eſt ditior, qui per legitimam poſſeſſionem bonæ fidei fuerint præſcripti ab illo, qui bonâ fide rem alienam, vt ſuam, poſſidebat: contingit enim ſæpiùs fructus tamquam res mobiles longè breuiori tempore præſcribi, quàm ipſas res immobiles, ex quibus percipiuntur. Quod etiam locum habet, licet collecti fuerint, poſtquàm iam de vero rei dominio dubium eſſet exortum, modò tamen bonæ fidei poſſeſſio non ſit interrupta: vt ſi debitam diligentiam ad veritatem cognoſcendam (prout dubio ſuboriente debet,) adhibuerit, nec tamen veritatem potuerit deprehendere. Vide Couar. dicto lib. 1. Var. cap. 3. n. 7.

Dico Quartò: Talis bonæ fidei poſſeſſor non tenebitur ad reſtitutionem fructuum, quos fortaſſis ratione ſuæ negligentiæ ex re non percepit, quamuis eos percipere potuiſſet: quemadmodum è contrà in tali caſu tenetur poſſeſſor malæ fidei.

Declaratur: quia non eſt factus locupletior, ac proinde non tenetur ratione rei acceptæ, quæ apud illum nullo modo exſtat: neque etiam fuit ipſe iniuſta cauſa damni domino obuenientis, quemadmodum poſſeſſor

Digitized by Google

ſeſſor malæ fidei, qui iniquâ & malæ fidei detentione & dominum impedit & cauſſam damni creat; ergò &c.

DVBIVM II.

Vtrùm qui emit bonâ fide rem furtiuam poſſit reſcindere contractum, & vt pretium recuperet, furi rem reſtituere, vbi intellexerit eſſe alienam, an verò teneatur eam domino reſtituere?

5 Respondeo & Dico Primò: Si quis à fure gratis acceperit rem furtiuam, vbi cognouerit eſſe alienam, tenetur illam domino reddere: neque poteſt reſtituere furi, niſi certus foret, quòd fur ipſe eam domino ſit redditurus. Ita Pet. Nauarra lib. 3. c. 4. n. 194. & alij omnes communiter.

Ratio eſt: nam quilibet, qui detinet rem alienam, quam ſcit eſſe alienam, debet eam reddere illi, cuius eſt, non alteri: quando ſaltem eius non intereſt, nec incommodum inde patitur, quòd eam domino reddat potiùs, quàm cuicumque alteri; ergò quando quis gratis à fure accepit, non furi ſed domino eam reddere tenetur: nam ſine ſuo incommodo æquè domino ac furi reddere poteſt: quia ex reſtitutione furi facienda neque iuſtum quæſtum poteſt exſpectare, nec damnum aliquod vitare

6 Dico Secundò, Si quis bonâ fide rem furtiuam emit, vbi intellexerit eſſe alienam, ex probabili multorum ſententia poterit contractum reſcindere, & reddere furi, à quo emit, vt pretium recuperet, quando aliter pretium à ſe perſolutum recuperare non poſſet. Ita docent Syluester V. Reſtitutio 3. q. 7. Summa Angelica V. Reſtitutio 1. n. 1. Nauar. cap. 17. n. 9. Pet. Nauarra lib. 3. c. 4. n. 194. & ſeqq. Gabriel in 4. diſtinct. 15. q. 3. art. 3. dubio. 5. Alexander Halenſis quarta p. 86. membro 3. art. 5. Banneſ. & Arragon. hîc q. 62. art. 6. & alij plures recentiores.

Probari autem poteſt, quia in primis contractus iſte emptionis ex ſe vel nullus eſt, aut ſaltem ſubiacet reſciſſioni: error namque dedit illi cauſam, quatenus ſcilicet res empta laborat occulto vitio, quod ſi emptor ſciuiſſet, non voluiſſet eam emere: vnde fuit inuoluntarius, aut ſaltem non voluntarius; ergò vel naturâ ſuâ eſt nullus propter defectum voluntarij, vel certè reſcindi & in irritum reuocari poteſt, pro arbitrio eius, qui deceptus fuit, vt infrà latiùs dicetur: reſciſſo autem contractu, poteſt emptor pretium, quod perſoluit, à fure exigere & recuperare, vt per ſe patet: quia illius retinendi iam fur nullum habet titulum, & quidem repetere poteſt etiã reponendo (in quo principalis eſt difficultas) rem furtiuam ad manus furis, apud quem priùs erat, quando aliter pretium ſuum recuperare non poteſt.

Confirmatur Primò: quia emptor rem illam, licet alienam, bonâ fide contrectauit, ita vt contrectando eam hactenus non fecerit domino iniuriam, vti ſupponitur: atqui innocua contrectatio & exiſtentia rei alienæ apud aliquem non videtur illum poſſe reddere obnoxium, vt debeat illam cum æquali ſuo damno ſeruare, & reddere domino, ſic vt ad damnum ſuum inde proueniens vitandum, non illi liceat eam reponere & conſtituere eo loco, vnde ſine ſuâ noxâ eam accepit.

Confirmatur Secundò: quia nulla apparet iuſta domini querela, quaſi iniuriâ afficiatur, quòd talis vt ſe ſeruet indemnem, conſtituat rem eius in eo ſtatu, in quo illam reperit, quando non poteſt aliter ſibi de pari damno cauere: quia in pari causâ & innocentia, nemo videtur obligatus ſibi nocere, aut ſuum negligere, vt alius quod ſuum eſt, conſequatur; ergò &c.

Addidi, Si aliter emptor non poſſit recuperare pretium ſuum; nam ſi aliter à fure queat recuperare, præſertim abſque grauioribus difficultatibus & moleſtijs, tenebitur omninò domino reddere rem ſuam, vt colligi poteſt à ſimili ex l. Bona fides 31. D. Depoſiti.

Ratio eſt: quia quando abſque iuſta cauſa facit rem domino difficiliorem recuperatu, aut irrecuperabilem, cenſetur tunc ipſe rem domino iniquè ſubſtrahere, & furi cooperari. Vnde tenebitur tum non tantùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis. Cauere quoque debebit, ne ſic furi rem reſtituat, vt apud furem nunc ſit occultior, quàm priùs apud ipſum erat; quia in reatum incideret occultantis furtum, atque ita furto quoque cenſebitur cooperari.

Dixi, Ex probabili multorum ſententia; 7
quia non deſunt graues authores, qui contrarium ſuſtinent, vt Dominic. Soto. lib. 4. q. 7. art. 2. §. contra hanc deciſionem, Ioan. Medina q. 10. Cod. De Reſtitut. Ledeſma, & alij, quos citat Pet. Nauarra loco ſuprà allegato n. 193. quibus etiam ipſe adiungit Couar. lib. 1. Variar. reſol. cap. 3. n. 6. & ad Reg. Peccatum p. 3. in princ. Sed non videtur hic author determinatè ad hunc caſum reſpicere, quamuis generatim dicat poſſeſſorem bonæ fidei, mox vt cognouerit rem eſſe alienam, debere illam domino

domino reddere, quod alioquin incipiat eſſe in mala fide: quod quidem ordinariè verum eſt, quando videlicet non ſubeſt iuſta cauſa differendi, vel aliter agendi. Atque ita ex iſtis non ſatis certò poteſt ſtatui de ſententia Couar.

Docent itaque hi authores, eiuſmodi emptorem debere potiùs ferre iacturam pretij, quàm ad manus furis rem reponere; ſuæque vel imprudentiæ, vel infelicitati adſcribere damnum ſuum, ſi aliter pretium non poſſit recuperare: quorum opinio probari poteſt his argumentis.

Primò: quia ſi fur diſparuiſſet, ita vt emptor cum eo de contractus reſciſſione, & de pretij ac rei furtiuæ hinc inde redditione tractare nequiret, deberet emptor etiam cum ſoluti pretij iacturâ, rem domino reddere; ergò ſimiliter, fure adhuc comparente. Probatur Conſeq. quia ob id, quòd fur poſſit reperiri, nihil iuris amittit dominus rei. Confirmatur, quia ſi poſſit furi reddere, vt pretium recuperet; ergo ſi fur inueniri non poſſit, poterit quoque eam alteri vendere, ne domino rem reſtituendo ipſe patiatur damnum: quod tamen nullus admiſerit.

Probatur Secundò: quia ſi quis rem alterius extorſiſſet ex manibus furis, putans eam eſſe ſuã, quam fur illi abſtulerat, vbi cognouerit eam eſſe alienam, non poterit hanc furi reddere, vt ſibi ſuam reſtituat; ergò ſimiliter quando apud emptorem eſt res alterius, non poterit illam ponere ad manus furis, apud quem eſt pecunia eius, vt illam recuperet.

Tertiò: quia eam furi reſtituendo videtur cooperari iniquæ detentioni.

Quartò: quia ſi dominus rei in foro externo conueniret talem emptorem coram Iudice, condemnabit Iudex emptorem ad rem domino reſtituendam; ergò &c.

8 Ad hæc autem reſponderi poterit, prout etiam in ſubſtantia à diuerſis reſpondetur.

Ad primum quidem, Negando Conſeq. Ad probationem verò dicitur, quòd quidem fure comparente dominus nihil iuris amittat; ſed emptori obuenit iuſta occaſio ſe ſeruandi indemnem, modo & ratione ſuprà explicatis, quæ occaſio dum deeſt, fatemur eum cum pretij iactura debere rem domino reſtituere.

Quare ad Confirmationem, Reſpondetur ſimiliter, Negando Conſeq. quia pretium ab illo repetendo, à quo bonâ fide emit, atque illi rem reddendo, ſeruat ſe indemnem abſq; iniuria eius, à quo pretiũ recuperat, per iuſtã ſcil. contractus reſciſſionem; & ſimul ſine iniuria domini, quia rem eius reponit eo loco, vnde inculpabiliter cum ſuo grauamine illam acceperat: cuius repoſitionis faciendæ iuſtam habet cauſam, vt ſcilicet ſuum recuperet. Si autem alteri vendendo vellet ſe ſeruare indemnem, nunc faciet iniuriam emptori, quia vendit ei rem, quam ſcit non eſſe ſuam, & cuius non poſſit transferre dominium: ac ſimul quoque ipſi domino, quia pro ſua indemnitate non poteſt ipſe de re alterius diſponere pro ſuo arbitrio, quamuis in prędicto caſu admittatur poſſe eam reponere illo loco, vnde acceperat.

Sed Replicat Soto, quòd à reſtitutione domino faciendâ non excuſet detrimentum, quod ab intrinſeco ipſius reſtitutionis obuenit, licet extrinſecum poſſit excuſare. Ad quod Reſponderi poteſt, non hîc quoque reperiri ſolum detrimentum, quòd eſt quaſi ab intrinſeco, conſiſtens in ipſa carentia rei reſtituendæ, quale ſuſtinet etiam ille qui rem furtiuam gratis acceperat, quando eam domino reddit: ſed interuenire quoque extrinſecum, quatenus ſcilicet amitteretur pretium, quod bonâ fide pro illa ſoluit.

Ad ſecundum argumentũ Reſpondetur ſimiliter, Negando Conſeq. quia res illa alterius ſic recuperata non exiſtit apud eum qui recuperauit, cum grauamine aut intereſſe eius: ſed res furtiua, bonâ fide empta, eſt apud emptorem, cum ipſius grauamine, quia vt eam haberet, rem propriam, pro illâ expoſuit. Quare vt hanc quam expoſuit, recuperet, bona ratione poterit alteram priori loco reponere: non ſic alius, vt recuperet rem ſuam, quia eam nõ expoſuit pro re iſta, quam ex manibus furis extorſit.

Ad tertium argumentum Reſpondetur Negando Aſſumptum: quia vtitur iure ſuo dumtaxat, vt ſe ſeruet indemnem, relinquens reliquum conſcientiæ furis: neq; enim ſuadet, vt non reſtituat, nec eum firmat in propoſito non reſtituendi, quin potiùs ad contrarium inducit, præbens illi exemplum non detinendi alienum. Vnde nec dat occaſionem noui peccati, quia magis hortatur, vt animum mutet, vtque qui pretium iniquè detinebat, rem furtiuam domino reddat, & ſic ſe ab iniuſtitia liberet.

Ad quartum Reſpondetur, Emptorem talem in externo foro condemnandum, quia res aliena, in quam dominus proximè habet actionem, apud ipſum reperitur. Inquiret enim Iudex, à quo emerit, vt cognoſcat, an furtiũa ſit: quo cognito iubet, vt domino res ſua reſtituatur; non autem furi, quia non vult dominum rei per iſtas ambages ducere: ſolent quippe Iudices quod expeditiſſimum eſt, ſequi. Verùm ſi fur qui vendiderit, agnitus fuerit, condemnabitur ille ad pretij reſtitutionem emptori faciendam: ſi autem inueniri non poſſit, nihilominus etiam cum pretij iacturâ abſque Iudicis ſententia debebat emptor rem domino reſtituere: atque ita hîc ordo

iuris

Digitized by Google

iuris æquus eſt, quamuis interim emptor, antequam res iudicialiter repetatur, poſſit in conſcientia rem apud furem reponere, ſtantibus conditionibus ſuprà poſitis, vt ſuæ indemnitati conſulat.

DVBIVM III.

An emptor bonæ fidei non poſſit exigere pretium à domino, qui rem repetit: & an non teneatur illi dominus reddere?

9 RESPONDEO & DICO Primò: Ordinariè emptor non poteſt illud tamquam de iure debitum exigere, neq; dominus ad illud reddendũ tenetur ſiue in foro externo, ſiue interno. Ita docet Syluеſt. V. Reſtitutio 3. q. 7. n. 4. & cum eo Couar. ad Reg. Peccatum p. 3. in princ. n. 3. idque probat ex l. Inciuilẽ 2. Cod. De furtis, l. Si mancip. 23. Cod. de rei vindic. & l. Si debitor 7. D. Quæ in fraudem credit: Pet. Nauarra lib. 3. c. 4. n. 202.

Ratio reddi poteſt: quia æquitas non permittit, vt dominus cogatur rem ſuam emere, quâ ſine culpa ſua eſt priuatus aut ſpoliatus.

Dixi, Non teneri ordinariè: quia iuxta eumdem Couar. Syluеſt. & alios tenebitur dominus in vtroque foro pretium reſtituere, ſi bonâ fide emptor paruo pretio emerit animo & intentione benè gerendi rem domini, vt ſcilicet domino rem ſuam reſtitueret moderato illo grauamine, cùm alioquin dominus nihil de re ſua eſſet recuperaturus, prout moraliter certò aut ſaltẽ valde probabiliter de eo iudicare licebat ex præſenti rerũ ſtatu & circumſtantijs. Probatur ex Can. Rapinã 5. XIV. q. 5. vbi dicitur, rapinam emere non licere, niſi ea intentione, vt, cui ablata eſt, reſtituatur. Ratio reddi poteſt: quia iniquum foret, quòd qui bonâ fide & rectâ intentione vtiliter geſſit negotiũ domini, ipſe amitteret, quod in gratiam domini expoſuit.

10 DICO Secundò: Si quis malâ fide rem alienam, ſciens ſcilicet vel dubitans eſſe furtiuã, emerit animo retinendi, tenetur ipſe eam domino reſtituere: neq; poteſt furi reddere, vt ſe indemnem ſeruet. Ita in primis neceſſariò tenent omnes illi, qui contra concluſionẽ ſecundã Dubij præcedentis ſentiũt, vt Soto, Med. & alij ibi citati n. 7. idq; à potiori ratione. Et ita expreſſè docet Couar. p. 3. ad Reg. Peccatum in princ. n. 3. & cum illo Nauarra loco ſup. cit. Nauar. & alij plures.

Probatur: quia talis non tantùm tenetur ratione rei acceptę, ſed etiam ratione iniuſtę acceptionis, adeò vt obligetur, quãuis apud eum res fortuitò perijſſet; ergò mirum non eſt, neque contra rationem, quod dicatur teneri etiã cum iactura pretij, ita vt non poſſit illud à fure recuperare per repoſitionem rei ad manus illius, quando inde contingeret quod dominus rem ſuam non aſſequeretur.

Opponet aliquis: Si talis emptor reſcindat contractũ, non videbitur teneri amplius ratione acceptionis: atqui ius habet reſcindẽdi contractum, ſaltem conſentiente venditore, etiam domino inuito; ergo contractu reſciſſo poterit rẽ reponere eo loco, vnde accepit, & proinde non tenebitur domino ad reſtitutionem: neque domino magis erit iniurius, quàm qui bonâ fide rem emptam ſic ad manus furis repoſuiſſet.

Reſp. N. Aſſ. quia per illam contrectationem ſemel initam inter furem & emptorem conſciũ furti, iam factus eſt ipſe emptor reus furti, & iniuſtæ actionis, ſicuti is, qui primus ſurripuit, vt dicit P. Nau. loc. cit. n. 200. à quo reatu per reſciſſionẽ contractus non liberatur, ſed remanet ei iniecta obligatio ſeruandi ac reſtituendi rem domino: contra quã obligationem peccabit, ac proinde domino erit iniurius, ſi furi reddat, de quo non ſit certus, quòd eam domino refundet; atq; adeò ſemper domino tenebitur, donec hic rem ſuam recuperet. Hoc enim ſecũ importat cõmunicatio ſiue in acceptione iniquã, ſiue in detẽtione iniqua: nam & ille furtum committere cenſetur, qui malâ fide cõtrectat rem alienã, quamuis eam furto non habuerit, vt expreſſe docet Couar. loco cit. n. 2. circa finem, ex l. Qui vas 48. §. Si ego tibi 4. D. De furtis. Vnde vlteriùs DD. colligunt, ſi is, qui bonâ fide rem ab initio emit, aliquamdiu retineat ſciens iam eſſe alienam, quando habuit opportunitatem ſine ſuo detrimento eam reſtituendi, non poſſe talem, quando à domino deinde vrgetur, rem furi reddere: quia malâ fide detinendo ac contrectando rem alienam, cõtraxit onus domino eam ſeruandi ac reſtituendi, ſicuti alter qui malâ fide emerat.

Sunt tamen nonnulli, qui propter argumentum obiectum aliter ſentiant: ſed parum ſolidè, vt ex ſolutione poteſt conſtare.

Contra dicta autẽ poteſt opponi Cap. In litteris: de reſtitutione ſpoliatorum: vbi dicitur, quòd etiam prædo ſit reſtituendus ſecundùm iuris rigorem: quod conſtitui videtur etiam l. 1. §. Qui à me D. De vi & vi armata; ergò apparet, quòd res ſemper furi ſit reſtituenda. 11

Reſpondetur, omiſſis diuerſis ſolutionibus, quas P. Nauarra adfert, Neg. Conſeq. quia in primis fur de quo hic agimus, non eſt ſpoliatus re furtiuâ, ſed voluntariè eius poſſeſſione ſe exuit, & in alium tranſtulit: ibi autem agitur de prædone ſpoliato ſuis ſpolijs. Deinde agitur de prædone, qui non ſit iuridicè conuictus, aut in facto deprehenſus, de quo ſcilicet eſt adhuc Iudicis cognoſcere, an ſit prædatus. Nos autem hic agimus de illo, de quo conſtat certò eum eſſe furatum: quando enim dubium foret, an res ſit furtiua, tunc potiùs venditori eſt reſtituenda, vt ſe defendat, quàm alteri, qui ſe dominum facit.

DVBIVM IV.

Vtrum qui rem alienam, quam bonâ fide emerat, iterum bonâ fide vendidit, debeat admittere reſciſſionem contractus, & emptori pretium reddere, ſi dominus compareat: an verò ſatisfaciet, reſignando illi ſuam actionem in primum venditorem?

12 Reſpondetur: Non ſatisfaciet, cedendo emptori actionem ſuam in alterum, niſi hac velit eſſe contentus: ſed tenebitur admittere contractus reſciſſionem, & emptori pretium refundere. Eſt communis doctrina & omninò tenenda; quamuis Nauar. c. 17. n. 8. aliter videatur ſentire. Contra quem agit P. Nauarra lib. 3. c. 4. n. 103. & ſequentibus. Et pro ſe citat Soto lib. 4. de Iuſt. q. 7. art. 2. §. Quid autem, & Mercad. c. 14.

Colligitur quoque manifeſtè ex D. Th. 2. 2. q. 77. art. 2. vbi expreſsè docet, eum, qui ignoranter vendidit rem defectui obnoxiam, licet vendendo non peccauerit, teneri tamen, cùm ad eius notitiam peruenerit, damnum recompenſare emptori: ſicuti ſi quis bonâ fide vendidiſſet aurichalcum pro auro, quamuis & ipſe ita emiſſet, tenebitur tamen emptori, quando innotuerit, reddere pretium, vel verum aurum illi præſtare: atqui hæc conditio rei, quòd ſit furtiua vel alterius domini, eſt magnus illius defectus, quatenus contractui huic ſubiacet, quia nō poteſt à vendente in ementis transferri dominium; ergo quando de eo conſtat, debebit venditor admittere contractus reſciſſionem & pretium refundere.

Reſpondet ad hoc Nauar. vitiū illud eſſe tantùm extrinſecum: rem verò ipſam intrinſecè non eſſe vitioſam: ſecus eſſe in aurichalco, aut falſa moneta, vel ſimilibus, quæ cōtrà allegantur. Sed hoc non euacuat argumentum: nam ratio intrinſeci aut extrinſeci non inducit hîc diſparitatem, quæ ad rem faciat. In vtroq; enim obtinet ipſa ratio, ob quam emptor habeat ius reſcindendi contractum, & venditor teneatur ei de euictione ſecundùm leges, vt benè reſpondet Mald. tract. 4. c. 3. dub. 3. quia ſcilicet occultum rei vitium ſufficit, vt meritò emptor ſit inuitus, & inuoluntarius, & quidem vel maximè illud, vti apparet, quòd non permittit rem tranſire in dominium emptoris. Omninò itaque venditor tenetur emptori de euictione, nec poteſt illum ablegare ad alterum, cùm quo illi negotiū non fuit, ſed ipſemet tenetur ſatisfacere, vt patet ex l. 1. & alijs pluribus, D. De euictione: & Cod. eod. tit. Sed

Quæres, Si emptor ipſe, non monito venditore, ſtatim rem reſtituat, Vtrum venditor tenebitur ei tum reddere pretium? 13

Reſpondetur cum diſtinctione: Si ex illa præpropera reſtitutione quam emptor fecit, incurrat venditor damnum, quia ſcilicet eâ de cauſa non poteſt recuperare pretium à ſe alteri perſolutum, quod alioquin recuperaturus erat, re ſibi exhibitâ, tunc non obligari eum ad pretij reſtitutionem ipſi emptori: ſi namque hic pretium repetere intendebat ab eo, qui bona fide rem emerat, ipſique vendiderat, debebat illi rem repræſentare, vt & ipſe poſſet ſe ſeruare indemnē. Quòd ſi verò accelerata redditio nō ſit alteri cauſa, quare non poſſit pretium à ſe ſolutum recuperare, tenebitur emptori pretium refundere; quia vendendo ei rem alienam dedit illi cauſam damni, & ab eo damni cauſam non accepit per rei reſtitutionem domino factam, vti ſupponimus, vt puta, quia propter illius à quo emerat, abſentiam, vel inſufficientiam, aut ſimili de cauſa factum, eſt, quòd pretium ſuū redipiſci nequeat. Vide Leſſ. ſup. dub. 8.

Quæres Secundò: Quid ſi domino rei comparente, non inueniatur poſtremus emptor, apud quem res bonâ fide exiſtit, Vtrum ille venditor qui priùs bonâ fide emit, & ſic iterum vendidit, teneatur domino de pretio quod accepit? 14

Reſpondetur, Non teneri niſi forſitan ex venditione factus ſit ditior: tunc enim in tantum tenebitur, vt ſuprà quoque diximus: vt ſi pluris vendidiſſet quàm emiſſet, ſolùm tenebitur domino de illo incremento. Ita cum Dom. Soto ſup. docet P. Nauar. ſup. n. 205. & alij DD. paſſim.

Ratio redditur: quia neque tenetur ratione rei acceptæ, cùm illam non habeat, neque etiam ratione iniquæ acceptionis, aut damni iniuſtè dati, quia bonâ fide emit, & bonâ fide vendit. Sed

Contrà Opponūt aliqui: Venditor ille nō videtur potuiſſe pretium facere ſuum, illud atque ita tenebitur ſemper ratione rei acceptæ. Imò pretium hoc videtur in locum rei furtiuæ venditæ ſucceſſiſſe, quo ſic factus ſit ditior: nam pretium, quod ipſe furi dedit, ſi perierit, non furi ſed ipſi perijt, quia in furis dominium non videatur tranſiuiſſe: ergò &c.

Propter hoc argumentū exiſtimant Banneſ. & Arrag. 2. 2. q. 62. a. 3. venditorem bonæ fidei in caſu propoſito obligari ad reſtituendum pretium vero domino, cui res ablata eſt, quando emptor pœnes quē res ipſa eſt, reperiri non poteſt. Verùm ſi benè res examinetur, non videtur argumentum id conuin- 15

Digitized by Google

conuincere: nam in primis ſi pretium acceptum non tranſijt in dominium venditoris, ſed maneat in dominio emptoris, nõ debebit ratione rei acceptæ reſtitui domino ipſius rei, ſed ipſi emptori, cuius ſupponitur adhuc eſſe. Deinde verius omninò eſt pretium tranſijſſe in dominium venditoris, non tantùm qui bonâ fide vendidit; ſed etiam qui malâ: vnde emptor debet cõtractum reſcindere tamquam deceptus, & ſic pretium repetere. Quando enim emptor ignorat rem eſſe alienam, validus eſt cõtractus & quamuis in eius dominium non tranſeat res vendita, tranſit tamen pretium in dominium venditoris: & propterea tenetur hic emptori de euictione, vt Mald. Tract. 4. c. 3. dub. 3. tradit ex Molina Tract. 2. Diſp. 327. & conſtat ex l. Si in emptione 34. §. Item ſi & emptor 3. D. De contrahenda emptione.

Quare ad ConfirmationemReſpondetur; pretiũ non ſucceſſiſſe in locum rei, in primis non ità vt vẽditor ſit illo factus ditior: oportet enim hic venditorem conſiderare in ſtatu, in quo erat, dum rem furtiuam emeret bonâ fide, & in eo, in quo nunc eſt; & ſic facilè obſeruabitur, quòd ex ea non ſit factus ditior: quia dum rem accepit, abdicauit pro ea à ſe pretium tantum, quantum poſt ex illa accepit, vt ſupponitur. Hinc addo vlteriùs, illud pretium quod poſtea accepit ſimpliciter non ſucceſſiſſe in locum rei, quam emerat, & iterum vendidit, ſed potiùs in locum pretij, quod pro ea perſoluerat: atque ita in nullo, ex ea factus eſt opulentior: neque aliquid rei alienę etiam ſecundùm valorem, dicendum eſt apud illum ſupereſſe.

CAPVT QVARTVM,

Cui facienda ſit reſtitutio?

QVandoquidem non poteſt, aut non debet ſemper fieri reſtitutio domino rei ob varios caſus interuenientes, hinc ſolent diuerſæ hîc moueri quæſtiones de eo, cui certis euentibus facienda ſit reſtitutio.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum is, qui habet bona alienâ incerta, ſiue qui tenetur debitis incertis, debeat illa dare aut ſoluere pauperibus?

1 NOTANDVM Primò, Bona incerta, aut incerta debita hîc vocari, quorum dominus vel creditor eſt incognitus; ita vt ne poſt diligentem inquiſitionem inueniatur perſona ſiue particularis, ſiue communitas cuius illa ſint bona; vel creditor, cui debeantur.

Notandum Secundò, Tunc de domino, aut creditore cenſeri ſatis conſtare: quando conſtat ea competere ſubditis alicuius certæ communitatis, ſiue promiſcuè omnibus, ſiue maiori ſaltem parti illius, etiamſi non conſtet de particulari perſona, cui debeatur: vt ſi exercitus iniuſtè expilauerit pagũ vel oppidũ, ex quo facto Dux vel Princeps ad reſtitutionem teneatur; ſatis tunc conſtabit cui Dux aut Princeps reſtitutionem debeat, ſcilicet communitati iſtius loci: cui reſtitutio impẽdenda erit mediante operâ Magiſtratus aut Epiſcopi, vel Parochi, vt hi diſtribuant ſingulis illius communitatis pro rata, prout ſinguli damnum accepiſſe iudicabuntur, vt rectè docet Arrag. 2. 2. q. 62. art. 5. circa tertiam propoſitionem D. Th. neq; poteſt tunc fieri diſtributio ſeu reſtitutio, erogando aliquã ſummâ in pauperes, aut alia pia opera. Similiter ſi pauciores ex aliqua cõmunitate dãno ſint affecti, qui poſſint vtcũq; ſciri, debet quoq; ſimilibus modis & medijs fieri ipſis reſtitutio, non alijs perſonis, quando res ſaltem alicuius maioris eſt momenti, quia bona illa aut debita non ſunt ſimpliciter incerta.

Notandum Tertiò, Diligentem inquiſitionem cenſeri, quam prudentes pro magnitudine rei ac pro apparentia, quæ de domino inueniendo ſubeſt, iudicant ſufficere. Vnde in diuerſis caſibus maior aut minor adhiberi debebit: quãdo enim eſt res magni momenti, tum & pluribus in locis, & longiori tempore facienda eſt inquiſitio, cæteris paribus, quàm dum minoris eſt momenti. Item quando eſt apparentia maior, quòd inueniri dominus poterit, ſi inueſtigetur, quàm dũ nulla vel exigua ſubeſt apparentia.

Notandum Quartò, Quempiã aliquando habere bona aliena vel debita incerta, conquiſita vel contracta ex maleficio ſiue delicto, vt ex furto, rapina, vſuris, fraudulentis contractibus: aliquando autem ex iuſto titulo, vt v. g. ex mutuo, ex depoſito, ex iuſto contractu emptionis &c. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Qui habet bona aliena, quorum non cognoſcit dominum, non debet nec poteſt ea erogare pauperibus, antequam fecerit diligentem inquiſitionem, vtrùm dominus aut creditor poſſit cognoſci aut inueniri: alioquin ſi eiuſmodi erogationẽ inordinatè accelerauerit, tenebitur poſtmodum haud dubiè ſeruare 2

indemnem, ſi aliquando compareat aut cognoſcatur. Ita Salonius 2. 2. q. 62. a. 5. ibidē Banneſ. Mald. ſuprà c. 4. dub. 2. & alij communiter. Ratio eſt: quia pro incertis diſtribuit, quæ incerta non erant.

Addunt autem Banneſ. & Arag. Quando facta inquiſitione, dubiū remanſerit de paucis, puta de tribus vel quatuor, ad quem ex ijs res pertineat, oportere tunc inter eos pro ratione dubij repartitionem & reſtitutionem facere: Salonius quoque loco cit. controuerſia 6. rectè monet, ſi dominus nō reperiatur, vel abſit longiùs ſine ſpe redeundi, cognoſcantur autem eius hæredes, rem tunc dandā non pauperibus, ſed illius hæredibus; quod etiam indicat D. Th. eodem art. ad 3.

Dico Secundò: Bona aliena, aut debita per vſuram vel aliud delictum contracta, vel comparata, quæ diligenti inquiſitione adhibitâ, remanent incerta, ſunt elargienda pauperibus. Eſt hæc communis doctrina, vt conſtabit ex authoribus citandis pro ſequenti Aſſertione.

Probatur ex Cap. Cùm tu 5. De vſuris: vbi Alexander III. mandat, vt ea, quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi nō ſuperſunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, vtq; vſurarij, eorúmq; hæredes ad hoc pœnis Eccleſiaſticis cogātur: quod DD. ſatis concorditer extendunt etiā ad incerta bona, vel debita ex alijs delictis comparata aut cōtracta. Et manifeſtè poteſt id colligi ex Cap. Cum ſit, de iudicijs, vbi inprimis Pontifex vetat, ne Iudæi præficiantur Chriſtianis: deinde mandat, ſi quiſpiam Iudæus fuerit præfectus, quatenus omne illud, quod à Chriſtianis ratione officij accepit, diſtribuatur pauperibus. Eſtque eadem in omnibus ratio, ne ſcilicet hominibus iniquis integrū relinquatur ex ſua iniquitate diteſcere, vel ſine onere, alijs damna pro libidine inferre, ſub ſpe vel apprehenſione, quod poſtmodum ignorabitur, cuius ſint bona, vel quibus nocuerint: quodque tunc nulli ad ſoluendum vel reſtituendum erunt obligati.

Suffragatur quoq; piorum vſus & cōmunis ſenſus, quo apprehendūt ſic debere fieri.

3 Porrò nomine pauperum hîc intelliguntur inprimis non tantùm oſtiatim mendicantes, ſed in genere egentes ſecundùm ſtatum ſuum, quorum eleemoſynam dicit Pet. Nauarra lib. 4. c. 2. n. 49. frequenter Deo magis acceptam: quia ſæpiùs, inquit, ieiuni ad lectum accedere ſolent, tanto miſeriores & indigentiores, quantò minùs eorum miſeria & indigentia cognita eſt, propter quos dictum videtur, vt addit, ***Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*** Itē comprehenduntur & alia pia opera, in quæ ſimiliter licet eiuſmodi incerta bona expendere, vt cum Syluestro docet Nauar. c. 17. n. 93. & alij plures.

Exiſtimo tamen, Quando pauperum notabilis eſt indigentia, eos eſſe præferendos, tùm quia Pontifex expreſsè de pauperibus loquitur: tum quod D. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 41. doceat licitum, etiam vaſa Eccleſiæ initiata confringere, vt pauperibus erogentur & viuant, vt captiui redimantur &c.

Deinde ſub pauperum nomine comprehendi poteſt etiam ipſe debitor, ſi vere & ſimpliciter pauper ſit, vt docent Salonius ſuprà, Pet. Nauarra lib. 4. cap. 2. n. 50. ex Caietano & Ledeſma, cum pluribus alijs. Gloſſa tamen ad citatum Cap. Cum tu, non videtur approbare: dicit enim, in compulſione ad hanc reſtitutionem in foro conſcientiæ non eſſe habendam rationem, ne reſtituens egeat: quod ſecutus eſt Panormitanus ibidem: poterunt autem ſententiæ iſtæ conciliari, ſi dicatur etiam debitorem ex delicto poſſe ſibi applicare eiuſmodi incerta bona quæ habet aut debet, ſi ipſe ſit in aliqua extrema vel ſaltem graui & notabili neceſſitate: non autem ſimpliciter vt ſtatum ſuum ſuſtineat, ſed debere potius illum dimittere, aut ſaltem diminuere, & iuxta iuris diſpoſitionem, conquiſita iniuſtè quorum dominus ignoratur, dare pauperibus: & id ſatis merito, quia alioquin nimiùs fauor videbitur attribui operantibus iniuſtitias & iniquitates.

Dico Tertiò: Quod dictum eſt de bonis incertis quæ quis ex maleficio ſiue delicto habet, idem ex communiori ſententia dicendum eſt de incertis bonis aut debitis, quæ quis ex contractu abſque iniuſtitia & delicto tenet aut poſſidet. 4

Patet, quia DD. paſſim indiſtinctè de his & de illis loquuntur, & dicunt eiuſmodi bona vel debita incerta pauperibus eſſe eroganda. Vide D. Th. q. 62. art. 5. Apalude in 4. diſtinct. 15. q. 2. Scotum ibidem quæſt. 2. art. 4. n. 4. Richardum ſimiliter art. 5. ad 2. Syluestr. V. Reſtitutio 8. n. 2.

Ratio autem reddi poteſt: quia verè debita ſunt & aliena, quāuis dominus ignoretur: Reſpub. autem per conſuetudinem in eiuſmodi caſibus videtur ignotis dominis ad ipſorum ſalutem aut animarū remedium & ſubleuamē ſubſtituiſſe pauperes & pias cauſas; ergò &c. Vnde ſcribit D. Th. art. cit. ad 3. Quod ſi ille cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius ſiue viuus ſiue mortuus fuerit.

Confirmatur: quia dum proprius dominus ignotus eſt, emergit caſus quo Reſpublica in 1. rerum diuiſione ſibi ſeruauerit diſpoſitionem de rei dominio: vt latè docet Dominicus Soto lib. 4. De Iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad 3. Vnde ipſe concludit quod ſtando in Iure naturali ſolo, debita & bona iſta incerta ſint Reipub. ipſius.

Dico

Digitized by Google

5 Dico Quartò: Non improbabilis tamen omnino eſt quorundam opinio, qui docent, eos qui debita vel bona incerta habent ex contractu licito, poſſe tuta conſcientia ſibi illa retinere poſt diligentem de domino inquiſitionem. Ita ſentiunt enim in primis aliquot probati authores: vt Pet. Nauarra lib. 4. de Reſtit. cap. 2. nu: 45. & 46. Arragon. ſuprà & citat Sarmiento Select. 6. cap. 10. & ſatis fauet Dominicus Soto ſuprà.

Probari poteſt primò: quia huiuſmodi bona haberi videntur pro derelictis ab ipſo vero domino, atque ita in nullius ſunt dominio; ergo qui illa primum occupauerit, poterit ſine iniuſtitia retinere. Confirmatur, quia in iure pro eodem reputantur ignorari dominum (ſcilicet poſt debitam inquiſitionem) & rem non habere dominum, vt latè oſtendere conatur Sarmiento ſuprà: atqui res, quæ nullum habent dominum, fiunt primi occupantis.

Probatur Secundò: quia obligatio dandi iſta bona pauperibus, quæ prætenditur, pro ſalute domini vel refrigerio animæ eius, nō eſt ex iure naturę, vti aſſumit P. Nauarra loco cit. quod ita probat, quia alioquin ne quidem authore Pontifice poſſent illa alteri applicari, nec in totum, nec pro parte, ſed deberent totaliter pro ſpirituali bono domini expendi: cuius oppoſitum, inquit, patet ex Bullis compoſitionum.

Confirmatur: quia quemadmodum Pontifex nō poteſt creditoris aut domini cogniti & viuentis debita vel bona debitori in totū, vel pro parte remittere, aut dare, ita nec poſſet remittere aut dare bona incogniti aut defuncti domini; ſi de iure naturæ debeant applicari ad ſpirituale bonum animæ. Quare per diſpoſitionem iuris poſitiui dumtaxat videtur iſta obligatio poſſeſſoribus bonorū incertorum iniecta. Hinc pro concluſione ſecundâ ſupra poſitâ confirmandâ, non ius naturale, ſed canones & piorum ſenſum & vſum adduximus: atqui poſitiuo iure ſtatutū tantum videmus de debitis ex maleficio contractis (v. g. ex vſuris, aut alijs illicitis modis) quod pauperibus ſint eroganda, de alijs verò nihil tale videtur eſſe cautum: non apparet ergò quod de rigore iuſtitiæ vel iuris debeant illa pauperibus erogari. Cæterum licet hæc opinio vtcumque probabilis ſit, prout etiam admittit Malderus tract. 4. cap. 4. dub. 2. & Leſſ. lib. 2. cap. 14. dub. 6. nu. 38.

Dico nihilominus quintò, quod in praxi ab altera priori ſententia non ſit recedendum. Ratio in primis eſt, quia in moralibus à ſententia communiter recepta & vſitata non facile nec ſine euidentiſſimis rationibus ſit recedendum.

6 Deinde, quia quamuis forſitan leges poſitiuæ non exſtent de huiuſmodi incertis bonis applicandis ſeu erogandis in pauperes vel pias cauſas, tamen communis conſuetudo, & communis ſenſus fidelium videntur id habere, quod talia etiam pauperibus ſint applicanda, quando poſt diligentem inquiſitionem dominus non deprehenditur: idque ita videtur paſſim à timoratis apprehenſum fuiſſe, tamquam quod ex neceſſitate conſcientiæ debeat fieri: quod proinde videtur Ius quoddam ſiue legem ſic agendi introduxiſſe. Hoc tamen locum hic habere, dubitandum non eſt, quod ſi is qui talia detinet, verè indigeat, poſſit illa ſibi reſeruare, etiam quatenus ad ſtatus decentis ſui ſuſtentationem ſunt neceſſaria: quod tamen intellige, quando eſt pauper vel indigens ſimpliciter: quia ſi tantum talis ſit pro loco aut tempore, vt ſi alibi bona ſufficientia habeat, vel ſi paulo poſt ſua arte, aut induſtria poſſit ſatis ſibi prouidere & comparare neceſſaria ad ſtatum ſuum, aut aliunde breui exſpectet, tenebitur hic iuxta communem ſententiam, poſtmodum illa pauperibus erogare: quia non fuerunt verè pauperibus ſiue ſimpliciter & abſolutè indigentibus applicata.

Quæritur autem hic, an in huiuſmodi bonorum erogatione, vel applicatione ad pauperes, debeat interuenire authoritas vel conſilium Epiſcopi, aut Parochi, ſiue alterius alicuius?

Reſpondetur: Ita ſenſerunt nonnulli, vt 7
Hoſtienſis in Cap. Cum ſit de Iudæis: & in Cap. Cum tu: de vſuris: & Innocentius in Cap. Cum plerique de immunitate eccleſiarum: Richardus ſupra. Sed Ioannes Medina Cod. de Reſtitutione quæſt. 3. Archidiacon. in cap. 2. de Teſtam. Scotus in 4. Diſt. 15. & alij communiter dicunt id neceſſarium non eſſe: quamuis rectè adhibeatur, quia ſeruit maiori cautelæ & ſecuritati ſic applicatis, ſi forſitā dominus poſtea compareret quando bona iſta pauperibus eſſent diſtributa. Quando autem quis ſibi tamquam pauperi, vel indigenti ea applicare cupit, tum rectè diſtinguit Petrus Nauarra: quod ſcilicet ſi certus ſit ſe eſſe talem qui nomine pauperum contineatur, tunc etiam nec illum teneri, vt tertium aliquem adhibeat, quia ſatis notoriè explet quod iura ſtatuunt, vel quod communis ſenſus & vſus fidelium dictant: neque enim iſtam erogationem ſiue applicationem reſtringunt ad certos pauperes, aut certorum locorum, vel certæ conditionis, neque ad alios diuerſos ab ipſo creditore: ſi autem eius indigentia non eſſet ita manifeſta, ſiue certa, tunc ne mentiatur iniquitas ſibi, neve amor ſui aut pecuniarum (vt fieri ſolet) iudicium obnubulet, debere ſaltem deſuper prudentem confeſſarium conſulere.

8 Opponitur Capitulũ Cum ſit, de Iudæis: vbi Pontifex conſtituit, vt iuxta prouidentiam Diœceſani Epiſcopi, quædam talia bona in vſus pauperum erogentur; ergo videtur quod authoritas Epiſcopi debeat intercedere.

Reſpondetur: quando de aliquo conſtat quod detineat incerta bona aliena indebitè acquiſita, tunc authoritas ſuperioris debet interuenire, quæ illum vrgeat vt erogationem aut reſtitutionem pauperibus faciat: quia alioquin timendum eſt, quod illam facturus non ſit: & de tali caſu agitur in capitulo allegato: nos autem loquimur in caſu quo quis ſua ſponte volens conſcientiæ ſuæ ſatisfacere cupit ſe liberare à bonis incertis quæ apud illum ſunt, vel ab incertis debitis quibus obſtringitur. Vide Sylueſtrum verbo Reſtitutio 8. quæſt. 5. & Nauarrum cap. 17. num. 92.

DVBIVM II.

Vtrum ſi dominus innoteſcat & compareat poſtquam creditor incerta eiuſmodi bona vel debita pauperibus alijs à ſe vel etiam ſibi vt pauperi applicauit, an liber erit à reſtitutione vel ſolutione domino præſtanda?

9 RESPONDEO & DICO Primò: Si præmiſſa diligenti inquiſitione, erogauerit in pauperes alios à ſe, ad nihil amplius in conſcientia tenetur, quamuis etiam ex delicto, bona conquiſiuiſſet vel debita contraxiſſet. Ita ſatis communiter DD. tradunt: Pet. Nauarra lib. 4. c. 2. n. 56. Henriquez de Indulg. cap. 34. & alij infrà citandi. Ratio eſt, quia non tenetur inprimis ratione rei acceptæ, vtpote cuius nihil amplius apud illũ exſtat: deinde nec ratione iniuſtæ acceptionis, quia licet illa forſitan aliquando interuenerit, tamen abſterſa eſt per reſtitutionem factam ijs, & eo modo, quibus & quo potuit & debuit in tali caſu fieri.

DICO Secundò: Neque pauperes domino tenebuntur, ſi nihil rei ipſius apud illos exſtet: quando autem res adhuc exſtat, domino erit reſtituenda, quando comparet. Prior pars omnino communis eſt: & ratio eadem hic applicari poteſt quæ aſſignata eſt pro aſſertione præcedenti. Addit Pet. Nauarra lib. 4. c. 2. n. 56. ex Ledeſma & Soto quod ne quidem tunc teneantur, etiamſi ad pinguiorẽ fortunam iam perueniſſent, modò ſcilicet ſimpliciter fuerint pauperes ſiue indigentes, quando acceperunt & conſumpſerunt, vel alienarunt: quia non mutuò ſunt data, ſed vera donatione in eleemoſynam. Honeſtatis tamen ratio bene poſtularet vt domino compenſaret, præſertim ſi dominus non ſuperabundet. Poſterior pars etiam paſſim à DD. tenetur, licet Henriquez ſupra aliter ſentiat, à cuius opinione etiam Pet. Nauarra non multum videtur alienus: tamen ſimpliciter pronuntiat, quod ſit reddenda niſi tempus præſcriptionis decurriſſet: & rationem reddit, quia licet bonâ fide poſſideat, tamen res alterius eſt, ſicut in iure, inquit, poſtliminij: vel vt alij dicunt, & ipſe quoque infrà in ſimili dicit, quia dum applicatur indigentibus, non cenſetur donari aut applicari illis niſi cum implicita conditione ſeu onere, vt ſi dominus compareat, teneantur illi reddere. Quod etiam locum habebit, ſi notabile pretium adhuc apud eos exſtaret. Similiter obligabitur ipſe creditor, ſi ſibi tamquam pauperi applicuerit, quando res ipſa aut eius pretium apud eum ſupereſt: quia tenebitur ratione rei acceptæ, ſicuti diximus de alijs pauperibus: modò tamen non ſit in tanta neceſſitate (quod ſupponitur) quod alioquin rem alienam certi domini ſibi applicare licitè poſſit. Quod ſi verò poſtquã eam ſibi vt pauperi applicuit, eandem conſumpſit, vt nec in ſe nec in pretio exſtet, nõ tenebitur domino, ſi abſq; culpa primitùs apud eum fuerit reperta, vt tradit Toletus lib. 5. c. 18. n. 5. & cum illo alij recentiores. Quod nonnulli etiam extendunt ad incerta bona iniuſtè comparata, quando poſt debitam inquiſitionem animo reſtituendi adhibitam & domino non comparente, ſibi vt pauperi applicuit & conſumpſit, ita vt nihil ſuperſit, niſi quod ſuam paupertatem vel indigentiam aliquantulum ſubleuauerit. Eadem enim ratio videtur militare dum quis ſibi vt pauperi talia bona applicuit, quam nunc ante diximus militare quando in alios pauperes erogauit.

Quæritur Tertiò, an compoſitio ſuper bonis aut debitis incertis cum Pontifice inita verè in conſcientia liberat ab onere vlterius reſtituendi.

Reſpondetur affirmatiuè: Ita Pet. Nauarra lib. 4. cap. 2. n. 79. quod latiùs probat Medina Cod. De reſtitutione quæſt. 3. contra nonnullos, qui aliter ſenſerunt. Monet tamen Soto lib. 4. quæſt. 7. art. 2. ad Tertium, quem ſequitur Bannes, videndum eſſe ne tam modicum præſtetur, vt nec inde ſubleuentur quibus accedere aliquid oporteat ex hac reſtitutione, nec ſatis ab iniquis lucris compeſcantur, qui reſtitutioni tali ſunt obnoxij: vt euenire timendum eſt, quando ex 250. vix duobus reſtitutis liberantur. 10

Exiſtimant tamen aliqui etiam illos ſic liberari ab onere vlterius reſtituendi: quamuis in

Digitized by Google

uis in facto non deſit peccatum. Ita cum Corduba docet Malderus tract. 4. cap. 4. dub. 2. contra Lopez 1. p. cap. 132.

Fundamentum horum eſt, quia iure tantum poſitiuo iſta incerta bona debentur pauperibus vel pijs cauſis: Pontifex autem ius illud poſitiuum in compoſitione videtur relaxare tamquam ſupremus legiſlator huius iuris ac diſpenſator, & piarum cauſarum curator: quod validè poteſt fieri, quãuis illicitè (prout & in multis alijs diſpenſatur) niſi iuſta ſubſit cauſa, vt moderationem adhibeat & non faciat in rigore omnia pauperibus erogari: quæ ſubeſſe poteſt, v. g. vt hac benignitate homines talibus debitis obnoxij magis alliciantur ad ſe exonerandum à bonis alienis quæ poſſidet: quod & ſimul quoque in pauperum vtilitatem cedit, quia ex pluribus qui componunt, plus eis aut alijs pijs cauſis accedit, quamuis moderatum aliquid tribuant relaxatâ parte aliquâ, quàm ſi ex paucioribus reciperent totum debitũ incertum; cui illi ſint obnoxij. Si verò dominus poſtea compareat, poterit exigere reſiduum quod Pontifex remiſerat quatenus apud illum in ſe vel in pretio adhuc exſtat. Vide Medinam ſuprà: & Lopez 1.p.c.132. Cum Epiſcopo autem eiuſmodi compoſitiones fieri non poſſunt, in primis, quando bona incerta ſunt comparata ex delicto, quia de Iure cõmuni, in quo non diſpenſat Epiſcopus, debentur pauperibus: ſed neque ſuper alijs, niſi impotentia debitoris præſumatur, quod non ſatis ſufficiat ad reddendum totum. Ita ex Anton. Syluest. V. Reſtitutio 8. n. 8. aut niſi Epiſcopus aliquis legitime eiuſmodi facultatem præſcripſiſſet, vt addit Lopez loco cit.

DVBIVM III.

Vtrum quæ quis inuenit bona quorum dominus aliquis eſt: ſed ignoratur, danda ſint pauperibus, an verò poſſit ea quis ſibi retinere.

11 DE inuentis bonis quæ domino carerent egimus ſupra tractatu primo c.4. dubitat. 7. & ſequentibus, vt de theſauris, de venis metallicis, & ſimilibus: hîc autem ſpecialis mouetur quæſtio de inuentis quæ dominum adhuc habere putantur quamuis incognitum. Soto lib. 5. q. 3. art. 3. ad 2. argumentum D. Thomæ, & P. Nauar. lib. 4. cap. 2. numero 72. & ſequentibus cum Ledeſma & alijs nonnullis quos citat, docent non omnino improbabiliter inuentorem talium bonorum, ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus non fuerit repertus, poſſe ea ſibi retinere. Reſp. nihilominus verius eſſe: Illa non poſſe ab Inuentore retineri: ſed erogãda quoq; eſſe pauperibus. Ita communior & antiqua doctrina habet: quod & illi authores fatentur: vnde & ſuam opinionem non aſſeueranter, vt quidã aiunt: ſed per modũ dubitationis & inquiſitionis dumtaxat proponunt: quare de iſtis bonis planè eodem modo ſtatuendum erit, quemadmodum ex ſententia communi de bonis incertis quæ apud aliquem ſunt ex legitimo contractu abſque delicto: neque enim allegatur ratio alicuius momenti, cur potius iſta quàm hæc ſint pauperibus vel pijs vſibus applicãda. De neutris enim videntur exſtare Canones, aut leges quæ expreſsè id ordinent: vnde P. Nauarra magis conſequenter videtur loqui qui vtraq; putat à poſſeſſore poſt diligentem inquiſitionẽ poſſe retineri, ſi dominus non inueniatur, quàm Soto qui hoc arbitratur de inuentis, & negat de alijs quæ etiam quis abſque delicto debet aut detinet. Quoad vtraque verò, habet piorum conſuetudo, vt ſi poſt ſufficientem indagationem, dominus non compareat, quod in pauperes diſtribuantur: neque ſubeſt etiam fundamentum, quare hæc inuenta, quando poſt ſedulam inquiſitionem, dominus non reperitur, cenſeantur adeſpota, ſiue domino carentia, & proinde iure naturæ fieri occupantis, potiùs quam ea in ſimili caſu quæ apud aliquem ex iuſto contractu, vel alias ſine iniuſtitia aut delicto reperiuntur: quare conformiter loquendo, erit eodem modo de vtriſque ſtatuendum. Hoc autem videtur indubitatum, ſi res inuenta ſit Eccleſiæ etſi neſciatur cuius in particulari non poſſe ab inuentore retineri, ſed Prælato ſiue Epiſcopo Dœceſano eſſe exhibendã: quod enim ſemel fuit Eccleſiæ, non poteſt in alios vſus conuerti. Ita cum Salonio Mald. ſup. dub. 2.

DVBIVM IV.

An res ſit domino reſtituenda quando putatur ea abuſurus ad ſuum vel alterius incommodum?

RESPONDEO & DICO Primò: Si dominus rem ſuam repetat ad perpetrandum crimen aliquod contra iuſtitiam, non licebit eam reſtituere, niſi fortaſſis ex non reſtitutione, aliquod magnum malum immineret detinenti rem. 12

Colligitur ex D. Th. quæſt. 62. art. 5. & docent Caietanus ibidem, Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 1. Malderus ſuprà dub. 4. & alij paſſim. Et quidem ſi dominus eam repetat, v.g. gla-

v. g. gladium in rixa, vel in proximâ diſpoſitione ad inuadendum alium, peccabit reſtituens etiam contra iuſtitiam: non quidem in dominum ſed contra eum qui inuaditur: quia cum talibus circumſtantijs reſtituere ſecundum moralem æſtimationem eſt facto eius cooperari: vnde verũ non eſt, quod reſtituens in tali caſu, tantũ omitteret defendere eum quem ex iuſtitia defendere non tenetur quamuis ex charitate, vt quidam videntur exiſtimare non ſatis conſideratè, qui volunt eum contra charitatem tantum & non contra iuſtitiam peccare: ſed vere cooperaretur ad damnum & iniuriam proximi ac vt coöperator haberetur: & ita ſentiunt Salon. 2. 2. q. 62. art. 5. Sanchez in Decalog. lib. 1. c. 7. n. 19. Mald. ſup.

Confirmatur, quia etiam in foro externo ille eſſet furti reus qui taliter ad furtum concurreret vt reddẽdo v. g. alicui ſcalas depoſitas dum videt eas ad hoc repeti, vt proxime ad furtum committendum applicentur:

Colligitur ex lege Si pignore, §. qui ferramenta D. De furtis: vbi furti actione declaratur teneri, qui ſciens furi ſcalas, aut ferramenta commodauerit, quamuis nullum eius conſilium ad furtum faciendum interuenerit. Neque refert aliud eſſe commodare ſcalas, aliud commodatas aut depoſitas reddere: quia illa diuerſitas non videtur ponere differentiam in præſenti caſu, quia reddens depoſitum tali caſu cum talibus circumſtantijs, tam liberè & ſine obligatione ſubminiſtrat inſtrumentum homini iam parato ad maleficium, quo illud exequatur, quàm is qui commodat; quia omnium iudicio nõ tenetur tunc reſtituere, imò omnium iudicio tenetur ex charitate non reſtituere: atqui is qui commodat ſcalas furi, dicitur propterea cooperari furto, quia voluntariè & ſine neceſſitate præbet alteri inſtrumentum, quo furtum exequitur, quamuis explicitè furtum non intendat; ergò ſimiliter qui in tali caſu reſtituẽdo, inſtrumentũ maleficij ſubminiſtraret, diceretur cooperari. Si tamẽ depoſitarius tantum permitteret dominum auferre rem ſuam, quam ibi paratam inuenit, tunc videbitur tantum contra charitatem, non contra iuſtitiam peccare: quia hoc non erit tunc coöperari, ſed tantum non defendere eum quem ex charitate, non aliàs ex iuſtitiâ debebat defendere, vt ſupponimus: nam ſi depoſitarius fortaſſis ratione officij alterum defendere tenebatur, cui iniuria paratur, tunc ratione iſtius permiſſionis peccabit quoque contra iuſtitiam, ſi impedire poterat: & tenebitur tertio de iniurijs, & damnis, quæ inde fuerit perpeſſus, vt ex ſupra dictis de cooperantibus ad maleficium ſatis conſtat.

13 Rationem autem principalis concluſionis, hanc indicat D. Th. loco cit. quia reſtitutio ordinatur ad vtilitatem eius cui fit, quare pro tempore quo vergeret in eius nocumentum, non eſt facienda: quod etiam locum habet ſuo modo, quando alteri inferret ipſe iniuriam, quia per hoc obſtringit ſe ad illius reparationem, quod magnum eſt eius incommodum & grauamen: præterquam quod non liceat ad iniuriam alterius cooperari, vt diximus. Nec tamen (inquit D. Tho.) debet ille qui detinet rem alienam, ſibi eam appropriare: ſed vel reſeruare vt congruo tempore reſtituat, vel etiam alibi tradere tutiùs conſeruandam:

Addidi in concluſione, niſi ex non reſtitutione magnum detinenti malum immineret: quia tunc iuſtam habet cauſam, & quaſi neceſſitatem reſtituendi: vnde tametſi obſeruet, quod dominus re ſuâ abutetur ad proprium malum vel alterius iniuriam, non tamen tunc cenſebitur reſtituens ad iſta cooperari, aut interpretatiuè ea velle, ſed tantum velle euitare incommodum ſuum. Neque etiam contra charitatem peccabit, quia non tenetur cum tanto ſuo malo impedire incommodum proximi; poſſet tamen occurrere caſus, quòd detinens cum magno etiam ſuo incommodo teneretur non reſtituere, vt ſi vellet occidere principem Reipublicæ vtilem, cuius vitam debeat pluris facere, quàm fortunas ſuas, aut etiam quàm vitam propriam. 14

Petet aliquis, an ad præcauendum domini aut creditoris grauem indignationem, liceret mihi reddere illi rem ſuam in caſu quo abutetur ad iniuriam alterius?

Reſpondetur, indignationem illam non tanti eiſe faciendam, niſi fortaſſis leuis admodum eſſet iniuria, quam prætendit alteri inferre: alioquin ad eiuſmodi indignationem vitandam non licitum eſſe id pręſtare. Ita Mald. ſuprà: & argumentum ſumitur ex l. Si quis fumo: D. Ad Legem Aquiliam & Cap. Licet De Regularibus. Imò ne quidem ideo licebit, ſi nociturus ſibi ipſi ſit in ijs quorum non eſt dominus, vt in vita aut membris.

Dico Secundò: Si dominus aut creditor repetat rem aut debitum ſuum, & videã ſi nunc reddam, aut ſoluam, quod eam mox in libidines abſumet, vel aliter abutetur, quamuis citra iniuriam cuiuſquam, & probabiliter ſperem differendo reſtitutionem ſiue ſolutionem, me poſſe iſta mala impedire, non tantum mihi licebit, ſed etiam lege charitatis tenebor differre ſolutionem, niſi alia maiora, aut æqualia in commoda ex dilatione timeantur: non tamen contra iuſtitiam peccabo, ſi ſtatim reſtituam. 15

Colligitur ex D. Th. ſuprà, & Soto qui expreſſius id tradit cum Nauarro c. 17. n. 63. & alijs pluribus. Et quidem quod tali caſu differri poſſit reſtitutio.

Proba-

Digitized by Google

Probatur, inprimis ratione Diui Thomæ ſupra adductâ. Deinde, quia vt rectè Scotus in 4. diſtinct. 15. q. 2. art. 4. membr. 4: qui ea de cauſsâ non reſtituit, ſeu reſtitutionem differt, non detinet rem alienam domino ſiue creditore rationabiliter inuito: qui enim idcircò differt, vt proximum auocet ne res ſuas cum peccato, & ſine fructu abſumat, idque cùm ſpe probabili boni effectus, vtiliter & ſalubriter agit illius negotiũ: ergò in eo non facit ipſi iniuriam: vnde ex lege charitatis ad id tenetur quando ſine alijs incommodis fieri poteſt.

16 Sed iterum dicet aliquis: iſte ius habet petendi rem, aut debitum ſuum, ergò niſi reſtituam aut ſoluam, facio ei iniuriam.

Reſpondetur Neg. Conſeq. habet enim ius petendi, & propterea exigendo non facit cuiquam iniuriam: tamen quando vult effectu illius iuris abuti, poſſum pro maiori eius bono ad tempus, petitioni eius non ſatisfacere, dum ſpero, quod ſic poſſim malum illud impedire: neque enim eiuſmodi dilationes debent reputari tanquam damna in rebus fortunæ, ſed potius tanquam lucra charitatis: vnde & licet proximum poſt admonitionem primam corripere coram vno atque altero tertio, quamuis inde aliquod præiudicium famæ ſuſtineat: accedit quod ne quidem in fortunis patiatur idcirco detrimentum, ſed potius illis bene conſulatur.

Petes: Quid ſi dominus aut creditor tali caſu iuridicè peteret rem ſuã? Salonius ſup. Contr. 1. affirmat eſſe reſtituendã, quando tantũ ipſi in bonis quorũ habet dominiũ, & nõ tertio imminet damnũ. Sed nihilominus verius videtur debitorem poſſe protrahere negotium ſine ſcrupulo conſcientiæ, quando per moram ſperat impedire peccatum creditoris. Ita Malderus: liberius tamen poſſet tunc ſoluere ſiue reddere, quia non tenetur incommodum litis ſuſtinere pro bono eius qui litem infert.

Addidi in Aſſertione, ſi per dilationẽ ſperet malum poſſe impediri, quia ſi res ita appareat conſtituta, quod per dilationem non ſit peccatum impediendum: ſed fortaſſis affectus amplius accendendus, ac iterando ſæpius petitionem cum amaro animo, peccatum potius ſit multiplicandũ, quàm præcauendum, tunc ad primam inſtantiam potius erit dandum, etiam ſecundum charitatem, quàm differendum. Vltima denique pars quod ſcilicet non peccabit contra iuſtitiam, ſi mox reddat, quamuis differendò potuiſſet malam conſumptionẽ impedire, per ſe euidens eſt: quia ſic inſumendo, ipſe dominus nemini facit iniuriam: quia tantùm rem ſuam inutiliter aut turpiter conſumit: non tenetur autem alter ex iuſtitia conſulere vtilitati illius.

DVBIVM V.

Cuius expenſis & quo loco debeat fieri reſtitutio ſi dominus ſit abſens & cognoſcatur.

Respondeo & Dico Primò: Quando res eſt debita ex delicto, aut iniuſta acceptione, tũ expenſis ipſius iniqui detentoris debet res reſtitui, quamuis etiã expenſæ æquarent aut etiam excederent ipſum debitum; idque eo loco vbi dominus eam erat poſſeſſurus, ſi ablata non fuiſſet. Ita Caiet. 2. 2. qu. 62. art. 5. ad ſolutionem tertij argumenti: Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 3. argumentum Thomæ: Couarr. ad regulam peccatum parte 2. §. 3. n. 7. Medina Cod. De reſtitutione q. 2. §. ad id quod 3. loco: & alij paſſim. 17

Probatur: quia dominus rei ex eo quod re ſuâ careat ex debitoris iniquitate, non debet inde ſentire aliquod damnum: ſed lege iuſtitiæ debet ei ſic reddi, vt ipſe in priſtinum ſtatum reſtituatur, perinde ac ſi res ablata non fuiſſet: debet igitur reſtitutio fieri expenſis eius qui inique abſtulit, aut detinet: idque eo loco vbi dominus eam poſſideret, ſi ablata non fuiſſet, quia nullum propter alterius iniuſtitiam, debet ſubire grauamen. Quare ipſe debitor ſibi imputet, ſi expenſas ſubire cogatur. Sed

Dices: ergò tenetur ad amplius, quàm abſtulerit, vel quàm damnum ſit quod intulit.

Reſpondetur: id per accidens fieri, non quidem quod debeat domino amplius reſtituere quam abſtulerit, ſed quod expenſæ ſint neceſſariæ vt dominus rem ſuam conſequatur. 18

Dices Secundò: Saltem ſi creditor ad alium locum migrat, tunc videtur res expenſis illius ad eum remittenda, quandoquidem non ſit debitori imputandum, quod dominus aut creditor longius abſit.

Reſpondetur cum diſtinctione: ſi dominus aut creditor potuiſſet rem illam ſecum ducere, aut ferre abſque ſumptu ſaltem aliquo notabili, tum debitor tenebitur, quamuis nunc maioribus ſumptibus opus ſit, rem ad domum tranſmittere onere proprio: quia non debet dominus amittere libertatem ſe transferendi quocumque libuerit, ob iniuſtitiam debitoris. Si autem ille facturus erat expenſas in re illa ſecum aſportanda, poſſe tunc eas deduci: non enim debitor tenetur rem domino cum lucro reſtituere; ſed ſatis eſt, quod ex eius ablatione nihil damni ſentiat.

Notant hìc tamen DD. quando pro aliquo tempore non poteſt res abſque grauibus ſum- 19

Digitized by Google

bus ſumptibus reſtitui poſſe, tunc nonnihil reſtitutionem differri, modo dominus inde nullum aut exiguum ſentiat detrimentum, & putetur minori ſumptu paulò poſt reſtitui poſſe, vt ſi dominus qui longius abeſt, breui putetur rediturus. Quod ſi verò res ita ſe haberent vt niſi quis modo reſtituat, poſtmodum reſtituendi nō ſit habiturus occaſionē nec ipſi domino, nec eius hæredibus, tunc mox res reſtituenda erit: quamuis magnæ expenſæ fieri deberent: quia non ideo debet dominus re ſua in perpetuum priuari, quia iniquus detentor vt debitam reſtitutionem faciat, debeat ſubire tales ſumptus.

20 Dico Secundo: Quæ debentur ſolum ratione rei acceptæ, non ex delicto, neque etiam ex contractu, non alio loco ſunt reſtituenda, quàm vbi habentur: & ſi domino mittantur, fiet id expenſis domini, non eius penes quem reperiuntur: vt v. g. ſi penes te ſit res aliena quam inueniſti, aut ſi equum emeris bona fide, quem poſtea cognoſcis fuiſſe furtiuum, & ad alterum pertinere, ſufficit ſi abſit dominus, ei ſignificare, quatenus apud te recuperet rem ſuam, aut ſi petat tranſmitti, id eius facies ſumptu: Ita Nauarrus cap. 17. nu. 42. & alij Doctores communiter. Probatur, quia bonæ fidei poſſeſſor impenſas poteſt deducere quas fecit in re cōſeruanda, vt patet l. ſi quid poſſeſſor: D. De hæreditatis petitione; ergò multo magis poteſt deducere quas fecit in curanda eius reſtitutione.

Confirmatur: quia dominus non habet obnoxium talem bonæ fidei detentorem, niſi ratione rei: quâ reſtitutâ ceſſat inter eos omnis inæqualitas: naſceretur autem noua inæqualitas, ſi talis detentor vltra rei redditionem grauaretur etiam expenſis in redditione faciendis? Excipitur tamen caſus quo mala fide longius rem alio tranſtuliſſet, aut domino inconſulto miſiſſet ad loca vbi dominus nollet: aliàs verò, quando bona fide egit, ſufficit eo loco reſtituere vbi res exſtat.

Cæterùm vt explicetur, quomodo ſint reſtituenda, quantum ad locum & expenſas, quæ ex iuſto contractu debentur: Obſeruandum eſt, ea eſſe in triplici genere; quædā enim ex ratione contractus debent eadem numero reddi quę accepta ſunt, vt depoſitū, commodatum, pignus &c. quædam verò debent eſſe alia ab ijs quæ debitor accepit, vt quæ debentur ex emptione, ex locatione, ex mutuo &c. alia denique non præſupponunt in debitore, quod aliquid receperit ratione cuius debeat, ſed debentur tantùm ratione diſpoſitionis per aliquem factæ, vt quæ ſunt debita ex teſtamento, ex legato, ex promiſſione &c. His præmiſſis

21 Dico Tertio: Quæ ex contractu tali debentur vbi res eadem eſt reddenda, ſi in alterutrius partis dumtaxat vtilitatem, acceptæ fuerint, debent reſtitui expenſis eius, in cuius gratiam data aut accepta ſunt: idque eo loco vbi ſunt tradita, niſi aliter iuſta pactione ſit conuentum. Eſt communis doctrina: Leſſij lib. 2. c. 15. dubit. 8. Malder. ſup. cap. 5. Dubio vnico. Patet prior pars, quia æquitas non permittit, vt is grauetur expenſis, cuius commodum in contractu non ſpectatur.

Declaratur poſterior pars: quia in talibus ex communi apprehenſione cenſetur tacitè ineſſe contractus de redditione facienda eodem loco: æquitas enim poſtulat, vt ſicut idem reſtituendum eſt, ita etiam eodem loco, niſi propter aliquam cauſam aliter conuentum ſit. Quare, ſi tui cauſa acceperis equum commodato, teneris tuis expenſis eum reſtituere eo loco vbi traditus eſt: quod ſi forſitan dominus ad remotiores partes fuerit profectus, non teneberis ad expenſas quæ eo nomine maiores ſunt faciendæ: quia tu iſtius longioris diſtantiæ cauſa non es, & proinde nec iſtarū expenſarū, ſed dominus: & quidē cum tanto onere ſi ſciuiſſes, fortè noluiſſes commodato accipere. Si autem depoſitum gratis cuſtodiendum acceperis, reſtituendū erit expenſis deponentis ſi ijs opus ſit, in cuius gratiam & commodum illud recepiſti, non tuis qui nihil inde percipis vtilitatis, idque ſiue dominus eodem in loco manſerit, ſiue ad alium migrauerit. Imò hoc etiam obtinet, quantumuis depoſitarius ſtipendium accipiat, vt docet P. Nauarr. lib. 4. c. 3. n. 18. quia depoſitum (inquit) ſemper in gratiam deponentis ſeruatur. Idem docet Medina C. De Reſt. q. 2.

Dico Quartò: quæ debentur ex contractu 22
in quo pro re accepta eſt alia reddenda, debent reſtitui aut ſolui non quouis loco, ſed ibi vbi res fuerit accepta ratione cuius debentur, niſi iterum iuſtâ pactione aliter ſit conuentum.

Declaratur: quia ſi quouis loco ſolutio fieret, hoc ſæpè alteri parti eſſet magno detrimento, vt ſi qui emiſſet in Germania, vellet in Hiſpanijs pretium ſoluere, aut è contra: quare in cōmuni debet deſignari certus locus in quo quaſi ex natura contractus, fieri debeat ſolutio: is autē eſt, vbi res eſt empta, mutuata, permutata &c. hic enim maximè congruit ſecundum æquitatem & rationem iuſtitiæ, eo quod in omnibus talibus contractibus res vna quaſi in locum alterius ſubſtituatur, vnde nemo ex vi mutui poteſt obligari obligatione iuſtitiæ, vt alibi mutuum reddat: ſi tamen vtrique parti foret id magis commodum, tunc de vtriuſque conſenſu pro maiori commoditate, poſſent ſeſe obligare vtrimque, quod vnus ex parte ſua contentus erit redditione mutui quæ alibi fiet, & quòd alter mutuum ibi reſtituet. Vide Pet. Nauarr. lib. 4. c. 3. n. 14. & ſequentibus.

Digitized by Google

tibus. In emptionibus autē & venditionibus ſæpe intercedit pactū de ſolutione alibi facienda: ſed quatenus hoc forſitan alteri parti eſt oneroſum, eatenus habetur quoque ratio in æſtimatione rei quæ venditur: vnde non naſcitur inde inæqualitas.

23 Dico Quinto: debita tertij generis reddenda ſunt in loco vbi erant, quando donabantur, aut de illis diſpoſitio fiebat in fauorem eius cui debentur, niſi aliud in ipſa diſpoſitione fuerit expreſſum, ac proinde expenſis donatarij, ſi abſit, inde remittenda aut petenda ſunt.

Patet: quia qui rem donat, legat, aut promittit non cenſetur ad amplius ſe obligare: ſed alteri permittit vt eam, ſi velit, ſuo ſumptu quærat, ac ſibi applicet. Si tamen hæres vel alius apud quem depoſita erat, aliò illam transtulerit citra voluntatem domini, debebit illam ſuo ſumptu reponere eo loco vbi erat tempore diſpoſitionis factæ.

CAPVT QVINTVM.

De ordine in reſtitutione ſeruando quando omnibus creditoribus ſatisfieri non poteſt.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum ante omnia ſit reſtituendum quod debetur ratione rei acceptæ.

1 TRadunt in primis hic DD. tanquam notum & certum, quando debitoris bona ſufficiunt ad plenè ſatisfaciendum omnibus creditoribus, opus tunc non eſſe certum aliquem ordinem inter creditores obſeruare. Ita Anton. 2. p. tit. 2. c. 7. §. 3. Syluest. V. Reſtit. 6. Nauarr. c. 17. n. 47. Caiet. in ſumma V. Reſtit. Cap. 8. Ioannes Med. q. 2. §. ad aliud quod, Pet. Nauar. lib. 4. cap. vlt. n. 1. Eſt euidens, quia ex prætermiſſo ordine, nulli tum naſcitur præiudiciū, quia ex eo nullus defraudabitur potiori iure quod habet, dū cuilibet plenè poteſt ſatisfieri. Econtrà autem tunc ordinem eſſe neceſſariò obſeruandum docent, quando debitoris bona non ſufficiunt omnibus. His ſuppoſitis Reſpondetur &

Dico Primò: Semper domino quando certò cognoſcitur, res ſua eſt reſtituenda dum in ſpecie exſtat, & manſit ſub eius dominio, poſtpoſitis alijs quibuſvis creditoribus. Ita P. Nauarr. ſup. n. 7. cum alijs DD. citatis, & Baldo communiter à Iuriſp. recepto in l. pro debito C. De Bon. aut Iud. idque locum habet ſiue res apud debitorem ſit ex delicto, ſiue ex contractu aut quaſi contractu, modò manſerit in dominio creditoris, ſiuè etiam inuenta fuerit: quia alteri dare eſſet quaſi dominum re ſua ſpoliare: adeo vt licet forſitan alijs creditoribus tradita foret, tamen eam hi domino reddere debeāt. Quod DD. etiam extendunt ad rem quæ ritè fuit vendita, ſed non habita fide de pretio, prout requiritur vt tranſeat in dominium emptoris: quâ de re vide legem Iulianus: §. offerri D. De actionibus empti & venditi, & Inſtit. De rerum Diuiſione §. Venditæ: vbi ſignificatur quod res venditæ & traditæ non ſemper mox acquirantur emptori, & explicatur qualiter demùm ei acquirantur. Item extendunt ad rem venditam, vel alio contractu alienatam, ſed per coactionem & metum vt tradit Syluest. V. Reſtitutio. 6. §. 5. vide legem metum §. Cum autem: D. quod metus cauſa.

Dico Secundò: Quando res in ſpecie eſt aliena, quamuis incertum habeat dominum, ſimiliter primo loco eſt reſtituenda ijs quibus incerta bona vel debita reſtitui debent iuxta ea quæ ſuprà diximus, quamuis nihil aliud ſupereſſet quod cæteris creditoribus certis dari poſſit. Ita Caiet. & Nauar. ſup. Armilla Reſtit. q. 35. & Pet. Nauar. n. 5. & 6.

Ratio reddi poteſt: quia creditoribus ſatisfieri debet ex bonis debitoris quatenus illa ſunt, & ſe extendunt: non autē ex bonis alienis quæ forſitan apud debitorē reperiuntur: ſed hęc ſuis dominis ſi cognoſcantur, vel alijs puta pauperibus aut pijs cauſis, quando domini non cognoſcuntur iuxta illa quæ cap. præced. dub. primo dicta ſunt.

DVBIVM II.

An debita certa ſint prius ſoluenda quam incerta?

NOtandum eſt, generaliter loquendo, varijs modis debitum poſſe dici incertum: primo quando non ſatis conſtat vtrùm debeas abſolutè, an non: & tunc quidem non habet locum reſtitutio ex neceſſitate, quia melior eſt conditio poſſidentis, quando quis 2

quis probabile habet argumentum ſe non debere. 2. Quando dubitatur, vtri ex duobus debeas, certum tamen eſt, quod alteri debeatur: tunc autem res æqualiter erit diuidenda, vt ſupra cum alijs DD. diximus, ſi dubium ſit æquale, vel ex conſenſu partium ſorte dubium dirimi poterit: ſic enim ſeruatur iuſtitia. Quod ſi poſtea verò conſtiterit, cuinam res verè debebatur, tenebitur alter huic ſuam partem reſtituere, niſi fortaſſis legitimè eam ſibi iam præſcripſerit, aut aliter inter ipſos ſit conuentum: quod ſi noluerit, nihilominus primus debitor liber erit, quia reſtitutionem modo legitimo fecit: & ſic euacuatur dubium quoad illa, quæ prædictis duobus modis dicuntur incerta. 3. Dicuntur bona aut debita incerta, quando conſtat, quod quis debeat, ſed neſcit, cui vel quibus: quod dupliciter poteſt contingere. 1. Sic vt quis habeat rem quam ſcit in ſpecie eſſe alienam, ſed neſcit cuius ſit. 2. Quod ſciat ſe eſſe alijs obligatum, quamuis non habeat rem aliquam in ſpecie quæ aliorum ſit, ſed ignorat creditores quibus eſt obligatus. De priori caſu iam diximus Dub. præcedenti, debitum enim illud eſt ratione rei acceptæ.

Nunc ad alterum itaque ſuper quo principaliter Dubium propoſitum verſatur, Reſpondeo, Quando non extant res ipſæ in ſua ſpecie alienæ, ſeu debitæ, tum ex bonis prius facienda eſt reſtitutio debitorum quæ certos habent creditores, quàm eorum quæ habent tantum debitores incertos, Ita DD. communiter. Anton. p. 2. tit. 2. cap. 3. in principio, Sylu. ſup. Caiet. verbo Reſtit. cap. 8. Medina Cod. De reſtit. q. 2. §. Ad aliud. P. Nauarra lib. 4. c. vlt. & alij.

Rationes autem diuerſæ à diuerſis aſſignantur: ſolidior verò ex illis videtur hæc eſſe quam tradit Pet. Nauarra ſup. n. 3. quia quando creditores poſt diligentem inquiſitionem non recognoſcuntur, tunc ius naturæ debitorem non obligat ad illa credita cuiquam alteri ſoluenda, aut eroganda: ſed tantùm ex poſitiua conſtitutione obligatur ea pauperibus, vel alijs pijs cauſis applicare: non fuit autem ea mens legiſlatoris, neque ſecundùm rationem ea eſſe potuit, vti apparet, vt quando debitoris bona certis perſonis ſunt obligata, quibus etiam in particulari iure naturæ debet fieri ſolutio ex illis, quod his præteritis debitor ea applicet aut diſtribuat alijs, quibus de iure naturæ nihil debet, ſed tantùm ex ordinatione ſuperioris, quia obligatus erat alijs incognitis: idque adhuc tantùm obligatione generali, qua tenetur his aut illis, non ſpeciali quâ teneatur determinatis perſonis indigentibus: quod pro ratione aſſignat Ioannes Med. loco cit. Imò ſi contingeret indigentiam debitoris eſſe talem vt ſibi poſſit applicare debita incerta etiã in ſpecie exiſtentia, & non eſſe tantam, quæ excuſet eum à ſatisfaciendo creditoribus certis; aut licet in conſcientia excuſaret, tamen cogatur in foro externo ad ſatisfaciendũ iſtis: poterit tunc etiã ex bonis incertis in ſpecie apud eũ extãtibus ſibi vt pauperi applicatis ſatisfacere creditoribus, non quidem quod creditores certi ad illa ius habeant ante pauperes, prout antè diximus: ſed quia debitor ob ſuam paupertatem potuit illa ſibi præ alijs pauperibus applicare, & quando iam per talẽ applicationem in eius transierũt quaſi dominium, tunc poſſit creditoribus certis inde ſatisfacere.

DVBIVM III.

An inter creditores certos ſoluendum ſit ante alios venditori, cui nondum ſolutio erat facta, ſi res apud emptorem exſtet?

SVppono ex dictis Dubio 1. quando res vendita manſit in dominio venditoris, quamuis tradita, ſiue ad emptorem aliàs deuenerit, venditorem poſſe eam ſibi vindicare, vbicumque reperiatur, ſiue apud emptorem, ſiue apud alium, niſi ſoluatur pretium: atque ita illum eſſe præferendum alijs creditoribus eâ in re: non transfertur autem dominium rei venditæ quamuis tradatur, ſi emptor pretium nec ſoluerit, nec obtulerit, neque pignus aut fideiuſſorem dederit, nec deniq; venditor pretium pro ſoluto habuerit fidem emptori, vt colligitur Inſtitut. De rerum diuiſione, §. Venditæ: & ex l. Quod vendidi, D. de Contrahenda emptione: vnde ſi venditor tradat putans ſibi pretium ſimul numerandum, & emptor cum re diſcedat quaſi poſtea ſoluturus, non admittente moram venditore manebit res ſub dominio venditoris. Secundo hic certum eſt, apud omnes, quando venditor accepit pignus aut fideiuſſorem loco pretij, & ſic res tranſijt in dominium emptoris, tunc venditori nullum ius hypothecæ, nec perfectæ nec imperfectæ competere in rem apud emptorem adhuc exſtantem, & proinde neque habere inter creditores præferentiam ex eo quod res vendita in ſpecie exſtet: vt notat Malderus cap. 6. Dub. 4. quia habet ſuam actionem in pignus, vel contra fideiuſſorem. 3

Sed Controuerſia magna eſt de caſu, quo res ſine pignore & fideiuſſore, emptori tradita eſt, & in emptoris tranſijt dominium, quia venditor fidem emptoris ſequutus fuerit, vt loquuntur Inſtituta loco ſup. citato, ſiue quia ipſius verbo ſeu nuda promiſſione fuit contentus perinde ac ſi pretiũ eſſet datum

Digitized by Google

tum, quod leges alibi vocant fidem habere emptori ſine vlla ſatiſdatione.

Multi Doctores tenent, ſi res adhuc in ſpecie exſtet, v. g. veſtis, equus, domus, &c. quam quis acceptâ fide de pretio vendidit & tradidit alteri, manere eam venditori obnoxiam, quamuis in emptoris dominium eâ ratione tranſierit, ita vt ſi emptor non ſit omnibus ſoluendo integrè, tamen debeat ſolui pretium totum huius rei ſi apud emptorem exſtet, aut certè debeat ipſa reſtitui. Ita Caiet. in Summa V. Reſtitutio cap. 8. Medina Cod. De reſtitut. quæſt. 2. dub. 5. §. Tertium dictum. Nauar. c. 17. n. 49. & alij nonnulli.

Ratio ipſorum eſt: quia dicunt rem illam eſſe hypothecatam venditori, quouſque pretium ſoluatur cum iure prælationis, ſaltem, vt dicunt aliqui, inchoatè & imperfectè, donec ſolutum ſit pretium.

5 Confirmatur Primò, quia ſi quis alteri elocauit domum; inuecta & illata in eam manent obligata pignoris loco pro pretio cōductionis, & damnis forſitā domui allatis, vt patet l. 2. D. Ex quibus cauſis pignus vel hypotheca tacita cōtrahatur; ergo à fortiori; etiam res vendita manet obligata pro pretio.

Confirmatur Secundò, quia à naturali æquitate videtur alienum, vt res mea quam quis emit non ſoluto pretio, & exſtans in ſua ſpecie, aſſignetur alijs creditoribus, & ego re mea & pretio defrauder; ergò &c.

Contrarium tamen videtur iuri ac legibus conformius: & ita docent Couar. lib. 1. Variarum cap. 7. num. 3. Petrus Nauarra lib. 4. cap. finali n. 8. Malderus ſuprà, Molina Diſp. 536. & alij, ſcilicet rem talem non eſſe hypothecatam venditori, nec eum habere ius prælationis in ſolutione: &

Probatur: Quia hæc hypotheca, neq; in iure naturæ, neque in iure poſitiuo poteſt ſufficienter fundari; ergo nō eſt admittenda: non enim in iure naturali, vt etiam loco citato Medina non tantū fatetur, ſed etiā oſtendit: nam, inquit, ſecluſa humani iuris diſpoſitione, eo ipſo quod res venditur & emptori traditur, ſiue pretium illico reddatur, ſiue differatur (habita fide de pretio) efficitur emptoris, & inter bona propria emptoris poterit computari, nullo iure reali ad rem venditam in ipſo venditore manente, pluſquam ad alia bona emptoris: Non etiam iure ciuili aut poſitiuo, vti prætendit Medina, quia nuſquam tale ius inuenitur ſcriptum, quod in re venditâ ac in emptoris dominium tranſlatâ conſtituat venditori hypothecam: Neque Medina legem aliquam vel Canonem allegat.

Confirmatur: Quia ſi emptor ille vendat alteri rē, non poteſt prior venditor in eo caſu ſibi rem vindicare apud ſecundum emptorē exiſtentē, quod fatētur omnes, vt notat Cou. loc. cit. ergo res non erat illi hypothecata, & per conſequens, quamuis in ſpecie apud priorem emptorem exiſtat, non tamen idcirco ius habebit prælationis ante alios creditores. Deinde neque ex conuentione contrahentium, poteſt in emptione ſic conſtitui expreſſa hypotheca, vt venditor habeat ius prælationis præ alijs de iure poſitiuo præferentiam habentibus: non enim poſſunt contrahentes ſuo conſenſu efficere vt is qui iure ciuili aut municipali habet ius prælationis, debeat alteri poſtponi: vnde ſi à te emerim domum, quamuis eam obligem ſolutioni, & poſtea ad eius reparationem ab alio recipiam pecuniam mutuò, hic tibi in ſolutione erit præferendus: quia iure poſitiuo habet ius prælationis etiam reſpectu præcedentium hypothecarum: ergo neque ex tacita aliqua reſtrictione aut conditione, quam alij hic apprehendunt intercedere in venditione, poteſt dici præiudicium creari alijs creditoribus, qui de iure alioquin vel habent præferentiam, vel pariter cum illo venditore concurrunt.

Ad argumentum itaque alterius opinionis Reſponderi poteſt Negando Aſſumptum: quod enim res vendita, quamuis in ſpecie exſtet, non ſit ſimpliciter & abſolutè venditori hypothecata, conſtat ſatis ex modo dictis pro ſententia poſteriori, & præſertim ex confirmatione. Quod alij autem dicunt inchoatè & imperfectè eſſe hypothecatam, ita ſcilicet vt venditori ſit obnoxia quamdiu ſaltem apud priorem emptorem exſtat, licet non amplius quando in dominiū tertij tranſiuit, id gratis omnino dicitur, nec ſatis ſolidum fundamentū eius allegatur. Vnde ad priorem confirmationē 6

Reſpondetur, argumentum illud à fortiori, vt vocat Nauar. non eſſe alicuius roboris in illis quæ ſunt iuris poſitiui: quia in his non procedunt argumenta à paritate, vel à maiori, aut minori. Nō enim iſta oſtendunt, ſic conſtitutum eſſe, quamuis poſſint oſtendere, ſic rationabiliter conſtitui potuiſſe: Vnde Pet. Nauarra loco citato n. 9. admittit, quod ita faciendum æquitas poſtulet, & proinde Iudex in foro externo debeat ita iudicare: quod tamen inquit Mald. alij negant: & bonā ratione: ſi enim propter iſtā æquitatem debitor non teneatur illum præferre, vt ipſe docet, cur Iudex debebit? imò quomodo poterit ſine præiudicio aliorum, qui de iure ſint præferendi, aut in eodem ordine cum illo concurrant? Quare ad poſteriorem Confirmationem

Reſpondetur, non etiam ex iure naturæ, aut naturali æquitate id cōuinci, quia in terminis iuris naturæ & naturalis rationis conſiſtendo nō apparet cur tale ius hypothecæ inchoatum & imperfectum naſcatur potius quando emptoris fides intercedit, & ſub

ea illi res vendita traditur, quàm dum fides interceſſit fideiuſſoris qui factus fuerit inſufficiens, ſicut & ipſe emptor: nullus tamen dixerit, quod hoc caſu venditor habeat iùs aliquod vel inchoatum in re venditâ, vt eius ratione præferri debeat, ſi res in ſpecie apud emptorem exſtet.

7 Notant autem hic nonnulli ex Panormit. in Capitulum, Cum olim, De officio delegati: præuilegium eſſe Eccleſiæ, fiſci, & minoris, vt ſi per procuratorem vendant credito, ſeu fidem habendo emptori ſine ſatiſdatione, quod retineant rei dominium, & vindicationem; quamuis emptori fuerit tradita. Ita Syluester V. Emptio nu. 2. Angel. eodem V. nu. 4. & notat Bartolus in l. A Diuo Pio 15. §. Sed ſi emptor D. De re iudicata: & colligitur ex l. Si curator 5. D. De Iure fiſci iuncta Gloſſa. Procurator autem aliorum ſi generalis ſit, transfert dominium dum credito vendit: non ſic tamen ſi ſpecialis ſit, niſi commiſſionem habeat ad vendendum & ad credendum: præſumitur verò non habere mandatum ad vendendum credito, quando commiſſio eius continet, vt vendat certo pretio, aut vt vendat ad eum finem, vt inde creditoribus ſatisfiat, ſiue ob ſimilem aliquam expreſſam cauſam.

DVBIVM IV.

An inter debita certa, prius ſint ſoluenda quæ ex delicto, quam quæ ex iuſto contractu proceſſerunt?

8 MVlti Doctores exiſtimant debita ex delicto eſſe reſtituenda præ alijs ex iuſto contractu ortis: vt ſi quis domũ proximi incẽderit, ſi quis pecora eius rapuerit, aut furatus fuerit, ſi vſuras acceperit &c. quod debitor teneatur reſarcire hæc damna prius, quam ſoluat alijs, quibus ex iuſto contractu, vt venditionis, aut mutui, eſt obligatus. Ita Ioannes Medina Cod. De Reſtit. quæſt. 2. dub. 5. & Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 8. quando in debitis ex contractu non interuenit hypotheca: & videtur expreſſa ſententia D. Thomæ opuſculo 73. c. 18. vbi hanc etiam indicat rationem, quia in ſolutione debiti contracti ex delicto tollitur ſimul iniuria facta Deo, & proximo: in ſolutione autem debiti ex licito contractu nati non tollitur ſic duplex, vtpotè quæ non interceſſit: ſed tantùm exercetur actus iuſtitiæ, quo redditur proximo quod ſuum eſt. Vnde &

Addunt, quo debitum cum maiori iniuria eſt contractum, eò prius eſſe iſti ſatisfaciendum: atque ita primo loco eſſe reſtituendum, quod debetur ex rapina, deinde ex furto, tertiò ex vſura: quartò quod ex contractu illicito ſeu fraudulento: &

Confirmatur, quia quando quis non poteſt ſimul recedere ab omnibus delictis, debet quodam ordine ab ijs recedere, ita vt primo à grauioribus, & ſic deinceps à minoribus: grauius autem peccatũ & maior iniuria, cæteris paribus, eſt in rapina, quàm in furto: & in furto quàm in vſura; ergo prius reſtituendum erit quod per rapinam ſublatum eſt, quàm quod per furtum, & prius quod per furtum, quàm quod per vſuras eſt extortum, & prius quod per vſuram, quàm quod per contractum licitum debetur.

Sunt è contra alij, qui docent prius eſſe ſoluenda debita ex contractu iuſto oneroſo, quàm ex delicto, niſi forſitan res ex delicto parta exſtaret in ſpecie: quam ſuprà diximus tamquam ratione rei acceptæ debitam ſemper primo loco eſſe domino reſtituendam, quando in alterius non tranſiuit dominium. Ita Caiet. V. Reſtitutio cap. 8. Nauarr. cap. 17. num. 52. Bartholomæus Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 33. & quidam alij. Fundamentum huius opinionis aſſignat Caiet. quia non ſunt accipienda aliena inuito domino, vt fiat reſtitutio alijs pro iniquè ab eis ablatis. 9

Inter duas has opiniones tenet quaſi mediam Lopez priori parte cap. 3. ſcilicet quod pro ablatis per delictum abſque contractu, vt per rapinam, aut furtum, debeat fieri ſolutio priuſquam ſoluantur debita ex licito contractu orta. Sed quod hæc ſolui debeant ante illa quæ debentur ex illicito contractu, vt ex vſuris: ad quam opinionem accedit Toletus lib. 5. cap. 25. & videtur rationi ſatis conſentanea. Pro fundamento enim eius aſſignatur, quod creditori durius ſit carere ſuis per vim ablatis aut clanculum ſurreptis, quam carere ijs quæ ſciens & volens alteri per contractum tranſtulit, præſertim quando id in negotiatione ſub ſpe lucri fecit, & vnde forſitan ſæpè lucrum fecit: minus tamen durum videatur carere ijs quæ ſoluit vſurario, quàm carere iſtis: quia per ſortem ſubleuauit neceſſitatem ſuam, & eorum quæ vltra ſortem ſoluit, reſtitutionem vix ſperauit. Quare creditores reſpectiuè in iſtis quæ ex iuſto contractu debentur, quoque rationabiliter magis videntur inuiti quod ſibi non perſoluantur, quam in his quæ debentur ex vſuris iniquè extortis. 10

Quarta

Digitized by Google

11 Quarta denique ſententia, quæ verior apparet, dicit, inter iſta debita nullum eſſe ordinem ex eo quod nata ſint ex delicto, vel quod ex iuſto contractu, ſed omnes creditores pari gradu concurrere, & omnibus pro rata ſatisfaciendum eſſe quando ſimul petunt. Ita Syluester V. Reſtitutio 6. q. 5. num. 5. Summa Angelica V. Reſtitutio 2. num. 18. & Pet. Nauarra lib. 4. cap. 6. ſiue vltimo nu. 41. Mald. cap. 6. dub. 3. & alij plures recentiores.

Probatur Primò, quia neque iure poſitiuo aliquid de tali ordine eſt conſtitutum, vt omnes fatentur, inquit Pet. Nauarra: neque adducitur ratio aliqua vrgens, quâ ſufficienter probetur ius naturale poſtulare, quod alterum debitum alteri præponatur, vt ex argumentorum ſolutione poterit conſtare; ergò &c.

Probatur Secundò, quia in iudiciali foro nulla habetur ratio, quoad præferentiam in ſolutione obtinenda, an debitum ex delicto, an ex licito contractu natum ſit, vt citato loco etiam refert Pet. Nauarra, quando tantum eſt actio perſonalis: atqui ſi iure naturali debita ex delicto deberent præferri, vt vult Medina, vel è contra debita ex contractu oneroſo, vt vult Caiet. talia iudicia eſſent iniqua, & teneretur iudex ad reſtitutionem ob non ſeruatum ordinem, iure naturali ſeruari debitum, quod nullus dixerit, inquit, idem Pet. Nauarra, cum ſit communis praxis forenſis omnium tribunalium.

12 Ad argumentum itaque pro prima ſententia adductum Reſpondetur, iſtud non aliud probare, quàm dum debitor ſufficiens eſt, vt ſatiſfaciat omnibus, meritò illum debere prius reſtituere rapta, aut furto ſublata, vel per vſuras conquiſita, quàm debita ex iuſto coutractu: quia quamdiu iſta non reſtituit, quando poteſt, perſeuerat in peccato iniuriæ, & iniuſtitiæ non tantum habituali, ſed etiam quodammodo actuali: poteſt autem ordinariè differre debita ex iuſto contractu ſine peccato, quia creditor non ſolet eſſe inuitus, aut non rationabiliter inuitus, quoad aliquam morã. Vnde rectè D. Thomas loco ſuprà citato dicit, quod quando hæc ſolutio fit, non tollatur iniuria: ſed tantùm adimpleatur iuſtitia: non autem argumentum conuincere, quod debitor quando non ſufficit omnibus, debeat tunc prius ſoluere debita ex delictis ante alia quæ ex iuſto contractu, præſertim oneroſo debentur: quia hic creditor par ius cum alijs habet ad bona debitoris: Neque in ratione videtur fundatum; quod hic perdat totum, & alij totum ſuum recuperent: quia debitor ex vtraque parte ſuo modo detinet alienum: eſtque eadem iniuſtitia in ipſa detentione, & eadem obligatio reſtituendi: quamuis enim in modo accipiendi alienum per rapinam, aut furtum fuerit peculiaris iniuria, quæ non fuit in modo accipiendi per iuſtum contractum, tamen obligatio debitum ſoluendi, his & illis eſt eiuſdem rationis: nam iniuria aut iniuriæ exceſſus quæ in primo actu inueniuntur circa illos, & nõ ita circa hos, reparanda ſunt non pecuniæ ſolutione, ſed ſatisfactione alterius rationis.

Ad confirmationem item Reſpondetur: 13 eiuſmodi debitorem poſſe ſimul recedere ab omnibus delictis, quamuis nequeat omnibus creditoribus integrè ſatisfacere: quia competentem & dignam pœnitentiam ſuper delictis omnibus agendo, ſatisfaciet Deo pro iniuria, & conuenientibus modis poteſt quoque proximo ſatisfactionem dare pro iniurijs illi illatis: reſtitutionis autem præcepto ſatisfaciet, reſpectiuè ſingulis pro rata debitorum, & rata ſuæ ſubſtantiæ reddendo tantum, quantum vires eius ferunt.

Neque verum eſt, quod quidam opponunt, raptorem quamdiu non reſtituit, ab iniuria non recedere quam intulit: quia tum etiam recedit, quando abſolutè bonæ voluntatis eſt, vt reſtituat, etiamſi ob impotentiam reſtituere non poſſit, ſiue ſimpliciter non poſſit, ſiue non ſine præiudicio alterius: quod contingit, quando duo ſimul concurrunt, vnus creditor ex iuſto contractu, & alter cui per delictum, vt per furtum aut per vſuras eſt ablatum ſuum: & debitor non ſufficit, vt vtrique plenè ſatisfaciat: tunc enim ab iniuria recedit, quãdo de illatâ dolet, & doloris exhibet indicia: ac ſimul reddit tantum, quantum ſecundum proportionem ſine præiudicio alterius creditoris reſtituere poteſt. Ad argumentum Caietani pro ſecunda ſententia 14 adductũ, Reſpondetur, illud ſupponere ea quæ ex iuſto contractu ſunt debita, eſſe adhuc ipſius creditoris, quod verum non eſt: quia in primis poteſt ipſa res non amplius in ſpecie apud debitorem extare, pro quâ, ea ex contractu debet: potuit enim illã alienaſſe aut conſumpſiſſe. Deinde quamquam adhuc in ſpecie apud illum extaret, tamen tranſiuit in dominium eius. Vnde fit quod dum ex illa reſtitutionem facit ijs quibus ex rapina aut furto debet, non reſtituit ex alieno, ſed ex proprio.

Hinc Dubio præcedenti quoque diximus, ex ea occaſione, quod res venditoris in ſpecie exſtet, non habere illum ius præferentiæ in ſolutione obtinenda, quando fuerit tranſlatum dominium. Adducit autem Nauarrus pro eadem ſententia aliam rationem: Quia, inquit, nunquam fuit dubitatum quin debita ex iuſto contractu nata, ſint ſoluenda. Aliqui autem dubitarunt, an

vſuræ ſint reſtituendæ; ergo cenſendum eſt quod debita ex iuſto contractu præferenda ſint debitis ex delicto.

Sed friuolum eſt argumentum, quia in primis non procedit contra debita contracta ex rapina, aut furto; de quibus nullus vnquam dubitauit quin reſtituenda ſint. De vſuris autem, ſi aliqui dubitauerint, ſtolidiſsimè dubitarunt; vnde nulla potuit ex tali dubitatione naſci vel tenuiſſima probabilitas quod vſuræ reſtituendæ non ſint: quare erronea iſta dubitatio, ſi alioquin fuerit, non poteſt iuri eorum qui oppreſſi ſunt per vſuras, præiudicare.

Opponunt inſuper quod cui debetur ex iuſto contractu, debeatur illi ex iuſtitia & ex fidelitate, non ſic ex vtroque hoc titulo debetur alijs. Sed nec hoc aliquid probat: quia vt quis erga vnum ſeruet fidelitatem, non poteſt idcirco præiudicium adferre iuri alterius: nam alioquin ex voluntate debitoris penderet præferre quem voluerit, obijciendo creditori huic vel illi promiſſionem aut fidem datam alteri de præſtanda illi ſolutione, aut facienda ei reſtitutione.

Ad argumentum tertiæ ſententiæ dici poteſt, illud non conuincere, quia quod homini durius videatur vno modo carere rebus aut bonis ſuis, quàm alio, ſit idcirco, quòd in vno fuerit illata ſimul iniuria, quæ non in alio, aut quòd maior quàm in alio: non autem quod maior ſit iniuſtitia ſiue inæqualitas in ipſis rebus: atque ita propterea non ſequitur iſtos præ his eſſe præferendos dum vnicuiq; ſuum eſt reſtituendum: quando ſcilicet iure poſitiuo ex talibus motiuis hoc non eſt conſtitutum, prout non reperitur id conſtitutum.

DVBIVM V.

Quo ordine ſit ſoluendum creditoribus hypothecarijs?

OBſeruandum eſt, inter hypothecam & pignus intereſſe illud, quod hypotheca propriè ſit in re immobili, pignus autem in re mobili. Naſcitur verò ius illud hypothecæ duobus modis: aliquando expreſſa contrahentium conuentione: aliquando tacitè, ſcilicet beneficio legis.

15 RESPONDEO itaque & DICO Primò: Qui hypothecam habent, præferendi ſunt pœnè ſemper creditoribus omnibus merè perſonalibus, aut chyrographyarijs. Patet ex l. Eos: Cod. Qui potiores in pignore: Ratio eſt, quia hypotheca datur creditori ad ſecuritatem, vt in omni euentu ex ea poſſit curare ſibi ſolutionem. Neq; priuilegium prælationis datur abſque hypothecâ ſaltem tacitâ aduerſus hypothecam habentes, quamuis etiam hi poſteriores ſint.

Excipiũtur tamẽ aliqui caſus: & propterea dixi, pœnè ſemper: quia in primis creditores qui ſuppeditarunt expenſas funeris ſaltem moderatas, præferuntur omnibus alijs etiam hypothecarijs, vt colligitur ex l. penult. D. De religioſis & ſumptibus funerum: quâ præferentiâ etiam gaudent debita contracta ratione funeris vxoris, aut filij, vel alterius quem debitor ſepelire debuit.

Rationem reddit P. Nauarra loco ſuprà citato nu. 27. quia licet bona creditoribus ſint obligata, tamen non ſunt aliena, ſed propria debitoris defuncti: & ita, inquit, pro re tam neceſſariâ non ſunt rationabiliter inuiti creditores, quod illud prius accipiatur, præſertim accedente legis allegatæ conſtitutione: Expenſas tamen ſuperfluas ad honorem & pompam mundanam non poteſt tutâ conſcientiâ hæres facere, vt idem ſupra num. 28. docet cum Syluest. V. Funus, Antonino 2. p. titulo 2. cap. 7. §. 3. Nauarro cap. 17. n. 51. & alijs: quod ſi faciat, inquit, intelligitur ille facere de ſuo, nec poterit creditoribus detrahere.

Secundo præferentiam quoque habent ante hypothecarios, impenſæ factæ cauſa hæreditatis, vt loquitur Pet. Nauarra ſuprà, v. g. ad conſcribendum teſtamentum, ad faciendum inuentarium, ad conſeruandam ſupellectilem & ad ſimilia, quæ neceſſariò adhibentur, vt hæreditas quàm optimè expendatur in creditorum ſatisfactionem.

Ratio poteſt eſſe, quia niſi labores iſti ante omnia compenſentur, nullus volet eos ſubire, quando putatur hæreditas inſufficiens, & ſic facilè continget eam cum omnium creditorum præiudicio diripi, aut negligi.

DICO Secundò: Inter hypotecarios prius ſoluendum eſt illis qui tempore priores ſunt in hypotheca, iuxta regulam iuris: Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. Quod maximè verum eſt in ijs qui eandem rem habent ſibi hypothecatam, vt tradit 16
Sylueſter V. Reſtitutio 6. quæſt. 5. & obtinet generaliter, ſiue hypotheca prior ſit expreſſa ſiue tacita, ſiue ſit generalis ſiue ſpecialis, exceptis quibuſdam caſibus iure declaratis, quos mox infrà ponemus. Quod autem non tantum hypotheca expreſſa prior præferatur expreſſæ poſteriori, vt exiſtimant Sylueſter & Nauarrus c. 17. nu. 50. & 51. ſed etiam tacita prior præferatur expreſſæ poſteriori, patet in hypothecâ dotali, quæ etſi tacita ſit, præfertur tamen hypothecæ expreſſæ poſteriori, vt colligitur ex lege Hac edictali §. His illud adiungimus: Cod. De ſecundis nuptijs, & docet Couar. lib. 1. Variarum cap. 7. n. 2.

Concluſ.

Concluſ. 4. ex l. Aſſiduis: Cod. Qui potiores in pign. cum multis Iuriſperitis quos citat. Similiter quod hypotheca generalis prior prȩfertur etiam ſpeciali poſteriori colligitur contra Syluest. ex l. 2. D. Qui potiores in pignore vel hypotheca.

17 Neque obſtat l. 2. Cod. De pignoribus & hypothecis, quam pro ſe adducit Sylueſter: quia non aliud ibi dicitur, quàm quod pignus tuum ſiue ſpecialis hypotheca poſterior debeat tibi eſſe ſalua contra ius hypothecæ generalis anterioris in caſu quo generalem hypothecam habens, ſimul habet aliquam ſpecialem diſtinctam à tua, quæ debito ipſius ſufficit: tunc enim non poteſt is te impedire in tua ſpeciali, quamuis ſis poſterior: qui enim præter generalem accipit ſpecialem, id facit, quia primo vult vindicare illam ſpecialem, & non attingere generalem, niſi in euentu quo ipſius ſpecialis non ſufficiat: quare in caſu quo hæc non ſufficeret non foret pignus tuum tibi ſaluum, & conſequenter generalis prior præferetur quoque ſpeciali poſteriori, vt tradit Couar. lib. 3. Variarum cap. 18. num. 2.

18 Excipiuntur tamen in iure aliquot caſus, vti diximus: primus autem eſt, vbi poſterior tempore præfertur illi qui ſecundum tempus in eadem re habet hypothecam priorem, quando ſcilicet quis dedit mutuo pecuniam in reparationem, aut conſeruationem rei hypothecatæ, vt domus, aut nauis, ne periret, aut deterior fieret: hic enim præfertur alijs creditoribus habentibus hypothecam generalem vel ſpecialem in eadem re, vt patet l. Interdum D. Qui potiores in pignore.

Ratio reddi poteſt: quia non cenſetur prioribus fieri præiudicium: nam abſque mutuatione pecuniæ quam poſterior ad reparationem talis hypothecæ præſtat, forſitan ipſa perijſſet.

Secundus Caſus eſt, quando quis mutuauit alteri pecunias pro neceſſaria vectura mercium, vel pro conductione ædium in quibus merces aſſeruarentur: tunc enim merces illæ manent huic obligatæ, ita vt ante alios habentes in ijſdem hypothecam ſiue expreſſam ſiue tacitam, debeat inde ſuam habere ſolutionem, vt patet lege 6. D. ſuprà. Ratio autem eadem hîc ſubeſſe videtur, quæ in caſu priori.

Tertius eſt in hypotheca dotali, ratione cuius bona mariti ſunt obligata vxori, & filijs ex ea natis, ita vt poſſint ex illis deducere dotem ante alios creditores qui prius ſunt tacitè habentes hypothecam. Colligitur ex lege Aſſiduis. Cod. Qui poſteriores in pignore habeantur.

19 Dico: ante illos qui tacitè habent hypothecam priorem: quia non præferuntur illis, qui habent hypothecam priorem expreſſam: non enim intendit lex doti dare priuilegium cum præiudicio priorum creditorum, qui ex ſpeciali conuentione ius habebant: quia nimis durum foret, quod per nuptias viri ſuperuenientes amitterent omnes priores ius quod expreſsè pacti erant: ſecus eſt de ijs qui tantum habebant priorem hypothecam tacitam beneficio quoque ipſius legis; quia lex beneficium ſuũ quod in communi concedit prioribus tempore, atque ius hypothecæ quod conſtituit, poteſt reſtringere, vt tamen poſtponendi ſint iuri dotali. Vide Sylueſter V. Dos: n. 14. Non tamen iterùm dos præfertur omnibus qui priorem tacitam hypothecam habent: quia non illis qui mutuo dederunt pecuniam ad reparationem domus vel nauis vel ſimilis rei, quam ex capite illo tacitè habent ſibi hypothecatam, quemadmodum nec illis qui ſoluerunt pro vectura mercium, aut pro conductione domus, vbi merces aſſeruantur, colligitur ex Nouell. Conſtit. 97. & tradunt Cynus in Authent. de æqualitate dotis: & Bald. Nouell. de Dote 10. p. & fauet fortiſſimè 5. His conſequens in Authent. citata: quamuis Pet. à Bellapertica cum multis aliter ſentiant. Vide Couar. lib. 1. Variarum c. 7. n. 3. vbi etiam oſtendit quomodo non ſemper locum habeat dictum illud, Vinco te, ſi vinco vincentem te: quia, inquit, hoc non procedit, vbicumque datur diuerſa ratio vincendi.

Quartus Caſus eſt, quando quis ex pecunia pupilli emit rem aliquam: tum enim res illa manet pupillo ſic obligata, vt ex illa recuperare pupillus poſſit pretium ante alios creditores quibus bona debitoris generaliter erant hypothecata, ſiue expreſsè ſiue tacitè. Colligitur ex l. penult. Cod. De ſeruo pignori dato.

Quintus Caſus, ſi quis mutuet alteri pecuniam ad emendam domum vel rem aliam cum expreſſo pacto, quod res illa ſibi maneat hypothecata pro debito iſtius mutui: Talis enim debebit præferri alijs creditoribus habentibus hypothecã generalem priorem, quamuis etiam ad futura bona ſe extendat. Ita docet Couar. ſuprà & Bald. in l. Interim D. Qui potiores in pign. ſecus autem dicunt ſe rem habere, ſi non fuerit expreſsè dictum, quod domus vel fundus manebit obligatus pro debito talis mutui. Licet aliqui aliter doceant, quibus ſatis fauet Nou. citata: vt videre eſt apud Couar. ſupra.

Sextus Caſus, quando quis alicui credidit pecuniam ad militiam, v. g. vt emat equum, emat arma, vel vt ſe in militia ſuſtentet: habet talis hypothecam cum iure prælationis etiam ante dotem, quamuis dote ſit poſterior, vt patet ex Nouella 97. cap. 4.

Septimus, quando quis contraxit cum fiſco, manent ipſius bona fiſco obligata cum priuilegio prælationis: quale ius etiam habet fiſcus ratione tributi nondum ſoluti. Vnde bona omnia receptorum & redemptorum vectigalium ſunt fiſco hypothecata, vt conſtat ex lege 2. Cod. De priuilegijs fiſci: dos autem & fiſcus pari iure cenſentur vt lege Dotis ſuæ, §. Cod. De iure dotium.

Obſeruandum autẽ eſt, quod non omnes DD. eodem modo de omnibus caſibus iam adductis ſentiant, vt videre eſt apud Couar. loco ſuprà citato: ſed accuratior horum pertractatio magis ad iuriſperitos pertinet.

20 Dico Tertiò: Poſt illos qui hypothecam habent, & omnes quos diximus habere ius prælationis, ſi quid ſuperſit, inde ſoluendum erit creditoribus perſonalibus, qui nimirum non habent rem aliquam in ſpecie, aut in genere ſibi obligatam, nec expreſsè, nec tacitè; ſed tantùm ipſam perſonam. Inter hos autem primo loco ſoluendum eſt illis qui poſt hypothecam habentes, proximè gaudent perſonali priuilegio prælationis, vt eſt ſponſa de futuro in bonis ſponſi, ſi ſponſo ſit dos tradita non ſequuto matrimonio, vt docet Gloſſa ad legem Eos, Cod. Qui potiores in pignore. Item qui depoſuit pecunias apud nummularium non percipiens inde vſuras. Quod extendunt DD. ad omnia depoſita, & ad commodatum, ac pignus, ſi dolo vel culpâ debitoris iſta perierint. Similiter extendunt ad pecuniã depoſitã in ſocietate mercatorũ ad negotiationem. Quòd ſi tamen hæc exſtaret, etiamſi mixta eſſet cum alijs pecunijs, deberet ante hypothecas reſtitui, quia adhuc cenſetur in ſpecie aliena: quando enim talia voluntate dominorum cõmiſcentur, ſingulæ partes fiunt communes: vt habetur §. Si duorum Inſtitutis De rerum diuiſione: & l. Marcellus §. Pomponius D. De rei vindic.

21 Deinde ſoluendum erit reliquis creditoribus ex titulo oneroſo, vt ex venditione, aut aliquo ſimili titulo, ſcilicet vnicuique pro rata: idq; non habitâ ratione temporis, vt docet Syluest. V. Reſtitutio 6. qu. 5. Nauarrus c. 17. n. 51. quamuis non deſint alij qui exiſtiment inter hos etiam creditores locum habere regulam iuris: Qui prior eſt tempore potior eſt iure, vt Toletus lib. 5. cap. 26. D. Thomas autem opuſculo 73. cap. 18. vult cæteris paribus primo loco pauperibus poſſe ſolui, prætermiſſis ditioribus: quam ſententiam nonnulli etiam ſequuntur: quamuis oppoſita ſit communior, & videatur ſolidior ac verior, niſi pauperes eſſent in extrema aut graui neceſſitate: tunc enim ex charitate eis ſatisfaciendum eſſet præ reliquis: alioquin non videntur ſiue ex iure poſitiuo, ſiue ex iure naturali, habere præferentiã ante alios in pari gradu cũ ipſis concurrentes. Tertiò ſoluendum erit, quod debetur ex titulo gratuito: vt ſi defunctus aliquid legauerit alteri, vel promiſerit aliquid ad piam cauſam, quæ tamen præferri debet alteri legato gratuito.

Denique reliqua, ſi quæ ſupereſſent, forent pro hæredibus, ita tamen vt hi quoad ſuam legitimã obtinendam præcedant ante legatarios. Et hæc quidem iure communi ſeruanda ſunt: vbi & quatenus illud receptum eſt. Quod ſi aliquibus in locis ſint aliæ leges vel conſuetudines quæ rationi non repugnent, erunt illæ ibidem obſeruandæ, etiam in conſcientia: quando non nituntur tantum in aliqua præſumptione, ſed ob bonum commune ordinatæ ſunt, fundatæ in quadam naturali æquitate, vt magis ſecundum rationem rectam, & ſine confuſione reſtitutio in talibus caſibus fiat; leges enim humanę quæ rectę rationi non aduerſantur, neque nituntur falſis præſumptionibus obligant in conſcientia.

DVBIVM VI.

An creditor qui prius ſolutionem petit habeat aliquam præferentiam?

Dico Primò: Ex eo quod creditor aliquis prius ſolutionem exigat, nullam acquirit præferentiam contra eos qui ratione hypothecæ vel ratione priuilegij iuxta dicta ſuprà eum antecedunt: imo ſi hæres debitoris ſoluat prius petenti ſciens id fieri cum præiudicio præferentiam habentis, tenebitur is huic de damno reſpondere: aut ſi debitor ſoluerit, poterit prior à poſteriori recuperare, vt tradunt Nauarrus c. 17. n. 52. & Syluest. V. Reſtitutio 6. quæſt. 8. Colligitur autem ex l. Pupillus 24. D. Quæ in fraudem creditorum. 22

Dico Secundò: Si plures ſint creditores perſonales inter quos nullum ſit priuilegium prælationis, & vnus ex illis ante alios exigat ſolutionem debiti ſui, ſiue in iudicio, ſiue extrà, poterit, imò tenebitur debitor huic præ iſtis alijs ſoluere etiam totum debitum, quamuis eſſet tempore poſterior. Ita quoque Nauar. & Syl. ſup. & colligitur ex eadem l. Pupillus iam citata. 23

Ratio eſt, quia inter eiuſmodi creditores, diligentia prius exigentis facit eum iure potiorem, quemadmodum hypotheca aut aliud priuilegium, vt patet ex citata l. Idem locum poteſt habere, quando ſunt plures eiuſdem omnino ordinis habentes hypothecas: tunc enim qui prius tempore petit, videtur inter eos eſſe iure potior.

Sed quæritur: An debitor ſciens ſtatum ſuũ deficere poſſit integrè ſatiſfacere alicui

non

non petenti, vt illi gratificetur qui alioquin ius prælationis non habebat.

24 Reſpondetur licitè nō poſſe: quia iura id non concedunt: quandoquidē enim hic ius prælationis nō habet, ſed cū cæteris pari iure concurrit, & vigilantia in petendo non faciat eum potiorē, quia non petijt, non licebit debitori præſtare huic ſolutionem integram cum præiudicio aliorum, qui iure pares aut potiores ſunt: ſed priores præferendi ſunt, & inter pares ſingulis aliquid ſoluendum eſt pro ratâ, ſecundum quod vires debitoris ferunt. Si tamen debitor ſic alicui non exigenti vltroneè ſolueret, non tenebitur hic qui accepit, in conſcientia ad reſtitutionem; quia quod accepit, erat proprium debitoris, nec erat hoc in ſe ſiue in ſpecie, alijs obligatum, vti ſupponimus: quia comparationem facimus tantum inter creditores perſonales ſeu chyrographiarios, vt vocant: neq; apparet vnde naſceretur aliunde obligatio in cōſcientia ad iſtam reſtitutionē; ergo &c. Et poteſt confirmari ex l. Quod autem 6. D. Quæ in fraudem creditorum: Imò videtur idem etiam locum obtinere, quāuis alij creditores haberent priuilegium perſonale prælationis abſque hypothecâ: & fauet ſatis lex iam citata: quando dicit: Qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris poſſideantur (ſcil. ab alijs creditoribus Iudicis authoritate) quamuis ſciens prudenſque ſoluendo non eſſe recipiat, non timet hoc edictum, quo ſcil. reuocantur quæ in fraudē creditorum alienata ſunt. Et ita tenent Molina Diſput. 536. quamuis Syluest. V. Reſtit. 6. q. 8. aliter ſentiat.

CAPVT SEXTVM,

De excuſantibus à reſtitutione.

DVBIVM PRIMVM.

An impotentia debitoris à reſtitutione excuſet?

1 RESPONDEO & DICO Primò: extrema neceſſitas debitoris, aut alicuius ex ſuis vel alterius proximi, cui neceſſitati aliter ſubuenire non poteſt, niſi rem alienam aut alteri debitam impendendo, excuſat à reſtitutione quamdiu illa durat, vt poſſit ſolutionem aut reſtitutionem differre. Ita communiter DD. In tali enim euentu omnia ſunt communia, ſaltem quoad vſum: quia diuiſio rerum cum hac æquitate & humanitate eſt introducta, vt non magis quis impediatur ab illo qui rem occupauerit quominus eâ poſſit vti in ſuâ extrema neceſſitate, quàm ſi omnia forent communia, vt patet ex Cap. Exijt: de V. ſignific. in 6. vbi dicitur, Iure probabili in extremo neceſſitatis articulo conceſſum eſſe, vt ſibi quis prouideat: & conſtat ex ſuprà dictis.

Quæret aliquis: quid faciendum eſt ſi creditor etiam ſit in extrema neceſſitate?

Reſpondetur, eo non obſtante nihilominus debitorem poſſe ſuccurrere primo loco ſuæ propriæ perſonæ de bonis ſuis, aut apud
2 ſe exiſtentibus, nec obligari vt ſuæ extremæ neceſſitati ſubtrahat, & creditori ſoluat, aut reſtituat. Quamuis aliter ex parte ſentiat Scotus in 4. diſt. 15. quæſt. 2. qui docet quod ſi debitor & creditor ſimul incidant in extremam neceſſitatem, tum debitorem debere ſibi ſubſtrahere, & dare creditori. Sed quod diximus communiter tenetur ab alijs omnibus, vt refert Toletus lib. 8. cap. 39. neq; probabile habetur id quod Scotus dicit. Et ratio aſſignatur, quia melior tunc eſt cōditio poſſidentis. Similiter & addunt poſſe ſuccurrere neceſſitati vxoris, parentis, & prolium ante creditorem. Ita Soto libro 4. q. 7. art. 1. ad 1. Lopez 2. p. c. 53. & alij: & ſumitur ex D. Th. 2. 2. quæſt. 31. art. 3. vbi ait obligationem parentum vincere omnem obligationem. Vnde opinio Tabien. qui V. Reſtit. aliter ſentit à Mald. Tract. 4. c. 7. dub. 1. tamquam improbabilis reijcitur. An etiam ad fratrum neceſſitatem poſſit extendi diſputatur. Exiſtimat Soto debitorem potius debere ſoluere creditori in illa neceſſitate conſtituto, quam ſuis fratribus pariter cōſtitutis ſubuenire: oppoſitum verò tenet Toletus lib. 8. cit. de peccatis mortalibus cap. 39. qui hanc doctrinam extendit ad omnes qui debitori in 1. gradu coniuncti ſunt, quod Mald. ſentit eſſe probabile. Hæc tamen intellige, niſi debitor ſiue rei alienæ detentor, ipſa ſubſtractione illius rei coniecíſſet ipſum creditorem ſiue dominum in illas extremas anguſtias, vt ſi eripuerit illi panem quando erat ei extremè neceſſarius ad vitam, aut deiecerit ex equo illum, quando erat in fuga, vt manus hoſtium euaderet: tunc enim tenetur talis fur aut ſpoliator reſtituere, quamuis etiam pro ſe ipſo extremè indigeret eâdem re: quia inprimis tali caſu auferre alteri rem ſuam eſt quaſi illum occidere; deinde quia in pari cauſa & neceſſitate melior erat conditio poſſidentis, præſertim eius qui ſimul eſt dominus. Ita commu-

Digitized by Google

ter omnes DD. vt teſtatur Tolet. ſuprà ſecus autem quando ipſa ablatione rei non eſt creditor aut dominus coniectus in ipſam neceſſitatē, ſed aliunde incidit, licet interim ſimul cum debitore incidat, vt docet Caiet. qu. 62. art. 5. & in Summa V. Reſtitut. Soto, & Toletus ſuprà, quamuis Nauar. c. 17. n. 6. aliter videatur ſentire.

Ratio autem iam antè aſſignata fuit: quare ſi quis acceperit panem alterius, priuſquam panis in ſolitudine deficeret, vel tabulam alterius antè naufragium, vel occupauerit equum ante hoſtium inuaſionem, non tenebitur domino reſtituere, etiamſi ſimul in extremum periculum vterque incidat, imò nec dominus vi poſſet tali poſſeſſori in extrema neceſſitate ſic conſtituto eripere, vt tradit Mald. loco cit.

Quæret iterum aliquis: An tranſactâ neceſſitate debeat fieri reſtitutio?

3 Reſpondetur: diuerſis caſibus indubitatè fieri debere, vt inprimis quando vſus rei abſque rei conſumptione tantum fuit neceſſarius, ita vt poſt neceſſitatem res adhuc in ſpecie exſtet: vt ſi quis extremè indigens acceperit equum alterius ad effugiendum manus latronum, aut ſcapham alterius ad euadēdum naufragium, certum eſt, vbi pericula euaſerit, illum debere hæc reſtituere: quia neceſſitas non tribuit amplius ius in rem alterius, quàm opus eſt vt quis ſe ſaluet, quādo igitur ſine rei conſumptione poteſt ſuæ neceſſitati ſuccurrere, non dubium eſt: quin poſt eius vſum, debeat reddere: vt colligitur ex cap. Odoardus de ſolutionib.

4 Secundò, Si interceſſerit contractus ſiue ante neceſſitatem, ſiue in ipſa neceſſitate, quo res in dominium debitoris tranſiuit, & nata eſt ſoluendi obligatio, tenetur debitor, vbi facultates habuerit, ſatisfacere: Colligitur ex D. Thoma quodlibeto. 5. art. 16. vbi docet captiuum in extrema neceſſitate vitæ, mutuum accipientem quo ſe redimat, debere eo magis reſtituere, quo in maiori neceſſitate illi creditor ſubuenerit.

Ratio autem reddi poteſt; quia ad ſuccurrendum ſuæ neceſſitati, non fuit ipſi opus exſtinctione obligationis contractæ, ſed potuit illi ſubuenire per rem ſuam legitimo contractu comparatam, ſiue per emptionem ſiue per mutuum aut ſimili modo. Similiter qui ante neceſſitatem furatus eſt rem alienam, vnde nata fuit obligatio reſtituendi ratione iniuſtæ acceptionis, ſi poſtmodum in neceſſitatem incidat, & in neceſſitate conſumat, tenebitur nihilominus iuxta communē pœne ſententiam, ſi poſtmodū ad meliores fortunas redierit, reſtituere: ita Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. ad argumenta, Syl. V. Reſtitutio 5. qui citat Richardum & Palud. Ratio quodammodo eadem eſt: quia ad neceſſitatem ſubleuandam ſatis fuit, quod res pænes ſe exiſtentem potuerit conſumere, manente obligatione, ratione iniquæ acceptionis prius contractâ, ita vt hæc non extinguatur, ſed quaſi conſopiatur: quæ proinde neceſſitate tranſactâ reuiuiſcit. Ita docent Adrian. in 4. D. Reſtit. Med. Cod. De Reſtit. quæſt. 3. Nauar. cap. 17. n. 62. Gabr. in 4. diſt. 15. q. 2. Scotus ſuprà, & alij paſſim.

Quando autem habuit rem alterius, ſiue ante neceſſitatem ſiue in ipſa neceſſitate per contractum, quo dominium rei non transfertur, vt fit in commodato, conducto, præcario, ſi tunc in extrema neceſſitate eam conſumat, antequam fuerit in mora reſtituendi: aut quando quis in iſta extrema neceſſitate conſtitutus rem alienam accipit & conſumit, tum ex quorundā DD. ſententia non tenebitur talis etiam tranſactâ neceſſitate poſtmodum ad reſtitutionem. Ita Pet. Nauarra lib. 47. cap. 4. n. 24. & ſumma Angelica V. Reſtit. 3. n. 6. habeturque hæc ſententia probabilis. 5

Contraria tamen eſt communior, quod ſaltem cum res eſt maioris momenti, nec putetur fuiſſe donata, non liberetur tunc ille qui conſumpſit ab obligatione reſtituendi, quando neceſſitate tranſactâ poteſt. Ita Adrian. ſuprà §. Quia dictum: & alij citati. Item Couar. ad regulam peccatum p. 2. §. 1. n. 3. Toletus lib. 5. cap. 24. Malderus ſuprà.

Ratio reddi poteſt: quia extrema neceſſitas non ſimpliciter transfert dominium, ſed tantum tribuit ius vtendi re, quam quis prius occupat aut tenet: idq; in quantū opus eſt, vt indigens euadat periculum, aut ſuæ indigentiæ ſuccurrat: cum minimo interim alterius incommodo quo fieri poteſt: ergo non tollit omnino obligationem reſtituendi illud quod quis locato, commodato aut precario accepit & in neceſſitate conſumpſit, ſi ad meliorem fortunam poſtea peruenerit.

Confirmatur: Quia non tenetur quis illi dare, niſi in quantum opus vt conſulat eius neceſſitati: ad hoc autem ſufficit quod concedatur vſus cum obligatione reſtituendi ſi poſtmodum media ſufficientia habuerit. 6

Quando tamen res non ita magni eſt momenti, & indigens non erat in ſpe aliquâ propinqua quod fieret ditior, non tenebitur poſtea reſtituere: quia res paruæ cenſentur abſolutè donari, quando in tali neceſſitate conſumuntur: quia vir diues non cenſetur pro aliquot panibus v. g. aut calceis, aut veſtibus detritis imponere pauperi onus reſtituendi, ſi aliquando ab eo talia acceperit. Sed opponit Pet. Nauarra: talis etiamſi rem maioris momenti in extrema neceſſitate cōſumpſerit, quæ erat alterius, nō videtur ad reſtitutionem aliquam teneri: quòd probat: quia neq; tenetur ratione rei acceptæ, cum

Digitized by Google

cùm iam res non exſtet amplius, neque ex illa ſit factus locupletior, ſed tantùm vitam conſeruauit, vt ſupponimus: neque tenetur ratione acceptionis, cùm abſque delicto potuerit in extrema neceſſitate illam conſumere; imò ſi non habuiſſet, etiam auferre: neque etiam ex contractibus mentionatis: quia dicti contractus in quibus dominium rei non transfertur, non obligant ad reſtitutionem ſi res pereat, niſi culpa eius qui eam accepit, perierit: nunc autem abſque culpa eius perijt, & conſumpta eſt; ergò in talibus caſibus non tenebitur quis ad reſtitutionem tranſactâ iam neceſſitate.

Reſpondetur, Neg. Conſeq. quia quamuis non ex aliquo expreſſo contractu teneatur, tamẽ tenetur ratione cuiuſdã taciti contractus quaſi iure gentium introducti, quo quis dum rem alterius in neceſſitate conſumit, ſe obligat tacitè ad præſtandam ſolutionem aut faciendam reſtitutionem, quando facultates illi ſuppetent: Hic enim videtur eſſe communis hominum intellectus, quòd apprehendant illum qui in neceſſitate rem notabilem alterius conſumit, manere obligatum vt reſtituat & ſatisfaciat, ſi aliquando media ſufficientia habuerit: poteſt enim neceſſitati ſuæ quidẽ conſulere: ſed cũ minimo quo poteſt fieri præiudicio & dãno alterius.

7 Dico Secundò: Non tantùm extrema, ſed etiam grauis neceſſitas alicuius, aut ſuorum, vel proximi excuſat eum à reſtitutione quamdiu illa durat, niſi creditor ſimiliter eſſet in neceſſitate graui. Ita communiter ſentiunt Doctores, &

Probari poteſt: quia multi tenent quod in graui neceſſitate liceat etiam clanculùm ſurripere à ditioribus, quando fit ſine ſcandalo, vt Syluest. V. Furtum, qu. 5. Angelus eodem V. §. 37. Nauarr. cap. 17. num. 5. Pet. Nauarr. lib. 3. cap. 1. nu. 375. & Couarr. ad regulam peccatum, parte 2. §. 1. n. 3. dicit eſſe probabile, quamuis aliter ipſe ſentiat; ergò multo magis licebit differre ſolutionem, aut reſtitutionem, quantumuis etiam res eſſet in ſpecie aliena, dum eſt neceſſaria vt grauioribus anguſtijs debitoris vel proximi auertendis deſeruiat; quare propter periculum morbi, famis magnæ, nuditatis, aut ſimilis afflictionis, cui aliter nequeat quis occurrere, niſi impendendo rem alteri debitam ſiue alterius, poterit eam impendere & differre ſolutionem ſiue reſtitutionem.

Dixi: quamdiu durat neceſſitas: quia per eam non extinguitur debitũ, nec obligatio reſtitutionis quando res eſt alicuius momẽti, vt ex modò dictis ſatis poteſt intelligi: quandoquidem verius ſit, id ne quidem extremæ neceſſitati competere. Pet. Nauarra tamen ponit eandem ferme rationem de hac neceſſitate, & de neceſſitate extrema.

Vnde in certis caſibus, de quibus antè egimus, vult quoque per rei conſumptionem in hac graui neceſſitate, extingui debitum reſtituendi, quando indigens ne ſpe quidem apparenti futurus erat ditior, cui fauent Syluest. V. Furtum, qu. 5. & Angel. eodem §. 37.

Addidi, Niſi creditor eſſet in pari neceſſitate: quia in neceſſitate pari (exceptâ tamen extremâ) iudicant Doctores meliorem eſſe conditionem non poſſeſſoris, ſed domini aut creditoris. Leſſius tamen lib. 2. cap. 16. Dub. 1. nu. 20. dicit contrarium eſſe probabile, & fortè verius ſi debitor ablatione rei non coniecerit creditorem ſiue dominum in grauem illam neceſſitatem, ſed ipſe aliunde in eam inciderit: vnde tunc debitor ſi ſit in graui neceſſitate ratione morbi, famis, vel nuditatis non tenebitur reſtituere (inquit) etiamſi contingat creditorem in parem incidere.

Dico Tertiò: Excuſat etiam à reſtitutione ſtatim faciendâ graue periculum debitoris quoad ſalutem animæ ſuæ, aut ſuorum: deinde magnum detrimentum in rebus ſuis quas alteri non debet: præterea magna iactura decentis ac competentis ſtatus. Primum eſt D. Antonini 2. p. tit. 2. cap. 8. Scoti in 4. diſt. 15. quæſt. 2. §. vlt. Henrici quodl. 6. quæſt. 24. Nauarri cap. 17. n. 57. & plurium aliorum. 8

Declaratur: V. g. ſi periculum ſit, ne quis præ anguſtijs in deſperationem incidat, vbi ſolutione aut reſtitutione factâ videbit rem familiarem ſibi tam curtam & anguſtam: Rurſus ſi periculum ſit, ne vxor vel filiæ ſe proſtituant, ne filij fiant latrones. Debet autem periculum illud eſſe notabile, & tale vt non ſuppetat commoda ratio auertendi iſtud, niſi differendo ſolutionem ſiue reſtitutionem. Deinde debet eſſe tale quòd proueniat ex aliqua rationabili cauſa. Nam ſi ex malitia tantum naſceretur, vt ſi filij laſciui ſe iungere vellent latronibus, quia deeſſent pecuniæ quas in commeſſationes indebitas expenderent, aut filiæ vellent ſe proſtituere, quia deſunt pecuniæ quas in ornatus & fucos ſuperfluos ſupra ſtatum ſuum impendant, tunc eiuſmodi pericula non excuſarent: quia dum ex vna parte ſaluti eorum videretur conſuli, ex altera parte daretur periculoſior anſa ſeſe perdendi: neq; ęquum eſt, quod propter puram malitiam vnius patiatur alter detrimentum.

Secundum & tertium tenent ijdem DD. & cum illis Couar. ad regulam peccatum p. 1. n. 2. Medina de Reſtit. quæſt. 1. dub. 4. & alij.

Ratio eſt, quia in hiſce caſibus creditor tenetur ſecundum rectam rationem conſentire in dilationem: quia contra charitatem & æquitatem faceret, ſi vellet cum tanto alte-

Digitized by Google

to alterius incommodo ſibi ſtatim ſatisfieri: niſi fortaſſis ſimile incommodum illi ex dilatione inſtaret. Quare ſi quis alteri debeat centum aureos, nec poſſit ſatisfacere niſi domum ſuam, aut prædium vendat longè minori pretio, quàm valeat, non obligatur ſtatim ſoluere: ſed differre licitè poterit in foro ſcilicet conſcientiæ: nam in foro fori, eius ordinariè non haberetur ratio. Dictum autem noſtrum plerique intelligunt, ſiue debitum ſit ex cõtractu, ſiue ex delicto, quamuis Soto lib. 4. qu. 7. art. 4. & Caiet. V. Reſtitutio quæſt. 6. id negent, quando eſt ex delicto: ſed tenent expreſsè D. Anton. & Nauarrus ſup. niſi tamen poſtea non foret occaſio vnquam reſtituendi, quia tunc licet magni ſumptus ſint ſubeundi, vt ſuprà diximus, debet tamen fieri ſtatim reſtitutio, quando res iniquè fuit ablata.

8 Similiter ex dictis licet colligere, quod ſi vir nobilis non poſſit ſtatim ſatisfacere, niſi priuet ſe omni obſequio famulorum, ſic vt cogatur inde abſtinere à conuerſatione cùm ſui ſimilibus, poſſe quoque eum ſolutionem differre, ſicuti & ſi ciuis primarius non poſſit ſtatim ſoluere, niſi incipiat manibus laborare, vel artem mechanicam præter ſtatum & conſuetudinem ſuam, exercere, poterit quoque ſolutionem differre: quæ tamen intelligas ſi ſtatum illum iuſtè obtineant ac poſſideant. Non excuſabit autem quod forſitan nonnihil ſtatum diminuere debeant, modo intra limites decentiæ vtcumque valeant illum ſuſtinere.

Quando autem debita ſunt ex delicto, volunt multi mox eſſe reſtiuenda, etiam cum amiſſione ſtatus. Alij tamen putant æquius ac verius eſſe ad id non eſſe obligationem, ſi ſtatum ſuũ iuſtè quis obtinuit, & ex improuiſo incidat in infortunia, ita vt debita ex delicto prius contracta: v. g. permiſit aut nõ impediuit ſubditos ſuos alijs damna inferre dũ poſſet, diſſoluere nequeat abſq; amiſſione ſtatus. Ita Nauar. ſuprà n. 62. Syl. V. Reſtitutio 5. q. 1. 3. & 4. cum alijs, quos citat.

Videndum tamen ſemper eſt in iſtis caſibus, an creditores non ſint in pari anguſtia: tunc enim ſtatim illis ſatisfaciendum erit, vt communiter DD. tradunt: quia tenetur debitor potius ſubire damna in alijs rebus ſuis, vel in ſtatu ſuo, quàm creditor illud ſuſtinere ex mora debitoris: neq; enim iactura rei familiaris aut ſtatus tantũ iuris tribuit, quantum extrema neceſſitas, vel etiam iuxta aliquorum opinionem grauis, non enim illa facit vſum rerum communem, ſicuti hæc.

9 Petet aliquis Primò: quid ſi quiſpiam ad illas anguſtias amittendi ſtatus ſuâ culpâ deuenerit: v. g. quia ludis & commeſſationibus omnia ſua decoxerit.

Reſpondetur, talem non mereri dilationẽ ſolutionis debitorum ſiue ex delicto ſiue ex iuſto contractu nata ſint: ſibi enim imputare debet quòd abſque ſtatus amiſſione ſatisfacere nequeat. Ita Soto lib. 4. q. 7. art. 4. & Pet. Nauarra ſup. n. 44.

Addidi autem: Si ſtatum illum iuſtè obtineat, quia ſi forſitan rapinis, vſuris, aut ſimilibus iniuſtitijs ad eum deuenerit, tenebitur mox reſtituere etiam cum ſtatus dimiſſione ex communi ſententia DD. quia hoc non eſt tam facere iacturam ſtatus ſui, quàm ad ſtatum ſuum redire, & quem indebitè occupauerat, deſerere: Vnde tales non poſſunt differre reſtitutionem vſque ad mortem, ſed obligantur ſtatim facere.

Excipit tamen Pet. Nauarra caſum quo talis quiſpiam haberetur paſſim vir honeſtus & probus, quia eius iniuſtitiæ laterent, nec poſſet ſubitò ſtatum dimittere, niſi infamando ſeipſum de fraudibus ſuis, tunc enim poterit paulatim reſtituere: quia ratione infamiæ, quam alioquin incurreret, excuſatur à ſubita reſtitutione.

Dicet aliquis: Semper videtur quædam infamia dimittere ſtatum; ergo qui vt reſtituat deberet illum dimittere, nunquam tenebitur reſtituere.

Reſpondetur Neg. Antec. quando enim ſatis communiter ſcitur ſtatum illum per rapinas, vel alias iniuſtitias, eſſe comparatum, nulla eſt infamia illum dimittere vt ſuum vnicuique reſtituat, ſed potius eſt bonam famam conciliare, & malam abſtergere.

Petet Secundò: Vtrùm reſtitutionem poſſit quis differre, ſi non ſit paſſurus damnum ſoluendo in rebus quas poſſidet, ſed tantum impedietur à lucro faciendo quod conſequi intendit?

Reſpondetur negatiue: Ita Nauarrus ſup. n. 59. & plures cum illo. Ratio eſt, quia talis reſtituendo nihil amittit de rebus ſuis, ſed tantùm deſinit lucrum facere de ſubſtantia alienâ aut alteri debitâ.

Ponit tamen hic exceptionem Pet. Nauarra libro 4. cap. 4. n. 52. niſi ſcilicet forſitan lucrũ illud propinquum foret, quod intenderet vt poſſet alijs quoque creditoribus ſatisfacere, quibus alioquin ſoluere non poſſet, & creditor ex illa dilatione non ſit paſſurus incommodum: quod ſatis videtur rationi conſentaneum.

DVBIVM II.

An remiſſio per creditorem facta excuſet à reſtitutione.

Reſpondetur, quemadmodum dilatio conceſſa à creditore excuſat ne debitor teneatur ſtatim reſtituere, ita remiſſio facta omnino à reſtitutione liberat. Eſt communis ſententia DD. Couar. ad regulam peccatum

peccatum p. 2. n. 1. Med. Cod. De Reſtit. q. 3. Syl. V. Iudex. 1. q. 8. Soto lib. 4. q. 7. art. 4. Salonius q. 62. art. 8. controu. 2. & alij.

Ratio per ſe euidens eſt: quia ſicut creditor ius ſuum poteſt donare alteri, ita etiam poteſt debitori condonare ſeu remittere: neque requiritur ad hoc vt remiſſio facta habeat effectum, quod debitor in manibus creditoris prius poſuerit rem debitã, vt rectè docet Med. q. 3. cauſa 2. contra quoſdam qui id voluerũt: neq; quod ſaltem aut verbis, vel animo obtulerit, neq; etiam quod animũ offerendi vel reſtituendi habuerit, vt ex cõmuni ſententia tradit Panorm. in cap. Cum tu: de vſuris: Quinimo notat Caiet. V. Reſtit. c. 7. non expedire, quod pauper offerat diuiti pecuniam ſiue rem debitam, quando ſupplicat pro remiſſione, quia forte re oblatã fieret difficilior ad condonandum: facilius enim remittuntur non habita, quàm ea quæ iam in noſtra ſunt poteſtate.

Requiruntur tamen quædam conditiones quarum. 1. eſt, vt creditor habeat poteſtatem remittendi non impeditam: nam huius defectu à ſolutione aut reſtitutione non liberat remiſſio facta à pupillo, vel alio per legem vel naturam inhabili ad donationem: adeoq; ad condonationem, quia vtriuſque eadem eſt ratio.

Hinc etiam nõ ſubſiſtit remiſſio per Prælatum facta quoad ea quæ cedunt in vtilitatem Eccleſiæ, quamuis poſſit condonare quæ cedunt in vtilitatem ſuæ perſonæ, vt docet Panorm. ad cap. Veniens 1. De in integrum reſtit.

Altera eſt, vt remiſſio ſit liberè facta: id eſt, non extorta vi aut fraude. Colligitur ex cap. Sollicitè, de reſtitutione ſpoliat. vbi irritatur renuntiatio ſpoliati, eò quod non præſumatur ſponte renuntiaſſe, quia renunciauit ſpoliatus. Ratio itaque eſt, quia cenſetur inuoluntaria remiſſio, cum tamen ſicuti de ratione donationis, ita & condonationis ſit, vt voluntariè fiat. Vi extorta cenſetur, quando expreſsè vel implicitè Debitor intentat minas, niſi vel integrè, aut pro parte debitum remittatur, prout aliquando potentiores ſolent cum minus potentibus, aut pauperioribus agere: ſimiliter qui cogit creditorem ſubire grauiores & longas moleſtias in repetendo, & ſollicitando ſolutionem aut reſtitutionem, ita vt de eius conſequutione quaſi deſperet, niſi magnam partẽ remittat, quod ſatis frequenter quoque non ſine iniuſtitia contingit.

12 Fraude autem cenſetur obtenta, quando debitor fingit ſe longè pauperiorem, quàm reuera ſit, aut alio ſimili dolo inducit creditorem ad remittendum; blanditiæ tamen & preces non impediunt effectum remiſſionis, quia non reddunt remiſſionem inuoluntariam, niſi fortaſſis ſupra modum eſſent inportunæ, ſic vt quis malit re ſuâ priuari, quàm tantâ importunitate diuexari. 3. conditio eſt, ne debitor ipſe ſit incapax remiſſionis propter diſpoſitionem iuris, vt inprimis eſt Iudex Eccleſiaſticus delegatus, quando à partibus aliquid accipit præter eſculentum aut poculentum merâ liberalitate oblatum, quodque paucis diebus conſumi poteſt: cogitur enim talis per capit. Statutum §. Inſuper, & §. Si quid: De reſcriptis in Sexto omne aliud munus integrè reſtituere, etiamſi donatores ei reſtitutionem remittant. Si tamen finito iudicio, iterum illi donetur, tunc Sylueſt. ſuprà, admittit poſſe retineri: non autem ſi priùs, poſtquam reſtitutum eſt, iteratò donetur, vt quidam non ſatis conſideratè videntur admittere: eadem namque ratio conſtitutionis tunc adhuc militat: eſtque ſecunda acceptatio non minus contra Canonem, quàm prima:

Similiter quoque ſi viſitator Eccleſiarum accipiat procurationẽ in pecuniâ à locis viſitatis, vel alia munera ſiue ab illis ſiue ab his, obligatur iuxta Cap. Exigit, de cenſibus in 6. reſtituere in duplum, etiamſi donatores remittant: quæ omnia confirmantur ibidem ſequenti cap. Felicis per Bonefacium Octauum, eo ſolo excepto, quòd permittat procurationem accipi in pecuniâ, quando viſitati ita quoque volunt: & quidem Archiepiſcopis & Epiſcopis ſi intra menſem non reſtituerint interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ: inferiores autem ab officio & beneficio ſuſpenduntur quouſque grauatis Eccleſijs in duplum ſatisfecerunt, vt habetur Cap. Exigit citato: quæ vtinam benè obſeruentur. Tertiò, Si inquiſitor prætextu officij ſui pecuniam extorſerit, iubetur reſtituere, nullâ ſuper hoc remiſſione valiturâ, vt patet Clemẽtina Nolentes, De hæreticis. Quartò, Canonicus, qui diuino officio non intereſt debet reſtituere diſtributiones, ſi quas acceperit, etiamſi illi remiſerint, quibus accreſcunt, vt ſtatuit Conc. Trid. Seſſ. 14. Cap. 12. de Reformatione. 13

DVBIVM III.

An bonorum ceſſio excuſet à reſtitutione.

NOtandum eſt, hîc bonis cedere, nihil aliud eſſe quàm profiteri ſe non ſufficere debitis ſoluendis; ac proinde ſe omnia bona ſua abdicare & tradere illa diuidenda, vt inde creditoribus ſatisfiat quouſque poteſt. Vndè bonorũ ceſſio fit ſola paupertatis profeſſione, vt dicitur l. In omni, Cod. qui bonis cedere poſſint. 14

RESPONDEO itaque & DICO Primò: Bonorum ceſſio non magis in foro conſcientiæ ex-

Digitized by Google

tiæ excuſat, quàm neceſſitas, aut impotentia ob quam fit, per ſe excuſat etiam abſque ceſſione. Ita ſatis communiter DD. cũ Nauar: cap. 17. n. 86.

Probatur: quia in ceſſione tantum conceduntur alimenta: idque ex quadã miſericordia, nec ſemper: ſed quando caſus ſpecialiter eiuſmodi gratiam videtur mereri, vt patet l. Qui bonis, D. De ceſſione bonorum: atqui hæc ſeruari poſſunt etiam conſiſtendo in lege naturæ, & gentium: neque enim debitor obligatur ſe ſpoliare neceſſarijs alimentis, vt mendicare cogatur, vel in aliam grauem neceſſitatem incidat: ſed retinere poteſt quæ iudicio prudentum & bonorum virorum, ad ſuam & ſuæ familiæ aliqualem ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Vide dicta ſuprà dub. 1. huius capitis.

Dico ſecundò: in foro exteriori præſtat ceſſio bonorum hoc beneficium, quod debitor non poſſit à creditoribus mitti in carceres, vt patet l. 1. Cod De ijs qui bonis cedere poſſunt. Et inſuper ſi poſt ceſſionem, aliquid acquirat quod poſſit inde ſibi ſeruare, quantũ eſt neceſſariũ ad ſuam vel ſuorũ ſuſtentationem, vt eodem titulo explicatur.

15 Beneficio tamen ceſſionis dicuntur non gaudere, qui debent ex delicto, ſiue delictum ſit commiſſum in contractu, ſiue extra contractum, ſiue debeatur tamquam pœna, ſiue pro reparatione damni & intereſſe: nam iura beneficium ceſſionis concedunt illis ſolis qui merè ciuiliter debent: & quando agitur de publicâ vtilitate excluditur bonorum ceſſio, vt ſignificatur l. Propter honorem, Cod. Qui bonis cedere poſſunt: intereſt autem publicę vtilitatis, ne delicta maneant impunita, vt habetur cap. Vt famę, De Sentent. Excommunicationis. Vide Molinam diſp. 572. & indicatur l. 3. Si pater tuus Cod. Qui bonis cedere poſſunt.

Syluester tamen V. Reſtit. 7. q. 6. exiſtimat eum qui ex delicto debet, poſſe contra priuatum vti ceſſione, ſiue hic petat damna reſarciri, ſiue mulctam ſibi adiudicatam perſolui: idque ne fruſtrà homo in hominem ſæuiat: & adducit pro ſe cap. Si res, cauſa 14. quæſt. 6.

Cæterùm quamuis flebile ceſſionis bonorũ auxilium (vt leges loquuntur) ſecundũ rigorem iuris ordinariè nihil amplius debitori præſtet, dum cedit, quàm libertatem à miſſione in carceres, tamen ſi abſque culpâ ſuâ bonis cedere neceſſitetur, & per creditores in bonis fiat executio, poterit licitè retinere quod ſibi neceſſarium eſt, vt ipſe cum familia ſaltem tenuiter ſecundum ſtatum viuere poſſit, & ad eum finem quædam reponere aut abſcondere, vt tradunt Sylu. ſup. P. Nauarra lib. 4. c. 4. n. 6. & alij qui admittunt illum poſſe retinere vt non egeat: &

Colligitur ex dictis ſup. quia nemo tenetur ſe conijcere in extremam aut grauem neceſſitatem, vt creditori ſoluat, imò nec ſoluere tenetur cum totali iactura ſtatus ſui quem iuſtè poſſidet, niſi fortaſſis creditor in pari periculo amittendi ſtatus foret, iuxta antè dicta.

Dico Tertiò: Qui bonis ceſſerunt, ſi poſtmodum ad pinguiorem fortunam peruenerint; tenentur in conſcientiâ creditoribus integrè ſatisfacere, imò & via iuris poterunt creditores ab eis auferre, quicquid vltra neceſſaria ad mediocrem ſuſtentationem acquiſierint. Ita Doctores communiter. Ratio eſt manifeſta, quia leges quæ admittunt ceſſionem bonorum, nullo modo liberant, aut liberare intendunt, debitorem à ſuâ obligatione: neque ſubeſt æquitas cur id facerent: ſed tantum, vti diximus, impediunt quo minus ob debita incarcerari poſſit: quare debitum non extinguitur, ſed quaſi conſopitur, donec habeat vnde queat ſoluere: vt patet clarè ex l. Cum & filijfamilias Cod. Qui bonis cedere poſſunt, vbi dicitur: Apertiſſimi iuris eſt, ſi quid pinguius acceſſerit debitoribus, hoc iterum vſque ad modum debiti poſſe à creditoribus legitimo modo auelli; & l. Qui bonis D. De ceſſione bonorum, Is qui bonis ceſſit, inquit lex, ſi quid poſtea acquiſierit, in quantum facere poteſt, conuenitur. 16

Dixi, Quicquid vltra neceſſaria &c. quia eadem l. iam citatâ dicitur, eum qui bonis ceſſit, non eſſe fraudandum quotidianis alimentis, quę ſcilicet de pòſt ſibi conquirit.

Quæritur hic: Si debitor in ceſſione bonorum compulſus fuerit ſubire actus aliquos ignominioſos iuxta quorundam locorum conſuetudinem: an tunc etiam ad ſolutionem obligetur, ſi poſtmodum ad meliorem fortunam deuenerit?

Quidam exiſtimarunt debitorem tunc non obligari, vt refert Mald. tract. 4. c. 7. dub. 3. eo quod videatur ignominiam illam ſuſtinuiſſe loco ſolutionis faciendæ, atque ita hac mediante videatur ab obligatione debiti abſolui. Sed contrarium omnino verius eſt, vt docet Mald. ibidẽ cum Couar. lib. 2. Variarum cap. 1. n. 6. Leſſ. lib. 2. c. 8. dub. 3. & pleriſque alijs. 17

Ratio eſt, quia pœna illa non imponitur in commutationem obligationis quâ creditoribus ſuis tenetur, vt alij videntur apprehendere: ſed in punitionem culpæ quæ ſaltẽ præſumitur commiſſa, ſiue per mutuum, aut per alium contractum res alterius ſibi appropriando, dum ſciret ſe impotentem ad ſoluendum: ſiue in eo quod res alienas vel ſuas decoxerit aut neglexerit, quibus de cauſis contingit creditores iuſtis ſuis creditis fraudari.

Obſeruandum autem hîc eſt, aliqua eſſe hominum genera, qui beneficio ceſſionis bonorum 18

Digitized by Google

bonorum non indigent, eos ſcilicet qui priuilegio gaudent, vt in carcerē pro debito ciuili mitti non poſſint; quales inprimis ſunt Clerici, vt tradunt Panor. Ancharanus, & alij ad Cap. Odoardus, De ſolution. Si tamen Clericus in fraudem contrahentium ſimulaſſet ſe non eſſe Clericum, poſſet propter debitum ex tali contractu incarcerari, vt habet Molina Diſputat. 571. Idem dicendum de Clerico qui de fuga ſuſpectus eſt.

Nomine autem Clericorum vult Couar. ſup. n. 9. intelligi hîc tantùm Clericos qui ſunt in Sacris: ſed rectiùs dicuntur comprehendi omnes illi qui iuxta Trid. Seſſ. 26. c. 6. gaudent priuilegio fori, exceptis tamen coniugatis, quia hi quamuis gaudeant priuilegio fori & Canonis, ſi cum virgine matrimonium contraxerint, & habitu clericali incedentes cum tonſura alicui Eccleſiæ ex Epiſcopi deputatione deſeruiant, tamen non gaudent cæteris Clericorum priuilegijs, vt habetur Cap. vnico, De Clerico coniugato in 6. & proinde neque priuilegio de quo hîc agimus. Secundò mulieres honeſtæ, per l. Hodie nouo, Cod. De cuſtodia rerum. Tertiò, milites per l. Milites D. De re iudicata. Filius denique emancipatus, licet pater bonis cedat, de patrimonio quod ei iam quæſitum fuerit, non debet inquietari, vt habetur l. Si pater D. qui bonis cedere poſſunt.

DVBIVM IV.

An licitum ſit religionē ingredi illi qui debitis grauatur, & an à reſtitutione excuſetur ſi ingrediatur, ſiue id licitè ſiue illicitè faciat?

19 SVpponimus hîc tamquam certum & indubitatum apud omnes, eum qui religionem ingreditur ac profitetur, quamuis ære alieno ſit grauatus, fieri nihilominus verè religioſum (niſi fortaſſis regulæ aut ſtatuta alicuius Ordinis impediant) neque ad ſæcularem ſtatum poſſe redire.

Ratio eſt: quia licet pecuniarum aut rerum externarum debitor ſit, tamen perſona libera eſt & ſuus, vt validè religioni ſe dare poſſit: vt habet D. Th. quæſt. vlt. huius Partis art. 6. ad 3. ſecus autem dicendum eſt de ſeruo, qui ſuus non eſt, ſed alterius: & de coniuge quando fuerint duo in carne vna, conſummato ſcilicet matrimonio: quia non ipſe, ſed alter corporis eius habet poteſtatem, cuius tunc vſu inuitus priuari non poteſt. Hiſce præmiſſis

20 Dico Primò: Si habeat debitor aliquid in ſpecie alienum, non poterit licitè ingredi religionem, niſi eius reſtitutionem fecerit. Indicat D. Thom. loco cit. neque eſt vlla ratio, debitum illud non antea exſoluendi. Idem dicendum eſt de illo qui obnoxius eſt rationibus reddendis: neque enim poteſt hoc licitè prætermittere, inquit D. Tho. ibidem, vt religionem ingrediatur.

Dico Secundò: Similiter nec illi qui alijs debitis obſtrictus eſt, licebit ſtatim religionem ingredi, ſi ingreſſum ad breue tempus, v.g. (inquiunt DD. aliqui) ad paucos annos differendo & operas vel exercitia ſibi ſuoque ſtatui congrua ſubeundo poſſet creditoribus ſuis ſatisfacere. 21

Hanc concluſionem tenent inprimis omnes illi qui ſimpliciter docent, non poſſe licitè ingredi religionem eum qui debitis grauatur, ſed omni modo debere laborare, vt prius creditoribus ſatisfaciat, atque adeò ſi ingrediatur etiam in ipſa religione debere quacumque induſtriâ aut arte, ſi poſſit, conquirere vnde ſatisfaciat: vt Gerſon alphabeto 39. littera X. Maior in 4. diſtinct. 38. Medina quæſt. 3. cauſa 8. & Nauarrus Comment. 1. De regularibus n. 8. Deinde eandem docent Pet. Nauarra lib. 4. cap. 4. num. 93. Lopez 1. parte cap. 129. qui citat Franciſcum à Victoria, Azorius lib. 12. cap. 1. Malderus ſuprà dub. 4. & alij plures recentiores.

Ratio reddi poteſt: quia tunc creditores cenſentur merito & rationabiliter eſſe inuiti, ſi eis antea non ſatisfaciat, quando id breui tempore & abſque magno ſiue extraordinario labore præſtare poteſt. Neque poterit ſe liberare in foro conſcientiæ per auxilium ceſſionis bonorum, quod videtur contra Leſſium ſuprà dub. 8. n. 75. quia vti dub. præcedenti diximus, hoc non magis in conſcientia liberat, quàm impotentia vel neceſſitas, quæ hîc non videntur locum habere: quandoquidem pauco tempore & conſuetis operis poſſit creditoribus ſatisfacere, ſi ingreſſum tamdiu differat. Quod ſi tamen creditores importunè vrgerent, ſic vt in carcerem eſſet mittendus tunc facta ceſſione bonorum, poterit ſtatim religionem ingredi, quando nolunt inducias concedere pro tantillo tempore, quo poſſet fieri potens ad ſoluendũ, vt notat Mald. dub. 4. cit.

Dico Tertiò: Si opus eſſet longo tempore aut magnis & extraordinarijs laboribus ſtatui eius minimè congruis, non videtur debitor eo caſu obligatus ad religionis ingreſſum vel omittendum, aut tanto tempore differendum. 22

Colligitur ex D. Th. loco ſuprà citato, & tenent Doctores ſecundo loco citati, & alij ſatis communiter contra Gerſonem, & aliquos eius aſſeclas. Vide Pet. Nauarra lib. 4. cap. 4. n. 93. & López ſuprà.

Probatur, quia qui non habet actu bona, neque proximè: nec facilè ex conſuetis exercitijs habere poteſt, cenſetur impotens ad ſoluendum, & proinde à reſtitutionis obligatione excuſatus. Nec videtur hic obligandus ad ſubeundum longum & extraordinarium laborem, quando dedit omnia ſua creditoribus in ſatisfactionē, cedendo ipſis bona ſua, vt monet D. Th. quandoquidem nec iudices in foro externo ſoleant obligare aut imponere, vt debitor laborando conquirat quo ſoluat, quando vident illum omnia quæ habebat dediſſe: nec præuideant eum proximè aut facilè poſſe reliqua conquirere, vnde omnibus plenè ſatisfaciat. Ex quibus intelligi poteſt excuſationē illam in huiuſmodi à reſtitutione aut ſolutione plenâ faciendâ prouenire, non tam ex priuilegio religionis, quàm ex natura rei propter impotentiam: licet ſine dubio ingreſſus religionis, hac in re mereatur quoq; aliquid particularis fauoris, vt propter illum creditores meritò debeant nonnihil eſſe faciliores, præſertim ſi abſque grauiori aliquo damno ſpirituali tamdiu ingreſſus non poſſit differri.

23 DICO Quartò: Debitor in tali caſu ſic licitè ingrediens religionem, non tenetur in religione exiſtens labore, aut ſua induſtria conquirere media quibus creditoribus reſtituat, aut ſatisfaciat: quinimo etiamſi in religione quædam lucra faceret, non tamen vel ipſe, vel monaſterium teneretur inde creditoribus ſoluere: ſecùs ſi monaſterium aliqua illius religioſi bona ad ſe ſumpſiſſet. Eſt communior ſententia DD. contra Nauarrum Comment. 2. De regularibus: nu. 42. vt habet Malderus tractatu 4. cap. 7. dub. 4. Et

Probari poteſt ex dictis: ſi enim debitor ære alieno quo grauatur non obſtante, licitè religionem tali caſu ingrediatur, cum ea ſit religioſi conditio, vt nihil proprij habeat, nec quicquam ſibi conquirat, ſed omnia acquirat monaſterio; euidens efficitur, nec illū vtpotè qui manet impotens, ad ſolutionem obligari, neque etiam monaſterium, vtpotè quod creditoribus illis nihil debet. Quando tamen is qui propter debita ad tempus, ingreſſum differre tenebatur iuxta prius dicta, intempeſtiuè ad religionem fuerit admiſſus, probabile eſt ſuperiores ſiue monaſterium tunc tamquam cooperatores inductæ impotentiæ teneri creditoribus de eo ſatisfacere, niſi per ignorantiam fortaſſis excuſentur.

Obſeruari autem hic poterit Sixtum V. Pontificem aliquando ſuis conſtitutionibus ſcilicet vna de anno 1587. & altera de anno 1588. inhabilitaſſe perpetuò ad religionem eos qui ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum eſſent grauati: ſed Clementem VIII. quoad nullitatem profeſſionis, iſtas ſui prædeceſſoris conſtitutiones iterum ad terminos iuris communis reduxiſſe.

DVBIVM V.

An compenſatio excuſet à reſtitutione?

RESpondetur Affirmatiuè: qui enim compenſat, ſoluere dicitur, vt habetur l. Si debitor, D. qui potiores in pignore. 24
Multa tamen ſunt, in quibus leges prohibent facere compenſationem, vt in depoſito per Cap. Bona fides, De Depoſito, vt tradit Med. Cod. De Reſt. quæſt. 3. cauſa 12. quia eſt præuilegiatum per Cap. cit. In Commodato per l. vlt. Cod. De commodato: quod tamen negat Medina loco cit. & quidā alij, & conantur aliter interpretari leges, ſed non ſatis appoſitè aut ſolidè. In pecunia data in frumentum Repub. emendum, per l. Negotium D. De compenſationibus: & in quibuſdam alijs caſibus: de quibus vide Mald. ſup. Dubitatione 5. Quādo tamen creditum non minus eſt liquidum & certum, quàm debitum, & adſunt hæ conditiones, quod ſcilicet nullum ſit periculum iſtorum malorum ob quorum præſumptionem leges aliter ſtatuerunt; abſit quoque ſcandalum & periculum alterius cuiuſcumque incommodi, tuta erit compenſatio in foro conſcientiæ etiam in illis in quibus leges prohibent propter certas præſumptiones, ſi aliter creditū tuū obtinere aut recuperare nō poſſis. Vide plura huc pertinentia dicta ſup. c. 1. huius Tractat. tertij, dub. 1.

DVBIVM VI.

An ob excommunicationem creditoris liceat differre ſolutionem?

DVæ ſunt hac de re ſententiæ: vna eorum qui docent ſolutionem aut reſtitutionem poſſe differri, quando creditor ſaltem nominatim eſt excommunicatus, donec ipſe Eccleſiæ reconcilietur. Ita Adrianus in 4. q. 3. de Reſtitutione. Felinus in capitulum inter alia, de ſententia excommunicationis: Panorm. ibidem, & in Capitulum Intelleximus. De iudicijs: ibidem quoque Decius: Gloſſa in Capitulum Abſolutos de hæreticis, & alij nonnulli. 25

Probari autem poteſt Primò ex Capitulo Nos ſanctorum: cauſa 15. q. 6. vbi Gregorius VII. ita loquitur: eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolicâ authoritate à iuramento abſoluimus, & ne ſuam fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus, quouſque ipſi ad

ſatiſ-

Digitized by Google

ſatisfactionem veniant. Similia quoque habentur Can. ſequenti, Iuratos milites. Secundò ex Capit. Quod in dubijs, ibidem: vbi dicitur, quod nullus ſcienter nominatim excommunicato communicare teneatur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorij Papæ Cap. Quoniam multos, ſpecialiter excuſantur: atqui illo Cap. Gregorij non excuſantur debitores, vt poſſint aut debeant communicare cum creditoribus excommunicatis, quibus ſunt obligati; ergò non tenentur ijs communicare, vt eis ſatisfaciant. Vnde Adrianus, & Gloſſa inde colligunt eos non teneri, etſi iuramento promiſiſſent ſoluere: eò quod iuramentum tacitam habeat conditionem, ſi creditor permanſerit talis, cum quo liceat communicare. Huc Tertiò accedit, quod Capit. Decernimus, De ſententia excommunicationis in 6. & Cap. Quia, De exceptionibus ibidem, repellantur excommunicati ab omni actione in iudicio; ergò &c.

26 Altera ſententia eſt plurium aliorum, qui docent ſolutionem aut reſtitutionem ideo differri non poſſe, quia creditor etiam nominatim ſit excommunicatus. Ita docet Syluester V. Excommunicatio 5. q. 12. Ioannes Medina Cod. De reſtit. quæſt. 3. cauſa 9. Couar. ad Regulam Peccatum 1. p. num. 8. Suares De cenſuris Diſp. 15. ſect. 8. Malderus ſuprà dub. 6. & alij.

Probari poteſt hęc ſententia: quia excommunicato ante excommunicationis ſententiam in debito obligatus, manet eidem in excommunicatione exiſtenti obligatus, niſi iure aliquo ab obligatione liberetur ſiue abſoluatur: quod D. Th. in 4. tamquam principiū ſupponit, vt notat Syluest. ſuprà: atqui debitor nullo iure, nec diuino, nec humano videtur abſolutus aut liberatus ab obligatione ſatisfaciendi creditori excommunicato, poſt terminum lapſum; ergò &c.

27 Subſumptum probatur pro priori parte; quod ſcilicet non liberetur iure diuino: nam etiā ethnicis & Publicanis iuſta debita ſunt ſoluenda, vt ſatis poteſt colligi ex doctrina Apoſtoli ad Rom. cap. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* &c. quod etiam ethnicis Principibus vult perſolui: niſi tamen fortaſſis aliquando generalis lex charitatis aliud poſtularet, vt ſi ſpes foret per ſolutionis dilationem poſſe ipſum excommunicatum ad ſaniorem mentem induci, vel quaſi adigi, vt ſic Eccleſiæ recōcilietur: quod ſubinde obuenire poteſt, præſertim quando debitor maioris eſt authoritatis, qui ſoluere recuſaret propter creditoris contumaciā contra Eccleſiam. Non etiam iure humano: quod optimè declarabitur per reſponſionem ad Canones pro priori ſententiā allegatos.

Quare, quod attinet ad Cap. Nos ſanctorum, & Cap. Iuratos, Reſpondetur, Pontifices ibi dumtaxat abſoluere aut abſolutos declarare ſubditos & milites à fidelitate & iuramento, quibus reſpectiuè obſtricti ſunt ſuis dominis, aut Imperatori excommunicationis ſententiā innodatis, quouſque hi ad ſatisfactionem veniant: non autem liberare, aut liberatos declarare debitores à ſolutione iuſti debiti præſtandâ creditori excommunicato: ad quos proinde dicti Canones non videntur extendendi, cùm leges pœnales ſtrictè ſint interpretandæ.

Ad Cap. autem, Quod in dubijs, De ſententia excommunicationis: Reſpondetur, ibi præſumptuoſam communicationem cum excommunicatis prohiberi perſonis nō exceptis in Capit. Quoniam multos cauſa 11. q. 3. Iam verò in primis dici poteſt hanc ſolutionem præſtare non eſſe præſumptuoſam communicationem: quia eſt exſolutio debiti. Deinde exigua eſt & breuis, vt vix mereatur nomen communicationis cum altero, vt notat Couar. loco cit. n. 10. Neque enim propterea quis dicetur habere communionem cum altero, ſi dixerit, Accipe quod tuum eſt & vade. Vnde huiuſmodi præſtatio ſolutionis non videtur cenſenda illic prohiberi ſub nomine communicationis: nam eodē Cap. dicit Pontifex; quòd excommunicatis in ſuſtentationem non ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid detur, ſe non prohibere; ergo minus quod ex cauſa iuſtitiæ. Præterea ibidem excipiuntur ruſtici, ſiue coloni vt interpretes exponunt, quibus conceditur communicare cum excommunicato: qui non videntur alio titulo excipi, quàm quia ſunt ei obligati & debitores: atque ita debitores adnumerari poſſunt, vti apparet, perſonis dicto Cap. exceptis. 28

Ad Tertium Reſpondetur: Quamuis excommunicati repellantur ab actione in iudicio, neque quis cogatur eis ibi reſpondere, non tamen inde conſequens eſſe, quòd alij priuatim poſt terminum lapſum non teneantur ſoluere: quia iudicialiter agere contra alium importat quandam veluti poteſtatem in illum, & magnam ac publicam requirit cum alijs communicationem: quæ pertinaciam excommunicati augere aut fouere, & apud alios ſcandala parere, nata eſſent: & propterea meritò prohibetur expreſſo iure: ſed iſta non ſic locum habent in ſolutione priuatim præſtandā eius, quod ſecundum iuſtitiæ rationem debetur: vnde apparet ratio negatæ Conſequentiæ. Vtraque autem ſententia probabilis eſt, poſterior quidem eſt plurium; non tamen inutile fuerit, imò charitati conſentaneum, practicare priorem, quando creditor excommunicatus non eſt in aliqua neceſſitate aut grauamine: & aliqualis ſubſit ſpes, quod ſic facilius à ſua contumacia poterit auocari. 29

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS

De iniurijs in nomine & fama, ac de neceſsitate reſtitutionis. Item de iniurijs in bonis ſpiritualibus.

CAPVT PRIMVM.

De Detractione & Contumelia.

DVBIVM PRIMVM.

Quidnam ſit fama & quid honor?

QVANDOQVIDEM detractio, & contumelia circa famam & honorem tamquam obiectum ſiue materiam ſuam verſantur, hinc vt illa intelligantur, primo loco videndum eſt, quidnam hæc ſint.

1 Fama in genere deſcribi poteſt, quod multorum ſit exiſtimatio cōmuni & publico ſermone expreſſa de vita & moribus alicuius: Quare duplex eſt, ſcilicet alia bona, alia mala: hic autem principaliter nobis eſt ſermo de bona fama: quæ vt legalis, deſcribitur l. Cognitionum, D. De extraordinarijs cognitionibus, eſſe illæſæ dignitatis ſtatus legibus & moribus comprobatus. Cōformiter autem ad deſcriptionem famæ in genere prius datam poterit ſic definiri, quòd ſit multorum exiſtimatio bona communi & publico ſermone divulgata de moribus & vita alicuius: ſicut è contra mala fama dicetur multorum exiſtimatio mala &c:

Dico cōmuni & publico ſermone divulgata ſiue expreſſa, quia ob exiſtimationem intùs tantùm latentem, niſi cōmmuniter innotuerit non dicetur quis bonæ aut malæ famæ eſſe. Non eſt tamen fama propriè externus tantū ſermo communis; quia hic ſi ſit abſq; exiſtimatione conformiter correſpondente, potius videbitur fabula, quàm fama dicenda: nec dicitur etiam quis ideo bonæ eſſe famæ, ſi communiter homines de eo benè loquantur: & cognoſcatur interim quòd aliter intùs ſentiant.

Cæterùm bona fama, de qua agimus, principaliter conſiſtit in opinione virtutis & ſapientiæ, & functionum ſeu actionum ab his procedentium: hæc enim propria hominis bona ſunt quæ laudem mereantur. Secundariò autem conſiſtit quoque in opinione quarundam aliarum perfectionum, aut quaſi perfectionum, vt ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, pulchritudinis, diuitiarum, & ſimilium: quæ apud homines quoq; in æſtimatione habentur, & ex quibus etiā famæ gloriam quærunt. Quod tunc rectè fieri poterit, quando conſiderantur ſecundum habitudinem aliquam ad ſapientiam aut virtutem.

Honor verò importat teſtificationem quandam de excellentia alicuius, vt docet D. Th. q. 103. ar. 1. in Corpore. Vnde deſcribi poteſt, eſſe teſtificatio noſtræ opinionis de alterius excellentiâ cum quadam noſtri erga eum ſubmiſſione. Hinc igitur proximè quidem eſt teſtimoniū exiſtimationis quam de altero habemus, remotè autem teſtimonium ipſius excellentiæ quam in altero recognoſcimus. Teſtificatio autem hæc fit aut verbis, vt dum quis alterū honorificè compellat, vt vocando illuſtriſſimū, reuerendiſſimum, potentiſſimum &c. aut alijs externis ſignis, vt genu flexione, capitis inclinatione, loci ceſſione, & ſimilibus: qui namque honorari deſiderant, eiuſmodi ſibi ſuæ excellentiæ ſigna exhiberi cupiunt. 2

Conſiſtit verò excellentia, quā iuſtus honor reſpicit, potiſſimum quoque in ſapientia & virtute ſeu ſanctitate: vnde D. Th. q. 63. art. 3. dicit honorem eſſe teſtimoniū quoddam de virtute eius qui honoratur. Deinde conſiſtit etiam in alijs perfectionibus ac præeminentijs, vt eſt poteſtas in dignitatibus Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus: hæc enim honoranda eſt, quia quædam eſt communicatio diuinæ excellentiæ ſeu poteſtatis. Item talis quoque eſt ratio principij quę eſt in parente, quia etiam eſt quædam participatio diuinæ perfectionis: vnde D. Th. loco cit. dicit, quod aliquis poteſt honorari non tantum propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius: & ſic dicit Prælatos & Principes, quamuis propriam virtutem non habeant, honorari tamen propter virtutem eius cuius perſonam gerunt. 3

Addit

Digitized by Google

Addit ibidem etiam ſenes honorandos propter ſignum virtutis quod eſt ſenectus, licet, inquit, hoc aliquando deficiat: neque ſit per ſe fundamentum honorabilitatis. Vnde Sapientiæ cap. 4. dicitur: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

Ex dictis intelligitur quæ ſit differentia inter famam bonam, & inter honorẽ: quod ſcilicet fama multorum requirat exiſtimationem diuulgatam de virtute alterius: honor autem poſſit vel ab vnius opinione procedere: deinde quòd fama non requirat ordinationem aliquam ad illum de quo exiſtimatio habetur, vt illi innoteſcat ſiue intimetur talis exiſtimatio: honor autem ſit quædam teſtificatio noſtræ opinionis intimata illi, quem honorare intendimus.

DVBIVM II.

Quid ſit detractio, & quid contumelia?

4 RESpondetur, detractio communiter definiri ſolet, quod ſit alienæ famæ occulta & iniuſta denigratio ſeu violatio. Sumitur ex D. Th. quæſt. 73. art. 1. Syluest. V. Detractio: Adrian. Quodlib. 11. in 1. Supp. & alijs. Vnde intelliguntur duo ad detractionis rationem requiri. Primò, vt aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, quod alterius famam & exiſtimationem, quam in animo aliorum poſſidet, minuere aut extinguere valeat. Secundò, vt id fiat occultè ſaltem ex intentione dicentis. Si quis enim in præſentia alterius famæ eius detrahere intendat, iam non erit ſimplex detractio, ſed contumelia. Hęc autẽ deſcribitur eſſe alieni honoris aperta ablatio, & quaſi in faciẽ conculcatio ſeu violatio. Vide D. Th. q. 72. a. 1.

Vnde dupliciter differt detractio à contumelia. Primò, quod iſta directè lædat famam: contumelia autem honorem. Secundò, quod detractio occultè fiat quantum eſt ex intentione detrahentis, ſicuti furtum quantum eſt ex intentione furantis: iuxta illud Eccleſiaſtæ cap. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil eò minus habet qui occultè detrahit*: contumelia autem fiat palàm ſeu in faciẽ illi cui irrogatur: quemadmodum enim honor non exhibetur niſi præſenti, aut certè abſenti quaſi præſenti (deſiderat enim omnis qui honorat vt honorato innoteſcat, & opinio quam de eius excellentiâ habet, & teſtificatio quam de illa edit) ita contumelia non fit quoque niſi præſenti, aut abſenti tamquam præſenti.

5 Hinc contumelia cæteris paribus eſt detractione deterior & grauior: quia eſt magis contra alterius voluntatem: quemadmodum ſuprà diximus rapinam cæteris paribus grauiorem eſſe furto: qui enim contumelias irrogat, is quaſi illatâ vi honorem tollit ſcienti & actu renitenti, ſicut raptor tollit pecunias: qui autem detrahit, is occultè & altero neſciente aufert famam. Vnde & ex ea parte detractio minoris culpæ eſt, quàm ſit contumelia, quòd habeat adiunctam quandam adhuc quaſi reuerentiam erga eum cui nocetur: contumelia autem adfert apertum contemptum, vt obſeruat D. Th. quæſt. 73. art. 1.

Vbi in Reſponſione ad tertium etiam recenſet ſeptem modos quibus detractio committitur: quatuor quidem quibus directè, & tres quibus indirectè. Primò, directè cõmittitur imponendo alteri crimẽ falſum. Secundò, augendo crimen verum. Tertiò, pandendo crimen occultum. Quartò, ſiniſtrè interpretando bonum alterius factum, quaſi malâ intentione, aut malo fine geſtum ſit: qui modi quatuor continentur hoc Verſiculo: 6

Imponens, Augens, Manifeſtans, In mala vertens.

Indirectè autem: Primò, committitur negando rectè facta, vel virtutes ac dotes alterius. Secundò, ea extenuando. Tertiò, tacendo benefacta alterius eo loco & tempore, quibus alij ſilentium noſtrum interpretantur tacitam vituperationem vel eorundum negationem. His additur communiter quartus etiam modus quo indirectè detrahit qui frigidè laudat, vt quando quis ſimulat ſe laudare velle aliquem, & tamen nihil laude dignum adfert: nam vt quidam ait, peius eſt frigidè laudare, quàm apertè reprehendere. Qui continentur hoc Carmine:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſe.

Vide Dom. Soto lib. 5. de Inſtit. quæſt. 15. art. 1. ad 3. Salonium 2. 2. q. 73. a. 2. Bonac. De Reſtit. in partic. Diſp. 2. q. 4. puncto 1.

Cum detractione conuenit Suſurratio in materia & forma: ſed fine differt: quia ſuſurratio non tam ad famæ denigrationem, quàm ad amicitiæ in alijs diſſolutionem aut diminutionem tendit: vnde Eccleſiaſt. cap. 28. dicitur, *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes*: & conſequenter ibidem referuntur plurima mala, quæ à ſuſurronibus cauſantur.

DVBIVM III.

Quale peccatum ſit detractio?

RESPONDEO & DICO Primò: formalis detractio: puta quâ quis directâ intentione famam alterius lædit ex ge- 7

 nere

nere ſuo eſt peccatum mortiferū. Probatur primò,ex Script.ad Rom.c.1.inter eos qui Deo odibiles & morte digni ſunt, recenſentur ſuſurrones & detractores, Pſalmo 100. dicit Propheta : *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar*: & Pſalmo. 51. contra illos dicitur : *Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa: propterea Deus deſtruet te in finem*: quibus verbis manifeſtè indicatur verba præcipitationis quæ lingua doloſa euomit, mortē, & deſtructionem ſiue perditionem mereri. Probatur ſecundo ratione, quia contrariatur virtuti iuſtitiæ : & quidem in materia grauiori quàm furtū, vnde & eſt peccatum furto grauius, leuius tamē homicidio: vt habet D. Th. loco ſup. citato, artic. 2. quia fama bonum quidem minus eſt quam vita, ſed longè maius quàm pecunia: atque adeò inter externa bona præſtantiſſimum, vt docet D. Thom. infrà qu. 103. & conſtat ex Script. Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ*: & Eccle, c.41. *Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi quā mille theſauri pretioſi & magni.*

8 Petes: vtrū Detractio ſit peccatū grauius adulterio. Reſp.negatiuè: Ita Tann. tom.3. diſp.4.q.8.dub.7.& alij cōmuniter,quia adulterium triplicē malitiam continet, ſcil. contra bonum prolis, contra ſanctitatē matrimonij, & contra ius coniugis: quēadmodum tamen poteſt contingere furtum quoddam ratione materiæ aut circumſtantiarum eſſe grauius detractione aliquâ, ita etiam fieri poteſt quandam detractionem fore grauiorem adulterio, vt quâ læderetur Prælatus in famâ quæ illi eſt neceſſaria, vt cum ſpirituali fructu poſſit regimen ſuum cōtinuare, quod cum magno fructu geſſit & gerit. Cæterùm inter detractiones omnes, maximè deteſtabilis eſt quæ fit per libellos famoſos: tum quia ad plurimos ſtatim ſolet peruolare, tum quia difficillimè poteſt aboleri, cum author nequeat deprehendi qui ad retractationem poſſit cogi. Vnde morte punitur ſecundum leges, & qui libellum famoſum ſparſerit, & qui inuentum vulgauerit, l. Vnica Cod. de famoſis libellis.

Dixi in concluſione: Ex genere ſuo: quia ratione paruitatis materiæ in quâ quis famam alterius vult minuere, poteſt eſſe peccatum veniale,vt ſi de induſtria quis paruam aliquam imperfectionē alterius referat alijs.

9 Dico Secundo: Etiam detractio,quam vocant aliqui materialem, vt quando ex loquacitate quâdam quis refert peccata aut vitia alterius,ex genere ſuo eſt peccatum mortale.Ita Leſſ. lib. 2. cap.11. Dubit. 3. & alij quando dicunt ſimpliciter detractionem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale. Probatur quia eiuſdē eſt rationis cum altera quam vocant formalem, tametſi enim in hac non expreſſe intendat quis lædere famā alterius, tamen de facto lædit,& cenſetur implicitè intendere, quando id vult vnde per ſe læſio ſequitur: In moralibus autē voluntas expreſſa, & voluntas implicita ſiue interpretatiua nō diſtinguunt ſpecies peccatorum quando verſantur in eâdem materiâ. Poterit tamen hic contingere non tantum ex paruitate materiæ,ſicuti in præcedenti modo detrahendi, ſed aliquando etiā ex parte indeliberationis aut inaduertētiæ quod huiuſmodi detractio tantum ſit venialis: nam in omni genere peccatorum poteſt indeliberatio à mortali aliquando excuſare : quod etiā in externo furto poſſe contingere diximus ſuprà, motus enim ſecundò primi propter imperfectam aduertentiam & libertatem non ſunt mortales, & proinde nec actus qui ab illis vt talibus prodeunt.

Addunt aliqui detractionem quoque ex 10
parte finis aliquando venialem eſſe, vt quando ioci causâ aliquid profertur, quod natū ſit diminuere famam proximi. Sed nullatenus exiſtimandum eſt, quod ſola intentio finis boni, aut indifferentis poſſit detractionem alioquin ex ſe & cæteris circumſtantijs mortalem, reducere ad peccatum veniale tantum: quia melioris finis intentio non abſtergit malitiam mortalem quam actus alioquin ex ſua ratione, & circumſtantijs habet. Quando tamen modus dicendi ſic auditores informaret, vt apprehenderēt ea quæ dicuntur, ita ioci gratiâ dici vt non exiſtiment veritatem ſubeſſe, nec putent iocantem velle reuera impingere ei, de quo eſt ſermo, talem defectum aut vitiū quod narratur, tunc benè admiſerim venialiter tantum peccari, non propter finem,ad quē refertur, ſed quia nihil aut parū læditur proximus: alioquin quamuis ioci causâ quis narraret notabiles defectus alterius, ita tamen vt auditores apprehenderent & cogitarent, ridentem dicere verum, quid vetat? tunc ſanè licet finis dicendi iocus ſit, non tamen à mortali excuſabitur. Porrò ad materiæ paruitatem cenſentur,
pertinere inprimis veniales defectus proxi- 11
morum, vt docet D. Antoninus parte 2. tit. 8. cap. 4. & Syluester V. Detractio num. 2. Azor. 3. p. lib. 13. c. 7. Dub. 4. Arrag. 2. 2. q. 73. art. 2. circa finem. Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. n. 320. & alij. Huiuſmodi proinde defectus alijs referre non erit mortale: quia cum nemo à ſimilibus ſoleat eſſe liber, iuxta illud D. Iacobi *In multis offendimus omnes*, non læditur notabiliter is de quo tales defectus narrantur: niſi tamen eſſent valdè multi & extraordinarij, ſeu multùm incongrui tali perſonę de qua referuntur: vt ſi quis de viro graui diceret eum frequenter mentiri, quamuis in materijs minoribus, hoc enim quod haberetur ille mendax, grauiter famā eius læderet. Ita P.Nauar.ſup.n.314.Arrag. ſup. & Salon. 2.2. q.62. art. 2. & alij: ſecus ſi tan-

Digitized by Google

ſi tantum diceretur quod tali vel tali occaſione aliquando fuiſſet mentitus in re paruâ.

Secundo ad materiæ paruitatem referuntur defectus naturales, ſiue ſint corporis, ſiue animi, ita vt eorum manifeſtatio ordinariè non ſit peccatum mortale, vt quòd quis ſit ignarus, quod ſit parui iudicij, parui ingenij, aut quod quis ſit claudus, gibboſus, deformis &c. Ita Nauarra ſup. n. 107. Bonac. ſuprà puncto 2. prop. 3. cum alijs quos citat.

Ratio eſt; quia ob iſta & ſimilia quæ natura negauit, aut non dedit, non cenſetur quis infamis: ſi tamen inde præuideretur ſequuturum aliquod notabile damnum proximi, tunc ſine mortali non licebit ea referre, non tam quod ſit detractio propriè loquendo, cum propriè famã non lędat, quàm quia cauſatur aliud præiudicium proximi.

12 Circa defectus verò natalium variant Doctorum opiniones, an ſint materia grauis, ita vt eorum manifeſtatio ſit peccatum mortale, an non? v. g. de aliquo dicere in abſentia, quod natus ſit ex adulterio, ex inceſtu ſacrilego, vt quod filius Sacerdotis, quod ſit natus ex parentibus Iudæis, hæreticis &c. Negatiuam partem tenent Reginald. lib. 24. n. 79. Pet. Nauarra lib. 2. c. 4. n. 307. pro aliqua parte, nam num. 297. & 298. dicit ſe exiſtimare quod peccent mortaliter, & contra iuſtitiam & charitatem qui conuerſorum ex Iudaiſmo (quos vocant Confeſſos, vel Tornadizos inquit) originem detegerent longo iam tempore oblitam, Leſſ. lib. 2. c. 11. dub. 3. Affirmatiuam autem partem tuentur Molina tom. 4. dub. 16. n. 5. Azor. 3. p. lib. 13. c. 7. dub. 2. Barthol. Medin. De Inſtruct. q. 14. §. 35. & cum illis Bonac. ſup. prop. 3. n. 11. quia inquit huiuſmodi relatio & aſſertio iniuſtè lędit famã proximi: & infamatus fortè magis ægrè fert hoc de ſe affirmari, quã ſi affirmaretur eſſe cõcubinarius. Veruntamen licet opiniones iſtæ appareant contradictoriæ, nihilominus ſi negotium penitius examinetur, & introſpiciatur, inueniemus quod omnino tales non ſint, ſed vtraque pars diuerſa conſideratione habeat veritatem: nam prior ſcilicet negatiua, vera eſt per ſe loquendo, & conſiderando res ſecundum ſuas proprias rationes: quia perſona in ſe non eſt vituperio digna propter eiuſmodi defectus natalium ſiue parentum, atque ita non infamatur in ſe, quando referuntur tales defectus, dum ipſe eſt vir probus & defectuoſos parentes non imitatur: Vnde ſi nihil aliud accedat, non erit peccatum mortale, detegere eiuſmodi aliquos defectus. Poſterior autem opinio poterit eſſe vera ex accidẽte ſiue per accidens: puta, quia vitia talia quibus laborarunt parentes, habeantur certis in locis ita deteſtabilia & probroſa, vt communi hominum æſtimatione, etiam probra deriuentur in filios, ſic vt hi propterea quodammodo habeantur infames, & apud omnes contemptibiles: vnde in eiuſmodi locis manifeſtare tales defectus obliteratos & occultos, non videtur à mortali culpa excuſandum. Prout autem pro diuerſitate Regionum, eiuſmodi defectus diuerſimodè habentur aut æſtimantur probroſi, & nonnulli in vna Regione, qui non in alia, & è contra, ſecundum hoc de grauitate manifeſtationis ipſorum erit iudicandum.

Cæterùm ſemper & vbiq; ab iſtorum manifeſtatione abſtinendum erit ſub periculo peccati mortalis, quando exinde cauſaretur iniuſtè alteri notabile damnum: Similiter & ab iſtorum exprobratione, per modum contumeliæ in faciem obijciendo, ſicuti diximus de defectibus naturæ.

Tertiò ad materiæ paruitatem referuntur etiam quædam peccata mortalia reſpectu quarundam perſonarum, quæ ſcilicet talia ſunt, vt eiuſmodi perſonæ non ſoleant de talibus erubeſcere: ſed magis in illis gloriari: vt ſi quis dicat virum nobilem commiſiſſe duellum, adoleſcentem mundanum decepiſſe aliquam puellam, aut fuiſſe ebrium, vel eſſe prodigum, & ſimilia: quamuis enim ſint per ſe materia grauis infamiæ, tamen ex accidente non cenſentur grauiter lædere famam talium hominum: ſicuti è contra diximus de defectibus natalium. 13

Quartò denique ad materiæ paruitatem dicũt DD. etiam pertinere peccata ſub quibuſdam generalibus nominibus relata, vt ſi quis dicat aliquem eſſe ſuperbum, aut eſſe auarum &c. non determinando aut exprimendo actus commiſſos, vt tradit Syluester ſup. cum Diuo Antonino, quos citat & ſequitur Pet. Nauarra ſup. nu. 319.

Ratio eſt, quia hæc nomina ordinariè non ita accipiuntur vt importent peccatum mortale eſſe commiſſum in talibus materijs: ſed vel quandam inclinationem tantùm, vel veniales defectus: vnde in alijs nominibus quibus id non conuenit, locum non habet quod hic dicitur. Quare non ſine mortali diceretur de aliquo, qui habetur probus, quod ſit fornicarius, aut mendax, vel quid ſimile, quando nomen ingenerat auditoribus apprehenſionem, quod vitijs illis mortalibus obnoxius ſit is de quo talia dicuntur. In his autem omnibus & ſimilibus ſuum habent momentum modus & occaſio dicendi, ac perſonæ de quibus dicuntur: quia ex iſtis ſæpius pendet, quale iudiciũ auditor ſibi ex talibus dictis formare ſolet, vnde hęc attendenda ſunt, vt de quantitate illius peccati iudicetur. Ceterùm ſatis benè videtur dixiſſe Tann. loco cit. n. 137. quod hîc materia grauis ſit omnis & ſolus defectus grauiter probroſus reſpectu perſonæ læſæ.

Digitized by Google

DVBIVM IV.

An ſit peccatum mortale reuelare vni alicui viro bono & prudenti peccatum alterius?

14 DVò ſunt circa hanc quæſtionem ſatis certa in quibus Doctores conueniunt: Vnum eſt, quod non peccet mortaliter, imò nec venialiter is qui ſeruato ordine correptionis fraternæ patefacit vni aut alteri teſti prudenti, vel ſuperiori crimen fratris vt ipſe emendetur. Patet, quia is opus charitatis à Chriſto Domino præſcriptum exercet. Vnde neque hic reperitur detractio, quia non eſt iniuſta famæ ablatio, aut diminutio: pro bonis namque ſuperioris ordinis licitè exponuntur bona ordinis inferioris. Quare dum eſt medium neceſſarium, vt ſaluti fratris conſulam, quod delictum eius faciam teſtibus conſtare, vel quod ſuperiori aperiã, non illi ſum iniurius id faciendo, quin potius erga illum exerceam opus Chriſtianæ charitatis, quia vtor medio ordinato vt maius bonum illi cauſem, quod merito ſecundum omnem rationem pluris eſt faciendum, quàm illud quod aufertur.

Alterum verò eſt, quod è contrà, mortaliter peccet is qui crimen affingit proximo tametſi apud vnum dumtaxat referat: ſicuti & quod is qui verum quidem crimen vni aperit formali intentione detrahendi, aut præuidendo eiuſmodi manifeſtationem criminis etiam vni huic factam nocituram proximo in alio genere, vel periculum ſubeſſe ne ab hoc vno ad plures diuulgetur, quamuis hic non intendat formaliter detrahere vel nocere, aut ſic ad plurium notitiam, crimen deducere.

15 Controuerſia inter DD. itaque eſt de illo qui verum & graue crimen proximi ex leuitate vel loquacitate, aut ſaltem ſine neceſſitate vel iuſta cauſa manifeſtat alicui quem nouit virum diſcretum & bonum, ita vt metuendum non ſit, quod vel ab illo diuulgabitur, vel quod ipſe ea de cauſa quouis modo alteri ſit nociturus vel obfuturus, vtrum talis mortaliter in eo delinquat?

Negant Caiet. hic ad art. 2. quæſt. 73. Corduba tract. De detractione cap. 2. Nauarrus cap. 18. n. 33. & Pet. Nauarra lib. 2. De reſtitutione cap. 4. num. 333. 334. 335. Fundamentum horum eſt, quoniam detectio criminis apud vnum grauem & diſcretum virum omnino videtur leuis infamatio, vt habet Pet. Nauarra: perinde enim videtur eſſe dum tali conſtat de crimine, ac ſi nulli conſtaret. Quare amiſſionem bonæ exiſtimationis apud vnum aliquem talem à quo nullum incommodum metuitur, volunt non eſſe notabilem famæ læſionem.

Confirmari poteſt Primò, quia non cenſetur eſſe grauis infamatio pœnitentis, quod peccatum ſuum Sacerdoti in confeſſione aperiat: alioquin enim nõ teneretur ad confeſſionem vllius peccati ſaltẽ mortalis, quia confeſſionis præceptum non obligat quando ſine infamia, eiuſve periculo quis confiteri non poteſt: ſignum igitur eſt, quod manifeſtatio criminis apud vnum aliquem virum diſcretum ex quo non timetur aliud malum, non debeat cenſeri grauis læſio famæ.

Secundò, quia alioquin non liceret quoque explicare in confeſſione circumſtantiam complicis, qui in crimine fuit ſocius, quamuis ex illa circumſtantia penderet noua peccati ſpecies: quod tamen non tantum licitè, ſed neceſſariò fieri debere tenet communior DD. opinio.

Tertiò, quia alioquin vir & vxor mortaliter peccarent quando ſibi mutuò referunt peccata ſuarum prolium, aut famulorum, vel ancillarum: quod videtur inconueniens.

Denique ſicuti non eſt fama vno opinante & dicente bona, ita nec videtur naſci infamia ſi vnus opinetur & ſentiat aliter cui crimen detegitur; ergo non videtur ibi ſubeſſe infamatio ſaltem grauis quæ queat eſſe detractio mortalis.

His tamen non obſtantibus pleriq; alij ſu- 16
ſtinent partem affirmatiuam quæ videtur verior & ſolidior, ſcil. eum mortaliter peccare, qui vel apud vnum diſcretum & bonũ virum proximo nomen & exiſtimationem bonam ſuffuratur, niſi forſitan inaduertentia dicentis vel aliqua iuſta dicendi ratio excuſet. Ita docet Dom. Soto lib. 4. De iure & iuſt. q. 6. art. 3. ad 4. & lib. 5. q. 10. art. 2. concluſ. 4. Banneſius hic ad art. 2. quæſt. 73. Panneſius hic ad quæſt. 73. art. 2. Salonius ibidem qui dicit eſſe communem recentiorum Thomiſtarum opinionẽ: Molina De iuſtitia, Tract. 4. diſp. 29. Valentia diſp. 5. q. 17. puncto 2. Tann. tom. 3. diſp. 4. quæſt. 8. dub. 7. Bonacina ſuprà puncto 3. propoſitione 2. dicit hanc ſententiam eſſe communiorem & probabiliorem, Malderus ſuprà dub. 4.

Probatur Primò, quia bona opinio & exiſtimatio quam quis poſſidet in animo viri probi & prudentis eſt ſimpliciter in ſe magnum & notabile eius bonum: non enim immeritò dixit quidam, malo probari vni bono, quàm decem malis: & ita homines paſſim videntur ſentire & iudicare; ergo qui aliquem per iniuriam ſpoliat iſto bono, infert ei magnum damnum & grauem iniuriam, & per conſequens mortaliter delinquit.

Neque refert, quòd ſupponatur eſſe vir diſcretus, cui crimen proximi reuelatur, quia

Digitized by Google

quia id non facit bonum ablatum in ſe minoris æſtimationis, ſed potiùs maioris, ac proinde ablationem eius in ſe conſideratam grauiorem, & magis iniurioſam: quia pluris fit opinio viri prudentis, quàm ſtulti aut indiſcreti: licet interim hoc verum ſit, quod propterea vel nulla, aut pauciora alia mala inde ſint timenda: ſed non ideò damnum quod in ſe graue eſt, redditur, leue quia non plura alia incommoda ſecum trahat: quamuis è contra creſcat grauitas, ſi præuideantur illa ſequutura: quemadmodum ſi quis alteri furetur pretioſa arma, non ideo furtum illud erit veniale tantum, quia fur eſt homo quietus qui dominum, vel alium armis illis non occidet, licet ſi occiſurus eſſet, & eâ intẽtione auferret, peccaret grauius. Hinc Sapiens Eccleſ. 19. ita monet: *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.*

Probatur Secundò à ſimili, quia ſi vnus aliquis temerè iudicet de proximo in materia eiuſdem criminis, quod alter vni alicui reuelat, peccabit ille mortaliter, vt communiter DD. docent; ergo etiam hic, qui vni reuelat, & apud eum tollit exiſtimationem bonam quam de proximo habebat.

Probatur Conſequentia ex affinitate iſtorum peccatorum, quam indicat Iacobus cap. 4. ſuæ epiſtolæ ita ſcribens: *Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem, detrahit legi & iudicat legem.* Neque leuitas ſeu temeritas iudicij foret mortalis, niſi magnum malum proximi cenſeretur, quod per iniuriam deperdat ſuam exiſtimationem bonam etiam apud vnum: vnde qui in materia leui iudicat temerè, non peccat mortaliter: parum autem videtur intereſſe, ſi quis ex leuioribus & inſufficiẽtibus argumentis in animo ſuo proprio violet bonũ nomen & exiſtimationẽ quã debet de altero habere, ſiue per iniuriã violet & deperdat in animo vnius alicuius alterius; ergo &c.

Tertiò, ſi tu poſſis ſine mortali reuelare crimen proximi vni prudenti & probo: poterit & hic conſequenter idem facere: vnde efficietur quòd quis apud omnes aut plures bonos & prudentes amittet exiſtimationem ſuam abſque eo, quòd aliquis in hoc peccet mortaliter, quamuis etiam ſinguli aduertenter alteri crimen proximi detexerint.

17 Quod ad argumenta in oppoſitam partem adducta attinet, ex dictis ſatis poteſt colligi eorum ſolutio: Inprimis etenim ad fundamentũ alterius opinionis, dicendũ eſt, omninò detectionem magni criminis etiam apud vnum bonum & prudentem, qui bonam habebat de altero opinionem, eſſe magnam & notabilem proximi læſionem, vti iam oſtendimus:

Ad Primam autem Confirmationem contrariæ partis Reſpondetur Primò: Negando Conſeq. Si conſequens extendatur ad virum vnum diſcretum & bonum extra confeſſionem: quia non eſt vtrobique eadem omninò ratio: pœnitens enim meritò poteſt dici non ſe infamare, dum ſacerdoti crimen preteritum confitetur, quia per confeſſionem & pœnitentiam, ipſumque Sacramentum, crimen quaſi aboletur & in ordine ad hoc fit confeſſio: vnde de ſuo verè pœnitente non poteſt Sacerdos niſi bonam habere opinionem. Præterea quod ibi dicitur, non tam homini quam Deo confiteri cenſemur: quæ locum non habent quando aliquis ex loquacitate reuelat viro prudenti crimen proximi.

Reſpondetur Secundò Ad eandem confirmationem, etſi admitteretur quod quis confitendo patiatur iacturam nominis aut exiſtimationis apud ſacerdotem, non tamen inde ſequeretur, quòd ideo non obligaremur ad confeſſionem, vt argumentum prætendit: quod enim communiter dici ſolet, præceptum confeſſionis non obligare cum notabili iactura nominis aut famæ, id intelligendum eſt de iactura quæ ſacramento pœnitentiæ eſt extrinſeca (vnde non tenetur quis confiteri per interpretem quamuis hic ſit fideliſſimus, neque ſacerdoti de quo iuſtus eſt metus quod alijs reuelabit) non autem de iactura confeſſioni quaſi intrinſecâ, ſiue pœnitens illam magni faciat, ſiue non: fructus enim confeſſionis illud incommodum qualecumque ſit, ſatis abunde compenſat: nam præter alias vtilitates, & illa ipſa verecunda confeſſio in bonam partẽ Satisfactionis cedit quod magnæ conſolationis eſt: Vnde meritò non debet illius qualiſcumque detrimenti haberi ratio.

Hinc patet etiam Reſponſio ad ſecundam Confirmationem, quod ſcilicet circumſtantia complicis, quando mutat ſpeciem peccati, ſit explicanda, non obſtante illo incõmodo, quando non poteſt aliter explicari: quia ſpectat ad confeſſionis intrinſecam plenitudinem & integritatem. Vnde qui in tali crimine præbet ſe ſocium, cenſetur in hoc conſentire, quòd in complicis confeſſione poſſit explicari. Quando autẽ ſine eius expreſſione poteſt fieri confeſſio integra, tunc admittunt omnes & docent eſſe graue peccatum, complicem manifeſtare in confeſſione, quamuis apud confeſſarium ſolum id fiat, qui etiam arctiſſimo ſilentio tenetur omnia audita celare: quod quidem poſteriorem hanc ſententiam magis confirmat. 18

Ad Tertiam Reſpondetur, ordinariè coniuges in talibus non delinquere, ſaltem mortaliter: & eadem poteſt eſſe ratio filiorum deferentium peccata fratrum, aut ſororum patri, & conſeruorum deferentium hero ſiue patrifamilias peccata mutua: imò & externorum eadem poteſt ratio eſſe, qui patri delicta filiorum, aut domino peccata famulorum denuntiant. Ratio eſt: quia omnes illi

Digitized by Google

nes illi ſunt ſubiecti curæ patris & matrisfamilias, & horum intereſt ea ſcire: vnde & de illis inter ſe poſſunt conferre, & alij poſſunt eos informare, tum ſcilicet vt ſuos iure œconomico, quo pollent, corrigant: tum etiam, vt ſibi ſuæque familiæ contra damna vel infamiæ notam, quæ ex illis cauſari fortè poſſunt, prouideant & præcaueant. Si tamen aliqui deferrent iſta animo detrahendi, vel ex odio, aut inuidiâ, non eſſent tales à
19 peccato mortali immunes.

Ad vltimam Confirmat. Reſpondent aliqui, Quādo detractio dicitur eſſe iniuſta famæ læſio, quòd tunc fama nō ſumitur omninò in rigore iuris & ſignificationis nominis, ſed pro bona exiſtimatione etiā apud vnum, vt notat Soto ſup. lib. 5. q. 10. art. 2. & ex profeſſo videtur docere Nauar. cap. 18. numero 19. Deinde Reſpondetur ſecundò: Vt famæ dicatur detrahi, non eſt neceſſe, quod tota extinguatur: ſed ſufficit, quod pro notabili parte minuatur, ſiue denigretur: notabilis autem pars famæ non eſt ſumenda tantum à multitudine opinantium; ſed etiam à quantitate virtutis quæ tollitur: qualis proinde poteſt etiā eſſe penes vnum, ſic vt opinio in animo vnius prudentis viri ex communi & publica æſtimatione ingenerata de magna virtute alicuius ſit omnino pars notabilis famę: quę proinde ſi in animo illius per detractionem extinguatur, cenſebitur alter pati notabile detrimentum in famâ ſuâ.

DVBIVM V.

An crimen proximi quod vno in loco eſt publicum, liceat alijs in locis diuulgare vbi ignoratur.

20 OBſeruandum hic eſt, Duobus potiſſimum modis crimen dici Publicum: vno, quando conſtat per iudicis ſententiam, aut confeſſionem Rei in iudicio factam, aut per legitimas teſtium depoſitiones ſimiliter coram iudice factas, ſic vt inde conuincatur: & dicitur hoc eſſe publicum notoreitate ſeu notitiâ iuris.

Altero dicitur Publicum, quod habet operis euidentiam, & ita ſe hominum conſpectui exhibet, vt nulla tergiuerſatione cælari poſſit: diciturque hoc publicum notitiâ facti, vt videre licet Cap. Veſtra, De cohabitatione Clericorum & mulierum, & apud gloſſam ibidem. Sic publicum eſt facinus, quod quis de pleno die in communi foro, aut platea hominibus pluribus frequentatâ & præſentibus committitur. Item quod in domo committitur, ſed manifeſta & certa indicia illius ſeſe paſſim omnium oculis ingerunt: vt concubinatus, quando concubina in domo cohabitat, notatur geſtare vterum, parere, & proles in eadem domo educare; rurſum ſi quis in domo quidē, ſed in maximo ibidē hominum diuerſi generis aut locorum conuentu. Non autem cenſeri debebit hoc modo ſimpliciter notorium aut publicum, ſi delictum ſit commiſſum tantum in præſentia domeſticorum, ſiue eorum qui ſunt eiuſdem collegij aut congregationis, quamuis illi non tantùm decem, ſed etiam viginti vel plures fuerint; multò minus, ſi tantùm in præſentia maioris partis illorum ſit admiſſum, vt exiſtimare videtur Nauar. cap. 25. num. 73. quia attentâ ratione domeſticæ diſciplinæ, & naturali quaſi obligatione, quâ ſinguli ſunt obligati familiæ honorem ſeruare, non debet cenſeri eo tunc loco & cum talibus circumſtantijs peccaſſe, vt delictum iudicari debeat omnibus promiſcuè ex ipſo facto propalatum, & in omnium notitiam quaſi deductum: quodque author non curauerit, quis cognoſceret aut non cognoſceret, ſicuti bona ratione iudicari poteſt in alijs caſibus præmiſſis.

Poſſet nihilominus dici publicum ſecundùm quid, ſcilicet in ordine ad eos qui ſunt eiuſdem congregationis, aut familiæ: quamuis non omnes fuiſſent præſentes, ſed maior tantùm pars. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Si quis vno in loco crimen in iudicio confeſſus ſit, aut de illo conuictus, & condemnatus, regulariter & per ſe loquendo, poteſt illud alijs in locis etiam remotioribus propalari ſaltem, abſque peccato iniuſtitiæ. Ita docent Caiet. opuſc. 31. reſponſione 9. Nauar. c. 18. n. 26. & in cap. Inter verba, Concluſione 6. Corollario 68. Et confirmat ſimilitudine excommunicationis: qui enim excommunicatus eſt ab vno Epiſcopo, vbique eſt excommunicatus. Mald. Tract. 7. cap. 1. Dub. 6. Pet. Nauarra libro 2. cap. 4. numero 286. & ſequentibus, Arragon. Banneſ. Salonius 2. 2. q. 73. art. 2. Azorius 3. p. lib. 13. cap. 6. Dub. 6. Tanner. ſup. n. 142. & alij penè communiter. 21

Probatur: quia hoc ipſo, quo crimen alicuius talibus modis factum eſt publicum, amittit ille ius ad famam: nam iuſti iudicij ratio repugnat iuri iſti. Vnde non poteſt conqueri ſibi iniuriam inferri per criminis narrationem, cui per iuſtam Iudicis ſententiam fuerit illa ablata: nam & vna ex pœnis, quibus Iudices reos plectunt, eſt, quod eo loco & tempore iudicia exerceant, & pœnas infligant, quibus ipſorùm crimina & condigna ſupplicia in plurimorum notitiam venire queant: Non eſt igitur contra iuſtitiam alijs in locis iſta referre.

DICO Secundò: Similiter, quando crimen eſt notorium euidentia facti, quia commiſſum tali loco, & cum huiuſmodi circumſtantijs,

Digitized by Google

cumſtantijs, vt ijs poſitis, humano modo & moraliter fieri nequeat, quin iſtud varijs in locis divulgetur, non peccabit regulariter & per ſe loquendo contra iuſtitiam is, qui illud narrabit in talibus locis etſi ibi nondum eſt divulgatum. Ita Caiet. Malder. Nauar. ſup. & alij citati. Ratio eſt, nam ſic peccando quaſi iuri ſuo ad famam cedit ſaltē in ordine ad eiuſmodi loca.

Confirmatur: quia ſic paſſim apprehendunt & iudicant omnes, quod non faciunt iniuriam ſi publica crimina referant alibi, vel per literas alijs indicent, aut etiam hiſtorijs commendent. Sed dices: is qui hic famam amiſit, non ideò alibi eſt infamis, ergo cum ibi retineat bonum nomen, non poterit eo illic ſine iniuriâ ſpoliari.

22 Reſpondetur, eum quidem alijs in locis retinere famam ſuam de facto, ſed non de iure: idq; omnino in primis certum videtur, quando legitimè crimen eſt confeſſus aut de eo legitimè conuictus in iudicio: quando autem eſt notorium euidentiâ facti dumtaxat tunc res habet aliquam difficultatem: Interim hoc ſatis concorditer videntur admittere DD. citati, & alij plures, quod non ſit contra iuſtitiam referre tale crimen in locis propinquioribus ad quæ cito & facile, & quaſi ineuitabiliter per rumorem deferetur: tunc enim moraliter æſtimando rem, fama iam antea talibus locis hoc ipſo quo crimen ſic commiſſum eſt, cenſetur amiſſa iuxta Arrag. Banneſ. Tann. ſupra. Imò ne quidem peccatum eſt contra charitatem ſaltem mortale, vt docet Mald. & Nauarr. ſup. ex D. Tho. in 4. diſt. 19. qu. 2. art. 3. quia in tali caſu ſilentium huius inutile eſt ad famæ conſeruationem, inquit Mald. Quo ad loca autem remotiora, ad quæ alioquin moraliter notitia criminis non erat peruentura, plures tenent non poſſe abſque mortali etiam contra iuſtitiam in iſtis locis evulgari. Ita Petrus Nauarr. lib. 2. c. 4. n. 291. à Valent. tom. 3. q. 6. puncto 5. Tann. & Arragon. ſupra. Adrian. Quodlib. 11. q. 1. & alij: quorum ſententia videtur rationi valdè conſona: & propterea in Aſſertione ſecunda addidi, qui illud narrent in talibus locis, ad quæ ſcilicet moraliter certò notitia criminis ſic publicè commiſſi, peruentura eſt. Non deſunt tamen qui contrarium tenent, & putant non ſubeſſe peccatum iniuſtitiæ; etiamſi vbiuis referatur crimen alicuius quod in vna prouincia aut ciuitate eſt notorium euidentiâ facti. Ratio poteſt reddi, quia dum ſic publicè quis crimen committit, cenſetur ſimpliciter nomen & famam quoad hoc prodegiſſe, atque ita apud omnes virtualiter famā amiſiſſe: & quaſi per accidens eſſe, ſi vbiq; nō reſciatur: pro qua opinione citantur Caiet. ſup. Nauarr. Sa, & docet Leſſ. lib. 2. c. 11. dub. 13. Malder. tractat. 7. cap. 1. dub. 6. Bonac. ſup. & alij quidam. Cæterùm tamen ab eiuſmodi evulgationibus criminis proximorum abſtinendum, præſertim in locis remotioribus, quia ſi non contra iuſtitiam, ſaltem ferè ſemper contra charitatem peccatur mortaliter; niſi ſit aliqua ratio aut circumſtantia excuſans: quod etiam facilè admittunt; qui poſteriorem ſententiam tenēt: quæ tamen tanquam probabilis poteſt poſt factum ſeruire adhoc quod non vſque adeò vrgendi ſunt ad famæ reparationem, qui in tali divulgatione alibi facta in partibus remotioribus deliquerunt.

Dixi in Aſſertione, regulariter ſiuè ordinariè, quia forſitan poteſt incidere caſus quo iniquum foret etiam in locis nō ita remotis reuelare, vt ſi verè deſierit eſſe notorium notitiâ facti: quod tale prius fuit: cuius rei exemplum ponit Adrianus Quodlib. 11. q. 1. quando quis peccauit coram exercitu qui paulò pòſt ad internecionem deletur, tunc enim ſi pauci aliqui ſuperfuerint, non poterunt abſque iniuſtitia crimen coram multitudine iam deletâ commiſſum, apud alios divulgare.

Dixi quoque tam in prima, quàm ſecunda Aſſertione, per ſe loquendo, quia per accidens contingit aliquando crimen ſiue vno ſiue alio modo notorium, non ſine iniuria poſſe alibi referri. Ponit Mald. loco citato tres eiuſmodi caſus: 23

Primus eſt, quando is qui antea infamatus fuit, iam famam benè viuendo, vel hominum obliuione recuperauit. Neque enim verum eſſe videtur, quod quidam exiſtimāt, ſcilicet narrando præcedens crimen non auferri illi famam quam modo habet; ſed tantùm illam quam aliquando iure deſijt poſſidere per infamiam quam incurrit: quia deſtruendo veterem, etiam illam quam nunc habet & iure poſſidet, deſtruis, aut ſaltem quaſi inutilem reddis, vt contra Soto docet Tolet. lib. 5. cap. 65. Si quis tamen benè viuendo bonam famam ſibi peperit, ſic tamē vt præcedens crimen ſatis verſetur adhuc in notitia aut memoria, non peccabit contra iuſtitiam qui de eo communicat cum alijs eo loco vbi non obliteratum eſt.

Secundus caſus ponitur, ſi noueris illum qui pro delicto alibi condignè punitus eſt, hic iterùm iniuſtè puniendū, peccabis contra iuſtitiam ſi crimen eius abſq; iuſta cauſa hic reueles: quamuis alibi notorium ſit.

Ratio redditur: quia iniuſtè das cauſam huius iniquæ vexæ tua loquacitate, etiamſi reuelatio per ſe non ſit iniurioſa ſiue propriè detractio.

Confirmari poteſt à ſimili: quia ſi quis apud Turcas de bono Chriſtiano quem habent captiuum, diceret eum eſſe zeloſum Chriſtianum, & narraret virtutes quas contra Turcas in bello geſſiſſet, peccaret ille contra

contra iuſtitiam ſi præuideat idcircò hunc peiùs tractandum, v.g. flagellandum, vel occidendum; atque adeo ex iuſtitia tenebitur de incommodis & iniurijs quæ alter patietur inde; ergo ſimiliter &c.

Sed opponet aliquis: Si ipſa actio in ſe non ſit iniurioſa, ergo neque illud quod inde ſequitur ex parte mea, iniurioſum erit, vt declarari poteſt in eo qui abſque vi & fraude impedit legatum aut beneficium alterius.

24 Reſpondetur Neg.Conſ. Quia licet actio aliqua in ſe conſiderata non ſit iniurioſa, tamen poteſt fieri iniurioſa ratione circumſtantiarum; aut effectuum qui præuidentur ſequuturi: quando enim quis poſitiuè quid operatur, vnde videt directè ſatis & propinquè ius alterius læſum iri, quod in rigore illi competit, cenſebitur non tantum contra charitatem, ſed etiam cõtra iuſtitiam agere, ſi abſque neceſſitate & iuſta cauſa id fecerit: quod ſi aliquam habuerit cauſam, tamen talem quam meritò poſtponere debuiſſet incommodo proximi, tunc quamuis non contra iuſtitiam, tamen contra charitatem peccauerit: quando autem nullam habet cauſam, tunc interpretatiuè cenſetur velle excitare alterum, aut ſaltem illi cooperari ad iniuriam vel damnum quod occaſione ſuæ actionis videt proximo inferendum.

Tertius Caſus ponitur, ſi parentes aut fratres habeat alio loco is qui hoc loco crimen admiſit & ſupplicio affectus eſt: quos præuidẽs multa iniuſtè paſſuros, ſi crimen & ſupplicium in alio iſto loco diuulgaueris, teneberis forte etiam ex iuſtitia (inquit Mald.) omittere tam noxiam criminis, alioquin alibi notorij, narrationem, vnde tanta incommoda innocentes paterentur. Ratio poteſt colligi ex iam dictis, quia qui ſine iuſta cauſa ſic crimen diuulgat cum talibus circunſtantijs cenſetur interpretatiuè velle iſtâ ſuâ narratione alijs cauſare hæc mala iniuſtè eis inferenda.

Dixi quoque in Aſſertionibus, ſine peccato iniuſtitię, non autem ſimpliciter, ſine peccato: quia contingit in eiuſmodi relationibus ſæpius peccari contra charitatem: ſicuti hoc paulò antè ex communi ſententia diximus.

Petet aliquis Primò: An peccabit mortaliter qui eo in loco vbi crimen eſt notorium, narrat illud alteri, cui non facile aliàs innotuiſſet.

25 Syluester V. Detractio q. 1. exiſtimare videtur quod ita: ſed rectiùs Pet. Nauarrà libro. 2. c. 4. nu. 284. cum Caiet. & Nauar. c. 18. n. 26. & 33. & alijs quos citat. docet in eo non peccari mortaliter: quandoquidem enim eo in loco paſſim innotuerit, leue videtur eſſe quod ad vnius adhuc notitiam deducatur, præſertim quia ius ad famam amiſit pro talibus locis.

Petet aliquis ſecundò: Quid ſi crimen alicuius per iniuriam factum ſit publicum?

Reſpondetur: quidam exiſtimant etiam tum vlterius poſſe ſaltem abſque iniuſtitia ſpargi: Ita Leſſ. ſup. n. 77. ſed Pet. Nauar. ſup. nu. 290. cum Nauarr. & alij plures docent peccatum iniuſtitiæ committi, non tantum contra charitatem, ſi quis vlterius illud ſpargat: Rationem reddit: quia ſicut iniurioſe prima infamia facta eſt, ita iniurioſè continuatur, & protenditur: quod omninò videtur, quando quis nouit per iniuriam eſſe crimen publicatum: & ad eius rei probationem adducit Nauarra illud Pſalmi: *Si videbas furem, currebas cum eo*: quò tendit & illud Prouerb.24. *Cum detractoribus nõ commiſcearis.*

DVBIM VI.

An licitum ſit eum qui de vno aut altero crimine infamatus eſt, de alijs etiam infamare?

RESPONDEO & DICO Primò: 26
Si iſta alia ſint multum affinia, & ordinariè coniuncta grauiori crimini quod iam publicum eſt, non erit peccatum mortale illa referre apud eos qui principale norunt; Azorius 3. p. lib. 13. c. 7. Dub. 3. Malder. ſup. Dub. 7. Bonacina ſup. puncto 7. propoſ. 1. & alij.

Declaratur: vt ſi quis de adulterio publicè ſit infamis, non erit peccatum mortale dicere de illo quod alias laſcinias amatorias exercuerit, aut munera miſerit, quamuis hæc non ita paſſim conſtarent.

Ratio eſt, quia non cenſetur noua aliqua infamia irrogari: ſolent enim iſta aut ſimilia antecedere, aut coniungi cum eiuſmodi criminibus. Circumſpectè tamen eſt attendendum, an ita ſint connexa vt non cenſeantur notabiliter infamiam augere.

DICO Secundò: Si alia crimina ſint ta- 27
lia quæ non ſoleant ordinariè præcedere aut comitari crimen, de quo proximus infamis eſt, non tantùm erit contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam illa patefacere. Ita DD. communiter: Adrian. quodlibeto 11. q. 1. vbi contra Paludanum agit, qui contra communem ſententiam tenuit in 4. diſt. 29. q. 4. Iudicem poſſe reum infamem de vno crimine interrogare, etiam de alijs occultis quorum infamia non laborat. Pet. Nauarra libro 2. cap. 4. nu. 231. Nauarr. c. 18. n. 92. Azor. loco cit. Arrag. q. 62. art. 2. Dub. 3. Salonius ibidem, Mald. ſuprà Dubit. 7. & alij.

Probatur: quia tametſi quis publicè infamis ſit de vno peccato, non tamen ideo amiſit ius ad reliquam famę quod retinet quoad alias virtutes, licet etiã contra has in occulto peccauerit;

Digitized by Google

peccauerit: nam poteſt de aliquo notorium eſſe, quod ſit ebrioſus, aut fornicarius: qui tamen habeatur iuſtus in contractibus, religioſus in iuramento, catholicus &c. quare non poterit is abſque iniuriâ diffamari de occultis fraudibus, de occulto periurio, de hæreſi, ſi forſitan occultè aliquod eiuſmodi crimen commiſerit, de quo alioquin publicè non conſtat.

Confirmari poteſt Primò: quia plerique non magnifaciunt quòd notentur de aliquibus vitijs, præſertim quæ in prouincia ſunt pluribus communia, vt in quibuſdā locis de ebrietate, in alijs de fornicatione, qui tamen maximam exiſtimarent ſibi iniuriam fieri, ſi de alijs vitijs notarentur, vt de iniuſtitia, de homicidio, de hæreſi &c. Non igitur quia quis de vno crimine eſt infamis, licebit alia eius occulta crimina aperire.

Confirmatur Secundò: quia fama non eſt quid omnino ſimplex, ſed conſtat pluribus quaſi partibus diuerſæ rationis, quarum ſicuti vna ab aliâ non pendet, ſic vna ſine aliâ haberi & retineri poteſt: & quidem à perſonis diuerſis ſolent diuerſæ partes quo ad famam poſſideri: ergo tametſi vna pars ablata fuerit, non tamen idcirco licebit auferre reliquas.

28 Syluester autem V. Detractio qu. 1. circa finem, dicit non eſſe peccatum, ſaltem mortale, publicare aliquod crimen minus illius qui de grauioribus criminibus eſt infamis, vt v.g. de illo qui infamis eſt de homicidio & furto, putat non eſſe peccatū mortale dicere, quod fuerit fornicatus. Hoc tamē non eſt ſimpliciter admittendū, quando minus connexionem nō habet cum alijs maioribus, ſicuti fornicatio non habet cum homicidio, aut furto: idque propter rationes iam allegatas. In certo tamen caſu poſſet locum habere, vt ſi quis de tam multis & varijs criminibus grauioribus ſit infamatus, vt paſſim habeatur talis qui nullum ſcelus tempore & loco verecundatus fuiſſet perpetrare, quia huiuſmodi perſona totaliter & quaſi per omnem virtutis materiam amiſit famam ſuam, vnde ex relatu alicuius inferioris criminis non cenſetur eius infamia notabiliter augeri, imò vix augeri.

DVBIVM VII.

An liceat reuelare proximi peccatum ad euitandum malum alioquin impendens?

29 RESPONDEO & DICO Primò: Ad impediendum progreſſum peccatoris in ſuis peccatis, licet reuelare eius de-

lictum duobus aut tribus qui tanquam teſtes adhibeantur, quando priuatæ admonitioni non auſcultat, vel ſpes non eſt quod auſcultabit. Conſtat ex dictis De Correptione fraterna q. 33. art. 7. & 8.

DICO Secundò: Quando damnum impendens eſt alicuius momenti, ſiue ſit temporale ſiue ſpirituale, quod tibi vel alteri inſtat, poteris crimen proximi manifeſtare, quatenus hæc manifeſtatio ad damnum illud ſiue malum impediendum eſt neceſſaria: Ita Soto libro 5. De iuſtitia q. 7. art. 1. Nauarr. cap. 18. num. 31. Tann. ſup. num. 144. Bannes 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 1. Salon. ibidem Controuerſ. 3. Bonac. ſup. puncto 8. prop. vnica, & alij quos citat, vt v. g. Si nouerim Petrum eſſe furem, licebit mihi monere eos cum quibus habitat, vt ſibi caueant: ſimiliter ſi aliquem nouerim eſſe ſuſpectæ doctrinæ qui venenum hæreſis latenter alijs inſtillare ſolet, poſſum & illos de hoc monere cum quibus conuerſatur.

Probatur Primò: Exemplo Chriſti Domini, qui Matth. c. 16. & Luc. 12. occultam Phariſæorum hypocriſim ideo reuelauit diſcipulis, vt ab illo fermento ſibi cauerent. Similiter & Apoſtolus 2. ad Timotheum cap. 4. ſcribit: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, quem & tu deuita:* vbi malitiam Alexandri exponit Timotheo vt ſibi ab illo caueat. Similiter quoque ſi homicidium à Petro commiſſum imponatur Ioanni innocenti qui ob id ſupplicio erit afficiendus, poſſum manifeſtare Petrum occultum authorem: imò in eiuſmodi caſibus ſæpius accidit, vt quis non tantum poſſit, ſed etiam obligetur ex charitate patefacere crimen alterius, quando ſcilicet graue incommodum inde alijs imminet, & incommodū quod ex infamia ſequitur, non tanti momenti eſt vt eius præ altero haberi debeat ratio. Quando autē dubium eſt, quodnam incommodum alteri præponderat, inclinandum eſt in fauorem innocentis: quia cauſa huius in dubio eſt magis fauorabilis: ſed de hoc amplius infra.

Probatur autem Secundo ratione: quia poteſt quis ad ſuam vel aliorum innocentum indemnitatem, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, repellere inuaſorem cum ipſius detrimento in membris, aut in vitâ: ergo multo magis cū damno in famâ quæ eſt minus bonum. Deinde habet quiſque ius ad proferendum in lucem id quod in cognitione ſua abditum tenet, ſi ex eius occultatione alijs malum immineat: ſi namque poſſit quilibet id facere ad ſua incommoda auertenda, non eſt ratio cur non poſſit quoque ad auertenda damna proximi innocentis, cum debeat diligere proximum ſicut ſe ipſum.

DICO Tertiò: Si ad malum auertendum non fuerit neceſſarium, patefacere oc- 30

Digitized by Google

tum, ad hoc ſcilicet impediendum. Ita Pet. Nauarra lib. 2. cap. 4. nu. 341. cum Soto & alijs communiter. Conſtat ſatis ex dictis dubio præcedenti. Vnde ſi quis verboſitate, vel aſtu comparauerit nomen periti aduocati, vel medici: & mihi certò conſtaret de contrario, potero id explicare illis qui inde damnum eſſent paſſuri in bonis, aut in corpore. Hinc etiam deducunt DD. quod liceat manifeſtare pauperes ſimulatos qui tales non ſunt, quando cum detrimento eorum qui verè pauperes ſunt, vtuntur hâc ſimulatione, ſic conuertendo ad ſe eorum eleemoſynas.

34 DICO Secundo: Si non vergat in alterius detrimentum, minimè licebit ſimulationem ſeu hypocryſim & defectum virtutum quas ſimulat, patefacere, ſiue defectus ſit virtutum moralium & quæ ad honeſtatem vitæ ſpectant, ſiue intellectualium aut dotium naturæ vel fortunæ. Ita docet Pet. Nauarra loco ſuprà citato cum Corduba De detract. quæſt. 2. Concluſ. 4. ad 2. Soto, & Bonacina ſuprà nu. 3. & alij quos citat. Vnde prior pars videtur eſſe communis: poſterior autem, quoad defectum virtutis intellectualis aut dotis naturæ, contra Adrianum, vt refert Nauarra ibidem.

Probatur verò Concl. quia eadē apparet eſſe ratio de his ſimulatis & hypocritis, & de alijs occultis peccatoribus: ſicuti enim iſti fictione quâdā & ſine veritate virtutis, ſibi famā compararunt, ita hi immeritò & ſine ſubſiſtente fundamento famam ſuam, aliàs licet legitimè adeptam, foris retinent: atqui non ideo licet occultos peccatores, eorumve defectus aut vitia occulta patefacere; ergò neque licebit aliorum ſimulationem, & virtutum defectum quas ſimulant manifeſtare, & ſic eorum euacuare famam. Imò minus videntur hi poſſe detegi, quàm iſti, quia qui hos detegeret, duo crimina ſimul reuelaret, ſcilicet vitium principale cui ſunt obnoxij, & ipſam hypocriſim ſeu ſimulationem virtutis.

35 Hinc ait Soto, ſi quæ mulierculæ pauperiores prætextu ſanctitatis quam ſimulant, victitent ex eleemoſynis, non erunt detegendæ. Et idem eſt de omni alio qui in Republica, fraude aut aſtu bonum nomen eſt aſſequutus, inquit Nauarra: quando ſcilicet nulli nocet. Neque tantùm contra charitatem, qui aliter fecerit, ſed etiam contra iuſtitiam peccat: quia quamdiu alterius fraus vel aſtus, ac virtutis ſimulatæ defectus ſiue carentia ſunt occulta, ius habet (quamuis non quidem vt poſitiuè iudicetur eſſe probus, aut peritus, aut exercitatus in arte vel ſcientia quam oſtentat) tamen vt non iudicetur eſſe improbus, aut imperitus, & ignarus, quamdiu palàm nihil improbè geſſit, aut ſuam inſcitiam publicè non demonſtrauit nam vt notat Adrianus quodlibeto 11. quæſt. 1. §. 8. licet non detur medium inter vitam bonam & vitam malam in adulto, tamen datur medium inter credere ſeu opinari ſcilicet hominem adultum eſſe bonæ vitæ, & opinari eum eſſe malæ vitæ; quia poteſt quis nullam formare opinionem, vt nec iudicet eum bonum, nec iudicet eſſe malum: ſed talis qualis ſit hoc ipſius conſcientiæ & Deo committere. Quare facit illi iniuriam qui eum de ſimulatione, & improbitate, aut imperitia illius occultis infamat publicè, vt haberi incipiat hypocrita, & improbus, aut ignarus artis quam oſtentabat, & vnde nomen comparauerat: quamuis enim non ſit dignus nec mereatur famam illam, tamen eam tamquam quid ſuum iure poſſidet: aliud enim eſt, inquit Adrianus ſuprà, aliquid deberi ſecundum condignitatem, tamquam ſcilicet quo dignus ſit, aliud deberi ſecundum iuſtitiam: ſicuti aliquis eſt in crimine propter quod poteſt omnibus bonis priuari: talis, inquit, eſt bonis indignus, nihilominus qui ante ſententiam bona eius auferret, contra iuſtitiam faceret.

Cæterùm quamuis nec liceat detegere ſimulationem virtutis intellectualis aut dotis naturæ vel fortunæ, prout in concluſione diximus, tamen in hac reuelatione minus ſolet eſſe malitiæ, tum quia hi defectus non ſunt ita ignominioſi in vero iudicio, quàm defectus qui ſunt contra honeſtatem vitæ, vnde iſti reponuntur cum materia leui detractionis, tum quia duo hic peccata manifeſtantur, ſcilicet vitium principale, & ipſa ſimulatio, ibi autem communiter tantum vnum peccatum, ſcilicet ſimulationis qua ſcientiam aut artem, vel dotem aliam oſtentauit & finxit ſe habere: Ipſum autem non habere, per ſe non eſt peccatum. 36

DICO Tertiò: Non licet quoque crimen occultum, quamuis de iure annexam habeat infamiam, propalare ſi nulli ſit noxium, aut detrimentum adferat. De criminibus eiuſmodi videri poteſt Titulus, de his qui notantur infamiâ, in Digeſtis: vbi plura talia recenſentur, vt ſi quis deprehendatur in adulterio, ſi ſimul contrahat cum duabus, ſi exerceat improbum fœnus exigens vſuram vſurarum &c. 37

Ratio Concluſionis eſt, quia criminoſus ille occultus adhuc retinet debitam famæ poſſeſſionem, quâ per quempiam priuatum ſine iniuria ſpoliari non poteſt: quemadmodum quando lex hæreticis & alijs quibuſdam criminoſis in pœnam, infligit ipſo facto amiſſionem bonorum, tametſi tunc crimine commiſſo, tales dominium amittant, non tamen poſſunt ſtatim ſpoliari poſſeſſione ante ſententiam declaratoriam criminis, ſiue etiam vſque ad iuridicam ſententiæ exequutionem. Sed

Digitized by Google

Petes: quos igitur habeat effectus eiuſmodi legalis infamia?

Reſpondetur: inprimis hoc operatur, vt ſimul ac delictum fuerit publicum, poſſit eius author vbique repelli, & tractari tamquam iure infamis. Deinde, quod ſecutâ ſententiâ declaratoriâ, retrotrahatur infamia ad tempus commiſſi delicti, & ab eo tempore cenſeatur fuiſſe inhabilis ad officia & beneficia tamquam verè infamis.

DVBIVM IX.

An quis iniuriam ſibi ab aliquo occultè illatam poſſit ſine peccato referre alteri?

39 RESPONDEO & DICO Primò: Peccabit is ſi referat animo detrahendi ſiue diminuendi famam alterius, vt ita ſe de facto illius vindicet.

Probatur: quia committit formalem detractionem, & inſuper propria authoritate ſe vindicat de malo ſibi illato, & malum pro malo reddit, quæ omnino illicita ſunt.

DICO Secundò: Non peccabit ſi referat animo dumtaxat quærendi conſilium, vel auxilium contra ſimiles iniurias impoſterum, ſi ſubſit adhuc periculum, vel vt damna quæ paſſus fuerit, ſibi reſarciantur; modò referat illi à quo conſilium vel auxilium probabiliter poteſt exſpectare. Conſtat ex dictis ſuprà dub. 7. & 8. quia ſi poſſim aperire occultum crimen alicuius, vt impediam malum impendens tertio, vel vt ei reſtituatur quod ipſius eſt, potero idem facere vt me ſeruem indemnem, aut muniam contra iniurias inſtantes.

Addidi, modò referat illi &c. quia alioquin ſi alijs referat, prætextus eſſet dumtaxat, non vera ratio referendi ſeu aperiendi alteri.

40 DICO Tertiò: Similiter ex quorumdam opinione non peccabit ſaltem mortaliter, qui iniuriam ſibi factam alteri narrat, ſolatij cauſa, aut doloris mitigandi gratia. Ita Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 12. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 346. Vtitur enim, inquit hic, iure ſuo & alterius crimen per accidens eſt detectum: quod quidem ſatis apparet fundatum, ſi is qui iniuriam accepit in aliqua ſit neceſſitate indigens externo ſolatio, puta quia alioquin periculum ſit, ne puſillanimitate aut impatiētiâ grauiùs in proximum, aut in ſeipſum peccet: ex quo periculo non ſatis ſe per ſeipſum poſſit expedire, niſi rem alicui aperiat, à quo ſperat ſolatium & confortationem, quibus ſuos motus impatientiæ aut puſillanimitatis queat ſuperare: ſi autem non indigeat aliquo ſimili officio proximi: ſed tantum velit referre alteri vt facta eiuſmodi expoſitione ſubleuetur, aut mitigetur animi dolor, non videbitur id ſatis tutum, quando inde malā omnino conciperet opinionem is cui refertur de altero, de quo priùs bonam habebat exiſtimationem: idque partim, quia iſte dolor aut quædam animi moleſtia, non videtur tam magnum hominis malum, vt poſſit ſaluis legibus etiam charitatis, eligere potiùs famam proximi tollere, quàm illud ſupportare, præſertim quia malum hoc cum tempore facilè ſedatur: partim quia periculum eſt, ne occultè ſe hîc immiſceat quædam cupiditas vindictæ, & inde capiat ſolatium quod proximi iniquitatem alteri fecerit manifeſtam. Neque refert quod homini graue eſſe dicatur, vt allegat Leſſius, quod iniurias acceptas ſolus in ſilentio deberet digerere, nec poſſit cum amico communicare: quia non ideo quòd aliquid naturæ noſtræ corruptæ moleſtum eſt, mox oppoſitum dicendum eſt licere: ſed meminiſſe quoque oportet verbi Domini dicentis Matth. cap. 7. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam*: & alibi: *Contendite intrare per anguſtam portam*. Lex Chriſti enim etſi filijs qui ſpiritu Dei aguntur ſuauis ſit, tamen quia perfecta eſt, hinc corruptæ naturæ grauis ſit, quæ non ſine labore & moleſtiâ perfectionem eius apprehendit & explet. Hoc autem rectè monent Doctores adhibendam hîc ſemper eſſe moderationem, ne quis nominet perſonam quæ iniuriam intulit, quando eam nominare pro conſilio, auxilio, vel ſolatio capiendo, non fuerit neceſſarium, nec pluribus referat quàm requiratur ad hoſce fines. Vide Mald. ſuprà dub. 12.

DVBIVM X.

An ſit peccatum detractionis alijs narrare quod quis audierit hunc vel iſtum commiſiſſe crimen aliquod, non tamen aſſeuerando ita eſſe?

RESPONDEO & DICO Primò: Si quis hoc referat intentione lædendi famam proximi, & de facto lædat, ac læſio quaſi per ſe ex modo & circumſtantijs narrandi ſequatur, committit is ſimpliciter peccatum detractionis, & ad reparationem famæ tenetur. Idem dico de illo qui quidem non expreſsè intendit, tamen præuidet aut facilè præuidere poteſt ex vi & modo ſuæ narrationis 41

tionis, eiuſmodi læſionem ſequuturam. Ita Dom. Soto lib. 4. De iure & iuſtitia qu. 6. art. 3. Mald. Tract. 7. cap. 1. dub. 13. Leſſ. ſuprà dub. 6. & alij. Nec videtur id ſub iſtis terminis poſſe negari.

Probatur: quia in vtroque caſu ſupponitur talis referens ponere cauſam per ſe natam inducere, atque adeo cum effectu inducere proximi infamationem: & quidem in priori ex intentione expreſſâ, quæ licet ponatur abeſſe in poſteriori, tamen adeſt implicita & interpretatiua, vt caſus per ſe ſatis oſtendit, ergò &c. Iſtud autem poteſt contingere hoc modo; vt ſi quis animo detrahendi Paulo dicat ſe audiuiſſe perſonam aliquam (quam exprimat, quæque ab aſtantibus habeatur digniſſima fide) aſſeuerantem, quod Paulus commiſerit adulterium, vel homicidium, aut periurium &c. eſto quod addat, ſe tamen non aſſeuerare: talis enim ſic referendo, tam verè & efficaciter operatur iſtam famæ læſionem in animis audientium, quando id credunt, quàm ſi ipſe diceret & affirmaret Paulum feciſſe. Quando namque dicit alterum qui æqualis vel maioris eſt fidei apud audientes, id aſſeueraſſe, quàm eſt ipſe referens, non minus inducit audientes ad malè opinandum de Paulo, quàm ſi ipſe id ſub ſuâ perſonâ affirmaret.

42 Dico Secundò: Si quis referat audita animo lædendi, & læſio tamen non ſequatur, peccat is formaliter peccato detractionis, & quidem contra virtutem iuſtitiæ, non tamen naſcitur obligatio reſtitutionis. Ita ex ſententia Caiet. & Gabr. docet Pet. Nauarra ſuprà n. 331. Probatur, quia nullum damnum famæ eſt ſequutum, vt ſupponitur: quemadmodum ſi quis ictu ſclopeti intendat occidere hominem, quem non tangat, committit is formaliter peccatum homicidij ex intentione & voluntate, atque adeo peccatum iſtud eſt contra iuſtitiam, quamuis non oriatur obligatio reſtitutionis, quia à parte rei damnum non eſt illatum.

Dico Tertiò: Si quis referat audita mala de alio apud eos, quos exiſtimat ex leuitate ſua credituros ea eſſe vera, quamuis eius narratio & narrationis circumſtantiæ non ſint eiuſmodi qui ſufficiant ad prudenter ingenerandam fidē, peccat tamen is mortaliter ſaltem contra charitatem. Docet id Petrus Nauarra ſuprà n. 331. vbi ita ſcribit: Omnes tamen fatentur eſſe mortale ob intentionem nocendi: imò, inquit, quando referat leuibus & procliuibus ad credendum malum, aduertens apud illos famam eſſe lædendam. Pro quo citat etiam Corduba quæſt. 2. Concluſ. 7. & alios plures.

Probatur: quia qui ex ſuis dictis aut factis aduertit proximum grauiter lædendum, ſiue in fortunis, ſiue in fama, ſiue in corpore, tenetur ex charitate abſtinere, quando ſine incommodo poteſt: quamuis læſionem illam, ſiue damnum ex aliorum culpa nouerit obuenturum, & non propriè & per ſe ex ſuis dictis vel factis.

Confirmatur: quia ſi eo non obſtante dicat aut faciat, cenſetur virtualiter & interpretatiue intendere ſeu velle illam proximi læſionem, eamve approbare, ac ſibi in ea complacere: vt ex Gabriele, Scoto, & alijs notat Pet. Nauarra ſuprà.

Dixi, Saltem contra charitatem: quia communis penè opinio habet eum non peccaturum contra iuſtitiam, ſic vt ad reſtitutionem obligetur, eò quod ipſe non ſit vera & per ſe cauſa iſtius læſionis, ſed tantum occaſionalis & per accidens: quia eius narratio non erat idonea fidem alijs facere; ſed quod credant prouenit ex illorum leuitate aut malitia: vt ſi quis referret ſe aliqua audiuiſſe ab hominibus, qui parum digni fide paſſim habentur, quod & auditoribus conſtabat, eoſque exprimeret: & interim adſtantes nihilominus fidem adhiberent, ac opinarentur ea eſſe vera. Ita Caiet. hîc qu. 73. ar. 2. vbi dicit, eum qui audita refert non teneri ad reſtitutionem: & Nauarrus c. 18. n. 48. vbi dicit, eum non teneri qui non dedit iuſtam cauſam credendi: in quo cautiùs loquitur Nauarrus quàm Caietanus, cuius ſermo tam generaliter acceptus prout ſonat, non eſt admittendus, vt ex dictis conſtat: Syluester quoque idem docet V. Detractio, quæſt. 1. ſed tamen quæſt. 4. dicit teneri ad reſtitutionem, ſi ſic apud tales animo malo ſiue nocendi animo retulerit ſine aliqua iuſta cauſa, & de facto ſequatur infamia: quod non approbat Petrus Nauarra: poteſt tamen eius rei reddi probabilis ratio: quia ſcilicet contingit, vt quando quis quippiam agit ex cauſa, cenſeatur tunc quidem ſe permiſſiuè habere ad malum, quod huius occaſione alij ex leuitate vel malitia faciunt: quando autem nullam omnino habet cauſam id agendi, & præuidet malum proximo obuenturum, tunc eius actio, moraliter loquendo, videatur quędam eſſe quaſi procuratio & veluti cooperatio ad malum quod proximo infertur, præſertim quando expreſsè intendit nocumentum alterius, vt ſuprà etiã indicauimus in ſimili: ita enim fieri poteſt quod tenebitur quis ad reſtitutionem ſi aquam diuerterit, vt alteri noceat, non autem tenetur ſi id feciſſet ex aliqua cauſa vt ſibi prodeſſet.

Dico Quartò: Veriſimiliter non peccat, ſaltem mortiferè, qui audita refert eo modo, & cum talibus circumſtantijs, vt ipſi probabile ſit nullam inde ſequuturam infamiam, quia putantur audientes non credituri ea eſſe vera. Et hoc limitato ſenſu ad- 44

Digitized by Google

mitti poteſt doctrina quam Pet. Nauarra ſuprà n. 329. tradit ſub nomine Syluestri, Scoti, Caietani, & quorundam aliorum: qui alioquin ibi ſermone nimis generali dicit ſecundum eos non peccare mortaliter illum, qui recitat ſe audiuiſſe crimẽ alterius, modo ipſe non aſſerat, nec addat aliquid quod ad credendum inducat. Neque videtur alia fuiſſe iſtorum mens: ſed tamen illimitatè & abſolutè loquuntur, quia videntur ſupponere quod audita dumtaxat referendo quis non det adſtantibus ſufficientẽ cauſam malè opinandi de proximo, ſed ſi quis adſtans credat, quod hoc ei debeat imputari tanquam nimis leui corde. Vnde Nauar. pro ratione addit, quia iſta narratio ex natura actus non infamat apud audientes. Sed illud inprimis non ſemper eſt verum, vt apparet ex dictis circa primam concluſionem. Deinde poteſt eſſe peccatum mortale, ſaltem contra charitatem, quamuis non det cauſam ſufficientem, modò videat nihilominus infamiam ſequuturam: vt patet ex dictis circa tertiam Concluſionem.

Probatur itaque nunc Concluſio ſic limitata: quia hic taliter referens neque ponit cauſam per ſe infamationis, & obſeruat circumſtantias eſſe tales quod nulla probabiliter de facto infamia ſequetur, ergo ſic ea narrando non peccabit mortiferè, nec contra iuſtitiam, quia veram læſionis cauſam non ponit, nec contra charitatem: quia præuidet quod rebus ſic conſtitutis probabiliter proximus inde nullum damnum, ne quidem occaſionaliter, in fama patietur: ergo ſaltem non mortiferè peccat.

45 Salubrius tamen & ſecurius fuerit etiam in his occaſionibus & circumſtantijs refrenare linguam, præſertim ſi crimina audita ſint grauiora, tum quod huiuſmodi narrationes ſoleãt ferè veſtigium aliquod, ſiue ſuſpicionem aut dubitationem aliquam in animis audientium relinquere, quæ etiam ad quandam infamiam pertinent, nec leue malum reputantur, quando ſunt de crimine grauiori, adeo quod in huiuſmodi narratione poſſit quoque peccatum mortale committi, quando ſuſpiciones aut dubitationes huiuſmodi viderentur ſuborituræ, tum etiam quod ſemper pœnè adſit periculum aliquod ne infamia proximi ſubſequatur, quia ſi non hi adſtantes credant aut ſuſpicentur, poteſt contingere quod vlterius referant alijs qui credant aut ſuſpicentur: quare potius tacendum eſt, in quo nullum eſt malum, ſed magnum meritum & profectus ſpiritualis. *Si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir,* vt dicitur apud D. Iacob. c. 3.

DVBIVM XI.

An defunctorum occulta peccata reuelare pertineat ad peccatum detractionis.

Reſpondetur omninò ad detractionem ſpectare, atque adeò eſſe peccatũ mortale: vt docet P. Nauarr. ſup. n. 351. Mald. ſup. dub. 4. Ratio eſt, quam fama etiam poſt mortem poſſidetur: imò meritò tunc maximè celebratur, quando ex celebratione non imminet periculum ſuperbiæ. 46

Colligitur ex Scripturis: huc enim ſpectat illud Sapientis cap. 7. Eccleſiaſtici: *Mortuo non prohibeas gratiam*, & quod ibidem habetur cap. 11. *Ante mortem ne laudes hominem* &c.

Confirmatur: Quia ſi memoria defuncti honorari poteſt, & capax ſit glorioſæ recordationis, non dubium eſt, quin poſſit quoque eſſe obnoxia obtrectationi. Vnde Ariſtoteles in Problematibus Sect. 29. qu. 9. dicit omninò probroſum & deteſtandum mortuis nocere, & eorum quietem turbare, ac monumentum priuatâ præſumptione quodammodo per detractionem demoliri, quando ſe defendere nequeunt: ac communiter dixerunt Philoſophi, cum laruis pugnare mortuorum obtrectatores. Vnde euidens fit, ad detractionis vitium pertinere defunctorum peccata propalare, atque adeo graue eſſe delictum.

Sed opponet aliquis: Nullum videtur mortuis inferri nocumentum per eiuſmodi reuelationem, cum bona temporalia eis non proſint: fama autem inter temporalia bona numeretur; ergo &c.

Reſpondetur N. Aſſumpt. quia aufertur ipſis fama quæ adhuc eſt bonum quoddam ipſorum: neque ad peccatum etiam mortale detractionis requiritur, vt quod is cui detrahitur, ſuſtineat aliud nocumentum, quàm quod eripiantur ipſi nomen & exiſtimatio bona, quæ in animis hominum poſſidebat: amiſſio enim bonæ exiſtimationis ſatis eſt graue malũ vt mortaliter peccet qui eã cauſat. Ad illud verò quod adiungitur quaſi ad probandũ aſſumptum, dicendum erit, famã quidem inter bona temporalia numerari: ſed hoc illi quaſi peculiare videri, quod quamuis ſit bonũ ſeculare, tamen etiã ſuo modo poſſideatur adhuc à defunctis, forſitã quia eſt bonũ comparatum, per virtutẽ quæ non perit, & propterea eos damnũ pati & iniuriâ affici quando eis eripitur, vt ex Scripturis & authoritatibus allegatis ſatis datur intelligi. Imò obtrectator mortui dicitur quodammodo eum adhuc occidere, quatenus ſcilicet defunctus, ſuo modo in bona ſua fama apud homines viuit, quam detractor tollendo, quaſi vitã ei adimit. Hinc rectè infertur, 47

vt apparet,

vt apparet, non excuſandos Hiſtoricos qui valde infamia mortuorum crimina omnino occulta ſcriptis euulgant: quamuis propter Hiſtoriæ integritatem, communem vtilitatem, & terrorem aliorum, in edendis vitijs non omnino occultis defunctorum pluſculum indulgeant Hiſtoricis quidam Doctores: Ita Soto lib. 5. q. 10. art. 2. Adrian. Quodlib. 11. q. 1. Molina Tract. 4. Diſput. 28.

DVBIVM XII.

Quale ſit peccatum infamare ſeipſum?

48 QVæſtio proponitur hic de ſui infamatione per manifeſtationẽ veri criminis: nam de infamatione quã ſibi quis cauſat per impoſitionem criminis falſi quod non commiſit, agemus Dubio ſeq.

Respondeo Itaque & Dico Primò: Seipſum infamare non eſt peccatum contra iuſtitiam per ſe loquendo. Eſt contra Caietanum hic q. 73. art. 2. & in Summa V. Detractio, quibus locis docet, id eſſe ex genere ſuo contra iuſtitiam: quia putat hominem non eſſe dominum famæ ſuæ. Sed Concluſio tenetur communiter ab alijs, ſicuti & oppoſitum fundamenti ipſius, nempe, quod homo ſit famæ ſuæ dominus, quemadmodum aliarum rerum externarum, prout ſuper Tract. 1. cap. 3. Dub. 9. Docuimus cum Antonino, Adriano, Soto, Nauarro, Couarr. & alijs. Quod etiam colligitur ex D. Thoma hîc q. 73. art. 4. ad 1. vbi dicit, in hominis arbitrio eſſe detrimentum ſuæ famæ pati, ita ſcilicet vt non teneatur vrgere reſtitutionem illius, quamuis intelligat illam per alios eſſe denigratã, niſi forſitã in aliorum vergeret præiudicium: quare ſuã famam quoq; deſtruendo nullum committit iniuſtitiam, per ſe loquendo: quemadmodum neque diſſipando alia bona ſua.

49 Dico Secundò: Peccatum proprium occultum non nimis enorme manifeſtare ſine neceſſitate vel cauſa rationabili videtur peccatum eſſe ex ratione ſua veniale, per ſe loquendo. Concluſio eſt penè communis: Graffij libro cap. 138. Dom. Soto de ſecreto tegendo membro. 1. q. 3. Concl. 3. Nauarri ad Capit. Inter verba Concl. 6. Coroll. 44. Mald. ſup. Dubit. 10. & aliorum: ex quibus nonnulli magis abſolute id aſſerunt. Probat autem Soto, quia non eſt contra iuſtitiam, vt iam oſtenſum eſt: ſed neque contra charitatem, vt apparet, quæ ad temporalia conſeruanda non videtur obligare, niſi quatenus neceſſaria ſunt ad finem ſupernaturalem, ſiue ad bonum ſpirituale noſtrum, aut proximi: ergo non obligat ad famæ conſeruationem ſaltem tam exactam, ſi fama ſecundum ſe tantum conſideretur, quandoquidem etiam inter temporalia bona numeretur.

Confirmatur: quia alioquin quicumque aliquod crimen publicè committeret vnde aliquam notam contraheret, deberet dici committere duplex peccatum mortale: quod nullus ſic videtur apprehendere; ergo &c.

Dixi, abſque neceſſitate vel rationabili cauſa: quia ſi aliqua neceſſitas vrgeat, vel adſit rationabilis cauſa, poterit talis reuelatio fieri ſine omni peccato: vt ſi quis alicui mortem minetur, niſi fateatur crimen ſuum, aut aduertat alium iniuſtè affligendum, niſi aperiat ſuum peccatum.

Similiter poteſt quis tempori & loco velle confuſionem aliquam ſubire ad ſui humiliationem, ad ſatisfactionem pro peccato, ad veniam facilius conſequendam, &c. Imò & ad diuinæ gratiæ & miſericordiæ commendationem poteſt quis publicè peccata ſua explicare, quorum veniam eſt conſequutus: confeſſio enim iſta magis hominem cõmẽdat de pœnitentia & de meliori iam ſtatu vitæ quam explicata ſic peccata nunc quaſi deuicta eum deturpent, aut vituperabilem reddant: ſic D. Auguſt. Anſelmus, & alij Sancti ſua peccata non tantùm verbis, ſed etiam ſcriptis publicis aut confeſſi ſunt, aut deplorarunt ad diuinæ gratiæ exaltationem & commendationem.

Dixi etiam in vtraque Concluſione, Per ſe loquendo: nam inprimis quoad primam Concluſionem, ſi alicui fama ſit neceſſaria ad munus ſuum competenter obeundum, ad quod ex iuſtitia obligatur, dicitur is contra iuſtitiam peccare, ſi peccatum ſuum reuelat, cuius reuelatio reddit illum inidoneum in ordine ad ſuum officium, non quidem quod ſibi famam tollere aut diminuere ſit per ſe contra iuſtitiam, ſed quia voluntariè ſibi impedimentum ponit quo minus queat alijs præſtare ad quod ex iuſtitia illis obligatur, vnde ſi ab illa obligatione vellet ac poſſet ſimul ſe expedire, vt v. g. munus deponendo, aut ſi poſſet, ſtatim nouis virtutum exercitijs ſic labem illam vincere, vt muneri eius præſtando non obeſſet, tum non peccaret quoque hac ex parte contra iuſtitiam, vt docet Soto. libro 4. q. 6. art. 3. ad 4. quemadmodum autem iſto in caſu crimen ſuum apperire eſt contra iuſtitiam, ſic etiam poteſt eſſe peccatum mortale: quod & ex diuerſis alijs circumſtantijs euenire poteſt: vt ſi ex hac manifeſtatione ſequatur notabile ſcandalum ſiue ipſi reuelanti, ſiue alijs, vt ſi ex illa occaſione quod peccatum eius iam eſſet publicum, redderetur ipſe effrænatior ad idem, aut ſimilia committenda, aut ſi proximus ſciens illum commiſiſſe tale peccatum, ipſe quoque permoueretur ad idem, vel alia committenda: 50

quod ſolet facilius accidere in ſubditis, quando audiunt ſuperiores in talibus delinquere. Et hinc Diuus Auguſtin. libro de Bono viduitatis cap. 22. ſic hac de re ſcribit: Dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, æſtimationem hominum non inprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes, cum occidant animas aliorum, ſiue blanſphemantium viam Dei, ſiue etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant: quò ſpectat illud Apoſtoli 1. ad Corinth. c. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam* (ſcilicet per ſcandalum) *in Chriſtum peccatis.* & ſimilia habentur c. 10.

51 Secundò: Si ex criminis manifeſtatione immineret illi periculum vitæ, vt ſi diceret quis alteri, ſe occidiſſe parentem illius, aut violaſſe eius thorum. Ratio eſt, quia hoc non tantùm eſt famæ ſuæ detrimentum inferre, ſed etiam vitam exponere, & alteri dare peccandi occaſionē: à quo dehortatur Sapiens Eccleſiaſtici c. 19. *Amico & inimico noli narrare ſenſum tuum: & ſi eſt tibi delictum, noli denudare: audiet enim te, & quaſi defendens peccatum, odiet te* &c.

Tertiò: Si criminis huiuſmodi reuelatio redundaret in aliorum notam, vel incommodum: vt prolium, familiæ, aut domus religioſæ, ita vt horum exiſtimatio notabiliter inde eſſet lædenda, vel ipſi damno grauiori, aut ſaltem mœrore magno afficiendi.

Quarto: Si iactantiæ cauſâ declaretur, vt quia ſibi adhuc in peccato complacet, eiuſq; refricatione oblectetur: quod Pſaltes reprehendit Pſal. 51. & 93. & Iſaias cap. 3. *Peccatum ſuum*, inquit Propheta, *quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt*. Quamuis itaq; aliquod occultum ſuum peccatum aperire, nō ſit ex ſuâ ratione ſiue ſecundum ſe niſi peccatum veniale, per ſe loquendo, tamen ex eiuſmodi circūſtantijs cōtingit eſſe mortale.

52 Dico Tertiò: Probabiliter multi docent, quòd prodigere omninò famam ſuam in illis quæ pertinent ad vitæ honeſtatem, vt propalando de ſe enormia vitia, ſit ſecundum ſe peccatum mortiferum contra charitatem. Ita docet à Valentia, & quidem verbis magis abſolutis Tom. 3. Diſp. 5. q. 17. puncto 2. vbi ſimpliciter dicit, infamare ſe ſine rationabili cauſa ex genere ſuo eſſe mortale. Mald. ſup. Dub. 10. Soto lib. 4. q. 2. art. vlt. & lib. 5. q. 10. art. 2. Sa V. Infamare, Couar. lib. 1. Var. c. 2. nu. 8. quod potiori ratione dicunt, qui docent eſſe contra iuſtitiam: vt Caiet. V. Detractio: & Turrian. Diſp. 54. Dub. 1. & propterea in Concluſione præcedenti addidi, modò non ſit crimen nimis extraordinariè enorme ſeu graue, quia huiuſmodi criminis publicatio ſine cauſa rationabili ſpectare videtur ad omnimodam famæ profuſionem. Poteſt autem Concluſio

Probari Primò ex Scriptura, quæ tam ſeriò monet, vt cura habeatur de bono nomine, Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni*: & alibi aliquoties inculcat, melius eſſe nomen bonum diuitijs multis & vnguentis pretioſis: vt Prouerb. cap. 22. & apud Eccleſiaſten c. 7. Apoſtolus quoque 2. ad Corinth. 8. ſollicitè præcauet, ne incideret in ſuſpicionem infidelis adminiſtrationis, aut auaritiæ, quando eleemoſynæ apud Corinthios collectæ erant deferendæ ad Eccleſias Macedoniæ: *Deuitantes* (inquit) *hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis, Prouidemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Ex quibus poteſt colligi non eſſe aliquid leue, nomen bonū & famam prodigere.

Probatur Secundò: Ex D. Aug. qui grauiter inuehitur in eos, qui æſtimationem bonam pro nihilo ducunt, vt patet tum ex allegatis eius verbis ſup. tum ex ſimilibus quæ ſcribit Sermone. 44. De diuerſis: Duæ res ſunt (inquit) conſcientia & fama: conſcientia tibi, fama proximo tuo: qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt: maximè in loco iſto poſitus de quo dicit Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum*: Ad Titum cap. 2. & licet Auguſtinus grauius arguat neglectū famæ in eo qui alijs præeſt, tamen etiam grauiter arguit ſimpliciter & generatim in omnibus id ſine cauſa facientibus, quando dicit: *Qui negligit famam, crudelis eſt.*

Similiter quod dicit, fama proximo tuo, intelligit, principaliter ſcilicet ſeruit, & notā eſt, non quod non etiam ipſi ſeruire debeat cuius eſt. Vnde Concluſio

Probatur Tertiò Ratione, quam indicat à Valentia, quia fama de vitæ honeſtate eſt bonum quoddam externum quidem, ſed tale quòd homini eſt valde oportunum, & quodammodo neceſſarium, vt ſit ipſi quaſi frænum ad retrahendum ſe à vitijs, & ſtimulus ſit ad progrediendum in virtutibus, atq; adeo valdè ſit coniunctum ſpirituali fini hominis, quia virtutis per ſe fœtus eſt, & poſt quaſi parens aut cuſtos.

Hinc Scriptura ſacra quæ ad aliorum externorum, vt diuitiarum, & ſimilium contemptum ſolet hortari, non hortatur ad neglectum famæ: ſed è contra nos ſæpius commonet de illâ eſſe ſollicitos, vt ex dictis conſtat; ergo qui hanc prodigit, videtur grauiter contra charitatem erga ſeipſum delinquere. Huc accedit, quod etiam gentiles ex lumine naturalis rationis iudicauerint illud valde eſſe indignum: ſcribit enim Cicero lib. 1. Offic. negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſſe, ſed etiam omnino

Digitized by Google

omnino diſſoluti: & Plato libro 12. de legibus quoque cauit, ne quis parui faciat, probuſne alijs videatur, an improbus; ergo ſine ratione nomen ſuum negligere, non mediocriter videtur rationi aduerſari.

52 Obijcitur Primò: Prodigere opes & ſimiles res externas non eſt ſecundum ſe peccatū mortale, neque contra charitatem: ſed veniale & contra liberalitatem; ergo etiam prodigere nomen & famam ſuam, non videtur ſecundum ſe eſſe mortiferum, ſemotis externis incommodis, quamuis etiam ſine omni cauſa rationabili fiat.

Reſpondetur N. C. & ratio diuerſitatis colligi poteſt ex dictis; quia opes & bona illa fortunæ non habent ex ſe talem ordinem & tantam connectionem cum virtutum exercitijs, & vitiorum fuga, prout habet bona fama de vitæ honeſtate: ſed magis iſta videntur, attentâ hominis corruptione, ſubminiſtrare materiam vitijs & ponere virtutibus impedimentum Vnde Matth. c. 19. dicit Chriſtus: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum calorū*: & iterum, *Si vis perfectus eſſe, vade & vēde omnia quæ habes, & da pauperibus.* vnde mirum non eſt, quod dicatur grauius delictum prodigere famam de honeſtate vitæ, quàm pecunias.

53 Obijcitur Secundò: Apoſtolus videtur planè contemnere famā, & pro nihilo ducere, qualis habeatur apud homines: an probus, an improbus: vtrum diſpenſator fidelis, an infidelis 1. enim ad Corint. cap. 4. ſcribit: *Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die*: & 2. ad Corint. c. 6. *Per infamiam* (inquit) *& bonam famam, vt ſeductores & veraces* &c. ergo famam prodigere non debet cenſeri tam grande delictum.

Reſpondetur Neg. aſſumpt. Quia contrarium oſtendimus ex eodem Apoſtolo. 2. ad Corinthios 8. quare ad primam probationem dicendum eſt, Apoſtolum ibi non loqui de iudicio quo apud eos haberetur malæ famæ, & vt infidelis diſpenſator miſteriorum Dei: ſed de iudicio quo ab eis approbaretur & extolleretur tanquam bonus & fidelis diſpenſator, & huiuſmodi iudicium ipſorum, ſicut & aliorum hominū, dicit ſibi pro minimo eſſe, ita ſcil. quod in eo nō confidat, quaſi propterea reuera eſſet talis: docet enim quod in hominum iudicijs de virtutibus noſtris, non debeamus nimis fidere, & inde ſecuritatem de iuſtitia noſtra ſumere: quemadmodum nec ex proprio iudicio ſiue conſcientia: *Quia*, inquit, *nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum: ſed qui iudicat me, Dominus eſt*: alia enim frequenter ſunt iudicia hominum, alia iudicia Dei: & proinde locus ille nihil facit hîc ad propoſitum.

Ad alteram probationem dicendum eſt, quod ibi Apoſtolus tantùm doceat quòd prædicatores Euangelij fortiter debeant munus ſuum obire, etiamſi illa quæ annunciant, culpentur ab obtrectatoribus & malignis, ipſique eo nomine tanquam mali & ſeductores apud alios traducantur, cùm non niſi homines veritatem, virtutem, & viam iuſtitiæ edoceant: ſed eo caſu non ipſi prodigunt ſiue verbis ſiue factis bonum nomen ſuum: ſed maledicos obloquentes contra veritatem quam prædicant, & contra virtutes quas exercent, patienter tolerant & ſuſtinent.

DVBIVM XIII.

Quale peccatum ſit imponere ſibi falſum crimen ad vitanda tormenta & cruciatus, præſertim ſi propter illud morte quis ſit plectendus?

RESPONDEO & DICO Primò: Detegere crimen ſuum proprium occultum ad euitanda tormenta, vel ad innocentem à morte vel tormentis liberandum, quamuis de illo non fuerit quis iuridicè interrogatus, nullum eſt peccatum, quando inde malū aliud, vt mutilitationis, aut mortis non ipſi imminet. Eſt communis doctrina: & patet ex dictis Dub. præcedenti, quia cùm homo ſit dominus famæ ſuæ poteſt ex causâ tam rationabili ſeipſum famâ priuare, præſertim quādo ſine vero fundamento illā poſſidet, & nullum aliud malum ſequitur. 54

DICO Secundò: Non tantùm licitè quis id facit in caſu poſito: ſed etiam poteſt idem licitè ex iiſdem cauſis, quantumuis etiam videat ex illâ ſui criminis, detectione ſiue confeſſione, mortem aut mutilationem ſibi inſtare. Ita Soto libro. 5. de Iuſtitia q. 1. art. 2. & membro 3. De tegendo ſecreto q. 4. concluſione 1. & Barth. Medina Tractatu 4. diſp. 37. vbi id declarat huiuſmodi exemplis: vt ſi quiſpiam qui crimen morte dignum cōmiſit, & tamen ignoratur ipſum commiſiſſe, ſi tunc videat innocentem ob crimen illud duci ad ſupplicium, aut de eo periclitari, poterit is licitè declarare illum eſſe innocentem, & ſe crimen patraſſe, vt alterum liberet, quamuis ſciat ſe apprehendendum, & capite plectendum: Similiter ſi quis crimen commiſit dignum morte, & ſubijciatur torturæ, quamuis non ſeruato iuris ordine, poterit is licitè crimen ſuum confiteri, vt à cruciatibus torturæ ſe eximat, non tantùm cum famæ iacturâ, ſed etiā cum vitæ amiſſione: Idem docent Nauarra lib. 2. c. 4. n. 134. Salonius, Mald. ſup. dub. 11. & alij. 55

Ratio reddi poteſt: quia imprimis habent iſti rationabilem cauſam exponendi famam ſuam, cuius ſunt domini, præſertim cum ſine

Digitized by Google

ſine vero fundamento eam poſſideant, vt in præcedenti Concl. diximus. Deinde quamuis ad illam criminis detectionem ſiue confeſſionem, mors ſit ſequutura, non tamen ideò ipſi confitentes cenſentur cauſa mortis ſuæ, vel ad eam cooperari: ſed permiſſiuè ad illam ſe habere, quia tantum explicant veritatem, & cedunt iuri ſuo ex iuſtâ cauſâ, quod alioquin habebant ad veritatem celandam, quemadmodum nullus dixerit eum cooperari morti ſuæ, qui iuridicè interrogatus ſecundum legitimum ordinem fatetur crimen ſuum, propter quod ad mortem eſt damnandus.

Nauarrus tamen cap. 18. n. 29. & cap. Inter verba, videtur aliter ſentire de ſecundo exemplo: Sed non apparet ſolidum poſſe aſſignari diſcrimen, cur magis ille cenſeatur morti ſuæ cooperari qui in poſteriori caſu ſe manifeſtat, quàm qui in caſu priori: vbi id licitè fieri poſſe Nauarr. non negaret. Imò addo quòd in vindictam & ſatisfactionem pro crimine proprio, ac ſimul ad conſuetudinem inueteratam grauius peccandi abrumpendam, & vt cum bonâ diſpoſitione quis moriatur, qui alioquin in continuis verſatur facinoribus ac periculis malè pereundi, poſſit etiam talis abſque peccato ſe iudicio ſiſtere, & crimina ſua aperire: quod indicat Scotus in 4. Diſt. 15. q. 3. vbi docet expedire animæ homicidæ, vt ſatisfaciat per paſſiones voluntarias, ſiue patienter ſuſceptas, vt quod luat pœnâ talionis via iuſtitiæ pro homicidio: Vnde (inquit) in locis vbi non eſt pæna talionis pro tanto crimine, conſultum eſt quod homicida in ſatisfactionem ſui delicti exponat vitam in bellis iuſtitiæ pro fide & religione.

56 Dico Tertiò: Haud dubiè nō poteſt quis ſine omni peccato ſe infamare, imponendo ſibi crimen quod non commiſit, quamuis id fieret ad ſe liberandum ex grauiſſimis tormentis, vel à morte quam videt ſibi inſtare, niſi fateatur: cuius tamen remiſſio promittatur ſi crimen agnoſcat. Eſt doctrina communis, & clara.

Probatur: quia in eo, quod quis crimen ſibi imponat, quod non patrauit, intercedit mendacium, vt euidens eſt; atqui nullâ ratione fieri poteſt, quod mendacium ſit licitum, quandoquidem intrinſecè malum ſit; ergo &c. Vnde vincti (inquit Molin. ſup.) qui ob crimen eis falſo impoſitum quod negant, tormentis ſubijciuntur, vel ducuntur ad patibulum, ſunt acriter animandi ad ea omnia conſtanter perferenda, ſibique crimen nullo modo imponendum propter ingens meritum, ac cumulatiſſimum præmium ipſis paratum; eſt enim genus quoddam velut martirij illa perpeti, ne Deum vel veniater offendant. Ponit autem huiuſmodi ferè exemplum: vt eſt quiſpiam de hæreſi conuictus, ſed ex falſis teſtimonijs, propter quam ſupplicio eſt afficiendus; interim promittitur ei vita ſi crimen hæreſis agnoſcat, & veniam roget, non poterit, inquit, ſine peccato hæreſim agnoſcere, in quam non incidit, vt mortem ſic euadat, ſed maximè laudandus erit, ſi mortem potius oppetat, quam mentiri velit.

Dico Quartò: Imponendo tamen ſibi crimen quod non commiſit ad tormenta aut mortem euadendam, non peccabit mortiferè, ſed venialiter tantùm, ſi aliud incommodum non ſit coniunctum. Eſt contra Archidiaconum, Panorm. & ſequaces aliquot, vt refert Couar. lib. 1. Variarum reſol. cap. 2. n. 8. qui docent ſimpliciter eſſe mortale infamare ſeipſum per falſi criminis impoſitionem. Sed concluſio noſtra eſt Couarruuiæ ibidem, Dominici Soto de ſecreto teg. membro 3. q. 4. & pœne communis Scholaſticorum cum Caſuiſtis. 57

Probatur: quia ſi mortiferè peccaret id eſſet, vel quia famam videtur prodigere, & hoc non, quia cum ſit famæ dominus poteſt licitè ex rationali cauſa, vt v. g. ad vitæ conſeruationē, vel grauiorum cruciatuum ſubterfugium illam profundere, vel id foret, quia mendacium committit imponendo ſibi crimen quod non fecit: verū quamuis ex illo capite peccet, non tamen mortaliter delinquit, quia mendacium illud nulli alteri damnum aut præiudicium adfert, vt ſupponitur, ſed authori præſtat officium quod liberetur à morte vel tormentis, vnde non eſt perniciosum, ſed officioſum potius; ergo illa criminis impoſitio ſibi facta non eſt peccatum mortale præciſè quatenus mendacium eſt; ergò &c.

Addidi, ſi aliud incommodum non ſit coniunctum: nam ſi illa criminis confeſſio vergeret in ſcandalum aliorum aut præiudicium Catholicæ religionis, aut in notabilem infamiam familiæ aut communitatis, cuius caput aut membrum eſt, tum ex illis capitibus poterit eſſe peccatum mortiferum.

Dico Quintò: Similiter ad parentem vel amicum à morte, vel magnis tormentis eripiendum non erit peccatum mortiferum, imponere ſibi falſum crimen, quando in quæſtione non proceditur iuridicè, neque aliud malum inde naſcitur, aut imminet. Ita DD. pro Aſſertione præced. allegati: Et probari poteſt ijſdem argumentis: quia mors aut grauis cruciatus parentis vel amici æquiualent quodammodo magnis doloribus quos deberem ipſe ſuſtinere; atqui ſi ad hos ſubterfugiendos, falſò mihi imponam crimen, non peccabo mortaliter, quando aliud malum non eſt adiunctum; ergo non peccabo etiam mortaliter, ſi id faciam ad liberandum parentem vel amicum. 58

Dixi

Dixi, Quando in quæſtione non proceditur iuridicè, quia ſi recto ordine contra eos procedatur, iam talis imponendo ſibi crimen, cooperaretur peruerſioni iudicij, & turbaret iuſtitiam publicam, non ſine iniuria accuſatoris, & ipſius Reipub. Vnde non videtur id poſſe fieri ſine peccato mortifero.

59 Sed contra vtramque Concluſionem iam poſitam opponi poteſt, quod ſcribit D. Aug. libro 1. De ciuitate cap. 2. Falſi teſtimonij (inquit) non minus reus eſt qui de ſe ipſo falſum fatetur, quàm ſi aduerſus proximũ id faceret: atqui ſi aliquis falſò imponeret proximo crimen, quamuis id faceret, vt ſe vel amicum à tormentis eriperet, peccaret mortaliter; ergo &c. Reſpondetur: Ob hanc authoritatẽ nonnulli videntur ſentire hominis mendacium aduerſus ſe ipſum eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, inter quos recenſetur Salonius q. 3. De dominio art. 3.

Sed alij magis cõmuniter tenent contrariũ: quicquid autẽ de illo ſit, certũ eſt, non omne mendacium contra ſeipſum eſſe mortale, quandoquidem nec omne mendacium contra proximum ſit mortale; quia propter materiæ leuitatem poteſt eſſe veniale tantum: imò contrà ſeipſum etiã in materia graui poterit eſſe veniale, ſi quis habeat rationabilẽ cauſam ob quam meritò poſſit eligere magis detrimentum in bonis fortunæ, aut notam aliquam infamiæ quam per mendacium ſibi creat, quàm ſeruare famam integram: vt v.g. quia alioquin eſt in periculo amittẽdæ vitę. Quare ad verba D. Auguſtini dicendum eſt, quod ſenſus ſit, non ideo quempiam immunem eſſe à reatu falſi teſtimonij, quia de ſe ipſo falſum fatetur, ſed non minus, id eſt, æquè ſimpliciter reus iſtius, nõ ſecus quàm ſi aduerſus proximũ id faceret: nõ tamen ideo reatus ille ſemper ęqualis eſt culpæ cum reatu falſi teſtimonij quod quis aduerſus proximum profert: ſicuti nec omnia falſa teſtimonia prolata contra proximum ſunt paris culpæ, quamuis æquè ſimpliciter ſint falſa teſtimonia: creſcit enim grauitas reatus culpæ ex detrimento quod creatur per falſum teſtimonium: cum autem poſſit quis cedere iure proprio ad famam ex iuſta cauſa, hinc teſtimonium aduerſus ſe, quo tantùm amittit famam, poteſt eſſe peccatum veniale tantum, quando ſaltem ex iuſta cauſa fit. Quare ad argumentum neganda eſt Conſeq. & ratio ex dictis iam conſtat.

60 Dico Sextò: Si quis ad leuiora tormenta præ animi mollitie imponat ſibi crimen falſum, ob quod morte eſt plectendus, peccat is mortiferè: ita Soto lib. 5. De iuſtitia q. 10. art. 2. Leſſius lib. 2. c. 11. dub. 7. & videtur eſſe ſententia communis.

Probatur: quia quiſque tenetur vitam ſuam conſeruare etiã cum aliquo dolore & pęnalitate, quando mortẽ nõ eſt commeritus. Deinde, quia in eo caſu cenſeretur ſibi mortem immeritam accerſere, & ſeipſum quodammodo occidere, quia cauſam effingit, & ſine iuſta ratione imponit ſibi propter quam meritò occidatur; ergo &c.

Sed grauis occurrit hîc Diſputatio inter Doctores, Vtrùm mortiferè quoque peccet, qui ad grauiores cruciatus præ quibus mors videtur expetenda iuxta humanum ſenſum, ſubterfugiendos imponit falsò ſibi crimen, propter quod viâ & ordine iuris eſt occidendus? Multi tenent partem negatiuam, qui putant in tali caſu id fieri poſſe abſque peccato mortali, vt Syueſt. V. Detractio: qu. 3. Angel. eodem V. nu. 6. Tolet. lib. 5. c. 66. Leſſius ſup. n. 41. Bonacina De Reſtit. in particulari Diſput. 2. q. 4. punct. 10. nu. 7. & alij quos citat.

61 Dico nihilominus ſeptimò: quod omninò videatur verior ſententia affirmans, quod ſcilicet talis in eo mortiferè delinquat. Ita docet Couar. libro 1. Variar. reſol. cap. 2. n. 8. & in ea ſpecie facti dicit locutos Archidiaconum & Panormitanum cum ſuis ſequacibus, quando dixerunt illum mortiferè peccare, qui ſibi falſum crimẽ imponit. Nau. c. 18. nu. 28. & 29. Idem ex profeſſo tradit Molina Tom. 3. parte poſt. tract. 4. diſp. 37. Concl. 15. & probat huiuſmodi pæne diſcurſu: quia licet homo nõ teneatur cum tanto cruciatu, quantus in tortura infertur (vt alij allegant) vitam quis conſeruare, adhibendo ſcilicet remedia tam dura & doloroſa, vt eſt gehenna: ſed poſſit licitè mortem potius naturaliter oppetere, quã talia remedia applicare, tamen tenetur eiuſmodi dolores & cruciatus potius ſuſtinere quàm morti ſuæ iniuſtè præbere cauſam: quia aliud eſt nõ conſeruare vitam applicatione talium remediorum quę tantos dolores adferũt, & aliud longè eſt præbere cauſã tali ſuæ morti, eiq; cooperari ad dolores abbreuiandos, aut euadendos: quod is videtur facere, qui falsò imponit ſibi crimen morte dignum, ex cuius impoſitione ſeu confeſſione poteſtas publica iuſtè mouetur, & procedit ad mortem tanquam condignam pœnam illi infligendam; quæ tamen à parte rei iuſta eſt: ergo qui id facit cenſendus eſt mortiferè delinquere, quia mendacium committit pernicioſum, quatenus ſibi cauſat ita mortem.

62 Confirmatur Primò ex D. Hieronymo, qui Epiſtola 47. ad Innocentium de muliere ſepties Ictâ ſcribit de quodam Vercellenſi Iuuene, quod ipſe in ſanguinem ſuum ſit mentitus: quia ſcilicet falſi criminis agnitione voluerat vitare longos cruciatus, & quia adulterium ſe commiſiſſe falſo fatebatur, hinc & mulier in diſcrimẽ adducebatur: quæ tamen conſtanter crimen negauit, & ipſi Iuueni obijciebat: At tu miſer homo, ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocẽtes?

tes? quibus verbis tum D.Hieronymus,tum ipſa mulier(in qua tunc Deus magnum operatus fuit miraculũ) planè ſignificant, Iuuenem propter falſam ſuam confeſſionem fuiſſe cauſam, & reum ſuæ mortis iniuſtè: hoc autem neque ad tormenta ſubterfugienda poteſt eſſe licitum, neque ex tormentorum fugâ quæ hic vt finis proponitur aut intenditur, cohoneſtari.

Confirmatur Secundò: Quia ſi quis ſimilibus cruciatibus diuexatus deponeret falſum teſtimonium contra proximum, ex quo videret proximum eſſe occidendum, diceretur ille cooperari morti innocentis, non obſtante quod hoc dixiſſet ad euadenda grauiſſima tormenta, in quibus verſabatur: ergo ſimiliter dicendus eſt cooperari morti innocentis, qui contra ſeipſum deponit falſum teſtimonium ex quo ſecundum Iuris ordinẽ ad mortem damnatur.

Probatur Conſequentia, quia licet quis habeat maius dominium in famam propriam, quàm in famam proximi, & proinde ſibi poſſit falsò famam tollere ſine peccato mortali ad eiuſmodi mala ſubterfugienda, non ſic autem poſſit infamare proximum, non tamen habet maius dominium in vitam propriam; ergo tormenta illa non magis videntur falſum illud teſtimoniũ à ſe contra ſe latũ excuſare à mendacio pernicioſo, quàm excuſent falſum teſtimonium contra proximum, quando ex vtroque mors ſequitur innocentis. Sed contra

63 Obijcitur: ſi ille qui ad euadenda tormenta imponit falsò ſibi crimen propter quod morte plectendus eſt, ſit dicendus morti ſuæ dare cauſam, eique cooperari; ideoque peccet mortaliter, ergo etiam dicendus erit morti ſuæ dare cauſam, & ei cooperari qui crimen ſuum verum, ſed occultũ, detegit de quo non interrogatur iuridicè, & ex cuius manifeſtatione eſt ſupplicio afficiendus, & proinde peccare quoq; mortiferè; quod tamen eſt contra Concluſiones antè poſitas.

Reſpond. N. C. & ratio diuerſitatis aſſignatur in primis huiuſmodi, quod hæc criminis detectio ſiue manifeſtatio nõ ſit cauſa obiectiuè, ſcilicet per modum mali meriti, mortem operans, ſed crimen ipſum admiſſum quod manifeſtatur; ipſa autem manifeſtatio ſit tantũmodo quaſi conditio ſine quâ non: vnde celatio ſiue criminis ſubticentia poteſt dici ſe habere per modũ remedij alicuius cõtra mortẽ,cuius cauſa poſita eſt: quo quidẽ remedio vtendi ius habet reus, ſed ita vt poſſit huic iuri & remedio cedere,præſertim quãdo cauſat illi cruciatus & incommoda morti æquiparanda: Aſt verò ſibi imponendo falſum crimen, ponit quis ipſam cauſam, licet non in vero eſſe, tamen in iuſta iudicis opinione, quæ per modum demeriti mortem operatur, quia ſcilicet poteſtas publica iuſtè formaliter mouetur ex crimine confeſſo ad mortem infligendam; vnde hæc falſa impoſitio criminis non tantùm eſt conditio ſine qua non,ſed vera cauſſa, ac vera cooperatio ad occiſionem in ſe iniuſtam, quam Iudex tanquam condignam pœnam infligit. Ita fere Molina Diſput.37.cit.n.18.

Secundo reſpõderi poteſt, & magis forſitan cũ lectoris ſatisfactione, ad ipſum Antec. quod ſcil. mortaliter peccet imponẽs ſibi falſum crimen,vnde ſecundum ordinem Iuris ad mortem condemnatur, non quod quomodolibet faciat aut dicat aliquid vnde mors ſequitur (neque enim hoc vniuerſaliter eſt illicitum: nam contra quem habetur ſemiplena probatio, & ipſe tunc fatetur crimen, haud dubiè aliquid agit aut dicit quod moraliter ad mortem eius concurrit, nec quiſquam dicet quod in eo peccet, & in multis ſimiliter) ſed quia per falſum de ſe teſtimonium iniuſtè cooperatur morti ſuæ violentæ, quam nouit ipſe à parte rei non eſſe in iuſtitia fundatam: ſicuti falſus teſtis qui contra proximum deponit falſum teſtimonium: non autem ſic per falſum teſtimonium iniuſtè cooperatur morti violentæ; qui ex iuſta ratione manifeſtat crimen ſuum verum, propter quod nouit ſeſe ſecundum iuſtitiam in veritate rei fundatam, eſſe morte plectendũ, ſicuti nec teſtis qui legitimè deponit de vero crimine proximi. Neque refert quod altera occiſio dicatur formaliter iuſta licet materialiter iniuſta, quia id tantùm fit propter inculpatam ignorantiam Iudicis, cui ille ſciens & prudens dat cauſam. Vnde reſpectu ipſius, & cooperationis eius vt mors ab illo procedit, habet rationẽ mortis iniuſtè cauſatæ: atque adeò videtur perinde agere, ac ſi propter grauiores cruciatus fugiendos faceret ſe occidi ab homine qui ſit impos mentis: quæ occiſio etſi vacet culpâ vt fit à tali homine, eſt tamen homicidium reſpectu illius, qui ipſi cauſa eſt quòd occidat. 64

Sed replicabit aliquis: Videtur iſte habere iuſtam & rationabilem cauſam falsò imponendi crimen illud, etſi præuideat ſe propterea morte mulctandum, ſcilicet vt euadat tormenta grauiora morte. Reſpondetur, non eſſe cauſam iuſtam neque ſufficientem, quod vel ex exemplo allegato videtur ſatis conſtare: Nec facilè dabitur ratio diuerſitatis, vti apparet. Deinde non poteſt in ſimili caſu imponere falsò crimen proximo, quando ſciret ex eo, proximum ſecundum iuris ordinem, morte plectendum, non ſolum quia iniuſtè proximum infamaret(quod forſitan in ſeipſum ſine pec-cato mortali poſſet quis committere) ſed vel maximè quia cenſeretur iniuſta cauſa mortis proximi, cuius apud omnes haberetur talis reus, non obſtante iſta ratione, quod tantum dixiſſet falſum teſtimonium contra proxi- 56

Digitized by Google

proximum ad euadenda tormenta quæ patitur. Quidni ergo nō obſtante cauſa allegatâ cenſebitur reus mortis ſuæ quæ infertur ſecundum ordinē Iuris, propter falſum teſtimonium quod in ſanguinem ſuum protulit.

66 Obijcitur Secundo: Qui rogaret latronem aut iudicem, vt ſe occideret potius, quā ſic torqueret, nō cenſeretur cauſa mortis ſuæ: ergo nec ille qui cōtra ſe ipſū ad euadēdā tormēta deponit falſum teſtimoniū ex quo eſt morte plectēdus. R.N.C. quia ille nō dat eis cauſam, quâ licitè & iuſtè moueantur vt ipſum occidant; ſicut hic qui ſibi crimen morte dignum imponit: ſed petitiones illæ adhibentur tantùm tamquam preces efficaciores ad obtinendum, vt à tormentis ſuperſedeant, non vt moueantur ad mortem inferendam. Quòd ſi mortem inferant, iſtius cauſa eſt malitia eorum, nō petitio patientis; quæ & ſi verè talis eſſet, vt mors per eam deſideraretur, non tamen idcirco alij cauſam haberent mortem inferendi.

Addo vlteriùs: Si patiens præuideret eos per ſuam petitionem permouendos, vt mortem inferrent, exiſtimarem eum non poſſe tunc id petere, neq; ſua petitione poſſe procurare ſic mortem tamquam medium, quo à tormentis liberetur. Sicuti ſi quis eſſet in extremis doloribus cuiuſcumq; mali, vel etiam videret ſe ab hoſte cum ſummis cruciatibus interficiendum, non poſſet petere, vt alius præueniat & eum occidat: vnde eo caſu & ſenſu negandum eſſet antecedens: quamuis admittendū bene ſit quempiā poſſe optare & velle ſuſtinere potius mortem quàm tantos cruciatus, ſed non ideo procurare.

67 Dico Octauò: Conſequenter veriùs eſſe dicendū eſt, quod mortiferè peccet qui falsò imponit ſibi crimen parentis vel amici, ob quod ille iuſtè ſeruato iuris ordine, morte erat plectendus, & ſic in ſe mortis ſententiam transfert, vt vitam parentis vel amici conſeruet. Ita quoque Molina & alij pro aſſertione præcedenti citati.

Probari poteſt Primò iiſdem argumentis quibus aſſertio præcedens. Deinde accedit quod talis ſuâ fraude & mendacio peruertat iudicium, ac impediat executionem iuſtitiæ in eum qui commeritus eſt, ac deludit publicam poteſtatē in re grauiſſima ſupponendo innocentem ſe quaſi nocentem loco eius qui verè nocens eſt, atqui nō videtur ſine lethali culpa id poſſe fieri, vnde hoc argumēto quidam ita mouentur, vt licet ſentiant cōtra aſſertionem præcedentem, tamen cum Molina conueniant in caſu huius Concluſionis. Sed

68 Petes Primò, quid ſi pater vel amicus ſit innocens, aut contra iuris ordinem aduerſus illos procedatur?

Reſp. nihilominus alterum ſine peccato mortali non poſſe in iudicio ſibi falſum crimen imponere propter quod ſit morte plectendus: quia mendaciū illud (quamuis non ex formali intentione mentientis) tamē ex ratione ſuâ vt ſic ſit cum talibus circūſtantijs, directè operatur mortē ipſius, quia per illud iuſtè mouetur poteſtas publica, imò quodāmodo obligatur ad mortem illi infligendam: vnde ſic mentiens per mendacium cenſetur morti ſuæ iniuſtę dare cauſā, prout hoc iam explicatum fuit: quod licitū eſſe non poteſt. An verò quis ſine peccato mortali ſibi crimē imponere poſſit apud latronē, vt parentem liberet, plus habet obſcuritatis: quia mendaciū illud, quamuis futurū ſit occaſio mortis, idque præuideatur, non tamen videtur propriè eſſe cauſa illius occiſionis, quia crimen falsò agnitū non poteſt latronē iuſtè mouere, & minus obligare ad mortem inferendā, cum pænes illū non ſit poteſtas vindicandi crimina: quare ipſius malitia tantū erit cauſa illius occiſionis, nō autem propriè falſa confeſſio mentientis quæ fit intuitu liciti finis, vt liberet parentē, pro quo cupit ſubire mortem quam ex ſua malitia latro inferet: vnde ſatis probabiliter dici poterit cum alijs DD. talem in hoc non mortiferè peccare.

Dicet aliquis: Si quis vt ſe vel parentē ex manibus latronis liberet, falsò imponat crimen alteri, propter quod videret illum à latrone eſſe occidendum, cenſeretur is cauſa mortis illius innocentis, quamuis latro ex ſua malitia, eum occideret; ergo ſimiliter qui tali caſu ſibi crimen falsò imponit. 69

R.N.C. quia dum quis ſibi crimen imponit, nulli facit iniuriā cum ſit dominus famæ ſuę, & proinde quando id facit intuitu honeſti finis, ita vt nō ſequatur inde per ſe mors ipſius, tunc illud mendaciū manet in terminis ſimplicis mendacij, nec ſecundum ſe eſt peccatū mortiferū, nec ratione euentus qui ſequitur, quia ad eum permiſſiuè tantū ſe habet iſtis præſuppoſitis: ſed qui falsò imponit alteri crimen, hoc ipſo facit ei grauem iniuriam, & dum ex illa iniuria videt ſequuturā ipſius occiſionem, cenſetur quoque cauſa illius. Deinde eſt alia ratio diuerſitatis: quia poteſt quis propter honeſtum finem aliquid dicere de ſe, vnde Tyrānus arripiet occaſionem illum interficiendi, & ſic morti ſe exponere, vt v.g. declarare ſe Chriſtianū, vel Catholicū in perſecutione ad ædificationē aut confirmationem aliorum, quamuis nondum currat caſus præcepti, quia paratus eſt pati mortē pro fide: & tamen nō poteſt id tali caſu de altero qui latet declarare, qui forſitan ſine neceſſitate non cupit mori pro fide, & ſi diceret, cēſeretur cauſa mortis, in quā inuitus alter eſſet coniectus, quamuis non ſic mortis ſuæ: & idem videtur iudicandū de caſu propoſito. Petes Secūdò: Si quis vi tormentorū adactus falsò impoſuit ſibi crimen propter quod ſecundum iuris ordinem plectendus eſt morte, vtrùm ſub peccato mortali teneatur reuocare ſuam confeſſionem?

Reſp. cum Molina loco cit. eum teneri, ſi 70

Digitized by Google

per reuocationem poſſit tollere aut impedire cauſam mortis ſuæ quam dedit, etiamſi de nouo eſſet tormentis ſubijciendus: quia alioquin cenſebitur voluntariè continuare cooperationem ad ſuam mortem: quemadmodũ ſi quis per falſum teſtimoniũ expoſuiſſet alterũ periculo mortis, teneretur ſub mortali illud reuocare, quãdo reuocando poſſet illũ à periculo liberare, etiam cum propriæ vitæ periculo. Qui tamen docent aliquẽ ſine peccato mortali ſibi poſſe crimẽ imponere vnde morti adiudicabitur, illi conformiter aſſerunt eum nõ obligari ad reuocandum, etiãſi id quoque iuramento affirmaſſet, & ſic peierando mortiferè deliquiſſet, ſi prudenter metuat ſe iterũ ad tormenta raptum iri, quia periurium tranſijt, & non retractando nulli facit iniuriam, ſuppoſito quod per ſuam iuratam contra ſe falſam depoſitionẽ non debeat cenſeri cauſa mortis ſuæ vt illi volunt: culpa autem periurij deletur per veram corã Deo pœnitentiam cum Sacramentali confeſſione, non per retractationem: in quibus ſatis conſequenter loquuntur ad ſua principia. Cęterùm quando reuocatio nõ ſeruiret ad impediendam mortẽ, vel tollenda alia incommoda quibus per falſam ſuam cõfeſſionem dediſſet cauſam, tunc non tenetur reuocare.

Ratio eſt, quia non reuocando non cenſetur iam continuare cooperationem ad mortem: quia in eius poteſtate modò nõ eſt, eam impedire, Syl. tamen V. Detractio q. 3. exiſtimat eum in extremo vitæ ad id obligari. Sed alij communiter contrariũ ſentiunt: Molina autem dicit quod ſemper illud conſuleret, vt quando talis ad patibulũ duceretur, aſſereret coram omnibus, teſtando locum & tempus in quo eſt, rationemq́ue quam proximè Deo eſt redditurus, ſe nunquam id crimen commiſiſſe, ſed metu aut vi tormentorum fuiſſe falſum. Atque ita, inquit, in ſimilibus euentibus, monitu Confeſſariorum, aut eorum qui eos comitantur, adiuuantq́, ad Chriſtianè & ſanctè moriendum, cõſueuerũt facere, qui interficiuntur ob crimen quod non commiſerunt. Et quidem in caſu quo vir aliquis notabilis authoritatis falſò confeſſus fuiſſet crimina ſcandaloſa, ita vt populus ex eius facto & exemplo putaretur prouocandus ad imitationem, aut minorem horrorẽ à ſimilibus criminibus: v. g. ſi Epiſcopus aut Prælatus habitus ſemper à populo bonus Catholicus fuiſſet tractus per inuidiam aliorum in ſuſpicionem de hæreſi, & ad inquiſitionem, & tandem vi aut metu tormentorũ fuiſſet falſò confeſſus crimen hæreſis: vel aliquis habitus ſpectatæ probitatis fuiſſet falſò cõfeſſus crimen nefandum, facilè exiſtimauerim tunc omnino ſententiã Sylueſtri iam cõmemoratam eſſe ſequendam: quod locũ etiam habere poteſt, ſi alioquin familiæ illuſtri, aut notabilis nominis, macula grauior remaneret inuſta.

DVBIVM XIV.

Vtrùm ad cruciatus euadendos poßit quis alterius peccatũ occultũ, vel aliud eius ſecretũ reuelare, præſertim ſi inde alteri immineret mortis periculum?

Dico. Primò: Poteſt quis detegere verum crimen occultũ alterius, vel aliud eius ſecretum particulare ſibi communicatũ, aut caſu cognitum, vt ſe à morte vel grauioribus tormentis liberet, quando ex iſta detectione non imminet alteri periculum aliud, quã cuiuſdam notæ, vel infamiæ aut bonorũ fortunę. Ita docet Molina ſup. n. 10. Soto De tegendo ſecreto memb. 3. q. 4. & lib. 5. q. 10. a. 2. & indicat Nauar. c. 18. n. 54. 71

Probatur: quia nõ tenetur quis cum tanto ſuo malo conſeruare famam alterius, vel res externas proximi, vt ipſe veritatem celando ſubeat mortẽ: nam qui alterius pecunias penes ſe haberet occultatas, poſſet eas demonſtrare potius, quàm ob illas celatas mortem ſubiret, vel graues cruciatus ſuſtineret. Sed

Dices Primò: Qui crimen detegit, nõ tantum non conſeruat famam, ſed poſitiuè eam aufert: hoc autem videtur ſemper illicitum; ergò &c. Reſp. Eſto, quod poſitiuè auferat, (nec enim video quomodo aliter quàm occultum crimen detegendo, quis poſſit poſitiuè famam tollere, quamuis id quidam negent) vnde dicimus id non ſemper eſſe illicitum: qui enim alicui famã tollit aperiendo eius occultas machinationes tendentes ad ruinam Reip. vel occultam eius hęreſim quę tendit ad ſubuerſionem aliorum, in quorum ſe inſinuat conſortium, nõ in eo peccat: quia iſta famæ ſublatio, & ſi poſitiua eſſe admittatur, non eſt formalis detractio, nec expreſſa nec interpretatiua: quia non iniuſtè tollitur fama alterius, ſed bono iure, & ex debitis cauſis: neq; qui ſic operatur, habet ipsã ſublationem famæ pro fine, ſed pro medio neceſſario ad eiuſmodi mala impedienda. Sic itaque in hoc caſu, quamuis admittatur poſitiuè tollere famam, quod etiam indicat Molina ſuprà; non tamen formaliter detrahit, nec expreſsè, nec interpretatiuè: quia quod agit, iure ſuo agit. 72

Dices Secundò: Qui reuelat ſecretum ſibi commiſſum, agit contra fidelitatem, ergo ille hic peccat. 73

Reſp. N. Aſſ. pro caſu præſenti: quia non cenſetur ſecretum illud ſub tam arctâ obligatione recepiſſe, vt nequidem pro vitæ ſuæ conſeruatione, vel grauiſſimorũ tormentorum ſubterfugio poſſet illud aperire, præſertim quando alteri nõ imminent inde ſimilia mala.

Digitized by Google

mala. Quod ſi verò interceſſiſſet fortaſſis expreſſa ſtipulatio, quod nequidem ad mortem euadendam reuelaret, tunc haud dubiè reuelare nō poſſet. Et ſimili ac potiori ratione.

Excipitur caſus, quo quis cognouiſſet occultùm peccatum alterius, vel aliud ſecretum ex Sacramentali confeſſione, quia hęc adfert ſecum ſigillum tam arctum, vt nullâ de causâ licitum ſit illud aperire aut violare: ſed quæcumque mala potius ſint ſuſtinenda.

Dixi in Concluſione, Secretū particulare ſiue priuati hominis, quod illum concernit ſolum, eiuſque commodum vel incommodum: quia ſi eſſet ſecretū vnde ſalus vel perditio, ſiue aliàs grande commodum vel incommodum Reipub. penderet, non quoque illi licitū foret ad eiuſmodi mala mortis ſuæ, aut tormentorum euadenda, illud pandere: quia debet priuatus vitâ exponere pro conſeruatione Reipublicæ, & proinde mortem potius ſuſtinere, quàm aperire ſecreta, vndę Reſpublica perderetur, aut grauia incommoda ſuſtineret: vt docet Molina ſup. n. 9. Soto De tegendo ſecreto loco cit. Nauar. ad Cap. Inter verba: n. 561. & alij communiter.

74 Dico Secundò: Quantumuis etiam immineret alteri ex illa detectione periculum vitę, poteſt quis tamen verum crimen ipſius, aut aliud ſecretum, iuxta ea quæ dicta ſunt, detegere, quando aliter ſe à morte, aut grauibus tormentis liberare non poteſt. Ita quoque authores ſup. citati, & cum eis Pet. Nauarra lib. 2. c. 4. n. 131. & ſeqq.

Ratio reddi poteſt: quia non tenetur quis cum tanto ſuo malo celare veritatem cuius notitiam aſſecutus eſt ſine iniuria cuiuſquā, quamuis præuideat, ſi eam manifeſtet, proximum inde paſſurum ſimile incommodum aut malum: neque habebit iſte iuſtam cauſam conquerendi contra detegentē crimen, aut ſecretum ipſius, in tantâ neceſſitate conſtitutum; ſed meritò debet ſibi totum incommodum, quod patitur, imputare: ſciuit enim aut ſcire debuit, quando in præſentia illius vel aliorum qui id ei ſine eius culpâ, retulerunt, crimen committebat, quod ſi contingeret aliquem iſtorū ad tantas extremitates deuenire, tum licitum illi fore ad ſe à malis in quibus verſatur eximendum, veritatē edicere: neque obligatum eſſe celare veritatem, cum tanto ſuo incommodo. Idem eſto iudicium de ſecreto alteri communicato, quando non interceſſit alia ſtipulatio quæ fuerit acceptata, ſcilicet de illo comprimendo ſub tam arcto ſilentio, vt ne quidem ad mortem euadendam poſſit illud detegere: præſertim quando ſecretum illud non fuit ipſi in vtilitatem eius, communicatum, prout ordinariè non ſolet fieri. Sed

Petes: quid ſi quis per iniuriam, vt vi vel fraude cognouerit alterius occultum crimen vel aliud ſecretum, an tunc licebit illud manifeſtare ex cauſis ſiue in caſibus prædictis?

Reſp. non poſſe tunc ſine peccato, ſi alteri immineat vitę periculum. Quare debet tunc potius tormenta & mortem ſuſtinere, quàm illud detegere. Eſt contra Leſſ. ſup. dub. 8. n. 55. Sed ita tradit Molina ſup. Concl. 10. cum Soto ſuprà, & Nauarro ad Cap. Inter verba n. 561. quos allegat.

Ratio reddi poteſt, quia meritò poteſt alter cōtra talem conqueri, quod vi vel fraude ſecreta eius perueſtigauerit, & nunc ea vertat in ipſius perniciem, vt ſe à cruciatibus vel morte liberet: Hoc enim quid aliud eſt, quàm iniuriam iniuriæ adijcere?

Cōfirmatur: quia vel patitur hæc eò quod ſciatur ipſum cognoſcere ſecreta alterius, vel quaſi fortuitò deſuper examinatur, quamuis ſcilicet id de illo non ſciatur.

Si priori modo, procliue omnino eſt, vt quilibet æquus rerum æſtimator ſentiat & iudicet, quod ille ſibi debeat imputare quod patiatur talia: cur enim ſine neceſſitate per iniuriā ſcrutatus eſt ſecreta alterius? quodq; idcirco minimè liceat ipſi ea prodere in mortē alterius: ſed potius debeat paria ſuſtinere.

Si poſteriori modo, etiam tum meritò tenetur ſe gerere quaſi ignoraret, quia iniuria alteri prius illata nō debet huic ſeruire, vt ſe eximat & conijciat alterum in vitę periculū.

Quando autem non immineret alteri, niſi damnum aliquod in rebus fortunæ, indicat Molina loco cit. poſſe tunc quempiā aperire vt mortem euadat, quamuis per iniuriam cognouerit: modò tamen ſit paratus omne damnum & intereſſe alterius reparare, quod etiam ſignificat Nauar. ſup. c. 18. n. 54. & potiori ratione id dicēt illi, qui putant ſine peccato mortali poſſe tunc in tali caſu reuelari, quāuis ideo verſaretur alter in periculo vitę.

DVBIVM XV.

Vtrum & quale peccatum ſit audire detractiones?

Respondeo & Dico Primò: Qui iubendo, hortando, interrogando, vel ſimili modo inducit vel prouocat alium ad detrahendum, non minus peccat, quàm ipſe detrahens, imò magis; Nec tantum contra charitatē, ſed etiam contra iuſtitiam. Sumitur ex D. Th. hîc q. 73. art. 4. in Corpore, & docent communiter DD. Nauar. c. 18. n. 37. Soto lib. 5. de Iuſtit. q. 10. art. 4. Salon. 2. 2. q. 73. art. 4. Arragon. q. 72. art. 2. P. Nauarra lib. 2. c. 4. n. 336. Molina ſup. Diſp. 34. & alij. 75

Probatur: quia non tantùm peccat affectu detractionis, quatenus eam vult & probat vt ab alio fit, ſed etiam eſt alteri cauſa detrahendi: vnde cum detrahens tantùm ſit reus ſui actus, alter è contra qui illum inducit, reus eſt, & ſui praui affectus, & etiā mali

actus detrahentis, quatenus eius eſt cauſa. Et hinc peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, quando detractor eſt in defectu: imò ſi iuſſerit, tenebitur tamquam principalis ante ipſum qui maledixerit ſiue detraxerit: vt conſtat ex dictis ſuprà Tract. 3. cap. 2. dub. 8.

77 Dico Secundò: Qui detractorem audiendo gaudet ipſis detractionibus vt talibus, eſto quod non inducat, neque ad continuandum prouocet, peccat tamē mortiferè contra charitatem: non contra iuſtitiam. Ita Bonac. ſup. pun. 11. n. 4. cum alijs antè citatis, & quos ipſe allegat ibidem n. 1.

Probatur ex doctrinâ Apoſtoli ad Rom. 1. iuxta quam, morte digni ſunt non tantum qui malè agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus: quemadmodum ſe conſentire talis ſatis declarat ſuo interno applauſu & cōplacentiâ: atque ita dum de graui malo proximi delectatur, delinquit mortiferè contra charitatem.

In prædictis itaque caſibus poteſt locum habere, quod ſcripſit D. Bern. lib. 2. De conſideratione c. 13. circa finem: Detrahere, vel detrahentem audire, vtrum horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Neque enim tantū in caſu primæ Concluſionis contingit audientem peccare damnabilius, vt oſtenſum eſt: ſed etiam in caſu huius ſecundæ poteſt euenire, quod talis audiens peccet grauius, quàm detractor, vt puta, quia ipſemet detrahens non tanto affectu nocendi ſeu diminuendi famam proximi, iſta enarrat, quanto bene cū affectu hic gaudet de denigratione proximi, eamque probat. Non tamen peccat contra iuſtitiā, neque ad reſtitutionē proinde obligatur, quia nullo modo eſt ſermonis diffamatorij cauſa, vti ſupponitur; queādmodum ad reſtitutionē non tenetur qui gaudet de occiſo ſuo inimico, eiuſve damnis, ad cuius mortē vel damna nullo modo fuit cooperatus: niſi forſitan non impediuiſſet, quando poterat, & ex officio & iuſtitiâ tenebatur.

78 Dixi in Cōcluſione: qui gaudet detractionibus audiendis vti talibus: quia poteſt contingere diſplicere alicui famam proximi ſic diminui, aut denigrari, & tamē aliquo modo delectari detrahentis eloquentiâ ac gratiâ dicendi: & huiuſmodi delectatio ex ſe non erit peccatū mortale: Ita Nauar. c. 23. n. 26. Reginal. lib. 24. n. 96. Leſſ. lib. 2. c. 11. dub. 4. n. 20. Bonac. ſup. n. 5. quia delectatio illa non habet materiam grauem pro obiecto. Quod nonnulli exiſtimant etiā locum habere, quando delectatur tantum curioſâ cognitione factorū proximi: ſed cum hęc cognitio factorum proximi quamuis curioſa, ſit ipſa famæ diminutio in animo ipſius, aut ſaltem illam quaſi neceſſariò cauſet, non ſatis apparet, quomodo poſſet quis gaudere auditione detractionis vt cauſa eſt curioſæ cognitionis malefactorū proximi, & non ſentiatur quoque probare famæ diminutionem, quatenus nunc de proximo malam ſimul concipit opinionem, de quo prius habebat bonam.

Dico Tertio: Qui neque inducit aut prouocat, nec gaudet detractionibus quas audit, ſed non impedit, quando poſſet, aliquando mortaliter, aliquādo venialiter tantū peccat: mortaliter peccabit ſi detractio illa pariat grauem infamiā proximi, & poſſit facilè, ſeu abſque notabili aliquo incōmodo impedire, & nō impediat, neque adſit alius per quē videat eam eſſe impediendā. Ita DD. antè cit. 79

Ratio eſt, quia lex charitatis obligat vnūquemque vt graue damnum proximi auertat quando commodè poteſt: & quidem ſi audiens ex obligatione iuſtitię forſitan tenebatur ad impediendum & non impedierit, obligabitur etiam ad reſtitutionem in defectu principalis, de quo amplius dicemus infrà Cap. ſequenti. Peccabit autem venialiter audiens, ſi detractio leuis ſit, aut ſi appareat auditores non intendere nec credere narranti ſiue detrahenti. Addunt aliqui, ſi nimiâ verecundiâ, vel animi puſillaminitate non audeat reſiſtere: verùm non ſatis videtur id tutum, quod propter talia quis excuſaretur, quando nullum incommodū aliud obſtaret: niſi fortaſſis eſſet iunior aut inferioris cōditionis inter alios, vnde putaret ſe nihil profecturum, nec ſibi aliquid deferendū: quo in caſu poſſet excuſari etiam ab omni peccato.

Similiter & tunc excuſabitur quando timeret ſibi magnum aliquod incommodū, vt cōtumelias, aut verbera, vel quid ſimile. Debebit tamen aut diſcedere ſi commodè poſſit, aut ſermonem aliò diuertere, vel ſaltem vultum quaſi auerſantem tales ſermones exhibere: nam hoc modo ſæpius detractio impeditur, vel minuitur ſaltem detractoris feruor: iuxta illud Prouerb. *Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguas detrahentium.* Cæterùm de malitia peccati detractionis, & periculo audientium detrahentes, D. Bern. ſerm. 24. ſuper Cantica ita ſcribit: Omnis qui detrahit primùm quidē ſeipſum prodit vacuum charitate: ferit charitatem in omnibus qui ſe audiunt, linguâ maledicâ: Et quantum in ſe eſt, necat funditus & extinguit. Vides quàm facilè & in breui ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo tabe malitię huius inficere poſſit? Vnus eſt qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento, multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Vnde & præmiſit: Non veniat anima mea in conſilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apoſtolo Detractores Deo odibiles. Vide plura eodem loco, & Sermone de triplici cuſtodia manus, linguæ, cordis huc ſpectantia.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM,

De reſtitutione famæ, à quibus, & in quantum, ac quomodo facienda ſit?

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum ad famæ reſtitutionē teneatur qui propter ignorantiā ſuam, vel erroneū intellectum, vel ſimili de cauſa alteri famam inculpabiliter abſtulit?

1 NON proponimus quæſtionem de illo qui ſciens & volens culpabiliter famam proximi abſtulit, vtrùm ad reſtitutionem teneatur, eò quod talem teneri tamquam ſatis ex generalibus principijs iuſtitiæ ſuprà explicatis, notum, omnino ſupponamus. Vt autem difficultas propoſita facilius explicetur & capiatur, ponemus aliquot caſus eius in particulari: vt v. g. contingit aliquem audiuiſſe malà quædam narrari à viris fide dignis, de quopiam tamquam quæ publica ſunt: quæ proinde bonâ fide ille exiſtimans vera & legittimâ ratione eſſe publicè notoria, narrauit alijs, poſtmodum autem cognoſcit eſſe falſa, vel non fuiſſe publica, aut ſaltem non fuiſſe publica niſi per iniuriā: quæ propterea non potuit licitè vlterius evulgare. Rurſum contingit quod quis audiat referri facta aliqua vera & legitimè publica de vno aliquo, & ipſe intelligat ea tamquā dicta de alio qui iſta non fecit, aut ſi fortè fecerit, ſaltē huius nō ſunt publica, & tamen ille qui ſic audiuit & malè intellexit, divulgat iſta de hoc homine: vbi & accedit ſimul, quod ipſe primus referens ſuo modo poſſit dici ſaltem occaſio iſtius ſubſecutæ narrationis erroneæ ac proinde infamiæ, Quæritur de talibus, vtrùm ad reſtitutionem famæ teneantur.

RESPONDEO & DICO Primò: Qui eiuſmodi modis per ignorantiam ſuam, aut erroneum intellectum proximo famam abſtulit, quamuis abſque ſuo peccato, imò licet etiam id feciſſet apud Superiorē bonâ fide, amore fraternitatis, tenetur tamē, quando errorem recognouerit, ad famæ reparationem, quatenus ſaltem id neceſſarium eſt ad impediendum ne infamia vlterius progrediatur, néue ex infamiâ ſequantur alia damna aut præiudicia infamati: quæ ordinariè nata ſunt ſequi ex infamiâ ſemel ſparſâ, niſi reparetur fama. Ita Fernand. Rebellus De obligationibus lib.4. q.4. Leſſ. lib.2. cap.11. dub.22. Malderus Tract.7. cap.2. dub.1. & alij ſatis communiter tradunt Doctores.

Probatur: quia qui ſine culpâ eſſet cauſa conflagrationis vnius partis domus, tenetur etiam ex iuſtitia impedire, quando aduertit & poteſt, ne incendium ſerpat vlterius, & abſumat etiam aliam partem, ita vt obligetur extinguere ex iuſtitia priorem conflagrationem quando poteſt, ſaltem ad impediendam ſequentem.

Similiter ſi quis ſine culpa poſuit cauſam damni ſequuturi, ſi aduertat, tenetur cauſam tollere ad damnum illud auertendum; ergò ſimiliter qui famā alterius diminuit, vel apud aliquos ſuſtulit, licet ſuſtulerit abſq; peccato, tenetur impedire etiam ex iuſtitia quando errorem ſuum aduertit, ne auferatur in totū, aut apud plures alios: & ſi viderit notā illam quam induxit, licet inculpabiliter, fore alteri cauſam damni, vt v. g. ne beneficiū aut officium aliquod aſſequatur, tenebitur illius damni cauſam amouere per famæ reparationem, quantum poteſt.

DICO Secundò: Si is qui ita abſque culpa ſeu peccato infamātis eſt infamatus, patiatur forſitan ex eiuſmodi infamiâ damnum aliquod, ſtante ignorantiâ & bonâ fide illius qui infamauit, vt ſi ideo nō fuerit aſſequutus officium, aut beneficium quod prętendebat, vel officio ſuo fuerit priuatus, non tenebitur infamator hic inculpabilis alteri ad reparationem illius damni. Ita quoque Malderus & Leſſius ſuprà, & alij. 2

Ratio eſt: quia ignoranter abſq; culpa ſua eſt cauſa iſtius damni, ſicuti propter ignorātiam ſine culpa eſt cauſa infamiæ: non enim eſt damni cauſa, niſi quatenus per ignorantiā inculpabiliter infamauit alterum; ergò non tenetur reſarcire damnū illud, quandoquidem ignorantia ſiue error ponat illum extra culpam reſpectu damni ſequuti, & nō ſit inde factus ditior. Diligenter tamē oportet hic attendere, vtrùm ignorantia vel error verè inculpabilis ſit: quia alioquin vti nō à peccato detractionis, ita nec ab obligatione reſtitutionis huiuſmodi incōmodorū excuſabit.

DICO Tertiò: Si infamator huiuſmodi fuerit in morâ culpabili reſtituendi famam, poſtquam ſuum errorem recognouit, & deinde infamia creſcat, vel propter infamiā de poſt damnum patiatur infamatus, tenebitur qui infamauit & in morâ reparandi fuit, ad famæ reſtitutionē quatenus alterius infamia aucta eſt, & ad damnorū reparationem quæ ſequuta fuerint: idque ex lege iuſtitiæ. Ita DD. citati, quamuis dicat Leſſ. opinionem non eſſe improbabilem eorum, qui dicunt tenere tantùm ex charitate. 3

 Pro-

Digitized by Google

Ratio videtur euidens: quia totum fundamentum cur iſte fuerit excuſatus à peccato Detractionis iniuſtæ, quando crimen falſum alteri impoſuit, eſt hoc, quia is cui impoſitum eſt, fuit voluntarius, ſaltem ſecundum iuſtam aliquam præſumptionem ad ſuſtinendum illud damnum in ſua fama, ad tempus (prout ſupponi debet) vt qui de vita periclitabatur ſic à morte ſe liberaret: atqui licet alter voluntarius fuerit verè aut ſecundum præſumptionem ad illud ferendum tali occaſione, non tamen debet, aut poteſt rationabiliter præſumi fuiſſe vel eſſe voluntarius ad iſtud permittendum aut tolerandum, quòd ille qui ei falsò impoſuit, famam ſuã propriam conſeruet, & ipſe maneat infamis: ergo quando iſta neceſſitas, ſeu periculum vitę ceſſat, omnino cenſendus eſt is qui falſum crimen impoſuit, manere obligatus ad famæ eius reparationem, etiam cum infamatione propriâ, quando hoc modo, & non aliter, reſarciri poteſt: non enim poteſt alius probabiliter præſumi fuiſſe aliter volutarius, niſi cum hac conditione, vt infamationem illam per falſi criminis impoſitionem illatam, iterum aboleret, quamuis cum propriæ famæ deperditione, vbi tormenta & vitæ periculum euaſiſſet.

7 DICO Sextò: Si me narrante de aliquo verum & publicum crimen quiſpiam auditorum intelligat iſtud de alio dici, de quo non ago, vnde contingat quod ipſe hoc de altero diuulget, non tenebor ego ad reſtitutionem iſtius infamiæ, niſi ex charitate ſi commodè queam pręſtare. Ita Leſſius n. 119.

Probatur: quia mea narratio non fuit propriè cauſa illius infamiæ, ſed mala intelligentia audientis, cui ex parte mea non dedi fundamentũ: ſed neque aduerti aut præuidi eam ſequuturam: ergò &c. Addo, ſed neque aduerti &c. quia quando ea eſſet conditio & diſpoſitio audientiũ, vt ijs cõſideratis exiſtimentur illi prudẽter & probabiliter pro ſuo intelligẽdi modo & ratione poſſe ſic apprehendere dictum meum, idque aduertã, tenebor non tantum ex charitate, ſed etiam lege iuſtitiæ me explicare, & periculum erroris remouere: quod ſi neglexero, tenebor poſtea ad famæ reſtitutionem, quia cenſebor fuiſſe cauſa, & voluiſſe alterius infamiam, tametſi ſermones mei apud alios magis perſpicaces, vel rerum & perſonarum magis gnaros, omninò fuiſſent intellecturi de illo de quo loquebar.

Quod tamen aliter etiam ero obligatus ex charitate, ſi commodè reſtituere poſſim, patet, quia hæc omnino poſtulat vt damnum proximi remoueamus quando ſine aliquo notabili incommodo poſſumus, idque magis quando vel aliqualis occaſio damni ſecuturi fuerimus.

DVBIVM II.

An ſuperiores ſiue detrahentis ſiue eius cui detrahitur reddãtur obnoxij reſtitutioni famæ, ſi audiant, & non impediant?

RESPONDEO & DICO Primò: 8
Magiſtratus ciuilis, aut ſæculares Principes ſiue ipſius detrahentis, ſiue eius cui detrahitur, etſi detractorem audiant nec impediant, non idcirco dicendi ſunt obligati ad famæ reſtitutionem: Rebellus ſuprà q. 6. fauet Bannesius 2. 2. q. 73. art. 4. Malderus ſup. Dub. 2. vbi ſcribit, quod nemo dixerit principem ſæcularem ad famam ſubditi ſeruandam ex iuſtitia obligatum, cum eius defenſio (quam ſcilicet debet ſubditis) verſetur potiſſimum circa vitam & fortunas ſubditorum, inquit, ne videlicet in iſtis lædantur, vel ipſi alios lædant: vnde viciſſim ſubditi cenſus, tributa & vectigalia præſtant: ex charitate tamen priùs & arctiùs præ alijs obligantur ad hæc impedienda, tum quia commodiùs poſſunt, tum etiam quia vtilitates à ſubditis recipiunt: ſed non ideo ſi charitatis officium negligant aut omittant, obligationem incurrunt ad famam reſtituendam, quamuis omittendo peccent.

Quod verò attinet ad diffamationes quæ per libellos famoſos fiunt, videntur ratione officij ad illas impediendas oblgari: quia leges ciuiles ſeuerè ſub grauibus pœnis prohibent: legum autem iſtarum cuſtodes eſſe debent magiſtratus ſęculares:: idque in quietem & cõmodum Reipublicæ & Subditorũ.

Vnde ſi nouerint per eiuſmodi libellos ſubditum aliquem diffamari, tenentur impedire, & ſi negligant dum impedire poſſunt, obligabuntur ex iuſtitia ad reſtitutionẽ.

DICO Secundò: Tametſi ſuperiores Eccleſiaſtici, aut Prælati, vel etiam parentes 9
audiant fieri detractiones contra aliquem ex ſuis ſiue reſpectiuè ſubditis, ſiue filijs, & impedire omittant dum poſſunt, non ideo ex iuſtitia erunt obligati ad famam ſiue ſubdito ſiue filio reſtituendam, quamuis multũ delinquant contra charitatẽ aut legem pietatis. Ita Soto lib. 5. de iure & iuſtitia q. 10. art. 4. & cum illo Malderus ſuprà & Leſſ. dub. 23. contra Salonium, vti apparet hic q. 73. art. 4. Probatur, quia munus ad quod ratione officij poſſunt illi reſpectiuè dici obligati ex iuſtitia, non videtur ſe extendere ad famam ſubditi, aut filij ſiue augendam ſiue conſeruandã: ſed Prælatorum munus intendit ad promouendam ſalutem ſuorum ſubditorum, & munus parentum ad debitam ac honeſtam alimentationem & educationem filiorum.

Digitized by Google

Confirmatur, quia licet ſuperior aliquis Eccleſiaſticus, v.g. Decanus videret auferri togam alicuius ſui ſubditi, vt canonici, non teneretur reſtituere, quamuis non impediuiſſet dum poterat. Similiter nec parens ſi vidiſſet auferri bona aliqua caſtenſia filij, vt per ſe ſatis videtur notum; ergo neque tenebuntur ſi audiant eorum famam reſpectiuè lædi vel tolli, & non impediant; par enim iſtorum videtur ratio.

10 DICO Tertiò: Si tamen prædicti ſuperiores audirent diffamari ſuam communitatem, & non impedirent, quando poſſent, obligati erunt ad faciendam reſtitutionem.

Probatur, quia non minus ex officio illis incumbit conſeruare bonum nomen & famam ſuæ communitatis, quàm temporalia bona eiuſdem; atqui ſi viderent hæc auferri, & non impedirent quando poſſent ſine incommodo, tenerentur ad reſtitutionem, ſi haberent vnde reſtituerent: neque enim apparet quis ex iuſtitia tenebitur illa conſeruare, ſi non primo loco ipſe ſuperior: ergo ſimiliter ad reſtitutionem nominis & famæ communitatis, quæ conſeruare neglexerunt. Vnde colligi & inferri poteſt, quando diffamatio vnius ſubditi, v. g. alicuius Religioſi, cederet in notabilem infamiam totius conuentus aut ordinis, Superiorem qui non impedit, quando poteſt, obligationem incurrere ad reſtitutionem ordini aut conuentui faciendam, quamuis non teneatur ſubdito præciſe ratione ſui.

Dicet aliquis: Si prælatus regularis videret auferri tunicam alicuius ſui religioſi, & non impediret, obligabitur ad reparationem damni, vti apparet; ergo ſimiliter quando ipſo audiente & non impediente, tollitur fama alicuius ſui ſubditi.

Reſpondetur: N.C. Quia quod in priori caſu naſceretur obligatio, fieret ideo, quia toga eſt ex bonis ipſius communitatis, penes quam eſt eius dominium, quod non eſt penes ipſum religioſum, & ſic tenebitur quatenus ex officio debet conſeruare bona communitatis, ſecus ſe res habet circa famam religioſi.

DICO Quartò: Superiores Eccleſiaſtici regulares, & etiam parentes ſi audiant reſpectiuè ſubditos ſuos, vel filioſfamilias detrahere alijs, & non impediant quando poſſunt, probabiliter cenſendi ſunt obligati ad famæ reſtitutionem in aliorum defectu.

11 Colligitur ex Salonio hac Parte q.73.art. 4. & alijs. Probatur: quia voluntas religioſi & externæ actiones ab illâ procedentes ſubſunt poteſtati ſuperioris qui habet eas ordinare, & dirigere, ac etiã emendare vel coërcere; ergo ſi in eius præſentia ſubditus proximo damnum inferat, & hic non impediat quando poteſt, meritò imputabitur huic, vtpote qui ad illud moraliter cenſetur concurrere non cohibendo eum quem ex officio cohibere debebat & poterat, imò actio religioſi eo caſu poteſt videri actio Prælati propter ſubordinationem illam voluntatis religioſi ad voluntatem ſuperioris: quemadmodum actio appetitus inferioris cenſetur eſſe ſuperioris, quando non impedit aut refrenat quando eum refrænare poteſt. Similiter cõcluſio locum habet in patre reſpectu filiorumfamilias, qui patriæ ſubſunt poteſtati.

Vnde etiam parentes in foro externo luunt pro exceſſibus filiorum non tantum quando præſentes ſunt dum fiunt; ſed etiamſi abſentes ſint, quia his incumbit ſic filios dirigere & continere, vt alijs nocumentum non inferant; ergo etiam meritò dicuntur in conſcientiâ obligati reſtituere famam quam filij in præſentia eorum abſtulerunt, ſi non impedierint quando poterant.

Dixi in Cõcluſione: ſuperiores Eccleſiaſtici regulares, quia quandoquidẽ ſæculares nõ habeant ita dominium voluntatis ſubditorum ſuorum, neque omnes actiones horum ita illis ſubſint, ſicuti actiones religioſi dependent & ſubſunt imperio prælati ſui, hinc non videntur illi ex officio & iuſtitia obligati impedire, ne aliquis ex ſuis ſubditis detrahat alteri, aut faciat ei iniuriam in præſentia ſua, quemadmodum prælati regulares

DVBIVM III.

An hæredes detractoris ad famæ reparationem teneantur, ſi ipſe eam non reparauerit.

RESPONDEO & DICO Primò: Si iniuſtè infamatus fuerit inde paſſus damnum aliquod aliud temporale, obligantur infamatoris hæredes ad huiuſmodi damni reparationem, perinde ac ipſe detractor fuerit obligatus. Ita Malderus Dub. 3. Leſſ. Dubit. 21. colligitur ex Nauarro cap. 18. n. 41. & Adriano quodlibeto vndecimo, & alijs qui docent hæredes teneri ad reſtitutionem etiam ipſius famæ per pecuniariam compenſationem. 12

Probatur, quia illa obligatio detractoris ad eiuſmodi damna reſarcienda non tantum perſonam eius, ſed etiam bona ipſius reddebat alteri, ſuo modo obnoxia: quemadmodum alia debita, quorum menſura ſolet eſſe pecunia, licet alioquin perſonalia vocentur quatenus non habent rem aliquam determinatam per modum hypothecæ ſibi obligatam; atqui in eiuſmodi obligationes deueniunt qui in bona defuncti ſuccedunt: patet ex Capit. vltimo de ſepulturis, ergo &c.

Declaratur, quia ſi defunctus incendiſſet culpabiliter, v. g. horreum Petri, tenerentur haud dubiè hæredes illius ad damnorum re-

Digitized by Google

rum reparationem, vt colligitur ex cap. In his De Rapt. & etiam ex cap. Finali citato de Sepulturis, vbi dicitur quod tametſi à cēſuris in neceſſitate abſolui poſſint, & abſoluantur illi qui pro homicidio, ſiue alijs maleficijs ibi enumeratis excommunicationi ſunt obnoxij, tamen hæredes illorum teneri de eiuſmodi malefactis: quatenus ſcilicet alijs damnoſa fuerunt, & reparari poſſunt. Imò ſi is mortuus fuerit qui ex infamiâ ſibi illatâ paſſus eſt damna, debebit detractor aut eius hæres iſta reſercire hæredibus infamati qui damna perpeſſi ſunt: quia hi ſuccedunt in omnia iura defuncti, quatenus hæc ſunt quaſi pars quædam hæreditatis.

13 Dico Secundò: hæredes detractoris defuncti non obligantur ex iuſtitia loco ipſius ad famæ reparationem, ſiue diffamatus ſuperſit, ſiue mortuus fuerit. Ita Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. n. 426. Leſſ. ſup. dubit. 22. Mald. loco citato, & videtur eſſe communior DD. ſententia contra Adrianum Quodlibeto. 11.

Ratio reddi poteſt, quia obligatiō ad famæ reſtitutionem merè omnino perſonalis eſt, ſicuti obligatio ad reparandum honorem per ſubmiſſionem erga eum qui per contumeliam læſus fuerit: quia fama non eſt ſecundum ſe pecuniâ æſtimabilis, vt infrà dicetur: Hinc fit, quod debitum eius reſtituendæ ſeu reparandæ non tranſeat cum bonis ad hæredes detractoris, quia ſcilicet debitum illud, ſiue obligatio non afficit bona illa, nec facit ea obnoxia diffamato, præcisè vt paſſus eſt detrimentum in fama: quare obligatio hæc eſt ſimilis rationis cum obligatione voti merè perſonalis: vt ſi quis vouiſſet ieiunare per annum ſingulis diebus Veneris, vel inuiſere limina Apoſtolorum, non tranſit eiuſmodi obligatio ad hæredes ipſius, vt teneantur iſta explere: prout infrà in materia De Voto amplius declarabitur.

14 Dico Tertiò: Detractor tenetur infamato etiam defuncto vt illi famam reſtituat: non autem ad id obligatur propriè hæredibus ipſius defuncti, niſi quatenus forſitan iſta infamia redundat in infamiam ipſorum, aut adferat damnum reale ipſi hæreditati. Ita DD. citati.

Prior pars ſatis conſtat ex dictis ſuprà, vbi oſtendimus, ne mortuis quidem poſſe famam tolli ſine detractionis peccato, & conſequenter non ſine iniuſtitia; quia poſt mortem quis famam ſuam poſſidere poteſt: & proinde ſi quis eam abſtulerit ſiue antè, ſiue poſt mortem, tenetur eam mortuo reſtituere, nam & capax eſt illius, ipſique debetur: Vt dictum fuit.

Altera pars probatur: quia fama eſt bonum ita perſonale, vt ſecundum ſe non poſſit alteri propriè communicari, aut ius eius ſecundum ſe in alium deuolui: vnde fama non tranſit cum bonis fortunæ ad hæredes, ſed ipſa & ius ad illam manet penes defunctum, adeò vt ſi hæres etiam ante mortem detraxiſſet defuncto, teneretur illi ad famæ reparationem, non minus quàm ſi ipſe hæres non eſſet: vt tradit Malderus ſuprà citans Pet. Nauar. & Salonium q. 62. art. 2. Controu. 21. ſecus autem ſe habet res in alijs bonis, ſi enim hæres ex aſſe abſtuliſſet defuncto res alias pecuniâ æſtimabiles, ad nihil inde defuncto teneretur.

Obſeruandum tamen, hæredes defuncti infamati poſſe ſuſcipere ipſius actionem, contra extraneos detractores: & remedio iuris eos compellere ad famæ reſtitutionem ipſi defuncto faciendam, vt obſeruat Mald. ex additionibus Clari q. 91. n. 31. imò aliquando ad id, ſaltem lege pietatis obligari: vel etiam lege iuſtitiæ, ſi teſtator defunctus hoc eis impoſuerit.

DVBIVM IV.

Vtrùm detractor non tantum cum fama propria; ſed etiam cum vitæ periculo teneatur proximo famam reſtituere?

Respondeo & Dico Primò: Detractor obligatur proximo famam reſtituere ordinariè etiam cum propriâ infamiâ, quando aliter reſtituere non poteſt. Ita communis habet doctrina: docent enim Soto libro. 4. q. 6. art. 3. ad 4. dubio 2. Couar. ad reg. peccatum p. 1. n. 6. Pet. Nauarr. lib. 2. cap. 4. n. 438. Banneſius, Arragonius, Peſantius, & alij hîc q. 62. art. 2. Tolect. lib. 5. c. 70. Probatur quia æquiſſimum eſt; vt in pari vel quaſi pari cauſa de incommodo ſuſtinendo, melior cenſeatur eſſe conditio innocentis, quàm nocentis, & qui incommodi illius eſt cauſa. 15

Dixi in aſſertione, Ordinariè: Dubitari enim poteſt, ſi infamator ſit magnæ & illuſtris famæ, vt ſi ſit valde nobilis familiæ, aut prælatus: Is autem quem diffamauit ſit homo plebeius, & non alicuius notabilis nominis aut famæ, Vtrùm talis infamator obligetur cum ſuæ illuſtris famæ amiſſione reſtituere iſti plebeio famam ſuam, ſi aliter non poſſit? id plerique DD. allegati ſentiunt non teneri, vt videre eſt apud Pet. Nauarra ſup. n. 438. cum quibus & ipſe tenet: quia exiſtimant talem infamatum non poſſe rationabiliter exigere reſtitutionem ſuæ famæ cum tanto detrimento infamantis: Contrarium tenet Nauarr. vt loco cit. refert idem P. Nauarra, & colligi poteſt ex ijs quæ ſcribit c. 18. n. 43. vbi dicit eum qui ob vitæ periculum, vel alias rationes reſtituere non poteſt,

16 Dico Secundò: Quando ille qui infamauit eſt perſona publica, aut aliàs talis, quòd eius fama ſit neceſſaria bono Reipub. aut communitatis, non tenebitur cum famæ ſuæ amiſſione reſarcire famam alterius, quæ non ita bono publico eſt neceſſaria. In hac aſſertione facilè conueniunt omnes. Et ratio eſt, quia tenetur quilibet priuatus ſuum priuatum commodum ſiue bonum poſtponere bono publico, & ſi illud exigeret cum detrimento Reipub. irrationabiliter ageret: Hinc ſi prælatus diffamaſſet aliquem ex ſubditis, non teneretur famam reſtituere cum ſua infamia, quando eius fama diſciplinæ & regimini communitatis eſſet neceſſaria.

Dico Tertiò, Quando Infamator eſt Vir illuſtris & notabilis nominis, etiamſi parum interſit Reipublicæ aut communis boni, cuius ille ſit famæ, tamen ſi hic & nunc reſtituere non poſſit abſque boni nominis ſui amiſſione, ſed ſperetur quod poſtmodum abſque læſione famæ propriæ licebit reſtituere alteri, poterit eo caſu reſtitutionem famæ alterius differre. Admittunt & tenent hoc ſine dubio DD. ſuprà priori loco citati: & probari poteſt, quia excuſatur debitor à reſtitutione ſtatim facienda, quando non poteſt modò abſque magna iactura & notabili damno in rebus ſuis, vt ſi deberet domum aut prædium vendere longè inferiori pretio, quàm valeat: expectet autem alia media propediem quibus poterit ſatisfacere: quia contra Charitatem & æquitatem ageret creditor, ſi vrgeret ſolutionem cum tanto creditoris detrimento ad ſtatim: & ſic irrationabiliter procederet, vt latius oſtendimus ſup. Tract. 3. c. 2. dub. 1. ergo multo magis erit indulgenda dilatio, ne quis Vir illuſtris cogatur amittere famam ſuam pro reparatione famæ alterius.

17 Dico Quartò: Verius tamen videtur quod talis, ſi pro tempore futuro ſpes non ſit reſtituendi abſque famæ ſuæ, licet multo maioris, quàm alterius, amiſſione, teneatur nihilominus famam alterius reſtituere etiam cum propriæ perditione. Probatur, quia qui alteri pecuniam debet ex delicto (quamuis ob graue ſuum detrimentum poſſit ad tempus differre) tamen ſi ſpes non ſit aliter reſtituendi, debet ſoluere etiam cum longè grauiori detrimento, quàm ſit debitum quod creditor exigit: vt patet ex dictis ſup. Tract. 3. loco iam cit.

Quidni igitur etiam qui ex delicto tenetur reparare famam, obligabitur id præſtare impendendo ſuam, quamuis hæc ſit illuſtrior, quā fama alterius? Et certè viro mediocri ſua fama, præſertim de vitæ honeſtate, tam eſt conueniens & chara, imo & neceſſaria, quàm viro nobili in caſu poſito. Accedit, quod alioquin nimiùm videantur laxari habenæ Magnatibus & Potentioribus ad maledicendum & detrahendum inferioribus pro libidine ſua, quando ſic à reſtitutione famæ alterius in conſcientia iudicantur liberari: & ſi poſſunt notam euadere, ſine quâ vix ſolet fieri reſtitutio, præſertim quando ſcienter falſum crimen fuit impoſitum. Cæterùm ſi poſſint alios vtcumque in integrum famæ ſuæ reſtituere, laudando eos in illo vel alio genere virtutum, aut etiam exhibendo eis aliquam beneuolentiam, ſiue familiaritatem (quæ media ex omniū ſententia debent ſaltem tentare) tunc bene admiſerim quod ad aliam formam reſtitutionis non ſint obligandi: & ſimiliter quoque liberi erunt ſi vel aliquâ prece vel pretio obtineant ab ijs quos infamarunt, reſtitutionis condonationem.

Ad rationem autem aliorum Reſpondetur, Negando aſſ. illud: non enim is cui ſic ex delicto in ipſum debetur, dicendus eſt idcirco irrationabiliter petere reparationem illā cum petat quod ſibi ex iuſtitia debetur: Quod ſi alter inde magis grauetur, quàm ſit damnum huius, id ſibi & ſuo maleficio imputet, quo ſe in illam neceſſitatem ſubeundi tantum incommodum coniecit, non alteri qui ſolum petit ſibi reſtitui quod ſuum eſt, & cuius multùm intereſt eius.

Dico Quintò: Non tantum cum propriæ famæ detrimento, vt iam explicatum 18 eſt, ſed etiam in certis caſibus tenebitur diffamator cum vitæ ſuæ periculo reſtituere famam, quam falsâ impoſitione ſuſtulit: vt inprimis ſi ex tua falſa detractione verſetur infamatus in vitæ periculo, v. g. ſi propterea capitis ſit condemnatus, aut cōdemnandus, & poſſit detractor eum liberare detegendo ſuam falſitatem & alterius innocentiam, tenebitur eum excuſare, quamuis id non poſſit aliter quàm cum propriæ vitę diſcrimine.

Similiter ad idem obligabitur, ſi ex infamatione quam intulit diffamator, immineant grauia mala Reipublicæ, quæ aliter non poteſt auertere, quàm cum vitæ periculo, famam illi reſtituendo cui eam abſtulit. Ita Malderus tract. 7. cap. 2. Dub. 9. Petr. Nauarr. ſup. n. 413. 405. Medin. Cod. De Reſt. q. 3. cauſa 4. & DD. communiter de vtroque caſu, vt refert Leſſius lib. 2. c. 11. Dubit. 15. n. 91.

Ratio vtriuſque ſatis eſt euidens, quia nō agitur hic tā de famâ proximi nudè & ſimpliciter in ſe conſideratâ reſtituendâ, quàm de vita proximi nunc periculo expoſitâ per culpā detractoris conſeruandâ, aut de grauibus incommodis Reipublicæ auertendis: qui autem iniuſtè cauſauit alteri mortis periculum, vel Rempublicam deduxit in diſcrimen magnorum malorum, tenetur haud dubiè cum diſcrimine vitæ propriæ, mala iſta & pericula reſpectiuè impedire & auertere, quandò id ſic, & non aliter poteſt.

Confirmatur, quia qui culpabiliter cauſam mortis

Digitized by Google

mortis proximi, vel grauium incommodorum Reipublicæ poſuit, cenſetur continuò virtualiter cooperari ad iſta mala, quamdiu cauſam non tollit dum poteſt, atqui cooperari ad talia, eſt intrinſecè malum, ergo obligatur etiam cum vitæ periculo cauſam tollere, vt ſic deſinat eius cooperatio ad talia mala.

19 Dixi in concluſione, quod teneatur in caſibus illis reſtituere cum vitæ periculo famam quam falsâ impoſitione abſtulit; quia ſi quis in tormentis conſtitutus, ad mortem ſiue tormenta eiuſmodi euadenda detexiſſet crimen verum alterius occultum, non teneretur id cum vitæ periculo, iterum obuelare & occultare, etiamſi alter propterea periclitaretur de vitâ, vt ſatis colligi poteſt ex dictis c. præcedenti dubio 14. An verò id extendendum ſit etiã ad caſum quo quis citra neceſſitatem ſeu iuſtam cauſam detexiſſet verum crimen occultum alterius, vnde contingat alterum deuenire in periculum mortis, dubitari poteſt. Apparet namque quod ita: quia vterque verum tantùm crimen proximi detexit, & vtrobique concurrit periculum vitæ in reuocatione ſeu obuelatione detecti criminis faciendâ tam hic quã ibi, vti ſupponitur; ergo ſicuti iſte cum periculo vitæ non tenetur ad iterum tegendum, ita neque hic. Dicendum nihilominus videtur, ad hunc caſum non extendendum: quia ſi omnia benè conſideretur, inueniretur nõ par eſſe vtriuſque ratio per omnia: in hoc namque poſteriori caſu, detractor ſine neceſſitate propriâ coniecit proximum in periculum illud vitæ, detegendo culpabiliter crimen eius occultum, à quo proinde periculo debet meritò eum liberare, etiam cum proprię vitæ diſcrimine; ſibi enim debet id imputare, qui iniuſtè alteri idem periculum creauit; quia in pari cauſa periculi, melior debet cenſeri conditio innocentis, quàm nocentis qui ſuâ culpâ periculi vtriuſque eſt cauſa: quo principio DD. paſſim in ſimilibus vtuntur: in priori autem caſu is qui verum crimen detexit, ſupponitur antecedenter eſſe in tormentis & periculo mortis, à quibus ſe liberandi ius habet per reuelationem veri criminis quod proximus commiſit: vnde ſine culpa huius contingit proximum incidere in illud periculum, & ideo non obligatur hic cum ſuæ vitæ periculo auertere diſcrimen illud in quo verſatur proximus, quia non eſt culpabilis cauſa illius. Similiter quoq; ſi quis per veri criminis iniuſtam reuelationem expoſuiſſet Rempublicam periculo grauioris mali, debebit etiam cum propriæ vitæ diſcrimine famam reſtituere, quando ſic & aliter non poteſt Reipublicæ malum impedire; ſi enim quilibet particularis debet vitam pro Republica exponere, ſanè multo magis hic qui ſuâ culpâ per iniquam detractionem expoſuit eam periculis, quamuis crimen per ipſum detectum fuerit verè commiſſum.

DICO Secundò, quando ex diffamatione 20 non imminet diffamato periculum in bonis ſuperioris ordinis, vt in vita, vel etiam in bonis ſpiritualibus, nec Reipublicæ incommodum, non obligabitur detractor famam reparare cum vitæ ſuę diſcrimine. Eſt contra Dom. Soto libro 4. q. 6. art. 3. ad 4. & alios nonnullos quatenus exiſtimant plebeum hominem ſi diffamauerit aliquẽ illuſtris familiæ de graui crimine, obligari etiam cum periculo vitæ reparare famam.

Sed concluſio penè ab alijs omnibus tenetur. Ita Caiet. hîc q. 62. art. 6. & opuſculo 17. Reſponſionum, Reſp. 14. tom. 2. Opuſc. quibus locis tradit hanc regulã generalem: nunquam rem inferioris ordinis ex iuſtitia eſſe reſtituendam cum iactura rerum ordinis ſuperioris. Quod probat; quia homo non tenetur ex naturâ debiti vendere ſe ipſum, vt reſtituat pecuniam quam furatus eſt: quia libertas (inquit) eſt bonum ſuperioris ordinis inæſtimabile, iuxta illud:

Nec benè pro toto libertas venditur auro.

Idem docent Nauarrus cap. 17. nu. 89. & c. 18. n. 47. Syl. V. Detractio q. 4. §. 2. Corduba libro 1. q. 31. Pet. Nauarra libro 2. cap. 4. num. 405. Malderus ſupra, & alij plurimi.

Probatur, quia adultera quæ marito prolem ſuppoſuit, non tenetur cum periculo vitæ aut famæ declarare factum ſuum, etiamſi legitimi hæredes eſſent magnâ hæreditate priuandi, vt colligitur ex Cap. Cum officij: quod eſt Innocentij Tertij, de pœnitentijs & remiſſionibus: vbi excuſatur, & ad pœnitentiam recipitur mulier quæ timet viro indicare quod prolem ex adulterio ſuſceperit: cuius non videtur eſſe alia ratio, quàm quia vita & fama, quæ periclitarentur ſunt bona altioris ordinis, quàm hæreditates temporales: prout ſup. latius deduximus; ergo ſimiliter non debebit quis ſubire mortem aut eius periculum, vt alteri reſtituat famam, ſecluſis extrinſecis & maioribus incommodis: quando enim æqualitas læſa non poteſt reduci, niſi alter faciat iacturam bonorum ſuperioris ordinis notabilem, tunc meritò videtur habendus excuſatus ab æqualitate tali modo & medio reſtaurandâ. Neq; lęſus cẽſebitur tũ rationabiliter eſſe inuitus. Abſq; peccato tamẽ poterit quis amore iuſtitiæ & æqualitatis reponendæ ſe vitæ periculo exponere, vt famam proximo, quam iniquè illi ſuſtulit, reſtauret, prout rectè docet Malder. ſupra cum Salonio qu. 62. art. 2. Controuerſ. 16.

DVBIVM

DVBIVM V.

Vtrùm ſi fama reſtitui in ſe nequiuerit, debeat compenſari pecunijs?

21 MAgna eſt huius dubitationis affinitas cum illâ, quâ quæritur: an homicida teneatur aliquid in pecunijs perſoluere pro vita occiſi, quam non valet reddere: quare ſicuti ſupra Tractatu. 2. c. 3. dub. 1. oſtendimus iſtius vtramque contradictionis partem eſſe valdè probabilem, propter grauiſſimos authores, qui pro vtraque parte hinc inde ſtant: ita quoque de hac quæſt. dicimus. Affirmatiuam enim partem eius tenent Adrianus Quodlib. 11. Scotus in 4. diſt. 15. Dom. Soto lib. 4. q. 6. art. 3. §. Quid autem: Couar. lib. 1. Variarum cap. 2. n. 8. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 3. & 8. Molina Tractatu 4. Diſput. 5. Arrag. hîc ad quæſt. 62. art. 2. & alij multi: & videtur eſſe expreſſa doctrina D. Thom. q. & art. iam citatis ad 2. vbi ſic ſcribit: Vel ſi non poſſit (inquit) famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicuti & in alijs dictum eſt, ſcilicet ibidem in reſponſione ad Primum, vbi ita habet: Et ideo quando id quod eſt ablatum non eſt reſtituibile per aliquid æquiualens, debet fieri compenſatio qualis eſt poſſibilis, puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia vel in aliquo honore, conſideratâ conditione vtriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri, vt ſcilicet ſi perſona læſa ſit honorabilior quæ non vellet pecunias recipere, compenſetur ei per ſubmiſſionem quandam & reuerentiam illi exhibendam: ſi autem perſona læſa ſit abiectioris aut tenuioris conditionis, & offendens ſit eminentioris cui minus conueniat ſe ſubmittere & humiliare coram læſa parte; tunc hic compenſet in pecunijs prout viri boni & prudentes arbitrabuntur eâ in re eſſe faciendum.

22 Negatiuam verò partem propoſiti dubij tenent Syl. V. Detractio qu. 4. Nauar. cap. 17. n. 90. Pet. Nauar. ſuprà n. 414. Banneſius ad quæſt. D. Thomæ ſupra citatam, & multi recentiores.

Rationes fundamentales vtriuſq; opinionis eædē hîc concurrunt quæ allegari ſolent pro partibus oppoſitis alterius quæſtionis de vita hominis, quas loco citato hinc inde adduximus & ſimul explicuimus, quomodo poſſit quis reſpectiuè ad eas reſpōdere ſecūdū quod hanc vel illam contradictionis partē ſequi voluerit. Quare explicationē pleniorem huius dubij inde petendā relinquimus.

23 Iſtud interim pro certò hîc tenendum eſt, ſi infamator per Iudicem condemnetur ad ſatisfactionem pecuniariam, aut ſi ipſe tranſigat cum eo quem diffamauit de pecuniâ dandâ, omnino teneri ipſum ex iuſtitia ad illam præſtandam: quia ſi ppoſitâ tali iniuria alteri ab infamatore illatâ poteſt Iudex in pœnam criminis imponere eiuſmodi ſatisfactionem, quam tenebitur ille ex iuſtitiâ exſoluere: quia iuſtæ Iudicis ſententiæ debet obedire: â qua ſatisfactione præſtandâ nec liberabitur etſi famam reſtitueret: quia in pœnam delicti poteſt à iudice imponi quædam ſatisfactio ſiue pecuniaria, ſiue alia vltra reparationem damni iniurioſè illati. Similiter conuentiones & pacta iuſta obligant: poteſt autem talis tranſactio iuſtè fieri: quia infamatus habet ius exigendi reparationem famæ, & etiam requirendi à Iudice, vt alteri ſatisfactionem imponat: quare vt his iuribus ſuis cedat, & omne debitum condonet, poteſt cum reo ſiue detractore paciſci de pecuniâ aliquâ ſibi præſtandâ.

DVBIVM VI.

Vtrùm detractor teneatur de omni damno ſecuto ex infamia quam intulit?

RESPONDEO & DICO Primò: Obligatur detractor ad reparandum omne damnum ſecutum ex infamia quam intulit per falſam criminationem. Eſt communis & certa doctrina; nihil enim hîc occurrit quod vel apparenter poſſit eum ſiue in totum, ſiue pro aliqua parte ab iſto onere leuare: quandoquidem ipſe mendaciter crimen fingendo & illud diſſeminando ſit origo & cauſa iniuſta infamiæ, ex qua damnum proceſſit: neque refert, quod forſitan non intenderit expreſsè eiuſmodi damna cauſare, ſatis enim eſt, quod ita ſe geſſerit vt cenſeatur interpretatiuè ea intēdiſſe ac voluiſſe: atqui ita egit hoc ipſo, quo alteri labem infamiæ attulit, quæ eſt quædam veluti tinea aut erugo nata impedire profectum & incrementum bonorum ſeu commodorum, & è contra cauſare damna & varia incommoda. 24

DICO Secundò: tenetur quoque de toto damno infamator qui per iniquam criminis occulti patefactionem cauſauit infamiam vnde damnum proceſſit. Eſt contra Dominicum Soto lib. 4. q. 6. art. 3. circa medium, vbi de tali detractore dicit, eum non teneri in integrum ac ſi per mendacium diffamaſſet alterum; ſed ad arbitrium ſapientum prudentumque virorum. 26

Verùm Concluſio noſtra pene eſt communis. Ita docent Pet. Nauarr. libro 2. cap. 4. num. 373. Nauarr. cap. 18. n. 45. Salonius q. 62. art. 2. Controuerſia 20. Malder. ſup. dub. 4. & plerique alij, qui generaliter & in-

Digitized by Google

& indiſtinctè loquuntur, & dicunt infamatorem teneri ad reſtitutionem omnium damnorum. Et

Probatur: quia ille eſt ſimpliciter iniurioſa cauſa damni totius: nec refert quod crimē commiſſum quoque poſſit dici concurrere, quia non concurrit, niſi vt per ipſum iam patefactum, & quaſi applicatum ad nocendū: ſicuti ſi quis ignem alibi collocatum arripiat & applicet domui vel horreo patrisfamilias, tenebitur ille de toto damno, etiamſi ignis à patrefamilias alibi collocatus, vbi nociturus non erat, etiam hic ad damnum concurrat: quando tamen ſubfuiſſet neceſſitas, vel iuſta cauſa reuelandi crimen, tunc ſi criminoſus patiatur inde incommodum, non habebitur reuelans moraliter cauſa illius, nec ipſi imputabitur: ſed ſimpliciter criminoſus ipſe dicetur cauſa qui ſibi debeat illud imputare: quia ſciebat, aut ſcire debebat, quando committebat crimen, conſcios illius in talibus occaſionibus ſine iniuria & peccato poſſe illud patefacere, ac proinde debere ſe expectare & ſuſtinere incommoda, ſi quæ inde ſequantur, tamquam ab ipſo ſibimet cauſata: vnde qui iuſtè patefecit non ſolùm non tenetur de toto, ſed ne quidem de parte damni: eò quod criminoſus & crimen commiſſum moraliter loquendo cenſeantur ſimpliciter cauſa damni ſequuti, nō autem in tali caſu patefaciens, qui fecit quod licitè & ſine alicuius iniuria facere potuit, vt ex ſuprà dictis du. 4. n. 19. & alibi amplius intelligi poteſt.

Obſeruandum autem hîc eſt, ſi agatur de impedito commodo aſſequendo, nō eſſe reſtituendum tantumdem, quantum hoc in ſe valet: vt v. g. quantum valet aut in ſe æſtimatur officium vel beneficium, in cuius adipiſcendi ſpe tantummodo erat antea is qui infamatus fuit: ſed quanti ſpes illa æſtimari poterat: ſecus ſi propter infamiam deperdidit quod actu obtinebat & poſſidebat: prout in ſimilibus ſuprà aliquoties dictum fuit.

DVBIVM VII.

An diffamator ad famæ reſtitutionē maneat obligatus quando aliâ viâ fuerit famæ redintegrata ſeu infamia abſterſa?

27 Reſp. quando læſus in fama fuerit conſequutus aliâ ratione famæ integritatē, liberatur detractor ab onere eā reſtituendi. Ita DD. communiter: Syl. V. Detractio q. 4. Mol. Tract. 4. Diſp. 40. Soto ſup. à Valentia tom. 3. Diſp. 5. q. 6. pu. 4. Tolet. lib. 5. c. 68. Caiet. & Salon. hîc q. 62. a. 2. & Bonac. De Reſtit. in particulari Diſp. 2. q. 4. pu. 12. n. 1. cōtra Nauar. Cap. Inter Verba. n. 863. inquit

Probatur: quia quod ſublatū fuerat, iam recuperatum eſt, & inæqualitas prius poſita nunc ad æqualitatem eſt reducta; ergo ceſſat obligatio eam reducendi: quemadmodum ſi quis res alterius in fluuium abiecerit, & dominus ipſe, vel alius eas poſtmodū extraxerit, & ſic dominus illas recuperauerit, non tenebitur qui eas abiecerit, ad earū amplius reſtitutionem: ita ergo ſi quis famā proximi lacerauerit, & læſus ipſe innocentiā & probitate vitę, vel bonorum virorum teſtimonio notam eluerit, & famā redintegrauerit, non tenebitur vlterius detractor ad eius reparationem. Si tamen læſus requireret aliquam ſatisfactionem pro iniuria accepta, deberet illam detractor præſtare, ſiue ſecundum ſententiam Iudicis, ſiue iuxta arbitrium bonorū virorum. Ita Bonacina ſuprà, cum alijs.

Petes, quid ſi infamia in obliuionem abierit, vt ſi iuuenis puellam honeſtam infamauerit, quaſi illam defloraſſet: & deinde ſucceſſu temporis homines iſtius dicti vel iactantiæ obliuiſcantur, an tenebitur iuuenis talis ad aliquam reſtitutionem?

Reſp. eiuſmodi manere obligatum ad 28 reſtitutionem, etiam poſt multos annos, ſi periculum ſit, ne aliquando infamia reuiuiſcat: quæ obligatio tunc maximè vrgebit, quando per falſam impoſitionē infamia fuerit cauſata, vt benè monet Caiet. ſuprà: quia hæc certiùs & efficaciùs per detractorem poteſt purgari: quando autem per veri criminis patefactionē fuerit cauſata, tunc non facile memoria eſt renouanda, niſi periculū reminiſcentiæ ſit euidens; quia alioquin ſæpè timendū erit, ne dum voluerit detractor alterius famæ conſulere, magis illi officiat: quando autem nullum eſſet periculum reuiuiſcentiæ, vt perinde ſit ac ſi nunquam dictum fuiſſet, tunc non tenebitur detractor, vt docet benè Nauarrus c. 18. n. 47. contra Caiet. quia alter nullum famæ damnum aut periculum eius cenſetur amplius ſuſtinere: idque locum habet ſiue crimen verum, ſiue falſum fuerit, vt ait ibidē Nauarrus. Neque conſultum fuerit, quærere ab illo apud quos depoſuit aut narrauit crimē ſiue verum ſiue falſum, num alicuius delicti, quod de tali perſona depoſuit, meminiſſent, vt innuit Nauar. cit. loco poſſe fieri, quodque id ſufficeret abſque aliâ reſtitutione (quam videtur requirere Caietanus) quando alter diceret ſe non meminiſſe: quia ex tali inquiſitione natum eſt fieri quod alter incipiat recordari eius quod planè exciderat.

Petes, quantum temporis ſufficiat, vt crimen alteri narratum prudenter cenſeatur traditum obliuioni? Reſpondet Azor. 3. p. lib. 17. c. 7. poſt 20. annos ita communiter cenſeri: Sed Bonac. loco cit. pu. 13. n. 2. dicit ſibi videri dicendū cum alijs DD. id colligi debere ex eo quod multo tempore nulla ſit

Digitized by Google

facta mentio illius criminis: quibus addi poteſt, præſertim ſi aliquando in conferentijs fuerit oblata occaſio refricandi illud, & tamen recommemoratum non fuerit. Hoc interim pro indubitato tenendum eſt, ſi infamatus aliquod aliud damnũ ex infamia paſſus fuerit, hoc eſſe reſarciendũ, quacumque ratione infamia abolita fuerit. Vtrùm verò aliquid reſtituendum ſit pro ipſo damno famæ quod interea temporis ante eius reparationem infamatus ſuſtinuit ab aliquibus, diſputatur: vbi illud certum habetur, infamatũ poſſe per Iudicem compellere diffamatorem ad præſtandam aliquam ſatisfactionem per modũ pœnæ pro iniurioſa eius actione, ſicut dub. præced. indicauimus: quin & hoc dicendum videtur, poſſe eum quoque de rigore petere aliquam compenſationẽ præcisè pro damno quod in fama ſuſtinuit, quatenus hæc fieri poteſt per aliquam ſubmiſſionem, aut honoris præſtationem, vel ſimili modo: quamuis cõmuniter non videantur homines ad hoc attendere, ſed reputare famæ reſtitutionem ſibi ſufficere, vel ſi quid vlterius requirant, id magis per modum amendæ ſeu pænæ pro iniuria exiſtiment præſtandum, quàm per modum ſolutionis ſiue ſatisfactionis pro damno præciſe, quod ad tempus in fama ſua ſuſtinuerunt. Vide Nauarrum ſup. & ſimiliter Pet. Nauarra n. 421.

DVBIVM VIII.

Vtrùm detractorem liberet ab onere reſtituendi, quod crimen alio euentu ſit factum publicũ?

29 RESpondetur liberare, ſi viâ legitimâ, & abſq; iniuriâ interueniente, factum ſit publicum. Ita Syl. V. Detractio q.4. Nauarra lib.2. c.4. n.440. Soto lib.4. de Iuſtit. q.6. a.3. ad 4. Mald. ſup. dub.12. & alij plerique.

Probatur: quia eo caſu perdidit diffamatus, non tantùm famam: ſed ius ad famam, atque ita extinguitur obligatio in detractore, quæ nata erat ex iniuria, & perſeuerabat ratione iuris quod infamato competebat ad famam ſibi debitã & iniquè ſublatam: amiſſo itaq; iure illo ex parte infamati ceſſat & quaſi extinguitur in detractore debitum ſeu obligatio. Poſſet nihilominus agere infamatus contra detractorem ad pœnam pro iniuria prius ſibi illatâ, & ad reparationem damnorum, ſi quæ fuerit paſſus ex infamia priuſquam viâ legitimâ crimen eſſet patefactum.

Dixi, ſi viâ legitimâ & ſine interueniente iniuriâ: quia ſi ex ipſius detractoris narratione vel per aliorum iniuriam fiat publicum, non videtur per hoc infamatus amittere ius ſuum: vnde tam primus detractor, quàm poſteriores ad famę reſtitutionem obligandi ſunt, in quantũ poſſibile fuerit eam raparare: non enim apparet ratio, quare poſterior iniuria liberaret priorem iniuriantem.

DVBIVM IX.

Vtrùm quando duo aliqui ſe mutuò infamarunt, poſſunt vti compenſatione?

DICO Primò: Non ſic poſſe fieri compenſationem infamiæ, vt ſi quis te infamauerit, liceat tibi idcirco famã illius tollere, eumq; infamare: quemadmodũ tametſi domum tuam quis incenderit, non ideo tibi licitum eſt incendere domum illius. Ita Soto loco cit. Petrus Nauarra ſuprà n.396. Mald. ſuprà dub. 14. & alij paſſim. 30

Ratio eſt: quia in iſtis factis eſt tantùm redditio mali pro malo, quæ manifeſtam habet rationẽ vindictæ, quam nullus priuatâ authoritate inferre aut exercere poteſt. Sed

Dices: Si quis furatus fuerit equũ meum, licebit mihi abducere & tollere equum illius, quando id ſine ſcandalo facere poſſum, & aliter nequeam ad damni mei reparationem peruenire; ergo etiam licebit mihi tollere famam, aut incendere domũ alterius, quando aliter nequeo illum ad famæ reſtitutionem inducere aut compellere.

Reſp. N. C. & ratio diuerſitatis aſſignari poteſt, quod in abductione equi, quem tibi tollis, inueniatur & ſpectetur quoddam bonum tuum, ſcilicet vt tantumdem recùperes, quantum tibi deeſt, vt inter te & alterum ſit æqualitas: quod potes licitè curare: Primò quidem per authoritatem publicam, quando ſic poteris obtinere: ſin minùs, etiam priuatâ operâ, modo ſine periculo & ſcandalo fiat: neque eſt hic actus vindictę, ſed redintegrationis tuarum rerum, qui prò tuo particulari iure recuperando adhiberi poteſt: ſed in diffamatione illius qui te diffamauit, vel in exuſtione domus eius qui tuam exuſſit, tantùm inuenitur redditio mali pro malo abſq; aliqua tua commoditate, aut tua ſubleuatione quoad onus vel debitum quo tibi alter tenetur. Vnde actus iſte purè eſt actus vindictæ: & quia de malis cõmiſſis ſumi ſolet vindicta, non in vtilitatem particularis alicuius, qui potuit incommodũ ſuſtinuiſſe ex malefacto alterius, ſed pro iuſta expiatione culpę, & pro bono communi, & conſeruatione publicæ quietis & pacis, propterea particularis non poteſt ſuâ authoritate malum pro malo inferre, nec ita malũ ſuum vindicare, etiamſi per publicam authoritatem non vindicetur: quia illi non eſt cura commiſſa vindicandi delicta, & prouidendi bono publico: & de eius particulari per hoc non agitur, nec illi prouidetur. 31

DICO

32 DICO Secundò; Poſtquam duo aliqui ſeſe mutuo diffamarunt, ſi vnus non velit famæ reſtitutionem facere, poterit alter vti tunc quadam compenſatione, ita vt non teneatur reſtituere, quamdiu ille reſtituere noluerit: ſeruatâ tamen æqualitate quantum fieri poteſt. Ita Adrianus in 4. de Sacramento pœnit. q. De reſtitut. famæ circa finem, §. Circa prædicta: Soto lib. 4. q. 6. a. 3. circa medium: Salonius ſuprà controuerſia 23. Toletus lib. 5. c. 7. Mald. ſuprà, & alij plures contra Nauar. c. 18. n. 47. & Pet. Nauarra ſuprà n. 396. Caiet. 2. 2. qu. 62. art. 2. circa ſolutionem ad 2.

Poteſt probari inprimis ex Cap. Tua fraternitas, de Adulterijs & ſtupro: quod pro hac re Adrian. adducit, vbi dicitur, paria crimina pari compenſatione tolli, adeò, vt ius quod pars læſa priùs haberet in offendentem, illud ipſa amittat quando viciſſim offendit: vt v. g. maritus poteſt negare debitum vxori propter adulterium: ſi autem contingat ipſum quoque committere adulterium, perdit ius illud negandi debitum, vt habet caſus Capituli; ergo ſimiliter poteſt hîc fieri compenſatio. Et

Probatur amplius ratione: quia inter res & res temporales hinc inde ſublatas poteſt fieri cõpenſatio cum debitis circumſtantijs, vt paſſim omnes admittunt, quando altera pars reddere recuſat, vel etiam ex mutua cõuentione: ergo ſimiliter inter iura & iura temporalia hinc inde læſa, & inter onera ſeu debita reparandi hinc inde contracta fieri poterit compenſatio, & per conſequens obligatio quâ teneor alteri ad famam eius reparandam, poterit compenſari cum obligatione qua tenetur ille mihi famam reſtituere quam abſtulit, ita vt ſi non voluerit, maneat mea obligatio quaſi ſopita.

33 Quia tamen hæc compenſatio fieri non debet ab vno ſine conſenſu alterius, hinc ille qui famã reſtituere recuſat, in eo delinquit, quando poteſt & non reſtituit: mutuo autem conſenſu & conuentione poteſt ſic fieri compenſatio ſuper iſtis obligationibus abſque alterutrius peccato, vt vtrimque omnino extinguantur, & vterque ſimpliciter ab illis reſpectiuè abſoluatur. Ex his non erit difficile reſpondere ad rationem qua contrariæ partis authores aliqui mouentur: quæ talis eſſe videtur: quòd damnum reciprocâ infamiâ nõ tollatur, vnde concludunt, ſuper infamijs reciprocis non poſſe fieri compenſationem. Reſp. N. C. inde enim non aliud poteſt colligi, quàm quòd infamia quam quis ſuſtinuit, non poſſit compenſari per infamiæ viciſſim illationẽ: quod circa primam aſſertionẽ ex eodem penè argumento latiùs deduximus: non autem inde colligitur, quod non poſſit cõpenſatio fieri ſuper obligationibus quibus vtrimque tenentur qui ſe mutuò infamauerunt; quia per hanc compenſationem vtraque pars ſentit quoddam commodum, ſcilicet libertatem ab obligatione quâ alteri tenebatur ad famam reparandam. Caietanus poſſet vrgere iuxta ſua principia, quod homo non ſit dominus famæ ſuæ, ſed hoc ex communi penè doctrinâ ſuprà reiectum eſt.

DVBIVM X.

An poſſit quis detractori remittere famæ reſtitutionem?

DICO Primò: Poteſt quis validè eam remiſſionem facere, ita vt detractor nõ 34
teneatur amplius ex iuſtitia ad famæ illius reparationem, quando non complectitur ſimul infamiam aliorum. Ita DD. citati pro aſſertione ſecundâ dub. præced.

Probatur, quia iuxta communem doctrinam contra Caiet. vt modò diximus, quiſque famę ſuę eſt dominus; ergo quemadmodum quiſque poteſt remittere alia debita temporalia rerum quarum eſt dominus, ita & debitum reſtituendæ famæ; quia in cuiuſq; arbitrio eſt pati detrimentum famæ, quando alterius nõ intereſt, vt tradit D. Th. q. 73. a. 4. Vnde addidi, quando huius infamia non cõplectitur ſimul infamiam aliorum; eo enim caſu remiſſio non eſſet abſolutè valida, quia non poteſt condonare obligationem, quâ tenetur alijs, vt v. g. ſi Superior alicuius monaſterij ſit diffamatus quòd mulieres ſuſpectas intromittat, aut intrare permittat ad clauſtra vel conuentũ, non poterit validè remittere diffamatori debitum reſtituendi famam: quia ex illâ notâ ſimul ſubditi eius incurrunt aliquam infamiã quæ reparari non poteſt ſtante infamiâ illâ Superioris: quare tenetur diffamator famã Superioris ex iuſtitia reparare, quatenus ſaltem eſt medium neceſſarium, vt aboleatur infamia ſubditorum, quam Superior remittere non potuit; talis vidêtur etiam infamia parentis de crimine hęreſis, aut proditionis, vel de ſimilibus quæ redundat in filios, vt inde habeantur & ipſi viles, & inhabiles ad officia & certos gradus dignitatis.

Dico Secundò: Poteſt quis non tantùm 35
validè, ſed etiam licitè ac cum merito ſæpiùs famæ reſtituendæ obligationem remittere, quando illa non eſt neceſſaria, vel ad ſpirituale bonũ ipſius, aut ad proximi ædificationem, vel ad ſcandalum aliorũ vitandum, aut ad debitè obeundum munus quo fungitur.

Declaratur: quia extra illos caſus poſſunt honeſtæ rationes ſufficientes occurrere, quare quis debitũ illud ſuo detractori remittat: vt v. g. ad propriam humiliationẽ, ad pœnam & ſatisfactionem pro delictis, de quibus eſt infamatus, ſi ea commiſerit, vel pro delictis alijs, ſi iſta nõ commiſerit. Item ex charitate

Digitized by Google

ad ſubleuandū proximum, cui iſta reſtitutio eſt factu difficilis, & quam fortaſſis cum periculo ſalutis negligeret: propter hęc enim & ſimilia poteſt etiā cum magno merito cedere iuri ſuo, quod illi ad famæ ſuæ reparationem competit, dum ſcil. aliç rationes grauiores in contrarium non concurrunt: quo circa addidi:, quando fama non eſt neceſſaria, &c.

His enim concurrentibus peccaret contra charitatem remittendo reparationē, niſi per ſeipſum ſufficienter poſſit eam ſibi reſtaurare: Interim verò ſi remitteret, valida eſſet remiſſio, & detractor abſolueretur ab obligatione quâ ex iuſtitiā tenebatur eam reſtituere: vt tradit P. Nauar. ſup. n. 39c. & cum illo Mald. ſup. dub. 15. quamuis poſſit teneri adhuc ex charitate, vt ſcilicet illa mala auertat quibus occaſionem dedit. Cui autem ad officium debitè obeundum fama eſt neceſſaria, caſu quo hic remitteret famæ reſtitutionem, neque aliter eam valeret recuperare, deberet is officium à ſe abdicare, alioquin retinendo illud ad quod inidoneus iam eſt, faceret iniuriam ſubditis quorum curam gereret: non tamen hanc iniuriā propriè inferret condonādo, vti apparet, quia ipſe eſt famæ ſuæ dominus, non ſubditi: ſed retinendo officium & nō valens præſtare eis ad quod de iure obligatur: quare ſubditi poſſent tunc agere ad eius amotionē: nō autē videtur, quod poſſint contra detractorem ad reparationem agere, quādo ſuperior condonaſſet, & infamia eius in ipſorum infamiam non redundaret. Denique ſi quis famam ita haberet ex iuſtitia alteri obnoxiam, vt remittendo eius reparationem faceret ſe impotentem ad reddendum quod proximo debet, peccaret is contra iuſtitiā, ſi aliter ab iſto debito ſe expedire non poſſet: in quo DD. ferè videntur conuenire inquit Mald. Videretur nihilominus condonatio valida, modò non cōcernat famā proximi in quantū eſſentialiter quaſi dependeat ab huius fama: licet aliqui aliter ſentiāt. Declaratur à ſimili: ſicut ſi quis multa debeat, & interea ex oblata occaſione donet aliquam partem ſuorum mediorum, vnde redditur impotens ad ſatisfaciendū creditoribus omnibus, vel abliguriat & expendat in vſus indebitos, quamuis peccet talis contra iuſtitiam, quatenus iniuriā facit creditoribus ſic ſine neceſſitate ſeſe reddendo impotentem per eiuſmodi donationem, vel abliguritionē; nihilominus donatio poteſt eſſe valida, & quæ in abliguritionem expoſuit validè eſſe expoſita: & qui recepit, non tenetur in conſcientia ad reſtitutionē, modò non induxerit ad donandū, vel ſic inutiliter expendendum, etiamſi alioquin ſciuerit alterū per hoc fieri impotentem ad ſoluendū: vt docet Nauarra lib. 3. c. 4. n. 218. Mol. Diſp. 327. & cum illis Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 19. & fauet l. vlt. §. 4. D. Quæ in fraudē creditorum: & ratio eſt, quia illæ res nemini ſunt obſtrictæ, & ipſe eſt earum dominus, & nullâ lege eſt inhabilis ad transferendum dominium earum, vt ſupponitur; ergo reipſa rransfert. Ius tamen ciuile concedit crediroribus actionem, quâ poſſint illud repetere, ſi donatarius titulo gratuito acceperit: l. Quod autem 6. D. Quæ in fraudem creditorum: ſed ea de re latiùs infrà.

DVBIVM XI.

Quomodo fama reſtituenda ſit, quæ per falſi, & quomodo quæ per veri criminis impoſitionem eſt ablata?

Dico Primò: Qui per falſi criminis impoſitionem infamauit proximum, tenetur adhibere omnem induſtriā, & omnia media congrua ac licita, vt mala & falſa illa opinio hominū animis eximatur, cuius ipſe exiſtit cauſa: vnde debet apud eos, quā poterit efficaciſſimè reuocare dictum ſuum, non tantùm ſimpliciter dicendo, ſe erraſſe, aut fuiſſe deceptum: ſed etiam ſe effinxiſſe & mentitum fuiſſe, ſi viderit id neceſſarium vt alij opinionem deponant, adhibito etiam iuramento, ſi exiſtimentur aliter nō credituri. Ita Soto lib. 4. q. 6. a. 3. Arragon. 2. 2. q. 62. art. 2. fol. 129. Mald. ſuprà dub. 6. Nauar. c. 18. n. 45. Pet. Nauarra ſuprà n. 378. 45

Ratio eſt, quia tenetur, quantum in ipſo eſt, reuocare efficaciter & cum effectu: vnde & poterit eſſe obligatus ad teſtes adhibēdos, qui deponent de innocentia proximi diffamati, & de falſa criminis impoſitione, quando eos habere poteſt, vt ſumitur ex Soto loco cit. Idque præſertim tunc quando alij haberent probabilem aliquam cauſam exiſtimandi, eum non ex animo, & veritate, ſed pretio vel metu inductum revocare: debet enim omne medium adhibere ad innocentiam falsò diffamati perſuadendam, ita vt auditores meritò poſſint & debeāt illi credere, nec relinquatur eis cauſa opinandi rem fictè geri. Addidi, idque tunc præſertim quandò alij haberent probabilem cauſam &c. quia ſi non haberent aliquam iuſtam rationē, quarè dicenti & iuranti non adhiberent fidem, iam videbitur mala eorū opinio continuata procedere ex ipſorum malitiā, non ex prioribus narratis detractoris tam fortiter nunc ea reuocantis. Vnde hoc caſu poterit locum habere ſententia Nauarri c. 18. n. 45. & Nauarra ſup. n. 378. qui docent detractorem quādo iurauit cōtra ſeipſum de ſuis falſis dictis, non obligari ad teſtes deſuper adhibendos, quia iam maiorē cauſam dedit credendi reuocationem, dum eam iurat, quam credendi illud quod falſò ſimpliciter narrauerat. Nihilominus & in hoc caſu poterit manere obligatio charitatis ad id præſtandum, ſi nimirum ſine ſuo incommodo aliquo graui poſſit adhibere teſtes, & ſic cum effectu famā proximo

Digitized by Google

ximo reſtituere, vt ex antè dictis alibi diuerſis occaſionibus, ſatis colligi poteſt.

46 DICO Secundò: Si qui prauâ & falſâ de proximo opinióne imbuti ſunt, nolint detractori iam dictum ſuum reuocanti cum iuramento & teſtibus legitimis adhibitis fidé adhibere, & prauam opinionem deponere, ad nihil videtur detractor vlterius obligari. Indicant Nauar. & P. Nauar. locis cit. cum alijs.

Ratio reddi poteſt, quia dicta eius nō cenſentur iam eſſe cauſa malæ opinionis, quam retinent: ſed ipſorū peruerſitas & cōtumacia.

47 DICO Tertiò: Quod attinet ad eum qui per veri criminis patefactionem infamauit iniuſtè proximum, obligatur ſimiliter famam reſtituere, quantum poteſt: ſine mendacio tamen. Ita D. Th. hîc q. 62. a. 1. ad 2.

Eſtq; cōmunis & certa doctrina, vt teſtatur Nauarra lib. 2. c. 4. n. 378. vnde nō poteſt dicere, inquit, ſe fuiſſe mentitū (quod eſt cōtra Leſſ.) quia in eo mendaciū admitteret ait. Vnde principalis difficultas hîc eſt in adueniendis & aſſignãdis medijs & loquẽdi modis, quibus id cū ſpe fructus, & ſine mēdacio fieri poſſit. Plures ex diuerſis authoribus recenſet Mal. Tra. 7. c. 2. du. 7. quos apud illū licet videre. Plerique autem non ſatis ei probantur, idque meritò, vtpote qui contineant non ſatis probum, & ſimplicitati hominis Chriſtiani conſentaneū loquendi vſum. Vnde ad illos putat pœnitentes non eſſe adigendos: Addo, nec in eis eſſe inſtruendos: quia verendum eſt, quod eiuſmodi quæſitis artificijs & amphibologijs inſolitis, ac mentalibus reſtrictionibus, ſuo tempore frequentius vtantur ad dolos & fraudes: idque non ſine magno incommodo humanæ ſocietatis & communicationis. Porro D. Th. loco cit. ponit hunc modum: vt ſcil. detractor apud alios dicat, ſe malè aut iniquè de altero male quid dixiſſe, ideoque velint malam opinionem deponere: cum quo ſatis coincidit modus quem Scotus aſſignat in 4. diſt. 15. q. 4. vt ſcil. detractor dicat, ſe malè aut ſtultè loquutum. His ſatis eſt affine, quod ſcribit Molina Tract. 4. diſp. 44. ſe aliquando ſuaſiſſe, vt detractor diceret ſe ex ſua malitia dixiſſe talia de altero: quodque id poſſit iuramento confirmare, ſi opus eſſet: ideoq; debeant opinionem deponere: qui modus videtur plus efficaciæ poſſe habere ad eximendā opinionem prauā: neque mendacium continet, quia verè ex eius iniquitate & malitia proceſſit, quod illa dixerit: nō enim illi licebat dicere, quamuis vera ſint. Poſſet & hic modus adhiberi, quod detractor diceret; ſe erroneè dixiſſe talia de iſta perſona, & valde ſe erraſſe, quando hæc de tali perſona dixit, idque iam certo ſe recognouiſſe: proinde petere, vt ſi quam ſiniſtram opinionem de illa perſona [illegible]is dictis conceperint, eam deponant: [illegible]modus videtur poſſe vtilis eſſe, quatenus ſcil. dum quis ſe erraſſe dicit, audientes ſoleant ſe conuertere ad errorem intellectus, & tamen nō minus verè quis dicatur errare qui errat à recto, quàm qui errat à vero. Eſtque hic loquendi modus etiam in Scriptura vſitatus: ille autem detrahendo per veri criminis occulti reuelationem aberrauit à recto, quamuis non à vero.

Bene autem ad citatum locum. D. Tho. ſuprà monet Caiet. hîc opus eſſe diſcretione circa perſonas apud quas huiuſmodi famę reparatio eſt facienda. Hinc dicit modum à D. Tho. poſitum non eſſe vſurpandum apud homines qui ſunt alicuius ingenij, & norunt qualiter fama ſoleat reparari: quia apud tales quando non diceretur aliud, hoc ipſum eſſet magis confirmatio prioris dicti (inquit) quam famæ reſtitutio; quare coram talibus putat de priori dicto eſſe tacendū: ſed eum cui detractum fuit, coram illis laudandum de alijs virtutibus, aut bonis actibus, inculcando ſimul eſſe virum egregium & præſtantem: & ita in hoc laborare, vt ab eis habeatur talis: quod etiam probant Corduba q. 62. art. 2. circa ſolutionē ad 2. & Soto ſup. idq; moderatò & prudenter faciendū eſt, ne alij aduertant iſta dici pro prioris dicti emendatione, vnde facilè fiat quod magis in opinione priori confirmarentur: quæ Caietani monitio & doctrina videtur ſatis probanda: & poteſt eius quoq; haberi ratio circa modos alios famā reparandi, quos ſubiunximus modo D. Tho. Quod ſi nullus ex dictis modis ſatis cōmodè & cum effectu adhiberi queat, conſultiſſimum erit confugere ad petitionem veniæ, & rogare remiſſionem ab eo cui infamia illata eſt, cum pollicitatione reparandi per cōmendationes & media alia quibus poterit occaſionibus oblatis: quando eiuſmodi veniæ petitio ſine grauiori periculo & incōmodo fieri poteſt. 48

DVBIVM XII.

An detractor teneatur famam reparare apud omnes ad quos infamia deuenit?

QVidam videntur exiſtimare ſatis eſſe, quod retractet apud illos quibus immediate loquutus eſt malè de proximo, ſiue falſum crimen impoſuerit, ſiue verū iniuſtè patefecerit: Alij dicunt etiā apud alios omnes, eum debere retractare qui per primos auditores idē intellexerunt. Tertia deniq; ſententia rectè diſtinguit, & quaſi conciliat vtramque: Ita Pet. Nauarra ſuprà n. 442. qui docet priorem opinionē veram eſſe, quando detractor prudēter potuit exiſtimare primos auditores ſecretò ſeruaturos dictū ſuū. Hinc enim nō obligari de vlteriori diuulgatione, vtpotè quæ poſſit dici fortuitò præter intentionem eius expreſſam & interpretatiuam eueniſſe. 49

 Poſte-

Confirmatur, quia licet ſuperior aliquis Eccleſiaſticus, v.g. Decanus videret auferri togam alicuius ſui ſubditi, vt canonici, non teneretur reſtituere, quamuis non impediuiſſet dum poterat. Similiter nec parens ſi vidiſſet auferri bona aliqua caſtenſia filij, vt per ſe ſatis videtur notum; ergo neque tenebuntur ſi audiant eorum famam reſpectiuè lædi vel tolli, & non impediant; par enim iſtorum videtur ratio.

10 Dico Tertiò: Si tamen prædicti ſuperiores audirent diffamari ſuam communitatem, & non impedirent, quando poſſent, obligati erunt ad faciendam reſtitutionem.

Probatur, quia non minus ex officio illis incumbit conſeruare bonum nomen & famam ſuæ communitatis, quàm temporalia bona eiuſdem; atqui ſi viderent hæc auferri, & non impedirent quando poſſent ſine incommodo, tenerentur ad reſtitutionem, ſi haberent vnde reſtituerent: neque enim apparet quis ex iuſtitia tenebitur illa conſeruare, ſi non primo loco ipſe ſuperior: ergo ſimiliter ad reſtitutionem nominis & famæ communitatis, quæ conſeruare neglexerunt. Vnde colligi & inferri poteſt, quando diffamatio vnius ſubditi, v. g. alicuius Religioſi, cederet in notabilem infamiam totius conuentus aut ordinis, Superiorem qui non impedit, quando poteſt, obligationem incurrere ad reſtitutionem ordini aut conuentui faciendam, quamuis non teneatur ſubdito præciſe ratione ſui.

Dicet aliquis: Si prælatus regularis videret auferri tunicam alicuius ſui religioſi, & non impediret, obligabitur ad reparationem damni, vti apparet; ergo ſimiliter quando ipſo audiente & non impediente, tollitur fama alicuius ſui ſubditi.

Reſpondetur: N.C. Quia quod in priori caſu naſceretur obligatio, fieret ideo, quia toga eſt ex bonis ipſius communitatis, penes quam eſt eius dominium, quod non eſt penes ipſum religioſum, & ſic tenebitur quatenus ex officio debet conſeruare bona communitatis, ſecus ſe res habet circa famam religioſi.

Dico Quartò: Superiores Eccleſiaſtici regulares, & etiam parentes ſi audiant reſpectiuè ſubditos ſuos, vel filiosfamilias detrahere alijs, & non impediant quando poſſunt, probabiliter cenſendi ſunt obligati ad famæ reſtitutionem in aliorum defectu.

11 Colligitur ex Salonio hac Parte q.73.art. 4. & alijs. Probatur: quia voluntas religioſi & externæ actiones ab illâ procedentes ſubſunt poteſtati ſuperioris qui habet eas ordinare, & dirigere, ac etiã emendare vel coërcere; ergo ſi in eius præſentia ſubditus proximo damnum inferat, & hic non impediat quando poteſt, meritò imputabitur huic, vtpote qui ad illud moraliter cenſetur concurrere non cohibendo eum quem ex officio cohibere debebat & poterat, imò actio religioſi eo caſu poteſt videri actio Prælati propter ſubordinationem illam voluntatis religioſi ad voluntatem ſuperioris: quemadmodum actio appetitus inferioris cenſetur eſſe ſuperioris, quando non impedit aut refrænat quando eum refrænare poteſt. Similiter cõcluſio locum habet in patre reſpectu filiorumfamilias, qui patriæ ſubſunt poteſtati.

Vnde etiam parentes in foro externo luunt pro exceſſibus filiorum non tantum quando præſentes ſunt dum fiunt; ſed etiamſi abſentes ſint, quia his incumbit ſic filios dirigere & continere, vt alijs nocumentum non inferant; ergo etiam meritò dicuntur in conſcientiâ obligati reſtituere famam quam filij in præſentia eorum abſtulerunt, ſi non impedierint quando poterant.

Dixi in Cõcluſione: ſuperiores Eccleſiaſtici regulares, quia quandoquidẽ ſæculares nõ habeant ita dominium voluntatis ſubditorum ſuorum, neque omnes actiones horum ita illis ſubſint, ſicuti actiones religioſi dependent & ſubſunt imperio prælati ſui, hinc non videntur illi ex officio & iuſtitia obligati impedire, ne aliquis ex ſuis ſubditis detrahat alteri, aut faciat ei iniuriam in præſentia ſua, quemadmodum prælati regulares

DVBIVM III.

An hæredes detractoris ad famæ reparationem teneantur, ſi ipſe eam non reparauerit.

Respondeo & Dico Primò: Si 12
iniuſtè infamatus fuerit inde paſſus damnum aliquod aliud temporale, obligantur infamatoris hæredes ad huiuſmodi damni reparationem, perinde ac ipſe detractor fuerit obligatus. Ita Malderus Dub. 3. Leſſ. Dubit. 21. colligitur ex Nauarro cap. 18. n. 41. & Adriano quodlibeto vndecimo, & alijs qui docent hæredes teneri ad reſtitutionem etiam ipſius famæ per pecuniariam compenſationem.

Probatur, quia illa obligatio detractoris ad eiuſmodi damna reſarcienda non tantum perſonam eius, ſed etiam bona ipſius reddebat alteri, ſuo modo obnoxia: quemadmodum alia debita, quorum menſura ſolet eſſe pecunia, licet alioquin perſonalia vocentur quatenus non habent rem aliquam determinatam per modum hypothecæ ſibi obligatam; atqui in eiuſmodi obligationes deueniunt qui in bona defuncti ſuccedunt: patet ex Capit. vltimo de ſepulturis, ergo &c.

Declaratur, quia ſi defunctus incendiſſet culpabiliter, v. g. horreum Petri, tenerentur haud dubiè hæredes illius ad damnorum re-

Digitized by Google

rum reparationem, vt colligitur ex cap. In his De Rapt. & etiam ex cap. Finali citato de Sepulturis, vbi dicitur quod tametſi à cēſuris in neceſſitate abſolui poſſint, & abſoluantur illi qui pro homicidio, ſiue alijs maleficijs ibi enumeratis excommunicationi ſunt obnoxij, tamen hæredes illorum teneri de eiuſmodi malefactis: quatenus ſcilicet alijs damnoſa fuerunt, & reparari poſſunt. Imò ſi is mortuus fuerit qui ex infamiâ ſibi illatâ paſſus eſt damna, debebit detractor aut eius hæres iſta reſercire hæredibus infamati qui damna perpeſſi ſunt: quia hi ſuccedunt in omnia iura defuncti, quatenus hæc ſunt quaſi pars quædam hæreditatis.

13 Dico Secundò: hæredes detractoris defuncti non obligantur ex iuſtitia loco ipſius ad famæ reparationem, ſiue diffamatus ſuperſit, ſiue mortuus fuerit. Ita Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. n. 426. Leſſ. ſup. dubit. 22. Mald. loco citato, & videtur eſſe communior DD. ſententia contra Adrianum Quodlibeto. 11.

Ratio reddi poteſt, quia obligatio ad famæ reſtitutionem merè omnino perſonalis eſt, ſicuti obligatio ad reparandum honorem per ſubmiſſionem erga eum qui per contumeliam læſus fuerit: quia fama non eſt ſecundum ſe pecuniâ æſtimabilis, vt infrà dicetur: Hinc fit, quod debitum eius reſtituendæ ſeu reparandæ non tranſeat cum bonis ad hæredes detractoris, quia ſcilicet debitum illud, ſiue obligatio non afficit bona illa, nec facit ea obnoxia diffamato, præcisè vt paſſus eſt detrimentum in fama: quare obligatio hæc eſt ſimilis rationis cum obligatione voti merè perſonalis: vt ſi quis vouiſſet ieiunare per annum ſingulis diebus Veneris; vel inuiſere limina Apoſtolorum, non tranſit eiuſmodi obligatio ad hæredes ipſius, vt teneantur iſta explere: prout infrà in materia De Voto amplius declarabitur.

14 Dico Tertiò: Detractor tenetur infamato etiam defuncto vt illi famam reſtituat: non autem ad id obligatur propriè hæredibus ipſius defuncti, niſi quatenus forſitan iſta infamia redundat in infamiam ipſorum, aut adferat damnum reale ipſi hæreditati. Ita DD. citati.

Prior pars ſatis conſtat ex dictis ſuprà, vbi oſtendimus, ne mortuis quidem poſſe famam tolli ſine detractionis peccato, & conſequenter non ſine iniuſtitia; quia poſt mortem quis famam ſuam poſſidere poteſt: & proinde ſi quis eam abſtulerit ſiue antè, ſiue poſt mortem, tenetur eam mortuo reſtituere, nam & capax eſt illius, ipſique debetur: Vt dictum fuit.

Altera pars probatur: quia fama eſt bonum ita perſonale, vt ſecundum ſe non poſſit alteri propriè communicari, aut ius eius ſecundum ſe in alium deuolui: vnde fama non tranſit cum bonis fortunæ ad hæredes, ſed ipſa & ius ad illam manet penes defunctum, adeò vt ſi hæres etiam ante mortem detraxiſſet defuncto; teneretur illi ad famæ reparationem, non minus quàm ſi ipſe hæres non eſſet: vt tradit Malderus ſuprà citans Pet. Nauar. & Salonium q. 62. art. 2. Controu. 21. ſecus autem ſe habet res in alijs bonis, ſi enim hæres ex aſſe abſtuliſſet defuncto res alias pecuniâ æſtimabiles, ad nihil inde defuncto teneretur.

Obſeruandum tamen, hæredes defuncti infamati poſſe ſuſcipere ipſius actionem, contra extraneos detractores: & remedio iuris eos compellere ad famæ reſtitutionem ipſi defuncto faciendam, vt obſeruat Mald. ex additionibus Clari q. 91. n. 31. imò aliquando ad id, ſaltem lege pietatis obligari: vel etiam lege iuſtitiæ, ſi teſtator defunctus hoc eis impoſuerit.

DVBIVM IV.

Vtrùm detractor non tantum cum fama propria; ſed etiam cum vitæ periculo teneatur proximo famam reſtituere?

Respondeo & Dico Primò: Detractor obligatur proximo famam reſtituere ordinariè etiam cum propriâ infamiâ, quando aliter reſtituere non poteſt. Ita communis habet doctrina: docent enim Soto libro. 4. q. 6. art. 3. ad 4. dubio 2. Couar. ad reg. peccatum p. 1. n. 6. Pet. Nauarr. lib. 2. cap. 4. n. 438. Banneſius, Arragonius, Peſantius, & alij hîc q. 62. art. 2. Tolet. lib. 5. c. 70. Probatur quia æquiſſimum eſt, vt in pari vel quaſi pari cauſa de incommodo ſuſtinendo, melior cenſeatur eſſe conditio innocentis, quàm nocentis, & qui incommodi illius eſt cauſa. 15

Dixi in aſſertione, Ordinariè: Dubitari enim poteſt, ſi infamator ſit magnæ & illuſtris famæ, vt ſi ſit valde nobilis familiæ, aut prelatus: Is autem quem diffamauit ſit homo plebeius, & non à cuius notabilis nominis aut famæ, Vtrùm talis infamator obligetur cum ſuæ illuſtris famæ amiſſione reſtituere iſti plebeio famam ſuam, ſi aliter non poſſit? id plerique DD. allegati ſentiunt non teneri, vt videre eſt apud Pet. Nauarra ſup. n. 438. cum quibus & ipſe tenet: quia exiſtimant talem infamatum non poſſe rationabiliter exigere reſtitutionem ſuæ famæ cum tanto detrimento infamantis: Contrarium tenet Nauarr. vt loco cit. refert idem P. Nauarra, & colligi poteſt ex ijs quæ ſcribit c. 18. n. 43. vbi dicit eum qui ob vitæ periculum, vel alias rationes reſtituere non poteſt,

Digitized by Google

16 DICO Secundò: Quando ille qui infamauit eſt perſona publica, aut aliàs talis, quòd eius fama ſit neceſſaria bono Reipub. aut communitatis, non tenebitur cum famæ ſuæ amiſſione reſarcire famam alterius, quæ non ita bono publico eſt neceſſaria. In hac aſſertione facilè conueniunt omnes. Et ratio eſt, quia tenetur quilibet priuatus ſuum priuatum commodum ſiue bonum poſtponere bono publico, & ſi illud exigeret cum detrimento Reipub. irrationabiliter ageret: Hinc ſi prælatus diffamaſſet aliquem ex ſubditis, non teneretur famam reſtituere cum ſua infamia, quando eius fama diſciplinæ & regimini communitatis eſſet neceſſaria.

DICO Tertiò, Quando Infamator eſt Vir illuſtris & notabilis nominis, etiamſi parum interſit Reipublicæ aut communis boni, cuius ille ſit famæ, tamen ſi hic & nunc reſtituere non poſſit abſque boni nominis ſui amiſſione, ſed ſperetur quod poſtmodum abſque læſione famæ propriæ licebit reſtituere alteri, poterit eo caſu reſtitutionem famæ alterius differre. Admittunt & tenent hoc ſine dubio DD. ſuprà priori loco citati: & probari poteſt, quia excuſatur debitor à reſtitutione ſtatim facienda, quando non poteſt modò abſque magna iactura & notabili dámno in rebus ſuis, vt ſi deberet domum aut prædium vendere longè inferiori pretio, quàm valeat: expectet autem alia media propediem quibus poterit ſatisfacere; quia contra Charitatem & æquitatem ageret creditor, ſi vrgeret ſolutionem cum tanto creditoris detrimento ad ſtatim: & ſic irrationabiliter procederet, vt latius oſtendimus ſup. Tract. 3. c. 2. dub. 1. ergo multo magis erit indulgenda dilatio, ne quis Vir illuſtris cogatur amittere famam ſuam pro reparatione famæ alterius.

17 DICO Quartò: Verius tamen videtur quod talis, ſi pro tempore futuro ſpes non ſit reſtituendi abſque famæ ſuæ, licet multo maioris, quàm alterius, amiſſione, teneatur nihilominus famam alterius reſtituere etiam cum propriæ perditione. Probatur, quia qui alteri pecuniam debet ex delicto (quamuis ob graue ſuum detrimentum poſſit ad tempus differre) tamen ſi ſpes non ſit aliter reſtituendi, debet ſoluere etiam cum longè grauiori detrimento, quàm ſit debitum quod creditor exigit: vt patet ex dictis ſup. Tract. 3. loco iam cit.

Quidni igitur etiam qui ex delicto tenetur reparare famam, obligabitur id præſtare impendendo ſuam, quamuis hæc ſit illuſtrior, quã fama alterius? Et certè viro mediocri ſua fama, præſertim de vitæ honeſtate, tam eſt conueniens & chara, imo & neceſſaria, quàm viro nobili in caſu poſito. Accedit, quod alioquin nimiùm videantur laxari habenæ Magnatibus & Potentioribus ad maledicendum & detrahendum inferioribus pro libidine ſua, quando ſic à reſtitutione famæ alterius in conſcientia iudicantur liberari: & ſi poſſunt notam euadere, ſine quâ vix ſolet fieri reſtitutio, præſertim quando ſcienter falſum crimen fuit impoſitum. Cæterùm ſi poſſint alios vtcumque in integrum famæ ſuæ reſtituere, laudando eos in illo vel alio genere virtutum, aut etiam exhibendo eis aliquam beneuolentiam, ſiue familiaritatem (quæ media ex omniũ ſententia debent ſaltem tentare) tunc bene admiſerim quod ad aliam formam reſtitutionis non ſint obligandi: & ſimiliter quoque liberi erunt ſi vel aliquâ prece vel pretio obtineant ab ijs quos infamarunt, reſtitutionis condonationem.

Ad rationem autem aliorum Reſpondetur, Negando aſſ. illud: non enim is cui ſic ex delicto in ipſum debetur, dicendus eſt idcirco irrationabiliter petere reparationem illã cum petat quod ſibi ex iuſtitia debetur: Quod ſi alter inde magis grauetur, quàm ſit damnum huius, id ſibi & ſuo maleficio imputet, quo ſe in illam neceſſitatem ſubeundi tantum incommodum coniecit, non alteri qui ſolum petit ſibi reſtitui quod ſuum eſt, & cuius multùm intereſt eius.

DICO Quintò: Non tantum cum pro- 18
priæ famæ detrimento, vt iam explicatum eſt, ſed etiam in certis caſibus tenebitur diffamator cum vitæ ſuæ periculo reſtituere famam, quam falsâ impoſitione ſuſtulit: vt inprimis ſi ex tua falſa detractione verſetur infamatus in vitæ periculo, v. g. ſi propterea capitis ſit condemnatus, aut cõdemnandus, & poſſit detractor eum liberare detegendo ſuam falſitatem & alterius innocentiam, tenebitur eum excuſare, quamuis id non poſſit aliter quàm cum propriæ vitę diſcrimine.

Similiter ad idem obligabitur, ſi ex infamatione quam intulit diffamator, immineant grauia mala Reipublicæ, quæ aliter non poteſt auertere, quàm cum vitæ periculo, famam illi reſtituendo cui eam abſtulit. Ita Malderus tract. 7. cap. 2. Dub. 9. Petr. Nauarr. ſup. n. 413. 405. Medin. Cod. De Reſt. q. 3. cauſa 4. & DD. communiter de vtroque caſu, vt refert Leſſius lib. 2. c. 11. Dubit. 15. n. 91.

Ratio vtriuſque ſatis eſt euidens, quia nõ agitur hic tã de famâ proximi nudè & ſimpliciter in ſe conſideratâ reſtituendâ, quàm de vita proximi nunc periculo expoſitâ per culpã detractoris conſeruandâ, aut de grauibus incommodis Reipublicæ auertendis: qui autem iniuſtè cauſauit alteri mortis periculum, vel Rempublicam deduxit in diſcrimen magnorum malorum, tenetur haud dubiè cum diſcrimine vitæ propriæ, mala iſta & pericula reſpectiuè impedire & auertere, quandò id ſic, & non aliter poteſt.

Confirmatur, quia qui culpabiliter cauſam mortis

Digitized by Google

mortis proximi, vel grauium incommodorum Reipublicæ poſuit, cenſetur continuò virtualiter cooperari ad iſta mala, quamdiu cauſam non tollit dum poteſt, atqui cooperari ad talia, eſt intrinſecè malum, ergo obligatur etiam cum vitæ periculo cauſam tollere, vt ſic deſinat eius cooperatio ad talia mala.

19 Dixi in concluſione, quod teneatur in caſibus illis reſtituere cum vitæ periculo famam quam falsâ impoſitione abſtulit; quia ſi quis in tormentis conſtitutus, ad mortem ſiue tormenta eiuſmodi euadenda detexiſſet crimen verum alterius occultum, non tenetur id cum vitæ periculo, iterum obuelare & occultare, etiamſi alter propterea periclitaretur de vitâ, vt ſatis colligi poteſt ex dictis c. præcedenti dubio 14. An verò id extendendum ſit etiā ad caſum quo quis citra neceſſitatem ſeu iuſtam cauſam detexiſſet verum crimen occultum alterius, vnde contingat alterum deuenire in periculum mortis, dubitari poteſt. Apparet namque quod ita: quia vterque verum tantùm crimen proximi detexit, & vtrobique concurrit periculum vitæ in reuocatione ſeu obuelatione detecti criminis faciendâ tam hic quā ibi, vti ſupponitur; ergo ſicuti iſte cum periculo vitæ non tenetur ad iterum tegendum, ita neque hic. Dicendum nihilominus videtur, ad hunc caſum non extendendum: quia ſi omnia benè conſiderētur, inueniretur nō par eſſe vtriuſque ratio per omnia: in hoc namque poſteriori caſu, detractor ſine neceſſitate propriâ coniecit proximum in periculum illud vitæ, detegendo culpabiliter crimen eius occultum, à quo proinde periculo debet meritò eum liberare, etiam cum propriæ vitæ diſcrimine; ſibi enim debet id imputare, qui iniuſtè alteri idem periculum creauit; quia in pari cauſa periculi, melior debet cenſeri conditio innocentis, quàm nocentis qui ſuâ culpâ periculi vtriuſque eſt cauſa: quo principio DD. paſſim in ſimilibus vtuntur: in priori autem caſu is qui verum crimen detexit, ſupponitur antecedenter eſſe in tormentis & periculo mortis, à quibus ſe liberandi ius habet per reuelationem veri criminis quod proximus commiſit: vnde ſine culpa huius contingit proximum incidere in illud periculum, & ideo non obligatur hic cum ſuæ vitæ periculo auertere diſcrimen illud in quo verſatur proximus, quia non eſt culpabilis cauſa illius. Similiter quoq; ſi quis per veri criminis iniuſtam reuelationem expoſuiſſet Rempublicam periculo grauioris mali, debebit etiam cum propriæ vitæ diſcrimine famam reſtituere, quando ſic & aliter non poteſt Reipublicæ malum impedire; ſi enim quilibet particularis debet vitam pro Republica exponere, ſanè multo magis hic qui ſuâ culpâ per iniquam detractionem expoſuit eam periculis, quamuis crimen per ipſum detectum fuerit verè commiſſum.

DICO Secundò, quando ex diffamatione non imminet diffamato periculum in bonis ſuperioris ordinis, vt in vita, vel etiam in bonis ſpiritualibus, nec Reipublicæ incommodum, non obligabitur detractor famam reparare cum vitæ ſuę diſcrimine. Eſt contra Dom. Soto libro 4. q. 6. art. 3. ad 4. & alios nonnullos quatenus exiſtimant plebeum hominem ſi diffamauerit aliquē illuſtris familiæ de graui crimine, obligari etiam cum periculo vitæ reparare famam. 20

Sed concluſio penè ab alijs omnibus tenetur. Ita Caiet. hîc q. 62. art. 6. & opuſculo 17. Reſponſionum, Reſp. 14. tom. 2. Opuſc. quibus locis tradit hanc regulā generalem: nunquam rem inferioris ordinis ex iuſtitia eſſe reſtituendam cum iactura rerum ordinis ſuperioris. Quod probat; quia homo non tenetur ex naturâ debiti vendere ſe ipſum, vt reſtituat pecuniam quam furatus eſt: quia libertas (inquit) eſt bonum ſuperioris ordinis inæſtimabile, iuxta illud:

Nec benè pro toto libertas venditur auro.

Idem docent Nauarrus cap. 17. nu. 89. & c. 18. n. 47. Syl. V. Detractio q. 4. §. 2. Corduba libro 1. q. 31. Pet. Nauarra libro 2. cap. 4. num. 405. Malderus ſupra, & alij plurimi.

Probatur, quia adultera quæ marito prolem ſuppoſuit, non tenetur cum periculo vitæ aut famæ declarare factum ſuum, etiamſi legitimi hæredes eſſent magnâ hæreditate priuandi, vt colligitur ex Cap. Cum officij: quod eſt Innocentij Tertij, de pœnitentijs & remiſſionibus: vbi excuſatur, & ad pœnitentiam recipitur mulier quæ timet viro indicare quod prolem ex adulterio ſuſceperit: cuius non videtur eſſe alia ratio, quàm quia vita & fama, quæ periclitarentur ſunt bona altioris ordinis, quàm hæreditates temporales: prout ſup. latius deduximus; ergo ſimiliter non debebit quis ſubire mortem aut eius periculum, vt alteri reſtituat famam, ſecluſis extrinſecis & maioribus incommodis: quando enim æqualitas læſa non poteſt reduci, niſi alter faciat iacturam bonorum ſuperioris ordinis notabilem, tunc meritò videtur habendus excuſatus ab æqualitate tali modo & medio reſtaurandâ. Neq; lęſus cēſebitur tū rationabiliter eſſe inuitus. Abſq; peccato tamē poterit quis amore iuſtitiæ & æqualitatis reponendæ ſe vitæ periculo exponere, vt famam proximo, quam iniquè illi ſuſtulit, reſtauret, prout rectè docet Malder. ſupra cum Salonio qu. 62. art. 2. Controuerſ. 16.

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM V.

Vtrùm ſi fama reſtitui in ſe nequiuerit, debeat compenſari pecunijs?

21 MAgna eſt huius dubitationis affinitas cum illâ, quâ quæritur: an homicida teneatur aliquid in pecunijs perſoluere pro vita occiſi, quam non valet reddere: quare ſicuti ſupra Tractatu. 2. c. 3. dub. 1. oſtendimus iſtius vtramque contradictionis partem eſſe valdè probabilem, propter grauiſſimos authores, qui pro vtraque parte hinc inde ſtant: ita quoque de hac quæſt. dicimus. Affirmatiuam enim partem eius tenent Adrianus Quodlib. 11. Scotus in 4. diſt. 15. Dom. Soto lib. 4. q. 6. art. 3. §. Quid autem: Couar. lib. 1. Variarum cap. 2. n. 8. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 3. & 8. Molina Tractatu 4. Diſput. 5. Arrag. hîc ad quæſt. 62. art. 2. & alij multi: & videtur eſſe expreſſa doctrina D. Thom. q. & art. iam citatis ad 2. vbi ſic ſcribit: Vel ſi non poſſit (inquit) famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicuti & in alijs dictum eſt, ſcilicet ibidem in reſponſione ad Primum, vbi ita habet: Et ideo quando id quod eſt ablatum non eſt reſtituibile per aliquid æquiualens, debet fieri compenſatio qualis eſt poſſibilis, puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia vel in aliquo honore, conſideratâ conditione vtriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri, vt ſcilicet ſi perſona læſa ſit honorabilior quæ non vellet pecunias recipere, compenſetur ei per ſubmiſſionem quandam & reuerentiam illi exhibendam: ſi autem perſona læſa ſit abiectioris aut tenuioris conditionis, & offendens ſit eminentioris cui minus conueniat ſe ſubmittere & humiliare coram læſa parte; tunc hic compenſet in pecunijs prout viri boni & prudentes arbitrabuntur eâ in re eſſe faciendum.

22 Negatiuam verò partem propoſiti dubij tenent Syl. V. Detractio qu. 4. Nauar. cap. 17. n. 90. Pet. Nauar. ſuprà n. 414. Banneſius ad quæſt. D. Thomæ ſupra citatam, & multi recentiores.

Rationes fundamentales vtriuſq; opinionis eædē hîc concurrunt quæ allegari ſolent pro partibus oppoſitis alterius quæſtionis de vita hominis, quas loco citato hinc inde adduximus & ſimul explicuimus, quomodo poſſit quis reſpectiuè ad eas reſpōdere ſecūdū quod hanc vel illam contradictionis partē ſequi voluerit. Quare explicationē pleniorem huius dubij inde petendā relinquimus.

23 Iſtud interim pro certò hîc tenendum eſt, ſi infamator per Iudicem condemnetur ad ſatisfactionem pecuniariam, aut ſi ipſe tranſigat cum eo quem diffamauit de pecuniâ dandâ, omnino teneri ipſum ex iuſtitia ad illam præſtandam: quia ſi ppoſitâ tali iniuria alteri ab infamatore illatâ poteſt Iudex in pœnam criminis imponere eiuſmodi ſatisfactionem, quam tenebitur ille ex iuſtitiâ exſoluere: quia iuſtæ Iudicis ſententiæ debet obedire: à qua ſatisfactione præſtandâ nec liberabitur etſi famam reſtitueret: quia in pœnam delicti poteſt à iudice imponi quædam ſatisfactio ſiue pecuniaria, ſiue alia vltra reparationem damni iniurioſè illati. Similiter conuentiones & pacta iuſta obligant: poteſt autem talis tranſactio iuſtè fieri: quia infamatus habet ius exigendi reparationem famæ, & etiam requirendi à Iudice, vt alteri ſatisfactionem imponat: quare vt his iuribus ſuis cedat, & omne debitum condonet, poteſt cum reo ſiue detractore paciſci de pecuniâ aliquâ ſibi præſtandâ.

DVBIVM VI.

Vtrùm detractor teneatur de omni damno ſecuto ex infamia quam intulit?

RESPONDEO & DICO Primò: Obligatur detractor ad reparandum omne damnum ſecutum ex infamia quam intulit per falſam criminationem. Eſt communis & certa doctrina; nihil enim hîc occurrit quod vel apparenter poſſit eum ſiue in totum, ſiue pro aliqua parte ab iſto onere leuare: quandoquidem ipſe mendaciter crimen fingendo & illud diſſeminando ſit origo & cauſa iniuſta infamiæ, ex qua damnum proceſſit: neque refert, quod forſitan non intenderit expreſsè eiuſmodi damna cauſare, ſatis enim eſt, quod ita ſe geſſerit vt cenſeatur interpretatiuè ea intēdiſſe ac voluiſſe: atqui ita egit hoc ipſo, quo alteri labem infamiæ attulit, quæ eſt quędam veluti tinea aut ærugo nata impedire profectum & incrementum bonorum ſeu commodorum, & è contra cauſare damna & varia incommoda. 24

DICO Secundò: tenetur quoque de toto damno infamator qui per iniquam criminis occulti patefactionem cauſauit infamiam vnde damnum proceſſit. Eſt contra Dominicum Soto lib. 4. q. 6. art. 3. circa medium, vbi de tali detractore dicit, eum non teneri in integrum ac ſi per mendacium diffamaſſet alterum; ſed ad arbitrium ſapientum prudentumque virorum. 26

Verùm Concluſio noſtra pene eſt communis. Ita docent Pet. Nauarr. libro 2. cap. 4. num. 373. Nauarr. cap. 18. n. 45. Salonius q. 62. art. 2. Controuerſia 20. Malder. ſup. dub. 4. & plerique alij, qui generaliter & in-

& indiſtinctè loquuntur, & dicunt infamatorem teneri ad reſtitutionem omnium damnorum. Et

Probatur: quia ille eſt ſimpliciter iniurioſa cauſa damni totius: nec refert quod crimē commiſſum quoque poſſit dici concurrere, quia non concurrit, niſi vt per ipſum iam patefactum, & quaſi applicatum ad nocendū: ſicuti ſi quis ignem alibi collocatum arripiat & applicet domui vel horreo patrisfamilias, tenebitur ille de toto damno, etiamſi ignis à patrefamilias alibi collocatus, vbi nociturus non erat, etiam hic ad damnum concurrat: quando tamen ſubfuiſſet neceſſitas, vel iuſta cauſa reuelandi crimen, tunc ſi criminoſus patiatur inde incommodum, non habebitur reuelans moraliter cauſa illius, nec ipſi imputabitur: ſed ſimpliciter criminoſus ipſe dicetur cauſa qui ſibi debeat illud imputare: quia ſciebat, aut ſcire debebat, quando committebat crimen, conſcios illius in talibus occaſionibus ſine iniuria & peccato poſſe illud patefacere, ac proinde debere ſe expectare & ſuſtinere incommoda, ſi quæ inde ſequantur, tamquam ab ipſo ſibimet cauſata: vnde qui iuſtè patefecit non ſolùm non tenetur de toto, ſed ne quidem de parte damni: eò quod criminoſus & crimen commiſſum moraliter loquendo cenſeantur ſimpliciter cauſa damni ſequuti, nō autem in tali caſu patefaciens, qui fecit quod licitè & ſine alicuius iniuria facere potuit, vt ex ſuprà dictis du. 4. n. 19. & alibi amplius intelligi poteſt.

Obſeruandum autem hîc eſt, ſi agatur de impedito commodo aſſequendo, nō eſſe reſtituendum tantumdem, quantum hoc in ſe valet: vt v. g. quantum valet aut in ſe æſtimatur officium vel beneficium, in cuius adipiſcendi ſpe tantummodo erat antea is qui infamatus fuit: ſed quanti ſpes illa æſtimari poterat: ſecus ſi propter infamiam deperdidit quod actu obtinebat & poſſidebat: prout in ſimilibus ſuprà aliquoties dictum fuit.

DVBIVM VII.

An diffamator ad famæ reſtitutionē maneat obligatus quando aliâ viâ fuerit fama redintegrata ſeu infamia abſterſa?

27 RESP. quando læſus in fama fuerit conſequutus aliâ ratione famæ integritatē, liberatur detractor ab onere eā reſtituendi. Ita DD. communiter: Syl. V. Detractio q. 4. Mol. Tract. 4. Diſp. 40. Soto ſup. à Valentia tom. 3. Diſp. 5. q. 6. pu. 4. Tolet. lib. 5. c. 68. Caiet. & Salon. hîc q. 62. a. 2. & Bonac. De Reſtit. in particulari Diſp. 2. q. 4. pu. 12. n. 1. cōtra Nauar. Cap. Inter Verba. n. 863. inquit

Probatur: quia quod ſublatū fuerat, iam recuperatum eſt, & inæqualitas prius poſita nunc ad æqualitatem eſt reducta; ergo ceſſat obligatio eam reducendi: quemadmodum ſi quis res alterius in fluuium abiecerit, & dominus ipſe, vel alius eas poſtmodū extraxerit, & ſic dominus illas recuperauerit, non tenebitur qui eas abiecerit, ad earū amplius reſtitutionem: ita ergo ſi quis famā proximi lacerauerit, & læſus ipſe innocentiā & probitate vitę, vel bonorum virorum teſtimonio notam eluerit, & famā redintegrauerit, non tenebitur vlterius detractor ad eius reparationem. Si tamen læſus requireret aliquam ſatisfactionem pro iniuria accepta, deberet illam detractor præſtare, ſiue ſecundum ſententiam Iudicis, ſiue iuxta arbitrium bonorū virorum. Ita Bonacina ſuprà, cum alijs.

Petes, quid ſi infamia in obliuionem abierit, vt ſi iuuenis puellam honeſtam infamauerit, quaſi illam defloraſſet: & deinde ſucceſſu temporis homines iſtius dicti vel iactantiæ obliuiſcantur, an tenebitur iuuenis talis ad aliquam reſtitutionem?

Reſp. eiuſmodi manere obligatum ad 28 reſtitutionem, etiam poſt multos annos, ſi periculum ſit, ne aliquando infamia reuiuiſcat: quæ obligatio tunc maximè vrgebit, quando per falſam impoſitionē infamia fuerit cauſata, vt benè monet Caiet. ſuprà: quia hæc certiùs & efficaciùs per detractorem poteſt purgari: quando autem per veri criminis patefactionē fuerit cauſata, tunc non facile memoria eſt renouanda, niſi periculū reminiſcentiæ ſit euidens; quia alioquin ſæpè timendū erit, ne dum voluerit detractor alterius famæ conſulere, magis illi officiat: quando autem nullum eſſet periculum reuiuiſcentiæ, vt perinde ſit ac ſi nunquam dictum fuiſſet, tunc non tenebitur detractor, vt docet benè Nauarrus c. 18. n. 47. contra Caiet. quia alter nullum famæ damnum aut periculum eius cenſetur amplius ſuſtinere: idque locum habet ſiue crimen verum, ſiue falſum fuerit, vt ait ibidē Nauarrus. Neque conſultum fuerit, quærere ab illo apud quos depoſuit aut narrauit crimē ſiue verum ſiue falſum, num alicuius delicti, quod de tali perſona depoſuit, meminiſſent, vt innuit Nauar. cit. loco poſſe fieri, quodque id ſufficeret abſque aliâ reſtitutione (quam videtur requirere Caietanus) quando alter diceret ſe non meminiſſe: quia ex tali inquiſitione natum eſt fieri quod alter incipiat recordari eius quod planè exciderat.

Petes, quantum temporis ſufficiat, vt crimen alteri narratum prudenter cenſeatur traditum obliuioni? Reſpondet Azor. 3. p. lib. 17. c. 7. poſt 20. annos ita communiter cenſeri: Sed Bonac. loco cit. pu. 13. n. 2. dicit ſibi videri dicendū cum alijs DD. id colligi debere ex eo quod multo tempore nulla ſit

Digitized by Google

facta mentio illius criminis: quibus addi poteſt, præſertim ſi aliquando in conferentijs fuerit oblata occaſio refricandi illud, & tamen recommemoratum non fuerit. Hoc interim pro indubitato tenendum eſt, ſi infamatus aliquod aliud damnũ ex infamia paſſus fuerit, hoc eſſe reſarciendũ, quacumque ratione infamia abolita fuerit. Vtrùm verò aliquid reſtituendum ſit pro ipſo damno famæ quod interea temporis ante eius reparationem infamatus ſuſtinuit ab aliquibus, diſputatur: vbi illud certum habetur, infamatũ poſſe per Iudicem compellere diffamatorem ad præſtandam aliquam ſatisfactionem per modũ pœnæ pro iniurioſa eius actione, ſicut dub. præced. indicauimus: quin & hoc dicendum videtur, poſſe eum quoque de rigore petere aliquam compenſationẽ præciſè pro damno quod in fama ſuſtinuit, quatenus hæc fieri poteſt per aliquam ſubmiſſionem, aut honoris præſtationem, vel ſimili modo: quamuis cõmuniter non videantur homines ad hoc attendere, ſed reputare famæ reſtitutionem ſibi ſufficere, vel ſi quid vlterius requirant, id magis per modum amendæ ſeu pænæ pro iniuria exiſtiment præſtandum, quàm per modum ſolutionis ſiue ſatisfactionis pro damno præciſe, quod ad tempus in fama ſua ſuſtinuerunt. Vide Nauarrum ſup. & ſimiliter Pet. Nauarra n. 421.

DVBIVM VIII.

Vtrùm detractorem liberet ab onere reſtituendi, quod crimen alio euentu ſit factum publicũ?

29 Reſpondetur liberare, ſi viâ legitimâ, & abſq; iniuriâ interueniente, factum ſit publicum. Ita Syl. V. Detractio q. 4. Nauarra lib. 2. c. 4. n. 440. Soto lib. 4. de Iuſtit. q. 6. a. 3. ad 4. Mald. ſup. dub. 12. & alij plerique.

Probatur: quia eo caſu perdidit diffamatus, non tantùm famam: ſed ius ad famam, atque ita extinguitur obligatio in detractore, quæ nata erat ex iniuria, & perſeuerabat ratione iuris quod infamato competebat ad famam ſibi debitã & iniquè ſublatam: amiſſo itaq; iure illo ex parte infamati ceſſat & quaſi extinguitur in detractore debitum ſeu obligatio. Poſſet nihilominus agere infamatus contra detractorem ad pœnam pro iniuria prius ſibi illatã, & ad reparationem damnorum, ſi quæ fuerit paſſus ex infamia priuſquam viâ legitimâ crimen eſſet patefactum.

Dixi, ſi viâ legitimâ & ſine interueniente iniuriâ: quia ſi ex ipſius detractoris narratione vel per aliorum iniuriam fiat publicum, non videtur per hoc infamatus amittere ius ſuum: vnde tam primus detractor, quàm poſteriores ad famę reſtitutionem obligandi ſunt, in quantũ poſſibile fuerit eam raparare: non enim apparet ratio, quare poſterior iniuria liberaret priorem iniuriantem.

DVBIVM IX.

Vtrùm quando duo aliqui ſe mutuò infamarunt, poſſunt vti compenſatione?

Dico Primò: Non ſic poſſe fieri compenſationem infamiæ, vt ſi quis te infamauerit, liceat tibi idcirco famã illius tollere, eumq; infamare: quemadmodũ tametſi domum tuam quis incenderit, non ideo tibi licitum eſt incendere domum illius. Ita Soto loco cit. Petrus Nauarra ſuprà n. 396. Mald. ſuprà dub. 14. & alij paſſim. 30

Ratio eſt: quia in iſtis factis eſt tantùm redditio mali pro malo, quæ manifeſtam habet rationẽ vindictæ, quam nullus priuatâ authoritate inferre aut exercere poteſt. Sed

Dices: Si quis furatus fuerit equũ meum, licebit mihi abducere & tollere equum illius, quando id ſine ſcandalo facere poſſum, & aliter nequeam ad damni mei reparationem peruenire; ergo etiam licebit mihi tollere famam, aut incendere domũ alterius, quando aliter nequeo illum ad famæ reſtitutionem inducere aut compellere.

Reſp. N. C. & ratio diuerſitatis aſſignari poteſt, quod in abductione equi, quem tibi tollis, inueniatur & ſpectetur quoddam bonum tuum, ſcilicet vt tantumdem recùperes, quantum tibi deeſt, vt inter te & alterum ſit æqualitas: quod potes licitè curare: Primò quidem per authoritatem publicam, quando ſic poteris obtinere: ſin minùs, etiam priuatâ operâ, modo ſine periculo & ſcandalo fiat: neque eſt hic actus vindictę, ſed redintegrationis tuarum rerum, qui prò tuo particulari iure recuperando adhiberi poteſt: ſed in diffamatione illius qui te diffamauit, vel in exuſtione domus eius qui tuam exuſſit, tantùm inuenitur redditio mali pro malo abſq; aliqua tua commoditate, aut tua ſubleuatione quoad onus vel debitum quo tibi alter tenetur. Vnde actus iſte purè eſt actus vindictæ: & quia de malis cõmiſſis ſumi ſolet vindicta, non in vtilitatem particularis alicuius, qui potuit incommodũ ſuſtinuiſſe ex malefacto alterius, ſed pro iuſta expiatione culpę, & pro bono communi, & conſeruatione publicæ quietis & pacis, propterea particularis non poteſt ſuâ authoritate malum pro malo inferre, nec ita malũ ſuum vindicare, etiamſi per publicam authoritatem non vindicetur: quia illi non eſt cura commiſſa vindicandi delicta, & prouidendi bono publico: & de eius particulari per hoc non agitur, nec illi prouidetur. 31

Dico

32 Dico Secundò: Poſtquam duo aliqui ſeſe mutuo diffamarunt, ſi vnus non velit famæ reſtitutionem facere, poterit alter vti tunc quadam compenſatione, ita vt non teneatur reſtituere, quamdiu ille reſtituere noluerit: ſeruatâ tamen æqualitate quantum fieri poteſt. Ita Adrianus in 4. de Sacramento pœnit. q. De reſtitut. famæ circa finem, §. Circa prædicta: Soto lib. 4. q. 6. a. 3. circa medium: Salonius ſuprà controuerſia 23. Toletus lib. 5. c. 7. Mald. ſuprà, & alij plures contra Nauar. c. 18. n. 47. & Pet. Nauarra ſuprà n. 396. Caiet. 2. 2. qu. 62. art. 2. circa ſolutionem ad 2.

Poteſt probari inprimis ex Cap. Tua fraternitas, de Adulterijs & ſtupro: quod pro hac re Adrian. adducit, vbi dicitur, paria crimina pari compenſatione tolli, adeò, vt ius quod pars læſa priùs haberet in offendentem, illud ipſa amittat quando viciſſim offendit: vt v. g. maritus poteſt negare debitum vxori propter adulterium: ſi autem contingat ipſum quoque committere adulterium, perdit ius illud negandi debitum, vt habet caſus Capituli; ergo ſimiliter poteſt hîc fieri compenſatio. Et

Probatur amplius ratione: quia inter res & res temporales hinc inde ſublatas poteſt fieri cõpenſatio cum debitis circumſtantijs, vt paſſim omnes admittunt, quando altera pars reddere recuſat, vel etiam ex mutua cõuentione: ergo ſimiliter inter iura & iura temporalia hinc inde læſa, & inter onera ſeu debita reparandi hinc inde contracta fieri poterit compenſatio, & per conſequens obligatio quâ teneor alteri ad famam eius reparandam, poterit compenſari cum obligatione qua tenetur ille mihi famam reſtituere quam abſtulit, ita vt ſi non voluerit, maneat mea obligatio quaſi ſopita.

33 Quia tamen hæc compenſatio fieri non debet ab vno ſine conſenſu alterius, hinc ille qui famã reſtituere recuſat, in eo delinquit, quando poteſt & non reſtituit: mutuo autem conſenſu & conuentione poteſt ſic fieri compenſatio ſuper iſtis obligationibus abſque alterutrius peccato, vt vtrimque omnino extinguantur, & vterque ſimpliciter ab illis reſpectiuè abſoluatur. Ex his non erit difficile reſpondere ad rationem qua contrariæ partis authores aliqui mouentur: quæ talis eſſe videtur: quòd damnum reciprocâ infamiâ nõ tollatur, vnde concludunt, ſuper infamijs reciprocis non poſſe fieri compenſationem. Reſp. N. C. inde enim non aliud poteſt colligi, quàm quòd infamia quam quis ſuſtinuit, non poſſit compenſari per infamiæ viciſſim illationẽ: quod circa primam aſſertionẽ ex eodem penè argumento latiùs deduximus: non autem inde colligitur, quod non poſſit cõpenſatio fieri ſuper obligationibus quibus vtrimque tenentur qui ſe mutuò infamauerunt; quia per hanc compenſationem vtraque pars ſentit quoddam commodum, ſcilicet libertatem ab obligatione quâ alteri tenebatur ad famam reparandam. Caietanus poſſet vrgere iuxta ſua principia, quod homo non ſit dominus famæ ſuæ, ſed hoc ex communi penè doctrinâ ſuprà rejectum eſt.

DVBIVM X.

An poſſit quis detractori remittere famæ reſtitutionem?

Dico Primò: Poteſt quis validè eam remiſſionem facere, ita vt detractor nõ teneatur amplius ex iuſtitia ad famæ illius reparationem, quando non complectitur ſimul infamiam aliorum. Ita DD. citati pro aſſertione ſecundâ dub. præced. 34

Probatur, quia iuxta communem doctrinam contra Caiet. vt modò diximus, quiſque famę ſuę eſt dominus; ergo quemadmodum quiſque poteſt remittere alia debita temporalia rerum quarum eſt dominus, ita & debitum reſtituendæ famæ; quia in cuiuſq; arbitrio eſt pati detrimentum famæ, quando alterius nõ intereſt, vt tradit D. Th. q. 73. a. 4. Vnde addidi, quando huius infamia non cõplectitur ſimul infamiam aliorum; eo enim caſu remiſſio non eſſet abſolutè valida, quia non poteſt condonare obligationem, quâ tenetur alijs, vt v. g. ſi Superior alicuius monaſterij ſit diffamatus quòd mulieres ſuſpectas intromittat, aut intrare permittat ad clauſtra vel conuentũ, non poterit validè remittere diffamatori debitum reſtituendi famam: quia ex illâ notâ ſimul ſubditi eius incurrunt aliquam infamiã quæ reparari non poteſt ſtante infamiâ illâ Superioris: quare tenetur diffamator famã Superioris ex iuſtitia reparare, quatenus ſaltem eſt medium neceſſarium, vt aboleatur infamia ſubditorum, quam Superior remittere non potuit; talis videtur etiam infamia parentis de crimine hęreſis, aut proditionis, vel de ſimilibus quæ redundat in filios, vt inde habeantur & ipſi viles, & inhabiles ad officia & certos gradus dignitatis.

Dico Secundò: Poteſt quis non tantùm validè, ſed etiam licitè ac cum merito ſæpiùs 35 famæ reſtituendæ obligationem remittere, quando illa non eſt neceſſaria, vel ad ſpirituale bonũ ipſius, aut ad proximi ædificationem, vel ad ſcandalum aliorũ vitandum, aut ad debitè obeundum munus quo fungitur.

Declaratur: quia extra illos caſus poſſunt honeſtæ rationes ſufficientes occurrere, quare quis debitũ illud ſuo detractori remittat: vt v. g. ad propriam humiliationẽ, ad pœnam & ſatisfactionem pro delictis, de quibus eſt infamatus, ſi ea commiſerit, vel pro delictis alijs, ſi iſta nõ commiſerit. Item ex charitate ad ſub-

Digitized by Google

ad ſubleuandū proximum, cui iſta reſtitutio eſt factu difficilis, & quam fortaſſis cum periculo ſalutis negligeret: propter hęc enim & ſimilia poteſt etiā cum magno merito cedere iuri ſuo, quod illi ad famæ ſuæ reparationem competit, dum ſcil. alię rationes grauiores in contrarium non concurrunt: quo circa addidi, quando fama non eſt neceſſaria, &c.

His enim concurrentibus peccaret contra charitatem remittendo reparationē, niſi per ſeipſum ſufficienter poſſit eam ſibi reſtaurare: Interim verò ſi remitteret, valida eſſet remiſſio, & detractor abſolueretur ab obligatione quâ ex iuſtitiā tenebatur eam reſtituere: vt tradit P. Nauar. ſup. n. 390. & cum illo Mald. ſup. dub. 15. quamuis poſſit teneri adhuc ex charitate, vt ſcilicet illa mala auertat quibus occaſionem dedit. Cui autem ad officium debitè obeundum fama eſt neceſſaria, caſu quo hic remitteret famæ reſtitutionem, neque aliter eam valeret recuperare, deberet is officium à ſe abdicare, alioquin retinendo illud ad quod inidoneus iam eſt, faceret iniuriam ſubditis quorum curam gereret: non tamen hanc iniuriā propriè inferret condonādo, vti apparet, quia ipſe eſt famæ ſuæ dominus, non ſubditi: ſed retinendo officium & nō valens præſtare eis ad quod de iure obligatur: quare ſubditi poſſent tunc agere ad eius amotionē: nō autē videtur, quod poſſint contra detractorem ad reparationem agere, quādo ſuperior condonaſſet, & infamia eius in ipſorum infamiam non redundaret. Denique ſi quis famam ita haberet ex iuſtitia alteri obnoxiam, vt remittendo eius reparationem faceret ſe impotentem ad reddendum quod proximo debet, peccaret is contra iuſtitiā, ſi aliter ab iſto debito ſe expedire non poſſet: in quo DD. ferè videntur conuenire inquit Mald. Videretur nihilominus condonatio valida, modò non cōcernat famā proximi in quantū eſſentialiter quaſi dependeat ab huius fama: licet aliqui aliter ſentiāt. Declaratur à ſimili: ſicut ſi quis multa debeat, & interea ex oblata occaſione donet aliquam partem ſuorum mediorum, vnde redditur impotens ad ſatiſfaciendū creditoribus omnibus, vel abliguriat & expendat in vſus indebitos, quamuis peccet talis contra iuſtitiam, quatenus iniuriā facit creditoribus ſic ſine neceſſitate ſeſe reddendo impotentem per eiuſmodi donationem, vel abliguritionē, nihilominus donatio poteſt eſſe valida, & quæ in abliguritionem expoſuit validè eſſe expoſita: & qui recepit, non tenetur in conſcientia ad reſtitutionē, modò non induxerit ad donandū, vel ſic inutiliter expendendum, etiamſi alioquin ſciuerit alterū per hoc fieri impotentem ad ſoluendū: vt docet Nauarra lib. 3. c. 4. n. 218. Mol. Diſp. 327. & cum illis Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 19. & fauet l. vlt. §. 4. D. Quæ in fraudē creditorum: & ratio eſt, quia illæ res nemini ſunt obſtrictæ, & ipſe eſt earum dominus, & nullâ lege eſt inhabilis ad transferendum dominium earum, vt ſupponitur; ergo reipſa transfert. Ius tamen ciuile concedit crediroribus actionem, quâ poſſint illud repetere, ſi donatarius titulo gratuito acceperit: l. Quod autem 6. D. Quæ in fraudem creditorum: ſed ea de re latiùs infrà.

DVBIVM XI.

Quomodo fama reſtituenda ſit, quæ per falſi, & quomodo quæ per veri criminis impoſitionem eſt ablata?

DICO Primò: Qui per falſi criminis impoſitionem infamauit proximum, tenetur adhibere omnem induſtriā, & omnia media congrua ac licita, vt mala & falſa illa opinio hominū animis eximatur, cuius ipſe exiſtit cauſa: vnde debet apud eos, quā poterit efficaciſſimè reuocare dictum ſuum, non tantùm ſimpliciter dicendo, ſe erraſſe, aut fuiſſe deceptum: ſed etiam ſe effinxiſſe & mentitum fuiſſe, ſi viderit id neceſſarium vt alij opinionem deponant, adhibito etiam iuramento, ſi exiſtimentur aliter nō credituri. Ita Soto lib. 4. q. 6. a. 3. Arragon. 2. 2. q. 62. art. 2. fol. 129. Mald. ſuprà dub. 6. Nauar. c. 18. n. 45. Pet. Nauarra ſuprà n. 378. 45

Ratio eſt, quia tenetur, quantum in ipſo eſt, reuocare efficaciter & cum effectu: vnde & poterit eſſe obligatus ad teſtes adhibēdos, qui deponent de innocentia proximi diffamati, & de falſa criminis impoſitione, quando eos habere poteſt, vt ſumitur ex Soto loco cit. Idque præſertim tunc quando alij haberent probabilem aliquam cauſam exiſtimandi, eum non ex animo, & veritate, ſed pretio vel metu inductum reuocare: debet enim omne medium adhibere ad innocentiam falsò diffamati perſuadendam, ita vt auditores meritò poſſint & debeant illi credere, nec relinquatur eis cauſa opinandi rem fictè geri. Addidi, idque tunc præſertim quandò alij haberent probabilem cauſam &c. quia ſi non haberent aliquam iuſtam rationē, quarè dicenti & iuranti non adhiberent fidem, iam videbitur mala eorū opinio continuata procedere ex ipſorum malitiā, non ex prioribus narratis detractoris tam fortiter nunc ea reuocantis. Vnde hoc caſu poterit locum habere ſententia Nauarri c. 18. n. 45. & Nauarra ſup. n. 378. qui docent detractorem quādo iurauit cōtra ſeipſum de ſuis falſis dictis, non obligari ad teſtes deſuper adhibendos, quia iam maiorē cauſam dedit credendi reuocationem, dum eam iurat, quam credendi illud quod falsò ſimpliciter narrauerat. Nihilominus & in hoc caſu poterit manere obligatio charitatis ad id præſtandum, ſi nimirum ſine ſuo incommodo aliquo graui poſſit adhibere teſtes, & ſic cum effectu famā proximo

ximo reſtituere, vt ex antè dictis alibi diuerſis occaſionibus, ſatis colligi poteſt.

46 Dico Secundò: Si qui prauâ & falſâ de proximo opinione imbuti ſunt, nolint detractori iam dictum ſuum reuocanti cum iuramento & teſtibus legitimis adhibitis fidé adhibere, & prauam opinionem deponere, ad nihil videtur detractor vlterius obligari. Indicant Nauar. & P. Nauar. locis cit. cum alijs.

Ratio reddi poteſt, quia dicta eius nõ cenſentur iam eſſe cauſa malæ opinionis, quam retinent: ſed ipſorũ peruerſitas & cõtumacia.

47 Dico Tertiò: Quod attinet ad eum qui per veri criminis patefactionem infamauit iniuſtè proximum, obligatur ſimiliter famam reſtituere, quantum poteſt: ſine mendacio tamen. Ita D. Th. hîc q. 62. a. 1. ad 2.

Eſtq; cõmunis & certa doctrina, vt teſtatur Nauarra lib. 2. c. 4. n. 378. vnde nõ poteſt dicere, inquit, ſe fuiſſe mentitũ (quod eſt cõtra Leſſ.) quia in eo mendaciũ admitteret ait. Vnde principalis difficultas hîc eſt in adueniendis & aſſignãdis medijs & loquẽdi modis, quibus id cũ ſpe fructus, & ſine mẽdacio fieri poſſit. Plures ex diuerſis authoribus recenſet Mal. Tra. 7. c. 2. du. 7. quos apud illũ licet videre. Plerique autem non ſatis ei probantur, idque meritò, vtpote qui contineant non ſatis probum, & ſimplicitati hominis Chriſtiani conſentaneũ loquendi vſum. Vnde ad illos putat pœnitentes non eſſe adigendos: Addo, nec in eis eſſe inſtruendos: quia verendum eſt, quod eiuſmodi quæſitis artificijs & amphibologijs inſolitis, ac mentalibus reſtrictionibus, ſuo tempore frequentius vtantur ad dolos & fraudes: idque non ſine magno incommodo humanæ ſocietatis & communicationis. Porrò D. Th. loco cit. ponit hunc modum: vt ſcil. detractor apud alios dicat, ſe malè aut iniquè de altero ale quid dixiſſe, ideoque velint malam opinionem deponere: cum quo ſatis coincidit modus quem Scotus aſſignat in 4. diſt. 15. q. 4. vt ſcil. detractor dicat, ſe malè aut ſtultè loquutum. His ſatis eſt affine, quod ſcribit Molina Tract. 4. diſp. 44. ſe aliquando ſuaſiſſe, vt detractor diceret ſe ex ſua malitia dixiſſe talia de altero: quodque id poſſit iuramento confirmare, ſi opus eſſet: ideoq; debeant opinionem deponere: qui modus videtur plus efficaciæ poſſe habere ad eximendã opinionem prauã: neque mendacium continet, quia verè ex eius iniquitate & malitia proceſſit, quod illa dixerit: nõ enim illi licebat dicere, quamuis vera ſint. Poſſet & hic modus adhiberi, quod detractor diceret; ſe erroneè dixiſſe talia de iſta perſona, & valde ſe erraſſe, quando hæc de tali perſona dixit, idque iam certò ſe recognouiſſe: proinde petere, vt ſi quam ſiniſtram opinionem de illa perſona ex ſuis dictis conceperint, eam deponant: qui modus videtur poſſe vtilis eſſe, quatenus ſcil. dum quis ſe erraſſe dicit, audientes ſoleant ſe conuertere ad errorem intellectus, & tamen nõ minus verè quis dicatur errare qui errat à recto, quàm qui errat à vero. Eſtque hic loquendi modus etiam in Scriptura vſitatus: ille autem detrahendo per veri criminis occulti reuelationem aberrauit à recto, quamuis non à vero.

Bene autem ad citatum locum. D. Tho. 48 ſuprà monet Caiet. hîc opus eſſe diſcretione circa perſonas apud quas huiuſmodi famę reparatio eſt facienda. Hinc dicit modum à D. Tho. poſitum non eſſe vſurpandum apud homines qui ſunt alicuius ingenij, & norunt qualiter fama ſoleat reparari: quia apud tales quando non diceretur aliud, hoc ipſum eſſet magis confirmatio prioris dicti (inquit) quam famæ reſtitutio; quare coram talibus putat de priori dicto eſſe tacendũ: ſed eum cui detractum fuit, coram illis laudandum de alijs virtutibus, aut bonis actibus, inculcando ſimul eſſe virum egregium & præſtantem: & ita in hoc laborate, vt ab eis habeatur talis: quod etiam probant Corduba q. 62. art. 2. circa ſolutionẽ ad 2. & Soto ſup. idq; moderatò & prudenter faciendũ eſt, ne alij aduertant iſta dici pro prioris dicti emendatione, vnde facilè fiat quod magis in opinione priori confirmarentur: quæ Caietani monitio & doctrina videtur ſatis probanda: & poteſt eius quoq; haberi ratio circa modos alios famã reparandi, quos ſubiunximus modo D. Tho. Quod ſi nullus ex dictis modis ſatis cõmodè & cum effectu adhiberi queat, conſultiſſimum erit confugere ad petitionem venię, & rogare remiſſionem ab eo cui infamia illata eſt, cum pollicitatione reparandi per cõmendationes & media alia quibus poterit occaſionibus oblatis: quando eiuſmodi veniæ petitio ſine grauiori periculo & incõmodo fieri poteſt.

DVBIVM XII.

An detractor teneatur famam reparare apud omnes ad quos infamia deuenit?

Qvidam videntur exiſtimare ſatis eſſe, 49 quod retractet apud illos quibus immediate loquutus eſt malè de proximo, ſiue falſum crimen impoſuerit, ſiue verũ iniuſtè patefecerit: Alij dicunt etiã apud alios omnes, eum debere retractare qui per primos auditores idẽ intellexerunt. Tertia deniq; ſententia rectè diſtinguit, & quaſi conciliat vtramque: Ita Pet. Nauarra ſuprà n. 442. qui docet priorem opinionẽ verãm eſſe, quando detractor prudẽter potuit exiſtimare primos auditores ſecretò ſeruaturos dictũ ſuũ. Hinc enim nõ obligari de vlteriori diuulgatione, vtpotè quæ poſſit dici fortuitò præter intentionem eius expreſſam & interpretatiuam eueniſſe.

Poſteriorem autē dicit veram eſſe, quando præuidit aut præuidere potuit euentū iſtius vlterioris diuulgationis: quæ ſanè nata eſt quaſi ſemper euenire, niſi quis apud valdè diſcretos loquatur, ac ſimul requirat ſilentium ſuorum dictorum: quare talis debebit in hoc laborare, vt illi qui diuulgarunt vlterius, retractent & famam reparent apud eos quibus narrarunt: quod ſi non velint aut negligant facere, tenebitur ipſe, quantum ei poſſibile fuerit, apud omnes famam reſarcire, quia moraliter cenſetur cauſa totius diffamationis ſubſecutæ. Quandoquidē verò in his præſtandis tantæ occurrunt difficultates & anxietates conſcientiæ, diſcat quilibet ſollicitè cum Pſalte Pſ. 38. ponere cuſtodiā ori ſuo, ne delinquat in lingua ſua.

DVBIVM XIII.

An & quomodo honor per contumeliam læſus ſit reſtituendus?

50 RESPONDEO & DICO Primò: Qui per contumeliam læſit alterum in honore ſuo, tenetur ad honoris reſtitutionem, ſiue contumelia illa publicè, ſiue priuatim illata fuerit.

Eſt communis doctrina, & clara ex generalibus principijs iuſtitiæ: quia debet quiſque alteri reddere quod iniuſtè illi abſtulit ſiue publicè ſiue priuatim, neque enim tantum qui publicè, ſed etiam qui priuatim afficiuntur contumeliâ, ſentiunt ſe pati ſuæ dignitatis vel excellentiæ læſionem, quam ita grauiter ſolent ferre, vt etiam præferant, pluriſque æſtiment, quàm damnum notabile in rebus fortunę: & ita paſſim conſueuerunt homines apprehendere & iudicare: quamuis interim contumelia quæ coram pluribus irrogatur, ſit longè grauior læſio.

51 DICO Secundò: Debet hæc reſtitutio fieri per quandam reuerentiæ exhibitionem & debitam recognitionem dignitatis vel excellentiæ quæ abiecta ſeu contempta fuit. Ita docet D.Th. qu. 62. art. 2. ad 3. & alij. Quod verò ad modum & formam huius reuerentiæ exhibendæ attinet, non poſſunt illa generaliter vnâ aliquâ regulâ definiri aut præſcribi, ſed pro diuerſis qualitatibus & conditionibus perſonæ offendentis, & perſonæ offenſæ, diuerſimodè iſta reparatio fieri ſolet.

Vnde DD. aſſignant diuerſos modos ſeu formulas quibus honor læſus reſtaurari queat, vt ex illis iudicio prudentum poſſit vnus aliquis deſumi congruus ſingulis in particulari, attentis qualitatibus & conditionibus partium.

Primus itaque ſit, quo is qui offendit, ſe humiliet coram perſonâ offenſâ recognoſcendo, quod indebitè & indignè cum ipſo egerit, ac ſimul deſuper veniam petat: atque hic efficaciſſimus eſt, adeò vt tametſi offenſus negaret veniā, nihilominus ſi hæc honoris exhibitio cum tali recognitione fieret coram illis, coram quibus illata fuerat contumelia, videretur offendens fore abſolutus in conſcientia ab onere vlterius reſtituendi: Ita Bonacina ſuprà quæſt. 5. puncto 2. nu. 5. Non tamen à pœna vel alia ſatisfactione eſſet liber, quam via iuris poſſet læſus requirere pro illa contumelia: qui enim alteri rem ſuam aufert per iniuriam, non tantùm ſubiacet oneri reſtituendi rem, ſed etiam luendi pœnam pro iniuriâ vltra damnū.

Iſto autem modo vti debent ordinariè inferiores ergo ſuos ſuperiores: & valdè conueniens etiam eſt, vt illo vtantur æquales inter ſe: quod ex ſacra Scriptura poteſt intelligi, quæ ſic debere fieri, videtur præſupponere, vt quando Lucæ 17. Chriſtus dicit: *Si ſepties in die peccauerit in te frater, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens: pœnitet me: dimitte illi.*

Non tamen ſemper neceſſarium eſt, quod petitio illa veniæ fiat formalibus & expreſſis 52
verbis, quemadmodum neque vt ita ipſa remiſſio fiat: ſed ſatis eſſe poteſt, quod qui læſit ita ſe exhibeat coram offenſo, vt hic intelligat alterius ſubmiſſionem & pœnitentiam, cum quadam ipſius reuerentia & recognitione. Si verò fuerit contumelia atrocior, vt hic modus ita ſe habendi erga offenſum, non ſatis rependeret honorem, & læſus exigeret expreſſiorem ſubmiſſionem cum veniæ petitione, deberet æqualis etiā æquali hoc præſtare: vide D. Auguſt. epiſtola 109. vbi monialibus præſcribit, vt ſi quæ ſororem læſerit, veniam petat: quod conformiter ad iam dicta intelligas. Debent autem illi qui conſilia perfectionis profitentur, ſe promptiores ſemper exhibere ad veniæ petitionem, quia eſt expeditiſſima ratio mutuæ reconciliationis: quæ maximè neceſſaria eſt ijs qui ſimul vitam religioſam agunt, adeò vt Auguſt. loco citato doceat, fruſtrà illam in monaſterio degere quæ neſcit petere veniam, quando ſororem offendit.

Alio modo ſeu formulâ poteſt honor reſtaurari amicâ & honorificâ aliquâ ſalutatione, aut compellatione: & videtur hic modus ſufficere prælatis, aut ſuperioribus in ordine ad inferiores, & viris nobilibus erga homines omninò plebeos: vt notat Caiet. hîc q. 72. art. 3. & Rebell. lib. 4. De Reſtit. q. 12. Molina Tract. 4. Diſp. 46. Bonacina ſup. & paſſim alij; non enim iſti obligantur ſe tantopere dimittere erga hos: quia quemadmodum creſcit iniuria ex vilitate perſonæ quæ maiorem ſe offendit, ita etiam qualiſcumque dimiſſio ſui creſcit in ratione honorationis ex dignitate & excellentiâ perſonæ

quæ

Digitized by Google

quæ ſe dimittit erga alium minorem ſe. Et quidem quod ad veniæ petitionem attinet expreſsè non vult Aug. loco citato, Superiores à ſubditis veniam petere: ne regendi frangatur authoritas, dum nimia obſeruatur humilitas:

Tertiò poteſt fieri hæc reſtitutio invitando ad menſam, dando locum honorificum, amicè propinando: qui modus ſæpe poteſt etiam ſufficere inter vtcumque pares.

Petet aliquis: Vtrùm ad aliquam teneatur reſtitutionem qui ſine contumeliâ omiſit tantùm exhibere honorem debitum?

53 Reſpondetur, ſi honor ex iuſtitiâ commutatiuâ ſit debitus (quod quidem rariùs contingit, niſi ex antecedente læſione) tunc ſi coram alijs omittatur, videtur omiſſio illa induere quandam contumeliæ rationem dum aduertenter fit, & proinde meritò dicitur ille obligatus reparare omiſſionem illam: & quamuis non haberet rationem contumeliæ, tamen teneretur ad ſuppletionem honoris prætermiſſi iuxta communes regulas iuſtitiæ, ſi putetur ille cui debitus erat, id requirere aut velle: ſi verò fuerit honor debitus tantùm ex legali obligatione generaliori quodammodo, ſicuti debetur ſuperioribus; vel ex quodam debito morali ſiue honeſtatis, quemadmodum viris magnatibus, & in dignitate conſtitutis, licet noſtri ſuperiores non ſint, tunc niſi omiſſio tali modo facta ſit, vt contraxerit rationem contumeliæ, non obligabitur omittens ad aliquam reſtitutionem: quia iuſtitia propriè dicta læſa non eſt: ſed virtus obſeruantiæ vel alia huic affinis. Vide Bonacinam ſup. n. 3.

CAPVT TERTIVM,

De iniurijs proximi in bonis ſpiritualibus.

DVBIVM PRIMVM.

Quale peccatum ſit, & contra quam virtutem præſtare alicui nocumentum in bonis ſpiritualibus?

Dvplicis quaſi generis recenſentur à Doctoribus bona ſpiritualia, ſcilicet alia naturalia, vt ſunt potentiæ animæ, earũque vſus, & habitus acquiſiti: alia ſupernaturalia, vt ſunt virtutes Chriſtianæ, tum voluntatis, tum intellectus.

1 Respondeo & Dico Primò: Præſtare nocumentum proximo in bonis ſpiritualibus qualibuſcumque, ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Eſt communis & certa doctrina iuxta principia antè tradita.

Vnde probatur: quia nocere alteri in corporalibus aut in bonis fortunæ, vt in membris, in fama, in pecunijs ex genere ſuo eſt mortale, vt ex antè dictis conſtat: ergo multo magis nocere in bonis ſpiritualibus, peccatum erit mortale, & quidem cæteris paribus tanto grauius, quanto ſpiritualia ſuperexcellunt ſupra corporalia & temporalia illa.

Dixi, ex genere ſuo; quia ſicut in alijs, ita quoque in his poteſt eſſe peccatum veniale propter paruitatem materiæ, vel non ſufficientem aduertentiam actus.

2 Dico Secundò: Qui nocumentum in bonis ſpiritualibus adfert proximo inuito, vt quando id facit vi vel fraude, peccat contra iuſtitiam, non tantum quando vis aut fraus verſatur circa materiam ſiue virtutem Iuſtitiæ, ſed etiam quando circa materiam aliarum virtutum: vt. v. g. peccat contra iuſtitiam in proximum, non tantùm is qui vi vel fraude pertrahit illum ad iniuſtos ſeu fraudulentos contractus faciendos, quibus alios circumueniat, ſed etiam qui vi vel fraude inducit proximum ad peccandum contra fidem, contra charitatem, contra continentiam, & ſimiles virtutes.

Hanc aſſertionem in primis præſupponunt omnes illi qui generaliter dicunt, eum qui lædit aliquem in bonis animæ, puta gratiæ, inducendo in peccatum, vel auertendo ab exercitijs virtutum, teneri ad reſtitutionem: pro qua ſententia citat Pet. Nauarra multos DD. lib. 2. de Reſtit. c. 2. n. 48. Deinde & illi qui licet illud non amplectantur tam vniuerſaliter, tamen admittunt ad reſtitutionem teneri illum, qui vi, metu aut dolo induxit alterum in peccatum, inter quos eſt Pet. Nauarra n. 89. cum Corduba in ſumma q. 172. Sylu. V. Reſtit. 3. q. 1. Ledeſma 24. q. 18. art. 2. Soto lib. 4. de Iuſt. q. 6. art. 3. Concl. 3. & cum alijs.

Vnde probatur; quia qui vim aut minas infert alteri ſine legittima poteſtate, aut contra iuris ordinem (vt fit quando vi aut metu trahit aut inducit in peccatum) facit iniuriam illi, & contra iuſtitiam peccat: Similiter qui per dolum vel fraudem facit alterum perdere res ſuas, agit contra iuſtitiam. Neque refert, quod alter aliquid conferat, vel etiam proximè id faciat, vnde damnum ſequitur, modò id ex fraude alterius faciat neſciens ibi damnum latere, vt ſi quis fraude inducat aliquem, vt pecunias applicet ad ne-

Digitized by Google

ad negotiationem, vbi nouit eas ſine ſpe fructus omninò perituras, & hic ita deceptus applicet, & pecunias perdat; haud dubiè peccauerit deceptor ille contra iuſtitiā; ergo &c.

Vbi etiam hoc obſeruari meritò debet, quod dum quis ſic vi aut fraude inducit proximum, vt peccet contra virtutem iuſtitiæ, tunc dupliciter ipſum contra iuſtitiam delinquere: vno modo quatenus hunc quaſi ſpoliat bono virtutis iuſtitiæ: & altero modo, quatenus eſt cauſa, quod tertius inde patiatur damnum in bonis ſuis temporalibus vel corporalibus: quando autem vi vel dolo facit eum peccare contra alias virtutes, tunc vno modo tantum delinquere contra iuſtitiam: ſed tamen ſimul peccare etiam contra virtutē illam in cuius materiā facit alterum delinquere: vt ſi vi aut fraude inducat in fornicationem, peccat contra iuſtitiam, quatenus eſt iniqua cauſa damni ſpiritualis eius quem ſic ſeducit: & ſimul peccat contra virtutem continentiæ.

DVBIVM II.

An qui per iniuriam quempiam vſu rationis, vel ſenſu aliquo, eiuſue vſu priuat: vt v. g. per venena, vel magiam, vel ſimili modo, teneatur ad aliquam reſtitutionem?

3 RESPONDEO & DICO Primò: Hauddubiè Qui tale quid fecit, ſi in illius ſit poteſtate in ſe ipſis illa reſtituere, omninò ex iuſtitia obligatur id facere. Eſt certa doctrina; & euidenter patet ex generali ratione iuſtitiæ; neque poteſt quiſquam id negare. Et quidem quando potentia naturalis eſt ſimpliciter ſublata, certum eſt non poſſe eius fieri reſtitutionem in ſe ipſa; hoc enim ſuperat vim creatam: ſed quando vſus tantummodo eſt impeditus, poteſt tunc aliquando impedimentum tolli per eum qui poſuit, vt quando per incantationes magicas, poſitis certis ſignis impedimentum eſt inductum, quibus ſublatis, redeat ſanus & integer vſus potentię, & tunc ex iuſtitia obligatur iſta amouere. Non tamen tenetur, imò nec licitè poteſt magus vel incantator per aliud maleficium curare aut tollere malum, etiamſi hoc modo, & non aliter queat curare: quia non ſunt facienda mala (ſicuti eſt exercere nouum maleficium) vt eueniant bona, vt docet Apoſtolus ad Rom.

DICO Secundò: Similiter obligatur talis ex iuſtitia ad reparationem totius damni temporalis, quod inde ſequitur; vt ſi ob priuationem alicuius potentiæ aut ob impeditum vſum eius, non poſſit alter artem illam exercere, vel officium obire, ex quibus lucrum faciebat. Eſt quoque certa & communis doctrina, & ſufficienter ex generalibus principijs antè dictis conſtat.

DICO Tertiò: An præciſè pro ipſa priuatione ſenſus vel vſus rationis debeat aliquam pecuniariam reſtitutionem facere is qui abſtulit, dum in ſpecie reparare non poteſt, eadem eſt quæſtio cum illa quæ mouetur de vita hominis liberi, aut de membro eius ablato. Quidam affirmant, vt Dom. Soto ſup. art. 3. ad ſolut. primi arg. & alij ſup. citati qui pro vita hominis docent ex iuſtitia faciendam reſtitutionem in alijs bonis: quibus fauet D. Thomas locis ſimiliter ſuprà citatis;

Alij ſatis communiter id negant. Vtramque opinionem cum ſuis fundamentis, tanquam probabilem ſuprà Tract. 2. c. 3. dub. 1. & hoc Tract. Cap. Præced. dub. 5. explicuimus: quæ ibi licebit reuidere.

DVBIVM III.

Vtrùm ad reſtitutionem teneatur qui alterum pertraxit in peccatum, & ſic ei cauſa fuit damni in bonis ſpiritualibus:

RESPONDEO & DICO Primò: Qui vi ſeu metu, vel fraude pertraxit alterum in peccatum, tenetur ex iuſtitia illum reſtituere ſuæ libertati, & vim vel fraudem amouere, ne harum occaſione in peccato ſordeſcat, aut ſimili modo in poſterum peccet. Ita ſatis communiter videntur DD. ſentire. Vide DD. cit. dub. 1. ad 2. aſſertionem, & plures apud Pet. Nauarr. lib. 2. c. 2. n. 48. & 50. 4

Declaratur: quia iniquè agit qui minas aut vim alteri intentat ſine authoritate, vel contra iuris ordinem, prout ſupponimus fieri, aut factum fuiſſe in caſu concluſionis. Similiter iniuſtè agit qui fraude vel dolo alteri eſt cauſa damni: atqui qui iniquè agit, tenetur lege iuſtitiæ ab iniurioſa actione abſtinere, & ſi per eam poſuerit cauſam damni, tenetur auferre quantum in ipſo eſt; ergo qui talibus iniurioſis medijs alterum perduxit in peccatum, obligatur ex iuſtitiâ vim tollere, minas remittere, & dolum ſiue fraudem patefacere, vt ſic iniuria ceſſet. Quod ſi is qui in peccatum fuit inductus, exiſtimetur non verè fuiſſe deceptus; ſed ſatis ſciens & volens peccaſſe, non orietur in inductore obligatio iuſtitiæ ad tollendum errorem; quia reuera error non fuit cauſa peccati; neque cenſebitur cauſa ſi in eo perſeueret: ſed tantùm peccantis peruerſitas: quia tametſi

viſus

viſus fuerit alteri malè eum informanti auſcultaſſe, & ſic deliquiſſe, tamen à parte rei mala inſtructio huius non fuit cauſa lapſus eius, nec continuationis in lapſu, quia melius nouit, vt ſupponitur. Sic dicendum quoque, etſi is qui inductus eſt in peccatum, ab initio verè fuerit deceptus, ſed poſtea aliundè recognouit veritatem, deceptorem tunc quaſi ſolui ab obligatione iuſtitiæ, qua tenebatur errorē illum tollere, quia error iam ſublatus eſt qui erat cauſa iniuſtè data ſeu poſita damni ſpiritualis, quod alter patiebatur. Vnde ſi ille adhuc pergat in opere malo, debet id iam imputari propriæ ipſius malitiæ, non cauſæ prius à deceptore poſitæ, vtpotè quæ nunc per alium ablata eſt.

5 DICO Secundò: Qui alterum vi vel fraude in peccatum pertraxit, quamuis ex iuſtitia modo dicto obligetur vim vel fraudem reſpectiuè amouere, probabile tamen eſt, quod non teneatur ex iuſtitia curare, vt alter conuertatur: quemadmodum neque ex iuſtitia ad id obligatur qui prece vel pretio ad peccandum induxit: tenentur tamen lege Charitatis, & quidem magis quàm communiter alij. Ita Syl. V. Reſtitut. 3: q. 1. Soto ſuprà Bannesius hîc q. 62. art. 2. Salonius ibidem controuerſia 2. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 2. in principio cum alijs, quos citat, & plures recentiores contra Scotum in 4. diſt. 15. q. 3. art. 1. & Adrianum in 4. q. 3. de Reſtit. circa finem: & Quodlib. 12. & alios nonnullos qui exiſtimare videntur iſtos omnes, imò etiam qui ſuo exemplo fuerunt alijs cauſa peccandi, teneri ex iuſtitia curare eorum conuerſionem. Sed

Probatur Primò: Non obligari ex iuſtitia ad hoc illos qui prece vel pretio, & minùs qui exemplo tantùm in peccatum induxerunt: quia factum quod non continet iniuſtitiam ſiue iniuriam, non inducit obligationem iuſtitiæ, atqui factum iſtorum non continet iniuſtitiam vel iniuriam: quia ſcienti & volenti non fit iniuria: Sed qui pretio vel prece inductus peccat nocet ipſe ſibi omninò ſciens & volens in bonis animæ; ergò qui ſic inducit, non facit ei iniuriam, & proinde non oritur in eo aliqua obligatio iuſtitiæ ad nocumentum illud tollendum.

Confirmatur, quia ſi quis abſque vi & fraude induceret alterum, vt pecunias ſuas in ludos vel commeſſationes prodigeret, non committeret iniuſtitiam; nec teneretur ei ad reſtitutionem; ergo &c.

6 Probatur Secundò generaliter, etiam de illo qui vi aut fraude alterum induxit in peccatum: quia ſic inductus & peccans, quando vis ceſſat, vel vbi iam nouit ſe deceptum, & in peccato eſſe, poteſt cum Dei gratiâ amouere damnum ſpirituale quod incurrit, & bonum deperditum recuperare: quod ſi recuperare nolit aut prætermittat, quando ſine alio incommodo poteſt, videtur tum bonum iſtud reſpuere ſiue negligere, nec velle amplius inter res ſuas habere: & per conſequens cenſetur morali iudicio alter ab obligatione reſtituendi aut redintegrandi illi bonum iſtud abſolui.

Cōfirmatur à ſimili: quia ſi quis vi vel fraude feciſſet alium abijcere aut deperdere rem ſuam: & poſtmodum à vi ceſſaret, vel dolus detegeretur, ac interim res abiecta vel deperdita, eo eſſet loco vt vim vel fraudem perpeſſus poſſit illam abſque ſuo grauamine ad ſe recipere: idque ipſe ſciret, cenſeretur rem illam deſerere, nec inter ſua velle habere, ſi illam tali caſu ad ſe non retraheret, præſertim quando alter non poſſet proximè per ſe ad manus eius rē reponere, ſed dumtaxat eum monere, vt rem ſuam ad ſe velit recipere, prout contingit in caſu aſſertionis: nam qui vi aut fraude alterum induxit in peccatum, non poteſt illi bonum ſpirituale amiſſum per ſe reddere: ſed tantū exhortari & incitare, vt ſe ad illud recuperandum diſponat, & ſic ei reſtituatur & recipiat.

Addo, præſertim quando non poteſt &c. quia alioquin poſſet ſubeſſe ratio, quare iniuriam paſſus vellet alterum ſibi quaſi ad manum reponere, id ſcilicet exigendo pro quadam eius ſubmiſſione & ſatisfactione pro iniuria quam intulerat: quæ exigi poſſunt etiam quando damnum ſufficienter eſt reparatum, ita vt ab onere reſtitutionis propriè dictæ iam liber ſit qui iniuriam fecerat.

Nihilominus tamen ſi ſeductus vi vel fraude putaretur non reſurrecturus à peccato, non tam ex affectu ad peccatum, quàm ob aliquam animi puſillanimitatem, ſatis probabiliter cum alijs DD. dici poterit, tunc ſeductorem obligari ex iuſtitia ad ſubleuandam illam animi puſillanimitatem, quando id oportunis medijs præſtare poteſt.

Confirmatur, quia per iniuriam alter quaſi abſtulit illi bonum ſpirituale animæ: & in caſu poſito nō videtur ſic ſpoliatus adhuc dicendus ſimpliciter non velle bonum iſtud inter ſua habere: quando igitur is qui per iniuriam cauſa fuit amiſſionis illius boni, poteſt ſuâ opera efficere, vt alter illud recuperet, ac iterum poſſidere incipiat, videtur omnino ex iuſtitiâ obligari ad illud præſtandum.

Altera concluſionis pars, quod ſcilicet inductores illi qualeſcumque, obligentur præ cæteris ex charitate ad procurandam conuerſionem eius, quem in peccatum traxerunt, tenetur communiter à DD. Et ſatis videtur per ſe clara: quia planè ratio naturalis dictat, vt qui alteri fuit author peccati, laboret præceteris eum reducere & emendare. 7

An verò hæc obligatio qua præ cæteris tenetur, etiam ſub mortali peccato eum ſtringat; dubitari poteſt: Nauarr. lib. 5. conſil. tit. 3. conſ. 2.

conſ. 2. n. 4. & quidam alij cum ipſo exiſtiment nunquam eum ſub mortali obligari, quando pariter non obligentur cæteri: probabile tamen videtur eum in caſu aliquando poſſe teneri ad id ſub mortali, quando non promiſcuè alius quilibet proximus ſimiliter obligatur: vt puta quando ad id alij non tenentur, quia ſine ſuis incommodis grauioribus id præſtare non poſſunt, veriſimile eſt quod ſeductor cum paribus ſuis incõmodis nihilominus teneatur etiam ſub mortali: quia æquum eſt exiſtimare quod ex charitate cenſeatur obligatus ad plus laborandum & maiora incommoda ſubeunda, vt ſubueniatur illi ſeducto (quamuis ſine peccato iniuſtitiæ) is qui ſeduxit, quàm alius quilibet qui nullo modo ei fuit author vel cauſa mali vel periculi in quo verſatur.

DVBIVM IV.

Ad quid teneatur qui aliquem à Statu religionis diuertit?

8 NOn quærimus hîc, ad quid teneatur ipſi perſonæ quam diuertit: quia hoc ex dictis dubio præcedenti ſatis poterit colligi. Sed ad quid teneatur religioni quam meditabatur, aut profitebatur perſona.

Respondeo & Dico Primò: Qui meditantem iam Religionem, quam nondum ingreſſus eſt, abſque vi, metu, vel dolo diuertit ab eius ingreſſu, non obligatur ex iuſtitia aliquid monaſterio reſtituere, etſi fortaſſis diuertendo grauiter peccaſſet: & monaſterium ſpe temporalis commodi, quo per eius introitũ potuiſſet gaudere, ſic fraudatum eſſet.

Similiter nec obligatur ex iuſtitia, qui ſine vi, & fraude nouitium ex monaſterio ſeduxit, etiamſi quoque in eo deliquiſſet, & monaſterium à ſpe temporalis profectus excidiſſet. Ita docent Dom. Soto ſuprà, Pet. Nauarra libro 2. cap. 2. n. 15. Mald. hîc Tract. 8. dubit. 3. & alij plures.

Ratio redditur; quia talis non contra iuſtitiam, ſed contra virtutem religionis peccauit: neque monaſterio fecit propriè iniuriam, quia antè votorum acceptationem non habet Religio ius ad perſonas, quantumuis etiam ipſe voto ſe aſtrinxiſſent, vt in votis realibus, & in alijs promiſſionibus videre licet. Hinc fit quod ne quidem teneatur ex iuſtitia compenſare vtilitatem temporalem quam religio ſperabat: nõ enim habebat ius ad eam, niſi mediante liberâ voluntate nouitij aut volentis ingredi, quam alter in ſuâ libertate reliquit, quando nullam vim aut fraudem adhibuit.

Dixi, eum non teneri ex iuſtitia, quia ex quadam æquitate, & decentiâ, quando id ſine legittima cauſa, & cum peccato egit, tenetur illum hortari ad bonum propoſitum reſumendum, vt tam illi, quàm vt religioni bene ſit.

Obſeruandum itaque hîc eſt, poſſe aliquando ex iuſtis rationibus alicui ſine peccato diſſuaderi religionis ingreſſum, vel amplexum: eiuſmodi autem cauſæ cenſentur à DD. eſſe inprimis, ſi ille bonâ fide credatur melius in ſeculo militaturus Deo, quàm in religione illa quam meditabatur, ſiue propter religioſorum conuerſationem minus ei accommodatam; ſiue propter corporis infirmitates; quia nec ipſi religioni expedit infirmiores ſuſcipere propter quos oporteat monaſticam diſciplinam relaxare. 9

Secunda cauſa eſſe poteſt ſi impedimentum habeat in reſpectu ad religionem quam cogitat, ad quod forſitã ipſe non attendebat:

Tertia, ſi parentes operâ eius indigeant: de quâ alibi plura ſunt dicta.

Quarta, ſi quis videat eum potius propter temporales commoditates religionem cogitare, quàm propter ſpiritualem profectum: id enim debere alienum eſſe ab eo, qui Chriſtum ſecundum conſilia euangelica ſequi intendit, ſignificat ipſe Chriſtus Lucę 4. vbi adoleſcentem non admittit ad ſuum diſcipulatum.

Notat etiam circa hæc Malderus loco ſuprà citato, quod ſicuti permittit Deus mala, vt inde eliciat bona; ita & Diabolum ſubinde excitare homines ad religionem, vt inde eueniant mala, quæ aliquando probabiliter euentura ſperat & conijcit, vt quando ex reſpectu humano obſeruat eos à ſe vel ab alijs ad illam moueri: quare opus eſt bona diſcuſſione, diſcretione, & probatione, vtrùm ſpiritus à Deo ſit. Et ſanè parentes ſæpius grauiter peccant, dum proles ſine diſcrimine & examine protrudunt ad monaſteria, vt ſe à ſumptibus liberent, vel vt hæreditas inter pauciores diuidatur: ſicuti & illi Magiſtri reprehendendi ſunt, qui inducunt & quaſi pertrahunt indifferenter quoſlibet, quos apprehendunt Religioni futuros vtiles, ſiue propter ipſorum media temporalia, ſiue propter dotes naturæ, non ſatis attenti, vtrùm in perſona eluceant ſigna, ex quibus prudenter poſſit iudicari, quod à Deo ad eiuſmodi ſtatum ordinentur ac vocentur: & hinc poſtmodum lachrymæ, & tot incommoda.

Dico Secundò: Tametſi aliquis vi vel fraude abduxit quempiam à religione, etiam nouitium, aut profeſſum, non tamen tenetur ex iuſtitia; imò nec ex alio præcepto ipſemet ingredi illam religionem: tenetur tamen ex iuſtitia vim tollere, fraudem aperire, & ſuadere reditum: quod ſi tunc redire non velit, poteſt ex quadam etiam æquitate dici ſeductor obligatus, non ex iuſtitia, vt alium aliquem idoneum inducat ad illius 10

religionis

Digitized by Google

religionis ingreſſum, ſi occaſionē id faciendi habeat. Prima pars ſatis communiter tenetur contra Palud. in 4.diſt.15.q.2.a.2. qui ex iuſtitia obligat retrahentem, vt ſi aliter reſtituere non poſſit, ipſe ingrediatur &c.

Probatur: quia inprimis poteſt cōtingere, iſte quod non ſit idoneus ad religionē: deinde, quamuis eſſet idoneus, tamen vlterius requiritur, quod ſtatus religionis liberâ voluntate acceptetur, quia eſt ſtatus perfectionis, quæ non niſi liberis actionibus acquiritur: vnde par eſt, quod ad eam nemo propter delictum obligetur, ſed quiſque voluntate ſpontaneâ ſe illi tradat & obliget, iuxta Cap. Præſens: 20. q. 3. quod eſt Nicolai Papæ: qui ad hoc propoſitum adducit illud Pſal.53. *Voluntariè ſacrificabo tibi Domine*: quod enim quis non eligit, non diligit: quod non diligit, facilè contemnit. Quare licet quis propter delictum poſſit in monaſterio concludi ad agendam pœnitentiam, tamen compelli non debet, vt religionem profiteatur.

Altera pars, quod ex iuſtitia debeat vim vel fraudē amouere, ex dictis dub. præc. conſtat.

Tertia pars declaratur: quandoquidem
11 enim is Deo & religioni obſequiū illud ſubtraxerit, rationi omninò conſonum eſt, vt compenſet illud meliori modo quo conuenienter poteſt, prout fiet per inductionem alterius idonei, & ſpiritū religionis habentis, ad eandem religionem. Quod tamen ad id non teneatur ex iuſtitia, docet Dom. Soto loco ſuprà citato: Leſſius lib. 2. c. 8. dub. 3. n. 13. & alij plures cum illis. Et

Probatur: quia nec ipſe intendens iam ingredi, neque nouitius iam ingreſſus obligantur lege iuſtitiæ in monaſterio viuere, quod certum omninò eſt: quin neque religioſus profeſſus, vt probabiliter quidā docent, ſed tantum ex voto religionis. Deinde, eſto profeſſū obligari ex iuſtitia redire, nihilominus author defectionis eius non videtur obligari ex iuſtitia, niſi amouere vim vel fraudē, quibus reſpectiuè eum abduxit, & reditum ſuadere, neque enim aliter poteſt perſonā ipſam reſtituere. Vt autē eius loco aliam reponat, neque vſu receptum eſt, neque iuſtitia videtur id in tali caſu poſtulare: quia vt quis religionem ritè amplectatur, non ex humana perſuaſione, ſed ex vocatione diuina pendet.

Confirmatur: quia monaſterium non poſſidet religioſum tamquam mancipium, pro quo, ſi vi vel fraude abducatur, debet aliud reſtitui, ſed tantum vt filiumfam. pro quo ſeducto vel occiſo nō exigitur nec reſtituitur alius loco eius. Vnde nec dicet aliquis, quòd ſi quis religioſū occidit, teneatur ex iuſtitia alium deducere ad monaſterium; ergò &c.

Dico Tertiò: Qui vi vel fraude nouitium
12 vel alium impediuit à profitendâ religione, quamuis ex iuſtitia nō teneatur ſe vel alium loco eius ponere, obligatur tamen ex iuſtitia religioni compenſare temporale damnum, ſi quod patiatur, & proinde reſtituere tantum quanti valebat ſpes commodi, quod ex eius donatione, vel induſtria fuiſſet exſpectatum. Eſt Rebelli lib.4.q.vlt. Mald. Tra.8.dub.3.

Probatur, nam qui aliquem impedit vi vel fraude, ne relinquat tertio legatum, vel ne conferat beneficium, tenetur iſti ad reſtitutionem in tantum, quanti ſpes aſſequendi illa æſtimabitur iudicio prudentum valuiſſe: quamuis enim non habeat ius ad legatū, vel beneficium &c. habet tamen ius ne in ſuum præiudiciū vis aut fraus fiat illi qui intendit ei benefacere: quare cum religio ius ſimiliter quoque habeat, ne quis vi vel fraude nouitium vel alium, qui ingredi meditatur, à religione profitendâ impediat, conſequens eſt, quod is qui ſic impediuit, violauerit ius religionis, & proinde obligetur ex iuſtitia ad compenſationem damni inde obuenientis, quâ parte pretio æſtimabile eſt: quæ potiori ratione locum habent in eo qui vi vel fraude ſeduxit profeſſum ex monaſterio, vt docent Nauarra ſuprà n.25. & Salon.2.2.q.62.a.2.

Notandum tamen eſt, ſi nouitius vel pro- 13
feſſus putetur fraudem ſatis aduertiſſe; tunc alterum ex iuſtitia non videri obligatum de iſtis damnis: quia non poterit dici fraus propriè fuiſſe cauſa egreſſionis, nec ipſa egreſſio cenſeri poteſt eis inuoluntaria propter aliquam ignorantiam. Similiter quidam probabiliter exiſtimāt ſeductorem non amplius ex iuſtitia teneri de ſequentibus dānis quando vim vel fraudem amouit, & ſeductum ſic reſtituit ſuæ libertati, interea temporis, dum illi adhuc integrū eſt redire. Ita Leſſ. ſup. c. 17. & alij: quia tunc nō videtur alter cenſendus cauſa quod monaſterium priuetur ſpe commodi, ſed potius ipſemet qui ex plenâ libertate nō vult redire. Secus ſi tunc ei non ſit integrū redire propter impedimenta interiecta per egreſſum: imò ſi occaſione violentiæ, vel fraudis factū ſit quòd mutauerit omnino animum, videbitur ſeductor dicendus cauſa damni, nō obſtante quod vim, vel fraudem tempeſtiuè ſemouerit, ſecus ſi ex alijs cauſis animum mutauerit.

Sed difficultas mouetur circa religioſum 14
profeſſum, quando quis eum ſine vi vel fraude ex monaſterio ſeduxit, vtrùm hic ex iuſtitia teneatur monaſterio de eiuſmodi temporalis commodi carentia: vt ſi monaſterio aliqui prouentus notabiles, aut eleemoſynæ ſoleant obuenire ex eius functionibus: vt ratione concionum, aut profeſſionis litterarum &c. qui occaſione eius abſentię ſiue egreſſionis ceſſant. Quidam non improbabiliter id affirmant: pro quo citat Mald. Rebellum ſuprà. Sed pars negatiua magis communiter à DD. tenetur. Ita Soto lib.4.q.6.art.3.ad 2. P. Nauarra, & Salon. ſuprà, controu. 3. Similiter Mald. ſuprà cum alijs.

Probatur,

Digitized by Google

Probatur, quia religioſus neq; ex naturali quaſi neceſſitate profert illa emolumenta religioni ſiue monaſterio: neque ex virtute iuſtitiæ ad illa procuranda tenetur, ſed tantum ex virtute religionis & obedientiæ, vt tradit Banneſ. cum alijs hîc q.62.a.2.dub.6. ergo qui ſine vi & fraude eum impedit aut inducit, vt illa lucra non faciat monaſterio, non committit iniuſtitiam in monaſterium: ſed peccat contra virtutem religionis. Confirmatur, quādo enim principalis nō tenetur ex iuſtitia præſtare alicui quippiā, non facit tunc iniuriam is qui ſine vi vel fraude eſt ipſi cauſa, vt non præſtet quod ex iuſtitia non tenebatur præſtare. Sed

15 Obijcitur: religio habebat ius ad percipienda commoda ex laboribus, vel induſtriâ illius obuenientia: atqui is qui religioſum illum extraxit, quamuis ſine vi & fraude, impedit ius illud; ergo contra iuſtitiam peccat.

Reſp. habet religio ius ad illa emolumenta hoc ipſo, quò religioſus illa promeruit, vel occaſione functionis eius iam oblata ſunt: quia religioſus nihil poteſt ſibi acquirere, ſed monaſterio: & proinde qui monaſterium impediret ab illis percipiendis, quando promerita vel oblata ſunt, peccaret contra iuſtitiā, ſed religio non habet ius iuſtitiæ ad eius labores, ſic vt ipſe ex iuſtitia obligetur eos prǣſtare: ſicuti iam diximus: & propterea qui ſine vi & fraude eum retrahit à laboribus non peccat contra iuſtitiam, quamuis monaſterium inde ſolet aliquē fructum percipere.

Obijcitur Secundò: Qui profeſſo ſuadet egreſſionem, afficit iniuriā religionem; atqui ex hac iniuria ſequitur illud detrimentum commodi temporalis, quod monaſterium percipere ſolet, ergo tenetur illi ex iuſtitia de illo detrimento.

Reſpondent aliqui, non facere iniuriam quæ propriè ſit contra ius iuſtitiæ, ſed tantum quæ ſit contra virtutem religionis: Ita Leſſius ſup. Et ratio reddi poteſt, quia religioſus non computatur inter poſſeſſiones monaſterij, ſicuti ſeruus inter poſſeſſiones domini ſui: ſed ſicuti filiusfamilias ad familiam patris, ſic ille ſpectat ad familiam religionis, quæ tale ius quādam proportione in illum habet ratione votorum, & præſertim obedientiæ, quæ acceptauit, ſicut paterfam. ratione generationis habet in filiū; & quia ipſa perſona eſt liberi arbitrij, & liberè obſequitur malis conſilijs non interueniente vi vel fraude, hinc ipſi perſonæ non facit iniuriam propriè dictam; vnde conſequenter nec eam videtur facere ipſi religioni: ſola autem iniuria quæ eſt contra ius iuſtitię inducit obigationem ad reſtituendum. Alij verò admittere videntur, quod iniuriam religioni faciat ſuadendo egreſſionē, quamuis ſine vi & fraude; negant tamen eum ex iuſtitia teneri ad compenſationem commodorum quibus monaſterium priuatur: idque ideò, quia monaſterium iſta commoda non poterat ex iure iuſtitiæ exigere ab illo religioſo, ſed tantùm ex virtute religionis vel obedientiæ; vnde qui ſuaſiſſet ei ceſſationem à laboribus, non intuliſſet aut feciſſet monaſterio iniuriam propriè dictam; neque enim ſemper detrimentum quod ad iniuriam ſequitur quomodolibet, venit reparandum ab eo qui iniuriam fecit: vnde qui occidit virum bonum & liberalem per iniuriam qui ſolebat pauperibus largā eleemoſynam erogare, non tenetur ipſe ex iuſtitia compenſare pauperibus illis carentiam eleemoſynarum obuenientem ex homicidio illius.

Obijcitur Tertiò: Qui ſeruo ſeu mancipio 16
ſuadet ne operetur, videtur domino ad reſtitutionem obligari; ergo etiam qui religioſo. Reſp. N.A. quando nec vim nec fraudem adhibet, quamuis enim is grauiter peccaret, non tamen videtur peccare contra iuſtitiam, & proinde nec tenetur ad reſtitutionem.

Declaratur, quia talis ſeruus dedens ſe otio non peccat contra iuſtitiam: non enim actiones mancipij ſic ſunt domino debitæ, ſicuti actiones & opera famuli mercenarij debita ſunt, qui pro illis mercedem recipit: ſed eo iure debentur quo ſeruus tenetur obedire domino: quod multo magis locum habet in religioſo qui in familia religionis verſatur, non principaliter vt temporaliter proſit monaſterio, ſicuti mancipium eſt in poſſeſſionibus domini; ſed propter ſuum ſpiritualem profectum & ſalutem. Vnde nec refert quod qui ſeruo emptitio ſuaderet fugam, effectu ſequuto obligaretur domino de ſeruo, ſiue de æſtimatione illius; quia longè diſpar eſt ratio religioſi reſpectu monaſterij, & ſerui reſpectu domini, vt ex dictis ſatis conſtat. Quare etiam poſito quod egreſſionem ſuadendo faceret iniuriam monaſterio, tamen probabiliter liberatur à neceſſitate compenſandi incommoda temporalia, quæ idcirco monaſteriū patitur: quod ſaltem tunc certiſſimum eſt, quando ipſe profeſſus tantum conſumebat, quantū emolumenta eius cauſâ obuenientia valerent; aut ſi alius ſit qui abſque monaſterij grauamine poteſt in eius locum ſubſtitui cum pari ſpe emolumentorum; quia tunc non patitur ſimpliciter monaſterium detrimentum propter alterius egreſſionem, vt notat Leſſius: quæ etiam conſideranda erunt, quando quis vi vel fraude nouitium abſtraxiſſet, an non onus quod ab eo monaſterium ſuſtinuiſſet ſit cenſendum par commodis, quæ putabatur ipſe monaſterio allaturus.

TRACT.

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS,

De contractibus in genere, ac in ſpecie.

CAPVT PRIMVM,

De contractu in genere.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit contractus, & quot modis perficiatur?

1 IN præcedentibus egimus de iniurijs in proximum, quæ manifeſtam habent iniuſtitiæ rationem, ſiue clam, ſiue palam fiant, vt de furtis, homicidijs, adulterijs, detractione, de nocumentis in bonis ſpiritualibus, &c.

Nunc tractabimus de illis, quæ præ ſe ferunt quandam iuſtitiæ ſpeciem, vt ſunt quæ in cõtractibus, vel in iudicijs committi ſolẽt. Vt autem poſſint hę fraudulentę iniurię obſeruari & agnoſci, neceſſũ eſt intelligi ipſam contractuum naturam, proprietates, ac vim & effectus. Et hinc Theologus quoq; tum de contractibus, tum de iudicijs diſputare ſolet: quamuis eorum conſideratio per ſe magis ad Iuriſprudentiam ſpectet. His præmiſſis

Notandum eſt, nomen cõtractus tripliciter ſumi poſſe, aliquando ſtrictè ac propriè, aliquando generaliter, & aliquando generaliſſimè.

DICO Primò: Contractus ſtrictè & propriè acceptus eſt vltrò citroque obligatio, quod Græci συνάλλαγμα vocant. Ita definitur l. Labeo 19. D. De verb. ſignif. Senſus autem eſt: Contractus eſt ſignum externum, vltrò citroque obligationẽ ex conſenſu partium inducens. Vnde intelligitur, verba definitionis non in ſenſu formali, ſed cauſali eſſe accipienda, vt contractus ſcilicet dicatur obligatio; quia ipſe obligationem parit.

Contractus generaliter ſumptus dicitur quælibet duorum conuentio, obligationem ſaltem in alterutro producens. Sic accipitur l. Contractus Cod. De fide inſtrument. vbi etiam donatio vocatur contractus: & l. Non ſolum D. De obligation. & act. Hoc modo non diſtinguitur à pacto, quod definitur eſſe duorum conſenſus atque conuentio, vel, vt I.C. loquitur, duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, l. 1. §. 2. D. De pactis.

Pro cuius clariori intellectu ſciendum eſt, ad hoc, vt fiat pactum, eſſe neceſſarium, vt duæ voluntates in idem reciproco conſenſu conueniant: Vnde donatio & promiſſio nondum habent rationem pacti, antequam ſint acceptatæ, & accedat reciprocus conſenſus eius, in quem hinc inde diriguntur.

Tertiò ſumitur contractus generaliſſimè vt etiam comprehendat contractum virtualem; quem vocant quaſi contractum, Inſtit. de obligat. §. Sequens: quando ſcilicet tantum implicitè conuenitur, abſque vlla expreſsâ pactione, quâ contrahentes ſe obſtringant. Eo modo, tutela & quoduis aliud officium, aut mandatum, dicitur quaſi contractus: qui enim officium ſuſcipit, eo ipſo tacitè ſe obligat erga alterum, & alter erga illum, iuxta leges, vel conſuetudinem receptam. Obligatio autẽ dicitur vinculum, quo contrahentes adſtringuntur ad aliquid faciẽdum vel non faciendum: §. 1. Inſtit. de oblig. & l. 1. D. De pactis. Vide plura de his apud Mozzium Tract. De contractibus in princ. Gomezium Tomo 2. Var. reſol. cap. 4. n. 2.

Nos autem hîc agemus de contractibus tum propriè & ſpecialiter dictis: tum etiam de generabiliter dictis. Vnde

DICO Secundò: Contractus quadrupliciter perficitur, videl. Re, Scripturâ, Verbis, & Conſenſu. Ita Syluest. V. Contractus n. 6. Rebell. lib. 1. De Contract. q. 3. ſect. 1. n. 1. Mol. tract. 2. Diſp. 254. Azor. 3. p. lib. 8. c. 26. & alij communiter. Colligitur ex Inſtitutis tit. De obligationibus ſub finem. 2

Re dicuntur perfici contractus illi, qui non abſoluuntur conuentione ſolâ; ſed requirunt rei alicuius traditionem: eiuſmodi ſunt Depoſitum, Commodatum, Mutuum, & ſimiles: non enim cenſentur hi contractus in ſuo eſſe completi & perfecti, niſi re traditâ. Nam quamdiu in ſolis verbis conſiſtunt, dicuntur adhuc nuda pacta, quę non pariunt obligationem ciuilem, niſi forſitan aliqui ex priuilegio iuris, de quibus Dubio ſeq. latiùs.

Scripturâ perficiuntur, qui antequam ſcriptura aliqua accedat, non habentur rati, vt Emphyteuſis, & omnis contractus, quem nolunt contrahentes firmare & concludere, niſi coram Notariò, qui inſtrumentum deſuper conficiat.

Verbis perfici dicuntur, qui requirunt certam verborum formam. Tales ſunt omnes ſtipulationes. Formulæ autem iſtæ conſtant præuiâ interrogatione vnius, & ſubſequente reſponſione alterius: vt exempli gratiâ, Spondes dare tantum? ſpondeo. Promittis centũ? promitto. Vide Inſt. De verb. oblig.

Conſenſu denique perfici dicuntur; contractus, qui non requirunt rei traditionem, ſcripturam, vel certam verborum formam: ſed ſufficit conſenſus quouis modo exteriùs vtrimque expreſſus; vt ſunt emptio, venditio, locatio, conductio, quando partes non requirunt deſuper fieri inſtrumentũ. Rationem itaq. Contractus, qui duorum eſſe debet, propriè non habent teſtamentũ, aut codicilli, quibus vnius morientis continetur voluntas: item nec pollicitatio, quæ vnius offerentis eſt promiſſum.

DVBIVM II.

De diuiſionibus contractuum, eorumque effectibus?

3 VAriè aſſignantur Contractus ſeu Pacti diuiſiones, vt videre eſt apud Syluest. V. Contractus & V. Pactũ, & Bonac. tom. 1. De contract. diſp. 3. pun. 1. n. 21. Ex quibus prima ſit hæc, quâ diuiditur contractus in Nominatum, & Innominatum.

Contractus Nominatus dicitur, qui in generali nomine pactionis aut contractus non perſiſtit, ſed habet nomen proprium & ſpecificum, quo diſtinguitur ab alijs, vt patet l. Iuris gentiũ 7. in princ. D. De pactis. Tales ſunt emptio, locatio, commodatum &c.

Innominatus verò dicitur, qui proprio & ſpecifico nomine caret, ſed tantùm generali exprimi ſolet. Huius aſſignantur quatuor veluti ſpecies, quæ his vocibus ſignificantur, contractus Do vt des; Do vt facias; Facio, vt des, Facio, vt facias: de quibus licet videre l. Naturalis 5. D. De præſcriptis verbis & ibi DD. Circa quæ rectè Mald. Tract. 5. c. 1. dub. 1. cum Molina obſeruat, ſub affirmatione etiam comprehendi negationem: vnde quando dicitur, Do, vt deſiſtas, ſiue vt non facias, cenſetur contractus eiuſdem rationis cum illo, Do vt facias. Sed

4 Dices: Contractus, Do vt des, videtur eſſe permutatio: ergo non rectè ponitur contractus innominatus.

R. N. C. quia nomen permutationis non eſt illi proprium & ſpecificum, nam & alijs contractibus quoque conuenit, vt emptioni, venditioni, vbi datur pretium pro merce, aut merces pro pretio, & ſimilibus.

Secunda diuiſio ſit, quâ cõtractus ſiue pactum diuiditur in pactũ Nudum, & Veſtitũ.

Nudum vocant, quod in puris terminis conuentionis conſiſtit, nullo alio robore firmatum. Eiuſmodi ſunt omnes cõtractus innominati, quamdiu non fuerint ex alterutra parte completi, vel non acceſſerit ſtipulatio, aut iuramentum. Itẽ contractus, qui re perficiuntur, quando traditio rei non eſt ſecuta.

Pactum autem veſtitum vocant, quod aliquid amplius habet, ratione cuius de iure ciuili accedit ei robur. Tales ſunt contractus omnes nominati, quando in ſuo genere ſunt perfecti & completi. Vide de his d. l. Iuris gentium 7. §. Sed cum nulla, & ibi Gloſ. Bart. & alios D. De pactis, Syluest. V. Pactum n. 2.

Tertia diuiſio ſit, qua diuiditur contractus in contractum bonæ fidei, & contractum ſtricti iuris.

Bonæ fidei vocatur ille, in quo permittitur iudici ex æquo & bono multa arbitrari, quæ tametſi inter contrahentes non fuerint omninò expreſſa, tamen ſecundùm bonam fidẽ cenſentur ineſſe. Tales contractus ſunt emptio, locatio, & ſimiles, qui numerantur in §. Actionum 28. Inſtit. De actionibus.

Stricti autem iuris contractus dicitur, in quo Iudex ad verba adſtringatur, vt fit in ſtipulationibus, in mutuo, in emphyteuſi, & ſimilibus, quibus Bonac. ſupra cum Rebello, & Molina adnumerat donationem & liberalem promiſſionem. Porrò plura licebit videre de hac diuiſione apud Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 6. & Gomez to. 2. Var. c. 8.

Quarta diuiſio ſit, quâ diuiditur contractus in Lucratiuum & Oneroſum.

Lucratiuus dicitur, in quo altera pars nihil rependit, vt in donatione, in commodato, & ſimilibus. Huc etiã referri poſſunt teſtamẽtũ & legatũ, quãuis propriè cõtractus non ſint.

Oneroſus verò, in quo aliquid hinc inde quaſi datur & redditur, vt in emptione, conductione, emphytheuſi, & alijs.

Quod verò ad effectus contractuum in genere attinet, De his

DICO Primò: Omnis contractus, etiam qui intra terminos pacti nudi perſiſtit, ſi ſponte ac liberè ſit initus, parit obligationẽ naturalem, ſiue in foro cõſcientiæ, vt Theologi magis cõmuniter loquuntur; ita vt parte alterâ inuitâ non poſſit quis licitè reſcindere, aut illi non ſatisfacere, niſi de iure forſitan ſit irritus, vel detur ſaltem poteſtas irritandi. Ita cõmuniter DD. in cit. l. Iuris gentium, §. Sed cùm nulla, vt tradunt Gomez. ſuprà, & Couar. in Cap. Quamuis pactum p. 2. §. 4. n. 23. & Bonac. ſuprà n. 2. 5

Probatur: quia ad obligandũ ſeſe, ſufficit iure naturæ libera voluntas, verbis vel alijs ſignis expreſſa, & ab altero accepta, quando aliunde non eſt interpoſitum impedimentum. Vide Syluest. V. Pactum n. 4.

Addidi, niſi de iure ſit irritus; quia cõtingit contractus aliquos non tantùm iure naturali, vt qui ſunt de rebus illicitis faciendis, ſed etiam iure poſitiuo eſſe irritos & nullos; aut dari

aut dari facultatem eos irritandi & annulandi: ſupremus enim Magiſtratus habet ius & authoritatē, vel irritandi omninò pacta aliàs valida futura, ita vt nullam inducant obligationem, vel dandi eam licentiā alteri parti contrahentium, cuius intereſt, quâ poſſit curare contractum, licet validum, elidi & annulari. Ita Bonac. ſup. & alij communiter. Si enim priuati poſſint contractibus apponere aliquas conditiones, ita vt illis non ſubſiſtentibus, non ſint validi: multo magis id poterit Princeps: quod ex infrà dicendis magis in particulari conſtabit.

6 DICO Secundò: Contractus, qui manet inter terminos pacti nudi, non parit obligationem ciuilem, ita vt tribuat actionem in externo foro ciuili. Conſtat ex ſæpè cit. l. Iuris gentium 7. D. De pactis. Nuda pactio, inquit I. C. obligationē non parit, videlicet ciuilem; & ex l. Ex placito 3. C. De rerum permutat. vbi dicitur: Ex placito permutationis, nullâ re ſecutâ, (id eſt neutra ex parte contractu impleto per traditionem rei, qua ſcilicet pactum iam veſtitur) conſtat nemini actionem competere: & ita tenent cōmuniter DD. vti tradunt Gomez. & Couar. ſup.

Ratio eſt: quia tametſi ius ciuile non reſiſtat talibus contractibus, eos irritando, tamē neque adſiſtit tribuendo ex eis actionem, idque ne lites multiplicarentur.

7 Obſeruandum tamen eſt, Quamuis in foro ciuili pactum nudum nō pariat actionem, tribuere tamē exceptionem, vt expreſsè habetur in cit. l. Iuris gentium: vnde impedit ſoluti repetitionem. Item tribuere ius retinendi pignus, ſi datum fuerit: atque etiam compenſandi in conſcientia. Item ſi fideiuſſor acceſſerit, obligabitur ipſe etiam ſimiliter, quamuis non ſic obligetur principalis. Imò, quia in conſcientia vtraque pars contrahentium tenetur ſeruare promiſſum, & hoc ipſum exſoluere, alterâ parte volente & præſtante, hinc in foro Eccleſiaſtico cogerentur ſtare contractibus & implere promiſſa, vt tradit Syl. V. Pactum n. 3. & Couar. ſuprà n. 24. Et colligi poteſt ex Cap. 1. De pactis, vbi alij DD. idem notant: niſi fortaſſis tamen præſumeretur error vel fraus interceſſiſſe, vt quando nulla expreſſa eſſet cauſa promiſſi.

Quòd ſi ad nudum pactum acceſſerit poſtea iuramentum, iam parit obligationem etiam ciuilem, vt docet Couar. ſup. n. 26. quia accedente iuramento tranſit in rationē contractus veſtiti, vt habet Syl. loco cit. n. 2. Similiter etiam aliquando nudum pactum ex priuilegio iuris, eiuſmodi obligationem inducit. Vide Inſtit. tit. De actionibus, §. De conſtituta: vbi Gloſſa enumerat diuerſos tales caſus, inter quos ponit donationem verbalem acceptatam, promiſſionem dotis, & promiſſionem ſoluendi pro ſe vel pro alio.

DICO Tertiò: Contractus veſtiti pariunt 8
obligationem naturalem ordinariè & ciuilē.

Dico, Ordinariè; quia datur aliquando actio ciuilis, cui tamen in altero non correſpondet obligatio naturalis, prout ex diſcurſu de particularibus contractibus patebit.

DICO Quartò: Sunt & alij particulares effectus particularium contractuum, vt ſunt trāſlatio dominij, vſusfructus, vſus &c. prout quoq; ex infrà dicendis ampliùs conſtabit.

DVBIVM III.

Quinam contrahere poſſint?

DICO Primò: Contrahere generatim 9
omnes illi poſſunt, qui habent adminiſtrationem bonorum, quouſq; hæc adminiſtratio ſe extendit. Patet: quia adminiſtratio bonorū conſtat magna ex parte cōtractibus.

DICO Secundò: Minor & pupillus pubertati proximus quamuis bonorū adminiſtrationem nondum habeant, poſſunt tamen contrahere validè in ſuum commodum, etiā ſine authoritate curatoris vel tutoris: non autem in ſuum incōmodum. Vnde quando ex contractu fiunt ditiores, eo obligantur etiam ciuiliter, quamuis ſine authoritate eorum, quibus ſubſunt, contraxerint: ſecùs, ſi ceſſerit in ipſorum incommodum.

Eſt communis doctrina: & conſtat ex Inſtitut. tit. De authorit. tutorum & tit. De inutilibus ſtipulationibus §. Pupillus.

Ratio eſt: quia minoribus ſubuenit ætas in incommodis, in proſperè autē geſtis obeſſe in aliquo non conuenit, vt habetur in l. Non eò minùs Cod. De procuratorib. Proximus verò pubertati cenſetur pupillus, ſi maſculus ſit, quando decem annos cum dimidio habet, ſi femella, quando habet annos nouem cum medio: ante illud autem tempus dicuntur infantes, vel infantiæ proximi, neque de iure præſumuntur ſatis iudicij habere ad qualitercumque contrahendum.

Obſeruandum eſt autē, eum, qui cum minore contraxit, non poſſe ab eo reſilire, ſi minor non velit; poſſe tamen nolle implere contractum, niſi ipſe minor antè procuret conſenſum ſui curatoris, vel decretū Iudicis in caſu, quo illud eſt neceſſariū, vel niſi iureiurando contractū confirmet; quia alioquin exponeret ſe periculo damni, & ſi minor iſta recuſet, nō tum videtur bonâ fide agere. Sed

Quæritur, Vtrum minor, vel pupillus pu- 10
bertati proximus, non obligentur ſaltem naturaliter (vtriuſq; enim quoad hoc eſt eadem ratio, l. Si Curatorem C. De in integr. reſtitut.) quamuis contractus, quem inierint, non fuerit in eorum commodum initus? Reſpondetur: Duæ ſunt hac de re celebres ſententiæ: Vna enim eſt probabilis multorū Doctorum ſententia, qui docent eos naturaliter

Digitized by Google

liter obligari, quando res, quã alienauerunt eſt talis, vt in eius alienatione non debuerit, Iudicis, ſed tutoris dumtaxat authoritas interuenire: vt quando non eſt res immobilis, neque mobilis pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poterat. Ita Sanchez lib. 6. De matrim. diſp. 36. n. 21. & ſeqq. Et citat ex Iuriſtis pro hac ſententia Gloſſ. l. Fin. §. Nõ tuebitur. D. De Iureiur. & l. Quod pupillus 41. §. Natura D. De cõdict. indebit. & alijs locis. Bart. l. 1. §. Non es obligatus C. De inutilib. ſtipul. & l. 1. §. Promiſerit D. De nouation. Salicet. l. 1. n. 1. C. De inutilib. ſtipul. Felin. Cap. Quanto n. 1. De præſumpt. & alios multos: Ex Theologis citat Corduba in Sum. q. 115. Molina tom. 1. De iuſt. Tract. 2. diſp. 224. & Lud. Lopez 1. p. Inſtruct. c. 124. Ad eandẽ ſententiam tamquã probabiliorẽ accedunt Mal. Tr. 5. c. 1. du. 2. & Leſ. c. 17. d. 8. Principale fundamentum Sanchez (quamuis multas rationes adducat) eſſe videtur, quia in tali cõtractu ſi accedat fideiuſſor, ipſe tenetur, l. Fin. D. De iureiur. circa initium: Pupillus, inquit, hoc ſolo defẽdebatur, quod tutor eius nõ interueniſſet: & hoc caſu fideiuſſorem Prætor non tuebitur: atqui principali nullo modo obligato, nõ tenetur fideiuſſor, ergo oportet admittere ex tali contractu pupilli & minoris naſci ſaltẽ obligationẽ naturalem. Conf. ex l. Cum lex 47. D. De fideiuſ. & l. Naturaliter D. De cõd. indeb. Naturaliter ſeruus obligatur, & ob id fideiuſſor pro ſeruo acceptus tenetur. Deinde cõtractus geſtus à minori ſine licentia curatoris firmatur iuramento, vt infra dicemus; ergo ex eo oriebatur obligatio naturalis ſine iuramento.

11 Altera ſententia oppoſita non pauciores habet patronos, vnde neque minus videtur probabilis, videlicet pupillũ ſine authoritate tutoris, vel minorẽ ſine authoritate curatoris nõ obligari in caſibus poſitis naturaliter debito verè naturali quod in conſcientia obliget. Hanc tenent Cyneus l. 1. ad finem C. De inutilib. ſtipul. cum Iacob. Rauen. quẽ citat Alciatus, l. Pacta n. 24. C. De pactis. Duaren. l. Si pupillus 127. D. De V. obligat. Couar. De pactis 2. p. §. 4. n. 10. & plures alij. Ex Theologis autem, etſi non expreſsè tradant, tamen videntur hanc ſententiam ſupponere illi, qui indiſtinctè docent in materia de ludo, lucrantem à minoribus teneri lucrum reſtituere, vt D. Th. hic 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. ibidem Banneſ. & Arrag. Anton. 2. p. 1. c. 23. §. 3. Soto lib. 4. De iuſt. q. 5. a. 2. §. Hæc demum: Caſtro lib. 2. de l. Pœnali c. 2. Corol. 3. & alij. Similiter eandẽ præſupponunt DD. illi qui dicunt, habentem rem à minori ſine tutoris authoritate, quouis titulo habeat, teneri reſtituere, vt Innocent. Cap. Quia plerique n. 3. verſu Se quid dices: De immunitate Eccleſ. & Soto lib. 4. q. 5. a. 3. & alij quos Sanchez citat ſuprà n. 31.

Et probatur hęc Primò: quia pupillus dũ ſine authoritate tutoris dat mutuum non transfert dominiũ, Inſtit. Quibus alien. licet §. Nunc admonendi: & ibid. §. Finali, dicitur quod ſoluere non poſſit ſine tutoris authoritate, quia id quod ſoluit non fit accipientis, cum nullius rei alienatio eis ſine tutoris authoritate conceſſa ſit; ergo ex contractu non obligatur naturaliter, & in foro conſcientię: transferret quippe dominium ſi obligaretur, & accipientem dum retineret, redderet ſecurum in conſcientia.

Probatur Secundò: quia minor habens curatorẽ comparatur prodigo cui bonis interdictũ eſt: l. Si curatorẽ C. De in integ. reſtit. & l. Certi cõdictio 9. §. Quoniam D. Si cert. petat. atqui iſte non contrahit obligationem naturalẽ: idque ideo, quia adminiſtratio ſemel ei conceſſa, iam interdicitur, vt etiam fatetur Bart. l. 1. n. 8. D. De nouat. ergò &c.

Tertiò, quia leges reſiſtunt contractui pupilli ſine authoritate tutoris initi, vt patet l. Oblig. 9. D. De authoritate tutor: & alijs cit. atqui tunc nulla oritur obligatio; ergò &c. Vide plura apud Sanchez diſp. n. 17.

Quandoquidem igitur vtraq; opinio ſuffulciatur tot argumẽtis & rationibus, & vnaquæque tot habeat graues authores, videtur liberũ fore in praxi alterutram ſequi, quam quis elegerit; pro foro autem conſcientiæ notanda eſt hæc diffarentia, quod priori inſiſtendo, ille qui viâ talis cõtractus à pupillo pubertati proximo, vel à minore haberet aliquod mobile, poſſit in conſcientia illud retinere vſque ad Iudicis ſententiam, quâ pupillus ille vel minor reſtitueretur in integrum: obligatio enim naturalis tribuit ius illud alteri ex l. 3. §. pupillus D. De negot. geſt. & l. Etiam quod 6. D. De compenſ. quòd autem illo in caſu gaudere poſſint beneficio reſtitutionis in integrum indubitatum eſt, quia nec eò priuantur etiamſi authoritate curatoris contraxerint, ſi modo ſint læſi, vt conſtat ex l. 2. C. Si tutor interuenerit: cenſentur autem læſi, quando ex contractu, nulla poteſt eis eſſe vtilitas, ſed tantùm damnum. 12

Poſteriori autẽ ſententiæ inhærendo poterunt pupillus & minor tutâ cõſcientiâ repetere rem traditam, idque mero iure abſque beneficio reſtitutionis, & tenebitur alter eam reſtituere etiam ante omnẽ Iudicis ſententiam. Quâ de cauſâ exiſtimarem hanc in praxi magis ſequendam, quia præſcindit ambages litium & recurſuum ad Iudices, quibus contingit cum onere & ſumptibus tandem reſtituendũ, quod ab initio ex conſcientia reddi poterat & debebat iuxta dictam ſententiam: quam vt ante indicauimus, multi antiquiores & grauiores Theologi videtur ſequuti. Ad argumenta pro priori reſponderi poterit: ad Primum: Quod iura ſic 13

ſpecia-

Digitized by Google

pecialiter ſtatuerũt, quòd fideiuſſor teneretur, nõ obſtante, quod nõ principalis in tali caſu, idq; in odium & pœnã quod ille aſſiſtat contractui, cui ex grauibus rationibus leges reſiſtunt. Ad Secundum verò, quod ob reuerentiam Sacramenti ſeu Iuramenti, iura quaſi relaxarunt rigorem legum, quibus alioquin facti ſunt pupilli & minorennes inhabiles ad aliter contrahendum, quã cum authoritate tutorum vel curatorum: Cuius rei ſignum poteſt eſſe, quod tunc non tantum naturaliter, ſed etiam ciuiliter ex contractu obligentur.

14 Obſeruandũ itaq; eſt, Si minor pubes iurauerit ſe ſeruaturum contractũ, quẽ ſine cõſenſu curatoris facit, eum omninò ex illo teneri, etiã ciuiliter, quamuis oneroſus ſit; imò nec gaudere beneficio reſtitutionis, etiamſi læſus ſit, quia iuramentum dicitur ſupplet ętatem. Quod intelligunt DD. ſiue iuramentũ in ipſo contractu, ſiue antè, ſiue poſt apponatur, ſiue per ſe, ſiue per procuratorẽ cũ ſpeciali mandato illud præſtiterit. Vide Gomeſ. tom. 2. Variar. cap. 14. n. 18. Couar. ad Cap. Quamuis De pactis in 6. p. 3. §. 4. n. 9. & Sanchez lib. 6. Diſp. 38. n. 13. qui plures alios citat: & docet ex Auth. Sacramenta puberum: C. Si aduerſus tendit.

Obſeruandum Secundò: Si minor habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quorum non tantùm dominium pœnes illum ſit, ſed etiam adminiſtratio, quod de talibus poſſit validè contrahere, etiam ſine iuramento, vt tam ciuiliter, quàm naturaliter obligetur; ſi tamen grauem læſionem ſenſiſſet, poſſet vti beneficio reſtitutionis, vt Iuriſperiti quoq; tradũt ex l. 3. §. pupillus D. De negot. geſtis.

DVBIVM IV.

Vtrum error vel dolus faciant contractus irritos?

15 RESPONDEO & DICO Primò: Error, quando eſt circa ſubſtantiã rei, ſemper irritat contractum, ſeu facit, vt contractus nullus ſit; idq; habet ex iure naturæ: & leges quoque idem declarant, vt l. Si per errorem D. De iuriſdictione, & l. Continuus 137. D. De verb. obligat. vt ſi putetur eſſe aurum, ſuper quo contrahitur, & ſit æs; vel putetur eſſe gemma, & ſit vitrum tantùm, contractus erit nullus: & qui vendidit, tenebitur pretiũ reddere, ſi emens in eo deceptus fuerit; ſicut & è contra emens debebit reddere aurum vel gemmam, ſi vendens putauerit eſſe æs vel vitrum.

Ratio eſt: quia deficit hic omninò conſenſus neceſſarius, qui verſatur circa ſubſtantiam rei, cum nihil ſit magis contrariũ conſenſui quam error, l. Si per errorem D. De Iuriſdict. omnium Iud. & præſertim illæ. Idem patet in contractu matrimoniali: vt ſi quis putet contrahere cum Anna, filia Petri, & contrahat cum alia: vt filia Ioannis, contractus ille erit nullus. Couar. De matrim. p. 2. c. 3. §. 7. n. 1. & latius docent Theologi in 3. p. in Tract. De matrimonio.

DICO Secundò: Quando error non eſt circa ſubſtantiam rei, ſed tantum circa accidentia vel extrinſeca rei, (eſto quòd hæc allicere vel auertere ſoleant à contrahendo) tamen contractus eſt validus, ſaltem quando dolus non dedit cauſam contractui. Eſt concluſio communis DD. vt teſtatur Bonac. ſup. Diſp. 3. q. 1. pu. 2. n. 4. Ratio eſt, quia cum eiuſmodi errore ſtat cõſenſus ſufficiens ad contrahendũ. Vnde licet in valore pretij quis decipiatur etiam vltra dimidium iuſti pretij, tamen contractus ſubſiſtit hactenus, quòd ſaltem venditor qui alterum circumuenit, non poſſit illum reſcindere, inuito eo, qui eſt deceptus, ſed debeat permittere reduci ad æqualitatem, vt habetur Cap. Cum dilecti 3. De empt. & vendit. & docet ibidem Gloſſa. Item ex l. 2. Cod. De reſcind. vendit. idem patet. 16

DICO Tertiò: Tametſi dolus quoque contractui cauſam dederit, cuius doli & ipſa pars altera fuerit particeps, tamen cõtractus non eſt omninò irritus: ſed pro arbitrio eius, qui deceptus eſt (modò ſolubilis ſit) poteſt reſcindi. Ita Mal. ſup. & Leſſ. c. 17. du. 5. n. 3. 17

Circa priorem partem aſſertionis, controuerſia eſt: multi enim Iuriſperiti diſtinguunt hîc inter contractum bonæ fidei, & inter contractum ſtricti iuris: & licet admittant cõtractum ſtricti iuris, de quo in aſſertione, habere valorem aliquem, volunt tamen contractus tales bonę fidei iure poſitiuo eſſe omnino irritos & nullos. Ita Couar. ad Reg. Poſſeſſor §. 6. cum alijs quos citat: præcipuum fundamentum huius opinionis ſumitur ex l. Et eleganter D. De dolo, vbi lex dicit, nullã eſſe emptionẽ, ſi in hoc ipſo vt venderet, circumſcriptus eſt: Quidã verò alij dicunt indiſtinctè contractus tam bonę fidei, quam ſtricti iuris non eſſe nullos, inter quos ſunt Ioannes Ignæus in l. Contractus De regulis iuris n. 150. Itẽ Faber, & Petrus à Bellipertica citati apud Couar. ſuprà: Donell. ad l. Si quis 36. D. De verb. oblig. Pet. Gudelinus lib. 3. de Iure nouiſſ. c. 2. qui addit, quod ideo aliquando dicantur ipſo Iure nulli, quia doli metuſve exceptio ipſo iure bonæ fidei iudicijs ineſſet, id eſt, opponi in iſtis iudicijs poſſet, licet non conteſtata, nec Iudici dato expreſſis verbis præſcripta: quod ſecus erat in ſtrictis Iudicijs.

Et probatur Primò: quia ſicuti l. De dolo 5. De inutilibus ſtipul. dicitur: Dolo vel metu adhibito, actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatiò ſit: per dolo malo tamen vel metus exceptionem, ſubmoueri petitio debet;

Digitized by Google

debet, vnde alij colligunt validitatis contractus ſtricti Iuris, quia dicitur quod petitio per doli exceptionem debet remoueri, ita l. De dolo 5. C. de Reſcindenda venditione, dicitur de contractu bonæ fidei: Si dolo aduerſarij deceptum, venditionem te feciſſe Præſes animaduerterit, ſciens contrarium eſſe dolum bonæ fidei (quæ in huiuſmodi contractibus maximè exigitur) reſcindi venditionem iubebit: ergo hinc etiam, quia dicitur quod reſcindi venditionẽ Prætor iubebit, colligere licebit, hunc contractum bonæ fidei non fuiſſe omnino irritum & nullum.

18 Confirmatur: quia conſtat contractum matrimonij eſſe validum, tametſi error aut dolus dederit illi cauſam, modò error non verſetur circa ſubſtantiam perſonæ: Couar. loco cit. n. 4. & paſſim omnes; ergò &c.

Probatur Secundò: quia contractus metu initi non ſunt omnino irriti, quantumuis metus eis dederit cauſam, ſed ſunt irritandi: vt paulò poſt dicemus: atqui dolus & metus in iure æquiparantur, l. Si dolo D. De inutilib. ſtipulat. & Cap. Cum contingat de iureiurando: ergò &c. Denique videtur quoque magis expediens publico bono, ad coërcendos eiuſmodi deceptores, qui ſic capiuntur aliquando in aſtitia ſua, dũ iſte qui deceptus fuit, velit contractum manere ratum quia ipſi vtilis eſt.

Ad l. Itaque. Et eleganter pro aduerſa opinione adductam. Reſpondetur inde nihil poſſe colligi, tum quia ibi agitur de minore per dolum decepto, vt venderet ſeruum, cuius contractus, quo talem rem abſque decreto Iudicis alienat, eſt planè nullus, vt patet l. 16. In cauſæ cognitione §. Item relatum D. De min. de quo id eſt, ergò &c.

Poſterior pars tenetur communiter ab omnibus, etiam de cõtractibus bonę fidei, ſi non ſint de iure omnino irriti, quod ſaltem reſcindi & elidi poſſint pari, & multo potiori ratione, quã contractus ſtricti iuris. Conſtat ex iuribus allegatis, & Inſtit. tit. De exceptionibus: & ratio eſt: quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, infert illi iniuriam, & proinde naturali obligatione tenetur illũ reſtituere in integrum, & reddere omnia quaſi infecta, quantum poteſt, ſi deceptus velit, etiam ante omnem ſententiam Iudicis. Vnde hoc parum refert in ordine ad forum conſcientiæ, vtrùm dicantur illi contractus omnino irriti, an irritandi in præſenti caſu, vt rectè docet etiam Couarr. loco cit. n. 8. cum Conrado in Tract. de Contractibus in Summario totius Operis ad q. 57. Diſt. 3. Quid autem referat in communi loquendo, in foro fori Contractum eſſe nullum ipſo Iure, aut reſcendendũ explicat accuratè Tiraquell. in l. Si vnquam C. De Reuocan. Donat: V. Reuertatur, n. 119. & ſeq.

Dixi in ſecunda parte aſſertionis: modò ſolubilis ſit: quia contractus matrimonij, etſi dolus ei dederit cauſam, tamen arbitrio læſi elidi per exceptionem aut reſcindi non poteſt, quia naturâ ſuâ inſolubilis eſt.

Quæres: Quid ſi altera pars non fuerit conſcia doli huius qui tibi fuit cauſa contrahendi, ſed fueris deceptus à tertio, vel à tua propria opinione?

Nonnulli exiſtimant eiuſmodi cõtractum nihilominus eſſe omninò irritum, ob defectum liberi conſenſus; quia conſenſus qui datur, procedit ex errore, qui operatur inuoluntarium. 19

Sed contrarium euidenter colligitur ex antè dictis. Quare verius dicunt alij, contractum illum eſſe abſolutè validum. Ita Gloſſa in cit. Cap. Cum dilecti de empt. & vendit. Couar. ad Reg. Poſſeſſor p. 2. §. 6. n. 6. & plerique alij.

Probatur: quia non eſt deceptio ſiue error circa ſubſtantiam rei, prout ſupponitur, ſed tantùm circa accidentia vel extrinſeca quædam, quæ ad contractum allicere, vel ab eo auertere poſſunt, vt loquitur Bart. ad l. Et eleganter 7. D. De dolo malo: & propterea remanet, ſiue adeſt hîc conſenſus ſubſtantialis, qui ſufficiens eſt ad contractũ, vt patet ex contractu matrimoniali: quia conſenſus, quem das, fertur hîc & nunc in rem, quam noſti: Error autem eſt tantùm circa aliquid, quod ſubſtantiæ rei eſt extrinſecum, ratione cuius contractus poteſt dici inuoluntarius ſecundùm quid, propter tacitum diſſenſum quaſi habitualem, qui actu exurgeret, ſi cõſtaret de defectu: quia tamen in primis neque actu eſt, neque virtute, ſed tantùm quaſi habitu, hinc non rrddit irritũ contractum. Deinde, quia eſt tantùm veluti ſimplex diſplcentia habitualis, quæ ſic poteſt exprimi: Nollem, ſi ſcirem ſubeſſe tales defectus, hinc nequidem irritaret, etiamſi actu in tali forma adeſſet.

Ex his conſtat ſolutio ad argumentum contrariæ opinionis, quod ſcilicet error iſte non impediat conſenſum ſubſtantialiter requiſitum ad contrahendum. Vnde ſequitur eum, qui per talem contractum aliquid fuiſſet conſecutus, non teneri ad reſtitutionem, niſi contractus in irritum reuocetur: prout tenetur, ſi doli fuiſſet particeps: quia in iſto iniuriam ipſe nõ fecit: in hoc autẽ vbi doli particeps fuit, iniuriam omnino intulit.

Petes: Vtrum contractus iſte poſſit ſaltem irritari arbitrio eius, qui deceptus eſt, quando de errore conſtat? 20

Reſpondetur, ſi contractus ex parte illius fuit gratuitus, vt ſi promiſſio ſit, vel donatio liberalis, & dolus vel error circa eius motiuum dederit illi cauſam, tunc pro arbitrio illius poſſe reuocari, vt ſatis communiter DD. videntur tradere.

Ratio

Digitized by Google

Ratio reddi poteſt: quia in talibus contractibus, ſpectanda quoque eſt intentio tacita & habitualis: quia ex ſola intentione poſſunt & ſolent accipere legẽ, cum omninò ſint gratuiti. Deinde ad vitandas lites, & multas perplexitates videtur ſic vſu receptum, vt intelligatur tacitè ineſſe conditio, quod ſatisfaciet eiuſmodi gratuits promiſſionibus, niſi in ſuo motiuo ſenſerit ſe erraſſe. Non tamen hîc loquimur de voto, de quo magis particulariter infrà agemus.

Si verò contractus fuit oneroſus, tum res magis dubia eſt: quia huiuſmodi contractus non tantùm tendit ad vtilitatem alterius, ſed adfert ſecum onus illius: vnde non cenſetur prior cõtrahens ſic poſſe ſua intentione legem ponere contractui: nollet enim alter admittere conditionem talem. Deinde, quia deceptus, vel ſuâ opinione eſt deceptus, & ſic debet ſibi ipſi imputare, quòd rem nõ meliùs examinauerit, cum nõ tantùm ipſius, ſed etiam eius cum quo contrahit, interſit, vt contractus oneroſus permaneat firmus: Vel deceptus eſt dolo tertij, & ſic in illum habet actionem ex cit. l. Et eleganter, D. De dolo.

21 Nihilominus probabile eſt, etiam in oneroſis contractibus, quando res eſt adhuc integra, deceptum non obligari in conſcientia ad contractum adimplendum, quando errorem agnouit, donec per Iudicis ſententiam compellatur. Ita Mald. ſuprà dub. 3. & cum eo alij. Poteſt colligi ex contractu ſponſalium, quem non tenetur deceptus implere, quando agnouit aliquid ſubeſſe, quod, ſi ſciuiſſet, ab initio noluiſſet contrahere.

Probatur: quia ſi tale quid ſuperueniret poſtea, non teneretur progredi in contractu; eo quòd ſtatus rerum ſit notabiliter mutatus, vt patet ex Cap. Litteras De coniugio leproſorum, & Cap. Quemadmodum, De iureiurando; ergò etiam non tenebitur, ſi illud priùs ſuberat; & poſtea ſe aperiat ſeu innoteſcat, quia videntur iſta paria eſſe.

Tertiò: quia non apparet, quòd poſſit alter conqueri de iniuria, eò quòd tacita mens contrahentium videatur eſſe talis, vt non cenſeantur velle ſe obligare ad contractum implendum, ſi deprehendant notabiliter ſe deceptos: quando tamen alteri obueniret inde damnum aliud, debebit hoc ei compenſari; quandoquidem doli particeps non fuerit, & bonâ fide egerit.

Quod ſi res integra non eſt, vt ſi contractus vtrimque, vel altera ex parte ſit impletus, tunc quoque iura concedunt læſo reſciſſionem, ſi altera pars fuerit vitij vel defectus cõſcia, vt colligitur ex l. 13. D. De actionib. empti. Et ratio reddi poteſt, quia tunc cenſetur particeps doli, & tenebatur eum quaſi ex officio, ſaltem iure poſitiuo, aperire occulta rei vitia, quod ſtatuitur l. 1. D. De Ædilitio edicto, & fauet cit. l. 13. De actionibus empti.

Si verò pars non fuerit conſcia, tunc non concedunt reſciſſionem, ſed tantùm actionem quanti minoris, vt ſcilicet ſoluas, quanti minoris detecto vitio rem eſſes empturus, vt patet ex citata lege 13. quod non tantùm in contractu emptionis & venditionis, ſed etiam in alijs permutationibus locum habet, vt conſtat ex l. 18. in fine De Ædilitio edicto. Vide Nauarrum cap. 12. num. 13. & Syluest. V. Iuramentum n. 3. vbi videntur ſentire, quod ſtando in iure naturæ, contractus ſemper poſſit reſcindi, quando deceptio eſt cauſa contractus.

DVBIVM V.

Vtrùm contractus ſit validus, cui metus cauſam dederit?

RESPONDEO & DICO Primò: Contractus, etſi metu graui initus, nec iure naturæ, nec iure poſitiuo, vniuerſaliter eſt omninò irritus, ſed ordinariè aliquo modo validus. Ita D. Soto in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. Sanchez lib. 4. De matrim. diſp. 8. Azor. 3. p. lib. 4. c. 33. q. 2. & alij. 22

Quod iure naturæ non ſit omninò irritus, declaratur: quia ſi omninò eſſet irritus, proueniret id vel ex defectu conſenſus, vel quia interuenit iniuria. Non propter prius, quia qui metu compulſus conſentit, is abſolutè cõſentit voluntariè: omnibus enim cõſideratis vult quod agit, vt explicari ſolet 1. 2. q. 6. a. 6. Nõ propter poſterius, tum quòd iniuria non ſit immediata cauſa contractus, ſed conſenſus contrahentium: tum quia licet iniuria poſſit eſſe ſufficiens cauſa ad irritandum contractum, non tamen ſufficiens, vt reddat illum omninò nullum, vt patet in contractu, cui dolus cauſam dedit, de quo iam dub. præced. id oſtendimus.

Quod non ſit quoque irritus omninò ex iure poſitiuo, docet Nauar. in Cap. Accepta oppoſit. 8. num. 7. & DD. ante citati cum pluribus alijs.

Probari poteſt Primò ex Inſtitut. De exceptionibus, vbi id ſatis aperte indicatur. Deinde ex diuerſis legibus, vt l. Si mulier 21. §. finali D. Quod metus cauſa, vbi dicit lex: Si metu coactus adiui hæreditatem, puto me hæredem effici: ſed per Prætorem reſtituendus ſum, vt abſtinendi mihi poteſtas tribuatur: & l. vlt. Cod. De his quæ vi &c. vbi dicitur: Venditiones, donationes, tranſactiones, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari; ergò ſupponuntur aliquo modo validæ. Idem indicant cap. 2. & 4. de his quæ vi metuſve cauſa fiunt.

Dixi, quòd non vniuerſaliter ſit omnino irritus, ſed ordinariè aliquo modo validus

Digitized by Google

quia Gloſſa ad citatum cap. 2. excipit ſex caſus, in quibus metu facta ſunt omninò irrita: inter quos primus eſt contractus matrimonij, etiamſi iuramentum acceſſerit, vt latius in Tract. De matrimonio explicatur. Reliquos videre licet in Gloſſa citata.

23 DICO Quintò: Etiamſi contractus talis non ſit ordinariè omninò irritus, ſed aliquo modo validus, poteſt tamen in foro conſcientiæ reſcindi & annullari pro arbitrio eius, cui iniuſtè metus ille fuit incuſſus ad extorquendum contractum. Ita Nauarrus cap. 22. n. 51. Syluest. V. Metus: quæſt. 6. Azor. 3. p. lib. 4. cap. 33. quæſt. 6. & lib. 6. cap. 7. Sanchez lib. 4. De matrim. Diſp. 9. Bonac. ſuprà §. 3. n. 4. & alij DD. communiter. Conſtat ex iuris conſtitutionibus, quæ paſſim habent, quod quæ vi & metu fiunt, debeant in irritum reuocari, debeant robore firmitatis carere.

Ratio eſt: quia qui iniuſtè metum incuſſit, intulit iniuriam alteri: vnde obligatur illum in priorem ſtatum reſtituere, & læſus habet ius exigendi talem reſtitutionem. Sed

24 Quæres: Quid ſi metus tibi non à parte cum qua contrahis, ſed à tertio ſit incuſſus?

Reſpondetur, Læſum etiam tunc poſſe reſcindere actum, & rem ſuam recuperare. Ita Sanchez lib. cit. D. 8. n. 7. Molina Diſp. 267. Reginaldus lib. 25. n. 31. Et patet ex l. Item ſi 14. §. In hac actione D. Quod metus cauſa &c. vbi dicitur: In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit: ſufficit enim hoc docere, metum ſibi illatum aut vim. Vnde & in foro externo taliter læſo datur actio. Idem poteſt colligi ex cap. 1. 3. & 4. De his quæ vi &c. vbi ſimiliter agitur de caſu in quo metus à tertio illatus eſt.

Fundamentum eſſe poteſt: quia rationi conſentaneum non eſt, quod per conſenſum iniurioſè extortum transferatur res omninò ſolidè & irreuocabiliter; ita vt non maneat ius in rem, ſed tantùm in perſonam, quæ iniuriam intulit, aſt potius quod tam tenuiter, vt ius quoddam in rem reſeruetur: ideoque ratione iniuriæ relinquitur ipſa res obnoxia reſtitutioni, ita vt detur etiam actio in illam, apud quemcumque reperiatur: vti ſumi poteſt ex l. 9. §. ſed quod & §. volenti D. Quod metus cauſa.

Non improbabiliter tamen exiſtimant quidam, eum, qui bonâ fide rem talem emit, ignarus iniuriæ, quæ interceſſit, non teneri ad reſtitutionem, niſi quando is, qui iniuriam paſſus eſt, cœperit in rem agere; quia ſcilicet fuit conſecutus dominium rei, & iniuriam nullam intulit.

Dixi in concluſione, cui iniuſtè metus eſt
25 incuſſus ad contractum extorquendum; quia ſi iuſtè fuerit incuſſus, etiam ad eliciendum contractum, nō poterit metum talem paſſus irritare contractum. Sanchez ſup. n. 8. & Reginal. n. 35. & alij communiter. Hinc qui metu iuſtæ excommunicationis contraxit ſponſalia, poteſt compelli contrahere matrimoniū, quia & ſponſalia fuerunt ſimpliciter valida, & debet eadem complere, vt patet cap. Ex litteris 2. De ſponſalib. Atque adeò ipſe contractus matrimonialis erit abſolutè validus, quamuis compulſione Iudicis & metu pœnarum ab eo intentatarum, ſponſam ducat. Similiter ſi quis iuſtè poſſit & velit alterum accuſare, & ſic donet aut promittat pecuniam ad redimendā iuſtam accuſationem, erit donatio ſiue promiſſio valida, nec poteſt ad arbitriū promittentis reſcindi.

Si tamen enormiter eſſet læſus, ita vt iudicio prudentum nulla eſſet proportio inter ſummam donatam aut promiſſam, & inter accuſationem redemptam, poterit tunc eam reducere ad aliquam æqualitatem. Vide Sylueſtrum V. Metus 6. & eodem Summam Angelicam num. 10. Similiter licet metus ſit iniuſtè incuſſus, ſed non ad extorquendum contractum, non faciet quoque contractum reuocabilem: vt v. g. ſi quis exiſtens in manibus latronum, promittat centum alteri, qui non eſt particeps iniuriæ, vt eum liberet, non poterit ipſe reſcindere contractum, ſi alter eum liberauerit; quia non cenſetur metus propriè cauſa huius contractus, ſed tantum occaſio. Nec poteſt dici extortus metu: non enim inprimis ab eo cum quo contrahitur, vt per ſe patet: deinde nec ab alijs, quia qui iniuſtè metum illi adferunt, nullo modo ad hunc contractum reſpexerunt, imò quàm maximè contra eorum intentionem initus eſt.

Quæ hactenus dicta ſunt de contractu inito ex metu graui, qui dici ſolet metus cadens in conſtantem virum, etiam habent locum in metu reuerentiali, cui coniunctæ ſunt minę, aut iuſtus timor diuturnę aut grauis offenſionis: hic enim meritò à DD. grauis quoque cenſetur. Vide Couar. in epitome 4. Decretal. p. 2. c. 3. §. 4. Henriquez lib. 1. De matrim. c. 6. Hinc tenetur pater in conſcientia reſtituere hæreditatem quam filius abdicauit ob metum reuerentalem: & eadem eſt ratio mariti reſpectu vxoris in ſimilibus caſibus. Ita Bonac. ſuprà n. 14. & Sanchez lib. 4. De matrim. diſp. 10. n. 13. 26

Nunc quod ad metum leuem attinet, quo vir conſtans permoueri non ſolet, certum eſt, propter hunc non dari reſciſſionem contractus in foro externo: neque admitti ibi huius metus exceptionem, vt conſtat ex l. Metum 6. D. Quod metus cauſa, &c. vbi dicitur metum vani hominis non eſſe ſpectandum, ſed eum, qui meritò & in hominem conſtantiſſimum cadat: & in l. 184. D. De reg. iuris dicitur, vani timoris iuſtam excuſationem non eſſe.

Ratio

Digitized by Google

Ratio eiuſmodi Conſtitutionum fundatur in præſumptione, quia quando leuis fuit metus, non præſumitur ille fuiſſe cauſa contractus, ſed ſpontaneus conſenſus; deinde & hoc potuit acceſſiſſe & mouiſſe, ne lites nimium multiplicentur.

In foro tamen conſcientiæ contractus etiam per talem metum iniuſtè extortos poſſe reſcindi, & quæ data ſunt repeti, tenent complures DD. ita Soto in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. vbi docet contractus omnes, præter votum & matrimonium, quocumque metu notabili initos poſſe reſcindi. Couar. ad Regulam Peccatum p.2. §.3. n.7. Nauar. c.17. n. 15. vbi ſcribit in foro conſcientiæ idem eſſe, ſiue iuſto quis metu (id eſt graui) conſentiat ſiue eo minori, dummodò coram Deo ille fuerit cauſa principalis conſenſus; id eſt, quæ ſola vel principaliter mouit ad conſenſum: & cap.22. n.51. Ad reddendum actum inefficaciorem coram Deo, inquit, ſufficit quilibet timor etiam minor iuſto, modò ſit cauſa eius ſine qua non, ſaltem principalis: vbi pro eadem opinione citat quoque Adrian. in 4. De reſtitutione. Rationem reddit; quia leges diſtinctionem facientes inter metum iuſtum & alium minorem, fundantur in præſumptione, quòd ſcilicet metus minor ſeu leuis præſumatur verè non eſſe cauſa conſenſus: Atqui lex fundata in præſumptione non habet locum coram Deo, ſi veritas ei non reſpondeat. A prædicta autem Concluſione communiter excipiuntur votum & matrimonium iuxta omnes. Nauar. autem generaliter & indiſtinctè loquitur: ſed quia de iſtis in particulari accuratiùs tractari ſolet ſuis locis, ideò non cenſentur comprehendi ſub illa indiſtincta locutione.

28 Probatur itaque Concluſio. Primò: quia metus leuis ſiue minoris mali, perturbat frequenter hominem, & illum alioquin inuoluntarium impellit in conſenſum, non minùs ſæpè quàm metus grauis ſiue grauioris mali; ergò &c.

Secundò: quia quod tali metu ad eum finem iniuſtè incuſſo acquiritur, per iniuriam acquiritur: atqui quæ per iniuriam acquiſita ſunt, remanent obnoxia reſtitutioni, quia debet reduci æqualitas: vt autem fiat æqualitas, debent reddi ei, à quo ablata ſunt; ergò qui iniuriam paſſus eſt per metũ (quamuis leuem) iniuſtè illatum, poteſt factũ ſuum reuocare, & repetere, quod alteri conceſſit, teneturque ille in conſcientia reddere.

DVBIVM VI.

Quinam ſint reſtituendi in integrum, quando ex contractu damnum notabile ſenſerunt?

RESPONDEO & DICO Primò: Beneficium reſtitutionis in integrum in- 29
primis conceditur minoribus, id eſt, qui nondum vigeſimum quintum annum expleuerunt, ſi ante illam ætatem ex contractu incommodum acceperint. Conſtat ex l. 3. & 5. Cod. De in integrum reſtitut. minorum. Eoque gaudent priuilegio, etiamſi contractus fuerit celebratus de conſenſu tutoris, vel curatoris, & authoritate Iudicis, vt patet ex l. 1. & ſeqq. D. De minoribus, & ibid. tit. De in integrum reſtitutione.

Ratio reddi poteſt: quia cõſenſus tutoris, & authoritas Iudicis ſolùm id operantur, vt contractus mero iure valeat; ſitque ratus: ſed non excludunt beneficium reſtitutionis: vbi

Nota, quòd dupliciter poſſit peti reſtitutio in integrum. Primò, implorando officium Iudicis citatâ parte: vt fit, quando ſolutio eſt facta, vel res poſſidetur ab altero. Secundò, excipiendo contra eum, qui ex contractu petit ſolutionem, vel rei traditionẽ ſibi fieri, allegando contra eum ſe læſum fuiſſe in illo cõtractu. Ita cum alijs tradit Gomez. tom.2. c.14. n.8. & colligitur ex regula Iuris 11. in 6. quòd qui ad agendum admittitur, ſit ad excipiendum multò magis admittendus: & ſimiliter l. 156. D. eod. tit. dicitur: Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. Durat itaque hæc exceptio, quamdiu ſolutio ſiue traditio rei facta non eſt. Poſtquam autem eſt facta, vt res recuperetur, opus eſt ſententiâ Iudicis: adeò vt ante hanc ne quidem licita ſit occulta compenſatio: quia lex tantùm concedit reſtitutionem mediante ſententiâ Iudicis, vt ſatis intelligitur ex l. Si curatorem 3. Cod. De in integrum reſtitutione minorum.

Poſſunt autem gaudere hoc priuilegio reſtitutionis ad quatuor integros annos, poſtquam exceſſerunt minorennitatem, puta vſque ad vigeſimum nonum annum ætatis expletum, vt patet l. vltima Cod. De temporibus in integrum reſtitut. niſi tamen iam maior factus ratificauerit contractum initum in ætate minori, l. 1. & 2. Cod. Si maior factus ratum hab. Similiter eo non gaudebit, ſi pubes exiſtens iuramento confirmauit contractum, quamuis tunc eſſet adhuc minorennis, imò etſi abſque authoritate Iudicis, vel curatoris eum inierit. Vt ſup. dub. 3. indicauimus ex Sanchez: & patet ex l. 1. Cod. Si aduerſus venditionem, & Autheutica Sacramenta puberum eod. tit. Vide de his plura apud Couar. in cap. Quamuis De pactis in 6. p. 3. §. 1. n. 4. & Sanchez lib. 6. De matrim. Diſp. 32.

DICO Secundò: Conceditur etiam be- 30
neficium reſtitutionis Eccleſijs, & alijs pijs locis,

Digitized by Google

locis. Hæc enim inſtar minorũ habent quadriennium à celebrato contractũ, ſicut illi quadriennium habent à minore ætate. Ita communiter tradunt DD. & conſtat manifeſtè ex cap. 1. & 2. De reſtitut. in integrum in 6. Vide Gloſſam ibid. & Couar. lib. 1. Variarum Reſol. cap. 3. num. 10. & 11. Non tamen eo gaudent perſonæ Eccleſiaſticæ in contractibus, quos priuato nomine faciunt, vt habet Couar. lib. citat. cap. 4. n. 3. & Panormitanus in cap. 1. De reſtitut. in integrum.

Dico Tertiò: Competit quoque hoc beneficium communitati cuiuſuis oppidi. 3
Patet ex l. 4. Cod. Quibus ex cauſis maiores in integrum reſtituantur, vbi Reſpublica dicitur minorum iure vti; ideoque auxilium reſtitutionis poſſe implorare. Extenditur etiam ad ſupremos Principes, quoad bona principatus alienata; quia hæc quodammodo ſunt ipſius Reipublicæ. Item ad collegia ſcholarium, vt tradit Panormit. ſuprà; quia in illis, inquit, ſunt multi minores viginti quinque annis.

CAPVT SECVNDVM.

De promiſsione & donatione.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit promiſſio?

1 INtendimus hic agere de promiſſione ſimplici, ſeu nuda. Sed obſeruandum, quod duobus modis dicatur promiſſio ſimplex: Vno modo dicitur illa ſimplex ſeu nuda quæ non eſt acceptata, quam pollicitationem vocant, vt patet l. 3. D. De pollicit. Altero modo dicitur etiã illa ſimplex ſeu nuda promiſſio, quæ etſi acceptata, aliunde nõ roboratur; vt v. g. ex eo, quòd res ſit aliàs debita, vel iuramentũ apponatur, nec fiat cum onere, nec veſtitur ſtipulatione, vel traditione rei, vt videre licet apud Sylueſtrũ V. Pactum q. 2. ſicuti & dicitur inde pactum nudum aut ſimplex: atque eo ſenſu in propoſito de promiſſione ſimplici tractabimus.

Solet itaque ſimplex promiſſio definiri à Doctoribus quod ſit deliberata & ſpontanea datio fidei, ſeu obligatio alteri facta de re bona & poſſibili.

Dicitur obligatio ſiue datio fidei, inquit Bonac. De Contract. Diſp. 3. q. 12. puncto 1. n. 3. ad diſtinctionem pollicitationis, quæ non eſt propriè promiſſio cum non ſit acceptata, nec fides dicatur propriè per ipſam data: nam dare & accipere correlatiua ſunt, & ſic fides non dicitur data, antequam acceptetur, aut ſaltem non eſt antè obligata.

Dicitur, deliberata, videlicet plena & perfecta animaduerſione: qualis poteſt ſufficere ad peccatum mortale, aut ad meritum, vt notat Nauarr. cap. 18. n. 7. quia ſi quiſpiam promittat aliquid, non ſatis aduertens, quid agat, non contrahit obligationem adimplendi, ne quidem ſub veniali peccato, vt DD. ſatis communiter tradunt. Sanchez lib. 1. De matrim. diſp. 8. Arragon. 2. 2. qu. 88. art. 1. Bonac. ſuprà n. 3. & alij.

Additur, & ſpontanea; quia promiſſio fraude, vel metu extorta non eſt vera promiſſio: vnde nec tenemur eam implere, niſi fuerit iurata, vt docet D. Tho. hic q. 89. art. 7. Neque refert, ſaltem in foro conſcientiæ, quòd metus ille leuis fuerit, vt colligi poteſt ex dictis capite præcedenti Dubio 5. Et declaratur: quia ſimplex promiſſio eſt in illis pactis, & quaſi contractibus, quæ natura ſua plenam poſtulant libertatem, quæ videl. per iniuriam non ſit fraude, vel metu ad hoc incuſſo diminuta.

Ex quibus intelligi poteſt duas haſce particulas, deliberata, & ſpontanea, eſſe potiùs 2
explanantes, quàm reſtringentes. Explicant enim conditiones requiſitas, vt datio ſeu obligatio fidei ſubſiſtat.

Dicitur ergò promiſſio eſſe obligatio fidei, quia ad promiſſionem non ſufficit propoſitum faciendi, vel illius propoſiti ſignificatio alteri indicata; ſed opus eſt, vt verbis aut ſignis, vim obligandi habentibus, promiſſor ſe obſtringat promiſſario ad illi rem præſtandam. Vnde iuxta l. Sub hac 8. D. De obligat. & actionibus, non erit promiſſio, ſi quis dicat, Faciam, ſi voluero; ſecùs autem, ſi dicat, Faciam, ſed quando volam: quia priori verborum forma nullo modo obligat ille fidem ſuam; poſteriori autem alter obligat, quamuis tempus ſibi exequendi liberum ſeruet.

Quare ex hac poſteriori forma verborum, etiam hæres promiſſoris tenebitur, quamuis promiſſor moriatur, priuſquam declaret, pro quo tempore velit.: ex priori autem non tenetur, niſi promiſſor declarauerit, euidentiùs ſe velle.

Hanc vim obligandi imprimis continet verbum Promitto: Deinde huiuſmodi formula, Fidem meam interpono vel obligo; quod tale vel tale quid tibi ſim præſtiturus, & ſimiles.

Nihilominus ſicut in alijs, ità etiam in his 3
conſideranda eſt intentio dicentis, quia ſicuti

cuti internus animus ſolus non ſufficit ad ſe obligandũ alteri homini, ita neque exterior ſpecies promiſſionis, quantumcumque in verbis reluceat, ſufficit ad veritatem promiſſionis cauſandam, abſque interno animo promittendi.

Vnde qui non intentione obligandi ſe, ſed ciuilitatis, vel iactantiæ cauſâ diceret ſe præſtiturum hæc vel illa alteri, imò vteretur verbo Promittere, quod ſit facturus, non contraheret obligationem veræ promiſſionis, vt patet ex l. Sciendum D. De Ædilitio edicto, Et quidem ſi talia ſic dicantur, vt ex modo loquendi, geſtibus dicentis, & alijs circumſtantijs ſatis percipiatur, illum non intendere ſe abſolutè, & fidem ſuam obligare, quamuis eiuſmodi verbis vtatur, vt ſæpiùs contingere ſolet, tum licet concurrat quædam hominis vanitas, non tamen ſubeſt fallacia, aut aliud grauius vitium.

4 Sed ſi ſimulet, & omni externo modo ſignificare videatur, quòd ex animo promittat, & tamen intus aliter ſit diſpoſitus, tunc inprimis fieri poteſt, quòd ad damna & incommoda reparanda teneatur, quæ promiſſarius illi fidens inde incurrit, imò teneatur ſub mortali peccato præcauere, ne incurrat, atque adeo adimplere, quod ſpecie verborum promiſit, vt docet Nauarr. cap. 18. n. 6. Sylueſt. V. Pactũ, q. 4. Henriquez lib. 11. c. 13. n. 2. Rebell. lib. 18. q. vnica n. 5. Sanchez ſup. Diſp. 9. & alij quos citat. Deinde rem indignam omnino committit, quia humanæ, & potiſſimum chriſtianæ ſinceritati debetur, vt quis nõ in corde & corde loquatur, quod Pſ. 11. reprehendit Pſaltes, ſed veritatem quiſq; loquatur cum proximo ſuo, vt vbi os patet, ibi & cor dilatetur, quod commendat Apoſtolus 2. ad Corinth. 6.

5 Additur denique de re poſſibili & bona, nulla enim poteſt eſſe obligatio ad opus, quod vel abſolutè fieri nequit, vel non à te, quia nõ ſit in tua poteſtate ſitum: ad impoſſibile enim, vt habet regula Iuris, nemo poteſt obligari. Similiter nec poteſt eſſe obligatio ad præſtandam rem malam, ſiue opus, quod ſine peccato præſtari non poteſt. Quod ſi res promiſſa partim ſit licita, partim illicita, promiſſio quo ad partem licitam adimplenda erit: ſicut etiam ſi pars ſit poſſibilis, & reliqua impoſſibilis, pars poſſibilis adimplenda eſt: quia vtile per inutile non vitiatur iuxta Regul. 37. De Reg. Iuris in 6. modò pars vtilis poſſit commodè ſeparari ab inutili. Ita Bonac. ſup. n. 15.

Obſeruandum tamen eſt, poſſe promiſſionis validitatem ſubſiſtere, quamuis illa illicitè & non ſine peccato facta ſit, modò licitè & ſine peccato poſſit opus promiſſum impleri: vt ſi puella contra parentum voluntatem contrahit ſponſalia cum aliquo non ſatis pari, quamuis negligendo ſic parentes, delinquat, tamen ſponſalia ſunt valida, & tenetur ea implere. Ita quoque, ſi quis imprudenter promittat alteri multa, ſic vt prodiga ſit promiſſio, nihilominus præſtare tenebitur quatenus executio poteſt exhiberi ſine peccato: vnde ſi promiſſio tota poſſet mandari executioni ſine peccato, erit totaliter adimplenda: ſi autem pro parte aliquâ non poteſt ſine peccato adimpleri, tunc non erit integra adimplenda, etiamſi eſſet iurata: Soto lib. 4. de Iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad 2. Bann. 2. 2. quæſt. 62. artic. 5. dub. 5. Bonac. & alij quos citat, ſed tantùm pro parte quatenus ſine peccato impleri poteſt.

Dices: Si promiſſio prodiga ſit vt ſupponitur, ergò & completa ſeu totalis eius executio erit prodiga: non videtur igitur caſus ille poſſe ſubſiſtere. 6

Reſpondetur Neg. Aſſumptum: neque enim illa videntur neceſſariò connexa: vt docet Malder. Tract. 1. c. 9. dub. 1. ſub finem, & Leſſ. lib. 2. c. 18. dubit. 1. quia promiſſio v. g. tantæ ſummæ, & executio iſtius promiſſionis, ſiue ipſa donatio tantę ſummæ ob promiſſionẽ poſſunt veſtiri diuerſis circumſtantijs, ratione quarum fiat, quod promiſſio cenſeatur exceſſiua, & prodiga: non autem executio eius ſubſequens: vt puta quia promiſſio tanta per ſe reſpectu talis perſonæ excedit mediocritatem, & non eſt particularis ratio aut circumſtantia cohoneſtans illam magnitudinem reſpectu perſonæ talis: aſt verò poſitâ promiſſione, iam occurrit ratio cohoneſtans ipſam executionem & donationem, ſcilicet vt liberet fidem datam: & ideo non cenſetur iam prodigus, dando ſummam illam, nec vitioſè agere adimplendo promiſſionem: niſi aliunde aliæ circumſtantiæ concurrerent, ob quas ſine peccato adimplere nõ poſſet, vt ſi bona non eſſent in plena eius poteſtate: aut ſi ſint neceſſaria ad neceſſariã aut conuenientem ipſius & ſuorum ſuſtentationem, aut ſi darentur ad vſus indebitos.

DVBIVM II.

Vtrum promiſſio ſolo actu interiori, alteri homini facta nos obliget?

RESPONDETVR: Tametſi promiſſio purè interna Deo facta nos obliget illi, 7 qui cordium eſt inſpector, naturâ ſuâ, non tamen facta homini obligat nos homini. Patet inprimis ex l. 1. D. De verb. obligationibus: & ita docet D. Th. hîc quæſt. 88. art. 1. vbi dicit, Promiſſionem vnius hominis alteri non poſſe fieri, niſi per ſigna externa; Deo autem fieri poſſe per internam cogitationẽ: & idem communiter Doctores tradunt.

Ratio

Ratio eius colligitur hæc ex eodem D. Thoma: quia homo promittendo ordinatur ad alterum hominem, vt præſtet, quod ei gratum eſt: quemadmodum iubendo ordinatur alius, vt præſtet, quod iubenti gratum eſt, quodq; ipſe ab alijs fieri velit; ergò ſicuti ſolâ internâ voluntate non poteſt imperando Superior obligare ſubditos ad præſtandum, quod cupit fieri, ita nec promittendo poterit quis ſolo actu interno obligare ſe alteri homini, ad præſtandum, quod illi gratum eſt.

8 Ex quibus intelligi poteſt, quòd hîc obligatio non oriatur, id prouenire non ex ſolo iure poſitiuo, vt exiſtimare videntur, & non omnino improbabiliter Ledeſma in 4. p. 2. quæſt. 18. art. 1. dub. 13. Soto lib. 7. De iure & iuſt. quæſt. 1. art. 2. Arragon. hîc quæſt. 18. art. 3. & alij quidam: ſed ex iure etiam naturali, eò quòd promiſſio, quæ hominem reſpicit, vt ei ius pariat, & promiſſorem reddat obligatum, fieri debeat cum quadam ipſius promittentis ad alterum ordinatione congruâ hominum ſocietati, vt D. Thomæ ratio indicat: qualis ordinatio non poteſt naſci ex ſolo interno actu: qui proinde in ordine ad alterum hominem non poteſt eſſe niſi quædam inchoatio promiſſionis, non autem completa promiſſio. Et quamuis à voluntate interna principaliter obligatio oriatur, non tamen ſola eſt ſufficiens, vt eam completam efficiat, propter rationem iam dictam.

Huc accedit, quòd promiſſio acceptata eſſe debeat, vt mox ampliùs oſtendemus, quod circa meram internam promiſſionem non fit.

An verò promiſſio tantùm exteriùs facta abſque intentione & voluntate promittendi obliget, ſatis colligi poteſt ex dictis circa promiſſionis definitionem, & ampliùs conſtabit ex dicendis infrà de Voto.

DVBIVM III.

An promiſſio exterius edita obliget ante acceptationem promiſſarij?

9 DVbio præcedenti diximus, quomodo promiſſio merè interna nos alteri homini non obliget, quia actus merè internus non eſt ſufficienter accommodus negotijs inter homines gerendis, & proinde non operatur effectum obligationis ad alterum hominem: ſimul quoque ex dictis Dubio primo ſatis conſtat, quòd promiſſio merè verbalis & externa, abſque omni animo promittendi, non ſit vera promiſſio, neque cauſet obligationem promiſſioni ſecundum ſe propriam.

Nunc quæritur de promiſſione exteriùs proditâ, cum animo promittendi, vtrum obliget, antequam ab eo, cui fit, acceptetur: v. g. in præſentia Petri dicam, Promitto, quòd Paulo dabo centum, qui tunc præſens non eſt, vtrum illa promiſſio me obliget Paulo, ita vt non poſſim eam reuocare, quamdiu Paulus non acceptauerit?

Quidam probabiliter ſentiunt, eiuſmodi promiſſionem parere obligationem, ſaltem naturalem, quamuis non ciuilem, quos videre licet citatos apud Sanchez lib. 1. de Matrimonio Diſp. 7. n. 17. Sed communior opinio habet, quòd neque ciuilem neq; naturalem pariat obligationem; quam promittens reuocare non poſſit ante promiſſarij acceptationem. Ita teſtatur Gomez tomo 2. Variarum reſol. cap. 9. n. 1. & ſequentibus: & allegat complures DD. pro hac ſententia Sanchez, quam & ipſe ſequitur loco iam citato n. 18. &

Probari poteſt ex l. 1. D. De pollicitationibus, vbi ſimpliciter dicitur, non ſemper obligari eum, qui pollicitus eſt: & ex Inſtitut. De inutilibus ſtipulationibus §. Si quis alij, & ex diuerſis alijs legibus apud Sanchez in hanc rem allegatis; quæ ſignificant etiam non poſſe vnum, qui ad id non habet poteſtatem, ſtipulari alteri, ſeu eius nomine acceptare, ita vt illi ius acquirat; ergò multò minùs acquiretur abſenti ius ex promiſſione, quando nullus omninò pro eo ſtipulatur. Vide Couarr. in Cap. Quamuis pactum p. 2. §. 4. n. 10. vbi docet ius reſiſtere eiuſmodi contractibus, & ideo nullam omninò ex illis naſci obligationem.

Verùm inter authores huius opinionis controuertitur, vtrum id proueniat tantummodò ex lege poſitiua, ſic ordinante, an verò illâ etiam ſepoſitâ ex iure naturali vel gentium.

Priorem partem tenent Couar. loco cit. §. 2. n. vlt. Molina tomo 2. de iuſtitia Tract. 2. Diſp. 263. & alij nonnulli.

Poſteriorem tenent, vt veriorem, Sanchez lib. 1. de Matrim. Diſp. 6. n. 2. & ſeqq. Mald. Tract. 1. cap. 9. dubit. 4. Bonac. ſup. Diſp. 3. q. 12. puncto 2. n. 6. cum alijs, quos citat idem Sanchez: & indicat Dom. Soto lib. 3. De iure & Iuſt. q. 5. art. 3: vbi ſcribit, ex donatione, cum ea dicat relationem ad recipientem, non oriri obligationem ante illius acceptationem: & ideo, inquit, reuocari fortè poteſt etiam abſque vlla iuſta cauſa. Quod ſi fieri poteſt in donatione, ergò etiam in promiſſione.

Inter fundamentales autem rationes, quæ pro hac parte allegantur, videtur hæc principalior & ſolidior, quòd ſcilicet promiſſio omnis quantumuis ſimplex & gratuita, aliquid tamen quaſi oneris ſemper imponat promiſſario, quatenus nimirũ acceptando, peculiariter

Digitized by Google

peculiariter per hoc redditur promittenti obligatus ex lege gratitudinis, quemadmodum promittens fit illi obnoxius ex iuſtitia vel fidelitate. Vnde communiter dici ſolet, beneficium accipere eſt libertatem vendere. Hoc autem poſito iam licebit ſic argumentari: In contractibus oneroſis vbique gentium eſt licitum ante acceptationem alterius partis, ab oblatione vel promiſſione recedere, eamve reuocare; vt ſi quis obtulerit aut promiſerit dare centum pro equo; vel ſi quis promiſerit, quòd contrahet ſponſalia vel matrimonium cum tali vel tali: licitũ eſt illis retrocedere, quamdiu altera pars oblationem vel promiſſionem non acceptauerit, etiamſi quoque necdum reiecerit, vt docet Sanchez cit. lib. 1. Diſp. 7. nu. 26. & ſeqq. ergò idem licitum erit in promiſſione etiam illâ, quæ communiter vocatur gratuita.

10 Confirmatur: quia ratio, quare ex præſentatione vel promiſſione oneroſa non naſcatur obligatio, nequidem naturalis, in eo videtur fundata, quòd eiuſmodi oblationes ſeu promiſſiones quaſi naturâ ſuâ includant tacitam conditionem, modò viciſſim alter repromittat, aut onus admittat, proindeq; manet promittens in ſuâ libertate, quoad vſq; conditio ſiue oblatio acceptetur, quod ſcil. alter viciſſim in onus conſentiat: atqui eadẽ ratio militat ſuo modo in promiſſionibus, quæ dicuntur gratuitæ, quia aliquid ſemper oneris inijciunt promiſſario eas acceptanti; & proinde meritò cenſentur etiam includere eandem tacitam conditionem, quam oneroſæ, ſi videl. promiſſarius habeat promiſſionẽ gratam & acceptam: neq; enim antea pactum oritur, ſiue duorum in idem conſenſus: quia non rarò contingit plurimos non velle gratuitas promiſſiones vel donationes admittere, ac proinde quamdiu acceptatio illa nõ accedit, non creabitur obligatio, quam promittẽs non poſſit pro arbitrio reuocare. Neque enim cenſetur animum quis habere ſe irreuocabiliter obligandi, niſi alter oblationẽ, quæ onus aliquod illi ſimul adfert, acceptet nõ obſtãte onere comitãte, vt colligitur ex l. Qui abſenti D. De acquir. poſſeſſ. Vnde Sanchez acceptationẽ promiſſarij dicit eſſe tam neceſſariam, quod etiam vota Deo facta obligatoria non ſint, quando Deus illa minimè acceptat, vt ſi ſint de rebus, inquit, indifferentibus. Vide illũ lib. 1. diſp. 6. n. 2. Sed

11 Obijcitur: Pollicitationes factæ ciuitati ob honorem receptum vel recipiendum, aut ruinæ reſtaurandæ gratiâ obligant ante acceptationem, vt ſignificatur l. 1. & l. 4. D. De pollicitationibus, ergò naturâ ſuâ ſufficiunt ad obligationem cauſandam etiam ante acceptationem: Ius enim ciuile non tribuit contractibus vim, quam ex natura non habent, licet interdum ob bonum commune illis vim quam per ſe habent, tollat.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: Et ad confirmationem dici poteſt, quòd leges illæ non tribuant quoque abſolutam obligandi vim pollicitationibus iſtis, ante earum acceptationem; nec etiam vim obligandi abſolutè ſupponant: ſed tantùm adimunt promiſſori libertatem reuocandi pro placito, quemadmodum alioquin ſtando in nuda ratione pollicitationis reuocare potuiſſet, vt colligitur ex l. 3. eodem tit. Vnde fit, quòd talis promittens relinquatur ſuſpenſus ad arbitrium ciuitatis, quæ poteſt ſemper promiſſionem eius acceptare, & promiſſum petere, nec reuocando poſſit ſe exonerare. Quòd ſi non contingat peti vel acceptari, non tenebitur ipſe ad illud præſtandum, prout diuerſis legibus tit. cit. inſinuatur: quod autem leges ibi ſtatuunt de pollicitationibus ciuitati factis, extendunt Doctores aliqui, inter quos Leſſius lib. 2. c. 18. dub. 6. etiam ad pias cauſas. Contrarium tamen docent Couar. lib. 1. Variar. cap. 14. num. 16. Sanchez citata Diſput. num. 18. Bonacina ſuprà cum multis quos citat. Ratio eſt, quia iſta promiſſio non eſt promiſſio facta Deo: neq; leges vel Canones adimunt pollicitãti facultatẽ reuocandi, ſicuti in pollicitationibus factis ciuitati ex cauſis dictis.

Obijcitur Secũdò: In promiſſionibus gratuitis non videtur naſci obligatio promiſ- 12
ſoris ex acceptatione: ſed ex gratuita tantũ promiſſione; quæ non expectat reciprocam obligationẽ, ergò &c. Reſpondetur obligationem quidem non oriri ex acceptatione, tanquã cauſâ per ſe, & propriè dicta: ſed tanquam conditione ſine quâ non: & quamuis gratuitò promittens non expectet ex intentione reciprocam obligationem, tamen illa ſaltẽ gratitudinis, quaſi naturaliter ſequitur, quãdo acceptatur promiſſio, & ideo, quamdiu non conſtat per acceptationem, quod promiſſarius velit illam ſubire, non completur quoque obligatio promittentis.

Quæres: Quid ſi promiſſor velit ſe abſolutè & irreuocabiliter obligare ante promiſſarij acceptationem, an erit abſolutè obligatus? Reſp. nihilominus nõ obligari, quin reuocare poſſit ante acceptationẽ. Ita Mald. ſup. Luiſius Turrian. Diſp. 64. dub. 3. n. 3. & Vaſq. 1. 2. Diſp. 214. c. 8. Ratio eſt, quia ad obligationẽ, non ſolũ hîc requiritur volũtas promiſſoris, ſed etiã promiſſarij, quia, vt l. 1. D. De pactis dicitur, obligatio non naſcitur niſi mutuo duorũ conſenſu. Deindè, quia nõ videtur quomodo poſſet ſe reddere abſolutè obligatum alteri ad bonum ei præſtandũ, quin eo ipſo alter reddatur ipſi viciſſim ex lege gratitudinis deuinctus: quam obligationem, quia non poteſt illi inijcere, niſi ex ipſius voluntate; hinc apparet, quod eiuſmodi promiſſio etiam cum voluntate ſe irreuocabiliter obligandi ante alterius accepta-

acceptationem non poſſit cauſare illam obligationem abſolutam, niſi ex voluntate eius cui fit promiſſio.

Ex dictis poteſt intelligi differentia inter promiſſionem nondum acceptatam, & contractum initum ſub conditione de futuro: quod ſcilicet contractus hic non poſſit reſcindi ad arbitrium ponentis iſtam conditionem, ſed debeat expectare conditionis euentum, aut eius recuſationem: vt ſi quis contraxerit ſponſalia cum aliqua ſub conditione, ſi pater eius tradat ſibi mille, non poteſt recedere à ſponſalibus, ſed tenetur expectare, an pater velit tradere mille: idque ob præuiam conuentionem & pactum; non ſic in promiſſione alteri facta, ſiue abſolutè, ſiue ſub onere ab altero præſtando, & nondum acceptatâ: non enim hic eſt expectanda repromiſſio, ſiue oneris aut promiſſionis acceptatio vel refutatio: ſed poteſt promiſſor non expectatâ reſolutione promiſſarij reſilire: Ita Rebell. lib. 17. quæſt. 2. n. 1. Bonacina ſuprà puncto 3. num. 3. & alij. Et ratio eſt, quia hîc nondum interceſſit pactum, ſiue conſenſus duorum in idem, ex quo oritur omnis obligatio contrahentium.

DVBIVM IV.

Quinam poſſint pro abſente ſtipulari ſeu eius nomine validè promiſſionem acceptare?

13 Reſpondetur: Inprimis id poteſt omnis ille qui habet ſpeciale ad hoc ab altero mandatum. Ita communiter omnes, non autem ſufficit habere generale, vt docet Sanchez lib. 1. Diſput. 7. num. 4. Bonac. ſuprà puncto 3. num. 4. ex Gloſſ. ad Cap. Si tibi abſenti De præbend. in 6. & Couar. lib. 3. Variar. cap. 16. num. 4. quamuis hic videatur tantùm loqui in ordine ad acceptanda beneficia Eccleſiaſtica nomine alterius, ſicuti & Gloſſa. Vnde Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 7. admittit etiam mandatum generale ſufficere ad promiſſionem nomine abſentis acceptandam.

Deinde ille, qui ſub promiſſarij eſt poteſtate, ita vt proprij iuris non ſit: ſic poteſt ſeruus pro domino, filiusfamilias pro patre, religioſus pro prælato ſtipulari; non autem famulus mercenarius pro ſuo hero: neque filius emancipatus pro patre, aut ſubditus pro principe. Sanchez lib. 1. De matrimonio Diſput. 7. num. 7, cum alijs quos citat. Ratio diuerſitatis inde ſumitur; quia illi reſpectiuè cenſentur vna perſona cum eo ſub cuius, tali modo ſunt poteſtate, non autem hi, quia ſunt ſui iuris. Patent hæc ex Inſtitutis tit. De inutilibus ſtipulationibus, §. Si quis alij. Vbi habetur, Si quis alij, quàm ei, cuius iuri ſubiectus ſit, ſtipuletur, nihil agit.

14 Tertiò, Id poteſt, qui alterius curam gerit, vt Princeps pro ſubdito. Ita cum alijs Rebell. lib. 17. quæſt. 2. p. 4. Bonacina ſuprà puncto 3. num. 4. quandoquidem enim hic poſſit alijs facere poteſtatem ſtipulandi pro altero, multo magis cenſendus eſt ipſe habere hanc poteſtatem. Sic quoque tutor pro pupillo, curator pro minorenne, aut pro alio cui eſt datus curator, vt pro amente. Ita Sanchez lib. 1. De matr. Diſput. 7. num. 12. Couar. lib. 1. Variar. cap. 12. n. 1. Reginald. lib. 25. n. 77. & alij communiter.

De Notario publico controuertitur, Couarr. lib. 1. Variar. Reſol. cap. 14. n. 11. & 13. videtur affirmare, ſaltem quando de eo conficit inſtrumentum. Sanchez verò lib. 1. De matrimonio diſput. 7. num. 11. exiſtimat illam notarij ſtipulationem non eſſe efficacem, niſi quando fit in iudicio, & cum illo tenet Bonac. loco citato: quia, inquit, non eſt textus tribuens facultatem notario ſtipulandi pro abſente extra iudicium: loquuntur enim iura de ſtipulatione in iudicio: vt l. 1. §. Exigere: Cod. De Magiſt. Conuen. & Cap. Quamquam, De vſuris.

Quartò, Poteſt is ſtipulari pro abſente, cuius intereſt, vt promiſſio impleatur, vt qui ex promiſſionis adimpletione, commodum eſt reportaturus, vel ab onere aliquo eſt ſubleuandus: vt conſtat ex Inſtitutis Tit. citato, §. Sed & ſi quis.

Hinc creditor ſtipulatur pro ſuo debitore: ſocius negotiationis pro ſocio, vxor pro marito. Item ille in cuius fauorem adijcitur pœna ſi non impleatur promiſſio. Vide Couarr. in Capitulum Quamuis pactum De pactis: parte 2. §. 4. num. 5. Denique quilibet priuatus poteſt ſtipulari & ius acquirere Eccleſiæ, pijſque cauſis, iuxta communem D D. ſententiam contra Molinam Diſput. 264. vt teſtatur Bonacina ſuprà num. 4. & colligitur ex Cap. Quoties cordis, cauſa 1. quæſt. 7. & fauet Cap. Canis D. ſoluto matrimonio. Videte Couar. ſuprà n. 14. & Sanchez ſuprà n. 10.

15 Sed in omnibus iſtis obſeruandum eſt, quod vt quis præſens poſſit ſtipulari pro altero, ſiue in eius commodum acceptare promiſſionem, debeant promiſſionis verba expreſsè vel implicitè in illum dirigi, ſic vt cenſeatur ipſi quædam promiſſio fieri de re promiſſa præſtanda alteri. Ita docent Couarr. lib. 1. Variar. cap. 4. num. 23. Reginaldus lib. 25. num. 79. Sanchez lib. 1. De matrimonio Diſput. 7. num. 3. Bonac.

ſuprà

Digitized by Google

ſuprà puncto 3. num. 1. & alij communiter. Explicitè fit, quando dicitur: promitto tibi quod dabo Petro centum: implicitè autem, quando alicui ſimpliciter dicitur, promitto quod dabo Petro centum, quia licet tantùm hic exprimatur perſona in cuius fauorem fit promiſſio, tamen interpretatiuè cenſetur etiam fieri illi cui id dicitur in fauorem & vtilitatem alterius: & ſic ſolent homines eiuſmodi verba capere: & quamuis ſubinde de intentione promittentis poſſit ambigi, tamen in dubijs is ſenſus eſt verbis contractuum tribuendus, qui faciet illos valere: l. Quoties in ſtipulationibus 80. D. De verborum obligationibus: vnde ſi præſens acceptet, qui aliàs ad acceptandum aliquo ex modis dictis qualificatus eſt, promiſſionem ſic ad ſe directam valebit promiſſio, nec poterit ad voluntatem promittentis reuocari: non ita verò, ſi quis alicui ſolùm diceret, promiſi Petro centum, & hic pro Petro ſtipularetur: vel diceret, promitto tibi, quod dabo Petrò centum, & Ioannes adſtans & audiens ſtipularetur nomine Petri. Et ratio eſt, quia neque ad iſtum, cui dicitur, promiſi Petro centum, neque ad hunc ſic adſtantem, verba promiſſionis ſic prolata diriguntur, vt poſſit cenſeri ipſis fieri aliqua promiſſio in fauorem Petri, vt per ſe ſatis eſt euidens.

DVBIVM V.

An ſimplex promiſſio legitimè facta & acceptata obliget ſub peccato mortali ad ſui impletionem?

16 OMiſſâ varietate opinionum RESPONDEO & DICO Primò: Si quis promittat cum plena aduertentia rationis, abſolutâ voluntate ſe obligandi, & alius acceptet, tenebitur ſub peccato mortali exſequi, quod promiſit, niſi leuitas materiæ promiſſæ extenuet aut excuſet. Eſt penè communis Doctorum ſententia: D. Thomæ in 4. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 1. Dominici Soto lib. 7. quæſt. 2. artic. 1. ad 1. Arrag. 2. 2. quæſt. 88. art. 3. Solon. quæſt. 61. artic. 4. Anton. 2. parte tit. 10. cap. 1. §. 4. Azor. 3. p. lib. 11. cap. 14. quæſt. 4. Sanchez lib. 1. Diſput. 5. n. 2. & aliorum.

Probatur: quia non exequendo peccaret promiſſor contra iuſtitiam, vt docent Doctores citati contra Caiet. in Summa V. Promiſſio & V. Perfidia: peccata autem contra iuſtitiam ex genere ſuo ſunt mortalia, quamuis ex materiæ paruitate, vel rationis inconſideratione poſſint extenuari; ergò &c.

Probatur Maior: quia omnis promiſſio, ſi fiat per formulam ſtipulationis, tribuit in foro externo actionem, & promiſſor compellitur eam impellere, vt communiter omnes docent; ergò inducit ſtrictam obligationē ex lege iuſtitiæ, vel ſaltem ex lege virtutis omninò iuſtitiæ affinis, ſi ſtrictiſſimè & proprijſſimè iuſtitiam velimus accipere. Quandoquidē autem formula ſtipulationis non reddat promiſſionē firmiorem ſeu efficaciorem in foro conſcientiæ, ſiue ad nducendam obligationem naturalem, quàm abſque illa ſit ceteris paribus, ſed tantùm vim addat pro foro externo, ad tribuendam actionem, idque quia præſumitur ſic magis ſeria & abſoluta facta fuiſſe, quàm dum ſimpliciter ſine ſtipulationis formula facta fuit, conſequenter eadem erit illius quæ eſt ſine forma ſtipulationis, ratio obligandi in conſcientia, quæ eſt alterius cū ſtipulatione factæ. Imò Iure Canonico, quod magis ad conſcientiæ obligationem attendit, conceditur etiam actio ex promiſſione acceptata, etiamſi formula ſtipulationis non interuenerit, vti patet ex Cap. 1. De pactis: & docent communiter Canoniſtæ, vt teſtatur Gomezius tomo 2. cap. 9. n. 2. & Couar. ſuprà n. 24. Sed

Dicet aliquis cum Caietano: videtur promiſſor tantùm ex quadam honeſtate morali & virtute veracitatis teneri ad implendum promiſſum: Sicuti enim ex hac virtute tenemur dicere verum, vt verba reſpondeant menti, ita ex eâdem virtute obligamur implere promiſſum, vt verbis reſpondeant opera: atqui virtus veracitatis non obligat ſub mortali, ſepoſito damno proximi & alijs incommodis: vnde mendacium non dicitur ex genere ſuo eſſe mortale; ergò &c. 17

Reſpondetur Negando Aſſumptum: neque enim tantùm ex illa virtute obligat promiſſio, quia promittere non eſt ſolùm affirmare ſe daturum, aut facturum: ſed eſt quid amplius, nempe obligare fidem ſuam, & ſe alteri, ac conſequenter ius illi tribuere ad exigendum, vbi acceptauerit. Qui namque promittit, obligatur magis, quàm qui ſine promiſſione, nudè affirmat ſe facturum, vt paſſim omnes etiam vulgares apprehendunt, & ſibi perſuadent. Et hinc multi frequentiùs non contenti ſimplici aſſertione alterius, exigunt promiſſionem, & multi, qui dicunt ſe aliquid daturos aut in alterius gratiam aliquid facturos, non volunt id promittere. Ex quibus facilè intelligitur, promiſſionē obligare non tantùm ex virtute & morali honeſtate veritatis, ſed etiam ex quodam debito iuſtitiæ, aliquantulùm iu-

Digitized by Google

ſtitiam latiùs accipiendo, ſicuti iam antè indicauimus: nam & Philoſophus 4. Ethicorum cap. 7. ſatis ſignificat diſtinguendam virtutem, quæ in pactis ſeruat fidem à veritate. Sed hic

Quæritur: Quanti momenti debeat res promiſſa eſſe, vt promiſſionis violatio debeat cenſeri peccatum mortiferum?

18 Reſpondetur: Nauarrus cap. 18. num. 6. inſinuat ſatis eſſe, quod tanti ſit momenti, vt in materia furti poſſit cenſeri res notabilis: ſed Sanchez lib. 1. De matrimonio Diſput. 5. num. 24. cum Ludou. Lopez 1. p. Inſtr. cap. 180. & lib. 2. De contract. cap. vlt. circa finem, requirit, vt ſit quadruplo maioris momenti, quàm quæ poſſit cenſeri materia notabilis in furto: quod & alij plures videntur approbare. Vnde ſi ad furtum mortale requiratur valor vnius aurei, requiretur quod promiſſio ſit de quatuor aureis, vt ipſa obliget ſub mortali. Vide Lopez locis citatis.

Ratio diuerſitatis hinc petitur: quia promiſſum liberale eſt, & imperfectiori modo debitum, quàm aliquid quod eſt abſolutè alterius, vel quod debetur lege iuſtitiæ ratione contractus onerosi, vel damni dati: vnde in non expletione promiſſionis ſecundum ſe longè eſt minor iniuria, quàm in ablatione rei alienæ, vel in non ſatisfactione contractus onerosi: vt communiter apprehendunt homines.

19 Dico Secundò: Si aliquis promittat quippiam, non tamen animo ſe rigidè obligandi: ſed tantùm ex quadam morali honeſtate, ita vt verbis promiſſorijs magis vtatur ad ſignificandum firmum animi ſui propoſitum, aut ad firmius aſſeuerandum quo melius illi credatur, quàm ad ſe abſolutè obligandum, non videtur is teneri ſub mortali ad eiuſmodi promiſſum exequendum, niſi forſitan ex eius omiſſione alter qui ex circumſtantijs meritò exiſtimauit, illum ſimpliciter & rigidè promittere, incurſurus eſſet aliquod notabile damnum. Ita Molina tom. 2. De Iuſt. Tract. 2. Diſp. 262. circa finem. Henriquez De excommunicatione cap. 17. & alij.

Probatur: Quia talis non obligatur niſi lege veritatis, quâ tenetur dicta ſua reddere vera, & cauere, ne falſum dixerit: atqui ad hoc non obligatur ſub mortali, ſecluſis alijs incommodis, vt rectè Caietanus docet hîc quæſt. 113. artic. 1. circa finem; ergò &c.

Hoc autem modo multorũ promiſſiones, qui ſæpiùs multa leuiter ſolent promittere, veniunt interpretandæ: neque enim videtur mens illorum eſſe, ſe alijs rigidè obligare, ac ius ad exigendum velle tribuere.

20 Addidi, Niſi ex impletionis omiſſione alter damnum &c. quia qui ſuâ culpâ dedit damni cauſam alteri, tenetur illud auertere & impedire; & quidem ſub mortali, quando damnum graue inſtat.

Porrò promiſſionis abſolutè & ex animo factę ſigna inprimis ſufficientia ſunt, quando promittens ſcripto promiſſionem confirmat: ſi coram teſtibus, vel tabellione id promittat, ſi ratione alicuius obligationis precedentis, ſi iuramentum adiungat: non tamen dubitandum eſt, quin etiam ſine talibus poſſit eſſe rigida & abſoluta promiſſio; quod quiſque ex mente ſua melius poterit de ſuis promiſſionibus iudicare. Sed quando iſta externa concurrunt omninò tenebitur promiſſario de damno, ſi quod ex omiſſione incurrerit, etiãſi promittens, ciuilitatis tantùm cauſâ abſque intentione promiſſionem abſolutam faciendi, illa dixiſſet & feciſſet, quia prudenter & meritò accepit promiſſarius promiſſionem talem, vt ſeriam & abſolutam. Oſtendere autem eiuſmodi indicia ſeriæ promiſſionis, & non ſeriò promittere, eſt alios decipere, & turbare humanam ſocietatem, & neceſſarium hominum inter ſe commercium, ac proinde homine planè indignum, ſicuti antè diximus.

Quando autem quis de ſe dubitat, quo animo promiſerit, vtrùm abſolutè an tantùm pro ciuilitate, & quadam aſſeuerantiâ ſui dicti, tum ſi promiſſarius promiſſionem acceptauerit, vt abſolutam, quia externa concurrentia id præ ſe ferrent, verius eſt eum obligari ad implendum, etiam ſub mortali, quando res notabilis eſt, quamuis aliud incommodum non immineat promiſſario. Neque obſtat commune dictum, quod in dubio iudicandum ſit pro poſſeſſore, quia vt Malderus ſuprà dub. 8. ex Sanchez lib. 7. diſput. 9. num. 13. tradit, præſumptio & poſſeſſio eſt pro animo obligandi, vbi de promiſſione facta conſtat, & dubitatur de intentione obligandi. Accedit, quòd, vt ſuprà diximus, in dubijs, is ſenſus ſit verbis contractuum tribuendus, qui faciat eos valere. 21

DVBIVM VI.

Vtrum promiſſio ob cauſam turpem facta inducat obligationem?

RESPONDEO & DICO Primò: Promiſſio, omniſque pactio ſuper opere illicito ante patrationem operis, cuius gratiâ fit, eſt inualida, & vltrò citroque nullius eſt roboris de præſenti. Eſt communis omnium & certa doctrina: & ita habetur Inſtit. De inutilib. ſtipul. §. vlt. De pactis: 22

Digitized by Google

pactis: & l. Generaliter 26. D. De verborum obligatione.

Ratio eſt: quia nemo obligari poteſt ad peccatum committendum. Vnde neuter ex illo contractu obligatur: neque enim acceptator operis praui patrandi tenetur acceptatum facinus exequi, prout neque licitè poteſt: neque is, qui pecuniam aut aliam mercedem quam forſitan anticipatè dare ſpopondit, obligatur ad præſtandum promiſſum, opere nondum exhibito: eò quòd huius promiſſio reſpectiua fuerit, vtpotè tantùm facta intuitu illius operis exequendi. Imò è contrà obligatur promiſſionem reuocare, tamquā malam & directè ad peccatum prouocantē ac inducentem proximū.

Dico Secundò: Etiā ſecuto iam opere
23 malo, quando tale eſt, quod legibus puniatur, vt v. g. latrocinio, furto, aut ſimili facinore, nō obligabitur ad promiſſum implendum is, qui aliquid pro tali opere patrando promiſit. Tenent Nauar. c. 17. n. 41. in terminis generalioribus, & plures DD. tam Canonum quam Legum. Vt indicat Couarr. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 2. n. 6. in verbis Vnde non admodū vbi vocat communem.

Probatur: quia leges reddunt eiuſmodi ſtipulationes & conuentiones irritas ac nullas, vt l. Si plagij al. Si flagitij 123. De verborum obligat. vbi dicitur, Si plagij faciendi vel facti cauſâ concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valere: & l. Generaliter 26. ibidem Generaliter nouimus, inquit Iuriſc. turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti. Similia habentur l. Mercalem 5. Cod. De condictione ob turpem cauſam, & l. Iuris gentium 7. §. Si ob maleficium D. De pactis.

Multi tamen ſic leges illas accipiunt, quaſi tantùm ſignificarent, non valere eiuſmodi ſtipulationes ante factum commiſſum: & poſt factum excludere ius ſolùm petendi promiſſum in foro externo, quamuis interim ratione promiſſi, opere patrato obligetur promiſſor in conſcientia, tam ex fidelitate quàm ex iuſtitia, promiſſionem implere. In quam opinionem plures Theologi inclinantur, Azorius 3. p. lib. 4. cap. 21. quæſt. 9. Molina Tract. 2. Diſp. 74. Petrus Nauarra lib. 4. cap. 2. num. 132. Leſſius lib. 2. cap. 18. dub. 3. num. 18.

Nihilominus magis videtur probanda eorū ſententia, qui dictas leges volunt abſolutè irritare eiuſmodi conuentiones ac impedire omnem earum obligationem, etiam naturalē, & in foro conſcientiæ; idque tum in deteſtationem atque odium illorum, qui lucri cauſâ ſuſcipiunt turpia ac legibus non tantum naturalibus & diuinis, ſed etiam humanis prohibita & punienda facinora exequi; tum etiam, quòd hæ leges multò euidentius reſiſtant huiuſmodi ſtipulationibus, quàm aliæ reſiſtant promiſſionibus non acceptatis, de quibus ſuprà egimus: propter quas tamen ſatis communiter tum Theologi, tum Iuriſperiti admittunt & docent, ex promiſſionibus nondum acceptatis non oriri obligationem, nequidem naturalem. Sed

Quæri hic poteſt; Vtrum is, qui patrato crimine recepit promiſſam mercedem, poſſit eam retinere, an verò ad reſtitutionem teneatur?

Ratio dubitandi eſſe poteſt: quia quam- 24
uis leges eiuſmodi conuentiones reprobent ac declarent eſſe nullas, tamen in pari vtrimque turpitudinis cauſa, denegant quoque actionem & repetitionem eius, quod datum eſt, vt patet l. 3. & 4. D. De condict. ob turpem cauſam.

Pro pleniori huius difficultatis explicatione & intellectu

Obſeruandum eſt, Poſſe hîc diſtingui duplicis generis ſtipulationes turpes, quæ legibus prohibentur. Quædam enim fiunt ſuper rebus, quæ pretio æſtimabiles non ſunt, vel certè pro quibus alter ſtipulantium pretium recipere iuſtè non poteſt, neque alter licitè dare. Tales ſtipulationes ſunt pactiones Simoniacæ ſuper rebus ſacris, vt Ordinibus, beneficijs, dignitatibus Eccleſiaſticis conferendis. Item ſi quis pecuniâ ſibi iuſtitiam à Iudice adminiſtrandam quaſi emat: neque enim poteſt Iudex iuſtè pretium pro adminiſtranda iuſtitia priuatim à partibus accipere, nec alter licitè poteſt promittere vel dare. Similiter ſi quis teſti promittat pretium pro teſtimonio veritatis dicendo. Quædam verò ſtipulationes turpes fiunt ſuper rebus vel actionibus, pretio quidem in ſe æſtimabilibus, ſed tamen iure prohibitis ſub pœnis, eo quòd eiuſmodi actiones conciuibus, aut Reipublicæ ſunt iniurioſæ: Tales ſtipulationes ſunt pactiones de patrando homicidio, ſacrilegio, furto, ſub promiſſione certæ mercedis, criminibus patratis accipiendæ. Volunt enim Doctores plerique actiones horum facinorum pretio æſtimabiles eſſe, ratione laboris, induſtriæ, periculorum, & quia tales, quas nemo gratis alteri teneatur exhibere, cùm nec licitè poſſit. Item eiuſmodi ſunt ſtipulationes de pecunijs Iudici ſoluendis pro ſententia iniuſtè latâ aut ferenda; quod etiam volunt eſſe pretium æſtimabile, propter periculum ſtatus, & aliorum incommodorum, quibus eâ de cauſâ iniquus Iudex ſe tunc exponit. Eadem eſt ratio ſtipulationis ſuper falſo teſtimonio ferendo.

Prędictam diſtinctionem inſinuat Couar. 25
ad Regulam Peccatū p. 2. §. 2. n. 6. & quamuis fateatur cum Ioan. Medina, ſatis communi ſententiâ definitum eſſe, eum teneri ad reſtitutionem eorum, quæ ex iniquis vtrimque conuentionibus quis acquiſierit vel acceperit,

ceperit, tamen vtitur ipſe prædictâ diſtinctione. Vnde inprimis docet eum, qui pecunias aut pretium accepit ex ſtipulationibus prioris generis, nullatenus poſſe acceptum ſibi retinere, ſed ad illius reſtitutionem in foro conſcientiæ obligari. Quod communiter ab omnibus tenetur, ita enim Paludan. in 7. diſtinct. 15. quæſt. 3. Adrian. in 4. De reſtitut. §. Reſtat inquirere, Soto lib. 4. quæſt. 7. art. 1. ad ſolutionem ſecundi argumenti circa finem. Syluest. V. Reſtitutio 4. §. Et ratio eſt manifeſta: quia iniuſtitiam commiſit, quando pretium vel mercedem accepit pro eo, quod, vel pretio æſtimabile non erat, vel quod gratis exhibere tenebatur, vel ſaltem pro quo mercedem accipere non poterat ab eo, à quo accepit, quia aliunde labor eius compenſatur. De illis autem, qui pretium aut pecunias acceperunt ex ſtipulationibus poſterioris generis turpibus, ſcribit ipſe fortaſſis eos poſſe datum retinere in animæ iudicio in compenſationẽ, arbitrio boni viri, aut iuſtam mercedem laboris impenſi, & induſtriæ præſtitæ circa maleficiũ.

26 Doctores verò alij iam proximè citati, & alij plures, docent indiſtinctè etiam hos non poſſe in foro conſcientiæ retinere acceptum ex talibus ſtipulationibus ſuper eiuſmodi turpibus actibus. Quod inprimis Adrian. loco citato deducit ex D. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium, vbi expreſsè videtur docere, aduocatum, qui pro patrocinio iniquæ cauſæ præſtito pecunias acceperit, teneri eas reſtituere: Quis tandem, inquit Aug. aduocatus, aut ex aduocato ita vir optimus facilè reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat, Recipe, quod mihi, cùm tibi malè adeſſem, dediſti, & redde aduerſario tuo, quod me agente iniquè abſtuliſti: & tamen, ait, quem prioris non rectæ vitæ, rectiſſimè pœnitet, etiam hoc facere debet, vt ſi ille, qui iniquè litigauit, non vult admonitus corrigere iniquitatem ſuam, eius tamen iniquitatis non velit iſte habere mercedem: niſi fortè reſtituendum eſt alienum quod per furtum clanculò aufertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, vbi peccata puniuntur, decepto Iudice & circumuentis legibus obtinetur. Ita Auguſt.

Sed forſitan ad hoc Reſponderi poſſet, vt indicat Nauar. ſup. D. Auguſt. velle eiuſmodi aduocatum ad reſtitutionem teneri, quatenus participat in alieno, quod ipſius malâ arte Cliens eius ab aduerſario iniuſtè abſtulit: Quod ex poſterioribus eius verbis non omninò improbabiliter videtur colligi.

27 Quare generalius & firmius videtur id probari ex allegato fundamento ſecundæ Aſſertionis noſtræ, quo communiter alij vtuntur, quod ſcilicet ſtipulationes eiuſmodi ſuper iſtis criminibus committendis vel commiſſis iuxta l. Si plagij faciendi, & alias ſuprà allegatas, ſint ipſo iure reprobatæ & nullæ. Quod licet Couar. velit tantùm procedere ad hos effectus, vt ſcilicet ex ijs agi non poſſit, nec teneatur quis promiſſa præſtare, non autem, vt datum ratione laboris impenſi reſtituendum ſit ante condemnationem: tamen videtur vtrorumque eadem ratio, præſertim quando ex conuentione eſt datum per modum mercedis debitæ, quia cùm conuentio nullius ſit omninò valoris, non poteſt magis creare ius recipiendi ac retinendi in vno, quàm in altero debitum dandi. Neque magis à ratione debet videri alienum, quòd ſic acceptum per modum mercedis debeat reſtitui, quàm quòd promiſſum per modum mercedis non debeat ſolui, quando labor iam impenſus eſt: à cuius tamen ſolutione etiam Couar. vult promittentem eſſe ſimpliciter liberum. Quod ſi foret aliquid omninò liberaliter datum ab illo, qui rei dominium transferre poterat, tunc cum Couar. facilè dicerem, tutò poſſe in animæ iudicio retineri, donec per ſententiam cogeretur ſe illo exuere. Sed infert Couar. quòd ex iſtis ſequeretur artificem aut fabrum conductum ad fabricandum, quod iure vetitum extat, & in maleficium perniciosum fabricatur, teneri ad reſtitutionem mercedis, quam accepit. Verùm eſto, ita ſit, certè nõ apparet illud graue incommodũ aut abſurdũ: nã ſicuti meritò iura eiuſmodi ſtipulationes prohibent & irritant, ita quoque meritò dicitur, quòd ex iſtis datum vel acceptum eſt, nulliter eſſe datum & acceptum, nec ius aliquod accipienti inde acquiri, ſi quidem nullus tunc acquiſitionis titulus eſt l. Non dubium Cod. De legibus, idque in odium & deteſtationem talium ſtipulationum, quæ in aliorum iniuriam vel Reipub. perniciem procedunt.

Ad rationem itaque dubitandi, in principio propoſitam, Reſpondetur, tametſi leges repetitionem ei, qui dedit, negent, 28
tamen ex hoc accipientem non fieri tutum in iudicio animæ: prout etiam Couar. ſentit de illis, qui acceperunt aliquid ex ſtipulationibus prioris generis, non obſtante, quòd etiam in illis negetur actio repetendi illi, qui dedit: quia leges, quæ negant danti repetitionem, nullum ius tribuunt recipienti, nec plus iuris in eum transferunt, quàm is cum acceptione acquiſierit. Sicut in ſimili etiam docet D. Th. quæſt. 77. art. 1. ad [illegible] Non enim iura ſicuti ſtipulationes illas irritant & nullas faciunt, prout diximus (vnde & Couar. docet alterum non teneri ad præſtandum,) ita donationem factam aut mercedis exhibitionem præſtitam ratificant & validam declarant; ſed ſolùm, quia ob patrandum & patratum poſtea maleficium, datum eſt, ideo illi qui dedit negant ipſi in pœnam ſui facti, actionem repetendi.

Soto

Digitized by Google

Soto autē loco ſup. citato dicit ideo eum, qui recepit, non poſſe retinere, quia lex fecit illum inhabilem ad recipiendum, in odium talium delictorum, quæ contra iuſtitiā ſunt, ideoque nullum acquiſiuiſſe dominium, & ſequitur eum Clauis Reg. loco mox citando. Verùm hoc non ſatis ſolidè videtur ex legibus poſſe deduci.

29 Controuertitur autem vlterius inter DD. cuinam debeat hîc fieri iſta reſtitutio?

Adrian. ſup. Salon. 2.2. q. 62. art. 5. Controuerſ. 3. Concl. 6. Arragon. ibidem dub. 3. Lopez 1. p. Inſt. c. 107. Clauis Reg. lib. 10. Tract. 5. c. 3. n. 20. probabiliter exiſtimant faciendam eſſe illi qui dedit, niſi per Iudicem iam in pœnam criminis donans ſit iure illius rei priuatus: quia leges quamuis donanti negent repetitionem, non tamen generaliter illum priuant re donatâ, aut eius dominio: quod à ſe non abdicauit, niſi quatenus de Iure alteri deberet. Poſt Iudicis verò ſententiam tunc dandum illis quibus Iudex mandat dandum.

Addit tamen idem Adrian. nihilominus etiam poſſe diſtribui in eleemoſynas: quod abſolutè faciendum videtur exiſtimare Palud. loco ſup. cit. quia propter turpitudinem ſuam, inquit, commeruit donans rei perditionem. Vnde videretur mens Legiſlatorum, qui repetitionem negant, ſic interpretanda, vt velit datum & acceptum ad alios vſus pios aut publicos applicari. Sed de illa mente legiſlatorum non ſatis ſufficiens habetur argumentum. D. Thomas quidem id tenet hîc q. 32. art. 7. & q. 62. art. 5. ad 2. de ſimoniacè acceptis, quando ſimonia ſaltem vtrimque eſt completa; Verùm eâ de re latiùs infrà agendum erit in Tractatu de Simonia.

30 Dico Tertiò: Qui promiſit ob turpem cauſam, quæ tamen legibus non prohibetur nec punitur, quamuis ante operis patrationem potuerit, imò debuerit recedere à conuentione, nihilominus opere completo probabiliter tenetur promiſſum perſoluere. Eſt contra Nauarr. ſup. cap. 17. n. 41.

Sed probatur: quia DD. communiter penè omnes docent, meretricem iuſtè accipere & retinere ſtipendium corporis ſui. D. Th. hîc q. 32. art. 7. in Corpore ita ſcribit: Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, ſed in eo quod accipit, non iniuſtè agit: vnde quod ſic illicitè acquiſitum (inquit) retineri poteſt. Adrian. ſup. §. Sed oritur alia quæſtio, planè ſupponit Iudam filium Iacob fuiſſe obligatum ex ſua promiſſione mittere hœdum Thamar, cum qua in via congreſſus fuerat, exiſtimans eam eſſe meretricem. Vide Caiet. ad quæſt. D. Th. iam cit. & Soto lib. 4. q. 7. a. 1. & DD. antè cit. n. 23. §. Multi tamen. Et ſumitur hoc ex l. Idem 4. D. De condictione ob turpem cauſam, vbi dicitur, meretricem quidem turpiter facere, quòd ſit meretrix; ſed non turpiter accipere, cùm ſit meretrix. Neque hoc tantùm intelligendum videtur, quòd non turpiter ſiue non iniuſtè accipiat ſponte oblata; vt vult Nauarr. ſed etiam quod vt debitam mercedem exigat, modò non ſit exceſſus in petita mercede ſupra æſtimationem actus quem exhibuit, vt expreſsè citatis locis tradunt Caiet. & Soto. Et colligitur quoque ex Adriano, quando loco cit. dicit etiam illam, quæ non eſt publica meretrix, non obligari in foro animæ reſtituere, quæ in mercedem turpitudinis recepit. Couar. ad Reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 4. expreſsè ſcribit, eum, qui cum meretrice publica, vel ea fæmina, quæ corporis ſui quæſtum facit, coierit, etiamſi abſque expreſsâ conuentione, cogendum fore à Iudice lege taciti pacti, eidem fœminæ conſuetam mercedem vſus corporis ſui ſoluere: vnde & actionem in foro externo illi tribuit: quod ibidem in antecedentibus latiùs tradit.

Pro explicatione autem fundamenti huius 31 obligationis, Obſeruandum eſt, ex conuentione & promiſſione conditionali naſci duplicem obligationem: vnam abſolutam, qua ſtatim tenentur contrahentes ſtare pacto inito, ita vt vnus ſine alterius conſenſu non poſſit retrocedere à conuentione, vel eam annullare: alteram quaſi pendentem, quâ is, qui ſub conditione aliquid promiſit, tenetur id ipſū præſtare adimpletâ conditione.

Ratio itaque huius tertiæ aſſertionis hæc eſt, quòd tametſi conuentio eiuſmodi ſuper tali opere turpi & conditionali promiſſio ſint hactenus vtrimq; nullius roboris, quòd neutram partem, opere nondum completo ligent ad ſtandum conuentioni, quin poſſit, imò teneatur in conſcientia quilibet eorum à conuentione recedere, etiam altero inuito, (quod primâ aſſertione ſuprà poſitâ ſignificatum & probatum voluimus) tamen ſtando in iure naturali, ſi retroceſſum nō fuerit, habeant vim & efficaciam quoad obligationem poſteriorem, quam cauſant quaſi in actu primo, quamdiu conditio non eſt impleta; eâ autem impletâ, exurgit in pleno & perfecto ſuo eſſe: quia nulla iam ratio naturalis videtur aduerſari iſti obligationi ſic exurgenti, cùm eius obſeruatio nullam contineat iniuſtitiam vel turpitudinem. Stando igitur in iure naturæ, tenebitur promiſſor opere per promiſſarium impleto præſtare promiſſum. Neq; in caſu huius tertiæ noſtræ aſſertionis liberatur ab illa obligatione per leges poſitiuas: quia quæ declarant & reddunt ſtipulationes turpes nullius omninò valoris aut roboris, & actionem omnem adimunt, videntur loqui tantùm de iſtis ſtipulationibus turpibus, quæ prohibentur & puniuntur legibus ipſis tamquam Reipub. noxiæ

noxiæ & perturbatiuæ. Vnde & meritò in deteſtationẽ talium ſcelerũ intelligimus per leges ſic reddi ſtipulationes illas; de quibus agunt, omnino nullas, vt nullum relinquant effectum, non tantùm non quoad priorem obligationem, quæ etiam naturaliter nulla eſt: ſed nec quoad poſteriorem, ne ſub ſpe mercedis, quam alter ex conſcientia tenetur præſtare, malefactores pertrahantur ac incendantur magis ad parranda ea, quæ conciuibus ſunt iniurioſa, ac Cõmunitatis perturbatiua: alia autem poteſt eſſe ratio de illis, quæ magiſtratus ad alia grauiora mala vitanda permittit, aut tolerat. Sed

32 Obijcitur: Nullum opus turpe poteſt eſſe aliquo pretio dignum; ergò ratio naturalis aduerſatur obligationi, quâ quis pro illo præſtito teneretur dare pretium aut ſoluere aliquam mercedem.

Propter hoc argumentum exiſtimarunt nonnulli, non poſſe quidquam pro illo exigi, tanquam debitum (tametſi ſpontaneè oblatum poſſit accipi & retineri) imò ſolutum tanquam debitum debere reſtitui. Ita Medina Cod. De reſtitut. q. 20. licet interim velit promiſſorem debere pręſtare promiſſum, vt fidem liberet: ſed tamen alteram partem non poſſe retinere.

Verùm DD. alij communiter tradũt duo poſſe in opere turpi conſiderari & diſtingui. Primò turpitudinem ipſam, quæ non ſolùm nullo pretio aut præmio digna eſt, ſed execratione & pœnâ: deinde laborẽ, induſtriã, pericula exequentis: Item commoda aut oblectamenta petentis, & promittentis, & ſimilia, quæ cum turpitudine actus ſunt coniuncta: & hæc pretio eſſe æſtimabilia. Horum itaque intuitu & ratione, ſecundùm iuſtitiam commutatiuam poſſe pretium conſtitutum exigi tamquam debitum, poſtquam opus, quamuis turpe, fuerit exhibitum. Idque confirmant à ſimili, quia in ſpiritualibus & ſacris licet ſic duo diſtinguere, ita vt ſcil. non poſſint quædam pretio æſtimari ratione cõſecrationis vel ſpiritualitatis, poſſint tamẽ pretio æſtimari ratione materiæ, vt patet in calice conſecraro, vel ratione laboris, vt conſtat in diuerſis functionibus ſpiritualibus.

Reſpondetur itaq; diſtinguẽdo Anteced. ſi intelligatur, quod nullũ opus turpe quâ tale, ſiue ratione turpitudinis poſſit eſſe pretio æſtimabile, vel mercede dignum, ſic quidem admittitur, & ſecundum illam conſiderationem conſequens quoque verum eſt. Sed ſi intelligatur, quod nullum opus turpe, quacumq; ratione conſideratum poſſit cenſeri pretio æſtimabile, ſic Antecedens negatur, & ratio conſtat ex dictis, ex quibus etiam intelligitur ſub qua ratione cenſeatur æſtimabile pretio: ac proinde ſub qua ratione debeatur merces promiſſa ex naturali obligatione, quãdo opus eſt præſtitum, niſi aliud impediat.

DVBIVM VII.

Quibus modis contingat promiſſionem validè factam, & acceptatam deſinere obligare?

Reſpondetur: Deſinit inprimis obligare, quando eam relaxat promiſſarius, vel aliquis à promiſſario poteſtatem relaxandi habens. Quo modo Pontifex etiam vota relaxat, tamquam Dei in hoc vicarius, vel, vt quidam dicunt, tamquam arbiter voluntatis ſubditi, ſicut pater irritat votum filiæ: ſed de hoc accuratius infrà agendum erit. 33

Secundò, deſinit obligare, ſi res promiſſa fiat impoſſibilis, aut illicita, vt ſi lege interim prohibeatur, vel ſi fiat damnoſa aut inutilis. Ita Caiet. hîc q. 113. art. 1. Rebell. lib. 18. q. 11. n. 4. Nauarr. c. 18. n. 7. & alij Doctores communiter. Ratio prioris partis patet: quia ad impoſſibile vel illicitum præſtandum, nemo poteſt obligari. Neque tenetur promiſſor petere diſpenſationem à Principe ſi forſitan tulerit legem in præiudicium promiſſi præſtandi vt bene Bonac. De Contractib. Diſput. 3. q. 12. puncto vlt. n. 3. contra Turrian. quem citat Diſp. 70. Dub. 5. n. 4. non enim promittens ad hoc ſe obligaſſe à prudentibus iudicabitur, neq; ſolet mens promittẽtis ad hoc ſe extendere. Si tamẽ promiſſarius ipſe peteret & obtineret tum promiſſor obligabitur ſatisfacere promiſſioni. Ratio poſterioris eſt: quia cũ fiat promiſſio in gratiã vel vtilitatẽ promiſſarij, Ratio dictat, quòd promiſſionis vis deſinat, ſi res promiſſa nihil vtilitatis, ſiue quoad commoditatem, ſiue quoad voluptatem adducere poſſit promiſſatio.

Obſeruandum tamen hîc eſt, ſi promittens fuerit in morâ, vt v. g. quia priuſquam res fieret impoſſibilis, aut illicita, aduenerit tempus, quo debebat perſoluere promiſſum, & non perſoluit, teneri etiam tunc, quando res eſt impoſſibilis vel illicita, compenſare illam noxam, & reparare damnum, ſi quod aliud promiſſarius ob defectum non ſolutæ promiſſionis incurrerit. 34

Tertio, deſinit quoque promiſſio obligare, ſi ſtatus rerum vel perſonarum ita diuerſimodè ſe habeat, aut mutetur, vt promiſſor iuxta prudentum iudicium non videatur illum euentum voluiſſe comprehendere, quod ſecundùm Caiet. loco ſup. cit. ex conditione rei promiſſæ, promiſſionis, ac promittentis, & ex promiſſarij diſpoſitione, aliiſq; circumſtantijs diiudicandum erit.

Ratio autem eſt: quia promiſſio non obligat vltra intentionem promittentis expreſſam vel prudenter interpretatam.

Confirmatur: quia lex abſolutè lata non obligat 35

obligat in illis caſibus, quos legiſlator expreſsè aut interpretatiuè voluerit exceptos: atqui promiſſio eſt quædam veluti lex particularis, quam ſibi quiſque imponit; non ergò obligabit in illis caſibus, quos expreſsè vel tacitè iuxta prudentum virorum ſenſum, cenſetur excepiſſe: vt ſi quis alicui operam ſuam pro certo tempore promiſerit, & contingat filium incidere in morbum, aut vxorem, ita vt non poſſit eos deſerere, non tenebitur præſtare promiſſum, quia non cenſetur promiſſionem ſuam etiam in illo caſu voluiſſe ratam eſſe, & obligare. Item ſi quis puellæ promiſerit nuptias putans eſſe virginem, alioquin non promiſſurus, & poſteà conſtet non fuiſſe virginem, non tenebitur ducere: quæ locum habent licet promiſſionem iuramento confirmaſſet, Molina Diſp. 272. Lopez 2. p.c.30. Bonac. De Contract. Diſp. 3. q. 12. puncto vlt. & alij quos citat. quia iuramentum non dat robur promiſſioni, niſi ſecundùm eam mentem, quâ facta eſt. Vnde ſi promiſſio habeat tacitam conditionem, ſiue ex iuris diſpoſitione vel interpretatione, ſiue ex mente promittentis, iuramentum accedens non tollit conditionem illam, ſed confirmat promiſſionem iuxta illum ſenſum & quaſi limitationem.

36 Dices: Cap. Quemadmodum De iureiurando, dicitur quod, qui iurauit ſe ducturum aliquam in vxorem, non poſſit ei poſteà obijcere fornicationem præcedentem; ergò &c.

Reſpondetur, Cap. loqui de fornicatione priùs notâ illi, qui iurauit ſe ducturum, vt indicat Gloſſa ibidem §. Præcedentè. Deinde ſi, dum iuraret, ſic fuerit animo conſtitutus, vt nequidem lapſum illum, licet eum ſciuiſſet, voluiſſet excipere, tenebitur ſtare promiſſo & ſatisfacere iuramento.

Quartò, deſinit obligare promiſſio, ſi promiſſarius inſignem aliquam ingratitudinem contra promittentem oſtenderit. Probatur: quia ſic etiam donationes gratuitæ reuocari poſſunt, vt conſtat ex l. Vltima Cod. De reuocandis donationibus.

Quintò obligare deſinit, aut potiùs quaſi conſopitur, quando duo aliqui ſibi mutuò viciſſim quippiam promiſerunt, & alter non vult implere promiſſum: tunc enim non tenebitur quoque alter promiſſum præſtare, ſed poteſt quaſi compēſatione vti, quamdiu alter detrectat promiſſum perſoluere: quod etiam locum habet quamuis huius promiſſio non ſit facta intuitu alterius per modum remunerationis, vt communiter videntur DD. tenere contra Nauarr. cap. 18. n. 7. Et

Probatur: Quia ſunt hæc iura & debita eiuſdem rationis, vnde nihil videtur obſtare, quo minùs poſſit in tali caſu fieri compenſatio licet promiſſiones hinc inde independenter à ſe mutuo factæ ſint.

DVBIVM VIII.

Quid ſit donatio?

RESpondetur: Donatio communiter & recte deſcribi ſolet, eſſe liberalis rei alicuius datio. Sumitur ex Paulo Iureconſ. l. Senatus, D. De mortis cauſa donatio. Sermo autem hîc eſt de donatione gratuita, quæ fit ex mera liberalitate. 37

Vnde quæritur de donatione remuneratoria, quæ dicitur Antidoralis, quâ ex gratitudine ſcilicet compenſantur beneficia, officia, obſequia accepta, vtrùm comprehendatur & ſit ſimpliciter dicta donatio.

Reſpondetur: Non comprehendi nomine donationis abſolutè & ſimpliciter dictæ ſeu propriè omnino acceptæ: prout accipienda cenſetur, quando dicitur, donationem propter ingratitudinem donatarij eſſe reuocabilem: vel quando aliquibus interdicitur donatio, ne poſſint facere donationes. Ita Panorm. in Rubr. De donationibus. Et Bonac. ſuprà quæſt. 13. puncto 1. n. 2. Ex quo infert n. 6. quod ſuo iudicio, accepta à Religioſis de licentia Superioris iure cognitionem meritorum aut munerum, non ſint obnoxia reſtitutioni, propter decretum ſiue conſtitutionem Clementis VIII. an. 1594. editam contra largitiones Religioſorū, quia decretum illud loquitur de donatione ſimpliciter, & conſequenter intelligendum videtur de donatione propriè dicta, non autem de antidorali, modò dona accepta non excedant merita: & pro eâdem opinione adducit Azor. 3. p. lib. 10. De donatione cap. 3. quæſt. 3. Sa V. Donatio n. 23. & alios tamquam qui videantur idem ſentire. Addit autem, modò munera ſeu dona non excedant merita: quia qua parte excedunt merita, reducuntur ad donationem propriè dictam, & eatenus proinde eſſent obnoxia reſtitutioni iuxta Bullam Clementis, ita vt qui acceperint, abſolui non poſſint ante realem reſtitutionē præmiſſam. Oſtendit autem infrà donationē remuneratoriam ſeu antidoralem eſſe, quâ beneficium aut obſequiū aliquod compenſatur non ex debito, ſed ex gratitudine ad æqualitatem, vel aliquantulū vltra moderatè, quantum animi grati ratio poſtulat: vnde non ſatis conſideratè & coherenter prius dixit ſe per liberalem donationē intelligere, quæ non fit ex obligatione aut debito iuſtitiæ, ſed ex mera liberalitate, aut gratitudine: cum donationē remuneratoriā & gratitudinis cauſâ factam in ſequentibus omnino remoueat à donationē propriè & ſimpliciter dictâ. Quare melius id dixit, quod donatio ſit datio quæ fit intuitu ſolius liberalitatis aut magnificentiæ, & non propter aliam cauſam.

Loquen-

Digitized by Google

Loquendo tamen nonnihil laxiùs, poterit etiam iſta antidoralis,& quæ gratitudinis ergò fit, recenſeri inter donationes, & quidem liberales, hactenus, quòd non fiat tamquam iure debita, nec vt aliquid rependatur tamquam iure debitum: ipſa autem gratitudo non habet ſimpliciter repugnantiam, quæ excludat omnem rationem liberalitatis.

38 Per, Donationem, intelligitur illa donantis actio, quæ naturâ ſuâ ſit idonea & ſufficiens ad transferendum dominium, vt explicat Bonac. ſup. nu. 1. ſiue illa fiat verbis & ſimul traditione rei, vt dum quis dicit, Do tibi hunc librum,& ſimul eum ad manus alterius tradit; ſiue verborum officio tantùm, vt dum quis dicit, Do tibi equum meũ, qui in paſcuis eſt & abſens. Eſt enim & hęc actio naturâ ſuâ idonea & ſufficiens ad dominium transferendum equi abſentis, quamuis iure poſitiuo impediatur, ne dominium transferat ante realem traditionem ſubſecutam, vt ex l. 20. Cod. De pactis, & alijs ſuprà dictis conſtat: adeò vt ſi alteri eumdem donem aut vendam, & ſimul tradam, tranſiturus ſit in dominium illius; & prior non ſit habiturus niſi actionem aduerſus me ad rem, ſiue eius compenſationem: quare licet verbalis eiuſmodi donatio ſit naturâ ſuâ ſufficiens & nata plus operari, quàm promiſſio, quæ naturâ ſuâ non habet vim transferendi dominium (quod inter duo illa ſolet poni diſcrimen) tamen quatenus ſic Donatio iure poſitiuo impedita eſt, non videtur plus operari ſiue præſtare quam promiſſio rei.

39 Petes, An debiti remiſſio ſit donatio?

Reſpondetur: Nihil videtur obſtare, quo minùs dicatur donationis naturam ſortiri, quando gratis fit merè intuitu liberalitatis, non propter aliam cauſam. Vnde Gloſſa in Capit. Veniens 1. De teſtib. & atteſtat. & cum illo Panormit. dicunt, quòd qui remittit, dare videtur: Ad idem propoſitum adducit Bonac. ſup. l. Modeſtinus D. De donationib. Faciliores tamen ſolent homines eſſe ad remittendum, quàm ad donandum: quia ægriùs demittant rem, quam tenent, quàm ius ad rem, quam nondum poſſident, præſertim quando conſecutionem rei obſeruant difficiliorem. Et hinc Gloſſa in Cap. Statutum De reſcriptis in 6. ait faciliùs remitti multa, quàm dari pauca.

DVBIVM IX.

Quinam poßint donare, quibus, & quantum?

40 RESPONDEO & DICO Primò: Eos ſolos liberè poſſe donare, qui habent dominium & liberam adminiſtrationem bonorum non impeditam; ſiue cum facultate alienandi. Ita DD. communiter.

Dicitur, Qui habent dominium: nam qui tantùm habent adminiſtrationem, non poſſunt liberè donare, ſed ſolùm iuxta mentem domini, aut in eius commodum.

Additur, & adminiſtrationem; quia non ſufficit quoque habere dominium: donatio enim ad diſpoſitionem & regimen bonorum pertinet.

Adijcitur inſuper, non impeditam ſiue cum facultate alienandi; quia qui hac priuati ſunt, non poſſunt donare, niſi in quantum ius aut ſuperior permittit.

Ex his itaque intelligitur, quòd in primis donare non poſſit, qui non habet vſum rationis ad id ſufficientem, qui debet talis & tantus eſſe, qualis in contractibus, & votis requiri ſolet. Denique neque impubes, qualis cenſetur maſculus, qui non impleuit annum decimum quartum ætatis, & femella, quæ non impleuit duodecimum, vt antè diximus.

Tertiò, neque filiusfamilias, etiamſi pubes ſit, donare poteſt abſque conſenſu patris, niſi habeat bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia. Iul. Clarus lib. 4. Sent. §. Donatio quæſt. 6. n. 2. Eadem eſt ratio de minore 25. annis, qui curatori ſubeſt: vt conſtat ex dictis Cap. præced. dub. 3.

Quartò, non poteſt donare vxor abſque conſenſu mariti, niſi ex bonis ſuis paraphernalibus, vel alijs, quæ ſuâ induſtriâ conquirit, vt alibi latiùs explicatur.

Quintò, neque prodigus, cui bonis interdictum eſt, ſiue qui à Magiſtratu poſitus eſt ſub curatore: vnde qui aliquid à tali donatum acceperit, tenetur illud reſtituere.

Sextò, Eccleſiaſtici ſæculares non poſſunt 41
ex bonis, ſiue ex fructibus beneficiorum qui honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, donare ad vſus ſæculares & profanos, licet benè ad vſus pios & in eleemoſynas. Similiter Superiores Regularium non poſſunt etiam donare ad vſus profanos, quia non ſunt domini bonorum monaſterij, ſed tantùm adminiſtratores: imò etiamſi Conuentus conſentiret, non tamen licitè poſſent. Non enim poteſt Conuentus eiuſmodi poteſtatem Superioribus tribuere, eo quòd Canones obſtent, qui non permittunt ab his fieri donationes, niſi ad eleemoſynas & pias cauſas. Multò minus autem licebit id particularibus Religioſis: imò his nequidem ad pias cauſas donare licitum eſt, ſine conſenſu Prælatorũ expreſſo aut ſaltem tacito. Vide dicta ſuprà Tract. 1. c. 3. dub. 5. 6. 7. 8. 9. & cap. 1. huius Tract. quinti dub. 3. ex quibus hæc pleniùs poterunt intelligi.

DICO Secundò: Non poteſt maritus validè donare vxori, neque vxor marito, ita 42
vt ad arbitrium donantis nõ poſſit reuocari. Ita com-

Ita communiter DD. ſic enim iure eſt conſtitutum, l. Cùm hic ſtatus 32. D. De donat. inter virum & vxorem, & Cap. fin. eodem titulo.

Rationes huius Conſtitutionis ſunt, ne coniuges mutuo amore ſe bonis ſuis indiſcretè ſpoliarent: item ne per huiuſmodi donationes contingat remitti curam educandi proles, & ne cum coniugis melioris & facilioris damno, durior ac deterior diteſcat, vt indicatur l. 1. 2. & 3. D. eod titulo. Poteſt tamen donatarius ex coniugibus accipere, & retinere, quod datur, ſed non alienare, quia ſuſpenſa relinquitur donatio, nec dominium transfertur, vt Tract. 1. c. 10. dub. 4. notat Malderus ex Sanchez.

Contingit tamen certis modis eiuſmodi donationem confirmari. Vt in primis, ſi reuocata non fuerit ante mortem donantis, modò hæc præcedat mortem donatarij, vt conſtat ex citata l. Cùm hic ſtatus; quando tamen res aliquo modo fuerit tradita, vt docet Couar. ad Rubr. De teſtamentis p. 3. num. 3. & Gomez. tomo 2. Variar. Reſolut. cap. 42. n. 23. verſ. Aduertendum tamen.

Deinde confirmatur etiã iuramento, putà ſi coniux donans iuret ſe non reuocaturum donationem, vt ex infrà dicendis de iuramento magis conſtabit.

Notandum autem eſt, plures inſuper caſus iure exceptos eſſe, quibus donatio inter coniuges, ſtatim irreuocabiliter conualeſcit, de quibus licet videre Sylueſtrum V. Donatio 2. quæſt. 4. Nauar. cap. 17. n. 147. & Malderum ſuprà.

43 Dico Tertiò: Donatio patris in filium nondum emancipatum eſt quoque inualida, ita vt pro arbitrio patris poſſit reuocari. Patet ex l. Donationes 23. C. De donat. inter vir. & vxorem, l. 2. Cod. De inofficioſis donat. & l. Cùm de bonis Cod. De donationibus.

Ratio Conſtitutionis redditur: quia filius, quamdiu ſub patris eſt poteſtate, cenſetur vna perſona ciuiliter cum patre, atque ita videtur pater tunc ſibi donare potiùs, quàm à ſe alienare. Et hinc donationem matris in filium dicunt eſſe validam, quia non cenſetur ſic filius, vna perſona cum matre, quia ſub eius non eſt poteſtate, ſicuti ſub patris. Confirmatur tamen aliquando donatio à patre facta, ſcilicet morte patris, ſi is ante filium moriatur, & res tradita fuerit. Deinde etiam iuramento, vt communiter DD. tradunt, quemadmodum & donatio inter coniuges, vt dictum eſt.

Excipiuntur hîc etiam quidam caſus, quibus ab initio donatio patris in filium non emancipatum valida eſt: vt ſi bona donet mobilia filio proficiſcenti ad bellum, aut libros profitenti diſciplinam aliquam, aut ſi in remunerationem obſequiorum, & alijs nonnullis caſibus, de quibus licebit videre Sylueſtrum, Nauar. & Mald. locis ſup. citatis, Iul. Clar. §. Donatio quæſt. 8. & And. Fachinæum Controuerſ. iuris lib. 3. cap. 74. & ſeqq.

Dico Quartò: Quòd ad quantitatem, 44
quam donare quis poteſt, attinet, inprimis inualida eſt donatio, quâ quis inter viuos alicui donat omnia ſua bona, tam futura quàm præſentia. Ita cummuniter DD. & colligunt ex l. Stipulatio hoc modo 61. D. De verb. obligat. Vide Couar. lib. 3. Variarum reſolut. cap. 12. & Iul. Clarum §. Donatio quæſt. 19.

Ratio huius Conſtitutionis aſſignatur; quia per hanc donationem aufert ſibi quis poteſtatem liberam teſtandi, quod leges improbant, tamquam contra bonos mores, quos decet in Republ. benè inſtitutâ ſeruari.

Hinc alij colligunt, non eſſe inualidam donationem, quâ quis donat omnia ſua bona præſentia, quia ſic ſibi non adimat ſimpliciter teſtandi poteſtatem; eo quod alia acquirere poſſit bona, & de illis teſtari. Vide Couar. ſup. n. 4. & Iul. Clar. n. 2. Similiter inualidam non eſſe, ſi donator aliquid ſibi reſeruet, vel ſaltem vſumfructum: quia dum hunc reſeruat, cenſetur quoque ſuæ diſpoſitioni reſeruare fructus percipiendos: vnde de illis teſtari poterit. Clar. ibid. n. 8. Tertiò, non eſſe inualidam donationem, quando ſimpliciter dicitur, quòd donet omnia ſua bona, quia hoc tantùm de præſentibus bonis intelligitur. Quartò, neque inualidam eſſe donationem omnium bonorum præſentium & futurorum, quando ea fit mortis causâ, non donatione inter viuos: vt ſæpiùs inter coniuges fit, quando paciſcuntur, quod ſuperſtes habebit omnia; quia hæc donatio non tollit poteſtatem teſtandi: poteſt enim donator, eo non obſtante, inſtituere alium hæredem, qui tametſi teneatur donatario poſtea dare iuxta conuenta, tamen poteſt detrahere Falcidiam, vt Iureconſulti loquuntur, id eſt, quartam partem, eamque ſibi retinere, vt docet Iul. Clarus cit. q. 19. n. 7. & cum eo plures alij. Accedit, quòd gratuita donatio mortis causâ ſemper ſit reuocabilis, quamdiu vixerit donator: vnde etiam hoc nomine non adimit teſtandi facultatem.

Excipi autem ſolent à Concluſione duo 45
caſus. Prior eſt, quando generalis illa donatio fit Eccleſiæ, vel ad alias pias cauſas: quia Ius ciuile non videtur poſſe derogare ea ex parte Eccleſijs & pijs cauſis, neque etiam ſpirituali bono ipſius donantis, cùm hortetur nos Chriſtus, vt omnia noſtra demus pauperibus, & ipſum ſequamur. Ita docet Couar. De teſtamentis p. 2. n. 6. & 13. Iul. Clarus cit. §. Donatio quæſt. 20. & alij. Poſterior eſt, quando confirmata fuerit iuramento,

Digitized by Google

iuramento, etiamſi non ſit facta ad cauſas pias. Rationem reddunt DD. quia tametſi eiuſmodi generalis donatio cenſeatur ſimiliter contra bonos Reipub. mores, non tamen naturaliter bonis moribus aduerſatur, quia ſimpliciter peccaminoſa non eſt, neque culpam aliquam contra legem naturæ inuoluit: & propterea volunt ex iuramento accipere robur ſuũ, quod indicatur Cap. Quamuis De pactis in 6. quia Iuramento debetur iſta reuerentia. Vide Couar. loco cit. n. 14.

46 Dico Quintò: Poteſt quis validè donare vſque ad quantitatem quingentorum ſolidorum: ſed vltrà non valet quoad exceſſum donatio abſque inſinuatione, vt Iureconſulti loquuntur. Ita enim iure eſt ſtatutum, ſicuti expreſsè habetur l. penult. Cod. De donat. circa finem.

Dixi, Vltra non valet quo ad exceſſum: nam vſque ad illum terminum valet, quamuis non pro parte, qua excedit: non enim (vt inquit Imperator Nouell. Sacra forma 162.) quod rectè ſe habere poterat, propter quantitatis appendicem intercidere debet.

Ratio Conſtitutionis eſt, ne homines metu vel fraude, aut inconſultâ temeritate impulſi ſeſe donationibus exhaurirent: hoc enim eſt contra bonos mores meritò obſeruandos in Republica benè ordinata.

Inſinuatio, quam lex requirit, vt maior donatio ſit valida, debet fieri apud Iudicem loci per donatorem, aut procuratorem eius: non requiritur tamen, vt Iudex vllum ferat decretum, ſed ſufficit, quòd cognoſcat: Non enim eſt actio contentioſa, ſed requiſita in fauorem donatoris, aut in bonum Reipub. partim vt iniurijs & fraudibus obuietur; partim etiam, vt feruentior impetus nimiæ largitionis per moram frangatur. Erit autem Iudicis examinare, an donatio ſit libera, quis ſtatus donatoris, & quæ cauſa donandi; vt, ſi dolus vel iniuria interuenerit, aut egeſtas inde Donatori immineat, illa impediantur. Vide Gomeſ. Var. reſolut tomo 2. c. 4. n. 6.

47 Notat Iulius Clarus, q. 15. n. 1. Quingentos ſolidos conficere ſeptingenta ſcuta Hiſpanica, alij dicunt ſeptingenta quinquaginta. Porrò ſex ſolidi vnciam, & ſeptuaginta duo libram auri apud Romanos complebant.

Obſeruandum præterea, Donationes fore validas, quæ fiunt diuerſis vicibus & temporibus, etſi ſimul ſumptæ excederent ſummam quingentorum ſolidorum, vt conſtat ex l. Sancimus 34. Cod. De Donat. non tamen eſſe validas, quæ vno quaſi animi motu pluribus fiunt perſonis, etiamſi ſingulæ prædictam quantitatem non excedant, modò ſimul ſumptæ eam ſuperent; quia hæ donationes ſunt quaſi vna actio & vnus impetus exceſſiuus in largiendo.

Obſeruandum Tertiò, Inualidam quoque eſſe remiſſionem liquidi debiti, quatenus prædictam ſummam excedit: quia, vt dub. præced. num. 39. diximus, talis remiſſio eſt eiuſdem naturæ cum gratuitâ donatione; quamuis aliquantulum differat connotato. Vide Iul. Clarum q. 16. n. 2.

Neque ratificatur maior donatio, ſi donans inſinuationi renuntiauerit: tum quia renuntiatio iuris nihil valet contra diſpoſitionem legis ſolemnitatem aliquam inducentis: tum quia legis conſtitutio redderetur inutilis. Quando tamen maior donatio facta eſt Eccleſiæ, vel ad pias cauſas, in vtroque foro valida eſt, vt docet Syluest. V. Donatio 1. §. 4. Nec mirum quandoquidem etiam donatio omnium bonorum tam præſentium quam futurorũ facta Eccleſiæ aut pijs cauſis ſit valida, vt ex Couar. & alijs diximus circa præcedentem aſſertionem, etiam abſque inſinuatione, vt tradit Clarus quæſt. 17. & plerique alij. 48

Similiter erit valida, ſi iuramento confirmetur, non minùs, quàm generalis donatio omnium bonorum, tam futurorum quam præſentium: quia licet vterque actus cenſeatur contra bonos mores ciuiliter, tamen neuter in ſe illicitus eſt, aut cõtra naturalem legem. Vide And. Fachin. lib. 3. cap. 83.

Validæ quoque ſunt donationes antidorales, quæ remunerationis cauſâ fiunt, Turr. diſp. 73. dub. 4. & alij multi, quos refert & ſequitur Molina diſp. 279. nam remunerationes ſecundum leges non cenſentur donationes, quatenus limites remunerationis reſpectu beneficiorum vel obſequiorum acceptorum non excedunt, vt præcedenti dub. indicauimus: & hoc ipſum etiam obſeruandum circa præcedentes aſſertiones. Ita quoq; donationes excedentes quingentos ſolidos validæ ſunt, quæ fiunt pro redemptione captiuorum l. penul. C. De donationibus: quæ lex proinde fauet quoque donationibus quæ fiunt ad alias pias cauſas. Itẽ donatio in principem, vel à principe collata: l. in Donationibus, C. de Donationib. & l. Sancimus §. Exceptis C. de Donationib. Itẽ donatio propter nuptias, vt docet Pet. Gudel. lib. 2. De iure nouiſſ. cap. 3. ex Nouell. vt ſponſalitia largitas 119. in princip. & Nouell. Vt fratrum filij 127. §. Illud quoque: & latius lib. 1. c. 8. Sunt & aliæ quædam exceptiones, quas refert Mald. Tract. 1. cap. 10. dub. 5. 49

DVBIVM X.

An donatio conditionalis aliquid operetur.

Respondeo & Dico Primò: Conditio de præſenti aut de præterito addita dona- 50

dona-

donationi, vel etiã promiſſioni, aut alteri diſpoſitioni, non ſuſpendit illam: ſed ſi conditio exiſtat, aut ſubfuerit, valet ſtatim diſpoſitio; ſin minus, non valet, tametſi ignoretur. Vt v. g. ſi quis dicat, Do tibi hunc equum, ſi ſis meus cognatus, aut ſi viſitaueris aliquando limina Apoſtolorum; ſi verè hic ſit cognatus, aut limina Apoſtolorum viſitauerit, ſtatim donatio eſt valida: ſi autem non ita ſe res habeat, abſolutè erit nulla. Idem dicendum eſt, ſi appoſita ſit conditio de futuro, quæ omninò infallibiliter & neceſſariò eſt euentura: vt ſi dicat quis, Do tibi hunc librum, ſi aliquando es moriturus, mox donatio eſt valida. Vide l. Cùm ad præſens 37. D. Si certum petetur, & l. Conditio in præteritum 100. D. De verb. obligationibus.

51 DICO Secundò: Conditio de futuro incerto ſuſpendit donationem, & alias diſpoſitiones, vſque ad euentum conditionis: quæ ſi ſuo tempore impleta fuerit, donatio ſub illa conditione facta, conualeſcit: ſi verò impleta non fuerit, aut non euenerit, tum donatio vel alia diſpoſitio in nihilum recidit. Vt ſi dicat quis, Do tibi centum aureos, ſi intra annum ordinatus fueris Sacerdos; ſi ad annum abſtinueris à frequentatione huius malæ ſocietatis; ſi non fuerit factus Sacerdos, aut ſi malam ſocietatem frequentauerit, donatio erit nulla.

Obſeruandum eſt autem, interea temporis, dum conditio futuri euentus pendet, donatorem manere obligatum, vt non poſſit donationem ſuam reuocare: neque aliquod nouum onus adijcere.

52 DICO Tertiò: Conditio impoſſibilis (qualis etiam habetur conditio turpis de futuro) non ſuſpendit, ſed irritam reddit donationem, & quemuis alium contractum, ita vt non ſequatur obligatio. Excipiuntur tamen diſpoſitiones vltimæ voluntatis & contractus matrimonij.

Patet Concluſio ex l. Impoſſibilis 7. D. De verborum obligationibus, & l. Non ſolum 31. D. De obligationibus & actionibus; vbi etiam hæc ratio indicatur, quia ſcilicet omnium ea eſt cogitatio, vt nihil agi exiſtiment, appoſitâ eâ conditione, quam ſciant eſſe impoſſibilem.

De conditione etiam turpi, quæ iure impoſſibilis dicitur, conſtat ex l. Nominatim 34. D. De conditionibus & demonſtrat. quia ad turpitudinem non poteſt eſſe obligatio.

Dixi, excipi diſpoſitiones vltimæ voluntatis, quæ ſunt inſtitutio hæredis, fideicommiſſum, legatum &c. quia conditio impoſſibilis, aut turpis huiuſmodi diſpoſitionibus appoſita, non facit eas irritas, ſed in fauorem vltimæ voluntatis habetur pro non adiecta, vt patet ex l. 1. 4. 6. 8. 9. D. De conditionibus inſtitutionum; & §. Impoſſibilis Inſtitut. De hæredibus inſtituendis.

Propter eandem cauſam dixi, Excipi quoque contractum matrimonij, vt latius oſtenditur in 3. parte Tractatu De matrimonio.

Quæritur hìc: Si quis legaſſet Petro ducentos florenos, ſi vxorem duxerit, &, ſi fuerit ingreſſus Religionem, centum, an debebuntur illi nihilominus ducenti ſi Religionem ingrediatur, & non ducat vxorem? 53

RESPONDEO Primò: Si legentur Petro ducenti, ſi vxorem ducat, nullâ factâ mentione ingreſſus Religionis, debebuntur ei ducenti, quamuis non nubat, ſed Religionem amplectatur. Ita tenent communiter omnes DD. & colligitur ex Authentica de Sanctiſſimis Epiſcopis, Authentica Niſi rogati Cod. ad Senatuſconſultum Trebellianum. Ratio eſt, quia idem eſt fauor matrimonij ſpiritualis, qui carnalis: vnde meritò putatur teſtator nõ cogitaſſe de Religione, ac proinde non voluiſſe excludere caſum, quo amplecteretur ſtatum perfectiorem. Imò ſi voluiſſet per hanc conditionem, Si vxorem ducat, excludere ſtatum ligionis aut ab eo retrahere, haberetur pro conditione turpi, & proinde pro nõ adiecta.

Reſpondetur Secundò: Ad caſum ſicut proponitur, quod attinet, multi DD. volunt nihilominus Petro deberi ducentos, quamuis Religionem ingrediatur, eò quòd conditio hæc, Si vxorem ducat, quatenus à Religione videtur retrahere, ſit habenda pro non adiecta. Ita Bart. & Socinas l. 2. D. De his quæ pænæ causâ n. 1. Aretin. in Cap. In præſentia, n. 72. Angel. V. Hæres n. 21. Syluest. V. Legatum 1. q. 9. & plures alij.

Sed videtur verior & magis fundata opinio Couarruuiæ lib. 1. Variar. reſolut. cap. 19. & aliorum, quos ibidem citat, in illo caſu quo tunc Religionem ingrediatur, deberi Petro centum tantùm: quam ſequitur etiam Sanchez lib. 1. De matrimonio Diſput. 34. n. 13. Lopez 2. p. Inſtruct. De matrimonio. Molina Tomo 1. De Iuſtit. tractatu 2. diſp. 207. Malderus ſuprà dub. 8.

Ratio reddi poteſt: quia non apparet fundamentum præſumendi, quòd conditio illa ſit adiecta, ſiue quòd diſpoſitio ita facta ſit, vt retrahatur Petrus à Religione, quod impium foret: Sed ſatis occurrunt aliæ iuſtæ cauſæ & honeſtæ conſiderationes, quæ potuerint animum teſtatoris ad ſic diſponendum mouiſſe, vt quia paucioribus indigent qui Religionis ſtatum amplectuntur, quàm qui ad nuptias ſæculares tranſeunt, & onera matrimonij debent ſuſtinere. Rurſum, quia maiorem partem bonorum volunt poſteris & familiæ relinquere, vt habet Sanchez loco citato.

Digitized by Google

Accedit, non eſſe veriſimile, quod quis ab ingreſſu religionis arcebitur ſiue retrahetur, eo quod maius legatum non aſſequuturus ſit, cum ad id ingrediatur vt ſeculo, & bonis temporalibus per tria vota renuntiet, vt notat Sanchez Diſp. cit. n. 11. Suggerunt autem aliqui, quod tum diſponens citra controuerſias opinionum poterit in eiuſmodi caſu, aſſequi ſuum intentū, ſi ita formet diſpoſitionem, Lego Titiæ centum, & illi qui eam duxerit alia centum: ſed rurſum alij dicere poterunt, quod ob fauorem Religionis, debentur hæc alia centū monaſterio cui incorporatur Titia, & cū quo ſpirituales quaſi nuptias contrahit: atque ita cauillationum vix eſt finis, quando extra obuiam verborum ſignificationem, & communem eorundem ſenſum volumus diuagari.

DVBIVM XI.

An donatio in certum vſum aut finem facta ſit valida, ſi finis ille non exhibeatur?

54 RESPONDEO & DICO Primò: Si donans intendat donatarium ad talem vſum aut finem obligare, donatio erit nulla; fine illo non ſubſecuto, ſi fuerit hic principalis cauſa & reſpectus donationis: ſi verò tantùm fuerit cauſa ſecundariò intenta, non erit propter eius neglectum omninò irrita. Ita Medina Cod. De reſtitutione q. 24. & DD. alij communiter.

Prior pars patet ex multis legibus D. De condictione ob cauſam. Et ratio eſt, quia vis tota donationis ex voluntate & intentione donatoris pendet. Quando autem quis dat ad certum vſum, tanquam principalem cauſam, hoc ipſo voluntatem donandi limitat ad illum vſum, ita vt non cenſeatur velle rem eſſe alterius, ſi ad eum vſum non applicetur. Eſt enim in libera eius poteſtate ſic donationem limitare, quemadmodum eſt & donationem facere. Hinc ſi pater det filio pecunias ad libros emendos, & ille eas non in libros expendat, tenebitur ad reſtitutionem, niſi fortaſſis in res alias neceſſarias aut æquè vtiles expenderit, ita vt poſſit præſumi, quòd parens non fuiſſet excluſurus hunc vſum, ſi præuidiſſet occaſionem.

Probatur pars poſterior: quia tametſi ſecundarius finis non præſtetur, tamen finis principalis, ob quem donatio facta eſt, ſupponitur haberi, ac proinde cenſetur donantis intentio non aduerſari validitati illius donationis. Vnde non cenſetur conſequenter ipſa irrita, niſi tamen ex circumſtantijs euidentiùs conſtaret aliam fuiſſe donatoris mentem.

Hinc ſi quis donet Monaſterio centum aureos, ſub aliquo onere præſtando, dicunt DD. validam eſſe donationem, etiamſi onus non præſtetur. Colligitur ex Cap. Verum De conditionibus appoſitis: & Ratio redditur: quia præſtatio illius oneris hic non cenſetur finis principalis donationis, neque donatio eſſe limitata ad illud onus, ſed ſalus animæ, ob quam videtur donaſſe abſolutè, quamuis cum aliquo onere. Poterit verò Monaſterium compelli, vt oneri ſatisfaciat: quod ſi non velit, poterit per ſententiam Iudicis donatione priuari. Quod tamen intellige, ſi modò impletio oneris in Monaſterij ſit poteſtate.

DICO Secundò: Quando quis donat cum reſpectu ad certum finem quidem, ita 55 tamen, vt non intendat ad illum obligare donatarium, ſed tantùm inducere, aut ipſi media præbere ad finem illum conſequendum, non erit irrita donatio, tametſi finis intentus non ſubſequatur: vt v. g. legauit Petrus nepti ſuæ centum aureos ad nubendum, neque aliud expreſſit: contingit autem illam mori ante nuptias, erit ipſius legatum, neque eſt reſtituendum, ſed tranſit ad hæredes puellæ. Similiter ſi quis alteri donet quippiam ad alliciendum eius animum, vt ſibi beneficium vel officium conferat, valida eſt donatio, quamuis non obtineatur effectus, qui ſperabatur: quia non eſt conditionata, ſed abſoluta, non animo alterum obligandi facta, ſed prouocandi ad liberum conſenſum & collationem.

DVBIVM XII.

Quibus modis donatio legitimè facta poſſit reuocari.

NOtandum eſt, à Iureconſultis diſtingui duplicem donationem: Vnam vocant donationem inter viuos, & alteram donationem mortis causâ. Inter viuos, 56 tunc eſt, quando rem, quam dono, malim illum habere; cui dono, quàm me: id eſt, dum ſic dono, vt etiam me viuo velim rem eſſe abſolutè alterius. Mortis causâ autem dicitur eſſe, quando rem, quam dono malo me habere, quàm illum, cui dono, ſed magis illum, quàm hæredem meum: id eſt, quando ſic dono, vt non velim abſolutè & irreuocabiliter eſſe alterius, niſi poſt mortem meam: vt quando quis dicit, Dono tibi hanc domū poſt mortem, vel, quando moriar. Cenſetur quoque talis donatio, ſi quis dicat, Do tibi hanc

Digitized by Google

hanc rem, quia mors mihi imminet, aut quia in periculo mortis verſor. Vide Syluest. V. Donatio 1. n. 1. & ſeqq. His præmiſſis

57 Respondeo & Dico Primò: Donatio, etiam inter viuos, tametſi acceptata ſit, & res tradita, poteſt reuocari ob natā poſtea prolem. Patet ex l. Si vnquam 8. C. De reuocandis donationibus. Et quidē ſi donatio facta fuerit extraneo, totaliter reuocari poteſt: ſi autem facta ſit filio priùs nato, vel alicui aſcendentium, vt patri vel auo, reuocatur vſque ad legitimam portionem competentem proli poſtea ſuſceptæ, Gomez tomo 2. Var. reſol. cap. 4. n. 11. Quod idem tradunt DD. habere locum, ſi donatio facta fuerit Eccleſiæ, vel ad pias cauſas, quia hæc non minorem merentur fauorem, quàm cauſa filij, patris vel aui. Vide Syluestrum ſuprà n. 22. Couar. lib. 1. Var. reſol. c. 19. n. 5. verſ. Quæſtioni, & Iul. Clarum §. Donatio quæſt. 23. num. 2.

Interdum tamen expedit ad ædificationem populi, vt id, quod Eccleſiæ, aut Monaſterio datum eſt ante natas proles, poſteà totum reſtituatur, ſicuti fecit Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, quem eo nomine commendat D. Auguſt. Sermone 52. ad Fratres in Eremo.

Notandum autem hîc Primò, Eiuſmodi donatarium non obligari ad reſtitutionem, donec res donata repetatur: quamdiu enim non repetitur, poteſt præſumere donatorem non velle reſtitutionem ſibi fieri, ſed iuri ſuo cedere, vt tradunt Doctores communiter.

Notandum Secundò, Donatorem, ſi quando donabat, in particulari & expreſsè renuntiauerit priuilegio cit. l. Si vnquam, non poſſe tunc in vita donationē reuocare. Poterunt tamen proles poſt eius obitum reuocare, quatenus fuit eis inofficioſa, vt Iureconſulti loquuntur, id eſt, quatenus legitimam eorum læſit. Vide Iul. Clarum cit. §. Donatio quæſt. 22. n. 4.

58 Dico Secundò: Poteſt etiam reuocari propter ingratitudinem donatarij; v. g. ſi iniurias atroces in donatorem effuderit, ſi improbas intulerit manus, ſi iacturam non leuem bonis donatoris attulerit, ſi vitæ eius fuerit inſidiatus, ſi conditionem donationi appoſitam non impleuerit. Conſtant hæc ex l. vlt. Cod. De reuocandis donationibus.

Quibus additur cōmuniter hîc ſextus caſus, ſi donatorem inopiâ preſſum nō ſuſtentauerit: quod rectè monet Syluest. V. Donatio 1. n. 17. eſſe obſeruandum pro ſimplicioribus parentibus, qui aliquando omnia donant prolibus, & poſtea ab ijs negliguntur.

Obſeruandum verò hîc eſt, huiuſmodi donatarium ingratum non obligari ad reſtitutionem ante ſententiam, quia eſt pœna: vnde debet etiam interponi querela, & ingratitudo probari, vt colligitur ex lege iam citata. Si tamen res non eſſet tradita, poterit donator tunc apponere exceptionē ex cauſa ingratitudinis contra petitionem donatarij.

Obſeruandum præterea, Si ob dictam ingratitudinem donator in vita ſua non reuocet donationem, tum hęredes eius poſt mortem, id quoque non poſſe, vt habetur cit. l. Fin. C. De reuocand. donationibus: niſi tamen donator in vita fuiſſet ignarus ingratitudinis contra ſe admiſſæ. Vide Syluest. ſuprà n. 18.

Dico Tertiò: Poteſt quoque donatio inter viuos reuocari, quando eſt inofficioſa, 59
id eſt, quando facta eſt contra officium pietatis paternæ in proles, vt quando tantum donat, vt proles priuentur ſuâ portione legitimâ, Patet ex l. 1. & aliquot ſeqq. C. De inofficioſa donatione. Quòd ſi hæc donatio facta ſit vni ex filijs, reuocatur tantùm ad legitimam aliorum, iuxta l. 5. & 8. loco iam cit. Idem dicunt DD. locum habere, quando donatio facta eſt Eccleſiæ vel ad pias cauſas. Vide Nauar. c. 26. n. 39. & Iul. Clar. d. §. Donatio quæſt. 24. Quando autem facta eſt extraneo, prȩſertim ſi animo liberos defraudandi, in totum reuocatur.

Dico Quartò: Donatio mortis causâ 60
multò magis reuocabilis eſt. Atque inprimis, ſi donator intuitu periculi mortis, in quo verſabatur, dònationē fecerit, hoc ipſo, quo periculum euaſit, cenſetur ipſa iam tacitè reuocata, vt conſtat ex l. 3. & ſeqq. D. De mortis cauſa donationibus. Deinde ſi donatarius moriatur ante donationem, ipſo facto eſt reuocata. Tertiò reuocari poteſt ſolâ pœnitudine donatoris: quemadmodū enim teſtamentum & legatum vſque ad mortem teſtatoris pro arbitrio eius reuocabilia ſunt, ita etiam donatio, quæ mortis cauſa fit; ita vt etiam reuocatio hic ſufficiat, vt ſi eandem rem poſtea alteri donauerit. Vide l. Qui mortis cauſa 30. D. De mortis cauſa donationibus, & Gomez d. c. 4. n. 19. Quòd ſi tamen donator, quando donationem mortis cauſa facit, promittat ſe eam non reuocaturum, tunc tranſit quaſi in naturam donationis inter viuos, de quo videre licet Couar. De teſtamentis p. 2. n. 37. & ſeqq.

CAPVT TERTIVM.

De vltimis voluntatibus.

Digitized by Google

DVBIVM PRIMVM.

Quid vltima voluntas, & quotuplex?

1 RESPONDEO & DICO Primò: Prout de vltima voluntate iura loquuntur, rectè deſcribitur, eſſe voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult. Accommodantur quidem teſtamento prędicta verba per modum cuiuſdam deſcriptionis l. 1. D. Qui teſtamentum facere poſſunt: ſed generaliter & ſine limitatione intellecta conueniunt omni voluntati vltimæ, vt ex dicendis mox patebit.

2 DICO Secundò: Vltimę voluntatis communiter recenſentur hę quaſi ſpecies, ſcilicet Teſtamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommiſſum, & Donatio mortis cauſa: quia hæ diſpoſitiones important voluntatis noſtræ ſententiam de eo, quod poſt mortem noſtram fieri deſideramus.

Teſtamentum autem propriè eſt illa ſententia voluntatis noſtræ, quâ hæres directè inſtituitur ex propriâ talis diſpoſitionis naturâ, non ex priuilegio aliquo ſpeciali. Adeò enim teſtamentū requirit hæredis inſtitutionem, vt abſque eâ, teſtamenti ratio in proprietate non conſtet, vt patet ex §. Ante hæredis inſtitutionem 34. Inſtit. De legatis.

Codicillus eſt quædam vltimæ voluntatis diſpoſitio, quâ circa teſtamentum aliquid explicatur, additur, vel demitur, aut aliter immutatur, abſque hæredis aliqua inſtitutione. Sumitur ex §. Codicill. Inſt. De codicill.

Quod verò ad ſolemnitatem in vtriſq; requiſitam attinet, differunt in eo, quòd iure ciuili ad teſtamentariam diſpoſitionem requirantur ſeptem teſtes, maſculi, puberes, & ad id rogati, ad codicillarem autem, quinque tantùm, inter quos poſſunt etiam eſſe mulieres, nec debētad id fuiſſe rogati, l. Fin. C. De codicil. Vide Syluest. V. Teſtamentum 1. n. 2. Per legatum quoque vel donationem mortis causâ nō inſtituitur aliquis hæres, ſed hæres grauatur ad rem legatam, aut donatā præſtandam legatario vel donatario. Fideicommiſſum differt etiam à teſtamento in eo, quòd per hoc non directè, ſed quodammodò indirectè hæres aliquis inſtituatur.

Additur in definitione teſtamenti, Quâ hæres inſtituitur ex propria illius diſpoſitionis natura &c. vt excludatur codicillus militis, quo ex particulari priuilegio poteſt etiā directè hæres inſtitui, vt patet ex l. Milit. 36. D. De teſtam. milit. Vide Iul. Clar. §. De teſtam. q. 15. vbi extendit idem priuilegium ad illos qui in terra hoſtili reperiuntur, aut in caſtris verſantur, etſi non pugnent.

Ex dictis poteſt intelligi, quid operetur 3
clauſula illa communiter in teſtamentis addi ſolita, quâ teſtator declarat ſe velle diſpoſitionem ſuam valere, ſiue per modum teſtamenti, ſiue per modum codicilli, aut generatim meliori modo, quo poteſt: præſtat enim, vt, tametſi ob defectum aliquem iure requiſitum non valeret eiuſmodi diſpoſitio, in ratione teſtamenti, quâ teſtamentū eſt, id eſt, quoad directam hæredis inſtitutionem, valeret nihilominus in ratione codicilli. Vnde fit, quòd legata tali diſpoſitione relicta eſſent ſoluenda. Deinde ſi inſtitutus eſſet hæres extraneus, inſtitutio illa ſortiretur vim ſubſtitutionis commiſſarię, ita vt frater vel alius qui ab inteſtato ſuccedit, deberet huic tradere hæreditatē, exceptâ quartâ parte, quam Iureconſulti vocant trebellianicam: ſi autem teſtator habeat proles quę ſuccedant, illę haberent dumtaxat quoque ſuam legitimam.

DVBIVM II.

An omnes poßint teſtari?

RESPONDETVR, Non omnes poſſe teſtamentū condere, ſed eos dumtaxat, 4
qui ſufficienti rationis vſu ſunt inſtructi & iuris diſpoſitione non prohibentur. Ita DD. communiter, Quare inprimis non poſſunt teſtari amentes & furioſi, quia neq; rationis, neque voluntatis ſuæ habent vſum: ſi tamen lucida aliquando habeant interualla, poterunt in illis teſtamentum facere. Patet ex §. Si furioſi Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum, l. 2. D. De teſtam. & l. Furioſum Cod. Qui teſtam. facere poſſunt.

Si dubium ſit, vtrum in amente, qui lucida habet interualla, fuerit ſufficiens vſus rationis ad teſtandum, tunc recurrendum eſt ad teſtes, & examinandę aliæ circumſtantię: quia nulla melior regula ad hoc dignoſcendum poteſt aſſignari: quod ſi tali modo non poſſit ſatis dignoſci, docet Tuſcus tom. 8. Concluſ. 104, & Molina Diſp. 136. citati apud Bonac. De contract. Diſput. 3. q. 17. puncto 2. num. 2. tunc præſumendum eſſe, quod non habuerit, quia de amentia conſtat, & non de melioris mentis reditu. Bonacina autem cenſet iudicium ferendum eſſe ex forma diſpoſitionis teſtamenti, nam ſi hæc prudenter facta fuerit, teſtamentum præſumitur factum tempore ſanæ mentis: & ſi quis contendat factum tempore amentiæ, incumbet illi onus probandi: quia conſtat de actu prudenter exercito, & conſequenter teſtamentum quaſi poſſidet. In dubio autem fauendum eſt poſſidenti. Et meritò ſanè inter alias circumſtantias caſus propoſiti, debet multum attendi ad formam ipſam diſpoſitionis, cuius examen alij non excludunt.

Deinde

Digitized by Google

5 Deinde neque impuberes, ne quidē licet malitia poſſet dici ſupplere ætatem, niſi ex Principis diſpenſatione, vt conſtat ex l. 5. D. Qui teſtam. fac. poſſunt: imò ne quidem aliàs poſſunt ad pias cauſas, vt tradit Iul. Clarus §. Teſtam. q. 5. n. 3. vbi dicit hanc eſſe communem ſententiam, & citat multos. Sed ne quidem poterit etiam ſi miles ſit l. vlt. C. De teſtam. milit. Sufficit tamen vltimum diem anni eſſe inchoatum, vt quod maſculus ſit in vltimo die anni 14. & femella in vltimo die anni 12. vt patet l. A qua ætate D. Qui teſt. fac. & l. Frater C. De teſtam. quia in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo.

Tertiò, Non poteſt teſtari filiusfamilias, etiamſi pubes ſit. Poterit tamen tunc de bonis teſtari caſtrenſibus aut quaſi caſtrenſibus: non autem de aduentitijs (niſi Clericus ſit) ne quidem de patris cōſenſu, niſi ad cauſas pias, vt docet Clarus q. cit. n. 7. Vide l. Nemo Cod. Qui teſtamenta fac. poſſ. & l. Qui in poteſtate D. eod. titulo. Licebit quoque videre dicta ſuprà Tract. 1. cap. 3. dub. 6. Dixi niſi filiusfamilias Clericus ſit, quia Clericus non tantùm de propriè caſtrenſibus aut quaſi, ſed etiam de aduentitijs teſtari poteſt, quia aduentitia reſpectu clerici reputantur quaſi caſtrenſia, vt docet §. Teſt. q. 27. Molfeſius in Summa p. 2. tract. 13. c. 2. n. 104. & cum illis Bonacin. ſuprà, & De reſtit. Diſp. 2. quæſt. 10. puncto 1.

6 Quartò, Teſtari non poteſt, qui à natiuitate perfectè mutus eſt & ſurdus. Patet Inſtit. ſup. §. Item ſurdus, & ex l. Diſcretis Cod. Qui teſtamenta fac. poſſ. Ad pias tamen cauſas poterit, vt docent Cardin. Tuſcus loco cit. Concluſ. 120. n. 13. Molfeſius n. 86. Molina, Mald. Tract. 1. cap. 11. dub. 2. & alij: quia in diſpoſitione ad cauſas pias non eſt neceſſaria ſolemnitas Iuris ciuilis. Si autem vel mutus tantùm, vel ſurdus tantùm fuerit, ſemper poteſt teſtari, vt ex citatis iuribus conſtat.

Quintò, Non poteſt teſtari prodigus, cui adminiſtratio bonorum eſt interdicta, nequidem ad cauſas pias. Ita Iul. Clarus ſup. q. 5. Tuſcus Concl. 104. n. 15. Bald. in l. 1. C. De Sacroſ. Eccleſ. & Malderus ſup. cum communi. Valet tamen teſtamentū, ſi quod fortè fecerit priùs, vt colligitur ex Inſtit. tit. cit.

Sextò, Non poteſt teſtamentum condere ſeruus: imò ſi quis putans ſe ſeruum, cōderet teſtamentum, eſſet inualidum etiamſi verè foret factus liber. Vnde nec conualeſcit teſtamentum à ſeruo conditum, licet poſteà manumittatur, patet l. Qui teſtamento D. Qui teſtam. fac. poſſ. ſecus, ſi iam manumiſſus teſtamentum faciat.

7 Septimò, Non poſſunt teſtari Religioſi, ne quidē Abbates, vel alij in Religione, niſi ex Summi Pontificis diſpenſatione, idque ad pias cauſas. Vide Couar. De teſtam. c. 2. n. 17. & 18. & Nauar. Comment. 2. De regularib. n. 58. Non ſolet tamen à Pontifice concedi eiuſmodi venia, niſi aliquando aliquibus, qui habent beneficiū aliquod regularę vel ſæculare, & extra monaſterium degere ſolent: non item alijs, qui in cōmunitate viuunt. Per Religioſos autē hîc tantùm intelligimus profeſſos, nō nouitios: hi enim teſtari poſſunt, vt patet ex Auth. Nunc autem C. De Epiſc. & Clericis, & ex Cap. Si qua mulier 9. x1x. q. 3.

Octauò, Non poſſunt ſecundùm ius commune validè teſtari beneficiati de fructibus beneficiorum ſuorum, qui non tranſeunt in qualitatem quaſi bonorum patrimonialium, ſed manent omninò & merè Eccleſiaſtici. Cōſtat ex pluribus Capitulis, vt ex Can. Epiſcopi 19. x11. q. 1. Cap. Relatū 2. De teſtam. & ex alijs multis. Quando autem ex conſuetudine, vel Pontificia diſpenſatione obtinuerint, quod teſtentur, non licebit tamen illis niſi ad cauſas pias de huiuſmodi fructibus teſtari. Vide Nauar. De reditibus Eccleſiaſt. q. 3. monito 1. Nihilominus ſi ad alios vſus de his diſponant, teſtamentum erit validum, quãuis in quantitate notabili ſic diſponendo mortaliter peccent. Quod validè diſponant, colligitur inde, quia ſunt quoque iſtorum fructuum domini, & per nulla iura, tunc ſunt inhabiles ad diſponendum de illis, quia vel conſuetudine, vel ex diſpenſatione Pontificis obtinuerunt poteſtatem, vt ſupponitur. Quod tamen mortaliter peccent, inde fit, quia ſaltem prohibiti ſunt aliter quàm ad pias cauſas de iſtis diſponere. Vide dicta ſup. Tract. 1. c. 3. dub. 8.

Nonò, De iure communi, non poſſunt te- 8
ſtari damnati ad mortem naturalem, aut ciuilem, vt patet ex l. Eius qui, D. Qui teſtam. fac. poſſ. Conſuetudo tamen paſſim eſt in contrarium, vt ex Iul. Cl. refert Mald. ſup. dub. 3. vbique enim eam dicit ferè obtinere, vt, quando damnati bona non publicantur, condere poſſit ipſe teſtamentū, aut, ſi quod priùs condiderit, maneat illud in ſuo robore, & ſi non condiderit, vel non condat, hæredes ab inteſtato ſuccedant.

Decimò, Teſtari nō poſſunt illi, qui com- 9
miſerunt crimen, habens de iure pœnam annexã, quâ de facto reddantur inhabiles. Tales ſunt publici vſurarij, niſi vſuras reſtituant aut de illis reſtituendis dent cautionē. Patet ex Cap. Quamquã §. vlt. De vſuris in 6. Item hæretici, vt patet ex l. Manichæos C. De hæreticis, & Cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, quod deſumptū eſt ex magno Conc. Lateranēſi. Præterea inteſtabilis eſt reus criminis læſæ maieſtatis, quamuis non niſi poſt ſententiam, ſaltem declaratiuam, l. Quiſquis C. Ad Leg. Iuliam maieſtatis. Denique teſtari non poteſt qui infamis eſt propter libellum famoſum à ſe editum, vt habetur l. Is cui D. Qui teſtamenta fac. poſſunt.

DVBIVM III.

Vtrum, & quouſq; valeant teſtamenta ſolemnitatibus de iure ciuili requiſitis deſtituta?

10 Secundum Iuris ciuilis diſpoſitionem debent in teſtamento adhiberi ſeptem teſtes qualificati, vt diximus Dub. 1. & Notarius, vel octauus teſtis eius loco, qui & ſubſcribant, & alia quædam ſolemnia obſeruent, vt habetur l. Hac conſultiſſima Cod. De teſtamentis, & alibi. Ex priuilegio tamen ac diſpoſitione eiuſdem iuris ab illis penè omnibus liberatur teſtamentum militare Inſtit. De militari teſtamento §. 1. & l. 1. eodem tit. tum in D. tum in Cod. Item probatur eodem iure ciuili teſtamentum inter liberos, cum duobus teſtibus, ſiue maſculis, ſiue fæminis, l. cit. Hac conſultiſſima. Rurſus eodem iure admittitur teſtamentum ruri degentium factum præſentibus quinque teſtibus, etiamſi non ſubſcribant, l. Finali Cod. De teſtamentis. Liberatur etiam à ſolemnitate teſtium teſtamentum conditum coram Principe, l. Omnium Cod. De teſtamentis.

11 Quæritur itaque hîc nunc, An teſtamenta aliter facta quàm ius ciuile diſponit aut permittit, ſint valida, & in quantum?

Respondeo & Dico Primò: Teſtamentum ad pias cauſas, tametſi ſolemnitatibus iuris deſtitutum ſit, valet tamen etiam in foro externo, modò adhibiti ſint duo teſtes, qui ad probationem quaſi iure gentiũ requiruntur. Ita Couar. cap. 11. De teſtamentis n. 9. Iul. Clarus §. Teſtamentum q. 6. n. 1. Mald. ſuprà dub. 6. qui dicit hanc eſſe communem ſententiam: & manifeſtè colligitur ex Cap. Relatum 1. De teſtamentis, vbi Alexander III. mandat, quatenus iudex cauſas, in quibus agitur de ijs quæ Eccleſiæ relicta ſunt, tractet non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones, duobus vel tribus dumtaxat teſtibus legitimis requiſitis. Idque non tantùm in Eccleſiaſtico, ſed etiam in ciuili foro ſeruandum eſſe tradit Iul. Clarus ſup. cum alijs pluribus: quatenus enim leges ciuiles impediunt ſtudium & curſum piorum operum ad bonum & ſalutem animæ pertinentium, & ſimul ad Eccleſiæ profectum, potuit Pontifex ea ex parte illis derogare. Imò & pia legata ſunt adiudicanda, quamuis teſtamentum eſſet ad cauſas profanas, & in foro externo iudicaretur nullum, quâ ratione teſtamentum eſt & hæres inſtituitur. Ita Couar. ſup. n. 4. & ratio eſt: quia Cap. Relatum loquitur generaliter de omnibus relictis Eccleſiæ. E contra quoque ſoluenda ſunt legata profana, poſita in teſtamento ad pias cauſas minùs ſolemni, vt communiter tradunt DD. teſte Claro ſup. quæſt. 6. n. 9. quia quod ſufficit ad hæredis inſtitutionem, debet ſufficere quoque ad validanda legata illi appoſita; quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. Dicitur autem tunc teſtamentum factum ad piam cauſam, quando pia cauſa inſtituitur hæres, vt quando Eccleſia, Hoſpitale pauperum, Monaſterium &c. hæres inſtituitur.

Dico Secundò: Imò, vt teſtamentum ad pias cauſas validum ſit in foro conſcientiæ, nequidem requiruntur duo teſtes, neque alia ſolemnitas iuris, ſed ſufficit adhibita eſſe quę iure naturali ſatis ſunt ad dominij tranſlationem faciendam per voluntatem vltimam, videlicet quòd ſit poteſtas in diſponente, capacitas in eo, in cuius fauorem diſponitur, & ſufficiẽs libertas in diſpoſitione. Ita Iu. Clar. ſup. q. 7. Molina diſp. 134. & Bonac. De cõtract. diſp. 3. q. 1. pun. 3. n. 16. Syl. V. Legatum: q. 10. Graff. 1. p. lib. 4. c. 8. n. 20. Nauar. De teſtam. Conſil. 1. & plures alij. 12

Ratio reddi poteſt: quia in primis Ius ciuile huic teſtamento non poteſt dici reſiſtere, aut eius naturalem validitatem impedire, vt ex dictis modò conſtat: ius autem Canonicum requirit quidem duos teſtes, ſed non tanquam neceſſarios, prout apparet, vt diſpoſitio ſit valida naturaliter, & obliget in foro conſcientiæ, ſed vt probari poſſit in foro externo quantum ſatis eſt, vt Iudex poſſit pro ea ferre ſententiam, vt ex citato cap. Relatum facilè poteſt intelligi.

Dico Tertiò: Vt teſtamentum etiam ad cauſas non pias ſit validum, non tantùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo, in terris temporaliter ſubiectis Pontifici Romano, ſatis eſt, quòd factum ſit coram Parocho & duobus teſtibus, etiamſi deſtitutum ſit reliquis ſolemnitatibus, de iure ciuili requiſitis. Ita Couar. cap. 10. De teſtamentis n. 23. & alij plures, quos citat. 13

Probatur ex Cap. Cum eſſes: De teſtamentis vbi Alexander III. ſcribens Epiſcopo Oſtienſi (qui eſt in loco iuriſdictioni temporali Pontificis ſubiecto) reprehendit rigorem legum, & ſub anathematis interminatione prohibet reſcindi teſtamentũ, quod parochianus fecerit coram Parocho ſuo & duobus teſtibus. Per quam Conſtitutionem, etiamſi veriſimile non ſit Papam ſic vno verbo ſine maiori ſolemnitate, voluiſſe vniuerſaliter & vbique tam celebres leges, vt hac de re exſtant, multorum Imperatorum in materia ciuili abrogare, tamen plerique Interpretes intelligunt per eam abrogatas illas eſſe in terris Pontifici temporaliter ſubiectis, vbi non minus de ciuilibus, quàm de ſpiritualibus ſtatuere poteſt. Vide plura apud Couar. loco citato.

Et quidem de prædictis tribus punctis non magna eſt controuerſia: ſed grauis verſatus

Digitized by Google

ſatur inter DD. diſputatio de alijs teſtamentis ad cauſas non pias, deſtitutis ſolemnitatibus de iure ciuili requiſitis, extra terras temporali iuriſdictioni Pontificis ſubiectas, vtrùm ſint omnino inualida, an verò habeant naturalem validitatem, & in foro conſcientiæ ſint obſeruanda, quamuis in foro externo non dent actionem? Couarr. ad Reg. Peccatum p.2. §.3. num. 11. & magis ex profeſſo Cap. Cum eſſes 10. De teſtamentis n. 8. & 12. & aliquot ſequentibus, Gomezius in l. Tauri 3. n. 123. Suarez lib. 5. De leg. cap. 25. n. 22. Rodriquez in Summa tom. 1. cap. 220. n. 1. Menoch. De præſumptionibus lib. 1. Bonacina ſuprà quæſt. 1. p. 3. n. 5. & ſequentibus cum alijs quos citat; Docent eiuſmodi teſtamenta eſſe ſimpliciter inualida, neque parere obligationem aliquam naturalem iuſtitiæ: &

14 Probant: quia iura dicunt teſtamentum debitis ſolemnitatibus deſtitutum haberi pro infecto, pro irrito, pro nullo, vt patet ex l. Si quæramus. D. Qui teſtamenta facere poſſunt, l. Si vnus Cod. De teſtamentis & l. Hac conſultiſſima ſup. citatâ. Quæ Conſtitutiones videntur iuſtæ, & in ratione fundatæ: quia teſtandi actus eſt grauis, & mille obnoxius fraudibus, inquit Couar. Potuit igitur meritò Lex, quo tutiùs & fideliùs ageretur, eiuſmodi ſolemnitates ſtatuere ad totius Reipublicæ vtilitatem: & quidem eas ſic requirere, vt ſi deſint, actus ſimpliciter ſit nullus, & quaſi non factus: & per conſequens eiuſmodi teſtamentum à parte rei eſt planè inualidum, neque in conſcientia obligans, vel obſeruandum. Vnde infert Couar. ſuprà c. 10. n. 19. eum, qui poſſidet bona teſtatoris ex titulo minùs ſolemnis voluntatis, teneri etiam in diuino animæ iudicio legitimis inteſtati hæredibus illa reſtituere, quamtumuis non dubitet, inquit, de liberâ & ſpontaneâ teſtantis voluntate.

15 Alij è contrà docent, teſtamentum tale naturaliter eſſe validum, & in foro conſcientiæ omninò obſeruandum, modò ſufficienter, quocumque modo de teſtatoris voluntate conſtet. Ita Adrian. Quodlibeto 6. art. 1. Illat. 7. Angelus V. Hæres n. 5. Tabienna ibidem n. 4. Syluester V. Hæreditas 3. q. 7. & V. Teſtamentum 1. q. 5. Ioannes Medina Cod. De reſtitut.. q. 23. in fine, Lopez 2. parte cap. 14. Molina Tom. 1. Diſput. 81. Mantica De coniecturis vltim. voluntatum: Reginald. lib. 25. nu. 105. Clauis Regia lib. 3. c. 7. Mald. ſup. Leſſ. lib. 2. c. 19. dub. 3. num. 21. cum multis alijs recentioribus: &

16 Probant varijs argumentis, quæ apud Malderum & alios citatos authores videre licebit. Vnum autem ex ſolidioribus eſſe videtur, quod deſumitur partim ex l. Finali Cod. De fideicommiſſis, partim ex l. Et ſi inutiliter Cod. eodem tit. Priori namque cogitur ad præſtandum legatum hæres, ex teſtamento ſolemnitatibus deſtituto, vel iurare eam non fuiſſe voluntatem defuncti: poſteriori autem ſancitur, non poſſe per te repeti fideicommiſſum relictum à defuncto inutiliter (id eſt in ſcriptura minus ſolemni) ſi tu ſciens voluntatem defuncti, cuius es hæres, illud præſtitiſti: Et Ratio additur: quia non ex ſola ſcriptura, ſed ex conſcientia relicti fideicommiſſi defuncti voluntati ſatisfactum eſſe videtur: Ex quibus euidenter, vt apparet, ſequitur ſolemnitatem teſtium de iure requiri tantùm per modum formæ probatoriæ in Iudicio, non vt ſubſtantialem ad validitatem actus in ſe. Imò Imperator in poſteriori ſupponit voluntatem defuncti, de qua per confeſſionem hæredis, cuius intereſt, conſtat, validam eſſe habendam etiam in foro externo, quia ſcilicet conſcientia propria hæredis probationē teſtium ſupplet.

Reſpondent itaque hi ad fundamenta Couaruuiæ & ad leges, quibus innititur potiſſimùm prior ſententia, quod leges illæ tantùm actionem denegent teſtamēto minus ſolemni, tanquam quod non ſatis legaliter in iudicio externo probet talem fuiſſe defuncti vltimam voluntatem, nôn autem illi adimant vim, quam ex ſua ratione alioquin habet ad transferendum verè dominium hæreditatis in illum, qui ibidem hæres inſtituitur. 17

Quamuis autem huiuſmodi interpretatio, ſpectatis nudis verbis iſtarum legum, videri poſſit durior, neque verbis tribuere, totum quod exigunt, cùm ſint abſolutiſſima, vt vrget etiam Soto. libro 4. de Iuſtitia & Iure q. 5. art. 2. tamen ſatis apparet probabilis partim ex alijs legibus iam citatis, quæ hunc ſenſum legiſlatoris videntur ſupponere; partim etiam, quia nihil eſt tam conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri, ratam haberi, vt dicitur Inſtit. De rerum diuiſione, §. Traditionem; quod vel maximè in voluntate vltimâ militat. Quare non videtur ſatis æquitati naturali congruum, quòd omiſſio iſtarum ſolemnitatum reddat hanc voluntatem illa inualidam, præſertim cùm penitus ſæpiùs contingere poſſit, vel ob ignorantam, vel ob impotentiā, vt quia conueniens numerus teſtium qualificatorum haberi non poſſit, vel ſimili de cauſa.

Vtraq; interim opinio probabilis eſt: tum ob fundamenta adducta, tū ob tantorū virorū authoritate, ſed poſterior magis cōmuniter videtur à DD. teneri. Verùm Soto loco iam cit. ſequitur opinionē quaſi mediā, vult enim teſtamentum minùs ſolemne quadam ratione validum eſſe, quadam autem ratione eſſe inualidum: hactenus enim valorem ei tribuit, quod hæres in eo inſtitutus poſſit tutâ conſcientiâ poſſidere hæreditatem, donec 18

Digitized by Google

hæres ab inteſtato eam repetierit, & ipſe ad reſtituendum fuerit condemnatus. Vnde quaſi debile quoddam dominium ex tali teſtamento dici poterit fuiſſe conſecutus. Eatenus verò inualidum, quòd hæres ab inteſtato ſimpliciter poſſit hæreditatem retinere, ſi eam poſſideat;& ſi hæres inſtitutus eam poſſideat, poſſit illam in iudicio repetere, & ſibi adiudicatam,tutâ conſcientia reſeruare. Quæ quidem ſententia, & ſi legibus nō adeò videatur conformis, tamen ſuâ habet probabilitatem ex eo, quòd extremæ vtrimq; opiniones ſint probabiles. Vnde in ordine ad praxim in foro conſcientiæ videtur ſatis opportuna,quatenus & permittit hæredi inſtituto poſſeſſionē hæreditatis, donec illi fuerit abiudicata: cui alioquin durum eſt abijcere bona ſibi relicta ex volūtate defuncti,de qua ſatis conſtat, quamuis ſolemnitates non ſint obſeruatæ, idque ante Iudicis ſententiam, vt vult Couar. Et è contrà dat hæredi ab inteſtato ſimilem facultatem retinendi quoque hæreditatem, ſi eam poſſideat; & in iudicio repetendi, ſi alter eam detineat, vtpote cui leges ſcriptæ plurimum videantur fauere.

19 Quæ autem hactenus diximus de teſtamento deſtituto ſolemnitatibus iure communi requiſitis, quoad valorem naturalem ſiue obligationem quam parit in conſcientia, eadem proportionabiliter locum habent in teſtamento deſtituto ſolemnitatibus, cōſuetudine, aut lege municipali inductis & requiſitis. Finaliter hic cum Pet. Gudelino lib. 2. De iure nouiſſ. cap. 5. obſeruandum, moribus noſtris, & omnium, inquit, ferè populorum hodie procul à iure ciuili Romano receſſum eſſe, ita vt ferè Parochi,Notarijve,& duorum,triumve teſtimonijs ſufficiat conſtare de vltima voluntate teſtatoris, vt etiam in foro externo det actionem, ſatis conformiter ad Ius Canonicum quod diximus obtinere locū in terris Pontifici in temporalibus ſubiectis. Debet tamen in his prouincijs inferioribus iuxta Edictum perpetuum Archiducum Alberti & Iſabellæ Principū Belgij de an.1611. art.12.conſtare per ſubſcriptionē teſtatoris,&duorū teſtium ad hoc vocatorū,ſi ſcribere nouerint de quo inquiret Notarius, Paſtor aut Vice-paſtor: quod ſi non nouerint ſcribere, debet illius fieri mentio,quod non nouerint,idq; totum vt ſubſiſtat teſtamentū. Notant autē aliqui, quod ſi appoſitū ſit ſignū eius qui nō nouit ſcribere, & additum ſit: Hoc eſt ſignum N. teſtis, vel teſtatoris, quamuis nō apponatur, quod non nouerit ſcribere, nihilominus teſtamentum ſubſiſtere & validum eſſe, & ita in Senatu Brabantiæ fuiſſe iudicatum. Si tamen in aliquibus locis harum Prouinciarum, vbi ſita ſunt bona liberæ diſpoſitionis, habeantur conſuetudines firmatas circa ſolemnitates teſtamentarias, oportebit & ſufficere illas obſeruare, vt in Edicto declaratur artic. 11. Deinde nec hæredis vllius inſtitutio moribus neceſſaria eſt, ait idem Gudel. vt habeatur teſtamentum: quod in multis legibus municipalibus ſcriptum dicit exſtare: atque ita teſtamenta vix differre à Codicillis. Vide plura de iſtis differentijs apud eundem Gudelinum loco citato.

DVBIVM IV.

An quilibet poſſit inſtitui hæres?

RESpondetur Negatiuè: quia inprimis quicumq; ob crimen aliquod non poteſt condere teſtamentum, is quoque ordinariè non poteſt hæres ab alio inſtitui. Ita docet Gloſſa in l. Is cui, D. Qui teſtam. fac. poſſ. & cōmuniter DD. Quod tamen Malderus non putat locum habere ante ſententiam ſaltem declaratoriam. Quinam autem propter crimen non poſſint teſtari, conſtat ex dictis ſuprà dub. 2. 20

Deinde ſpeciatim ex teſtamento capere hæreditatem, aut legatum prohibentur hoſtium ciuitates: l. Omnibus D. Ad Senatuſc. Trebellianum. Item communitas Iudæorum l. 1. Cod. De Iudæis, & collegium illicitum, l. Collegium Cod. De hæredibus inſtituendis.

Tertiò, Non poſſunt hæredes inſtitui Fratres Minores, vt patet ex Cap. Exijt, De verbor. ſignificationib. in 6. & Clement. Exiui §. Quia igitur De verbor. ſignificat. Quod ſic accipiendum eſt, vt non tantùm non poſſit aliquis particularis inſtitui hæres, ſicuti alij Religioſi poſſunt, quamuis non ipſis, ſed monaſterio hæreditas cederet; ſed ita, vt nec Minorum Conuentus vel Eccleſia hæres inſtitui poſſit, vt tradit Iul. Clarus §. Teſtamentum quæſt. 29. & Mald. ſuprà dub. 4. Gloſſa autem ſic interpretatur Clementinam, quòd ſcilicet non poſſint inſtitui hæredes abſolutè, ita vt ipſi acquirant aliquod ius ad immobilia bona, teneanturque ad onera defuncti, ſicuti hæredes ſolent; poſſit tamen in eorum fauorem relinqui hæreditas, vt per executores vendatur, & detur ipſis pretium, Malderus Tractat. 1. cap. 11. Dub. 4. & indicat Barthol. in l. Ciuitatibus, De leg. Vnde ſi in teſtamento addatur, quòd teſtator omni meliori modo cupiat & velit ipſis, eorumve vſibus hæreditatem applicari, tunc illud ſic effectuandum erit. Vide plura apud Syluest. V. Hæreditas q.2. Notatur verò in additionibus ad q.29. Iul. Clar. cit. in eiuſmodi venditione aut alienatione non requiri ſolemnitates, aliàs in alienatione bonorum Eccleſiæ neceſſarias.

Sed principalis difficultas hîc eſt de illegitimis, an poſſint hæredes inſtitui? Pro reſolutione 21

Obſer-

Obſeruandum eſt, Illegitimorum eſſe duo genera: quidam enim dicuntur naturales, alij ſpurij.

Naturales ſecundùm Ius canonicum cenſentur illi, qui nati ſunt parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens, vt docet Couar. de Matrim. p. 2. cap. 8. §. 4. n. 5. Omneſque illi eodem iure gaudent ſecundùm receptam conſuetudinem, etiam in foro ciuili, vt docet Panorm. in cap. Per venerabilem, Qui filij ſunt legitimi: non obſtante eo, quòd Iure cæſario habeantur illi ſoli naturales, qui nati eſſent ex vnica concubina domi retenta: Et quidem meritò, quia ceteris paribus, potiùs fauendum eſt illi, qui natus eſt abſque concubinatu, quàm ei, qui ex concubina domi retentâ, cùm hoc deterius ſit, vt loco cit. notat Panormit.

Spurij autem dicuntur, qui nati ſunt parentibus, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens, vt tradit Couar. ſuprà §. 5. n. 1. 2. & 3. Si tamen parentes in facie Eccleſiæ matrimonium contraxiſſent, ſubexiſtente impedimento dirimente, quod vtrique, vel ſaltem alteri illorum eſſet incognitum, tunc proles habetur legitima, & pro tali agnoſcenda. Couarr. De matrim. p. 2. c. 8. §. 2. n. 7. Bonac. De contractib. Diſp. 3. q. 17. p. 3. & ſumitur ex Cap. Peruenit, & Cap. Ex tenore Qui filij legit.

22 Quæritur autem de prole nata ex raptore & raptâ tempore detentionis: quo iuxta Conc. Trident. Seſſ. 24. cap. 6. non poteſt inter eos coaleſcere matrimonium, vtrùm dicenda ſit naturalis, an ſpuria?

Reſpondetur, Videri prolem eiuſmodi habendam vt naturalem: quia hoc quod inter parentes illos intercedit impedimentum eſt tale, vt abſque diſpenſatione per mutationem circumſtantiarum, arbitrio partium tolli poſſit. Ita Malderus ſup. neque enim poſitum eſt, quaſi matrimonium inter tales perſonas ex ſe adduceret ſecum culpam, aut indecentiam, ſed tantùm, vt conſenſus matrimonialis ſit liberior, neque præſumi debeat vel non adfuiſſe, aut vi extortus. Vndè quando rapta eſt loco libero conſtituta, poſſunt validè contrahere: quemadmodum ſi aliqui intenderent matrimonium inire, & non poſſent habere Parochum, interea autem gignerent prolem, non eſſet proles illa ſpuria, etſi propter defectum parochi ſubfuerit impedimentum, quo minùs potuerint illo tempore validè cōtrahere. His præmiſſis

23 Dico Primò: Spurius non legitimatus non poteſt aliquid capere à patre ſuo, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato, nec ex aliquo contractu inter viuos. Ita Iul. Clar. §. Teſtamentũ q. 31. & cum alijs Couar. De matrim. p. 2. cap. 8. §. 5. n. 5. Colligitur ex Authentica Licet Cod. De naturalib. liberis & ex Authent. Ex complexu Cod. De inceſtis nuptijs: vbi dicitur, quòd qui ex damnato coitu aut complexu nati ſunt, ſecludi debeant ab omni prorſus beneficio paternæ ſubſtantiæ tanquam eâ indigni. Vnde Couarru. loco citato numero 11. dicit, & ſi pater illi in teſtamento aliquid relinquat præter alimenta, nihil per hoc iuris ei acquiri, ſed in conſcientia id legitimis deberi hæredibus.

Dico Secundò: Non poteſt quoque ſpurius ſuccedere matri neque ab inteſtato, nec ex teſtamento, etiamſi nulla proles alia ſuperſit. Ita docet Couar. ſup. n. 10. Filliuc. Tract. 34. c. 7. quæſt. 8. n. 164. Bonac. ſuprà quæſt. 3. & alij. 24

Probatur: quia illegitimus, qui non poteſt patri ſuccedere, non poteſt etiam ſuccedere matri, niſi aliquo iure de hoc ſit exceptio, vt colligitur cit. authent: Licet: atqui nulla extat in iure exceptio de ſucceſſione ſpurij in bonis maternis; ergò &c.

Quidam tamen exiſtimant filium viri coniugati, vel etiam Sacerdotis, ex puellâ ſolutâ poſſe ſuccedere matri, ad quos accedunt Henriquez lib. 1. de matrim. c. 21. & Sa V. Hæreditas, Filliuc. ſuprà: quia talis coniunctio ſiue complexus non ſolet vindicari legibus. Quæ opinio non habetur improbabilis, & in praxi ſolet plerumque ſeruari, vt ait Couar. ſuprà n. 20. Attamen oppoſita eſt verior, quia reuera concubitus iſti ſunt legibus damnati, tametſi forſitan non ita frequenter puniantur, attendenda eſt conſuetudo loci.

Dico Tertiò: Debentur tamen ſpurijs alimenta, ſi aliunde nō poſſint ſe ſuſtentare. Patet ex Cap. Cum haberet, de eo qui duxit in matrim. &c. Ita Panorm. ibid. eſtque communis ſententia, vt tradit Cou. ſup. §. 6. n. 9. quia iure naturali parens tenetur alere prolem, quando poteſt. Neque obſtat, iure ciuili fuiſſe vetitum, ne proles ex damnato concubitu, aleretur à patre, vt patet Auth. cit. Ex complexu: quia ius Canonicũ illud ſuſtulit, tamquam minùs conſentaneum naturali pietati: Et ita modò ſeruatur, etiam in foro ciuili, vt notat Couar. Nomine autem alimentorum intelligitur competens ſecundùm ſtatum patris, & alias circumſtantias, ſuſtentatio, in victu, veſtitu, habitatione, ſepultura, & exequijs. Quamuis verò ius accipiendi alimenta non tranſeat ad hæredes ſpurij, onus tamen ea ſpurio præbendi tranſit ad hæredes patris. Dixi in aſſertione: Spurius non legitimatus: quia legitimatus ſiue per matrimonium ſubſequens, ſiue per priuilegium venire poteſt in teſtamentum patris, ſicut legitimus, modò ante mortem patris, aut volente ſaltem patre ſit legitimatus, aut ſub conditione legitimationis ſit inſtitutus, 25

vt tradit

vt tradit Iul. Clarus q. 31. Couar. ſup. §. 2. n. 28. Bonac. ſup. & alij. Item obſeruandum eſt, quòd licet non poſſit ſpurius à patre vel matre inſtitui hæres, tamen poſſit inſtitui ab extraneo, Iul. Clar. ſup. & Henriquez lib. 1. De matrimonio cap. 21. num. 1. quia hoc legibus non prohibetur: imò & ab illo, qui fuerit inſtitutus hæres à patre ipſius, modò hic nihil promiſerit patri de hæreditate reſtituenda ſpurio. Alioquin ſi pactum vel promiſſio interceſſit, iam fiſcus hæreditatem occupabit. Vide plura apud Couar. Iul. Clarum locis citatis, & apud Gomezium tomo 1. cap. 12. n. 67.

26 DICO Quartò: Filius naturalis inſtitui poteſt hæres tam à patre quàm à matre, etiam ex aſſe ſiue vniuerſalis, ſi non habeant proles legitimas, neq; ſuperſint aſcendentes. Patet citatâ Authent. licet.

Dixi, neque ſuperſint aſcendentes; quia iure communi Cæſareo debetur his legitima, id eſt tertia pars bonorum, vt patet ex Nouel. 118. De hæredibus ab inteſtato: quod tamen quidam notant multis in locis non eſſe in vſu. Dixi quoque, ſi non habeant proles legitimas; quando enim habent legitimas proles, non poteſt ipſi filio naturali relinqui niſi vncia, id eſt duodecima pars bonorum. Vide Couar. ſuprà §. 7. n. 19. Quòd ſi deficiant proles legitimæ, & non ſuperſint aſcendentes, contingatque patrem mori inteſtatum, ſuccedet filius naturalis in duabus vncijs tantùm, id eſt in ſextâ parte bonorũ, vt patet ex cit. ſup. Authent. Licet. Vide de his plura apud Couar. ſup. n. 19. & 20.

DICO Quintò: Matri inteſtatæ ſuccedit filius naturalis ex aſſe; ſi proles legitimas non habeat: quas ſi habet, ſuccedit tamen ille ex æquo cum illis. Patet l. Si qua illuſtris ad Senatuſc. Erphitianum.

DVBIVM V.

Vtrum poſſit ſemper teſtamentum reuocari.

27 RESpondetur: Teſtamentum per ſe conſideratum ſemper vſque ad mortem eſſe reuocabile, arbitrio teſtatoris: quia primum in mortuis confirmatur, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 9. Idem omnia iura & gentium mores docent: volunt enim ambulatoriam eſſe voluntatem teſtatoris vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum; de quo vide Couar. ad Rubr. de teſtam. 2. in principio. Sed

Quæritur Primò: An poſſit reuocari, ſi teſtator iurauerit non reuocare?

Sunt quidam Iureconſulti, qui exiſtimant etiam tunc liberè reuocari poſſe abſque peccato, vt refert Couar. loco cit. n. 48. Sed abſolutè tenendum eſt, non poſſe abſque peccato mortali reuocari quia iuramentum: quod abſq; ſalutis diſpendio ſeruari poteſt, omninò eſt implendum, vt habetur Capit. Quamuis pactum De pactis in 6. hoc autem iuramentũ ſeruari poteſt ſine diſpendio ſalutis, quia non reuocare teſtamentũ eſt res planè licita. Quod verũ quoq; eſſet, etiamſi foret lege prohibitum teſtamento apponere iuramentum de non reuocando: quamuis enim tunc iurando, quod non reuocabit, peccaret, tamen præſtito iuramento, non peccabit, ſi non reuocet: quia non eſt lege mandatum, vt teſtamenta ſemel condita reuocentur: vnde & in illo caſu ſine peccato periurij reuocare non poſſet.

Obſeruandum tamen eſt, Si quis metu vel fraude eſſet inductus ad id iurandũ, vel aliã iuſtam haberet cauſam mutandi, quod poſſet tum petere diſpenſationem ſuper iuramento, & habitâ diſpenſatione reuocare.

Quæritur Secundò: Vtrùm ſi abſque diſpenſatione in iuramento reuocetur, reuocatio ſit futura valida, quamuis cum periurio facta ſit? 28

Reſpondetur affirmatiuè. Ita docet Bonac. ſup. 1. pun. 6. n. 4. Mald. ſup. dub. 10. ex Iul. Cl. q. 94. qui dicit eſſe hanc communiorem Canoniſtarũ & Legiſtarum ſententiam. Addunt tamen aliqui ſi primum teſtamentum iuratum, ab hærede inſtituto in *illo* fuiſſet priùs ante reuocationem acceptatum, quod agere ipſe poſſet vel etiam hæres eius contra hæredes ex ſecundo teſtamento inſtitutos, vt ſatisfaciãt iuri, quod ei ex iuramento quæſitum eſt, ſcilicet vt ipſi hæreditatem reſtituant. Ita Molina Diſp. 150. Filliuccius tract. 34. c. 7. quæſito 10. n. 174. & alij citati à Bonac. ſup.

DVBIVM VI.

Vtrum voluntas vltima poſſit mutari per reſcriptum Principis aut diſpenſationem Epiſcopi vel Pontificis.

RESpondetur: Quando voluntas vltima eſt ad cauſam piam, nec poteſt eo modo mandari executioni, quo teſtator voluit, non ideo redit legatum ad hæredem, ſiue ad eum, qui grauatus eſt illud præſtare: ſed Epiſcopus, vel Apoſtolicæ Sedis Legatus cum executoribus, poteſt aliud opus æquè aut magis pium ſubſtituere. Ita Mald. dub. 11. cum Panorm. in Cap. Nos quidem De teſtamentis. Si autem legatum aliquod ſit ciuitati relictum ad vſum profanum, puta ad ludos aut ſpectacula prohibeantur, poterunt Primores oppidi cum hæredibus conuertere voluntatem defuncti in aliud opus, quo me- 29

Digitized by Google

quo memoria eius celebretur. Patet l. Legatum D. De vſu & vſufructu leg. Sed

30 Quæritur, Quando aliquid ad certum & determinatum opus pium eſt relictum, quod poteſt eo modo executioni mandari, quo defunctus voluit, eſtque res adhuc integra, quia nihil executioni mandatum eſt, An Epiſcopus tunc cum aſſenſu executorum poſſit illud conuertere in alium vſum æquè ac magis pium, præſertim ſi hic Reipublicæ Chriſtianæ, & religioni ſit magis neceſſarius, nec poſſit ſine magna difficultate aliunde huic neceſſitati ſuccurri?

Quidam videntur id affirmare, vt Couar. in Cap. Tua nobis De teſtamentis n. 7. allegans l. penult. De operibus publicis: quæ tamen eius opinionem parum firmare videtur. Vnde Mald. loco cit. dicit longè probabilius eſſe, ſicut in profanis ſummi Principis, ita etiam hic in pijs cauſis, ſummi Pontificis opus eſſe authoritate, vt eiuſmodi mutatio fiat; ſic vt nec Epiſcopus, nec Apoſtolicę Sedis Legatus eam facere poſſit. Ita docent Panorm. loco ſup. cit. à Graffijs Deciſ. libro 2. cap. 52. Molina Tract. 2. Diſput. 249. & alij plures.

Poteſt colligi ex Conc. Trident. Seſſ. 22. cap. 6. De reformat. vbi Epiſcopis, tanquam Apoſtolicæ Sedis Legatis, committitur cognitio ſurreptionis ſuper impetrata cōmutatione: vnde ſupponit Conciliū, prout apparet, eam à ſolâ Sede Apoſtolica fieri poſſe. Idem tradit Gloſſa ad Clement. Quia contingit, De religioſis domibus: vbi hūc caſum mutandæ piæ largitionis à fidelibus factæ in vita, vel morte ad determinatum vſum, vult eſſe addendū ad illos caſus, quos contra Legatum ſuum ſancta Sedes ſibi ſeruat: iſti autem habentur cap. Quod tranſlationem, De officio legati. Adde ne quidem à ſummo Pontifice facilè admittendam eſſe vltimæ voluntatis mutationem, niſi valdè euidens ſit maior illa neceſſitas, ac conſtat de defectu alterius ſubſidij, quo illi poſſit ſubueniri. Indicat Trident. ſup. quando dicit: quòd non niſi ex iuſta & neceſſaria cauſa fieri debeat: æquum enim eſt ne ſint caſſa ſupremæ voluntatis iudicia, vt loquitur Imp. l. 1. Cod. De ſacroſanctis Eccleſ. & fauet Canon: Vltima voluntas, XIII. quæſt. 2. vnde & illi delinquunt, qui nimis promptè & facilè in hoc incumbunt, vt vltimas voluntates in alios vſus curent conuerti. Denique quando impetrata à ſede Apoſtolica fuerit diſpenſatio, non poterit ſecundum conſtitutionem Conc. Trid. loco cit. hęc executioni mandari, niſi prius Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicę Legatus ſummariè & extraiudicialiter cognoſcat nihil in precibus, vel tacitâ veritate vel ſuggeſtâ falſitate, fuiſſe expoſitum, aut narratum.

Vide plura ad materiam teſtamentariam pertinentia apud Malderum Tract. 1. Cap. 11. quę breuitatis causâ prętermittimus, quia eorum explicatio magis ad Iureconſultos quàm ad Theologos ſpectat.

CAPVT QVARTVM.

De Ludis & Sponſionibus.

DVBIVM PRIMVM.

An contractus Ludi & Sponſionis ſint naturâ ſuâ illiciti?

1 PRiuſquam ad reſolutionē huius Dubij procedamus, oportet primùm explicare rationes quaſi quidditatiuas Ludi & Sponſionis; non enim rectè poteſt reſponderi de qualitate actus quoad bonitatem vel malitiam, niſi intelligatur eius veluti eſſentialis ratio. Ludus itaque in ſuâ prima ſignificatione capitur propriè ac generaliter loquendo pro dictis vel factis ad relaxationem animi deſtinatis, & exerceri ſolitis: vt colligitur ex D. Thoma hîc q. 168. art. 2. Et quidem ſatis conſtat, quod ludus ſic ex ſua ratione vel natura non ſit illicitus, quin potius apud Ariſtotelem 4. Ethic. c. 8. inter virtutes recenſeatur: & appellari ſolet diuerſis nominibus, vt Vrbanitas, Feſtiuitas, Comitas, & à D. Th. infrà q. 168. art. 2. Iucunditas. Aliquando autem contingit, conſiſtere in certamine quodam duorum aut plurium, ad animi relaxationem deſtinato, cum pacto, vt victori res aliqua quaſi præmij loco cedat. Et in hoc ſenſu ſtrictiori & determinato hîc de ludo agimus: quia & frequentiſſimus vbique terrarum paſſim eſt, & multa peccata iniuſtitiæ in eo committi ſolent. Sponſio verò ſimiliter hic nō in ſua generalitate ſumitur, ſed pro contractu, in quo duo vel plures de euentu vel veritate alicuius rei contendentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, vt eius fiat, qui veritatem fuerit aſſecutus. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Ludus ſiue contractus ludi iure naturæ non eſt illicitus ſecundùm ſe, modò debitæ adſint circumſtantiæ. Eſt communis doctrina, vt teſtatur Salas Tract. de Ludo c. 1. n. 3. Probatur, quia nihil in illo ſecundùm ſe conſiderato, 2

derato, reperitur, quod vel iuſtitiæ vel virtutis legibus aduerſetur: atque adeò per talem contractum validè & licitè poteſt rerum dominium ab vno in alterum transferri, quantum eſt de iure naturæ.

Probatur: quia eſt in poteſtate cuiuſque rem ſuam alteri donare ſimpliciter; ergò etiam in alterum transferre ſub aliquâ conditione, vt faciunt, qui ludo aliquo inter ſe concertant: ſiue interim illa conditio fortuita ſit, ſiue ex induſtria dependeat.

Circumſtantiæ autem requiſitæ ad iuſtitiam huiuſmodi contractus ſunt: Prima, Vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum vel ſponſionem exponunt: non enim licet res alienas, vel quas ipſi alienare non poſſunt, periculo ſubmittere.

Secunda eſt, Vt alter alterum vi vel fraude ad ludum non pertraxerit: v. g. minis, conuitijs, ſimulando ſe imperitum ludi, cùm ſit admodum peritus. Quo caſu ſi ille, qui pertractus ſic fuerit, perdat, cenſebitur alter ei eſſe cauſa damni per iniuriam, & proinde ad reſtitutionem tenebitur, vt docet Caiet. hîc q. 32. art. 7. ad 2. Couar. ad Reg. Peccatum p. 2. §. 4. nu. 2. & 7. Clauis Reg. lib. 11. c. 12. n. 18. Vide etiam Azor. tom. 3. lib. 5. c. 24.

Tertia eſt, Vt non vtantur fraudibus contra leges ludi: qui enim fraudes adhibuerit, tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus fuerit, imò & ad reparationem damni, quod alter incurrit, ſi alioquin erat lucraturus: ſi verò euentus fuerit dubius, ſufficere videbitur reddere, quod ab altero accepit.

Notandum, quod DD. multi hic excuſant illos qui adhibent eas tantum fraudes, quæ iuxta conſuetudinem adhibere ſolent in ludendo; vt ſi quis videat ſocium errantem in numerandis ſignis, vel ſi inter ludendum agnoſcens ſe lucraturum inuitet ſocium ad augendam ſponſionem, vel obijciat pactionem reſtantis pecuniæ, etiamſi ſimulet timorem ex oris aut vultus mutatione. Ratio poteſt eſſe, quia tacito conſenſu videntur ſibi mutuo ludentes talia indulgere, cum ita fieri conſueuiſſe ſciant. Ita Rebell. lib. 12. q. 3. Clauis Reg. ſup. n. 21. Azor. c. 24. Bonac. ſup. puncto 2. cum multis alijs quos citat.

Leges autem ludi ſunt, quas vel ludentes communi conſenſu inter ſe ſtatuerunt; aut, ſi nihil hac de re egerint, quæ eo loco, vel apud eam gentē, cuius more ludunt, ſunt receptæ.

Hę conditiones ſi obſeruentur, verùm nō erit, quod dicunt Vega in Epitome V. Ludus, caſu 1. Turrecremata cap. Epiſcop. diſt. 35. & Syluester V. Ludus q. 4. quod ſcilicet ludus in quo lucrum notabile, & non animi relaxatio præcipuè intenditur, ſit peccatum mortiferum, vt contra eos docent communiter alij, Ioannes Med. De Reſtit. q. 22. Soto lib. 4. de Iuſt. q. 5. a. 2. Azor. tom. 3. lib. 5. c. 24. q. 2. Nauarr. c. 20. n. 3. Caiet. 2. 2. q. 168. Salas ſup. Dub. 2. n. 2. quamuis interim videatur eſſe veniale peccatū, ſi omnino principaliter ad lucrum referatur, quia peruertitur quodammodo natura ludi, & finis eius, qui eſt animi relaxatio ac recreatio, vt dictum eſt, quam non aſſequuntur ordinariè, qui principaliter ex lucri affectu ludunt. Nauar. ſup. n. 3. & 8. à Valent. 2. 2. diſp. 5. q. 6. puncto 5. & alij contra nonnullos.

DICO Secundo: Contractus Sponſionis ſimiliter per ſe loquendo & ex naturâ rei illicitus non eſt. Ita DD. docent communiter, vt teſtatur Bonac. De Reſtit. in particulari diſp. 2. q. 3. p. 1. n. 18. & patet, quia etiam nihil includit quod iuſtitiæ aut charitatis, ſiue virtutis legibus aduerſatur, vt ex eius deſcriptione data eſt intelligere Debent tamen adeſſe debitæ circunſtantiæ quales in ludo. Deinde requiritur, quòd veritas, ſuper qua certatur, vtrique parti ſit aliquomodo dubia. Non tamen ad reſtitutionem lucri tenebitur, qui ſponſionis tempore certum ſe exiſtimabat, ſi poſtmodum deprehendat ſuam opinionem non fuiſſe tam fundatam, vti eam apprehenderat, ob quòd facilè contingere potuiſſet rem aliter ſe habere: atque ita quoque periculo fuit expoſitus, quia eius credulitas non abſtulit incertitudinem euentus. Ita Azor. tom. 3. lib. 11. c. 19. Filliuc. Tract. 3. c. 2. quæſt. 2. n. 19. Bonacina ſup. 3

Addit Mald. Tract. 1. cap. 12. dub. 1. ſe exiſtimare, quando quis nullâ fraude alterum ad ſponſionem pellexit, etiamſi de victoria fuerit certus, non teneri eum ad reſtitutionem. Sed oppoſitum puto verius: niſi alteri prius declarauerit, ſe certò cognoſcere, & perſtiterit nihilominus alter & voluerit certare: tunc enim id locum habebit, vt docent Azor. ſup. dub. 4. Molina diſp. 508. Nauarr. c. 20. n. 18. & paſſim alij, quia ſcienti & volenti non fit iniuria.

DVBIVM II.

An ludi aliqui ſint Legibus vel Canonibus prohibiti?

RESPONDEO & DICO Primò: Legibus ciuilibus quidam ludi fuerunt interdicti, qui videlicet magis fortunâ quàm arte reguntur: qui in Iure communiter intelliguntur ſub nomine alearum. Patet ex l. 2. & 3. D. De aleatoribus, & Authent. Alearum Cod. De aleat. & alearum caſu; Eiuſmodi ludi teſſerarum, taxillorum, talorum, & idem dicit Nauarr. c. 20. nu. 6. & alij de omnibus chartarum pictarum ludis, vt habet Salas ſuprà dub. 3. n. 1. 4

Rationes huius prohibitionis plures allegantur. Prima, quòd ex hoc genere ludorum

Digitized by Google

rum frequentiùs iræ, imò & blaſphemiæ in Deum, (cui euentus fortuiti ſolent attribui) exoriantur & euomantur. Altera, quòd inter ludentes ſæpè naſcantur lites & rixæ. Tertia, quòd facilè tota ſubſtantia exhauriatur talibus ludis: vnde fit, vt ad furta & latrocinia poſtmodũ habeant confugium. Vide plura apud S. Antoninũ 2.p.tit.1. c.23.§.6. Vnde etiam in ludum alioquin licitum, eſt vetitum plus expendere, quàm ſolidum vnum, id eſt, aureum vnum, vt ſuprà diximus. Patet id ex dicta Authent. Alearum luſus.

Vbi dubitatur; an id ſit intelligendum, quòd nõ amplius liceat expendere in ſingulas commiſſiones, an verò in totũ continuatum luſum. Quidam intelligunt de toto luſu; ſed veriùs & verbis legis conformiùs intelligitur de ſingulis commiſſionibus.

Sed quæri hic poteſt, Vtrum leges illæ obligent, & an ſub peccato mortali. Soto lib.4. De Iuſt.q.5.a.2. putat, quod leges illæ, quãuis in vigore ſuo eſſent, non obligarent ſub mortali, eo quod ludi iſti ex genere ſuo, neque tendant contra iuſtitiam, neque charitatem: ſed melius quoad hoc ſentit Alcozer lib. De ludo c. 10. citatus apud Salas ſuprà dub.3. qui dicit leges haſce vbi ſunt receptæ & contrariâ conſuetudine non abrogatæ ſeu eneruatæ, obligare ſub mortali, etiãſi in particulari in ludo horum vel illorum ludentiũ ceſſarent pericula incommodorum ludi; eo quod ex grauibus cauſis ſint latæ, quæ iam antea ſunt recenſitæ: nec vniuerſaliter idcirco ceſſant propter quorundam prudentiam & modeſtiam: quod etiam approbat Salas. Aſt verò tradunt DD. plerique, quod non obligent modò: addunt aliqui ſaltem ſub mortali, etiamſi pro magna quantitate ludatur, ſecluſis alijs prauis circumſtantijs contrarijs legi naturæ: idq; ideò quod contraria conſuetudine (ſi forſitan aliquando fuerint receptæ) nunc ſunt abrogatæ aut ſaltẽ eneruatæ quoad rigoſoriorem obligationem. Ita Alcozer & Salas ſup. Medina 1. Sum. c.14. Leſſ.lib.2.c.26.dub.1. Soto & Nauar. locis citatis, Caiet. V. Ludus & 2.2.q.168. Lopez 2.p.Inſtruct. conſcient. c.31.

5 Dico Secundò: Similiter ijdẽ ludi ſunt prohibiti Iure Canonico, potiſſimùm tamen Clericis. Patet Can. Apoſtolico 41. qui & refertur Can.1. diſt.35. vbi dicitur: Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ vel ebrietatibus indulget, vel deſinito, vel deponitor: & Can. 42. Subdiaconus aut Cantor aut Lector, qui conſimilia faciet, vel deſinito, vel à communione ſeiungitor: ſimiliter & Laici. Item in Cap. Clerici 15. De vita & honeſt. Cleric. quod deſumptum eſt ex magno Conc. Lateranenſi, dicitur: Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Similia habentur in Cap. Inter dilectos De exceſſibus Prælatorum. Denique Conc. Trid. Seſſ.22. cap.1. De reformat. ſic loquitur: Statuit ſancta Synodus, vt quæ alias à Summis Pontificibus & ſacris Canonibus de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu comeſſationibus, aleis, choreis, luſibus, nec non ſæcularibus negotijs fugiendis, ſancita fuerunt, eadem impoſterum, ſub ijſdem pœnis vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis, obſeruentur.

Hinc communis DD. ſententia habet, vt teſtatur Salas ſup. c.24. etiam modò in Clericis eſſe peccatum mortale vacare eiuſmodi ludis, id eſt crebrò & per multum temporis illis inhærere ac indulgere: ſecus tamen vt communiter quoque addunt, ſi tantùm ex occaſione ſemel atque iterũ quis luſerit, aut non multum temporis in iſtis terere ſoleat: modò tamen id quoque fiat ſine ſcandalo; talis enim nõ dicitur ſimpliciter vacare aleis aut taxillis, cui à Canonibus pœnæ imponuntur. Vbi tamen per Clericos intelligunt eos qui ſunt in ordinibus ſacris, aut beneficiati. Ita Salas ſup. Nauar. c.20.n.10. Panor. paſſim receptus Cap. penult. De vita & honeſtate Cler. vnde ponunt alios in eodem gradu cum laicis: & quia ſicuti leges ciuiles ſunt contraria conſuetudine abrogatæ, vt diximus, ita quoque & Canon ille diſt. 35. quatenus laicos tangit aut non fuit vſu receptus, aut contraria conſuetudine fuit abrogatus, vt habet Caiet. 2.2. q.1.168. art.3. & Leſſ. ſup. Hinc neque laicis, neque alijs inferioribus clericis volunt ludos illos eſſe modò interdictos ſaltem non ſub mortali: Neque enim Concil. Trident. in ordine ad laicos aliquid renouat vel ad vſum reuocari mandat. Si tamen alicubi in Regno aliquo, aut Prouincia extaret lex aliqua politica ſub grauibus pœnis ludos eiuſmodi interdicens, quæ eſſet in vigore, vt aliqui aſſerunt de Regno Caſtilliæ, foret illa ſub mortali obſeruanda: vt ante iudicauimus de legibus Cæſareis. Quia tamen hi ludi rarò exercentur abſque peccato, & quidem frequentiùs non ſine mortali, quando lucri notabilis causâ fiunt, vt quia iræ accenduntur, lites & pugnæ naſcuntur, euomuntur blaſphemiæ, dilapidatur ſubſtantia, ita vt domi vxori & prolibus ſit egeſtas, & alia plura mala ſequuntur, idcirco omnes omninò ab illis ſummopere ſunt dehortandi ac deterrendi. 6

DVBIVM III.

Vtrum qui ludo vetito fuerit aliquid lucratus, teneatur ad eius reſtitutionem?

7 QVidam antiquiores affirmãt: inter quos eſt D. Bonauentura in 4. diſt. 15. n.67. & quidam alij, quibus etiam fauet D.Thom. eadem diſt. q.2. a.4. quæſtiuncula vlt. ad 2. & 2.2.q.32.art.7. ad 2. Syl. V. Ludus q.13. Sed communior Doctorũ ſententia habet, acquiſita ludo vetito poſſe retineri, donec per ſententiam Iudicis cogatur quis ea reſtituere. Ita Adrian. in 4. De reſtitut. §. Qui in ſuperioribus, Alexander Halenſis p.4. q.86. membro 3.a.6. Medina C. De reſtitut. q.22. Caſtro lib.2. De lege pœnali c.2. Soto lib.4. De iuſtit. q.5.a.2. Couar. ſup.n.2.& 3. Nauar.cap.20.n.18. Caiet. in Sum. V. Ludus & 2.2.q.37.a.2.ad 2. ibid. Arragon.& Banneſ. Azor.tom.3.lib.5.c.24. Bonac. ſup.q.3.p.3. Tolet.lib.5.c.17. & paſſim recentiores.

Probari poteſt: quia, vti diximus dub. 1. contractus ludi vim habet iure naturæ ad transferendum dominium: atqui ex eo, quòd ludus aliquis ſit lege prohibitus exerceri, non amittit vim illam transferendi dominij.

Confirmatur: quia neque iure naturali, neque iure poſitiuo. Quod nõ iure naturali amittat ideo vim illam, patet in alijs pluribus contractibus prohibitis: vt in contractu matrimoniali poſt ſimplex votum caſtitatis, aut poſt ſponſalia cum alio inita. Item in venditione rei, quam quis priùs alteri vendidit, ſed non tradidit: rurſum in contractu negotiationis quem quis facit illo die quo prohibitum eſt eiuſmodi contractus facere.

8 Quòd non etiã iure poſitiuo hic contractus ludi, quamuis vetitus, perdat vim transferendi dominij, Declaratur; quia leges nuſquam reddunt hunc contractum irritum aut nullum. Nam de aleatoribus, de quibus maximè poſſet dubitari, ita loquitur Lex 2. C. De aleat. Nulli liceat in publicis vel priuatis domibus vel locis ludere, & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio (id eſt non cogatur victus ſoluere) ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederunt &c. vbi lex neque ludentes reddit inhabiles ad dominij translationem faciendam, neque contractũ ludi irritat aut annulat, ſed repetendi tribuit actionem, idq; in iudicio, vt communiter interpretantur DD. Couar. ad Reg. Peccatum p.2. §.4. n.8. Vnde tametſi victus, priuatim repeteret ſolutum, non tenebitur victor reddere: imò addunt, etiamſi in iudicio repetat non teneri, niſi poſt ſententiam Iudicis.

Ratio redditur: quia lex, quâ parte ſolutũ iubet reſtituere, eſt pœnalis, vt quidam volunt: non tenetur autem quis pœnam ſubirẽ ante ſententiam. Aut certè lex eſt diſpoſitiua modi, quo res ludo vetito perdita poſſit & debeat recuperari: quod ſatis ex iſtis verbis legis, Competẽtibus actionibus repetatur, videtur poſſe ſtatui, vbi conceditur tantùm ius repetendi per miniſterium Iudicis. Quemadmodũ quando iura concedunt reſtitutionem in integrum contra præſcriptionem, vel aliquem contractum vtrimque impletum, tunc qui titulo præſcriptionis vel iſtius contractus poſſidet (ſi aliunde non intercedat iniuſtitia) nõ tenetur ad reſtitutionem ante Iudicis ſententiam, quâ in integrum reſtituatur alter, & poſtmodum hîc condemnetur, vt ex antè dictis ſatis intelligi poteſt. Accedit ius illud repetendi ſolutum, quod leges concedunt, videri per conſuetudinem contrariam eſſe abrogatum, niſi forſitan in quibuſdam regnis aut prouincijs ſit renouatũ, vt notat à Caſtro loco ſup. citato.

Sed contra obijcitur: Quando leges prohibent contractum, tunc illũ ſimul irritant, 9
l.Non dub. C. De legib. atqui hîc agitur de ludo prohibito per leges, & quidem ſupponendo quod in vigore, alioquin nihil particulare diſputaretur, ergò ad reſtitutionem tenetur, qui lucratus eſt ludo vetito: quia per contractum irritum non poteſt quis ius aut dominium rei acquirere.

Reſp. N. A. vniuerſaliter intellectum: lex enim allegata, interpretanda eſt, vt locũ tum habeat, quando agitur de lege quę prohibet aliqua, & in prohibitione ſiſtit, nec vlterius progreditur adijciendo modum infirmandi quod contra legem contractum eſt: quando autẽ vlteriùs diſponit, tunc nõ plus nec aliter cenſetur lex infirmare, quàm iuxta modum quẽ tradit: iam vero leges prohibentes quæ allegari ſolent, non ibi ſiſtũt, ſed vlterius progrediũtur concedẽdo repetitionẽ in iudicio, eius quod ludo prohibito comparatũ eſt, & ideo leges illæ non cenſentur irritum facere contractum, neque ad reſtitutionẽ obligare, niſi poſt ſententiã. Ita ferè Salas ſup. dub.5. n.6. ex Adriano ſup. qui citat Bart.

Molina autem tom.2. diſp.88. addit ſe arbitrari legem allegatam nõ amplius eſſe vſu receptã. Suarez verò De legib. lib.5. c.28. n.7. poſt longam diſp. reſoluit tandẽ actus contra legem ſimpliciter prohibentem eſſe irritos, non quidem ex natura preciſè prohibitionis, ſed iure poſitiuo, ſcil. per legem allegatã Non dubium, quæ hic obijcitur: ſed tamen, quia irritatio eſt pœnalis, idcirco nõ obligare in conſcientia, nec eſſe cum effectu ante Iudicis ſententiam, ſiue donec per Iudicem declaretur: quod conſequenter late explicat & oſtendit.

DVBIVM IV.

Vtrum qui ludo vetito perdidit, & non ſoluit, teneatur in foro conſcientiæ ſoluere?

RESPONDETVR: Ius commune Cæſareum liberat talem à neceſſitate ſoluendi, 10
vt conſtat ex legibus ſuprà citatis: idque plures DD. intelligunt non tantùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ. Ita

Digitized by Google

tiæ. Ita Adrian. & Couar. locis ſup. citatis: Similiter Bonac. ſup. pun. 3. n. 2. cum multis alijs quos citat.

Probatur: quia iura ſic poſſunt de rebus fortunæ diſponere, vt vel contractus aliqui ſuper illis initi ſint inualidi ac nulli, aut tametſi illos non omninò inualident, tamen tribuant alteri parti exceptionem, aut poſtea repetitionem, vel reſtitutionem in integrum; ita vt etiam quis tutâ conſcientiâ poſſit illis medijs vti, ſiue ad rem ſuam retinendam, non obſtante contractu, ſiue ad eam recuperandam, ſi in vim contractus fuerit alteri tradita: atqui nulla apparet hîc ratio negandi, quòd Legiſlatores fuerint illâ poteſtate vſi, quando ſimpliciter ſtatuunt, ne victus cogatur ſoluere.

Confirmatur: quia non tantùm volunt eum non cogi ad ſoluendum, ſed etiam adiuuant, vt ipſe & eius hæredes competentibus actionibus poſſint ſolutũ repetere; ergò ſatis apparet, quòd non tantũ in foro externo, ſed etiã in foro interno, victus nõ teneatur perſoluere quod ludo vetito perdidit.

Caſtro quidem & Medina ſuprà volunt eum teneri ſoluere, quia iure naturali, inquiunt, quiſque tenetur implere promiſſa, quæ liberè ſine vi & fraude fecit: admittunt tamen eundem poſtea poſſe in iudicio repetere. Sed non videtur opus iſtis ambagibus: qui enim ad agendum admittitur, eſt multò magis ad excipiendũ admittendus, vt dicitur Cap. Qui ad agendũ De regul. iuris in 6.

Nec refert, quod alij allegant, promiſſa ſcilicet liberè facta eſſe iure naturæ implenda: hoc enim verum eſt, niſi ſuperior poteſtas reddat illa irrita, aut niſi concedat facultatem non implendi, quando iuſta de cauſa id facere poteſt, vt hîc contingit.

Eamdem doctrinam haud dubiè tenere cenſendi ſunt illi, quos Dubio præced. diximus docere; ne quidem poſſe victorem tutâ conſcientiâ retinere, quæ ludo vetito lucratus, & de facto conſecutus eſt. Sed licet hoc demus, iuxta dicta dub. præced. quòd victor ea poſſit retinere, quia eorum obtinuit dominium, imò & poſſit priuatim exigere à victo ſolutionem eius, quod lucratus eſt: tamen cum eo conſiſtit, quod victus poſſit in iudicio illa repetere, &, ſi non ſoluerit, dicatur in conſcientia non teneri ad ſoluendum; quia ſcilicet iura illi concedunt facultatem excutiendi obligationem, & ſe liberandi ante ſolutionem factam, ſi velit, & poſt ſolutionem dant poteſtatem per ſententiam Iudicis illa recuperandi. Si quis tamen iuraſſet ſoluere, omninò deberet ſoluere, quamuis poſtea poſſet ſolutum repetere, iuxta facultatem ſibi à iure conceſſam: niſi & hoc iuraſſet, quod beneficio legis ad repetendum non vteretur, quia iuramentum de re licita, vt eſt ſoluere aut non repetere amiſſum, eſt ſeruandum. Imò plures docent ſi ludentes ſimpliciter ceſſerint iuri ſuo & renuntiauerint beneficio legis, quòd perdens in conſcientiâ tenebitur ſoluere, nec poterit repetere ſolutum. Ita Salas ſup. dub. 28. Bonac. loco cit. n. 5. Azor. ſup. lib. 5. c. 24. q. 7. & alij citati apud Bonac. contra Rebell. lib. 12. q. 2. n. 8. quia ceſſio ſui iuris valida eſt, quia proximè facultas repetendi eſt conceſſa in fauorem perdentis, inquiunt, non Reipubl. cum parùm interſit, penes quem ſit pecunia an penes vnum, an penes alterum. Non videtur tamẽ ſententia Rebelli improbabilis, eo quod iſta facultas repetendi aut non ſoluendi videatur conceſſa non tam in fauorem perdentis, quàm in deteſtationẽ & reprobationẽ ludi, ex quo Legiſlatores cenſuerunt in Repub. obuenire grauia incommoda, vt ex ſuprà dictis conſtat.

DVBIVM V.

An per ludum vel ſponſiones poſſint lucrari illi, qui non poſſunt perdere?

NOtandum eſt, Ex diuerſis capitibus 11
contingere, quod aliquis dicatur non poſſe perdere. Vnde vt diſtinctè explicemus quæſtionem propoſitam,

RESPONDEO & DICO Primò: Qui non poteſt perdere, quia non habet quod deponat aut perdat, ſed ſimulat tantùm ſe habere, vel quia deponit rem alterius vel quam alienare non poteſt, is quoque non poteſt rem alterius lucrari, &, ſi illam acceperit, tenetur etiam ante ſententiam Iudicis ad illius reſtitutionem.

Eſt Rebelli lib. 12. quæſt. 4. n. 5. Molina diſput. 519. n. 4. Filliucc. tract. 37. c. 6. q. 1. n. 107. Bonac. De reſtit. in particulari diſp. 2. q. 3. puncto 2. n. 19. & paſſim aliorum, qui dicunt non poſſe aliquem plus lucrari, quàm perdere: vt v.g. quòd qui habet tantum decẽ nummos, nõ poſſit primo iactu lucrari quindecim, aut viginti. Similiter dicit Bonac. loco cit. n. 15. cum alijs, quos allegat, filiumfam. aut alium qui non habet facultatem diſponendi de re, quam ludo exponit, nõ poſſe ſibi retinere lucrum quod ludo acquiſiuit.

Ratio eſt: quia iniquus eſt contractus, neque ſeruata eſt æqualitas, quando hic depoſuit, quod ſuum non erat, aut non potuit in alterius transferre dominium, vel ſimulauit ſe habere quæ deponeret, & non habeat: vnde fraude alterum circumuenit, quæ dici poteſt cauſam dediſſe contractui, ſicuti is, qui appoſitâ pecuniâ adulterinâ lucratus eſſet contra alterum: quia ſi alter ſciret, non cum tali luderet pretio.

DICO Secundò: Qui non poteſt per- 12

Digitized by Google

dere, moraliter loquendo, propter ſummam peritiam artis, vel propter certitudinem, quam habet de re, ſuper qua fit ſponſio, is non poterit lucrari, ſi imperitum ſe ſimulet, aut pariter incertum, & ita inducat alterum ad ludendum aut ſponſione certandum. Ita Bonac. ſuprà n.4. cum DD. ſuprà cit. & alijs pluribus quos ipſe citat. Vnde qui ſic lucratus fuerit, tenetur in conſcientia ad reſtitutionem ex communi omnium ſententiâ: quia cenſetur cauſa damni per fraudem.

Sed controuertitur de illo, qui nihil ſimulat, ſed tantummodò non aperit vel declarat ſuam peritiam, & prouocans aut prouocatus ludit, & lucratur: Cōmunior DD. ſententia eſt etiam talem lucrari, & lucrum accipere non poſſe, & ſi acceperit teneri ad reſtitutionē, vt videre eſt apud Bonac. ſup. pun. 2. n. 4. & apud Salas Tract. De ludo, c. 25. quibus locis vterque plurimos citant pro hac opinione, quam etiam Bonac. ſequitur. Fundamentum huius ſententiæ videtur ſtatuendum, quod talis etiam cenſeatur per fraudem implicitā eſſe cauſa damni alterius, & ſic in conſcientia teneatur illud reſarcire. Sed ſunt alij DD. qui oppoſitum tam de ſponſionibus, quam de ludo quoad præſentem caſum tenent, vt refert Salas loco cit. & allegat Sa V. Contractus n. 12. Tolet. lib. 5. cap. 27. qui tamen non id expreſsè dicit, quamuis aliquouſque ex ipſo colligi poſſit: Nauar. c. 20. n. 18. & Couar. ad Reg. Peccatum §. 4. n. 6. cum Decio concil. 115. & Salas De ludo ſup. c. 25. dicit eſſe probabile.

Probari poteſt: quia non tenetur quis ex iuſtitia ſuam peritiam, aut ſuam, quam habet de rebus, notitiam alteri declarare, ne ille amittat: quiſque enim hic ſuas partes agit: Alter autem ſuæ debet imputare temeritati, quòd ignotum prouocauerit, aut prouocatus periculo perdendi ſe expoſuerit, non examinatis qualitatibus eius, cum quo concertat. Neque referre videtur, quòd non luſiſſet, ſi illius peritiam, aut de rebus notitiam cognouiſſet: quod opponunt Bonac. & Leſſ. quia non omnis error in contrahente reddit contractum nullum, aut reuocabilem, vel etiam iniuſtum, præſertim quando non eſt erratum circa ſubſtantiam rei, nec in altero ſubeſt culpa.

Confirmatur: quia ſatis communiter admittunt Doctores, ſicuti ſuprà oſtendimus, quòd is, cui in ludo felicior ſors aut partitio obuenerit, ita vt de victoria ſit certus, aut iudicet ſe certum, poſſit eâ re diſſimulatâ offerre duplum, aut amplius deponere, &, ſi alter conditionem acceptet, poſſit duplum aut amplius lucrari; ergo &c. Vide Medinam ſuprà q. 22. In hac autem controuerſia, mihi in primis nullo modo probatur, quod qui certus eſt de rei veritate aut exiſtentia, ſuper quâ ſponſio facienda eſt, poſſit ſponſione certare & lucrum facere. Hoc enim eſt contra communem hominum etiam vulgariū apprehenſionem & ſenſum: & ratio eſt, quia natura illius certaminis videtur per ſe importare quandam dubietatem ſiue incertitudinem ex vtraq; parte certantiū, vnde puto inhærendum ijs quæ antè de ſponſione diximus. Deinde quod ad ludum attinet in caſu propoſito, ſi is qui ludi tam peritus, eſt vt ſupponitur, ignoret vtrùm alter non ſit pariter peritus, aut peritior cum quo prouocans, aut prouocatus ludit, exiſtimo, quod ludendo cum tali poſſit lucrari, quia ipſe ſe ſimul fortunæ & periculo perdendi exponit: quod & Doctores primo ſententiæ ſatis ſignificāt locis cit. idq; ſaltem donec imparitatem alterius manifeſtè didicerit: putarē verò, quod tum non poſſit vlterius, niſi agnitâ quoq; ab altero, huius peritiâ, ipſe nihilominus velit in ludo pergere, ſicuti quoq; Bonac. ſup. cum Rebell. & multis alijs admittunt, ſic peritum poſſe lucrari, ſi alter peritiam eius non ignorabat, quia ſcienti & volenti, inquit, non fit iniuria. Quando deniq; ita peritus vt moraliter perdere non poſſit, prouocat alium, aut vocatur ab alio quem nouit ſatis imperitum, & qui eius peritiam ignorat, videtur tunc tenendum cum ſententia quoq; communiori, quod talis lucrari non poſſit, quia per implicitam fraudē cenſetur cauſa damni alterius.

Qui tamen falſis aleis aut taxillis aut falſis alijs inſtrumentis ludi vteretur, vnde perdere non poſſet, is haud dubiè non poſſet lucrum facere ſuum, ſed obligaretur ad reſtitutionem, imò & obnoxius eſt pœnis à Iudice infligendis, quia tenetur crimine ſtellionatus, vt notat ex Aretino Mald. ſup. du. 3.

Dico Tertiò: Qui ludit luſu prohibito, ſi habeat animum non ſoluendi, vel ſolutum repetendi, non poteſt lucrari ſic vt lucrum iuſtè detineat. Ratio eſt, quia colluſorem decipit, dum ſe gerit tamquam paratus eſſet pari ſorte concurrere cum altero, vt ſoluat, ſi vincatur, & lucrum recipiat, ſi vincat: cùm tamen intendat ſolum ab altero lucrum captare, &, ſi perdat, nihil ipſi concedere: quod facit contractum inæqualem & iniquum. Ita docent Reginald. lib. 25. n. 388. Bonac. ſuprà puncto 3. n. 9. & alij recentiores. Qui tamen ſyncerè luſit, non habens animum non ſoluendi aut recuperandi in iudicio, poterit ludo peracto mutare animum & non ſoluere. Ita quoque Bonac. loco cit. quia ius commune vtrique hoc concedit, & in eo pares ſunt. 13

Dixi, Qui vetito ludo ludit; quia qui ludo licito ludit, etſi cogitet non ſoluere, poterit tamen lucrari: quia quamuis ſoluere non intendat, poterit tamen ad ſoluendum compelli, atque ita victor cenſetur hic paris eſſe conditionis ad lucrum faciendum, non obſtante contrariâ voluntate colludentis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

De emptione & venditione.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Emptio, & quid Venditio? Item quid Negotiatio, & an hæc ſit licita?

1 RESPONDEO & DICO Primò: Rectè definiri ſolet Emptio eſſe pactio pretij pro merce: & Venditio eſſe pactio mercis pro pretio. Sẽſus eſt, Emptio eſt contractus, quo quis obligatur alteri ſoluere pretium pro merce: & Venditio eſt contractus, quo quis obligatur tradere mercem pro pretio. Colligitur ex l. 1. D. De contrah. empt. Ex dictis autem definitionibus videre eſt, emptionem & venditionem ad ſe mutuò dicere eſſentialiter ordinẽ quendam, & vnam ſine altera conſiſtere non poſſe.

Merx vocatur quæuis res vendibilis: quales ſunt omnes res mobiles & immobiles, quæ hominum poteſtati & vſibus ſubiacent: item actiones, & iura, quę pecunijs æſtimari & comparari ſolent.

Pretium eſt nummus ſeu pecunia: hæc enim eſt inuenta, vt ſit menſura ac pretium omnium, quæ in humanis contractibus veniunt, vt docet Philoſophus 3. Ethic. cap. 5. Vnde ante vſum nummi non erat propriè dicta emptio aut venditio, ſed tantùm permutatio.

Abſoluuntur autem hi contractus quoad ſubſtantiam ſuam nudâ pactione ſeu conuentione partium ſuper merce & pretio. Vt tamen transferatur dominium per hos contractus, debet accedere rerũ traditio, ſuper quibus pactio eſt inita, vt conſtat ex dictis ſuprà cap. 1. De contractibus in genere. Quare quamdiu traditio rei non acceſſerit, tamdiu non habent totum omninò ſuum complementum, ad quod finaliter referuntur: quia finis horum eſt translatio dominij rerum ab vno in alterum. Vide plura huc pertinentia apud Gomez. t. 2. c. 11. n. 30.

2 DICO Secundò: Negotiatio tunc propriè fit, quando quis rem aliquam comparat eo animo, vt illam integram & immutatam vẽdat, & ſic lucretur. Ita Molina To. 2. diſp. 339. Rebell. De oblig. p. 2. q. vlt. ſect. 1. Tolet. lib. De ſeptẽ peccatis mort. cap. 53. Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 1. & paſſim alij. Et

Colligitur ex D. Thoma quæſt. 77. art. 4. & ex D. Chryſoſt. Hom. 38. in Matthæum. Sub venditione autem intellige generaliter permutationem rerum, quia mercatores non tantùm quærunt lucrum ex venditione, ſed etiam ex alijs permutationibus, quas faciunt ſuper rebus emptis, aut aliter ſibi cõparatis. Commutatio tamen rei pro pretio, vel pretij pro re, aut rei pro re quando non fit ad lucrum captandum, ſed ad ſeruiendum ſuis neceſſitatibus, vt ſcil. habeat quis illa, quibus ad vitæ ſuſtentationem indiget, non eſt cenſenda negotiatio, vt notat D. Th. loco cit. quia negotiatio intendit ad lucrum: Vnde de iſtiuſmodi contractu non eſt quæſtio, an licitus ſit: nam extra omne dubium eſt, quòd ſit honeſtus & laudabilis, neque ſpectet ad negotiatores, inquit D. Th. ſed ad œconomicos, aut politicos.

DICO Tertiò: Negotiatio propriè dicta non eſt quoq; actio per ſe illicita, ſed indifferens, & prout ad bonum vel malum finem refertur, poteſt eſſe nunc bona, nunc mala. 3
Colligitur ex D. Thoma loco citato. Et rationem hanc indicat: quia quæſtus ſeu lucrum, ad quod proximè refertur, eſt quid indifferens, nec in ſua ratione includit aliquam turpitudinem. Vnde ſi lucrum intentum referatur ad honeſtam vitæ ſuſtentationẽ, vel ipſa negotiatio exerceatur, vt ſimul conuenienter Communitatis vel patriæ neceſſitatibus prouideatur, erit ipſa honeſta & laudabilis.

Obijci poteſt: Qui negotiatur cum intentione lucri, is debet vel emere rem viliùs, quàm valeat, aut vendere cariùs; alioquin enim nõ videtur poſſe lucrari: atqui vtrumque eſt contra iuſtitiam; ergò negotiatio ex ſe videtur illicita.

Reſpondetur Negando Aſſumptum: & ad Confirmationem dicendum eſt, quòd nihilominus negotiator lucrari poſſit, quia 4
contingit quibuſdam in locis res eſſe minoris pretij, vbi proinde poteſt eas emere tanti, quanti valent: in alijs autem locis eaſdem eſſe pretij maioris, quò eas deferendo poteſt pluris vendere, & non excedere pretium, quod ſcilicet ibi valent. Deinde etiam in eodem loco poteſt quis emere rem in maiori quantitate, idque tanti, quanti æſtimatur in groſſo, & poſtea per minutiores partes pro commoditate plebis diſtrahere. Quâ ratione proportionabiliter pluris æſtimatur propter accedentem laborem & induſtriam in diſtractione, ac ſimul propter periculum corruptionis, dum conſeruatur; vnde & pluris poteſt ſic vendi. Denique diuerſis temporibus mutatur frequenter rerum

 pretium

Digitized by Google

pretium: in quod tempus etiam mercatores ſolent intendere, & merces conſeruare, & quidem honeſtè ac laudabiliter, ſi id faciant, vt Reip. & conciuibus ſubueniant, quando eiuſmodi mercium contingit inopiam aut defectum obuenire: Atqui iſtis & ſimilibus modis fit, quòd negotiator conſequi poſſit lucrum, abſque eo, quòd aut viliùs emat, aut cariùs vẽdat res, quàm tẽpori & loco valeant.

DVBIVM II.

Vtrùm Religioſis & Clericis ſit interdicta negotiatio?

5 RESpondetur: Religioſis & Clericis interdictum eſt negotiationem per ſe exercere. Conſtat ex pluribus Canonibus, vt Can. Conſequens, Diſtinct. 88. Canone Negotiatorem, & Can. Fornicarij Diſt. eâdem: & Cap. vlt. De vita & honeſtate Clericorum; Clement. 1. eodem tit. Cap. Secundum Ne Clerici vel Monachi: & alibi. Et tenent DD. communiter: & ſunt iſta renouata in Conc. Trident. Seſſ. 22. cap. 2.

Rationes autem plures allegantur. Prima, quia indecens eſt & indecorum, quòd vir Eccleſiaſticus, diuinis officijs dedicatus, lucris illis ſæcularibus captandis incumbat.

Altera eſt, quia negotiatio multum occupat hominis animum, & ad terrena inclinat, à ſpiritualibus autẽ diſtrahit & auocat. Hinc Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo,* inquit, *implicat ſe negotijs ſecularibus.*

Tertia, quia in negotiatione ſæpiùs ſolent concurrere multæ fraudes, mendacia, periuria, & alia peccata à quibus oportet Clericum eſſe vel maximè remotum & alienum. Vnde D. Auguſt. ad illud Pſal. 70. *Quoniam non cognoui literaturam,* ſic ſcribit: Negotiator auidus acquirendi pro damno blaſphemat, pro pretijs rerum mentitur & peierat. Qua de cauſſa D. Chryſoſt. videtur generaliter reprehẽdere & veluti damnare loco ſup. cit. negotiatores, quia ſcilicet hæc vitia pleriſque ſunt communia: D. Thomas verò ait Chryſoſtomum loqui de negotiatoribus, qui finem vltimum in lucro conſtituunt: ſed rectiùs viditur dici, quòd quia plerique causâ lucri deprehenduntur parati ad fraudes & iniuſtitias, hinc more cõcionatorio D. Chryſ. vniuerſaliter eos reijcit, & quaſi cõdemnat.

6 Hic autem inter DD. controuertitur, Vtrũ Canones prohibentes Clericis negotiationem obligent ſub mortali? Caiet. in Summa V. Clericorum peccata, tenet non obligare ſub mortali ſi temeritas, ſi contemptus, ſi contumacia deſit: inquit. Idem docet Palatios 2. de Cõtractibus c. 10. & Rodriguez V. Negotiatio, putat eſſe probabile. Alij multi dicunt ſimpliciter negotiationem eſſe Clericis prohibitã ſub mortali, & Clericos negotiatores peccare mortaliter. Ita Molina tom. 2. diſp. 342. Salon. 2. 2. q. 77. art. 4. Vega in Epit. & Summa V. Clericus, Rebell. De obligationibus p. 2. lib. 9. q. 1. ſect. 2. Ioannes Med. Sylueſt. Angel. Armilla, & alij, vt refert Salas ſup. n. 3. Quidam verò, inter iſtos mediâ quaſi viâ incedũt, & dicunt non peccare Clericum mortaliter exercendo vnum aut alterum actum negotiationis: ſed ſi aſſiduè ſiue ex profeſſo incumbat negotiationi. Ita tenet Morla in Emporio Iuris parte 1. tit. 9. qu. 10. Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 2. Salas ſuprà dub. 2. n. 4. cum alijs quos citat: quæ doctrina videtur verior: neque enim quis dicitur exercere negotiationem, aut aut eſſe negatiator, quamuis ex occaſione aliquando & rariùs faciat aliquem actum negotiationis, vt bene aduertit Morla loco cit. & videtur quoque hic eſſe ſenſus & mens Caiet. quando dicit non peccare mortaliter, ſi abſit contumacia, contemptus, temeritas quæ non omnino abſunt, quando quis aſſiduè negotiationi incumbit: ſecus, quando tantum vnus aut alter exercetur actus.

Notant autem Medina De Reſtitut. ſu- 7
prà qu. 30. & alij DD. citati: quod & ex deſcriptione negotiationis colligi poteſt, ſcilicet non eſſe negotiatores cenſendos, qui agros proprios colunt, vt fructus vendant, & ſic quæſtum faciant; vel qui greges in prædijs ſuis alunt, vt ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiant, aut ipſa animalia adulta & ſaginata vendant. Vnde iſta nõ ſunt Clericis aut Monachis prohibita. Patet hoc ipſum ex Can. Quoniam De conſecr. diſt. 5. & cap. Clerici De vita & honeſt. Cleric. Non tamen eis licet agros aut prędia aliena ad hoc conducere, vt eiuſmodi exerceant: quamuis enim hoc non ſit propriè negotiari, tamen expreſsè eſt eis prohibitũ, cauſa 21. q. 3. Can. 1. & 3. vt tradit Sal. ſup. n. 10. cum alijs.

Non eſt quoque negotiari, vt clarè docet D. Chryſoſt. Homilia ſup. cit. ſi quis materiam aliquam comparet, ex quâ, labore manuum & induſtriâ ſuâ conficiat rem vſibus aliorum commodam, vt eam vendat. Hinc & Monachi ſolent ſportas, ſtoreas, & ſimilia conficere ac vendere, vt ex pretio ſe ſuſtentarent, vel vt haberent, vnde darent neceſſitatem patienti, ad quod & Apoſtolus hortatur: & ipſe artem Cenofactoriam exercebat, qua ſe & ſuos intertenebat, Actorum cap. 18.

Quin & poſſunt Clerici aliqua vendere carius quam emerint, quando non ex intentione ad hoc emerint, vt ſumitur ex D. Thoma hic q. 77. art. 4. ad 2. & docet Sa, Rebell. & alij locis antè citatis.

Dixi, Clericis eſſe prohibitum negotiari per ſe, ſiue in proprijs perſonis exercere negotiationem: quia id facere per alios non eſt inter-

Digitized by Google

eſt interdictum, vt communiter DD. tradunt. Ita Tabien. V. Emptio q. 26. Armilla n. 28. Sa V. Clericus n. 23. Vega ſup. V. Negotiatio caſ. 2. Arragon. 2. 2. q. 77. art. 4. ibidem Salon. Controuerſ. 4. à Valent. tom. 3. Diſp. 5. q. 20. puncto 5. Medin. C. De Reſtit. q. 30. Rebel. ſup. Rationem addit Salas ſup. n. 8. quia negotiando per alios, ceſſāt rationes prohibitionis. Imo Clement. 1. de Vitā & honeſt. Clericorum videtur id permiſſum.

DVBIVM III.

Quotuplex ſit pretium rerum vendibilium, & quod debeat cenſeri iuſtum?

8 RESPONDEO & DICO Primò: Duplex eſt rerum pretium: aliud quod vocant Legitimum, aliud quod vocant Vulgare ſiue fori, aut naturale. Sumitur ex Philoſopho lib. 5. Ethic. cap. 7. & communiter ſequuntur omnes DD.

Legitimum dicitur, quod lege Principis aut Magiſtratus conſtituitur, vt v. g. quod modius frumenti vendatur quatuor aureis; vel dum quid ſimile determinat, & ſtatuit circa res alias venales.

Pretium Vulgare, ſiue naturale dicitur quod ſine lege aut decreto Principis vel Magiſtratus, ex naturali prudentia populi conſtitutum eſt. Vnde pendet ex communi æſtimatione hominum intelligentium, qui rerum naturis, conditionibus & circumſtantijs attentis, ſic de earum valore cenſent. Ita Tolet. lib. De ſeptem peccatis cap. 47. Syluester V. Emptio, Salas ſuprà dub. 4. n. 1. & alij.

9 DICO Secundò: Iuſtum pretium in primis cenſetur, quod Principis aut Magiſtratus lege ſiue ordinatione ob bonum commune eſt taxatum. Ita DD. communiter.

Declaratur: quia iuſtum cenſetur, quod æquale eſt rei, omnibus circumſtantijs ſiue intrinſecis ſiue extrinſecis ſpectandis ſpectatis. Atque hoc determinare potiſſimùm ad ſuperiores Reipubl. pertinet, quia illorum maximè eſt ponderare circumſtantias, ex quibus æſtimatio mercium ſumenda & taxanda ſit, quatenus ſcilicet ipſorum eſt in omnibus curare bonum commune. Et cùm ad Magiſtratum prudentiores aſſumi ſoleant, meritò habentur illi aptiſſimi, qui poſſint rem illam definire. Si tamen in rebus illis negotiationis minùs eſſent verſati, oporteret, quòd alios ad ſuum conſilium in eiuſmodi determinatione facienda adhiberent. Circumſtantiæ verò in conſtituendo iuſto pretio hîc conſiderandæ, quædam ſe tenent ex parte mercium, vt ſunt copia vel inopia harum, item earū vtilitas vel inutilitas, & ſimilia: quædam verò ex parte vendentiū, vt labores, expenſæ vel pericula in illis comparandis aut conſeruandis: aliæ denique ex parte ementium, vt quod multi vel pauci eas merces appetant, quòd pecuniæ magna ſit copia vel inopia. Ita tradit Medina De reſtitutione quæſt. 31. aliquando etiam communis neceſſitas ſiue indigentia populi.

DICO Tertiò: Iuſtum quoque pretium eſt, quod communi hominum æſtimatione eſt conſtitutum. Illud autem iuſtum eſſe cenſendum, colligitur ex l. Pretia D. Ad Leg. Falcidiam, vbi legiſlator iudicat pretia non ex vtilitate & affectu ſingulorum, ſed communiter ſiue ex communi æſtimatione debere conſtitui. 10

Ratio reddi poteſt: quia iudicium priuatum cuiuſque particularis eſt corruptioni valde obnoxiū: proprij namq; quæſtus affectu ſiue cupiditate facilè peruertitur. Iudiciū autem commune ab eiuſmodi errore magis liberum eſt, quia ſuis veluti partibus hinc inde temperatur. Quare dum non ſuppetit, certior regula per principis determinationē de rerum valore, illud ſequendum eſt. Vide Nauarr. cap. 23. n. 78. & Courr. lib. 2. Var. reſolut. cap. 3. circa initium.

Obſeruandum verò eſt, Pretium legitimum conſiſtere quodammodo in indiuiſibili: Vulgare non ita, ſed habere quandam latitudinem, vt DD. communiter tradunt. Ratio diuerſitatis eſt, quia legitimum taxatur ab vno, vel à pluribus in vnum conuenientibus, & ſic ad vnum quaſi indiuiſibile determinatur: Vulgare autem à multorum iudicio, non ſic inter ſe conuenientium ac cohærentium traditur. Vnde fit, vt, quod aliqui æſtimant centum, alij æſtiment 95. alij 105. Et propterea hoc pretium dicitur eſſe triplex, ſcilicet medium, infimum, & ſummum, & vnumquodque habetur iuſtum. Quare poteſt venditor nunc vnum, nunc alterum accipere, prout occaſio ſe præſentat: & intra hanc latitudinem locum habere; intelligendum eſt commune quoddam dictum, ſcilicet rem valere, quanti vendi poteſt. Quando autem pretium lege taxatum eſt, non licet aliquid accipere ſupra illam taxationem, & ſi quid plus accipiatur, debet reſtitui. Vide Nauar. ſuprà. Sed

Petes: Quid ſi pretium legitimum diſcrepet à vulgari, v. g. pretium legitimum modij tritici ſit quatuor aureorum, interim ex aliqua occaſione contingit, vulgare non eſſe niſi trium, an licebit tunc vendere pretio legitimo? 11

RESPONDETVR: Quando pretium legitimum altius eſt, quàm vulgare, non licet ordinariè pretium legitimum exigere. Ita Barthol. Medina in Summa c. 19. & plerique alij Doctores.

 Ratio

Ratio redditur: quia ordinariè illud taxatum eſt, vt venditiones non excedant vltra; non autem, vt non deſcendant infra: quia plerumque fit in gratiam emptorum, ſiue vt non decipiantur, ſiue vt per monopolium non opprimantur.

Dixi, ordinariè; quia aliquando taxatio ſimilis fit in gratiam venditorum, vt res minoris emi non poſſit. Sicuti in venditione cenſuum perpetuorum, aut vitalium, & ſimilium iurium, quæ non ſolent homines, niſi pecuniæ penuriâ preſſi vendere: tunc enim licet pretium legitimũ exigere, quamuis vulgare non eſſet tam altum: imò qui minoris emeret infra legitimum, non eſſet in conſcientia tutus.

12 In alijs autem quando pretium legitimum eſt minus, & vulgare maius, non licet exigere vulgare, ſed tantùm legitimum, atque adeò qui plus acceperit, tenetur ad reſtitutionem. Ita docent D. Soto lib. 5. De Iuſt. q. 8. art. 4. & lib. 6. q. 2. art. 3. concl. 3. Couar. p. 3. Var. c. 3. n. 5. & 6. Nauarr. c. 23. n. 88. & conſil. 3. De empt. & vend. n. 3. Tolet. lib. de ſeptem peccatis c. 48. & multi alij quos citat Salas dub. 6. n. 1. Ratio eſt, quia illud habendum eſt verum rei pretium, quod magiſtratus ſtatuit, ad eum finem, vt non excedatur. Alterum verò, quod habetur vulgare, iudicandum eſt tali caſu introductum eſſe aſtu & cautelis mercatorum, qui eiuſmodi merces habent venales. Seruandum itaque eſt, etiamſi taxatum eſſet infra pretium, infimum naturale, quo ſecluſa lege, venderetur, quando id ex iuſta cauſa factum eſt, vt quia indigentia aut neceſſitas communis populi tale quid requirit. Imo neceſſitas poſſet eſſe tanta, quod princeps etiam poſſet cogere mercatores diuites ad vendendum, quia commune bonum eſt anteponendum vtilitati priuatorum. Ita Salas ſup. cum Bartolo l. 1. n. 1. D. De officio Præfecti vrbis: Panormit. c. 1. De empt. & vend. Couarr. p. 2. Variar. cap. 3. nu. 5. à Graffijs 1. p. deciſ. tit. 2. c. 57. nu. 12. Leſſ. lib. 2. c. 21. n. 14. & alijs, & ſic, inquit, in praxi videmus ſeruari in frumento: ſemper enim pretium minus infimo naturali taxari pro frumento ſolet. Molina autem tom. 2. diſput. 364. addit, tunc qui venderet altiùs quàm pretio taxato, ſed non excederet iuſtum naturale, quod ratione illius exceſſus non teneretur ad reſtitutionem, nec improbabile videretur. Contrarium tamen eius defendit Salas dub. 6. citato n. 5. & hæc videtur quoque mens aliorum DD. rationem addit, quia ſic vendens capit illum exceſſum domino rationabiliter inuito.

13 Obſeruandum nihilominus eſt, Si Magiſtratus notabiliter eſſet negligens, ita vt, variatis valdè circumſtantijs, ex quibus pendet æqua mercium æſtimatio, aut ſublatâ ſiue ceſſante iam cauſâ ob quam taxaſſet tam exiguo pretio, non mutaret pretium conſtitutũ, aut ſi ſpe munerũ, aut odio venditorum inductus ſic taxaſſet, tunc poſſe pretio vulgari res vendi, quia lex eſſet iniqua, vt docet Ioan. Med. ſup. q. 31. & alij, ſed tale quid de magiſtratu præſumi non debet, niſi id ipſum eſſet moraliter omninò euidens.

Petes Secundò: An res, quæ non habeat pretium legitimum nec vulgare, poſſit tanti vendi, quanti dominus vult eam æſtimare, vt ſunt v. g. raræ gemmæ, antiquæ picturæ, veteres ſtatuæ, inſignes canes, falcones, & ſimilia. Multi affirmant, vt Ledeſma 2. p. Summæ tract. 8. n. 32. Dominicus Soto lib. 6. q. 2. art. 3. circa finem: Banneſ. 2. 2. q. 77. art. 1. Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 20. puncto 2. §. 3. Ioannes Med. q. 32. Tolet. lib. de ſeptem peccatis c. 48. vnde ait ſtatuam antiquã & gemmam aliquam quattuor mille aureis vendi poſſe. Fundamentum potiſſimũ huius opinionis eſt, quia res iſtæ non habent pretiũ determinatum neq; authoritate principis, neq; communi vſu fori; ergo videtur determinatio relicta voluntati contrahentium. Confirmatur ex proloquio illo: Tantum valet res, quantum vendi poteſt, l. 2. §. Si hæres ad SC. Trebell. quod videtur maximè de eiuſmodi rebus dictum: quia in alijs locum habere non poteſt niſi ſecundum quid, vt antè indicauimus. Et quidẽ hæc ſententia probabilis eſt, tum propter rationes adductas, tum propter graues DD. qui ita docent. Oppoſitam tamen dicit Salas ſup. dub. 5. nu. 4. eſſe veram, quod ſcilicet eiuſmodi res debeant vendi iuxta æſtimationem eorum, qui talium rerum habent intelligentiam, & ſimiles res tractare ſolent, ſpectatis omnibus circumſtantijs, quæ ad valorem poſſunt conducere. Et Ita quoque docent Caiet. q. 77. art. 1. Nauarr. cap. 23. n. 78. Rebell. De obligat. p. 2. ſect. 2. nu. 10. ad 2. Mald. Tract. 5. cap. 2. dub. 1. cum alijs: & hæc ſententia æquitati & rationi eſt magis conſentanea: quia omnibus conſideratis, & raritate, & antiquitate, & artificio, & pulchritudine habent valorem non infinitum, ſed aliquem limitatum: cuius æſtimatio optimè committitur iudicio hominum prudentum, qui eiuſmodi tractare ſolent.

DVBIVM IV.

An res poßit vendi pluris, quam valeat, aut emi minoris?

RESPONDEO & DICO Primò: Contractus tum emptionis, quo res emitur minoris quàm valeat, tum venditionis, quo venditur pluris, eſt validus: nec in foro externo datur actio illi, qui reſpectiuè 14

deceptus

deceptus fuerit, niſi vel infra dimidium iuſti pretij ſit empta, aut ſupra dimidiũ ſit vẽdita: vt v.g. ſi agrum, qui centum valebat, vẽdidit quis centum quadraginta quinque, aut centum quinquaginta, valida erit venditio, nec in foro externo reſcindi poterit; ſecùs, ſi vendidiſſet centum quinquaginta quinque. Similiter ſi emptor emiſſet eumdem agrum quinquaginta quinque tantùm, aut etiam quinquaginta tantùm, valida erit emptio, nec poterit venditor agere ad reſciſſionem: ſecus, ſi tantùm emiſſet quadraginta quinque aut quadraginta octo, quamuis enim etiam tunc ſuam habeant validitatem tamen reſcindi poſſunt. Sunt hæc certi Iuris, vt conſtat ex l. 2. Cod. De reſcind. vendit. & l. 8. ibid. item ex Cap. Cum dilecti, & Cap. Cum cauſſa De empt. & vendit. & tradunt omnes Doctores. Tolerat enim vtrumque ius tam Ciuile quàm Canonicum huiuſmodi deceptionem ad vitandas innumeras lites, quæ alioquin ſequerentur. Vnde nec in foro externo Eccleſiæ datur actio illis, qui non vltra dimidium iuſti pretij ſunt læſi, quamuis Gloſſa ad Can. Eæ enim §. hoc Ius, cauſa 10. q. 2. & multi Canoniſtæ id videantur docere: ſed ſine fundamento in Iure, inquit Salas, cum etiam Ius Canonicum apertè cõtrarietur: neq; eſt in praxi, vt etiam authores iſtius opinionis plures fatentur.

15 Obſeruandum autem primò, actionẽ dari, quantumcumque modicè deceptio excedat dimidium, modò verè excedat, vt tradunt Rebell. ſup. ſect. 2. cum Tiraquello, Saliceto, & alijs: Morla in Emp. 1. p. tit. 9. q. 18. n. 3. & Salas ſup. dub. 27.

Obſeruandum Secundò, cum pretium vulgare ſit triplex, vt diximus, ſupremũ, medium, & infimum, dum læſus eſt emptor vltrà dimidium iuſti, tunc computandum eſſe à ſupremo, quia poterat venditor iuſtè vendere pretio ſupremo iuſto: E contra autem dum venditor ſic læſus eſt, tunc computandum eſſe ab infimo, qua emptor poterat iuſtè emere pretio infimo. Ita Rebell. De oblig. p. 2. lib. 9. q. 3. ſect. 2. Couar. 2. p. Var. c. 3. n. 3. Molina diſp. 349. & alij communiter: Salon. tamen 2. 2. q. 77. art. 1. controu. 17. tenet computandum à pretio medio, ſed non addit rationem aliquam efficacem.

Notant autem Pet. Ledeſma 2. p. Summę Tract. 8. c. 32. concluſ. 8. Couarr. 2. p. Var. c. 4. n. 11. & alij nonnulli, quando pretium eſt taxatum à Republ. tunc læſum etiam intra dimidium iuſti pretij poſſe ad Iudicem recurrere, qui teneatur ei ſubuenire. Rationem reddit Palacios 2. De contract. cap. 1. quoniã pretium à Rep. aut Principe texatur pro vtroq; foro ſcil. tam externo, quam interno, & proinde par eſt vt Iudex ex officio curet illud ſeruari, etiãſi alioquin in iudicio non detur actio, inquit Bonac. niſi læſo vltra dimidiũ iuſti pretij. Accedit, quod hic nõ ita militant rationes legum, cum enim hoc pretium ſit determinatũ publico edicto, & conſiſtat in indiuiſibili, facilè cognoſcitur læſio, & ita ſuper ea non ſic poſſunt multiplicari lites, præſertim cum in paucioribus etiam mercibus taxari ſolet.

Obſeruandum Tertiò, quòd ſi emptor, qui infra dimidium iuſti pretij emit, velit ſupplere vſque ad iuſtum pretium, non poſſe tunc venditorem reſcindere contractum: ſimiliter quoque, ſi venditor velit deſcendere vſque ad iuſtum pretium, non poſſe emptorem ad reſciſſionem contractus agere, etiamſi vltra dimidium antea fuiſſet deceptus. Ita Syluest. V. Emptio q. 8. & alij. Hinc Rebell. ſup. ſect. 2. Molina diſp. 349. cũ multis Iuriſperitis docent, ſi emptor vltra dimidium iuſti pretij læſus ſit, & rem alienauit, aut conſumpſit, aut deteriorem reddidit, non illi dari actionem in foro externo aduerſus venditorem, quia impediuit optionem, quam venditor ex iure habebat ad reſcindendum contractum, vel reddendum exceſſum pretij. Couarr. tamen p. 2. Variar. c. 4. in fine, & Pinello lib. 2. Cod. de Reſcript. p. 2. c. 1. n. 39. contrarium tanquam æquitati & rationi naturali magis conſonum tuentur.

Obſeruandum Quartò, ſi læſio contingat etſi non vltra, ſed intra dimidium iuſti pretij, per dolum ſiue deceptionem actiuam propriè dictam, in qua mendacium aut falſitas interueniat, tunc dari actionem etiam in foro externo, l. 1. §. Perſuadere D. De ſeruo corrupto, l. Et eleganter 7. D. De dolo: & ita docent Panorm. Cap. in ciuit. De vſuris: Couarr. 2. Variar. c. 4. n. 11. Pinellus lib. 2. Cod. de Reſcriptis p. 2. c. 1. n. 8. & alij.

DICO Secundò: Etiamſi non excedatur vltra dimidium iuſti pretij, tamen cariùs vendere, aut viliùs emere, quàm res valeat, eſt ſecundùm ſe iniuſtum & illicitum, atque adeò peccatum mortale, ſi in aliqua notabili quantitate fiat: redditque ſic vendentem aut ementem reſpectiuè obnoxium reſtitutioni. 16

Eſt contra quoſdam Iuriſperitos, quos refert Salon. 2. 2. q. 77. art. 1. controu. 17. qui exiſtimant in illis non eſſe peccatum; & contra Gerſonem tom. 2. Alphab. 35. tract. de Contract. p. 2. propoſ. 11. qui quamuis fateatur eſſe illicitum & peccatum, negat tamen inde oriri obligationem reſtituendi. Sed aſſertio eſt Diui Thomæ q. 72. art. 1. vbi expreſſè docet, illa ſecundùm ſe eſſe iniuſta, & illicita, & omninò paſſim communis aliorum. Patet, quia quando vel pretium excedit valorem rei, vt fit quando cariùs venditur, quàm res valeat, vel contrà valor rei excedit pretium, vt fit quando emitur viliùs, tollitur æqualitas quam poſtulat iuſtitia; ergò &

Digitized by Google

gò & peccatur contrà iuſtitiam & naſcitur obligatio reſtituendi, per ſe loquendo. Quãdo autem id fieri cenſendum ſit, ſatis ex dictis Dubio præced. poterit colligi.

17 DICO Tertiò: Per accidens tamen poteſt contingere, quòd neque iniuſtum neque illicitum ſit, vendere rem aliquam pluris, quàm ſecundùm ſe valeat, aut eam minoris emere. Eſtque prior pars expreſsè D. Thomæ loco cit. & altera à ſimili facilè poterit declarari.

Rationem autem hanc indicat idem D. Th. quia ex certis occaſionibus & particularibus circumſtantijs poteſt aliquid obuenire, vnde ad rem, vt hîc & nunc, vel ab hoc aut ab iſto emitur, accedat aliquid pretio æſtimabile, vel aliquid quaſi deperdatur. Quare tunc pretium iuſtum erit: non quod rei quæ venditur vel emitur, ſimpliciter ſecundùm ſe ſpectatæ ſit æquale, ſed quod, habitâ ratione huius vel illius concumſtantiæ, cenſetur ipſi æquale.

Plures autem huius Concluſionis à Doctoribus allegantur caſus. D. Thomas loco cit. ponit hunc, quòd alicuius multùm interſit, retinere rem aliquam, quam alter emere cupit, & interim alter non poſſit, ſine ſua læſione vel damno, carere eâ re: tunc enim iſtæ poterit rem illam vendere cariùs, quàm ſecundùm ſe valeat: quia poteſt quoque æſtimare damnum, quod ratione carentiæ incurrit. Imò ſi peculiariter iſti rei afficiatur, & illâ oblectetur, & in gratiam alterius vendat, & ſe illâ exuat & priuet, poterit quoque ratione illius, pluris vendere, vt tradunt Medina de Reſtitut. q. 31. Nauarr. c.23. n. 21. Salon. 2.2. q.77. a.1. controu.18. Bonac. de Contract. diſp.3. q.2. p.4. n.15. & alij, quos citat: quod ponit ipſe locum habere etiam in re, cuius pretium à principe eſt taxatum: quia princeps conſtituit pretium ſuper re ipsâ ſecundum ſe, non habitâ ratione damni aut alterius incommodi obuenientis vendenti ex carentia iſtius rei. Rectè autem D. Thomas loco citato monet, Etſi emptor multum ex re emendâ lucretur, multumque ſit illi vtilis aut commoda, non ideo venditorem poſſe pluris vendere, ſi ipſe ex venditione non damnificetur aut aliquâ commoditate priuetur, carendo re illâ: quia vtilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis: Nullus autem poteſt quod ſuum non eſt vendere alteri: quod benè notandum eſt, quia frequenter contra hoc peccatur: poteſt tamen emens propriâ ſponte aliquid vendenti ſupererogare, inquit, D. Th. quod pertinet ad honeſtatem eius, qui ex re alterius habitâ multum iuuatur.

18 Alium caſum ponunt Doctores in ſubhaſtationibus & auctionibus publicis. Ita Caiet. hic ad quæſt.77. art.1. Pet. Nauarr. l.3. c.2. n.36. Medina ſup. Mald. Tract. 5. c.2. dub. 2. Tolet. lib. 8. cap. 27. à Valent. tom. 3. diſput. 5. quæſt. 20. puncto 2. Bonac. ſup. num. 21. & alij. Ratio ſolidior videtur eſſe: quia poteſtas publica cenſetur illud pro iuſto pretio iſtius extraordinarij fori & quaſi fortuiti æſtimare, quod in publico emptorũ concurſu, tamquam examine quodam, probatum fuerit. Vnde ſiue notabiliter infra, ſiue ſupra, quàm ſecundùm ſe valeat, empta aut vendita res ibi fuerit, cenſetur emptio aut venditio iuſta & licita. Addunt multi, id locũ habere, etiamſi ſupra aut infra dimidium iuſti pretij res vendita vel empta fuerit. Ita Nauarra ſup. nu.37. & multi mòdò nunc citati. Alij tamen nonnulli docent in venditione ſub haſta, iuſtum pretium nõ eſſe cenſendum habere tantam latitudinem, ſed illud admittunt tantùm in iſto foro iuſtum, quod non excedit medietatem pretij, nec ab ea deficit quo alioquin venderetur res, ſi non ſub haſta exponeretur: vnde qui infra dimidiũ emiſſet, teneretur in cõſcientia ſupplere, & qui ſupra vendidiſſet, deberet reſtituere vſque ad rationem iuſti pretij in tali foro. Ita Garzias de Contract. c.21. n.2. conclu.2. Molina tom.2. diſp.349. Filliuccius Tract.35. c.6. qu.9. n.141. apud Bonac. ſup. & Lopez, & ex parte Malder. Quandoquidem enim Iura aliàs concedant alteri ſic læſo actionẽ ad reſcindendum contractum, non eſt veriſimile, quòd hîc vellet poteſtas publica ex quâcumque conſideratione, habere illud pretium vt iuſtum, quando tanta intercederet inæqualitas, conſiderando rem & pretium extra illã vendendi & fori rationem. Et exiſtimant ex illis quidã etiam tunc ſic læſo ſubuenire, l.2. Cod. de Reſcind. vendit. & ita dari actionem in foro externo ad reſciſſionem Contractus.

Obſeruandum autem hic eſt, quod quæ dicta ſunt de latitudine iuſti pretij in venditione ſub haſta, eſſe intelligenda, modò non interueuerint fraudes, vt ſit quando venditor inducit fictos emptores vt pretium augeatur, vel quando alius per vim aut dolum auocat aut impedit emptores ab emendo, vt minoris emat: vel quando bona alicuius ſic ſponte venduntur ſub haſta inter paucos ad inuicem familiares præmiſſo pacto non perueniendi niſi ad tale pretium, vel procurando vt licitatio citius terminetur quando ipſe vel alius ſub eius nomine offert: in quibus caſibus oritur obligatio reſtitutionis aut ſuppletionis pretij, quia læſo eſt illata iniuria cũ damno. Ita Garzias, Filliuccius, Bonacina, & alij Doctores citati. Debet autẽ iſta reſtitutio aut ſuppletio pretij fieri vſque ad quantitatem, qua res illa extra ſubhaſtationẽ venderetur, vt mox indicauimus. 19

Tertius caſus ponitur, quando ex conſpiratione

ſpiratione venditorum fit, vt vulgare pretium nimis intendatur, vel ex conſpiratione, nimis remittatur: tunc enim ſi quis poſſit emere infra pretium ita vltra æquitatem, auctum, aut vendere ſupra pretium, ſic indebitè diminutum, non iniuſtè nec illicitè faciet ita mercando, modò intra terminos pretij conſiſtat, quod communis æſtimatio habet tamquam iuſtum & æquum: ratio eſt, quia hoc ſolùm eſt ſe contra iniuſtam quaſi oppreſſionem tueri.

20 Quartus caſus ſit, quando venditor offert & rogat emptorem, vt emat, quia illi commodum ſit nunc vendere, non autem alteri multùm opportunum nunc emere: poterit tunc emptor minoris emere, quàm ordinariè res ſecundùm ſe æſtimetur valere. Ita Caiet. ſup. Medina q. 32. Couar. ſup. n. 5. & Pet. Nauarra n. 31. Sic in fine nundinarum ſolent ex talibus reſpectibus merces minoris emi aut vendi. Idem tradunt Filliuc. ſup. c. 3. n. 70. Bonac. n. 21. Eman. Sa V. Emptio, n. 4. & alij.

Rationem autem aſſignat Nauarra, quòd res in manibus vltroneè offerentis quodammodò vileſcat, & ſic minoris valeat; non quidem ſimpliciter, ſed in ordine ad hîc & nunc ex tali occaſione ementes: tum quia hi qui tali occaſione emunt, minus re illâ indigent, minuſque illis eſt commoda: tum quia ſignũ eſt, quod emptores ſint rariores.

Quintus caſus ponitur, Quando venditor vel emptor præſumitur donare, quod ad iuſtum pretium deficit aut ſuperexcedit. Ita Medina ſup. q. 31. & 32. Molina Diſp. 351. Salas dub. 31. Pet. Nauarra n. 27. Mald. ſup. & paſſim alij. Non tamen hîc facilè quis iudicandus eſt aut præſumendus donare, niſi det aliquam illius rei ſignificationem, aut iuſtum ſubſit argumentum: vt ſi familiares aut coniuncti ſint, qui ſoleant ſibi gratiam præſtare. Quare non debet præſumi donare is, qui licet probè ſciat rem non valere vltra decem, tamen ex aliquo affectu erga rem illam, offert & ſoluit tredecim aut quindecim, quia aliter eam comparare non poteſt: multò minùs autem is, qui ex ignorantia valoris aut ex imprudentia & animi leuitate offert pretium maius iuſto. Vide plura apud Malderum ſuprà.

DVBIVM V.

Vtrùm is, qui intellexit copiam aliquam mercium breui aduehendam, & proinde earum pretium eſſe minuendum, poſſit eas vendere pretio currente?

21 NEgant Conrad. de Contractibus Tract. 3. q. 62. & q. 63. Ioannes Medina Cod. De Reſtitut. q. 35. Emanuel 2. p. Sum. c. 81. n. 10. Bart. l. Quæro 1. D. De act. empt. & alij Iuriſperiti. Sed communior & verior ſententia affirmat. Ita expreſsè docet D. Thomas q. 77. art. 3. ad 4. vbi dicit illum poſſe ſic vẽdere abſque iniuſtitia: item Caiet. Banneſius, Arrag. ibidem, ille dub. 4. hic dub. 2. Soto lib. 6. q. 3. art. 2. Sylueſter V. Emptio q. 13. Rebell. De oblig. p. 2. lib. 9. q. 6. Molina diſp. 354. Salas Dub. 32. Tolet. lib. 8. ſiue de ſeptem peccatis c. 50. n. 3. Couar. ſup. §. 4. n. 6. & alij plures.

Probatur: quia res iuſte venditur, quando venditur iuxta communem æſtimationem pro tempore vigentem: nam iuſtum pretium eſt, quod vel Principis lege, vel communi æſtimatione impoſitum eſt. Neq; priuata alicuius particularis venditoris ſcientia hanc communem æſtimationem mutat, & proinde nec iuſtitiam pretij. Quemadmodum neque priuata ſcientia emptoris, qui cognouit futuram magnam inopiam mercium, & proinde pretium augendum: nam alioquin emptor ille non poſſet eiuſmodi merces emere pretio currente: quod tamen verum non eſſe, ſatis poteſt colligi ex facto Patriarchæ Ioſeph, Geneſ. 41. Confirm. quia nõ minus valent merces ſcientis copiã futuram, quàm ignorantis, atqui dum ignorans vendit eaſdẽ merces, pretio currenti, cenſetur pretio iuſto vendere, nec quiſquam dicet illum propter aliquã iniuſtitiam vel inæqualitatem commiſſam teneri ad reſtitutionem.

22 Opponit Medina, Quòd illa communis tunc vigens æſtimatio non ſit ſana & prudens: quia non ſit facta ex omnibus circumſtantijs, ad eam rem facientibus.

Reſpondetur, Neg. Aſſumptum: & ad Confirmationem dicendum eſt, quòd æſtimatio illa facta ſit ex omnibus circumſtantijs, quæ pro illo tempore ſunt conſiderandæ: Illud autem ſufficit, vt habeatur prudens & recta æſtimatio: Declaratur, quia facta eſt ex illis omnibus, quæ publicè aut communiter dignoſcuntur interuenire: Neque verò debet æſtimatio illa fieri ex priuata ſcientia alicuius viri particularis: quia talis æſtimatio obnoxia foret multis fraudibus, ac etiam calumnijs, & Reip. perturbatiuã.

Aduertendũ tamẽ eſt, eiuſmodi mercatori licitum non eſſe, mendacijs, aut dolis, aut indebitis blanditijs allicere & inducere emptorem ad emendum, quia ſic eſſet illi iniuſta cauſa damni: vnde ipſe tali ad reſtitutionem foret obligatus. Vt tradunt Molina & Rebell. ſup. & Salas dub. 31. quod etiam locum habere docet Lopez 1. De Cont. c. 47. dicto 5. quando venditor interrogatus ab emptore de aduentu mercium mentiendo negat, aut cautè diſſimulat: quamuis aliter

Banneſ.

Digitized by Google

Banneſ. Arragon. & Salonius de hoc ſentiant excuſantes tanquam mendacium officioſum reſpectu vendentis ipſius: Niſi emptor adderet quod propter verbum venditoris emeret, aliàs non empturus. Rectè autem ait D. Thomas, talem poſſe vendere pretio currenti abſque vitio iniuſtitiæ: quia interdū hic poterit eſſe peccatum contra charitatem: Vt ſi quis vni alicui ingentem copiam talium merciū vendat, vnde hic damnum valdè graue ſit incurſurus, cum detrimento ſtatus ac familiæ ſuæ; ordinariè tamen, ſi communi modo & abſque notabili onere vnius, eas diſtrahat, non erit quoque contra charitatem. Quod ex D. Thoma poteſt colligi qui de tali dicit, quod abundantioris foret virtutis, ſi pretium minueret, vel alijs futuram abundantiam exponeret.

DVBIVM VI.

An venditor teneatur emptori explicare defectum ſeu vitium mercium?

23 RESPONDEO & DICO Primò: Quando ſubeſt defectus ſeu vitium in mercibus quoad ſubſtantiam, qualitatem, vel quantitatem, & venditor defectū ſciens vendit illas vt ſynceras & indefectuoſas æquali pretio cum integris, committit fraudem & peccatum iniuſtitiæ, atque ad reſtitutionem tenetur, ſaltem quanti minoris eſſent emendæ ratione defectus.

Colligitur ex D. Thoma q. 77. cit. art. 2. Ratio eſt euidens: quia in tali contractu non obſeruatur æqualitas debita inter mercem & pretium: neque enim merces ſophiſticatæ aut aliter defectuoſæ valent tantum, quantum ſynceræ & integræ. Itaque peccant hoc modo qui vitrum tanquam gemmam, qui vnam ſpeciem medicamēti tamquam alterā vendunt; qui argento commiſcent ſtannum, aut aliam viliorem materiam, qui vino miſcent aquam. Quod enim eſt permiſtum, inquit D. Th. patitur defectum, quantum ad ſpeciem: & tamquam contra tales dictum adducit illud Eſaiæ cap. 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ.* Et quidem ſi error ſit in ſpecie ſimpliciter, contractus redditur omninò irritus, vt docent paſſim DD. quia error dat cauſam contractui, adeoque facit inuoluntarium: multi tamen DD. tenent, quando vna ſubſtantia pro alia venditur, quæ æquè bona eſt, & æquè vtilis emptori ad finem ſuum, tunc contractum & validum & iuſtum eſſe, Ita Tolet. lib. 8. c. 41. à Valentia tom. 3. diſp. 5. p. 4 q. 20. Salon. 2. 2 q. 77. art. 3. contr. 1. Arrag. ibid. Molina diſp. 353. qui etiam addūt contractum fore validum etiamſi res ſit aliquantulū deterior. Vide Salas ſup. dub. 35. Peccant quoq; qui vendunt merces tamquam maioris ponderis, aut vt in maiori numero, quàm ſint. Vnde notanter delinquūt, qui vtuntur menſuris aut ponderibus deficientibus; quod reprehenditur Deuter. cap. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor: abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Et Prouerb. cap. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum:* Ita etiam peccant, qui animal infirmum vendunt, vt ſanum; ſemina antiqua, vt recentia, medicamenta emortua, tanquā vigoroſa: cuiuſmodi laborant defectu in qualitate.

DICO Secundò: Non ſolùm talis venditor, qui ita ſciens defectum, merces ſuas vendit, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, quanti minoris res valet, ſed etiam obligatur ad reparationem damnorum quæ emptori quaſi extrinſecùs obueniunt ex mercibus illis defectuoſis aut adulterinis. Vnde qui vnum medicamentum vendit loco alterius, ex quo contingat infirmum non ſanari, aut ægrotare magis, tenetur ad damnum & intereſſe illius. Similiter qui vendit ſemina emortua, vnde alter fruſtraretur herbis ſperatis: aut qui vendit equum defectuoſum, vnde fit, quòd emptor poſtmodum in profectione ſua cogatur non ſine ſumptu ſubſiſtere: tenebuntur eiuſmodi venditores incommoda & damna ſupplere; præſertim quando præuidere potuerunt eiuſmodi ſubſecutura. Eſt D. Th. q. cit. ar. 3. 24

Ratio eſt: quia venditor dedit iniquè cauſam iſtis malis & damnis: nam venditor, inquit D. Th. qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni vel periculi occaſionem, quòd rem vitioſam illi offerat, ſi ex eius vitio damum vel periculum incurrere poſſit.

Dixi in vtraque Concluſione, quando venditor defectum ſciens &c. quia ſi ipſe inculpabiliter ignoraret, non peccaret ſic vendendo. Attamen propter inæqualitatem & materialem iniuſtitiam, vbi errorem agnouerit, tenebitur emptori defectum reſarcire, quanti minoris valet: ſed non etiā reparare damna, ſi quæ forſitan emptori ex vitio mercium obuenerint, vt tradit Mald. ſup. dubio 8. quia non dedit culpabiliter iſtis damnis cauſam.

DICO Tertiò: Similiter vt venditor, ita & emptor peccabit, ſi merces integras & ſynceras emat tamquam adulterinas aut defectuoſas, quando ipſe integritatem nouit. 25

Ratio eſt manifeſta: quia viliùs & infra iuſtum pretium eas emit. Vnde & ad ſuppletionem pretij tenetur vſque ad æqualitatem cum mercibus integris & indefectuoſis, vt habet quoque D. Th. art. 2. ſuprà cit.

DICO

26 DICO Quartò: Tenetur venditor indicare emptori vitium occultum ſuarum mercium, ex quo poſſit ei damnum aut periculum obuenire: neque extra culpam erit, etiamſi tanto minoris eas vendat, quanto minoris propter defectum ſunt æſtimandæ, ſed reus erit & incommodi & periculi, quibus emptorem exponit. Vnde ad hæc impedienda obligatur quamdiu res adhuc ſit integra; & ad eorum reparationem, ſi mala ſint ſecuta.

Eſt D. Thomæ quæſt. cit. artic. 3. Et communis omnium, & Confirmari poteſt ex diuerſis legibus, vt l. Si vina quæ in dolijs 15. D. De periculo & commodo rei venditæ, & l. Iulianus 13. D. De actionib. empti & venditi: item ex l. 1. D. De Ædilitio edicto; vbi ſtatuitur, vt venditor aperiat vitia occulta, alioquin concedi actionem rehibitoriam.

Rationem indicauimus iam antè, quia vẽditor non manifeſtando vitium occultũ, ex quo natũ ſit alteri damnum aut periculũ aduenire, cenſetur ei cauſam damni dare: obligatur enim ex officio explicare conditionẽ rei ſuæ quam vendendam exponit. Hinc plerique Doctores addunt, ſi venditor percipiat emptorem emere ad reuendendum tunc quoq; debere manifeſtare vitium, ne hic reuendat maiori pretio, quam cum tali vitio valeat. Ita Caiet. 2. 2. quæſt. 77. art. 3. Salas & alij paſſim.

27 Addit autem D. Th. quòd qui rem habet ſibi non conuenientem, quæ alijs foret conueniens, poſſit eam vendere, nõ declarando ipſis defectum, modò ſubſtrahat de pretio tantum, quantum oportet: quia, inquit, fortè emptor propter eius defectum vellet plus de pretio ſubtrahi, quàm ſit ſubſtrahendum. Vnde licitè, inquit, poteſt venditor ſuæ indemnitati conſulere, vitium rei reticendo.

Addunt & alij nonnulli, ſi forſitã emptor, ſuo fidens ingenio & induſtriæ, de defectu non inquirat, neq; ad quẽ emat vſum explicet, ſed tantũ de pretio interroget, non peccaturum cõtra iuſtitiam, venditorem etiamſi occultum vitium ipſi non declaret, modò minuat de pretio ad æqualitatem defectus, & poſt cõtractum exponat illi conditionem rei, vt ſibi emptor à damno & periculo poſſit cauere. Rationẽ reddunt: quia venditor non videtur hîc iniuriam aliquam committere: nam in ipſo contractu non eſt iniuſtitia, quia, vt ſupponitur, res venditur iuſto pretio: & non fit emptori iniuria, quia nec mendacijs nec fraudibus ad emendum allicitur.
28 Dicunt, Et poſt contractum exponat conditionem rei; quia Doctores omnes in eo ſatis conueniunt, quòd venditor, qui principaliter conditiones rei vendendæ nouit, teneatur ex iuſtitia cauere, ne emptor ob defectum mercium incidat in damnum, aut periculum, quod præuidere ipſe poterat. Vide Soto lib. 6. q. 3. art. 2. & Anton. 2. p. tit. 1. c. 17. §. 6. qui etiam addit ibid. venditorem non ſatisfacere, ſi res ſit periculoſa, (vt ſi iumentum ſit malignum,) detegendo vitium emptori, ſed debere non vendere ei quẽ ſcit ſuâ leuitate non curaturũ de periculo, vel ex ſua iniquitate, iniuſto pretio alteri venditurũ: ſed hoc videtur potius eſſe charitatis, quã iuſtitię, pręſertim, ſi ante emptionẽ declaret.

Dicunt etiam, Non peccaturum contra iuſtitiam, quia fatentur poſſe interuenire peccatum contra charitatem: vt ſi venditor videat emptorem ex ſimplicitate decipi, & emere rem ſibi non futuram vſui. Nam tametſi poſſit videri iuſtitiæ ſatisfieri, ſi moneat poſt contractum, quòd res non conueniret ad vſum quem emptor intendebat, vnde eam poteſt ad alium applicare, vel iterum diuendere, tamen charitas exigere videtur, ne permittat eum in tale incommodum incidere, quod non poſſit ſuæ neceſſitati hic & nunc conſulere. 29

Quòd ad vitia manifeſta attinet, docet D. Thomas artic. 3. citato, non eſſe per venditorem illa exponenda. Ita quoque docent de Graffijs 1. p. Deciſ. lib. 2. cap. 116. num. 4. Nauarr. cap. 23. num. 89. Dominicus Soto lib. 6. quæſt. 3. artic. 2. & alij paſſim. Monent tamen nonnulli, quamuis vitium haberetur ſimpliciter manifeſtum, ſi tamen reſpectu huius emptoris ob certas circumſtantias putaretur occultum, quod tamen venditor teneatur cum hoc emptore agere, perinde ac ſi defectus ſimpliciter occultus foret: Ita Panormit. Cap. Iniuſtis de rerum permutatione, Syluester V. Emptio num. 20. Medina De reſtitut. quæſt. 34. Contrarium autem tenent Sa V. Venditio num. 22. Dominicus Soto ſuprà. Sed rectè quidam diſtinguunt, & dicunt ſi emptor ex negligentia aut vincibili inaduertentia non attendat vitium, tunc non venditori, ſed ipſi hoc imputandum, quia ille non tenetur ex iuſtitia de vitijs manifeſtis, illum monere, & quia facilè poterat obſeruare: ſecus autem ſi aduertere nequeat, quia eſt cœcus, aut in illis rebus omninò imperitus.

Quæri hic poteſt, vtrùm emptor teneatur quoq; venditori aperire præſtantiã & virtutes mercis, ſi ipſe forſitan ignoraret? Reſp. Primò, omninò tenetur emptor explicare virtutes & qualitates, quæ in communi æſtimatione augent mercis illius pretium. Ita D. Th. q. 78. a. 2. & communiter alij quos citat Salas dub. 36. Hinc ſi venditor putet mercẽ eſſe ex parte corruptam, aut vitio laborare, emptor autem nouit eſſe integrã, & ſine vitio, tenetur hoc manifeſtare: vnde & Caiet. in eo paſſim reijcitur, quod V. Emptio docet quod quis ſciens valorem gemmæ, quem ruſticus volens vendere ignorat, ſi talis moneat

illum quod velit ipſe emere tutâ conſcietiâ: & proinde videat, num velit ipſi cōdonare, ſi quid amplius valeat, & ruſticus dicat ſe velle, quod tum liberâ conſcientiâ poſſit tantillo emere. Rationē reddit Salas, quia cōdonatio iſta hoc ipſo quo in pactū deducitur, nō eſt gratioſa & liberalis, & proinde nec donatio: ſicuti non iuſtificaret Vſurarium, ſi in pactū deduceret, quod mutuatarius illi daret, & condonaret ſi quid ſoluet vltra ſortem. Si quis tamē particulariter ſciret virtutem aliquā lapidis alicuius pretioſi, quæ cōmuniter etiam lapidarijs ſit ignota, poſſet illū emere pretio ſecundum æſtimationē communem eorum qui nouerunt ſpeciē lapidis: quia ex hac ſumitur iuſtitia pretij. Similiter ſi in quibuſdā locis gemmæ, parui æſtimentur, quæ alibi valde magni fiāt, poterit quis ibi emere ſecundū ęſtimationē quam illic habent: Ita Salas dub. cit. n. 7. 8. & 9. cū multis ibi citat.

DVBIVM VII.

An cariùs liceat vendere credito, quàm pecuniâ paratâ?

30 RESPONDEO & DICO Primò: Quando pretium iuſtum habet quandam latitudinem, tunc intra limites huius pretij licitum eſt rem cariùs vendere dilatâ ſolutione, quàm præſenti pecuniâ eandem venderet: v. g. poterit rem ſummo ſeu rigido pretio vendere, quando differtur ſolutio, quam alioquin venderet infimo vel medio, ſi parata exhiberetur ſolutio. Eſt communis omnium: &c.

Ratio eſt euidens: quia omne illud pretiū eſt iuſtum, neque ab æquitate eſt alienum, quod ex tali occaſione venditor perſiſtat in exactione pretij ſummi intra latitudinē iuſti.

31 DICO Secundò: Supra pretium ſummum, quo iuſtè res vendi poterat præſenti pecuniâ, non licet eam vendere ob ſolam dilationem ſolutionis. Ita Diuus Thomas opuſc. 67. & hîc q. 78. art. 2. ad 7. Ibidem Caiet. Arragon. Salon. & Soto lib. 6. quæſt. 3. art. 2. & paſſim omnes contra nonnullos quos citat Salas dub. 41.

Probatur: quia ſolutionis dilatio eſt implicitum quoddam mutuum: differre enim ſolutionem ſeu ſolutionis dilationem concedere, perinde eſt, ac ſi acceptam à debitore pecuniam eidem mutues, atqui ratione mutui nihil licet vltra ſortem accipere; ergò etiam nihil vltra pretium iuſtum.

32 DICO Tertiò: Poſſunt tamen concurrere alij tituli, ex quibus licebit aliquid amplius exigere: vti primò ratione lucri ceſſantis, vt docent omnes, & amplius declarabitur in Tractatu de Mutuo & Vſuris. Quò referri poteſt caſus, in quo venditor merces erat ſeruaturus vſque ad præfixum tempus ſolutionis faciendæ, ſi tunc cariùs eas venditurus erat: vt ſi, v. gratia, grana vel aromata quæ nunc quinque libras valent, venditurus ſit ſex, plus minuſve, licebit ea nunc vendere ſex, vt conſtat ex Cap. In ciuitate De vſuris: Secùs, ſi non erat merces ſuas ſeruaturus, vt colligitur ex Cap. Nauiganti eodem tit. & tradunt Doctores communiter contra Caietanum quæſt. 78. artic. 2. ad ſeptimum. Neque refert, quòd citato Cap. In ciuitate ſimpliciter dicatur non eſſe vſurarium vendere pretio, quod tantum, plus minuſve futurum putatur tempore ſolutionis, non factâ mentione, an venditor erat rem ſeruaturus. Nam id manifeſtè ſupponitur, quia ſatis indicatur quod ratio ſeu titulus iuſtificandi contractum illum allegatum ſit lucrum ceſſans: lucrum autem non ceſſaret illi ex futuro incremento pretij, ſi non erat ad illud tempus rem ſuam ſeruaturus. Deinde in citato Cap. Nauiganti id omninò exprimitur, ſi tamen ea tempore contractus, (habet textus) non fuerat venditurus: vtriuſque autem Capituli idem eſt caſus, vt notat ibidem Gloſſa. Hinc venditor ille quoque poſſet inire talem contractum cum illo qui credito vult emere, quod ſoluet tantum, quanto vendentur in iſto tempore in quod ſeruaturus erat, ita vt ſi pluris vendantur, quam modò, plus ſoluet: ſi minoris; ſoluet etiam minus. Ita Couar. lib. 2. Variar. cap. 3. nu. 6. Soto lib. 6. De Iuſtitut. quæſt. 4. artic. 2. Banneſ. 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 7. Molina diſp. 355. Bonac. De contract. diſp. 3. q. 2. p. 4. & paſſim alij: quia venditor non tenetur pati damnum in gratiam emptoris. Et videtur hæc ratio contrahendi magis probanda quàm prior, quia minus obnoxia periculo palliatæ vſuræ. Notat autem rectè Bonac. quod ibi tamen detrahenda eſſet æſtimatio cuſtodiæ & periculi: addo & ipſius decretionis ſi ſint merces quę ſolent notabiliter minui. Neq; facienda eſt conuentio, quod ſoluet ſummum pretium iſtius temporis, cum venditor non ſit certus, quod venderet ipſe pretio altiſſimo. Dixi, & ſi tempore iſto venderentur minoris, quod emptor quoque minus ſolueret: quia non eſſet licitus contractus, quod emptor ſolueret pretium futuri temporis, ſi eſſet maius quàm modò: & ſi eſſet minus, quod tum ſolueret pretium vt nunc eſt currens: quia per talem contractum iniquè grauatur emptor: ſed vt æqualitas ſubſiſtat, debet venditor eſſe contentus pretio futuri temporis deſignati, etiamſi tunc minus foret quam modò, vt docet Couar. lib. 2. cap. 3. n. 6. & alij.

Secundò, pluris licebit vendere ratione dāni emergentis: quò referri poſſunt expenſę 33 in ſolutionis aſſecutione ſubeundæ, ſi quæ probabiliter putentur faciendæ: vt admittunt paſ-

Digitized by Google

tunt paſſim, prout teſtatur Salas ſuprà nu. 5. Huc quoque multi referunt periculum ſortis, ratione cuius dicunt poſſe pluris vendere credito, quàm pecuniâ paratâ. Ita Medina De reſtitut. quæſt. 38. §. ad tertium caſum & in 4. cauſa. Petrus Nauarra lib. 3. De reſtitut. cap. 2. num. 10. Molin. diſput. 304. Arragon. quæſt. 77. artic. 4. Salon. quæſt. 78. art. 2. Controuerſ. 26. Malderus Tract. 5. cap. 2. dub. 2. contra Nauarrum cap. 23. num. 81. & alios quoſdam; & ratio reddi poteſt, quia exponere ſe iſti periculo eſt pretium æſtimabile. Notat autem Molina & Malder. dub. 2. citato, quòd hoc in caſu venditor debeat emptorem huius rei monere, qui forſitan alibi ſine illo grauamine emere poterit, vbi plus fidei habet, vel magis notus eſt: ſed de his & alijs obſeruandis, quando aliquid ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis accipitur, plura erunt dicenda infrà in Capite ſequenti de Mutuo & Vſuris.

34 Ex dictis autem titulis ſæpiùs mercatores ab iniuſtitia excuſantur, quando ſic merces ſuas pluris credito vendunt; quàm venderent pecuniâ numeratâ, quia ordinariè aliquis, aut plures ex illis concurrunt. Communiter enim ſi præſentem pecuniam reciperent, mox ad nouam mercaturam applicarent, vnde quæſtum facerent: vel ab alijs pecunias ab intereſſe acceperunt, quo onere ſe liberarent, ſi pecunias paratas ex mercibus reciperent: aut imminet aliquod periculum de pretio vel parte pretij non obtinenda. Cauere tamen debent, ne hos titulos nimis magni æſtiment. Accedit, quòd modus vendendi credito, ſoleat parere maiorem multitudinem emptorum, vnde contingit ipſum pretium mercium augeri. Quod tunc potiſſimùm ſolet habere locum, quando ex longinquis partibus in maxima quantitate merces externæ ſimul adducuntur: multò enim plures accurrunt emptores, quia nouerunt eas credito vendi ſolere, quàm accurrerent, ſi tantum pecuniâ præſenti venderentur. Sed

35 Petes, An quis ex incontinenti poſſit minoris pecuniâ præſenti redimere, quod credito iam pluris vendidit: v. g. credito quis vendidit pannum duodecim, quem pecuniâ paratâ vendidiſſet tantum decem, vtrùm ipſi liceat ſtatim redimere præſenti pecuniâ pro decem?

Reſpondetur, Hoc in primis certum eſſe, non licere venditori obligare emptorem ad ſibi, vel ſuo ſocio ſtatim eiuſmodi reuenditionem faciendam: imò ſi eo animo vendat credito, vt mox numeratâ pecuniâ redimat minoris, aliàs credito non venditurus, non excuſabitur ab vſura palliata, vt docet Summa Angelica V. Vſura 1. num. 6. Molina tomo 2. diſp. 310. Caiet. V. Vſura cap. De vſura implicita: Syluest. V. eodem quæſt. 4. Nauar. cap. 17. num. 241. Malderus ſuprà dub. 12. & alij. Ratio eſt, quia qui ſic credito vendit, conuincitur ſuo facto, quod non intendat niſi mutuare, & inde lucrum accipere. Oppoſitum tamen tenet Salas dub. 37. ſed videtur non ſatis tutum pro conſcientia, & metuendum eſt ne ibi locum habeat: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Nihilominus ſi quis recta & ſimplici intentione credito vendidiſſet, & poſtea emptor exhibeat eandem rem vendendam, non peccabit venditor, ſi eam iterum emat pretio numerato tanto, quanto alius quiſpiā illā empturus putabatur. Meritò tamen quibuſdam in Regnis, vt in Luſitania interdictum eſt ſub pœna amittendæ actionis ſuæ tum in emptorem, tum in fideiuſſorem, vt refert Salas ſuprà num. 5. ne quis merces credito vendat illi, quem nouerit illas velle ſtatim reuendere minoris pecuniâ paratâ, propter diuerſa incommoda, quæ inde ſequi ſolent.

DVBIVM VIII.

An liceat propter anticipatam ſolutionem emere minoris?

RESPONDEO, & DICO Primò: Infra pretium infimum iuſtum, non licet emere præcisè propter ſolutionem anticipatam. Ita tenent communiter DD. omnes, quia eſſet lucrari aliquid vltra ſortem ex mutuo virtuali ſeu implicito. 36

DICO Secundò: Alijs tamen titulis poteſt interdum emptor emere minoris pecuniâ anticipatâ. Eſt quoque communis ſententia. Sunt autem tituli illi, ob quos iam diximus venditorem aliquando pluris poſſe vendere merces ſolutione dilatâ, quàm venderet numeratâ pecuniâ: vt quia emptori aliud lucrum ceſſat ratione pecuniæ prænumerandæ: aut quia patitur inde damnum, aut exponit ſe periculo ſortis, & mercium, quæ forſitan aut non tradentur, aut non plenè, & debitæ bonitatis. Vnde quia frequenter huiuſmodi tituli, aut aliquis ex illis, concurrunt, hinc ab iniuſtitia excuſandi veniunt multi, qui minoris emunt ſolutione anticipatâ.

Debent tamen obſeruari ab eiuſmodi emptoribus qui minoris ex aliquo iſtorum titulorum emunt, ea quæ in ſimili caſu obſeruanda ſunt à mutuatore, qui talium occaſione aliquid vltra ſortem recipit, de quibus infrà agemus.

Allegat Leſſius lib. 2. cap. 21. dub. 7. & 37 aliam rationem, ob quam minoris poſſint

Digitized by Google

emi merces, poſt certum terminum tradendæ: quia videlicet eæ, quæ ad manum non habentur, neque mox tradi poſſunt, ſed demùm poſt tempus aliquod debent eſſe paratæ ac traditæ, videantur cùm tali circumſtantia minùs valere, quàm ſimiles, quæ iam præſentes habentur, & ſtatim traduntur. Ita enim paſſim homines videntur de illis iudicare: & proinde, quatenus in illo ſtatu conſiderantur, videntur minoris poſſe emi abſque inæqualitate pretij ad rem.

Sed ratio illa non eſt ſolida ſi ab alijs ſeparetur: ſic enim poſſet ſemper quoque vendi res pluris ſolutione dilatâ, eo quòd pecunia abſens ſimili ratione diceretur ſemper minùs valere quàm præſens: ſemper quoque poſſet minoris emi propter ſolutionem anticipatam, quia res in futuro tempore tradenda diceretur ſemper minùs valere; quæ tamen ab omnibus DD. negantur. Quare iſtud minimè eſt admittendum.

Ad illud verò, quod allegatur, quod paſſim homines ſic videantur æſtimare, Dicendum eſt, iudicium illud, vt ſit æquum & rationi conſonum, debere fundari in eo, quòd merces abſentes, & poſt terminum tradendæ, ſoleant eſſe diuerſis periculis obnoxiæ, & emptoribus adducere ſæpiùs incommoda: Hic autem agimus de iſtis, ſeponendo lucrum ceſſans, damna & pericula: quibus ſepoſitis, non ex vera ratione, ſed tantùm ex inordinato affectu iudicabuntur abſentes minùs valere, quàm præſentes: ſicuti & in ſimilibus alijs tale iudicium vulgi merito reprobatur.

DVBIVM IX.

Vtrùm alteri debita poſſit quis minoris emere à creditore, quàm ipſa debita ſint: vt v. g. debet Petrus Ioanni centū ſcuta ſoluenda poſt annum, de quibus habet Ioannes chirographum Petri, an poſſim illud debitum paratâ pecuniâ minoris emere, quam centum?

38 RESPONDEO & DICO Primò: Poſſe minoris emi, ſi ſolutio probabiliter putetur futura ambigua, aut difficilis; idque in tantum, quanti incertitudo illa aut difficultas, prudentum iudicio venit æſtimanda. Similiter etiam ratione lucri ceſſantis, aut emergentis damni, ſicut in ſimilibus iam antè diximus & oſtendimus: & tradunt DD. communiter.

DICO Secundò: Quando nihil iſtorum ſubeſt, non licebit minoris emere eiuſmodi debita, ſiue ius ad illa, quàm in ſe ſint. 39
Ita D. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 8. §. 12. Summa Angelica V. Vſura 1. n. 63. Syluester V. Vſura 2. qu. 14. n. 2. Medina Cod. De reſtit. q. 38. Soto lib. 6. q. 4. art. 1. ad 3. Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 8. n. 71. Mald. ſuprà dub. 5. qui dicit hanc eſſe communiorem & veriorem ſententiam: contra Caietanum in Summa V. Vſura, & alios nonnullos.

Ratio redditur: quia ſimpliciter hîc intercedit quoddam virtuale mutuum: neque enim aliud videtur poſſe prætexi, propter quod emeret minoris, quàm dilatio ſolutionis ſibi faciendæ; ratione cuius ſi liceat minus dare, non apparet fundamentum, quare mutuator non poſſit quoque ſemper plus exigere ratione mutui: nam actio eius in mutuatarium dicetur minùs valere, quàm id quod in paratis, ipſi mutuo præſtat. Sed opponitur, quod in hoc contractu non videatur eſſe mutuum, ſed vera emptio.

Confirmatur: quia emptor talis debiti non poteſt poſt annum repetere pecunias ſuas à venditore, cui eas numerauit, ſed ab ipſius debitore; ergò non apparet hîc intercedere periculum vſuræ. 40

Reſpondetur, Etſi non reperiatur mutuum expreſſum, tamen intercedere mutuum implicitum ſeu virtuale, quod titulus emptionis aut venditionis non ſemper excludit, vt communiter DD. omnes admittunt. Nam ideo ab omnibus reprobatur contractus, quo quis præcisè ob dilatam ſolutionem pluris vendit merces, quàm valeant: ſicut & ille, quo quis eas minoris emit præcisè ob ſolutionem anticipatam, vt iam antè diximus: quia tametſi adſint hîc tituli venditionis & emptionis, qui excludant mutuum explicitum (neque enim hîc venditor poteſt repetere merces tempore ſtatuto, ſed pretium, de quo conuentum eſt; neque emptor alter repetere pecunias prænumeratas, ſed merces emptas:) tamen modi iſti ſic vendendi aut emendi, iudicantur continere mutuum implicitum ſiue virtuale, & illius ratione exigi aliquid vltra ſortem, vnde communiter damnantur vſuræ. Quod dicendum eſt etiam locum habere in contractu emptionis, de quo iam agimus. Neque referre videtur, quòd qui nummos hîc accepit, nullo modo maneat danti obligatus: ſatis enim eſt ad rationem vſuræ, quòd, licet mutuatarius liberetur, tamen alius in eius obligationem ſuccedat, à quo mutuator ratione pecuniæ explicitè vel implicitè mutuò præſtitæ, aliquid vltra ſortem tamquam debitum expectet. Neque eadem

Digitized by Google

eadem hîc eſt ratio cum cenſibus perſonalibus: quia inprimis ſemper videtur hîc ſubeſſe aliquod periculum amittendi ſortem. Deinde non emitur capitale, nec propriè ius ad illud, ſed tantùm ius ad percipiendam annuam penſionem. Quod ius pro ratione & quantitate penſionis habet ſuum à Republ. determinatum pretium. Sed de hac re infrà latiùs in Capite de Cenſibus.

41 Quæritur autem hic, Vtrum chirographa ſeu librantiæ militares, vt vocant, quas ſolent milites à dominis, quibus militarunt, facto finali cum ijs computu accipere, quibus domini recognoſcunt tantam vel tantam pro ſtipendijs deberi adhuc ſummam, emi poſſint dimidio aut inferiori adhuc pretio, vt fieri ſæpius ſolet, quàm contineant?

Dico Primò: Certum apud omnes paſſim haberi videtur, ipſum debitorem, eiuſve miniſtros, quibus ex officio incumbit talibus ſatisfacere, non poſſe pretio ſic diminuto emere eiuſmodi chirographa ſeu librãtias. Ita enim cõmuniter tradunt DD. Quandoquidẽ enim illi ipſi ſint cauſa difficultatis & moræ, ratione quorũ ipſe chirographearius neceſſitatur ius ſuum alteri vendere, quorumque ratione ipſum ius poteſt videri minus valere, quàm chirographa ſonant, nullo modo iuſtitia patitur, quòd ipſi inde lucrum reportarent. Vnde ſi hi minoris emant, extra controuerſiã apparet, eos venditori ad ſuppletionẽ teneri, quanto minoris emerint. Nec refert, ſi dicantur eſſe miniſtri tantùm: quia dum ſibi procurant ſolutionem, deberent iſtam alijs facere.

42 Dico Secundò: Quantum ad alios attinet, fieri poteſt, quod aliquando licitè & iuſtè tam diminuto pretio quidam eiuſmodi librantias emant: puta quando ipſi tantas difficultates, tantum periculum & intereſſe ſuarum pecuniarum ſubire debent, antequam ſolutionem ſperent obtinere, quæ prudenti iudicio æſtimantur æquipollere tantæ diminutioni. Ita etiam communiter DD. ſentiunt.

43 Sed grauis difficultas eſt de illis, qui ob gratiam vel neceſſitudines, aut commercia, quæ habent cum Regibus, vel alijs, penes quos eſt, ſolutionem eiuſmodi librantiarum præſtare, ſunt ſecuri, quòd ſine magna difficultate, ſine periculis & ſumptibus poterunt integram ſolutionem aſſequi, an hi poſſint eas emere tantillo pretio? Vnde

Dico Tertiò: Simpliciter non poſſunt abſque magna iniuſtitia: & tales qui ſic emerint, tenentur ad reſtitutionem. Sumitur ex de Graffijs lib. 2. cap. 111. n. 32. & docet Mald. tract. 5. cap. 2. dub. 5. & alij vt indicat Salas dub. 40. contra Molin.

Probatur: quia generaliter non licet minoris rem emere, quàm valeat, vt ſuprà dictum eſt: atqui ille qui ſoluit tantùm dimidium, aut vix dimidium eius, quod librantia continet, emit minoris notabiliter, quàm illa, ſiue ius illud valeat; ergò &c. Sed

Dices: Communiter à vulgo non æſtimantur eiuſmodi chirographa, niſi ad dimidium, aut vix ad dimidium eius, quod continent, ergò qui illa emunt dimidio eius, cẽſendi ſunt ſoluere iuſtũ pretium: quia pretium æſtimatur non ex commodo vnius vel paucorum, ſed ex communi iudicio de valore. Accedit, quòd commoditas emptoris, à venditore non debeat taxari in ipſius commodum, vt eo nomine pluris vendat, ſicut ſuprà ex D. Thoma diximus: atqui quod iſte propter fauorem vel alias neceſſitudines cum Principe, aut eius officialibus, poſſit integram ſolutionem obtinere, videtur ſe tenere & prouenire ex parte emptoris, non ex re vendita; ergò &c. 44

Reſpondeo Primò, fauorem illum eſſe iniquum, & viros bonos non debere vti. Deinde dico, Commune iudicium, ſi benè introſpiciatur, non eſſe, quòd chirographa illa ſeu librantiæ non valeant ſimpliciter & abſolutè, plus, ſed tantùm quòd reſpectiuè pleriſque non plus valeant: non quidem, quòd in ſe non ſint pluris pretiabilia, ſed quia plerique in conſequendo eorum effectu debeant illa ſubire pericula, moleſtias, & expenſas, quę adæquent alteram medietatem. Quod dicimus proinde non ſubleuare aut iuſtificare eos, qui ſine periculis, moleſtijs & ſumptibus ſciunt ſe poſſe toto effectu iſtorum frui. Quando enim debitores ſunt ſoluendo, iudicantur ſimpliciter eiuſmodi obligationes in ſe bonæ, & valere, quod continent, ſi ſeponantur difficultates & pericula reſpectu eius, in quem transferuntur. Neque hæc tanta æſtimatio fit ex commoditate, quà ius illud ſeruit vni aut paucis, ſed ex ipſa natura & valore ipſius rei, quamuis non omnibus ſit æquè conducens.

Confirmatur Primò à ſimili: quia non obſtante, quòd communiter homines æſtiment minoris ius ſeu actionem ad centum, quàm centum in paratis, ita vt, ſi actio offeratur venalis, non facilè quiſquam vellet ſoluere centum, ſed aliquid minus: idque quia pauci poſſunt ſine lucro ceſſante, vel alijs incommodis ad effectum illius iuris peruenire: tamen communis Doctorum ſententia (inter quos Mol. & Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 8.) tenet contra Caiet. & Nauar. c. 17. n. 231. non poſſe quemquam illud ius emere minoris, qui nullum intereſſe, damnum vel periculum inde ſubiret, vt ſuprà diximus; quia agnoſcunt Doctores ibi virtuale mutuum, & quod plus, percipitur, dicunt eſſe lucrum vltra ſortem ex mutuo implicito; ergò multò minùs in tali caſu poterit quis huiuſmodi librantias dimidio eius, quod continent aut inferiori adhuc pretio emere. 45

Digitized by Google

Confirmatur Secundò: quia ſi dimidium illud aut quid minus deberet cenſeri iuſtum pretium vulgare, iam chirographiario non liceret pluris vendere, ſaltem vltra latitudinem iſtius æſtimationis: quod tamen nemo dixerit; ergò ſignum eſt, quod ipſius librantia ſimpliciter valeat tantum, vt ſonat, nec pretium eius ex communi iudicio ſit taxatum ad dimidium, (nullus enim eum reprehendet iniuſtitiæ, qui ſuum chirographum tanti vendiderit, vt ſonat) ac proinde, quòd is, qui ſecurè & ſine moleſtijs, quæ mereantur dimidium, nouit ſolutionem obtinere, non poſſit ſine iniuſtitia pro dimidio emere.

46 Vbi hoc etiam aduertendum eſt, grauiter eos contra ordinem charitatis atque etiam contra iuſtitiam, ſaltem diſtributiuam, peccare, qui curam habent erogandi publicum ærarium, & ex fauoribus ſatisfaciunt integrè eiuſmodi emptoribus, vel qui aliunde tales liberantias conquiſierunt: ipſis verò qui maximis laboribus, inædijs & vitæ periculis iſta ſtipendia promeruerunt, atque in ægeſtate verſantur, nihil perſoluunt ſi cum ſuis chirographis ſolutionem petant, & rogent. Contremiſcant iſti, & ſimiles defraudatores mercedis operariorum ad verba illa D. Iacobi: *Et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

47 Quæritur Primò, An quis poſſit ſuum creditum alteri vendere pretio quaſi ordinario, ſi ſciat ſuum debitorem non eſſe ſoluendo?

Reſpondetur, Illud minimè licitum eſſe: quia illud creditum iam veluti formâ ſuâ, vnde valorem ſuum ſortiebatur, euacuatum eſt, ac priuatum, videlicet ordine & reſpectu ad debitorem habentem, vnde reddat ſeu ſoluat. Quare qui tale creditum venderet, perinde ageret ac ſi merces ſecundùm apparentiam externam probas ac veras, ſed intus marcidas & mortuas venderet pretio ordinario cum veris & probis mercibus.

DVBIVM X.

Vtrum ille, cui commiſſum eſt aliquid ad vendendum pretio aliquo præſcripto, v g. decem, ſi vendiderit duodecim, poſſit ſibi duo retinere?

48 RESPONDETVR breuiter, Non poſſe, ſi mercedem aliam habeat pro ſuo labore, vel ſi ſit in famulatu ex quo abſque noua mercede teneatur in talibus ſeruire. Ita Syluest. V. Emptio quæſt. 24. de Graffijs ſup. cap. 116. n. 16. Molin. diſp. 366. Nauar. cap. 23. nu. 97. Caiet. V. Proxeneta Mald. dub. 6. & alij.

Ratio reddi poteſt: quia neque ratione rei venditæ poteſt duo illa retinere, cum res non ſit ipſius; neque ratione induſtriæ & miniſterij, quia pro his ſuam habet mercedem, vel aliunde ad illa exhibenda tenebatur.

Eadem eſt ratio de illo, qui gratis hoc officiũ præſtandum ſuſcepit, vt tradunt ijdem DD. quia ſimiliter nullum habet legitimum titulum, quo poſſit aliquid de pretio ſibi ſeruare. Neque refert, quòd dominus pretium præſcripſerit, quo res vendatur, quod opponit Angelus V. Emptio 28. quia per hoc cenſetur tantùm determinaſſe pretium, infra quod vendi non velit; non autem, ne pluris, ſi occaſio & iuſtitia permittant. Addo, & iuſtitia permittat, quia ſi vltra iuſtum pretium eſſet vendita, id quod ſuperexcederet, emptori eſſet reſtituendum, vt docent omnes.

Obſeruandum tamen eſt, Si proxeneta, 49 ſiue qui rei vendendæ curam habet, eam ſibi pretio ab alijs pro illa oblato, vel à domino præſcripto emat, exiſtimans bonâ fide pluris tunc ſe vendere non poſſe; & poſtmodum contingat, quòd pluris vendat, tunc poſſe ſuper excreſcentiam ſibi ſeruare. Ita Salas Tract. De empt. & vend. dub. 45. cum alijs. Econtra autem debuiſſet ſupplere, ſi vendidiſſet minoris.

Similiter ſi interueniſſet pactum, quod redderet domino tantùm decem, ſiue expreſſum ſiue implicitum, tunc poſſet ſibi ſeruare, quod plus recepiſſet. Ita paſſim omnes, & ſatis per ſe euidens eſt. Non autem per ſolam pretij deſignationẽ cenſetur dominus tale pactum facere, vt notat Salas loco cit. Secus, inquit, ſi rem proxenetæ tradiderit vendendam deſignato pretio, & non promiſſo ſtipendio: quia tunc cenſetur dare exceſſum in ſtipendium, niſi notabiliter ſit maius officio, pro quo citat Graffiijs & Nauar. ſuprà: Conrard. in ſumm. qu. 133. & Ledeſ. 2. p. Sum. Tract. 8. cap. 32. Concluſ. 17. quod tamen locum non poteſt haberi vbi proxenetæ ſciunt ordinarium aliquod ſuum ſtipendium.

DVBIVM XI.

Vtrum licitum ſit vendere cum pacto redimendi, aut emere cum pacto retrouendendi?

RESPONDEO & Dico Primo: Licitum eſt rem vendere, appoſito pacto, 50 quòd poterit eam redimere ſi voluerit venditor, reddito eodem pretio. Ita Bonac. ſup. puncto 3. n. 3. Tuſcus tom. 6. Concl. 24. & alij. Probari poteſt ex cap. 25. Leuit. vbi diuina Lex ſtatuit, vt domos vrbanas intra annum

Digitized by Google

annum liceat redimere: item vt prædia ruſtica tempore Iubilæi redeant ad priorem dominum. Vnde ſic licebit argumentari, Si licitum ſit vendere ita, vt certo tempore, etiam gratis, non refuſo pretio, agrum quis recipiat, multò magis licitum erit ſic vendere, vt eum recipere poſſit, reddito pretio. Idem conſtat ex Iure Ciuili, l. Si fundum & l. Cum te Cod. De pactis inter empt. & vendit. Et vlterius declarari poteſt ex venditione cenſuum, quos venditor redditâ ſorte poteſt redimere. Huc etiam facit Cap. Ad noſtram De emptione, vbi eiuſmodi venditio damnatur, ſi pretium, quo fit redemptio, ſit nimis exiguum: inde enim inferunt DD. à contrario ſenſu, eam eſſe licitam, ſi pretium reddatur iuſtum.

51 Obſeruandum tamen eſt, Venditorem in eiuſmodi venditione debere pretium minuere pro ratione illius oneris, quod in ſui fauorem imponit emptori: Quantitas autem diminutionis venit prudentum arbitrio æſtimanda. Quidam exiſtimant, vt refert Mald. dub. 16. etiam ad tertiam partem valoris iuſti poſſe hoc onus æſtimari: vt ſi ager ſimpliciter valeret ſexcentos, tamen cum tali onere retrouendendi non cenſeretur valere vltra quadringentos.

Dicet quis: pactum de retrouendendo non videtur minuere valorem rei, quia res eadem perſeuerat; ergo non debet propterea minui de pretio venditionis.

Reſpondetur N. Aſſump. quia licet res maneat eadem quoad ſubſtantiã, tamen nõ tranſit in æquè plenũ, & æquè liberum dominium emptoris, & proinde nec poteſt æquè in omnibus, nec æquè diu cum illa re facere ſuam vtilitatẽ, quæ haud dubiè ſunt pretio æſtimabilia.

52 Petet aliquis: Quid ſi poſt venditionem cum tali pacto initam, emptor rem vendat tertio, vtrùm prior venditor ſit habiturus actionem in rem apud tertium exiſtentem.

Couar. libro 3. Variarum Reſolut. cap. 8. n. 2. & 3. videtur exiſtimare, quod ſic: ſed alij magis communiter negant, quos videre licet citatos apud eundem.

Ratio autem reddi poteſt: quia pactum illud non videtur dicendum habere vim maiorem, aut tribuere maius ius, quàm aliqua ſimplex venditio: atqui ſimplex venditio, non accedente traditione, non tribuit ius & actionem in rem; ſed tantùm in perſonam, vt ex ſuprà dictis patet. Quare pactum illud videtur venditori tantùm tribuere actionem in factum & perſonam emptoris, non in rem, quæ tertio eſt vendita & tradita.

53 Dico Secundò: Etiam in fauorem emptoris poteſt in venditione apponi pactum, quo obligetur venditor rem redimere, vbi placuerit emptori retrouendere. Ita Couar. ſup. cap. 8. n. 3. Mol. tom. 2. diſp. 377. Azor. 3. p. lib. 8. c. 12. Mald. ſup. & alij plures.

Probari poteſt: quia nullâ lege inuenitur tale pactum prohibitum: neque iniuſtitiam continebit, ſi fiat æqua compenſatio, venditori, qui iſto pacto grauatur. Quod fiet, ſi emptor eo nomine cariùs emat, quàm res per ſe valeat, aut vni tertio ſine tali pacto vendi poſſit.

Ratio huius eſt: quia grauamen, quod venditori imponitur, eſt pretio æſtimabile: ſicut hoc in ſimili modo oſtendimus. Vnde non videtur poſſe obligari venditor ad redimendum eodem ſiue tanto pretio, quanto illud vendidit: quia in redimendo non relinquit onus emptori, quod ſibi fuerat impoſitum, & ratione cuius emptor plus debuit ſoluere, quàm res in ſe ſpectata, valeret. Quare emptor nõ poteſt illud augmentum à venditore recipere, dum vult, vt venditor redimat; ſed tantùm pretium, quod res in ſe valet abſque illo onere, quod quis ad placitum alterius debeat illam emere aut redimere.

Dico Tertiò: licebit nihilominus in- 54
terdum rem emere cum pacto retrouendendi pretio maiori, quando ſcil. probabiliter putatur res plus valitura tempore retrouenditioni præfixo: vt ſi quis rem emat, cuius redimendæ libertatẽ ſibi venditor ſeruat, poterit emptor ſtipulari de retrouendenda illa pretio maiori, ſi putetur cum tempore pretium illius augendum. Ita Mald. ſuprà & Medina q. vlt. de vſuris.

Eadem eſt ratio de pacto in fauorem emptoris de redimendo minoris, ſi res minoris ſit valitura tempore redemtionis.

DVBIVM XII.

Vtrum Monopolia omnia ſint illicita?

NOmen Monopolij in proprietate ſua 55
acceptum ſignificat vnius aut ſolius venditionem, vt habet Gloſſa in Rubric. C. De Monopolijs, & notant Rebell. De obligat. p. 2. lib. 9. q. 7. Salon. tract. de monopolijs, & alij. Et hinc dicitur fieri monopolium, quando vnus, vel pauci efficiunt, quod ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant pretio quo eis libuerit. Generaliter autem contingit quatuor potiſſimum modis ſimiles fieri machinationes: quos ordine explicabimus: Primus fit, quando mercatores inter ſe conſpirant, vt merces tanti vendant, & non minoris, vel Emptores conſpirant, quod offerent tantum, & non amplius. De quo monopolij modo

Respondeo & Dico Primò: Si 56
conſpirent in pretium iniquum, ſiue hi in

pretium infra iuſtum, ſiue, iſti in pretium ſupra iuſtum, peccant contra iuſtitiam, & eius, quod ſupra iuſtum pretium emptores ſoluere coacti fuerunt, vel quod infra iuſtum receperunt venditores, tenentur facere reſtitutionem: idque etiam in ſolidum, ſi ex communi conſpiratione cuius ſinguli cauſá extent, damnum fuerit ſecutum, ſic tamen, vt is, qui ſupra iuſtum acceperit, vel qui infrà iuſtum emerit reſpectiuè teneantur ſemper primo loco. Eſt per ſe euidens: & ſic fere in pretium iniquum ſolent fieri iſtæ conſpirationes. Hinc l. Vnica C. De monopolijs ſub grauiſſimis pœnis prohibentur.

57 Dico Secundò: Si conſpirent in pretium iuſtum, tametſi in rigidum & ſummum, non peccabunt contra iuſtitiam particularem, nec incurrunt obligationem reſtituendi. Ita docent Banneſ. 2.2. quæſt. 77. art. 1. dub. 1. Arrag. art. 4. difficul. 1. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 2. n. 75. Molina ſuprà. & alij quos citat Salas De empt. & vend. dub. 38. n. 3. contra quoſdam.

Probatur aſſertio breuiter, quia pretium quod quaſi ſtatuunt & exigunt, non eſt ſecundùm vulgarem æſtimationem abſolutè ſuprà iuſtum; ergo hoc exigere quamuis ex communi conuentione, non eſt peccare in iuſtitiam particularem. Dixi non peccare in iuſtitiam, & quidem particularem; quia inprimis non videtur id poſſe fieri abſque graui peccato contra charitatem: natum enim eſt cedere in magnum grauamen (quãuis non propriè iniuſtum) pauperum & hominum tenuioris conditionis: quod charitas meritò cenſetur vetare, quando alij non habent rationabilem cauſam pro ſe id faciendi. Deinde etiam peccant contra legalem iuſtitiam, quia hoc tendit in turbationem & incommodum Reipub. quod ſic aliqui de corpore cogant omnes per ſuas conſpirationes, emere ſua pretio ſummo, & quaſi ſua priuata authoritate tollunt pretium infimum & medium, & ſic Reipub. ſiue poteſtati communi aut publicæ ſunt quoque iniurij: ex quibus tamẽ non videtur naſci obligatio reſtituendi ex iuſtitia, quamuis meritò ſub grauioribus pœnis per leges prohibeantur, vt diximus: Et hinc patet ſatis ſolutio ad fundamentum aliorum.

58 Dico Tertiò: Pari modo non eſt contra iuſtitiam, ſi emptores conſpirent, vt non pluris emant, quàm certo pretio, quod tamẽ non ſit infra iuſtum, quamuis infimum. Ita quoq; DD. citati, & ratio eadem eſt.

Secundus modus monopolij ponitur, quãdo vnus vel pauci coëmunt & congerunt omnes merces certi alicuius generis, vt ipſi poſtmodum pro ſuo arbitratu vendant: vt quando aliqui tempore meſſis maximã frumenti copiam vndequaque conquirunt & congerunt, & ſic raritate apud alios mercatores, & conſequenter caritate apud plebem inductis vendunt poſtmodum pretio, quo illis libuerit: De quibus

Respondeo: Tales ex communiori Doctorum ſententia, vt teſtatur Salas ſuprà 59
dub. 83. n. 5. peccãt contra iuſtitiam mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. Ita tradunt Conradus De Contractib. q. 65. Petr. Nauarr. lib. 3. c. 2. n. 80. Azor. 3. p. lib. 8. c. 28. Medina Cod. De Reſtitut. q. 36. Tolet. ſup. Mald. Tract. 5. cap. 2. Dubio 7. Gab. in 4. Diſt. 15. q. 10. art. 3. Dub. 2. & alij plures quos videre licet apud Salas loco citato.

Probatur: quia Reipublicæ iniuriam faciunt, & ſingulis de Communitate, inducẽdo caritatem maiorem, dum tanta eſt in patria illius generis mercium copia, quantam apud ſe congeſſerunt, & detinent; idque non ad alios vſus, quàm ad venditionem faciendam: quamdiu enim illa copia eſt, cenſetur ius Reipublicæ quæſitum, vt nemo poſſit facere pretium increſcere malis artibus, vltra, quàm ſpectatâ tali copiâ mercium, multitudine aut paucitate emptorum, & alijs circumſtantijs attentis, prudenti Iudicio poſſit & debeat taxari. Quando igitur tali ſuo monopolio faciunt illud vltra increſcere, ſunt Reipublicæ iniurioſi, & emptoribus faciunt iniuriam vendendo pretio per ipſos indebitè aucto. Atque ita contra iuſtitiam peccant etiam particularẽ: quia licet fortaſſis pro illo tempore tunc foret iuſtum apud alios mercatores, qui eius nõ ſunt cauſa: quia ſcil. non extant merces illæ venales ſecundũ abundantiam in qua ſunt, quod per eos non ſtat, tamen reſpectu iſtorum qui monopoliũ faciunt, non erit iuſtum, cùm per fraudem ſint illius cauſa quod ſecundum copiam in qua ſunt, merces non extent venales.

Molina tamen tomo ſecundo Diſputat. 60
345. putat in illo monopolio non eſſe peccatum contra iuſtitiam particularem, ſed tantum contra charitatem, & iuſtitiam legalem ſeu publicam vtilitatem: fundamentum eius eſt, quia non videntur eiuſmodi mercatores obligari ad ſtatim vendendum; ſed poſſe merces in aliud tempus ſeruare: neque habent ciues, vt apparet, ius iuſtitiæ ad eas emendas, niſi dum alij vendere volunt. Et licet (quod opponi poſſet) potuerint à Magiſtratu compelli ad tunc vendendum, & poſtmodum etiam puniri ob talem ſuppreſſionem, non tamen inde conuincitur, quòd ex iuſtitia particulari, ad id fuerint obligati: nam poſſunt & alia crimina puniri, quàm quæ ſunt contra iuſtitiam. Ob hæc & ſimilia admittitur etiam ab alijs quibuſdam hæc opinio probabilis, quæ proinde aliquando in caſu poſt factum poterit vſui eſſe Confeſſarijs: alioquin non videtur populo publicè proponenda, ne ad illas oppreſſiones &

nes & anguſtias in plebe cauſandas, homines auari reddantur procliuiores & effrænes magis. Imò ſi ipſo tempore, quo vendunt, excedant pretium, quod attentis omnibus circumſtantijs illius temporis, & multitudine talium mercium quæ apud illos eſt, ſecundùm rectam rationem eſſet ſtatuendum pretium minus, abſque dubio iniuſtitiam committunt, & ad reſtitutionem obligantur, ad quod tamen videntur tales ſemper intendere, dum parcè exponunt & ſimulant raritatem, cùm tamen ſatis abundans ſit in patria prouiſio talium mercium. Nec video quomodo poſſint à quoquam, iſti negotiatores ab iniuſtitia excuſari.

61 Ad hunc ſecundum modum monopolij ſatis accedunt mercatores illi, qui ex conſpiratione ſupprimunt merces in aliquo loco, neque eas venditioni volunt exponere, donec appareat raritas, & inde naſcatur caritas: & quidem ſi tali malâ arte faciant augeri pretium ſupra menſuram, quâ ſecundum rectam rationem; ſpectatis ſpectandis eſſet taxandũ, ſemotis iſtis monopolijs, idem omnino de illis dicendũ videbitur, quod modò de alijs diximus, vt docet P. Nauar. lib. 3. c. 2. n. 81. Emanuel 2. p. Sum. c. 82. n. 4. & alij. Idque eo magis ſi merces eas prius venditioni expoſuerint, quia hoc ipſo acquiſiuit Reſp. Ius emendi illas pretio, quod ſpectatâ talium mercium copiâ, cenſetur iuſtum. Quamuis & ius illud ſufficienter acquiratur, hoc ipſo quòd ad vendendum nunc ſunt in ciuitatem illata. Quando tamen extat ſufficiens copia paſſim venalis, non peccabit contra Iuſtitiam quis particularis, ſi particulariter recondat merces ſuas in aliud tempus, imo neque contra charitatem, niſi eſſet ſcandalum, aut periculum ne plures imitarentur, vnde naſceretur caritas, abſque alio alioquin fundamento.

Notant hîc etiam aliqui DD. quòd ſi forſitan mercatores communiter omnes feciſſent magnas expenſas, & propter copiam mercium non poſſent aſſequi iuſtum pretium, attentis ſuis expenſis, non fore iniuſtum, ſi ſupprimerent, donec iuſtum pretium poſſent conſequi.

Ratio reddi poteſt: quia quandoquidem ipſi ſumptus faciant, & labores impendant ad merces aliunde comparandas, pro commoditate Reipublicæ, non videtur æquum, quòd nõ poſſent ſe ſeruare immunes à damno, vel debeât labores ſuos deperdere. Similiter, Si quis merces aduexerit animo trãſuehendi aliò, vel etiam animo reſeruandi in aliud tempus, non videbitur peccare contra iuſtitiam, quamuis expectet pretij aliquod incrementum, nec antea illas exponat: modò tamen differendo non ſit cauſa alicuius enormis augmenti: nam tunc non excuſarẽ ab iniuſtitiâ, inquit Pet. Nauar. loco ſup. cit.

Tertius modus, quo fieri dicitur monopolium, eſt quando aliqui impediunt, ne 62
maior mercium copiâ aduehatur aut importetur aliunde, vt ipſi merces ſuas cariùs vendant. Quod qui faciunt ſeu impediunt vi aut fraude, peccant contra Iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, tum ipſis alijs mercatoribus quos impediunt, ſi inde damnum patiantur, tum etiam communitati, quam per fraudem aut vim grauant cogendo emere merces altiori pretio, quàm iuxta paratũ iam commercium emere debuiſſent. Ita videntur DD. ſatis communiter docere: & ratio apparet ſatis euidens per ſe. Quamuis enim communitas hæc ius iuſtitiæ nõ habeat ad iſtas merces, habet tamen ius, ne quis vi, fraude aut dolo impediat volentem inferre, quatenus iſtud impedimentum cedit in eius grauamen. Qui verò auertunt tantùm rogando aut dehortando, ſine dolo & mendacijs, grauiter peccant contra Charitatem, ſed non videntur peccare contra Iuſtitiam. Ita Pet. Nauarr. ſup. n. 79. Bonac. ſup. puncto 5. n. 8. cum alijs quos citat.

Opponet aliquis: Tales vẽdunt merces cũ exceſſu pretij, cuius ſunt cauſa, ergo & cõtra Iuſtitiam peccãt. Reſp. cum Mald. ſup. quod tales non tam cenſeãtur addidiſſe exceſſum pretij, quàm auertiſſe diminutionem: & quia hoc egerũt ſine dolo & fraudè, neq; incumbebat eis ex officio procurare maius bonum communitatis quoad pretij diminutionem (quæ ſupponuntur) hinc non cenſentur niſi contra charitatem delinquere, ſicuti ſi proprias merces aduehi prohibuiſſent.

Quartus modus poteſt eſſe, quando ali- 63
qui à Principe priuilegium impetrauit, vt ipſis ſolis liceat certum aliquod mercium genus in patriam inuehere, aut ibi diuendere. Hic modus abſolutè reprobatur ab aliquibus vt à D. Soto lib. 6. q. 3. art. 2. Caiet. 2. 2. q. 77. art. 1. & Syluest. V. Emptio q. 18. Sed communis & certa ſententia eſt, quod non ſit iniquus, ſi Princeps habeat iuſtam cauſam, id concedendi quibuſdam, & prohibendi reliquis, vt ſi in quibuſdam mercibus procurãdis magnæ expenſæ ſunt faciendæ, & pericula multa ſubeunda; ita vt non facilè patriæ prouideretur de talibus, niſi aliquibus ſolis concedatur priuilegium: quia poſſet alioquin quilibet timere, ne, poſtquam vnus aliquis magnis ſumptibus & periculis eas forſitan fœliciter adduxiſſet, tunc reliqui concurrerent, & eius exemplo ſtuderent ſimiliter aduehere quod aliàs non auſi fuiſſent, aut nõ voluiſſent tentare: vnde fieret tunc quòd expenſas factas recuperare vix poſſet, & operas ſuas perderet, & fruſtrà expoſuiſſet fortunas ſuas periculis: Rurſum ſi Princeps pro conſeruatione Reipublicæ multùm indigeat certâ pecuniæ ſummâ, quam hac ratione à quibuſdam mercatori-

bus ac-

bus accipiat, cùm alioquin eam per aliud genus impoſitionis debuiſſet à populo conquirere. Tenetur tamen in tali occaſione Princeps diligenter aduigilare, vt etiam in mercibus illis ſtatuatur iuſtum aliquod pretium, preſertim quando ſunt tales, quæ paſſim omnibus ſunt neceſſariæ: nam alioquin daretur mercatoribus anſa vendendi illas pro ſua libidine, cum magno Subditorum grauamine & detrimento, vt rectè monet Nauarrus cap. 23. n. 92.

Si verò priuilegium ſine iuſta cauſa conceſſum fuerit, tunc iniquum erit: & fiet iniuria vendere volentibus eiuſmodi merces, qui iniuſtè impediuntur: & quoque ementibus, qui eas meliori pretio emerent: quare tam impetrantes, quàm concedentes tenentur vtriſque ad reſtitutionem: ambo enim cooperantur ad illas iniuſtitias. In ijs conueniunt Rebell. De oblig. p. 2. lib. 9. q. 7. Molin. tom. 2. diſp. 345. Salon. ſup. Med. de Reſt. q. 30. circa finem. Banneſ. & Arrag. ſup. Graffijs p. 1. lib. 3. c. 14. Nauarr. c. 23. n. 92. & alij plures quos videre eſt apud Salas dub. cit. n. 2. Qui autem ſub vel obrepũt, & ſic impetrant eiuſmodi priuilegia à Principibus, meritò dicũtur primo loco teneri ad reſtitutionem, cum primæ & principales ſint cauſæ damni: ſecundo loco & in ſubſidium, iſti qui concedunt.

CAPVT SEXTVM.

De Mutuo & Vſura.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Mutuum.

1 MVTVI explicatio communiter præmittitur ante Vſuram: quia vſura vitiũ eſt adhærens mutuo, quod cauſatur in mutuatione iniquâ, conditione ſeu pacto adiecto.

Obſeruandum itaque eſt, Mutui nomen dupliciter ſumi: aliquando pro contractu mutuationis: aliquando pro ipſa re, quæ in contractum mutuationis cadit; vt cùm dicitur Mutuum reddi aut recipi. Hîc autem potiſſimum agimus de mutuo, vt ſignificat contractum, cuius deſcriptio huiuſmodi habetur l. 2. D. Si certum petetur, quòd ſcilicet ſit, Contractus, quo qui indiuiduum accipit, ſpeciem reddere obligatur. Quæ planior & plenior erit, ſi hoc modo reddatur: Mutuum eſt contractus, quo res numero, pondere, aut menſurâ conſtans, vſuque conſumptibilis, in alterius dominium transfertur, cum obligatione priori domino reddendi, non quidem eam in indiuiduo, ſed aliam eiuſdem ſpeciei & bonitatis ſeu valoris. In hunc ſenſum deſcribunt mutuũ Gomez. 2. Var. c. 6. Syluest. V. Mutuum. Rebell. lib. 8. q. 1. ſect. 1. n. 11. & paſſim alij.

Genus itaque eius eſt Contractus, ſed talis naturæ, qui traditionẽ rei perficitur. Vnde aliqui generis loco ponunt Traditionem rei: Materia autem huius contractus eſt res numero, pondere, aut meſurâ conſtans: quod patet ex Inſtit. tit. Quibus modis contrahitur obligatio §. 1. vbi dicitur: Mutui datio conſiſtit in illis rebus, quæ pondere, numero, menſurâ conſtant, veluti vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ &c. Ponitur autem mutuum in huiuſmodi materijs verſari, quia ad mutui rationem requiritur obligatio ad reddendam rem eiuſdem, non tantùm ſpeciei, ſed etiam bonitatis & valoris: quòd non facilè obſeruatur in rebus alijs, quæ pondere, numero, aut menſurâ non conſtant.

Sed hîc dubitari poteſt, Vtrùm non poſſit igitur mutuari, ouis, aut bos, vel ſimile pecus? Quidam exiſtimant illa non cadere in mutuationem; & quidem non ſolent vſitato modo alienari per formam mutui: tamen non videtur ſimpliciter repugnare, ea quoque mutuari. Poſſunt enim etiam pondere conſtare: quia nihil vetat, quò minùs quis ouem aut vitulum tanti vel tanti ponderis det alicui, cum obligatione, vt eiuſdem ponderis ouem aut vitulum reſtituat: nam & pecora viua aliquando pondere venduntur. Quidni igitur dici poterunt aliquando dari mutuo? 2

Addidi, Vſuque conſumptibilis; nam & hoc ad mutui materiam videtur pertinere. Illa autem res hîc generaliter cenſetur vſu ſuo conſumptibilis, cuius ordinarius & principalis vſus habet adiunctam rei deſtructionem, aut alienationem, vel mutationem talem, vt aliam nomen-claturam & formam induat, vt ſunt vinum, oleum, pecunia, lana, linum, & ſimilia. Neque extra res vſu conſumptibiles poteſt mutuum propriè dictum & expreſſum (vti apparet) habere locum; quia quando res aliqua traditur alteri ad vſum, quo non ſic aliquo ex dictis modis quaſi conſumitur, ſed cum quo retinet idem omninò Eſſe & nomen apud eundem, à nemine dicetur dari mutuò, niſi abuſiuè, ſed cõmodatò aut locatò, aut pignori &c. Neq; eſt ratio quare illius, dum ad eiuſmodi vſum traditur, dicatur transferri dominium, cum obligatone

obligatione reddendi aliam eiuſdem rationis: quandoquidem hæc ipſa poſt vſum, ad quem datur, eadem numero apud illum, cui tradita eſt, perſeueret. Quare in huiuſmodi, magis rationi & communi modo agendi conſentaneum eſt, vt contrahatur obligatio reddendi illam ipſam, vt in commodato & locato fit.

3 Confirmatur: quia nemo dixerit, committi vnquam vſuram, dum aliquid accipitur pro illo vſu rei, quo res ſuo modo non conſumitur; ergò ſignum eſt, eiuſmodi res non dari propriè mutuo. Vnde omne mutuum videtur formaliter reſpicere rem, quatenus vſus eius eſt ipſius conſumptio; & ſic mutuū in ſolis rebus vſu conſumptibilibus, habere locum, vt rectè docent Dom. Soto lib. 6. de iure & iuſt. q. 1. art. 1. non longè ab initio, & Nauarr. cap. 17. n. 206.

Neque huic obſtat, quòd Inſtitut. tit. ſup. citato, mutui datio dicatur quoq; conſiſtere in ære, auro, argento: quia etiam principalis vſus maſſæ æris, vel argenti adfert illius cōſumptionem, prout de cōſumptione hîc loquimur. Vſus enim eſt, vt inde aut vas, aut ſtatua, aut aliud conflatile, vel fabrile fiat, quo ſic à ſuo ſtatu mutatur, vt nomenclaturā amittat, & aliam formam induat, ſecundùm quam cenſetur quodammodò alterius iam rationis ac valoris. Quòd ſi ad alium vſum tradatur, ita vt in eodē omninò Eſſe, & ſtatu manere, cum tali vſu cenſeatur, tunc illa traditio non erit mutuum, ſed potiùs commodatum. Quemadmodum quando alicui præſtatur pecunia tantùm, vt poſſit eâ vti ad oſtentationem, non dicetur illi dari pecunia mutuò, ſed commodatò: &, ſi aliquid vltra ſortem pro illo vſu quis accipiat, non committet in eo vſuram.

4 Reliqua adduntur in deſcriptione per modum differentiæ, quâ Mutuum ab alijs contractibus diſtinguitur. Per hoc enim, quòd dicitur, Quo transfertur in alterius dominium, diſtinguitur à Commodato, locato, depoſito &c. per hos enim contractus non transfertur res in alterius dominium; vnde ex ſua ratione requirunt, vt res eadem numero reddatur: Hinc ſequitur & iſta differentia, quod incrementum valoris rei mutuo datæ cedat mutuatario, vt tradunt Zechius 2. p. c. 30. Bonacina De contract. Diſp. 3. q. 3. p. 1. & alij: non ſic rei commodato datæ. Per illud, quod adijcitur, cum obligatione reddendi, diſtinguitur à Donatione. Per iſtud denique, quòd ponitur, Reddendi aliam eiuſdem ſpeciei & bonitatis, diſtinguitur contra permutationes rerum, item contra venditionem, & ſimiles contractus. Vt autem æqualitas ſeruetur in hoc contractu, quam iuſtitia requirit, adiungitur, Et eiuſdem bonitatis ſeu valoris: quod intelligitur de bonitate ſeu valore intrinſeco. Vnde qui mutuo accepit modium tritici, præcisè ſtando in hoc contractu, ſatisfaciet, reddendo alium modium, tempore conſtituto tritici æquè boni, etiāſi valuerit decem, quando mutuo accipiebatur, & nunc tantùm valeat ſex: ſimiliter etiam tenebitur modium tritici reddere, licet nunc decem valeat, & tantùm ſex valuerit, quando mutuò dabatur.

Notandum autem denique, quando dicitur cum obligatione reddendi aliam eiuſdē 5
ſpeciei &c. non ſic intelligendum id eſſe, quaſi non poſſet fieri ſolutio mutui per rem eandem numero, ſi manſerit eiuſdem bonitatis, & mutuatarius ex aliâ opportunitate non fuerit illâ vſus (hoc enim omnino fieri poteſt, vt bene aduertit Luiſius Turr. De mutuo diſp. 60. dub. 1. n. 5.) ſed quod ex naturâ contractus mutuationis, non obligetur mutuatarius ad reddendam rem eandem numero, quam mutuò accepit, ſiue vt Iureconſulti loquuntur, ad reddendam rem in ſpecie

DVBIVM II.

Quidnam ſit vſura?

NOtandum eſt, Vſuræ nomen iuxta primæuam inſtitutionem idem ſonare, 6
quòd Vſus, vt ex Cicerone obſeruat Dom. Soto loco ſup. citato: ait enim 7. in Verrem. *Cur piratis lucis vſuram tam diuturnam dediſti?* id eſt, lucis vſum, puta vitam: deinde tranſlatum eſſe ad ſignificandum illud quod ex vſu cuiuſque rei tamquam eius fructus accreſcit. Ita accipitur apud Ciceronem de Senectute, quando ſcribit, *Terra nunquam ſine vſura reddit, quod accepit*. Inde tertiò accommodatum eſt hoc nomen tum à Scriptoribus ſecularibus, tum Eccleſiaſticis ad ſignificandū peculiariter id, quod ex vſu pecuniæ mutuò alicui datæ aut cuiuſque rei, ſuperexcreſcit ſupra ſortem. Ita ſumitur apud Cicer. 5. in Verrem, apud Varro. 3. de lingua latina, Gellium lib. 2. c. 10. & alios, vt refert Salas Tract. De vſur. dub. 1. Et ratio forſitan huius accommodationis, inquit Soto, eſt, vt nomine ipſo rei peruerſitas per antithesin denotaretur, nempe quòd cùm talium rerum quæ mutuo dantur, vſus per ſe ſterilis ſit (vtpote quæ vſu conſumuntur) veluti fructuoſus æſtimetur & vſurpetur. Quod conforme videtur doctrinæ D. Ambroſij lib. de Tobia Cap. 12. & 13. ac D. Baſilij in Pſal. 14. qui Vſuram dicunt vocari Fœnus, quaſi, fœtum, & Græcè Partum; quia cùm pecunia ſit naturâ ſuâ maximè ſterilis, tamen iniquo auarorum hominum ſtudio vincit quaſi fœcunditate, omnia animantia. Hinc transfertur nomen Vſuræ ad ſignificandum, etiam contractum, de

percipiendo

Digitized by Google

percipiendo lucro vltra ſortem ex rebus mutuo datis: item ad ſignificandam voluntatem ſeu intentionem percipiendi tale lucrum ex mutuo. Nobis autem hîc ſermo eſt de Vſura iuxta acceptiones pertinentes ad tertiam nominis ſignificationem.

7 Quatenus igitur pro quæſtu vſurario accipitur, deſcribitur ab Heroaldo eſſe lucrum ſupra ſortem exactũ propter ſolum mutuationis officium: vt refert Salas ſup. n. 2. Communiter verò ab alijs ſolet Vſura definiri, quod ſit lucrum ex mutuo immediatè proueniens. Vbi per Lucrum intelligitur pecunia, aut res quæcumque pretio æſtimabilis, & aliàs indebita, quæ vltra ſortem accipitur. Quare autem ſic explicetur Lucrum, ex infrà dicendis conſtabit.

Dicitur, Ex mutuo; quia ſi quod iniquum lucrum proueniat ex venditione, locatione, conductione, aut ſimilibus contractibus, vt quando res venditur aut elocatur ſupra iuſtum pretium, aut conducitur infra, non habet lucrum illud rationem vſuræ: vnde licet obnoxium ſit reſtitutioni, tamen non ſubiacet pœnis in vſuras conſtitutis.

Additur, Immediatè proueniens; quia ſi proueniret mediatè & abſque intentione ad id obligandi, ex vi contractus, non cenſebitur vſurarium: vt ſi mutuatarius ratione amicitiæ aut gratitudinis, aliquod munuſculum poſtmodum offerat. Tunc itaque cenſetur prouenire ex mutuo, quando mutuator expreſsè vel implicitè intendit mutuatarium obligare ſtrictâ obligatione ad reddendum aliquid ex mutuo, ſiue propter mutuationẽ vltra ſortem: vel quando mutuatarius, dum lucrum addit, eo nomine addit, quia exiſtimat eam fuiſſe mutuantis mentẽ quod tanquam debitum ſoluere teneretur.

Obſeruandum quoque hîc eſt, non intereſſe, ſiue mutuum fuerit expreſſum & formale mutuum, ſiue implicitum & virtuale, ex quo lucrum capitur; nam & is vſuram committit, qui rem pluris iuſto pretio diuendit ob dilatam ſolutionem, vel emit minoris iuſto ob pecuniam anticipatam, quando alia ratio nulla intercedit, quia prior implicitè mutuat pretium rei venditæ vſque ad tempus ſolutionis: poſterior verò mutuat pretium rei emptæ vſque ad tempus, quo ſibi res eſt tradenda: vt DD. paſſim notant. vnde in talibus contractibus facilè contingit vſurã irrepere, vt ſuprà quoq; indicauimus.

Ex his facilè colligitur, quomodo Vſura ſumpta pro contractu ſit deſcribenda: ſcilicet, quod non ſit aliud, quàm mutuatio expreſſa vel implicita, cum oppoſitâ ſtrictâ obligatione reddendi aliquid pretio æſtimabile ſupra ſortem.

Item quid voluntas vſuraria ſit, quòd ſcilicet ſit voluntas capiendi lucrum ſupra ſortem ex vi mutui.

DVBIVM III.

Vtrùm vſura ſit illicita & quo iure prohibita?

RESPONDEO & DICO Primò: Omnis vſura, ſeu acquiſitio lucri ex contractu vſurario, ſicut & ipſe cõtractus, eſt illicita, non tantùm exceſſiua: ſed etiam, quæ dicitur moderata, quam Ius ciuile permiſit. Eſt contra Carolum Molineum tract. De vſuris quæſt. 74. Sed eſt communis & certa doctrina in Conc. Viennenſi definita: & habetur Clement. vnica De vſuris. §. vlt: vbi etiam decernitur, tamquam hæreticum eſſe puniendum, qui pertinaciter affirmat contrarium. 8

DICO Secundò: Vſura eſt inprimis prohibita Iure poſitiuo, tam diuino, quàm humano. 9

Probatur prior pars ex Pſalmo 14. vbi is demùm dicitur *Habitaturus in monte Sancto Dei, qui pecunias non dederit ad vſuras*: quo ſatis à contrario indicatur, eum non habiturum locum in monte Sancto Dei, qui pecunias ad vſuras dederit. Ezechielis 18. *Qui ad vſuram non commodauerit & amplius non acceperit* &c. *hic iuſtus erit*: & infrà, *Si genuerit filiam ad vſuram dantem, & amplius accipientem nunquid viuet?* Quibus indicatur, quòd qui ad vſuram dederit, & amplius acceperit, nec iuſtus erit, neque viuet. Et Pſal. 54. de ciuitate impia, in qua varij generis peccata regnabant, dicitur: *Et non defecit de plateis eius vſura & dolus*, Vbi vſura cæteris criminibus adnumeratur. Vnde ſatis conſtat, vſuram iure diuino etiam in lege veteri fuiſſe vetitam, & habitam vt omninò illicitam.

Quòd & locum habere in Lege noua poteſt ſtatui ex verbis Chriſti, Lucæ 6. *Benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes*: Cuius loci quamuis diuerſæ ſint interpretationes, tamen certum eſt, nullam poſſe probabiliter ſuſtineri quæ non importet vſuræ prohibitionẽ: nam qualitercumq; quis velit illa verba exponere, debet nihilominus admittere, in hanc domini ſententiã impingere, qui lucrũ vltra ſortem ex mutuo ſperauerit ſeu intẽderit vt debitũ. Cæterùm inter omnes expoſitiones videtur hæc contextui & menti Chriſti magis conformis, quæ aſſerit Dominum hac ſententiã in primis prohibere intentionem accipiendi lucrum ex mutuo, quæ vſuraria eſt, aut certè ſupponere illam prohibitam & illicitam: atque inſuper dehortari ab omni ſpe cuiuſuis emolumenti etiam illius quod poſſit eſſe non vſurarium: ſed quod mutuationem faciat quodammodò illiberalem: vt ſi mutues quia aliquando viciſſim poterit mutuare, vel quia ex occaſione

aliam

Digitized by Google

aliam gratiam poterit rependere. Hæc enim interpretatio conciliat eos, qui dicunt à Domino hîc proponi & conſuli quod perfectionis eſt, ne ex mutuo exſpectetur qualiſcumque gratia humana, ſed potiùs attendatur diuina remuneratio, cum Canonibus & Pontificibus, qui intellexerunt hîc vſuras eſſe prohibitas, ſicuti Vrbanus III. Cap. Cõſuluit De vſuris, & Alexander III. eod. tit. Cap. Super eo, qui ait, Vtriuſque teſtamenti paginam vſuras deteſtari: vbi ad hæc Chriſti verba putatur reſpexiſſe, cùm alius locus clarior contra vſuras ex nouo Teſtamento haberi non videatur.

Poſterior autem pars, quod ſcilicet iure humano, vſuræ ſint prohibitæ, euidentiſſimè conſtat non tantùm ex Capp. iam citatis, ſed èx toto Tit. Decretalium De vſuris, & ex eod. tit. in 6. item ex Cauſa xiv. q. 3. & 4. & Clement. vnica De vſuris.

10 Dico Tertiò: Vſuræ non tantùm iure poſitiuo prohibitæ ſunt, ſed etiam iure naturali ſunt illicitæ. Eſt communis & indubitata doctrina Theologorum, Canoniſtarũ, atque etiam moralium Philoſophorum, vt videre eſt apud Couar. lib. 3. Var. Reſol. c. 1. vbi inter alia etiam allegat teſtimonia Ariſtotelis 1. Polit. c. 6. & 7. Plutarchi lib. De fœnore: Catonis apud Ciceronem 2. De offic. circa finem. Ciceronis, & aliorum, aduerſus vſuras tamquam legi naturali contrarias.

Probatur autem Primò authoritate Canonũ: quia citato Cap. Conſuluit, & Cap. Si quis oblitus Cauſa xiv. q. 4. dicitur præceptũ veteris Legis, quo vſuræ prohibentur, etiam modò vigere: atqui non vigeret nunc, niſi eſſet morale, adeoq; iuris naturæ, quia cætera obligare deſierunt; ergò &c. Deinde Cap. Super eo De vſuris dicitur, non poſſe ſuper vſura diſpenſari, cuiuſcumque pietatis intuitu, ſicut nec ſuper mendacio; ergò ex mente Canonis, iure naturæ eſt illicita, atque adeo intrinſecè mala.

Probatur Secundò ratione: quia contra ius naturæ eſt, & iuſtitiæ cõmmutatiuæ aduerſatur, quod pro eodem reddere quis obligetur vltra illud, quod ei per omnia eſt æquiualens. Similiter contra iuſtitiã eſt, quod quis obligetur pretium ſoluere alteri pro vſu rei, qui non eſt ipſius, ſed eſt vtentis: atqui dum quis vi mutui lucrum accipit vltra ſortem, neceſſum eſt, quod in alterutrum iſtorum peccet, ſcilicet quod vel pro ſorte mutuata velit reſtitui plus quã æquiualens, dum non eſt contentus, quòd reddatur aliud eiuſdem ſpeciei & bonitatis: vel dicere debet, quòd incrementum accipiat non pro ſorte, ſed pro vſu ſortis: & tunc accipiet lucrum ex vſu rei non ſuæ, ſed quæ eſt vtentis: quia mutuando tranſtulit dominium eius in mutuatarium. Accedit, quòd vſus rerum quæ mutuo dantur, non admittat diſtinctam æſtimationem valoris aut pretij à ſubſtantia earum; nam vſus conſiſtit in conſumptione aut alienatione, vt ſuprà diximus. Quare iniquum eſt accipere diſtinctum pretium pro ſubſtantia talis rei, & pro vſu talis rei. Sed

Contrà Obijcitur Deutr. 23. dicitur: *Non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad vſuram, nec fruges, nec aliam quamlibet rem, ſed alieno:* & c. 28. *Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies*; ergò vſura non eſt iure naturali illicita, neque iure poſitiuo videtur omnibus in veteri Lege fuiſſe prohibita, ſaltem in ordine ad omnes. 11

Reſp. N. C. quia nomine illo quod additur: *ſed alieno*, ſignificatur tantùm quædam permiſſio Iudæis facta: qui præ auaritia, maximè ad vſuras erant procliues: quod ſcilicet ſine punitione temporali fœnus ab externis gentibus accipere poſſent, idq; maioris mali vitandi gratiã, ne ſcilicet fratres ſuos vſuris exhaurirent: quemadmodum permittuntur lupanaria ad vitanda ſtupra & adulteria, ita exponit S. Th. hîc q. 78. a. 1. ad 2. Alij autem nonnulli dicunt concedi vſuras quaſi materiales circa gentes, quæ erant hoſtes Iudæorum, quas iure poterant tum vi, tum artificio ſpoliare rebus ſuis: quo ſenſu etiam ſcripſit D. Ambroſius lib. De Tobia cap. 8. & refertur Cauſa xiv. qu. 4. Can. vlt. Ab illo exige vſuram, cui merito nocere deſideras: cui merito inferuntur arma, huic lege (ſcil. Iuſtitiæ) tunc auferuntur vſuræ: quem bello vincere non potes (ſcil. & iuſtam vincendi eum bello habes cauſam) ab hoc vſuram exige &c. In altero autem Scripturæ loco non dicitur *Fœnerabis gentibus pecuniam ad vſuram*, ſed ſimpliciter *Fœnerabis multis*, id eſt, mutuũ dabis: quo loquẽdi modo ſignificatur ibi benedictio obuentura cuſtodientibus legem Dei, videlicet tam affluentes futuras ipſorum opes, vt poſſint alijs mutuum dare, & ipſi non egeant à quoquam mutuum accipere: de quo vide etiam D. Th. loco cit.

Obijcitur Secundò, ius ciuile non tantùm permittit vſuras, ſed etiam ad illas exigendas cõcedit actionem, quando de illis per ſtipulationem fuit conuentum: vt patet l. 1. & 2. Cod. De vſuris: non videtur ergò dicendum, eas aduerſari iuri naturali. Reſpondetur Neg. Conſ. nam potuit ius ciuile vſuras moderatas permittere, ſic vt eas externa pœna non puniat, ad maiora incommoda vitanda, non obſtante eo quod ſint cõtra ius naturæ, vt ex alijs ſimilibus cõſtat: quatenus verò ad eas exigendas concedit actionem & executionem pro ſolutione, eatenus per ius Canonicum eſt abrogatum: nam excõmunicantur Iudices cogentes ad ſolutionem vſurarũ, vt patet Clementina vnica de vſuris.

Vbi tamẽ obſeruandũ eſt, ius ciuile in vſuris permittendis admodũ moderatè proceſſiſſe: nam in vſuris ſummis, nõ permiſit niſi 12. pro

centum per annum: idque tantùm in fauore nautico vt vocant, vbi periculum ſortis erat ipſius mutuantis, quemadmodum conſtat ex omnibus pœnè legibus D. De fœnore nautico. In ſecundis autem vſuris, octo tantum pro centum; in tertijs 6. pro centum, & in infimis quatuor tantũ pro centum: vbi hiſce temporibus ſolent aliquando accipi 32. aut triginta tria in centum, cum ſumma miſerorum oppreſſione & conſumptione: quibus iam diuerſis in locis magnâ ex parte eſt ſubuentum per montes quos vocant Pietatis.

DVBIVM IV.

Quomodo vſura diuidatur?

13 RESPONDETVR: poteſt vſura primùm diuidi in vſuram merè internam, & externam: voco externam hîc quæ habet externum aliquem actũ qualemcumq; coniunctum: merè autem internam, voco internum voluntatis actum ſiue affectum faciendi lucrum ex mutuo, abſque eo quòd vel ineatur de eo pactum, vel quòd mutuum præſtetur. Sicuti homicidium merè internum, eſt quod ſolâ voluntate committitur, ita vt nullum opus externum in ordine ad iſtud, exerceatur. Vnde Leges & Canones de eiuſmodi vſura non ſolent loqui, neque ſubiacet cenſuris aut pœnis in vſurarios conſtitutis: quamuis coram Deo & in foro conſcientiæ culpam vſuræ contineat, ſi ſit actus perfectus & deliberatus.

Vſura externa cõmuniter ſubdiuiditur in externam realem, & externam mentalem.

Externa realis eſt, quando mutuationi adiungitur pactum de ſoluendo aliquo lucro vltra ſortem, propter mutuum.

Externa autem mentalis tunc eſt, quando mutuum datur cum intentione aut ſpe accipiendi lucrum aliquod per modum debiti ex vi mutui, aut certè mutuatarius lucrum aliquod ſoluit tamquam debitum ex mutuo, abſque eo tamen, quod lucrum illud fuerit deductum in pactum. Ita mentalem vſuram explicant Molina to.2. diſp. 303. Tolet. lib. 5. c. 29. Salas De vſuris dub. 2. Vnde quidam vlterius diſtinguunt vſuram mentalem in illam quæ fit ex parte mutuantis tantum, & in illam quæ fit ex parte mutuatarij tantum, & in eam quæ fit ex parte vtriuſque. Dicuntur autem iſtæ vſuræ mentales, quia licet mutuatio rei, & acceptio lucri ſint actiones externæ, tamen non produnt ſeu non manifeſtant intentionem, quâ illud tanquam debitum ſoluitur, & accipitur: quæ explicatur in pacto expreſſo quando hoc adiungitur. Quinam autem ſint diuerſi effectus eiuſmodi vſurarum, conſtabit ex infra dicendis.

DVBIVM V.

Vtrum ſine vſuræ labe liceat ex mutuo ſperare amicitiam &, ex hac emolumentum?

RESPONDEO & DICO Primò: Certum eſt, abſque omni periculo vſuræ 14
poſſe aliquem ſperare amicitiam mutuatarij. Ita docet D. Th. ſup. a. 2. ad 4. & alij omnes communiter. Conſtat ſatis ex dictis circa definitionẽ vſuræ, quia amicitia non eſt de numero eorum quę pecunia aut pretio æſtimãtur; vnde lucrum vltra ſortẽ non intendit is qui intendit amicitiam, adeò vt etiam citra vſurã poſſit addi pactum de exhibendis externis amicitiæ ſignis (nã ipſa amicitia cũ ſit propriè interna, nõ poteſt in pactum redire) ſicuti de humanitate, de affabilitate & ſimilibus, vt docet Soto lib. 6. q. 1. a. 2. quia non ſolent huiuſmodi quoque pecunijs ęſtimari.

DICO Secundò: Poteſt etiam quis ſine peccato vſuræ ſperare, aut intendere conſe- 15
qui aliquod emolumentum, mediante amicitia, quam mutuando ſibi conciliat: expectans ſcilicet quod mutuatarius gratuitâ & bonâ voluntate, aliquid ipſi vtile præſtabit, non ex aliqua iuris obligatione: idque ſiue amicitiam mutuatarij primò & principaliter ſpectat, ſiue etiã ſecundario, quia eam putat ſibi fore proficuã, alioquin nõ daturus mutuũ. Colligitur ex D. Th. q. 13. De malo art. vlt. ad 13. & hic qu. 78. art. 2. vbi idem docent Salon. Controu. 1. Arrag. a. 1. dub. penult. & vlt. & docent Soto ſup. Nauarra lib. 3. De reſtitut. c. 2. n. 148. Mald. tract. 5, cap. 3. dub. 5. Salas loco cit. n. 2. & communis pene eſt opinio: quamuis aliqui, vt Sil. V. Vſura, in principio & q. 54. Tabienna V. eodem, qui alios citant exiſtimẽt nõ poſſe lucrũ intẽdi principaliter, ita quòd quis alius nõ eſſet mutuaturus quis.

Sed probatur generaliter ex dictis circa definitionẽ vſuræ, quia tunc demum eſt lucrum vſurarium, quando ex mutuo capitur aut expectatur tamquam debitum ex inducta aliqua iuris obligatione: Atqui qui tantum mediante amicitiâ partâ ſiue comparatâ ex mutuatarij beneuolentia & gratuita voluntate, aut etiam ex gratitudine expectat aliquam recompenſationem pretiabilẽ, non intendit lucrum ex mutuo, vt debitum ex obligatione iuſtitiæ; ergo non committit crimen vſuræ. Vnde & conſequens eſt quod non magis vſuræ labe inficiatur qui lucrum intendit principalius, quam qui amicitiam, modo nõ intendat nec expectat niſi ex amicitia modo iam dicto: nam quod principaliter aut minus principaliter intendat emolumentum, videtur nihil conferre ad rationem vſuræ committendæ, vt expreſſe notat Soto

Digitized by Google

Soto loco cit. quando non additur obligatio iuſtitiæ ex vi mutui, neq; adeſt voluntas lucri conſequendi ex tali obligatione, dum mutuum præſtatur: quia non interuenit affectus aliquis iniuſtitiæ, & ſic neque vſuræ. Ita docent Molin. tom. 2. diſput. 305. à Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 21. pun. 1. Salon. & Arrag. hic q. 78. art. 2. Salas De vſuris dub. 5. cum multis alijs quos citat. Principaliùs tamen ſpectare eiuſmodi emolumentum poteſt vitioſum eſſe, ſiue ob affectum auaritiæ, ſiue ob inordinatum agendi modũ, quando amicitia appetitur principaliter ad quęſtum: niſi tamẽ iuſta aliqua ratio excuſet, vt ſi mutuator multùm indigeret re quã conſequi prætendit, vel eam ad præſtantiorem aliquem finem intendat referre & applicare.

DVBIVM VI.

Vtrum ſit vſura mutuare eâ lege, vt alter remutuet, vel vt officium ſeculare, aut beneficium eccleſiaſticum ſibi vel ſuis conferat.

16 RESPONDEO & DICO Primò: Vſuram committit qui mutuat cum pacto inducente ſtrictam obligationem de remutuando imposterum. Similiter quoque qui paciſcitur de officio, vel beneficio in futurum ſibi aut ſuis conferendo. Eſt communis doctrina: & quidem priorem partem quoad pactum de remutuando docet D. Th. hac 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. & ibidem Caiet. Arragon. Salon. Banneſ. Couar. lib. 3. Var. cap. 1. Pet. Nauarra lib. 3. cap. 2. nu. 239. Molin. tom. 2. diſput. 308. & 309. & paſſim alij. Contra Adrian. in 4. De reſtitut. 4. De vſuris, §. Sed contra, & alios nonnullos, qui exiſtimare videntur, licitum eſſe, in pactum deducere de præſtandis omnibus quæ tempore & loco mutuatarius ex debito antidorali, ſiue gratitudinis tenetur pręſtare.

Secundam partem, De obligatione ex pacto inducta de officio conferendo, docet quoque D. Th. Opuſcul. 21. De regimine Iudæorum ad duciſſam Brabantiæ, & eum ſequuntur Arragon. & Salon. ſuprà Controu. 2. Caiet. V. Vſura: Silueſt. eodem q. 5. Med. qu. 4. De vſuris: Molina diſp. 310. Nauar. c. 17. n. 223. Salas De vſuris cap. 13. n. 2. & alij: qui addunt id quoque verũ eſſe, etiamſi labores, curæ, & operæ imponendæ æquent aut etiam ſuperent vtilitatem ſiue valorẽ officij: quod eſt contra Adrian. in 4. q. De vſuris §. Ex his ſuboritur. De obligatione ad beneficiũ Eccleſiaſticum conferendũ: ſimiliter docent plerique DD. eam eſſe vſurariam contra Nauar. c. 17. n. 207. qui tenet ibi non committi propriè vſuram, quia nihil temporale acquiritur per mutuum, ſed ſpirituale, atque ita eſſe ſymoniam. Verùm aſſertio poſita probatur vniuerſaliter: quia in omnibus iſtis, vltra redditionẽ ſortis, imponitur mutuatario onus, in vtilitatem mutuatoris pretio æſtimabile. Declaratur, quia ſtricta iuris obligatio ad remutuandum, vel ad officium, vel beneficiũ conferendum eſt onus pretio æſtimabile, quia ſtricto iure ſe obligare eſt ſibi adimere omnimodè libertatẽ: atqui iſta imponitur mutuatario in vtilitatem & commodum mutuatoris: vt ſupponitur; ergo mutuatarius pręſtat hic aliquid pretio æſtimabile mutuatori vltra ſortem, dum ſe ita obligat. Eſto quòd eiuſmodi obligatio ad beneficium Eccleſiaſticum conferendum participet de ratione ſymoniæ.

DICO Secundò: Secus ſe res habet, ſi mutuans tantùm requirat vt mutuatarius ex amicitia, & pro debita gratitudine, præſtet ſuo tempore viciſſim gratiam, v.g. vt remutuet, quando ipſe indigebit: aut officium, vel beneficium conferat, quæ gratis conferri ſolent. Ita docet Adrian. in 4. De vſura §. Dico igitur ad quæſitũ, & Gab. in 4. diſt. 15. q. 3. art. 3. Angelus V. Vſura 1. n. 4. & alij communiter. Conſtat ex antè dictis. Et ratio euidens eſt, quia nulla hic imponitur mutuatario obligatio ad aliquid in futurũ dandũ; ſed tantũ requiritur ſiue ab eo petitur; quatenus obligationem quæ ex natura amicitiæ præſtitę per mutuationẽ, naſcitur, pro opportunitate velit explere: nam ex hoc mutuationis beneficio oritur in mutuatario quædam antidoralis, vt vocant, ſeu remuneratoria obligatio ex virtute gratitudinis. Mutuans autem tantũ requirit, vt illius memor gratioſè rependat beneficium pro beneficio non intendens illum ſtrictiori aliquo vinculo iuſtitiæ ad hoc obligare. 17

DICO Tertiò: Similiter non videtur eſſe vſura, ſi quis alicui pecuniã mutuet eã lege vt viciſſim iam ſibi remutuet frumentũ, aut vinum, aut quid ſimile, quando id huic non magis eſt incommodum, quàm alteri iſtud. 18

Colligitur ex D. Th. ſuprà, vbi ita ſcribit, licet ſimul mutuanti vnum aliquod, aliud mutuum recipere: non autem licet eum obligare ad mutuandum inpoſterum. Iſta enim antitheſis indicat, quod liceat mutuare cum tali lege, ſeu conditione, quod alter ſimul mutuabit rem, quã mutuans indiget: & ita docet Nauarra lib. 3. c. 2. n. 235. & 242. Mal. tract. 5. c. 3. dub. 4. Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 8. & Bannez ſup. 2. 2. cum Conrardo in Sum. qu. 225. dicit eſſe valde probabile.

Probatur: quia mutuũ dupliciter ſpectari poteſt: vno modo vt eſt contractus inducens obligationem iuſtitiæ, & ſic adæquatè illi reſpondet redditio ſortis, neque aliud ex vi talis contractus exigi poteſt:

Alio modo vt eſt quidam actus amicitiæ, & ſic ei correſpondet, & ſuo modo debetur officium viciſſim amicitiæ, ſi mutuans eo indigeat; ergo quando à me quis petit hunc actum amicitiæ, quem præſto pecuniam mutuando, poſſum requirere & cõditionem ponere, vt ſimul mihi præſtet ſimile officium amicitiæ in eo in quo indigeo: quod ſi nolit dum tamen non ſit ipſi notabiliter incommodum, poſſum ipſum tamquam indignum repellere. Neque hîc interuenit pactum aliquod, quo intendam alterum obligare ad remutuandum: ſed requiritur mutuatarius, & ab eo petitur, vt gratiam ſimul cõferat pro gratia: in quâ gratiâ exhibendâ non grauatur amplius, quam ego mutuum ipſi dando. Ex eodem fundamento tradunt nonnulli, non eſſe vſurarium quoque ſi quis mutuet eâ lege alteri, vt ſibi aut ſuis conferat aliquod officiũ ſeculare iam vacans, quod gratis ſolet conferri, modo non intendat obligationem iuſtitiæ inducere, vel vt pretium quoddam mutui accipere: ſed tantum tanquã gratiam ex alterius beneuolentiâ profectam. Ita in primis ſentit Adrian. in 4. De reſtit. ſup. vbi docet etiam in pactum poſſe deduci, quando ſaltem onera officij ſunt æqualia aut maiora emolumentis, & alij qui cum ipſo in hoc cõueniunt. Similiter ſentire videtur Pet. Nauarra lib. 3. cap. 2. n. 267. & 273. & 408. & abſolutè ſine reſtrictione tenet id vt probabile Mald. ſuprà dub. 6.

19 Et probari poteſt: quia inter requirere vt alter ex incontinenti præſtet amicitiã viciſſim remutuando aliam ſpeciẽ, quod & inter requirere vt amicitiam præſtet conferendo officium quod gratis offerri aut conferri ſolet, nõ videtur eſſe niſi materialis diuerſitas: quando igitur collatori non magis cenſetur oneroſum conferre huic officiũ tale vacans, quàm illi eidem eſſe graue remutuare aliam ſpeciẽ, nõ apparet quare potius in poſteriori ſubeſſet crimen vſuræ, quã in priori. Neque hîc etiã obſtare videtur, quod prouentus officij ſuperent operas & onera eius: quia hoc non grauat collatorem, quandoquidem gratis ſine pretio conferri ſoleat, & de reliquo præſtetur iſta collatio tantum vt actus amicitiæ, non vt pretium mutui.

Similiter quod ad collationem beneficij Eccleſiaſtici attinet, dicit Mald. loco citato probabile eſſe, quod nec ſimonia nec vſura foret, ſi quis dicat ſe mutuum dare non vt pretium beneficij, aut collationis eius, ſed vt hac ratione amicitiam collatoris prouocet, præſtando illi hanc gratiam, quã tamen nolit præſtare niſi collator viciſſim gratificetur, conferendo iam beneficium vacans, quod etiam Leſſ. ſup. dub. 9. n. 64. ſatis ſignificat, & Nauarra locis cit. Aſt verò ſi intenderet ex iuſtitia eum obligare, tunc ſimoniæ crimẽ haud dubiè incurreret: quamuis enim mutuare, ſiue mutuum dare non habeatur res pretio æſtimabilis, tamen eſt quid temporale, & proinde intenderet per contractum commutare temporale cum ſpirituali, quod ſimoniacum eſt.

20 Obſeruandum tamen eſt, in praxi non facile eſſe admittenda hæc pacta amicitiæ circa officia aut beneficia conferenda ratione mutui dati aut accipiendi, quia ſpeciem mali habent, & facilè ſub illis vſura & ſimonia poſſunt palliari; adeo, vt in foro externo condemnarentur tamquam vſuraria aut ſimoniaca: & ſine dubio actiones eiuſmodi cum formali ſtipulatione apprehenduntur ex natura ſua plus obligationis inducere, quàm amicitiæ & gratitudinis leges per ſe adferunt, etiamſi verbis fiat proteſtatio de præſtandis omnibus tantùm ex amicitia.

DVBIVM VII.

Vtrũ ſit vſura eâ lege mutuare vt alter remittat tibi iniuriã, quam iutuliſti, vel vt remittat reſtitutionẽ honoris aut famæ.

RESPONDEO & DICO Primò: Licitum eſt mutuare cum pacto, vt non inferat priuatam vindictam qui à te læſus eſt. 21
Similiter, vt ceſſet Iuris ordine agere ad vindictam criminis, quod per calumniam impoſuit. Ita Arragon. q. 78. art. 2. circa 3. Reſol. Salon. ibidem Controu. 2. in fine. Soto lib. 6. qu. 1. art. 2. Ioan. Med. q. 1. de Vſuris §. Lucrum, Caiet. V. Vſura exterior, & paſſim alij.

Probatur & Declaratur: quia non exigis aliquid indebitum, ſed tantum redimis iniuſtas vexas, tibi impendentes: nullum enim habet alter ius, vt priuatâ ſuâ authoritate vindicet iniuriam ſibi à te illatam, neque vt Iuris ordine agat ad vindictam criminis quod calumnosè tibi impoſuit: vnde per eiuſmodi pactum, non acquiris lucrum, vt conſtat ex dictis circa definitionem vſuræ, & explicationẽ quid lucri nomine comprehendatur. Et poteſt etiã colligi ex Cap. Dilectus de ſimonia: & Cap. Aut illo, XIIII. q. 4.

22 DICO Secundò: Non eſt quoque vſura, ſi quis citra ciuile pactum, intendat mutuando prouocare amicitiam læſi, & ſic ex eius beneuolentia conſequi remiſſionem iniuriæ tam quoad damnum illatum, ſiue in bonis fortunæ, ſiue honoris aut famæ, quàm quoad iuſtã vindictam aut pœnam, in quam ſecundũ iuris ordinem eſſet condemnandus. Eſt communis doctrina, & conſtat ex dictis dub. 5. & dub. 2. circa definitionem vſuræ.

DICO Tertiò: Vſura erit, ſi quis mutuet deducendo in pactum ciuile, quod ille qui læſus eſt, remittet damnum illatum in

rebus

Digitized by Google

rebus fortunæ, aut remittet mulctam pecuniariam in quam mutuator iuſtè eſt condemnatus propter iniuriam, quam intulit ſiue in rebus fortunæ, ſiue in nomine & fama. Eſt quoque indubitatæ veritatis: neque à quoquam negatur.

Ratio eſt euidens: quia ratione mutui exigitur cum pacto ciuili, remiſſio quæ eſt ipſi indebita & omninò pretio æſtimabilis. Eiuſdem enim rationis ſunt, quod cedam iuri exigendi à mutuatore pecuniam iuſtè mihi debitam, & quod dem aut obligem me ad dandam pecuniam, quam ei non debeo: Quare vltra ſortem accreſcit illi ipſa remiſſio pecuniâ æſtimabilis; & ita vſuram committit, qui mutuando, ciuiliter obligat mutuatarium, quòd non aget ad mulctam aut pœnam, in quam iuſtè & ſecundùm iuris ordinem eſt condemnatus. Addo, quod vſuram quoque committet ſtipulando remiſſionem mulctæ in quam iuſtè eſt condemnandus, quamuis in eam nondum ſit condemnatus: quod eſt contra Nauarrum cap. 17. n. 238. qui exiſtimat mutuantem de illa, ſiue de non agendo ad illam mulctam aut pœnam poſſe paciſci, quia antè ſententiam nondum ſit debita; ſed communiter tenetur id, quod diximus. Ita Banneſ. 2.2. q. 78. art. 2. ibidem Arragon. & Solonius, Medina ſuprà, Molina diſput. 302. Lopez 2. p. Inſtrum. c. 56. Salas De vſuris cap. 12. & alij.

Et ratio reddi poteſt: quia quamuis antè ſententiam non debeatur mulcta, tamen læſus habet ius exigendi illam in iudicio: eſtque ius illud haud dubiè æſtimabile pretio, quamuis non tanti ſit pretij, quanti eſt mulcta iam impoſita: cuius Iuris ceſſionem non debet ex iuſtitia: atque ita dum mutuans paciſcitur de iure illo remittendo, quærit ex mutuo lucrum vltra ſortem.

DICO Quartò: Vſura quoque erit, ſi
24 quis mutuet ciuiliter ſiue cum pacto iuſtitiæ obligando mutuatarium, vt remittat ſibi debitum ſeu onus reſtituendi honorem aut famam, quæ abſtulit, aut in quibus eum læſit; vel vt remittat ei honorariam ſatisfactionem, vel aliam pœnam, etiam corporalem, in quam per Iudicem eſt condemnatus aut condemnandus, ob iniuriam, quam intulit.

Poteſt videri hæc Concluſio contra Dominicum Soto ſuprà, vbi docet mutuatorem non tantùm poſſe conciliare amicitiam mutuando, vt ei remittatur læſio famæ vel honoris, quam intulit; ſed etiam deſuper poſſe paciſci, ſaltem, inquit, antequam in pecuniam ſit condemnatus. Rationem autem reddit: nam etſi honor, & fama poſſint pretio æſtimari, ait, (ita enim ipſe de his ſentit, ſicut & de vita hominis) tamen ex natura ſua ſolet iure amicitiæ condonari, quare illud pactum non eſt, niſi amicitiæ fœdus, inquit. Quod amplius confirmari poterit ex eo, quòd iuxta communiorem Theologorum doctrinam, honor & fama non ſint pecuniâ æſtimabilia, ſicut neque honorariæ ſatisfactiones, aut pœnæ corporales eſſe videntur.

Nihilominus videtur Concluſio penè eſſe 25
communis, Pet. à Nauarra lib. 3. cap. 2. num. 284. Conradi quæſt. 37. Concluſ. 2. Angeli V. Vſura 1. n. 3. & 11. Malderi ſuprà dub. 7. & aliorum DD. quos iam antè citauimus.

Probatur autē: atque inprimis ſuppoſito, quòd fama & honor poſſint pecuniâ ęſtimari, ita vt naſcatur pro illis ablatis aut læſis obligatio ſatisfaciendi in pecunijs, quando in ſe nō poſſunt reſtitui, (prout tenet Soto) dubiū non eſt, quin damna in eis illata poſſint venire in conuentiones & pacta iuſtitiæ, vtpotè quæ verſabuntur circa res pretio æſtimabiles. Quare ratione mutui, alteri imponere obligationem iuſtitiæ, ad remittenda eiuſmodi damna, quæ mutuator tenetur reſarcire, eſt manifeſtè accipere ex mutuo lucrum vltra ſortem, & proinde vſurarium. Deinde, & ſi honor & fama ponantur non eſſe pecunijs æſtimabilia, vt communior habet opinio, tamen obligatio ad illa reſtituenda, eſt onus pecuniâ æſtimabile, quod homines ſæpiùs magnâ pecuniâ cuperent redimere: cuius proinde remiſſionem, ratione mutui ſtipulari, eſt lucrum vltra ſortem ex mutuo requirere; & conſequenter etiam ad vſuram pertinet.

Quod itaque attinet ad rationem Do- 26
minici Soto, quòd ſcilicet talia ex natura ſua ſoleant iure amicitiæ remitti, non conuincit hæc, idcircò ſuper iſtis obligationibus & oneribus faciendæ reſtitutionis remittendis, & quaſi redimendis, ciuiles non poſſe fieri contractus, cùm abſolutè habeantur pretio æſtimabilia: eſto, quòd frequenter pro honeſtate, aut amicitia ſine pretio remitti conſueuerint. Vnde ſuppoſito, quòd mutuator interim per pactum ciuile obliget mutuatarium, conſequens eſt, quòd ex mutuo faciat lucrum, cùm ex tali pacto alter remittit debitum ſeu onus illud reſtituendi aut ſatisfaciendi: non minus, quàm ſi ex pacto ſimili adiecto remitteretur debitum pecuniarium. Poſſet tamen ratio iſta dici, hoc veriſimiliter ſaltem oſtendere, quòd non hoc ipſo debeat cenſeri ſtatim initum pactum ciuile, quo mutuans in particulari requireret tale obſequium, quod remitteretur ipſi læſio famæ, aut honoraria ſatisfactio, quæ non poteſt aut ſine moleſtijs aut ſine rubore aut verecundia præſtari, quando non accederet aliqua expreſſior ſtipulatio: licet aliter videatur ſentire Pet. Nauarra ſuprà.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ſit vſura, ſi quis mutuet eâ lege, vt alter res ſibi neceſſarias in ipſius officina emat, vt ad eius veniat molendinum, vel vt ſuas operas ei iuſto pretio exhibeat, quando mutuans indigebit?

27 RESPONDEO & DICO Primò: Si quis mutuet alicui, & petat ab eo, ſibi iſta quæ hic proponuntur viciſſim præſtari, vt officia amicitiæ, quatenus gratitudo id poſtulat, & ſine alterius grauamine fieri poteſt, non erit vſura.

Conſtat ex dictis ſatis: Et ratio eſt euidens: quia eiuſmodi officia ſolent viciſſim ex amicitia rependi illis, à quibus beneficium accipimus. Vnde quando exiguntur ſolùm ex beneuolentia rependi, non imponitur alteri grauamen pretio æſtimabile: accedente eo, quod tam ſine incõmodo poſſit ea tam apud mutuatorem accipere, aut illi præſtare reſpectiuè, quã apud alios. Quod addo; quia quando ſine ſuo incommodo mutuatarius non poſſet illa præſtare, vt quia vel merces in officina mutuatoris non eſſent tam bonæ, aut quia nimis remotè diſtaret, tum illa exigere, nõ eſſet tam requirere officia amicitiæ, quàm implicitè & interpretatiuè exigere quoddam pretium, ſiue oneroſam compenſationem mutui; eò quòd cum incommodis proprijs non ſoleant eiuſmodi tamquã officia amicitiæ præſtari: vnde tunc ſaperet vſuram.

DICO Secundò: Qui autem ratione mutui obligaret, aut obligare intenderet, lege iuſtitiæ mutuatarium ad iſta præſtanda, hic in labem vſuræ incideret.

Colligi poteſt ex D. Th. ſup. q. 78. art. 4. & tenent Syluest. V. Vſura q. 7. Panor. in cap. Videlicet De vſuris, & plerique alij. Et

28 Probatur: quia habere hos obligatos, quòd teneantur emere merces in ipſius officina, aut teneantur vti eius molendino, aut debeant præſtare illi operas (quamuis iuſto pretio) quando illis indiget, eſt ius quoddam pretio æſtimabile. Vnde braxinia & molendina, quæ dicuntur bannalia, propter ſimile ius longè maioris æſtimantur, quã alia etiã cæteris paribus: ſolent quoq; aduocati & alij accipere annuas penſiones ob hoc ſolum, quòd obligent ſe ad præſtandas operas ſuas, quando alius indigebit; ergò qui ratione mutui ius illud acquirit, imponendo mutuatarijs talem obligationem ad aliquid ex iſtis præſtandum, facit ex mutuo abſolutè lucrum vltra ſortem.

Vnde conſequenter DD. inferunt mutuatorẽ ad relaxandam eiuſmodi obligationẽ, ſi quã mutuatario iniecerit, omninò teneri, & iudicio prudentum compenſare alteri ſeruitutem, quam ex obligatione ſubijt, & ſi forſitan ſuſtinuiſſet inde aliquod damnũ, vt quia v. g. potuiſſet adire aliud molendinum, aut officinam, vbi non tantum ſoluiſſet, aut quo cũ minoribus laboribus acceſſiſſet, obligari ad illius reſtitutionem, Ita docent Banneſ. Arragon. Salon. ſuprà, Tolet. lib. 5. cap. 29. & alij. Non tamen tenetur ad reſtitutionem lucrorum, quæ ex tali occaſione per iuſtam negotiationem, aut alio iuſto titulo fecit: vt v. g. ſi occaſione huius frequentantis molendinum, aut officinam illius, plures alij quoque adierint, & frequentent, vnde maius lucrum fecit, vt rectè contra Ioannem Andr. Reg. Peccatum De Regul. Iuris in 6. & alios quoſdam docent Adrianus ſuprà in 4. De reſtit. quæſt. De vſura §. Sed contra: Molina Tom. 2. diſput. 309. Salas dub. 9. & alij: & ratio eſt, quia in vſura naſcitur tota ratio obligationis ad reſtituendum ex damno iniuſtè illato mutuatarijs: atqui in eo, quod alij exemplo illorum frequentauerint ſponte molendinum aut officinam alterius, non fuerunt mutuatarij damnificati: neque mutuans intulit frequentantibus aliquam iniuriam, quia ſua ſponte frequentarunt; ergo nulla hic exoritur obligatio reſtituendi.

Abſque fundamento autem volunt nonnulli, inter quos eſt Panorm. ſuprà, lucra illa eſſe pauperibus eroganda, vt rectè notant Syluest. V. Vſura 1. quæſt. 7. Mald. dub. 4. Salas loco citato, cum alijs. Quandoquidem enim mutuator, res ſuas iuſto pretio vendendo frequentantibus ſponte officinam, neminem in eo iniquè fraudauerit, aut grauauerit, hinc lucra illa inprimis nõ ſunt reſtitutioni obnoxia lege ſiue Iure naturali, & de lege poſitiua, quæ mandat illa in pauperes vel pias cauſas eſſe eroganda, nuſquam conſtat.

Sed contra dicta Opponitur: Officia beneuolentiæ prædicta, de quibus in quæſtione & concluſione agitur, & alia ſimilia debentur mutuatori, titulo gratitudinis; & ſunt talia, ſuper quibus poteſt aliàs licitè iniri contractus ciuilis (nullum enim ius impedit quo minus poſſet quis conuenire de aliqua penſione pecuniaria ſoluẽdã pro talibus officijs) quamuis ſecus ſe habeat res in beneficijs eccleſiaſticis; ergò ratione mutui ſibi mutuatarium obligare ciuiliter, ad iſta officia exhibenda, non erit vſura. Probatur Conſeq. quia per illam obligationem non videtur mutuator lucrari rem aliàs indebitam. Et Confirmatur, quia quando quis tenetur ex charitate 29

Digitized by Google

charitate aliquid præſtare, videtur tunc licitum illi mutuare, cũ pacto inducente obligationẽ ciuilẽ, vt tẽpori & loco id exhibeat, v. g. vt medicus mihi, vel alteri in neceſſitate conſtituto curationem exhibeat, vt aduocatus præſtet patrocinium, vt docet Medina de Vſura q. 4. ergò &c.

Reſpondetur Neg. Conſeq. Ad probationem dicendum eſt, quòd reuera lucraretur rem indebitam ad ſenſum definitionis vſuræ: quia cenſetur res illa omnis indebitã, quæ ex iuſtitiã non debetur; eſto, quòd debita ſit titulo amicitiæ, vel gratitudinis. Vnde quando accedit obligatio ſtricti iuris ad eam præſtandam, facit mutuator lucrum, quia acquirit ius iuſtitiæ ad illas commoditates ſibi exhibendas, quod priùs illi non competebat: eſtque pretio æſtimabile ſupra priorem obligationem, quâ ex gratitudine duntaxat ei talia debebantur. Aliud foret, ſi res aliqua ex iuſtitia eſſet debita: ſed non haberet actionem in foro ciuili. Vnde vſura non erit mutuare cum pacto, quòd rem illam ſic ex iuſtitia debitam ſibi præſtabit, ſeu reddet.

30 Ex dictis intelligitur etiam ſimiliter eſſe negandũ quod aſſumitur pro cõfirmatione: quia quòd debitũ charitatis, mutetur in debitũ iuſtitiæ, eſt aliquid alteri indebitum, & accedens huiuſmodi mutatio eſt pretio mutuatori æſtimabilis, cedens in augmentũ & emolumentũ iuris eius & mutuatario in onus quaſi ſeruitutis. Vnde non ſolùm, quando ratione mutui quis exigit ſibi rem gratis pręſtari, quam ex charitate tenebatur mutuatarius quidem pręſtare, ſed non tenebatur gratis præſtare, committit vſuram: verùm etiam quando ciuiliter obligat ad rem vel operam aliquã gratis tempore & loco exhibendam, quam ex charitate gratis exhibere tenetur; Imò & quando obligat ciuiliter, ad præſtandum pro pretio, quod ex charitate tempori & loco, ſaluis ſalarijs, tenetur exhibere. Ita docent Molina Diſp. 319. Salas Dub. 9. n. 4. Filliuc. tract. 34. n. 95. Azor. tom. 3. lib. 7. c. 7. quæſt. 1. Bonacina De Contr. diſp. 3. q. 3. p. 3. n. 13.

Si tamen mutuans ſimul eodem tempore indigeret re, vel operâ alterius, quam ſine ſuo incommodo poteſt exhibere, ſiue ex charitate teneatur ſiue non, poterit iuxta antè dicta in ſimilibus, requirere, vt mutuatarius viciſſim hoc beneuolentiæ officium ſimul ſibi præſtet: aut ſi nolit, poterit illi tanquam ingrato & indigno recuſare beneficiũ mutui.

In quibus tamen plerique docent, etiam non poſſe interuenire pactum ciuile, quo alter obligetur ex incontinenti præſtare aliud officium quod ſolet ex beneuolentia aut amicitia exhiberi: quia iſta obligatio videtur habere naturam lucri vſurarij: Ita Lopez 2. p. Inſtruct. cap. 56. §. Super hæc. Salon. ſup. art. 2. controu. 3. Salas dub. 10. Bonac. ſup. nu. 9. & alij: niſi fiat obligatio reciproca, vt dicit Salas: quale quid fit ſaltem implicitè in modo, quem nos admittimus.

Sed Quæritur, Vtrùm mutuator poſſit ſtatuere hunc terminum reſtituendi mutuũ, 31 quando mutuatarius deſinet frequentare ipſius officinam, vel molendinum, aut ſimile gratitudinis officium præſtare?

Reſpondetur Affirmatiuè. Ita ſentiunt Adrian. ſup. §. Dico igitur ad quæſitum, Gabriel in 4. diſtinct. 15. q. 3. art. 3. Angelus V. Vſura 1. tit. 4. Leſſius dub. 8. Rebel. lib. 8. q. 2. ſect. nu. 12. Filliuc. ſup. nu. 39. contra Caiet. 2. 2. qu. 78. art. 2. & Bonac. ſup. n. 10. & alios quoſdam. Nulla enim in eo apparet iniuſtitia: quia mutuator poteſt præfigere terminum ſibi mutuum reſtituendi placentem. Neque imponitur mutuatario obligatio, vt apprehendit Bonacina, poteſt enim deſinere frequentare quando placet: ſed dum ipſe ceſſat ab officio amicitiæ, ponitur cõditio, quod alter quoque ſubſtrahet ſuum. Nec etiam peccatur hic contra charitatem, niſi forſitan mutuatarius valdè egeret mutuo, aut mutui continuatione, & non poſſet abſque aliquo grauiori incommodo aſſiduè frequentare mutuatoris officinã, aut molam, ob longiorem diſtantiam, vel aliud impedimentum: nam legi charitatis contrariatur, ponere terminum operi charitatis, quo proximus indiget; quando deſinet ipſe impendere beneficium, quod ſine grauamine exhibere non poteſt; niſi forſan eius amore in tantum ſibi quoque incommodet mutuator, dum alteri mutuat.

DVBIVM IX.

Vtrùm ſit vſura, accipere aliquid vltra ſortem, pro vſu ſecundario pecuniæ, quo ſcilicet non conſumitur aut mutatur? 32

RESPONDEO & DICO Primò: Si quis abſolutè & propriè alteri pecunias mutuet, non poteſt abſque iniuſtitiã, etiam pro ſecundario vſu iſtarum, aliquid accipere vltra ſortem.

Ratio ex dictis eſt euidens: quia per mutuum transierunt pecuniæ iuſto & æquali ſibi onere in dominium mutuatarij; ergò iniuſtè mutuans agit, ſi pro vſu qualicumque rei non ſuæ, & quæ iuſto titulo eſt alterius, exigit pretium.

DICO Secundò: Poteſt tamen quis ad vſum ſecundarium commodare alteri pecunias, vel etiam pretio elocare. Ita docent communiter DD. & colligitur ex D. Tho-

ma q. 78. art. 1. ad ſextum vbi dicit, quòd talem vſum pecuniæ licitè homo poſſit vendere, v. g. ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignoris. Idem confirmari poteſt ex l. Sed mihi 2. §. vlt. & l. Sæpè etiam 4. D. Commodati; vbi dicitur, pecuniam non poſſe commodari niſi ad pompam, vel oſtẽtationem. Vnde poteſt dominus pecunias tradere ad talem vſum, & interim ſibi ſeruare earum dominium: & per conſequens iniuſtitiam non committit, ſi accipiat aliquid pro tali vſu rei ſuæ.

DVBIVM X.

Vtrùm ratione damni emergentis aut lucri ceſſantis poſſit mutuator aliquid ſupra ſortem exigere abſque vſuræ peccato?

33 EX definitione Vſuræ ſuperiùs tradita & explicatâ, ac ſimul ex diuerſis reſolutionibus diuerſorum caſuum inde quaſi deductis, conſtat nihil indebitum & pretio æſtimabile poſſe exigi vltra ſortem ratione mutuationis ſecundùm ſe. Neque de illo dando poſſe pactum iniri. Sed quia mutuationi multi alij tituli poſſint coniungi, deinceps examinandum erit, Vtrùm horum ratione poſſit aliquid vltra ſortem exigi, dum mutuatur. Eiuſmodi autem tituli ſunt damnum emergens, lucrum ceſſans, periculum ſortis, vel moleſtiarum in ea recuperanda, carentia pecuniæ pro certo tempore, & alij quidam ſimiles

Pro explicatione autem Dubij propoſiti. Notandum eſt, à Doctoribus diſtingui damnum emergens, & lucrum ceſſans. Tunc enim dicitur damnum emergens; quando quis damnum patitur in rebus, quas iam habet, aut ei nunc debentur: vt quando defectu pecuniæ cogitur permittere ædes ruinoſas cadere: aut non poſſit in bono iure defendere res ſuas ſecundum ordinis iuris.

Lucrum verò ceſſans dicitur, quando impeditur quis ab acquiſitione iuſtâ rei pretio æſtimabilis, quæ nondum ipſi erat debita, ſed tantùm per media iuſta & licita erat eam acquiſiturus. Vtrumque autem vocari ſolet Intereſſe, vt patet ex l. Vnica Cod. De ſententijs quæ pro eo quod intereſt proferuntur; vbi Intereſſe dicitur iuſta vtilitas hominis, habita & habenda, eſſeq; duplex, damni emergentis, & lucri ceſſantis. His præmiſſis

34 RESPONDEO & DICO Primò: Quando mutuatarius eſt in mora, quia non reſtituit mutuum termino conſtituto, ſi inde aliquod damnum obueniat mutuatori, poteſt eius compenſationem mutuator exigere vltra ſortem, & tenebitur mutuatarius eam præſtare. Eſt communis & certa doctrina: & patet: quia per omiſſionem mutui reddendi tempore prædefinito eſt mutuatarius cauſſa damni: quare cùm hæc omiſſio ſit culpabilis, & contra iuſtitiam, conſequens eſt, quòd ipſe ad damni compenſationem teneatur: quia hoc ipſo quod iniuſtè, damno cauſam dedit, obligatur ad illius reparationem, vt ex ſuprà dictis de reſtitutione in genere ſatis conſtat. Neque neceſſum eſt, quod mutuator illum moneat, quia terminus lapſus ſatis eum monere cenſendus eſt: vnde Iureconſulti dicũt, quòd dies moneat pro homine: & ita docent ex Cap. vlt. De locato & cond. Angel. Syl. Armilla, Tabienna V. Mora Pet. Nauar. lib. 3. c. 2. n. 280. Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 10. Bonac. ſup. pun. 4. n. 5. Imò dũ dies ſolutioni præfigitur, quaſi implicitè in pacto ponitur, quod tũ ſponte ſine monitione tenebitur ſolutionem offerre. Si tamẽ mutuatarius non eſſet conſcius periculi, aut damni inſtantis, & bona fide exiſtimaret creditorem nõ eſſe inuoluntarium circa aliquam dilationẽ (quod inter præſentes aut parum diſtantes poteſt facile præſumi quando non fit monitio) nõ videtur in conſcientia obligatus ad damnum, quod euenerit reparandum. Indicat Nauarra ſup. n. 281. Imò quidã DD. tradunt, quod tametſi dies ſolutionis ſit præfixus, nihilominus requiri monitionẽ, vt quis non ſoluendo peccet contra iuſtitiam, & teneatur de damnis: quia, inquiunt, non tenetur alteri ſe offerre, niſi appoſitũ fuiſſet in pacto, ſed ſoluere, dum petitur, adueniente tempore. Ità Salas dub. 19. & fauet Salon. 2. 2. q. 78. a. 2. Contr. 8. n. 17.

Similiter videtur excuſandus ab hac compenſatione, ſi abſque culpa ſua ſit factus impotens ad ſoluendum tempore conſtituto: ſecus ſi poſſit quidem, ſed non abſque rerum ſuarum iactura, quia nõ tenetur alter, cui ius competit, ſuſtinere damnum, in gratiam debitoris, ne hic patiatur intereſſe.

DICO Secundò: Non tantùm, quando mutuatarius eſt in mora, ſed etiam à principio paciſci licet de certa aliqua ſumma vltra ſortem reddenda ratione damni emergentis, quod ex mutuatione probabiliter impendet mutuanti: cuius ipſe mutuans in ſe ſuſcipiat periculum. Eſt communis ſententia, contra Scotum in 4. diſt. 15. q. 2. eſtque conſentanea non tantùm iuri ciuili, ſed etiam Canonico, vt docet Gloſſa in Cap. Conqueſtus De vſuris: & Panormit. ibidem. 35

Probatur ratione, atque inprimis illâ, quam indicat D. Thomas q. 78. art. 2. ad 1. vbi poſtquam dixiſſet: is, Qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompenſationem damni, per quod ſubſtrahitur ſibi aliquid, quod debet habere; adiungit, hoc enim non eſt vendere vſum pecuniæ, ſed damnum vitare: Idque non debere iniquum videri,

Digitized by Google

videri, ſic declarat: quia poteſt eſſe, inquit, quòd accipiens mutuum maius damnum euitet, quàm dans incurrat; vnde accipiens mutuum cum ſua adhuc vtilitate, damnum alterius compenſabit. Deinde nulla æquitas hoc poſtulat, vt mutuator pro beneficio damnum reportet; & diſpendium inde patiatur, vnde videtur premium meruiſſe, vt loquitur Cap. Peruenit De fideiuſſoribus: quare fideiuſſori ibidem conceditur, vt damna repetat. Ex quo poteſt etiam argumentum deduci pro noſtra Concluſione, vt patet. Denique qui ſortem recipit, non reſarcito damno, quod ratione carentiæ illius ſuſtinuit, minus quodammodo accipit, quàm dedit. Quemadmodum enim lucrum, ſuperabundantia ſortis eſt, ita tale damnum, quædam illius eſt diminutio: atqui in mutuo poteſt integra ſors repeti: ergò &c.

26 Opponit Scotus ſuprà: Quòd ſi quis metuit damnificari, inquit, reſeruet pecuniam ſuam, quia non cogetur facere miſericordiam: at ſi mutuet, cogit lex diuina, ne quid vltra ſortem accipiat; ergò &c.

Reſpondetur, Legem Euangelicam, ac generaliter legem diuinam, quatenus fœnus prohibet, coincidere cum lege naturali: neque particulare præceptum iſti ſuperaddere. Lex autem naturalis vetat ratione mutui, atque ipſius vſus pecuniæ, aliquid accipere vltra ſortem: non autem vetat, ſi cum mutuo dato concurrat alius aliquis iuſtus titulus, ratione cuius aliquid pretio æſtimabile poſſit accipi: quo minus illud accipiatur: qualis titulus eſt, ne mutuans ex beneficio alteri præſtito, ſuſtineat damnum: quod ne fiat, rationi & æquitati maximè eſt conſentaneum.

Sunt tamen obſeruandæ hic certæ conditiones, vt eiuſmodi pactum iuſtè & licitè fiat. Prima eſt, quòd verum damnum vel abſolutè, vel veriſimiliter immineat mutuatori, idque ratione dati mutui: vt ſi eius occaſione v. g. reddatur impotens ad damnum imminens auertendum ſiue impediendum. Bonacina De contract. diſp. 3. q. 3. p. 4. n. 3. cum alijs. Et ratio eſt euidens, Nam ſi fingatur tantùm inſtare damnum, euidens eſt, quod hoc non poſſit tale pactum iuſtificare, cùm tantummodò iniquitas mentiatur ſibi. Si autem immineat quidem damnum aliquod, ſed non ratione mutui, ita vt non poſſit auerti aut impediri, quamuis non daretur mutuum, non poterit quoque mutuatario hoc imponi, quia ſic ex mutuo reportaret mutuator lucrum ſeu recompenſationem damni, cuius cauſa non fuit datio mutui.

27 Secunda eſt, quòd mutuans monere debeat mutuatarium de damno ſibi ſimpliciter, aut veriſimiliter obuenturo ratione mutui, quodque eo nomine velit eum obligatum ad damni compenſationem, vel ad redimendum damni periculum aliquo iuſto pretio. Idque in primis ad præcauendum ſcandalum, ne mutuatarius exiſtimet illum per formam vſuræ exigere aliquid vltra ſortem: deinde etiam, ne ſit mutuatario cauſa grauaminis, qui forſitan accederet alium amicum, ſi intelligeret huic eſſe tam incommodum, carere ſuis pecunijs, & hoc tantùm nomine exigere aliquid vltra ſortem: Quando enim ſimpliciter exigitur, forſitan apprehendet, hoc ab omnibus ſic lucri causâ exigendum. Si tamen quis certò cognoſcat, ſe v. g. ex centum, quos dat mutuò, paſſurum ratione mutuationis, damnum ad decem, ideoque paciſcatur de reddendis decem vltra ſortem, nihil interim de ſuo damno admonendo, non committet vſuram: quia inde non erit inæqualitas, quamuis mutuatarius illud ignoret, & ſoluat illos decem tamquam vſuram. Salas dub. 18. n. 6. Bonac. ſup. n. 7. Mald. tract. 5. cap. 3. dub. 12. Leſſ. ſup. dubit. 10. & alij. Vnde nec tenebitur mutuans ad reſtitutionem: niſi fortaſſis illo ſuo ſilentio fuiſſet alteri cauſa illius contractus ineundi: quia alioquin non apparet intercedere hic deceptio; & in rebus ratione damni emergentis eſt æqualitas.

28 Tertia conditio eſt, quòd mutuator non poſſit cogere mutuatarium, vt cum ipſo paciſcatur, de periculo damni ipſi imponendo pro certo periculo: ſed tantùm, vt illi caueat de iſto damno in caſu quo euenerit: Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia ſi paratus ſit reſarcire damnum, quod euentus tulerit, & de hoc ſufficienter caueat, iam mutuator ſeruatur indemnis; cogere autē illum vt cum eo de periculo paciſcatur, eſt illi imponere onus pretio æſtimabile. Sed quando mutuatarius mauult certo nummo paciſci, & quaſi redimere periculum, quàm euentum expectare & damnum reſarcire, ſi euenerit, licebit tunc mutuanti pactum de eo inire: & quamuis poſtmodum non euenerit damnum, poterit conſtitutum pretium quatenus pro ratione periculi, quod ipſe ſubijt, iuſtum fuerit, exigere atque retinere: Mald. ſuprà, & eſt communis doctrina.

Obſeruandum autem eſt, quod ſi mutuator neque damnum, neque periculum damni in pactum deduxerit, mutuatarium non obligari ad illud compenſandum, vel aliquid pro eo ſoluendum, etiamſi aliquod poſtea mutuatori obueniat, modò non fuerit mutuatarius in mora reſtituendi, vt DD. communiter tradunt: D. Tho. De malo q. 13. artic. 4. ad 24. & indicat hîc quæſt. 78. art. 2. ad 1. Nauarr. c. 17. n. 21. Banneſ. & Salon. ſup. art. 2. Salas dub. 18. Bonac. ſup. n. 2. & alij contra Maiorem in 4. diſt. 15. q. 23. Ratio eſt, quia hîc nullus occurrit titulus ex quo poſſit dici obligatus: nō enim ratione acceptionis, quia ab altero liberè volente accepit mutuum, vt ſupponimus: ſimiliter

militer quoque non ex iniuſta detentione, quia ſupponitur non fuiſſe in mora: non quoque ratione rei acceptæ, cum nihil mutuatoris ſit penes ipſum: nec denique ratione contractus; cum nullum inierit de eiuſmodi damno reparando. Imò ſi id fuiſſet propoſitum, forſitan noluiſſet accipere mutuum cum periculo tanti oneris ſubeundi. Æquitas tamen poteſt videri poſtulare, vt in damno ferendo, pro parte aliqua ſuccurrat, eò quod gratiâ ipſius, mutuans illud incurrerit, & mutuum poſtulando & recipiendo fuerit ipſe aliqua occaſio eius: non tamen ideo de iure omninò tenetur.

29 Dico Tertiò: Quando quis metu aut vi adigitur ad mutuandũ, debetur illi damnum emergens, & quoque lucrum ceſſans, non ſolùm quando in pactum fuerit deductum, verùm etiam, quantumuis deſuper nõ ſit pactum initum. Videtur eſſe communis ſententia omnium: Et

Ratio apparet euidens: in primis quoad priorem partẽ, quia qui vi aut fraude cogit alterum ad id vnde damnum patitur, eſt iniqua cauſa talis damni; ergo ad reparationem tenetur. Similiter etiam quoad alteram partem: quia ſpes lucri, quam habebat ille, ſiue per negotiationem, ſiue per applicationem pecuniæ ſuæ ad emptionem rei frugiferæ, ſiue ad cenſus, erat pretio æſtimabilis; ergò qui vi aut metu priuat illum ſpe iſtâ, tenetur illi reſarcire, quantum ſpes illa iudicabatur valere; quia carentia illius iuxta prudentum æſtimationem reputatur quaſi damnum emergens.

Confirmatur: quia poterat ſpes illa vendi; ſicuti leges concedunt, poſſe vendi iactum retis, ſegetes immaturas. Qui igitur per vim aut metum tollit alteri eiuſmodi ſuam ſpem, tenetur illi de valore talis ſpei iuxta æſtimationem prudentum.

30 Dico Quartò: Etiamſi quis ſponte dederit mutuò, poterit exigere lucrũ ceſſans, ſi lucro aliquo careat, quia alter eſt in mora reſtituendi mutuum tempore debito. Videtur etiam in hoc ſatis conuenire DD. Banneſ. Arrag. Salon. ſup. Molin. diſp. 299. & 315. Medina q. 3. & 4. de Vſuris, Adrian. ſup. §. quia tactum eſt, Syluest. V. Vſura q. 1. q. 26. Salas dub. 19. n. 7.

Ratio reddi poteſt: quia talis mutuator inuitus priuatur ſpe illâ lucri, quod putabat mediante pecuniâ, quã alter habebat & reddere tenebatur, facere; quando vltra tempus præſtitutum pecuniæ reſtitutio differtur.

Declaratur, à ſimili: quia ſi quis commodato det alteri inſtrumentum, quo ſibi victum comparare ſolitus eſt: ſi non reddatur tempore conſtituto, & inde fiat, quòd qui commodauit, non poſſit opus ſuum facere, tenebitur alter ſine dubio, huic de ſuis operis & quæſtu ceſſante; ergò &c.

Dico Quintò: Licet quoque mutuanti, ab initio cum mutuatario mutuum petente, (quamuis ad mutuandum nec vi nec metu cogatur) paciſci de lucro ceſſante ratione mutui dandi, ſeruatis tamẽ certis conditionibus, de quibus paulò infrà. Eſt contra Ioannem And. & Innocent. Cap. Nauiganti de Vſuris & quoſdam alios: vt refert Salas: Sed aſſertio ab alijs ferè tenetur communiter. Ita Nauar. c. 17. n. 211. Couar. lib. 3. Var. Reſol. c. 4. Caiet. V. Vſura c. 2. Bann. Salon. ſup. Controu. 9. Mald. ſup. dub. 13. Salas ſup. num. 2. D. Antoninus. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 15. Adrian. ſup. Hoſtienſis in cap. Salubriter De vſuris, Syluest. V. Vſura 1. q. 19. & Dom. Soto lib. 6. q. 1. art. 3. admittit hanc opinionem eſſe probabilem, licet contrariam teneat vt veriorem; cui videtur fauere D. Thomas ſup. art. 2. ad 1. vbi dicit recompenſationem damni, quod conſideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur non poteſt aliquem in actum deducere. Sed quia non poteſt vendere quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo. 31

Probatur nihilominus Aſſertio: quia quando aliquis vi aut metu cogitur ad mutuandum, poteſt is lucrum ceſſans exigere, & ſine peccato, atque adeò etiam pactum deſuper inire cum tali compellente; ergò etiam, quando quis rogatur, vt mutuet, poterit exigere lucrum ceſſans, ſi quod amittat ratione mutui, & de eo compenſando ſecundùm iuſtam æſtimationem inire pactum cum mutuatario.

Antecedens patet ex dictis, nec à quoquã videtur negari. Conſequentia probatur: quando enim quis coactus ad mutuandum exigit lucrum ceſſans, aut deſuper paciſcitur, non exigi ſatisfactionem pro iniuria, neque ſuper illâ ſit conuentio: ſed exigit illud quod exiſtimatur perdere, quando cogitur carere pecuniâ, quâ mediante feciſſet lucrum. Quod ſic oſtenditur: quia ſi tantùm ageretur de ſatisfactione pro iniuria, non poſſet plus aut minus accipere, ſecundùm proportionem lucri quod erat facturus: quia ſatisfactio pro iniuria eſt magis æſtimãda ex modo cõpellendi, quàm ex ceſſatione lucri ratione mutui, quod cõpulſus fuit dare. Imò vltra lucrum ceſſans poteſt adhuc exigi ſatisfactio honoraria, prout pro iniurijs ſolet exhiberi, ſi modus compellendi fuerit notabiliter iniurioſus. 32

Quòd ergò is, qui cogitur ad mutuandum, poſſit exigere lucrum ceſſans vltra ſortem, ideo eſt, quia redditio ſortis non eſt æqualis illis omnibus, quibus alter ſe priuauit mutuando, quia & ſortem tradidit, & ſimul ablata eſt illi ſpes lucri faciendi, & huius proinde repetit compenſationem, vltra redditionem ſortis: atqui eadem ratio militat

quoad

Digitized by Google

quoad hoc, quando quis rogatus alteri mutuat, quæ dum coactus facit, quia etiam ſorte & ſpe lucri, ſe exuit: ergò poteſt pretium pro ſpe lucri exigere, & deſuper conuenire. Neque enim ſpes illa lucri ideo deſinit eſſe pretio æſtimabilis, quia rogatus ſponte mutuat: ergo de illa etiam tunc poteſt paciſci.

Confirmatur: quia ſi accipere aliquid ratione lucri ceſſantis eſſet vſurarium, non careret illo vitio etiam in eo, qui coactus mutuaret.

33 Declaratur: quia quantumuis coactus quis ſit ad mutuandum, tamen committet vſuram, ſi ratione mutui accipiat vltra ſortem, quando nec illi damnum emergit, neque lucrum ceſſat, nec alius iuſtus titulus concurrit; ergò euidens ſignum eſt, quòd coactio non abſoluat illum ab vſura, quando vltra ſortem exigit aliquid ex cauſa lucri ceſſantis, ſed quòd alia ratio id faciat, quam oſtendimus etiam locum habere in illo, qui rogatus dat mutuo, & liberâ ſuâ voluntate.

Poteſt idem ſecundò probari ex vtroque Iure. Nam Cap. Nauiganti De vſuris, excuſatur vendens carius creditò, ſi eo tempore, in quod vendit, demum fuiſſet venditurus, & probabile ſit, tunc eas merces fore cariores: cuius non eſt alia ratio, quàm quòd hîc etiam æſtimetur probabilis ſpes lucri, quod vendens aſſequeretur, merces ad illud tempus conſeruando; ergò etiam in mutuo licet æſtimare probabilem ſpem lucri quâ mutuans ſe priuat, & pro illa aliquid vltra ſortem accipere. Nam credito vendere eſt implicitè mutuare: & quando ſic res cariùs venditur, quaſi aliquid ratio lucri ceſſantis vltra ſortẽ propter mutuũ accipitur. Vtitur hoc argumẽto D. Antonin. & ſimile deſumi poteſt ex Cap. In ciuitate eodem tit. & Clementina Religioſus De priuilegijs. Item in l. 2. §. finali D. De eo quod certo loco dari oportet, dicitur: in eo, qui merces ſolet comparare, non tantùm damni, ſed etiam lucri habendam eſſe rationem. Quare fundatum non eſt, quod Dom. Soto ſup. dicit, nec legem ſcilicet vllam, neque canonem indicare id, quod dicimus. Sed contra

34 Obijcitur: Lucrum tibi ceſſare, eſt te à lucrando prohiberi & impediri: atqui petitio alterius quâ non te compellit ad mutuandum non te impedit; ergò &c.

Reſpondetur, Non tantùm alicui ceſſare lucrum, quando inuitus priuatur aut impeditur; ſed etiam, quando in gratiam aut cõmoditatem alterius, ad eius petitionem ſe priuat, vt ſcilicet alia inde illi commodet. Quemadmodum ſi quis operarium roget, vt apud ſe pro ſocietate aut recreatione maneat, dicetur huic lucrum ceſſare; & cum rogante ſocietatem eius, poterit de eo paciſci, quod ſcil. dietam illi ſoluet, ſi cupiat, vt apud eum maneat. Similiter, ſi quis petat, vt poſſit per agrum alterius ſatum ducere currus, & ſegetes ſic conterere, quia opus habet ibi tranſire, dicitur fructus meſſis ſequẽtis ceſſare huic, qui concedit, tametſi voluntariè concedat: vnde & de ſpe illorum fructuũ poterit conuenire cum altero. Quamuis enim quis velit obſequi voluntati alterius quatenus illi annuit & pręſtat, quod ei commodum eſt, nõ tamen ideo neceſſe eſt, quòd velit aut præſtet illud cum ſuo proprio incommodo; ſed ſi aliquod inde conſequitur, de eo ſtipulari poteſt.

Quod ad D. Thomam attinet, Reſpondetur ipſum tantummodò docere, quòd non poſſit compenſatio totius lucri ſperati, in pactum deduci: hoc enim ratio eius adiuncta oſtendit: quia non poteſt quis vendere (inquit) quod nondum habet, & à quo poteſt multipliciter impediri; non autem negare, quin ſpes lucri quæ præſens habetur, & quæ eſt pretio æſtimabilis, (quamuis non æquali cum toto lucro ſperato) poſſit deduci in pactum, quando in gratiam mutuatarij ſe illâ priuat mutuator.

Quod confirmari poteſt, ex q. 62. art. 2. vbi hanc doctrinam omninò indicat: ponit enim differentiam inter damnum emergens, & lucrum ceſſans, quòd illud oporteat integrè reſtituere, hoc non integrè; & vult eum, qui alium damnificat, impediendo ab eo, quod erat in via habendi, teneri ad aliquam compenſationem, eam nimirum, quæ ſit minor lucro ſperato, ſed adæquetur ſpei illius lucri.

Solent etiam alia hîc obijci, ſed quæ ex dictis, aut modò dicẽdis facilè poſſunt ſolui. 35

Porrò vt mutuator licitè de intereſſe lucri ceſſantis cum mutuatario poſſit paciſci, requiruntur certæ conditiones: quarum hæc ſit Prima, quòd ſcilicet verè lucri iuſti ſpes certa aut probabilis adſit, quodque ſperatũ lucrum propter mutuum datum, ceſſet. Hæc conditio abſolutè & omnium iudicio eſt neceſſaria, quia illâ deficiente, tollitur omne fundamentum iſtius pactionis, eiuſque iuſtitiæ: non enim poteſt quis æſtimare ſpem lucri ceſſantis ratione mutui, ſi vel nullum lucrum ei decedat, aut ſi aliquod decedat, non tamẽ ratione mutuationis. Quare quicquid tunc vltra ſortem exigit, conuincitur exigere ratione mutui, & ex ipſo mutuo lucrum quærere: nam & ipſa ſuppletio lucri ſi quod aliunde quàm ratione huius mutuationis ei ceſſet, erit quoddam ipſius lucrum ex mutuo.

Hinc inferunt DD. Si mutuator negotiationem deſerat quidem propter mutuum datum, ſed alia ratione vel arte (cui negotiando ſimul vacare non potuiſſet) tantumdem lucretur, quàm negotiando profeciſſet, non poſſe talem paciſci de lucro ceſſante, quia

te, quia reuera ratione mutui dati, nihil lucri ipſi decedit. Ita docet Salas De Vſuris Dub. 20. n. 5. Molina Diſp. 316. Barthol. Med. 1. Sum. c. 14. §. 25. Ioannes Med. q. 3. de Vſuris: & alij plures. Quod videtur etiam extendendum ad illum, vt indicat Malderus dub. 14. ſuprà, qui occaſione omiſſæ negotiationis, habet commoditatem lucrandi æquè multum, licet fortaſſis negligat: quia non videtur ipſi ceſſare lucrum, tam propter mutuum datum, quàm propter negligentiam: Quemadmodum enim datio mutui aufert illi ex vna parte medium lucrandi ex negotiatione, ita ex altera parte ſuppeditat illi opportunitatem aliter lucrandi, quatenus omiſsâ curâ negotiationis, poteſt aliâ ratione æquè multum lucrari.

36 Hoc tamen intellige, ſi hæc ratio lucrandi foret ipſi æquè commoda, ac decens: ſi enim iuſtam habeat cauſam non amplectendi hoc medium ad faciendum quæſtum, haud dubiè non deſinet idcirco verè lucrum illi ceſſare ratione mutui. Vnde etiam quando amplectitur illam rationem lucrandi, ſi hæc ſit moleſtior aut laborioſior, quàm negotiatio, neque plus lucri adferat, poteſt exceſſum illum moleſtiæ & laboris æſtimare; & pro eo exigere compenſationem, vt docet Molina loco cit. & fauet ratio.

Similiter ſi quid minus lucretur, quàm ſpes lucrandi per negotiationem, valebat, poteſt & hoc ſupplementum iuxta prudentum æſtimationem requirere, quantum ſcilicet ſpes illa cenſetur plus valere, quàm lucrum quod facit: non autem quantum erat ipſum lucrū, quod ſperabat. Quòd ſi tamen ille mutuator iam decreuiſſet pecuniam ſuam à negotiatione abſtrahere, & ad emptionem rei frugiferæ applicare, vt aliâ viâ & arte poſſit quæſtum ſuum facere, poterit à mutuatario exigere lucrum ceſſans, non ratione negotiationis iam omiſſæ, ſed ratione omiſſæ emptionis rei frugiferæ, quam ſibi comparaſſet, etiamſi iam alteri medio & modo lucrandi det operam.

37 Sed vt pleniùs intelligatur, quando debeat cenſeri ratione mutui, lucrum ceſſare.

Obſeruandum eſt, diuerſis modis pecuniam poſſe dici lucro deſtinatam, & ab illo mutuandi cauſâ ſubduci, vt notat Leſſ. lib. 2. c. 20. dubit. 11. ac Primò quidem ita, vt abſolutè ſit deſtinata certæ negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ, v. g. agri, domus, cenſus &c. & tamen altero petente, vt ſibi detur mutuò, non applicatur, ſed traditur illi: & tunc quidem euidenter ratione mutui ceſſat huic lucrum. Idem dicendum, ſi abſolutè ſit deſtinata lucro faciendo, quamuis non ad aliquam negotiationem certam in particulari, aut emptionem rei alicuius determinatæ, ſed in communi ad omnem occaſionem ſeſe offerentem: ſicuti quidam ſolent ad omnem occaſionem lucri, qualiſcumque mercimonij eſſe intenti. Parùm enim refert, ſiue certæ alicui in particulari, ſiue indeterminatæ negotiationi ſit deſtinata, modò tam ex hâc, quàm ex illâ lucrum proueniat aut ſperetur.

Requiritur tamen, quòd mutuator non habeat aliā pecuniam otioſam, quam commodè poſſit eidem lucro captando applicare. Vnde ab vſura non excuſantur, qui etſi hanc ſummā iam deſtinatā mutuent, tamen habent alias pecunias, quibus æquè poſſunt vti ad lucrum, quod prætendunt, quàm ipsâ pecuniâ mutuò data. Ita docent Tolet. lib. 5. c. 33. Caiet. q. 78. art. 2. ad 1. Ioannes Med. q. 3. de Vſuris, Soto lib. 6. q. 1. art. 3. Bonacina ſup. n. 13. & alij quos citat. Dico æquè commodè; quia, vt notat Nauarrus cap. 17. n. 212. etiamſi haberent pecuniam repoſitam ad alios effectus, vt ad familiam alendam, ad dotandas filias, aut ad ſimiles fines; non idcircò deſineret eis verè lucrum ceſſare ex occaſione mutui dati: & ità quoque tradunt Molina ſup. diſp. 316. à Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 20. puncto 4. concluſ. 3. Salon 2. 2. q. 78. art. 2. Controu. 9. Addit Molina, hoc verum eſſe, etiam quando mutuator ex auaritia, aut puſillanimitate non vult aliam pecuniam negotiationi exponere: ſed hoc reijcitur à Bonac. ſup. & alijs ab eo citatis: quia quod tunc lucrum non faciat, cenſebitur iuxta prudens iudiciū non ex datione mutui, ſed ex alia cauſa tenente ſe ex parte mutuantis prouenire: non eſt autem rationi conſentaneum, quòd mutuatarius grauetur propter mutuantis auaritiam aut puſillanimitatem. Alioquin fruſtrâ DD. & ipſe cum illis requirerent, quod mutuator non alias haberet pecunias, quas poſſit ad negotiationem applicare: quia ſatis foret, quod non vellet.

Alius modus poteſt eſſe, vt ſi, antequā mutuum petatur, quis pecuniam ſuam ex negotiatione ſubducat, aut vbi erat applicaturus, 38
non applicet, eo fine, vt poſſit dare mutuum, v. g. Petro, aut alteri certæ perſonæ, quam ſcit venturam, vt petat mutuum: & de hoc quæri poteſt, Vtrum talis patiatur lucrum ceſſans ex cauſa mutui, ſi Petrus veniat, & petat mutuum. Ratio dubitandi poteſt eſſe: quia etiamſi Petrus non veniſſet, tamen hic non erat iam lucrum facturus, quia pecunia eius erat otioſa. Ad quod dicendum eſt, ſi ille determinauerit reſeruare tantùm ad tempus aliquod, vt niſi tunc veniat, quod iterum ad negotiationem applicabit, videri ſatis euidens, ſi Petrus tunc mutuum petat, quod ceſſabit lucrum ratione mutui, pro futuro illo tempore; quia, vt ſupponitur, pecunia erat applicāda negotiationi, aut alteri rei frugiferæ. Indicat Bonacina loco ſup. cit. & alij ibidem. Imò ex æquo & bono

& bono videtur poſſe etiam exigere lucrum ceſſans pro tempore, quo pecuniam ſeruauit, modò id in gratiam Petri fecerit, quem præſciebat opus habiturum mutuo, nec ab alio poſſe mutuum facilè obtinere: quia videtur tunc geſſiſſe vtiliter negotium Petri: vnde non eſt æquum, quòd ipſe patiatur ex hoc damnum.

39 Non poteſt tamen quaſi de iure debitum exigere, quia Petrus non dedit commiſſionem ſui cauſâ ſeruandi, nec metuendum erat quod compelleret. Simili aliquâ ratione forſitan poterunt aliquando excuſari mercatores, vt Leſſius ſuprà notat, qui grandius intereſſe à Rege aut Principe, quàm primâ fronte iuſtum appareat, accipiunt; quia ſcilicet præſcientes Regem petiturum mutuum, & quaſi ad id præſtandum compulſurū, ſubtrahunt negotiationi magnas pecuniæ ſummas: neque enim aliter tantã poſſent pecuniæ vim ſimul præſtare: vnde magni lucri putantur detrimẽtum ſuſtinere. Addo, forſitan aliquando; quia ex particularibus circũſtantijs oportet diiudicare, an non habeant alias pecunias, ſolitæ negotiationi ſuæ ſufficientes: item, vtrùm iuſtitiæ limites non excedant, plus accipiendo pro intereſſe, quàm ſpes lucri, ſimul è contra ponderatis periculis, valeat, ſiue iudicio prudentum æſtimaretur.

Tertius modus ponitur, ſi quis animo ita ſit conſtitutus, quòd vellet negotiari in pecunijs ſuis, aut eas ad emptionem rei frugiferæ applicare: niſi eſſent multi, qui mutuum peterent, ideoque eas non applicat, vt petentibus poſſit mutuum præbere. Et de hoc, maior eſt difficultas, vtrùm talis, dum mutuat, dicendus ſit ratione mutui ſuſtinere intereſſe lucri, & proinde, an ſuper eo poſſit paciſci. Apparet enim, quòd non: quia non ideo ceſſat ei lucrum, quòd v. g. Petro det mutuo; nam licet Petrus non petijſſet; tamen ex pecunia illa non erat alter facturus lucrum, & ſic de ſingulis alijs. Accedit, quòd ſic omnes vſurarij viderentur excuſandi ab vſuris, pro ea ſaltem parte, quâ non excedunt ſpem lucri, ſecundùm quod, illa mercatoribus cenſetur valere: quia omnes facilè dicent, aut ſibi fingent, quòd vellent negotiari, niſi tam multi venirent & peterent mutuo, etiamſi reuera non cuperent ſubire curas & pericula negotiationis. Denique, ſic animo eſſe conſtitutum, nihil videtur eſſe aliud, quàm quòd quis aliunde vellet quæſtum facere, niſi tanta eſſet occaſio lucrandi ex mutuo: qui animus omninò vſurarius eſt.

40 Quare modus ille ſimpliciter loquendo videtur reprobandus, ſaltem in praxi. Poſſent tamen aliquando tales concurrere circumſtantiæ, quòd in particulari aliquo homine, non eſſet eiuſmodi animi conſtitutio vſuraria, vt quando ſyncerè, & miſericordiæ affectu quis motus, id ageret: v. g. ſi in ciuitate aliqua non ſit menſa fœneris, ad quam indigentes poſſint habere recurſum, & interim multi obſeruentur frequentiùs eſſe ideo in neceſſitate pro tempore aliquo, tunc ſi quis mercator quaſi commiſeratione motus, ſubduceret pecunias ſuas à negotiatione in gratiam iſtorum indigentium, vt poſſit petentibus mutuare, apparet, quòd meritò poſſit dici, tali ceſſare lucrum ratione mutui, quia verè & ſine fictione exuit ſe ſpe lucrandi per negotiationem, vt indigentibus ſic commoditatem hanc præſtet, & eo ſenſu & caſu accipiendum eſt, quod docet Mald. Tractatu 5. cap. 3. dub. 13. aſſert. 5.

Quod & confirmari poteſt: quia ſi Reſp. boni communis cauſâ, compelleret aliquem mercatorem ceſſare à mercatura, vt paſſim daret mutuum ijs, qui petituri ſunt: poſſet iſte mercator à ſingulis exigere intereſſe pro rata pecuniæ, quam dat ijs mutuo: non enim obligatur ſine compenſatione dimittere ſuam ſpem lucri, vt alijs commodet; ergò etiam idem poterit, quamuis ſponte in gratiam indigentium id faciat, iuxta caſum poſitum: quia, vt antè diximus, quòd coactus quis, aut ſponte det mutuo, non mutat rationem iuſtitiæ vel æqualitatis, ſed mutat quòd ratione mutui ceſſet verè lucrum, aut non ceſſet. Hoc tamen verum eſt, quando quis ex mandato Reſpublicæ id faceret, aliàs daturus operam ſuæ negotiationi, quòd tunc magis tolleretur occaſio ſcandali, & ipſe tunc ſecurior eſſet de proprio affectu, quod ille non ſit lucrum captare ex mutuo; ſed tantummodo petere compenſationem damni, quod patitur ex eo, quia pecuniam ſuam debet à negotiatione ſubducere, & indigentibus dare mutuo.

Neque his obſtat prima ratio adducta: 41
quamuis enim nulla mutuatio particularis ſit cauſa ceſſantis lucri, tamen omnes quaſi collectiuè ſumptæ ſunt cauſa totius lucri ceſſantis: nam in gratiam omnium, vt mutuet paſſim indigentibus, abſtinet à negotiando, & ſubit detrimentum lucri alioquin ſibi obuenturi. Vnde æquum eſt, quòd onus compenſandi hoc lucrum ceſſans diſtribuatur in ſingulos mutuatarios ſecundùm cuiuſque proportionem in pecunijs mutuò acceptis, & tempore, quo illis quiſque vtitur.

Quod ad reliqua argumenta adducta attinet, ſatis declarant illa, vti apparet, quòd ſimpliciter loquendo, illa ratio mutuandi cum pacto de lucro ceſſante compenſando, non ſit admittenda; & quòd proinde, qui ſic mutuum dare diſponunt, ab vſura non ſint excuſandi, quicquid in-

terim iniquitas mentiatur ſibi; quodque pars illorum ponetur cum hypocritis. Verùm in caſu præſenti, quem licitum eſſe diximus, ibi per particulares circumſtantias, apparet ſufficienter periculum animi vſurarij excluſum, & vſuram palliandi rationem ſublatam.

Secunda Conditio requiſita eſt, vt non exigatur, neque in pactum deducatur, quod mutuatarius ſoluet abſolutè tantùm, quantum eſt totum lucrum ſperatum, ſed quid minus, vt iam antè aliquoties indicauimus. Sunt enim deducendæ expenſæ in negotiatione aliàs faciendæ, ac inſuper æſtimandum, quanto minoris valet, quod futurum & incertum eſt, ac in ſpe ſolùm habetur, quàm illud, quod præſens & certum tenetur. Eſtque hæc conditio ſimpliciter neceſſaria ad huiuſmodi pactionis iuſtitiam.

Si quis tamen ſpem lucri ſui quaſi venderet altiori pretio, quàm æſtimanda ſit, licet contra iuſtitiam peccaret, nihilominus non videretur incurrere labem vſuræ; & proinde nec pœnas, quas Canones aut Leges ſtatuunt in vſurarios, vt notat Malderus, quia ſcilicet non ratione mutui aliquid vltra ſortem acceperat, ſed cariùs ſpem lucri vendendo contra iuſtitiam delinqueret.

Obſeruandum autem hic eſt, pro huius
42 conditionis pleniori intellectu; dupliciter lucrum ceſſans poſſe deduci in pactum. Primò, indeterminatè, vt videlicet mutuatarius teneatur ſeruare mutuantem indemnem, iuxta ea quæ poſtea euenerint: vt, ſi poſtmodum deprehendatur ex alijs, qui eodem modo, loco, tempore negotiati ſunt, quibus mutuans erat negotiaturus, lucrum eius fuiſſe futurum magnum, teneatur mutuatarius totum compenſare, quantum fuiſſet; ſi autem paruum, compenſet paruum ex æquo; ſi nullum, etiam nihil ſoluat. Secundò, paciſcendo ab initio de determinato aliquo pretio, quicquid demùm poſtea euenerit. Et quando ſic conuentum fuerit, tunc mutuans poteſt id exigere, etiamſi poſtea deprehendatur nullum lucrum fuiſſe obuenturum, modò ſemper ſeruata ſit æqualitas in æſtimatione ſpei lucri & pretij condicti. Vnde & in priori modo, debet haberi ratio periculi, ſi ſors inter negotiandum debuiſſet diſcrimini exponi; ita vt idcircò non videatur poſſe eo caſu requirere compenſationem totius lucri, nec paciſci de tanto lucro, quantum alij mercatores fuerint aſſecuti, eo quòd illi ſubierint periculum ſortis, hic autem illud ſubiturus non ſit.

De laboribus autem in negotiatione ſubeundis à mutuante, vtrùm deducendi ſint, ita vt, quia eos iam non ſubit, minus dandum ſit pro lucro ceſſante, inter Doctores controuertitur? Affirmatiuam partem docent Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. num. 320. Medina quæſt. 3. De vſuris. Silueſter V. Vſura 1. quæſt. 19. Angelus eodem quæſt. 16. Lopez 2. p. Inſtruct. cap. 62. Tolet. lib. 5. cap. 33. num. 6. Malderus Tract. 5. cap. 3. dub. 13. Fundamentum horum videtur, quod otium à laboribus ſit pretio æſtimabile: & proinde pretium illud debeat deduci à quantitate lucri ceſſantis: & confirmari poteſt, quia pauca ſine labore ſunt præoptibilia præ multis cum laboribus.

Negatiuam partem tamen tenent Dominicus Soto lib. 6. quæſt. 1. artic. 3. Molina diſp. 316. Banneſ. ſuprà art. 2. & Salas De vſuris dub. 20. num. 9. qui probat, Primò quia labores, quos mercator impendit, frequenter æquantur lucro ſperato: quare ſi illi eſſent deducendi, non ſupereſſet lucrum de quo ceſſante, poſſet paciſci. Secundò, quia meritò poſſet aliquis, præſertim ſi non haberet, vnde victum quæreret, velle potius laborem ſuum impēdere, quàm propter otium amittere aliquid de lucro quod ſperabat. Hinc operarius qui rogatur vt aliquem comittetur ad honeſtam recreationem, poteſt iuſtè petere, vt alter ſoluat illi totam dietam ſuam, ſi cupiat eum ſe comitari. 43

Mihi verò ad illam difficultatem videtur dicendum. Quod in primis ſi mercator occaſione ceſſationis à negotiatione, ſeſe applicet aut applicare ſolet alijs exercitijs lucroſis, quibus intendere non poteſt, ſimul cum negotiatione à qua ſuperſedet propter pecunias ſuas mutuò datas; quod tunc labores negotiationis quatenus erant impedimentum huius lucri, ſint deducendi: alioquin enim captaret lucrum ex mutuo, quia mutuatarius ſolueret lucrum ceſſans ratione intermiſſæ negotiationis, & ſimul captaret lucrum aliud mutuator ex laboribus ſuis, quos negotiationi debuiſſet impendere.

Similiter quoque labores negotiationis erunt deducendi ſi ſint tales, vt mutuator etiam aliàs libenter eiuſmodi labores pecunijs aliquibus redimeret, quamuis non impendat tempus alijs negotijs lucroſis, vt indicat Leſſius lib. 2. cap. 20. dub. 11. num. 98. Quod ſi verò nec cuperet eiuſmodi occupationes pecunijs redimere, vt puta, quia otium ſit magis aut æquè forſitan graue ſiue tædioſum, quàm iſtæ occupationes erant: neque tempus & labores impendat alijs exercitijs lucroſis, vt puta, quia alijs non eſt aſſuetus, non videntur tum labores ex lucro ceſſante deducendi ſiue lucrum ceſſans non videtur ideo minus ſtatuendum.

Nunc

44 Nunc ad argumentū pro prima opinione, reſpondetur: quod non à quibuſlibet laboribus, ſiue occupationibus otium reputetur ſemper pretio æſtimabile: neque verè ſit pretio æſtimandum, præſertim quando tempus illius otij non impenditur alijs lucroſis, aut exercitijs melioribus: quin ſæpe contingat, quod multi mediocria exercitia præferant otio, & ceſſationi ab omni occupatione, vt in mercatoribus ſæpe contingit: & hinc quando cum talibus exercitijs poſſunt plura comparare, erunt iſta plura cæteris paribus magis optabilia cum laboribus eiuſmodi, quā pauca ſine laboribus.

Ad argumenta autem alterius opinionis dicendum, quod non aliud oſtendant, quàm quòd labores iſti non videantur deducendi, tunc, quando tales ſunt, vt mutuator non cuperet iſtos pecuniâ aliquâ redimere, quia pariter tam illis gaudet, quàm ceſſatione ab illis: neque applicat illos, ſiue ſimiles alijs quæſtibus captandis ſiue faciendis, quos cum negotiatione facere non potuiſſet: qui quæſtus ſi ſint tam magni, quàm lucrum ceſſans alioquin æſtimaretur, & labores & occupationes hæ non ſint grauiores, quàm quas negotiationi impendiſſet, facile concedam, quod tum non poterit de lucro ceſſante paciſci.

45 Tertia Conditio eſt, ne lucri ceſſantis compenſatio ſtatim ex tempore exigatur dato mutuo; v.g. ſi quis pro lucro ceſſante ex mutuo centum aureorum, debeat ſoluere decem in annum, non poteſt mutuator illos decem ſtatim exigere, dum mutuat: nam ſi alter ſtatim ſoluere cogatur, iam in re non accipit centum aureos mutuò, ſed tantùm nonaginta. Vnde fit, quòd tantumdem pro lucro ceſſante ſoluet ex nonaginta, quantum debeat ex centum: quod manifeſtè iniquum eſt.

Hanc conditionem ſic explicatam videntur Doctores ſatis communiter admittere Ioannes Medina, Banneſ. Toletus, Molina, Malderus, Leſſius locis ſuprà citatis: & alij plures. Et ratio adducta ſatis eam probat. Aliqui tamen exiſtimant poſſe lucrum ceſſans ſtatim ſiue anticipatè accipi in alia ſpecie, quam quæ mutuatur, vt ſi dem triticum mutuo, quod poſſim lucrum ceſſans ſtatim accipere in pecunia, & è contra. Indicat Salas dub. 20. num. 11. in fine: & pro eadem ſententia citantur à Bonac. ſup. parte 4. num. 13. Azor. tom. 3. lib. 5. cap. 5. quæſt. 3. & Molin. diſp. 316. Sed rectè refellit Bonac. quia perinde eſt, ſiue illud lucrum ex incontinenti ſoluatur in eâdem ſpecie, ſiue in alia, quia eadem exurgit inæqualitas: quamuis poſſit mutuatorio eſſe commodius ſoluere ſtatim in alia ſpecie, quàm in iſta quam accipit mutuo: ſed hoc inæqualitatem & iniuſtitiam non tollit.

Quarta Conditio ponitur, vt quis non offerat ſe ad ſic mutuandum cum pactione de lucro ceſſante, ſed neceſſitate, vel precibus alterius compellatur, aut inducatur. Ita Ioannes Medina quæſt. 3. De vſuris: Antonin. p. 2. tit. 1. §. 19. Silueſt. V. Vſura 1. q. 19. & alij nonnulli, qui volunt mutuantē ſic debere eſſe diſpoſitum, vt quantum ad ſuū temporale commodū, mallet exſpectare lucrum ex negotiatione vel emptione rei frugiferæ, quàm mutuare cum amiſſione lucri, & de eo paciſci. Attamen Molina diſp. 315. Nauar. p. 17. n. 212. Tolet. Banneſ. & Arragon. ſup. Lopez p. 2. c. 62. Dom. Soto ſuprà artic. 3. & multi recentiores, docent hanc conditionem non eſſe neceſſariam: & quidem rectè, rigoroſè loquendo, vti apparet, quia ſatis eſſe videtur, quòd mutuans ſit animo indifferenti, aut, quaſi pari ad vtrumque, ſiue ex applicatione ſortis lucrum ſuum faciat, ſiue vt indigenti det eam mutuò, cum pacto de compenſanda ſpe lucri; hæc enim animi conſtitutio ſatis indicat æqualitatem affectus, vt vel lucrum faciat per negotiationem, vel quod ſpes illa ei compenſetur, ſi propter mutuum alteri datū, impediatur à negotiatione & à lucro. Quando autem temporale commodum ſpectando, quis procliuior eſt ad mutuò dandum cum tali pacto, quàm ad negotiandum, vel aliter vtilitatem ſuam ex ſorte ſiue pecuniâ ſuâ faciendam ſignum eſt, quòd ampliùs quid prætendat, quàm æſtimandum ſit lucrū ceſſans, vt puta quòd illud ſibi ſolui velit, non deductis curis & moleſtijs quæ illū grauant, vel non deductis periculis, & proinde ex ea parte præſumenda ſit tunc aliqua iniuſtitia: ſicuti è contrà, quando temporalem vtilitatem ſpectando, animus magis propendet ad negotiationem, quàm ad mutuò dandum, etiam cum pacto de lucro ceſſante, & tamen mutuat petenti, indicium videtur euidens, abeſſe hic animum vſurarium & periculum iniuſtitiæ. Poterit nihilominus fieri, quòd quis ſic vel animo indifferenti conſtitutus offerat mutuum etiam non petenti, & licitè paciſcatur de lucro ceſſante; quia tametſi talis non moueatur propter ſuum temporale commodum ad offerendum mutuum, poterit tamen moueri propter proximi neceſſitatem ad id offerendum, quem videt indigere, & propter aliquam verecundiam, vel aliam ſimilem cauſſam, non audere mutuum rogare quamuis paratus ſit alioquin etiam lucrum ceſſans compenſare. 46

Quinta Conditio, quę ab aliquibus requiritur, hæc eſt, vt pactio de lucro ceſſante adijciatur tantùm in caſu, quo datio mutui ſit conſilij ſolùm, non hic & nunc præcepti propter concurrentes circumſtantias. Quando enim propter neceſſitatem petentis fuerit 47

Digitized by Google

precepti, volunt tunc Anton. ſup. §. 15. lib. 2. c. 104. n. 17. Conrad. q. 30. De contract. & alij nonnulli tunc eſſe mutuandum cum iactura lucri, quod quis erat facturus; quia ex præcepto tenebatur dare mutuum: ſortem, tamen ipſam repeti poſſe. Medina verò ſup. docet eandem eſſe rationem ſortis & lucri ceſſantis. Si enim mutuatarius talis alibi habeat, vel in ſpe ſit habendi, vnde ſortem & lucrum ceſſans poſſit ſoluere, licebit ad vtrumque obligare: Si verò nec in re nec in ſpe habeat vnde reddat, oportebit in extrema neceſſitate conſtituto dare mutuum, non tantum ſine lucro ceſſante, ſed etiam abſque ſpe ſortis recuperandæ. Poſſet tamen eſſe caſus talis, quod lucrum ceſſans foret remittendum, non ſors, puta quia mutuatarius nec in re nec in ſpe haberet ad illud perſoluendum, non autem ſimpliciter ſors donanda, quia in ſpe haberet, vnde hanc aliquando reddere poſſet: quod nec Medina negabit. Vide plura huc pertinentia dicta in Tractatu de Eleemoſyna q. 32. a. 6. n. 47. & ſeqq.

Sexta Conditio ſit, vt præcaueatur ſcandalum, ne ſic paciſcens exiſtimetur fœnus exigere, prætexendo lucra ceſſantia, vnde alij eius exemplo commoueantur ad exercendas vſuras, ac ſimul quoque ne ipſe infametur. Hæc conditio ponitur à Conrard. q. 229. Med. q. 3. De vſuris. Salas dub. 20. n. 15. qui rectè cum Nauarro c. 17. n. 212. notat, quòd tantum neceſſaria ſit, vt non peccetur contra charitatem, non verò ne peccetur contra iuſtitiam, aut ne incurratur peccatum vſuræ, quia ſcandalum tale interueniens non mutat ſtatum iuſtitiæ illius pactionis, quando de cætero nulla committitur inæqualitas.

48 Quæret aliquis: Vtrùm qui inijt contractum aliquem, quem bona fide putauit iuſtum, cùm eſſet vſurarius, alioquin alium facturus, ſi id ſciuiſſet, poſſit veritate compertâ, tantumdem lucri ex cōtractu illo ſibi retinere, quaſi titulo lucri ceſſantis, quantum per contractum alium legitimum ſibi comparaſſet?

Reſpondetur, abſolutè loquendo, id nullo modo licere; Declaratur, quia ſi quis vendiderit bonâ fide rem ſupra iuſtum ſuū pretium, vbi aduerterit, tenetur ad reſtitutionem illius exceſſus, neque poteſt retinere titulo intereſſe, etiamſi cogitet, quòd potuiſſet rem aliò transferre, & ibi vltra labores, tantò pluris eam vendere. Et ratio à priori reddi poteſt: quia reuera, non ille cōtractus, ſed ipſius ignorantia ad ſummum poteſt dici cauſa ceſſantis lucri, quod mediante alio contractu facturus erat; vnde hoc luere non debet is, cum quo prius contraxit. Si tamen aliquis bonâ fide inijſſet cōtractū de aliquo lucro percipiendo ſecundùm formā verborū vſurarium, ſed qui haberet adiunctum titulū aliquem legitimū, quo hic contrahens licitè ac iuſtè poterat ab eo, cum quo contraxit, accipere tale emolumentum, & vtrique contrahentes expreſsè, aut ſaltem virtualiter intenderint celebrare dictum contractum, omnibus melioribus modo & formâ, quibus licitè ac iuſtè celebrari poterat, tunc iuxta aliquorum Doctorum opinionem, probabile eſt, poſſe lucrum illud retineri, quod titulo illo concurrente exigi iuſtè poterat, hic enim titulus moraliter cēſeri poteſt deductus in contractū: ad rationem autē iuſtitiæ ſiue ad æqualitatem perinde eſſe videtur ſiue titulus ſit cognitus & volitus in ſpecie, ſiue tantum in genere, modò verè extet, & propter illum exigatur æquiualens. Sumitur ex Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 12. n. 105. & à Valentia tom. 3. diſp. 5. quæſt. 25. puncto 3. Dico, Et vtrique contrahentes intenderint, quia non ſatis eſſet, quòd ſolus ille, qui emolumentum accipit, virtualiter intendiſſet omni meliori modo & formâ illud accipere, quando id expreſſum non eſt, niſi & alter in hoc conſenſerit: quia ex intentione vnius partis non videtur altera pars poſſe deduci in contractum ſibi magis oneroſum, prout fieret, quando ad ſuam intentionem ad reſtitutionem non teneretur, qui cum illa contraxit, prout ſecundùm formam contractus initi alioquin tenetur.

DVBIVM XI.

Vtrum ratione periculi ſortis, vel difficultatum aut expenſarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid vltra ſortem exigere?

RESPONDETVR, Id abſque vſura fieri poſſe, ſeruatis certis cōditionibus. 49
Eſt contra Nauarrum cap. 23. n. 81. & Soto lib. 6. q. 4. a. 1. ad 1. ſaltem quoad periculum ſortis. Sed Concluſionem tenent Medina C. De reſtit. q. 38. §. ad 3. cauſam. Nauarra lib. 3. c. 2. n. 342. Mald. dub. 14. Molina diſp. 356. Bonac. De contract. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 5. Salon. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 26. cum pluribus recentioribus: & colligitur ex ijs, quæ tradunt Angelus V. Vſura 1. n. 38. & Silueſt. V. Vſura 1. q. 35. & fauet D. Th. Opuſc. 73. c. 10. De vſuris.

Probatur: quia omnia illa ſpectant ad indemnitatem mutuantis. Confirmatur: quia fideiuſſor poteſt ratione periculi, quod fideiubendo ſubit, aliquid exigere; ergò etiā ipſe mutuator, quando in caſu periculi mutuat abſque pignore, aut fideiuſſore, & in ſe quaſi ſuſcipit onus & periculum fideiuſſoris.

Conditiones autem ſeruandæ ſunt hæ.

Prima,

Prima, Vt ſubſit verum periculum, ex quo probabiliter incōmodum timeatur: v.g. quia mutuatarius eſt homo non ſatis notus aut dubiæ fidei, vel decoctor rerum ſuarum. Quos caſus exponit Medina loco cit. Neque neceſſum tamen eſt, quòd damnum de facto eueniat, quia non pro damno, ſed pro periculo damni initur pactum, & pro eo accipitur pretium, vt bene Bonac. ſuprà.

51 Secunda, Vt mutuator non cogat mutuatariū quatenus ſe adhibeat loco fideiuſſoris, ſeu ſecum de periculis illis paciſcatur; ſed illi relinquat liberum, vt vel pignore dato, vel alio fideiuſſore adhibito, ei ſecuritatem cōtra talia pericula aut incommoda præſtet. Ita D D. citati paſſim tradunt. Ratio eſt, nam obligatio illa, quòd cum mutuatore de periculis debeat paciſci, eſt oneroſa mutuatario, & pretio æſtimabilis, poteſtque graue incommodum mutuatario adducere: vt ſi habeat pignus ſufficiens, quo ſine diſpendio carere poteſt, & per quod ſatis mutuanti poteſt eſſe cautum; vel ſit alius ſufficiens, qui ex amicitia pro eo reſpondere velit. Vnde ſi mutuans, iſtis non contentus, velit de periculis paciſci, & ratione illorum pretium accipere, conuincitur ex mutuo quærere lucrum, & tantùm pericula prætexere, atque ita vſuræ labem incurrere.

Tertia eſt, Vt non plus exigat ratione periculi, & difficultatū quæ metuuntur, quam iuxta prudentum æſtimationem mereatur, & quàm ipſe alteri dare vellet pro talis periculi redemptione, ſi cogeretur pecuniam ſuam eiuſmodi periculo abſque alia cautione exponere. Hoc enim poteſt videri conueniēs ſignum, quòd non excedat iuſtam æſtimationem: quamuis interim magis inhærendū ſit prudentum aliorum iudicio, cùm hic vnus poſſit meticuloſior eſſe & vehementiùs apprehendere periculum, quàm apprehendi debeat; præſertim quando talis apprehenſio vergeret in eius commodum. Et ſic excluditur, quod opponit Soto, ſcilicet mutuantem magis meticuloſum ſemper poſſe amplius exigere ratione periculi; quia ipſe fortiùs illud apprehendat & ampliùs æſtimauerit.

52 Sed opponit Nauarrus Cap. In ciuitate De vſuris, vbi vult ab Eccleſia contrarium eſſe determinatum. Verùm fallitur Nauarrus, nec vllâ veriſimilitudine nititur, quod dicit. Neque caſus noſtræ Concluſionis vllo modo ibi attingitur: ſolùm enim declarat Pontifex, eos delinquere, qui cariùs vendunt, quia ſolutionē ad tempus exſpectant, niſi tamen probabile eſſet, rem plus valituram tempore ſolutionis faciendæ, in quod eam reſeruaſſet. Vnde damnat tantùm eos, qui ob ſolam dilatam ſolutionem plus exigunt: ſimul tamen ſignificando, quòd ratione lucri ceſſantis, ſi hic titulus concurrat cum dilata ſolutione, poſſit pluris vendi. Ex quo proinde ſumi poteſt argumentum pro noſtra Aſſertione, hactenus quòd ſcilicet poſſit etiam aliquid exigi ratione damni, quod probabiliter emerget in faciendis expenſis, vt ſors recuperetur; niſi mutuatarius aliter de periculo damni caueat.

Obijcitur etiam Cap. Nauiganti, eodem
tit. Sed ex dictis Capite præcedenti dub. 11. 53
vbi latiùs de illo Canone egimus, ſatis conſtat, nihil continere contra ea, quæ hîc dicimus, quando obſeruatur ſecunda conditio, quam ponimus requiſitam.

Reliqua, quæ in contrarium mouentur, facilè ex antè dictis ſolui poterunt.

Petes, Si mutuator vrſerit mutuatarium vt cum ipſo paciſceretur de periculis ſortis, & expenſarum forſitan faciendarum in recuperanda ſorte, vtrum tenebitur ad aliquam reſtitutionē. Reſpondetur, ſi mutuatarius non indigebat iſto contractu, & ſumptus eius ſubire, puta quia poterat mutuanti ſatis cauere contra prædicta pericula, per ſufficientia pignorā tradenda, aut per fideiuſſorem qui gratis voluiſſet fideiubere, omnino tenebitur mutuator ad reſtitutionem pretij ſi perceperit, & ſi non perceperit, non licebit ei recipere, quia fuit cauſa iniqua oneris illius alteri impoſiti. Sumitur ex Vega V. Vſura caſu 75. Lopez 2. p. Inſtruct. c. 16. & alijs. Quod ſi verò mutuatarius indiguerit ſubire onus illud, & cum alio contraxiſſet, niſi egiſſet cum mutuatore, tunc mutuator non videtur teneri ad reſtitutionē pretij ſibi perſoluti pro periculo quod ſubijt; quia etſi in eo fuerit alteri iniurioſus, quod coëgerit ſecū cōtrahere, tamē inter materias cōtractus eſt æqualitas, ſuppoſito quod fuerit in contractu tertia conditio ſeruata. Ita docet Molina tom. 2. diſp. 318. Salon. ſuprà; Salas du. 23. n. 4. Addūt tamē Molina, Salon. & Couar. lib. 3. Var. c. 2. n. 5. Bonac. ſuprà: quod teneatur mutuator illud pactum relaxare, & reſtituere mutuatarium ſuę libertati vt ſcil. vel mediante pacto iam inito, vel aliâ ratione ſufficienter illi caueat, ſi velit & poſſit: & pro indebitâ obligatione impoſitâ facere ipſi aliquam compenſationem, niſi ex circumſtantijs intelligatur, quod condonet. Quod eſt contra Salas ſup. n. 5. quia, inquit, illa obligatio non eſt vera: ſiquidem mutuatarius non manet verè obligatus. Sed quidquid eâ de re ſit, tamen contrà facit, quod libertas contrahendi cum altero, quam mutuator ei abſtulit, erat pretio æſtimabilis, & ipſa quoque obligatio talis qualis eſt, cenſeatur onus pretio æſtimabile: alioquin non appareret, quare pacta ratione mutui de remutuando pro futuro, de frequentando molendino, officina mutuatoris eſſent vſuraria, quod eſt contra Salas dub. 9. quia dicetur ſimiliter quod non ſint vere obligationes: & ſic etiam non ſint onera pretio æſtimabilia.

DVBIVM XII.

Vtrum ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationis non repetendi ante certum aliquod tempus poſſit aliquid vltra ſortē exigi?

54 RESPONDEO & DICO Primò: Ratione carentiæ pecuniæ præcisè vel ratione obligationis non repetendi ante certum terminum præcisè, quando videlicet nullum inde damnum aut periculum imminet, nullum inde lucrum ceſſat, neque aliud metuitur probabile incommodum, nullo modo licitum eſt exigere aliquod lucrum vltra ſortem. Eſt communis doctrina Theologorum & Canoniſtarum, vt indicat Bonac. ſup. puncto 6. n. 1. Ita enim docent Molin. tom. 2. diſp. 308. Luiſius Turr. in 2.2. diſp. 61. dub. 3. Reginald. lib. 23. n. 52. Mald. dub. 15. quamuis Medina Cod. De Reſtitut. q. 32. §. Inde infertur, iuxta aliquos, putetur aliter ſentire.

Probatur: quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi, ſaltem ad aliquod tempus, ſunt quid intrinſecum ipſi mutuo, ſicuti ſunt & ipſi commodato. Aſſumptum quoad priorem partem de carentia pecuniæ per ſe euidens eſt: quia qui dat mutuò, alienat rem à ſe, & tradit alteri; vnde neceſsè eſt, quòd illâ careat. Quo ad poſteriorem partem de obligatione non repetendi, ſaltem niſi poſt tempus aliquod expreſsè aut implicitè determinatum, declaratur: quia mutuo vel commodatò dare, & dare precario, in eo differunt quod hoc, quod tantùm precario datum eſt, ſit ad placitum concedentis omni quaſi momento reuocabile ac repetibile; iſtud verò quod mutuo ſcilicet aut commodato datum eſt non ita, vt communiter DD. diſtinguunt. Vnde aliquid exigere ratione carentiæ, vel obligationis non repetendi ad placitum, eſt exigere ratione ipſius dationis mutui, & proinde illicitum atque vſurarium.

Confirmatur: quia ſolent DD. inter alia dicere, vſuras ideo eſſe illicitas, quòd in eis vendatur tempus, vt ex Conrado notat Mald. dub. 15. Quare licet quis ſe obliget ad non repetendum mutuum, niſi poſt longius aliquod tempus, non tamen poterit ratione illius aliquid vltra ſortem exigere, ſi nullus alius titulus concurrat, quia tempus vendi non debet, omni alio intereſſe ceſſante. Confir. 2. quia non poteſt quis accipere aliquid, quia maiorem ſummam dat mutuo, etiamſi inde naſcatur ſimul obligatio quaſi ab intrinſeco, carendi maiori ſumma: ergo neque etiam quia dat mutuò pro maiori ſeu longiori tempore.

Sed Dicet aliquis: Quemadmodum alijs rebus & oneribus poteſt pretium aliquod iuſtum imponi, ita etiam videtur hoc poſſe imponi carentiæ pecuniæ, præſertim pro tanto vel tanto tempore. 55

Confirmatur: quia pecunia eſt quaſi inſtrumentum artis mercatorum: priuare autem ſe inſtrumento ſuæ artis, eſt pecuniâ æſtimabile; ergò poterunt mercatores communi conſenſu imponere aliquod pretium ipſi carentiæ pecuniarum. Quòd in Emporijs quoque celebrioribus fieri cernitur, vbi conſideratis circumſtantijs copiæ vel inopiæ pecuniarum, mercimoniorum, cambiorum, & ſimilium, pro loco & tempore ſtatuunt mercatores quantū in ſingula trimeſtria vel ſemeſtria, poſſit quis exigere pro eo, quòd tamdiu debeat carere pecuniâ ſuâ; ergò &c.

Reſpondetur Negando Aſſumptum: quia ſi aliquibus oneribus iuſtè imponatur pretium aliquod, debent illa ſupponi eſſe pretio æſtimabilia: carentia autem pecuniæ, ſecluſis alijs incommodis, non eſt onus æſtimabile pretio.

Accedit, quòd eadem carentia mutuo ſit intrinſeca, ſicut & obligatio carēdi ad tēpus, quēadmodū oſtendimus: quare nihil ratione horum exigi poterit, niſi velimus admittere quod ratione mutui poſſit quid exigi; hoc ipſo enim quo datur mutuo, neceſſum eſt, quod illa benefica obligatio nullū habēs aut adferens incōmodū, gratis admittatur, iuxta illud Chriſti, *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* 56

Ad confirmationem dicendum eſt, quòd pro aliquo tempore priuare ſe inſtrumento artis ſuæ, ſepoſitis omnibus incommodis, eorumque periculis, non videatur quoque ſecundùm ſe pretio æſtimabile. Hoc tamen fateri oportet, quod quis poſſit inſtrumentum artis ſuæ, quando non eſt vſu conſumptibile, dare alteri commodatò aut locatò ad vſum, dum ipſe ſuo inſtrumento non eget, & pro eo aliquid poſſit exigere, quia inſtrumenti proprietas ſeu dominium penes illum manet, & vſus illius poteſt eſſe pretio ęſtimabilis. Quamuis igitur admittatur, pecuniam eſſe quaſi inſtrumentum artis mercatorum, tamen dicimus carentiam illius, ſepoſito omni intereſſe, & incommodo temporali, non eſſe quid pretio æſtimabile.

Quia autē pecunia eſt res vſu conſumptibilis, hinc non poteſt cōmodatò, aut locato dari alteri ad vſum, ſed tantùm mutuò, ſpectando ſaltē eius vſum principalē. Quando autem mutuò datur, eius transfertur dominium in mutuatarium: vnde non poteſt mutuans tunc aliquid exigere pro vſu illius tamquam rei ſuæ; quia non eſt amplius ipſius.

Quòd verò ad praxim in Emporijs vſitatam attinet, dici poteſt, tametſi illæ mercatorum conſtitutiones quoad verba ſic ſonent, quaſi pretium taxetur pro carentiâ pecuniæ;

Digitized by Google

pecuniæ; quòd tamē ſub carentiâ, ipſi inuoluant, & cōprehendāt intereſſe, ratione ſcil. damni emergentis aut lucri ceſſantis: quod ſupponitur mercatores omnes ſuſtinere, quādo ſuis pecunijs carēt. Seruiūt autē eiuſmodi conſtitutiones in foro fori, ne quilibet pro ſuo arbitratu poſſit æſtimare & exigere ſuum intereſſe à creditoribus, qui fuerint in mora. Interim verò qui ex carentiâ pecuniæ nullū ſentiret damnū, vel intereſſe: puta quia non intendiſſet in illis negotiari aut ad aliam vtilitatem applicare, non poſſet propter talem conſtitutionem pretium aliquod pro illâ carentiâ accipere: quia illa ordinatio non dat appretiabilitatem rei non æſtimabili pretio.

DVBIVM XIII.

Vtrum creditor, qui pignus accepit frugiferum, ſi ex eo fructus perceperit, teneatur illos computare in diminutionem ſortis ſibi debitæ?

57 RESPONDETVR: Si pignus ſit datum creditori tantummodò in ſecuritatem debitorum, tenetur creditor fructus ex eo perceptos in diminutionem ſortis inferre, niſi ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel alterius iuſti tituli, ex pacto eos ſibi poſſit reſeruare. Ita communiter DD. Rebell. lib. 8. qu. 11. Reginal. lib. 25. n. 204. Mol. diſp. 320. Med. q. 2. De vſuris: Salas dub. 28. Salon. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. Controuerſ. 12. Arrag. ibidem. Poteſt probari Primò ex Cap. 1. & 2. De vſuris, vbi hoc ſatis expreſsè declaratur. Deinde probatur ratione, quia nullū habet ius ad fructus illius pignoris ratione mutui, vel crediti, quod eſt inſtar mutui: adeò vt etiamſi agrum relictum incultum tamquam ſterilem, acceperit in pignus, ſi ſuâ diligentiâ inde fructus colligat, teneatur etiam illos (deductis tamen laboribus & expenſis in colendo factis) in ſortis diminutionem computare, vt docet Nauar. c. 17. n. 216. & alij: quod videtur eſſe contra Soto ſuprà: ſed ratio eſt, quia fructus hoc ipſo, quo naſcuntur ex re alterius, ad alterum pertinent. Si tamen interceſſiſſent venditio & emptio illius agri, aut alterius rei frugiferæ, cum pacto de retrouendendo, quando placeret venditori redimere, tunc emptor non tenetur fructus computare in diminutionem nummorum emptionis: quia percepiſſet fructus illos ex re ſua, cuius dominium & periculum penes ipſum erant, non ex re alterius. Ita docet Caiet. hic qu. 78. art. 2. circa reſponſionem D. Th. ad 6. & plures alij cum ipſo. Imò etiamſi ab initio res eſſet tantùm tradita in pignus, pro ſecuritate mutui, poſſet vtriuſque conſenſu contractus reſcindi, & iniri alius contractus talis emptionis cum pacto de retrouendendo.

Ponunt autem DD. duos caſus, vt habet Nauarrus cit. cap. 17. n. 217. in quibus creditor non ſit obligatus fructus perceptos ex pignore in ſortem computare. Primus eſt, Si feudatarius debeat aliquid domino directo, & tradat ei feudum in pignus, vt conſtat ex cap. 1. De feudis, & Cap. Conqueſtus De vſuris: & in eo conueniunt omnes Theologi & Iuriſperiti, inquit Salas dub. 31. n. 1. De vſuris.

Secundus eſt, ſi emphyteuta oppignoret domino directo rem emphyteuticam: ſeruatis tamen in vtroque caſu certis conditionibus, vt mox explicabimus.

Ratio horum eſt: quia contractus feudi & emphyteuſis habent ſemper tacitas quaſdā conditiones ex ſe adiunctas, niſi contrarium exprimatur: inter quas vna eſt, id quod modò diximus: vt docent Soto lib. 6. De Iuſt. q. 1. art. 2. ad vlt. Medina q. 2. De vſuris §. ad Cap. Conquæſtus. Tolet. lib. 5. cap. 30. Banneſ. Arrag. hic quæſt. 78. art. 2. Salon. Controuerſ. 13. Molina diſp. 323. & alij.

Fundamentum autē principale eiuſmodi ſubintellectæ conditionis videtur eſſe hoc, quòd feudum, & bona emphyteutica ſoleant exiguo & quaſi nullo pretio concedi; ita vt ea, quæ perſoluuntur annuè, videantur magis ſolui in recognitionem dominij directi, quàm in pretium aliquod rei aut fructuum. 58 Vnde fit, quòd non appareat rationi congruum, vt quando res iam apud dominum directum exiſtit, fructificet alteri. Poteſt hoc ex eo colligi & confirmari, quod DD. vt exceptiones prædictæ locum habeant, ſolent requirere, quòd feudum, vel res emphyteutica non ſit comparata magnâ pecuniæ ſummâ, aut magnis obſequijs antea exhibitis; alioquin dicunt tacitum illud pactum fore iniquum. Vnde ſi in tali caſu dominus directus non computaret in diminutionem ſortis, non eſſet immunis ab vſura: vt docēt Salas dub. 31. n. 2. & plures quos citat.

Similiter requirunt, quod dominus directus non debeat exigere pro tempore illo, quo ſic rem oppignoratam tenet, obſequium vel penſionem, reſpectiuè præſtari aut ſolui ſolitam à feudatario vel emphyteuta, quando ipſi feudo aut emphyteuſi fruebantur, Salas ſuprà n. 1. & alij ab ipſo citati. Imò & hoc addunt, quòd dominus directus non poſſit percipere fructus pro ea parte, qua res eſt facta magis frugifera per induſtriam feudatarij vel emphyteutæ. Vide Syluest. V. Feudum ſuprà n. 29. & 30. Nauarrum quoque & Salas ſup. qui dicit eſſe communem omnium doctrinam.

Ee iiij DICO

59 Dico Secundò: Si pignus frugiferum datum ſit nō tantùm pro ſecuritate, ſed etiam vt inde habeatur intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis, tunc fructus pro ea parte, quâ adæquabunt iuſtum intereſſe, non erunt in ſortis diminutionem computandi.

Colligitur ex ſuprà dictis: quia ad eiuſmodi incommoda compenſanda, poteſt mutuator, & alius quilibet creditor, ab initio alterum obligare; & proinde quod in compenſationem iſtorum, ſeruatâ æqualitate, accepit, non tenetur adducere in diminutionem ſortis.

DVBIVM XIV.

Vtrum fructus pignoris, pro numeranda dote à ſocero, obligati genero, debeant in dotis diminutionem admitti à genero; etiamſi forſitan ex dilatione ſolutionis dotis non fuerit paſſus intereſſe, aut ſaltem non tantum?

60 FVndamentum huius quæſtionis ſumitur ex Cap. Salubriter De vſuris, quod eſt Innocentij III. & ſic ſonat: Sanè generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi ſunt à ſocero pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in ſortem, non credimus compellendū, cùm frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportāda.

Reſpondetur: Ex hoc Cap. ſtatuunt DD. communiter non obligari generum ad computandos fructus pignoris ſeu poſſeſſionum in pignus datarum in diminuationem ſortis ſeu dotis, quando videlicet ſimpliciter in pignus ſunt oblatæ, ſine alia ſtipulatione: idque etiam plures volunt locum habere in caſu, quo non patiatur gener intereſſe, vel non æquale fructibus, ex dilatâ ſolutione dotis. Caiet. q. 78. art. 2. ad 6. arg. Salon. ibid. controu. 14. Tolet. ſup. Molina diſp. 321. & alij. Quâ autem ratione hæc fundentur in citato Capitulo, valde variant DD. vt videre eſt apud Salas dub. 29. De vſuris. Dico itaque omiſſis opinionibus, non eſſe fundandum in eo, quaſi Pontifex nouum ius hîc pro genero in cauſa dotis conderet, vel priuilegium concederet; ſed ſolùm, quia Pont. interpretatur & explicat, quid ex conſuetudine & communi hominum ſenſu ſoleat intelligi ineſſe eiuſmodi traditioni pignoris; quòd nimirum id faciendo ſine alia explicatione, cenſeatur ſocer fructus pignoris generò concedere, ſeu dare in ſubſidium onerum matrimonij: quibus ferendis dos non ſolet ordinariè eſſe ſufficiens, aut æqualis: vt meritò reputentur gratuitò adijci à ſocero fructus illi, ex huiuſmodi conſideratione, quaſi in ſupplementum, vt dos tanto magis poſſit oneribus eſſe par. Quod verba & modus loquendi Pontificis planè videntur inſinuare: non enim dicit, Conſtituimus generum non eſſe compellendum, ſed dicit tantùm, Non credimus compellendum cùm frequenter dotis fructus non ſufficiant &c. Vnde etiam poterit gener ſeruare fructus illos pignoris, quamuis dos, de qua conuentum eſt, forſitan ſufficeret ad matrimonij onera ſupportanda, quia propter rationem, quæ vt plurimum ſolet habere locum, cenſeri poteſt ſocer etiam huic fructus illos adijcere, quando aliud nō exprimit. Et ideo

61 Addidi, Quando ſimpliciter & ſine alia ſtipulatione obtulit poſſeſſiones in pignus: ſi enim ſocer ſtipularetur, ſe tantùm pro ſecuritate exhibere pignus illud, non poſſet gener fructus eius facere ſuos, niſi ſocer eſſet in mora ſoluendæ dotis; & inde genero obueniret intereſſe damni emergentis, aut lucri ceſſantis, vt tradit Silueſt. V. Vſura 3. q. 2. & alij plures. Quare & contractus hic foret vſurarius, ſi ſocer promiſiſſet ſtatim ſoluere dotem, & gener conceſſerit illi dilationem, accepto pignore fructiferò, eâ lege, vt fructus non deducantur in diminutionem dotis, niſi ſub titulo intereſſe, quod à parte rei eſſet fructibus æquale, hoc deduceretur in pactum.

Similiter dicunt DD. Cap. Salubriter locū non habere in genero, qui tempore, quo percipit fructus pignoris, non fert onera matrimonij, vt puta quia vxor manſit in domo paterna, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, Cap. Cū ceſſante De appell. Silu. V. Vſura 3. Angel. eodem §. 25. Anton. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 27. Molina diſp. 321. Salas dub. 29. n. 10. & plures apud eum citati, ex l. Pater D. De doli mali & metus exceptione: quod tamen non incongrue aliqui limitant, niſi forſitan non ſteterit per generum, quo minus ipſe eam aleret: quia gener non tenetur admittere iſtam commutationem.

62 Porrò quod dicitur de pignore exhibito à ſocero pro dote, extendendum ſentiunt DD. citati Salas ſup. Molina diſp. 321. Pet. Nauar. lib. 3. c. 2. n. 359. & alij, etiam ad pignus datum per extraneum, qui dotem præſtare promiſit: quia meritò videtur hic præſumi velle quoque fructus illos adijcere, eo quòd benè velit facere nuptæ, & nouerit dotem communiter non ſufficere oneribus. idque quando aliud non expreſſit aut indicauit: quod additur propter rationem iam priùs allegatam. Econtrà verò tradunt DD. multi viduam non poſſe ſoluto matrimonio ſibi ſeruare fructus oblati ſibi pignoris pro ſua dote ab hæredibus mariti defuncti, niſi ratione intereſſe, ſi quod patiatur, & ſuper eo pactum eſſet; Molina diſp. 322. Caiet. ſup. Pet. Nauar. ſup. n. 366. Couar. l. 3. Variar. c. 1. Hoſtien. in Sum. tit. De vſuris §. An aliquo Iaſon. Inſtit. De act. §. Fuerat n. 19. & alij citat. apud Salas dub. 30. n. 8.

Ratio

Digitized by Google

Ratio conformiter ad antè dicta, reddi poteſt, quia neque hæredes defuncti præſumendi ſunt tam gratioſè velle agere cum vidua relicta, ſicut ſocer cum genero, qui eius filiam iam duxit in vxorem. Neque etiam eadem ſubeſt ratio tantæ gratificationis, quia hîc iam onera matrimonij ceſſant aut decreſcunt; ibi autem priùs accedunt & accreſcunt. Salas tamen loco cit. n. 9. tenet tanquam probabilius, viduam etiam ſecluſo intereſſe quocumque, poſſe toto tempore quo ei dos non redditur, recipere quidquid ad eius decentem ſuſtentationem fuerit neceſſarium, ſiue illud fuerit aliqua penſio pecuniaria, ſiue fructus aliquorum pignorum, non computando iſtud in diminutionem ſortis ſeu dotis, & multos pro hac ſententia citat DD. fundamentũ ponit, quia vir pacto dotali implicitè ſe obligare videtur ad alendam vxorem indigentem ex bonis ſuis ſimpliciter quamdiu matrimonium durat, & vſque ad traditionem dotis ſi matrimonium ſoluatur: quæ obligatio partim pertinet ad hæredes mariti, quibus cum eo onere hæreditas cenſetur relinqui. Vbi tamen rectè Palat. 4. De contract. c. 5. concluſ. 9. ita hoc limitat, quod ſi bona ſuperlucrata ſiue conquiſita ad vxorem pertinentia ſufficiant ad eam alendam, ex iſtis debere ali: nec poſſe tunc fructus pignoris accipere non computando eos in ſortem.

DVBIVM XV.

An ſit vſurarium paciſci cum mutuatario, quod aliquid vltra ſortem ſoluet in pœnam moræ ſuæ, ſi ad tempus præſtitutum non reſtituerit mutuum?

63 RESPONDETVR: Abſque vſura & iniuſtitia poſſe eiuſmodi pactum apponi, & ipſam pœnam exigi, ſi eam mutuatarius incurrerit, ſeruatis tamen certis conditionibus, quas modò ponemus.

Eſt contra Arrag. q. 78. art. 1. ad 3. Confir. tertij argumenti, & nonnullos recentiores vt refert Salas dub. 21. n. 1. Sed aſſertio tenetur communiter. Ita docent Soto lib. 6. De Iuſtit. q. 1. art. 3. Petrus Nauarr. lib. 3. c. 2. n. 331. Ioannes Med. q. 3. De vſuris. Molina tom. 2. diſp. 317. Nauarr. c. 17. n. 215. Lopez 2. p. Inſtruct. c. 60. q. 9. Salas De vſuris dub. 21. Silueſt. V. Vſura 1. q. 18. Tolet. lib. 5. c. 32. Bonac. De contractib. diſp. 3. puncto 7. n. 1. Mald. dub. 18. & alij plures.

Probatur primò ex l. Si pactum quo pœna C. De pactis; ex Cap. Suam de pœnis, vbi omninò ſupponitur, id fieri poſſe, & docet ibidem Gloſſa: quamuis Pontifex ibi non velit pœnam exigi, eo quòd principale, modicâ parte exceptâ, fuerat in conſtituto termino ſolutum, & quod non deceret Epiſcopum ſic inhoneſtis quæſtibus ditari, ita captando ſcilicet occaſionem grauandi Clericos propter exiguum defectum.

Probatur deinde ratione: quia debitor, qui eſt in mora, peccat cõtra iuſtitiam, detinendo alienũ, ſiue alteri debitũ ipſo inuito, & proinde dignus eſt aliquâ pœna; ergo ex conuentione partium poteſt ei pœna aliqua conſtitui. Vnde & poteſt pœna hæc exigi, etiamſi mutuator ex dilatione nondum fuiſſet paſſus incommodum; quia non propter intereſſe mutuatoris præciſè, ſed propter delictum mutuarij, debetur. Ita Bonac. Mald. & alij. ſup.

Porrò conditiones requiſitæ vt iſta conuentio pœnalis ſit iuſta, ad quatuor capita reuocari poſſunt. Primo itaq; requiritur, vt eiuſmodi pactum non fiat in fraudẽ ad palliandã vſuram. Admittitur hęc ab omnibus, & ratio per ſe euidens eſt. Ita autem in fraudem fieri ferè præſumitur, quando mutuans non multùm eſt ſollicitus, aut curat, vtrùm ſolutio ſuo tempore fiat, an non; ſed magis deſiderat non fieri, vt poſſit lucrum mulctæ aſſequi. Imò tunc mulcta non videtur reuera deberi, quia mutuatarius non delinquit, vt apparet: non enim contra voluntatem mutuantis eſt in mora reſtituendi mutuum. Eodem pertinet, ſi, vt lucrum faciat mutuans, conſtituatur terminus reſtituendi nimis breuis, intra quem ſcitur mutuatarium non poſſe reſtituere: vt ſi pœna apponatur ad ſingulas ſeptimanas, aut ſingulos menſes quibus non reſtituat vel etiam ad ſingulos. Et quidem ſecluſis titulis damni emergentis, & lucri ceſſantis, præſumitur pœnæ appoſitio vſuraria in foro externo, vt tradit Salas ſuprà cum Graffijs, & alijs.

Secundò requiritur, vt mutuatarius verè ſit culpabilis, ratione ſolutionis non præſtitæ ſuo tempore. Ita Molina, Medina, Nauarr. Pet. Nauarra, Salas, Malderus ſuprà. Ratio eſt, quia ſine culpa imponi non poteſt pœna, ſicuti non iudicialis ſiue legalis, ita neque conuentionalis. Quamuis Conrad. ſup. exiſtimet contrarium, ſi mutuatio non fuerit præcepti, ſed tantùm conſilij: verùm quod diximus, abſolutè alijs communiter magis placet. Vnde ſi factus eſſet impotens ad ſoluendum, non poſſet exigi pœna, vt tradunt Doctores citati. Si tamen commeſſationibus aut alijs indebitis modis ſua abſumpſiſſet, vnde facilè præuidere poterat ſecuturam illam impotentiam, non foret ab obligatione pœnæ eximendus: vt docent Molina, Lopez, Medina, Salas, & alij. Quàmuis Pet. Nauarra velit id tantum habere

Digitized by Google

bere locum, quando in fraudem ſe feciſſet impotentem, ſed ex debili fundamento: vt oſtendit Salas, & ex generalibus principijs de Reſtitutione faciendâ, antè explicatis, ſatis poteſt intelligi.

Tertiò requiritur, ne pœna ſit immodica: vt tradunt quoque DD. allegati. Qualis erit, ſi pignus in commiſſum cadat, aut ſors duplicetur, vt colligitur ex Cap. Significante De pignoribus, & rectè docet Couar. libro 3. Variarum Reſol. cap. 2. Debet itaque eſſe moderata iuxta menſuram culpę: quod etiam in alijs pœnis requiritur. Imò quando immoderata eſt, non debet cenſeri mutuatarius in eam liberè conſentire, ſed coactè quodammodo per iniuriam: quare iuſtè non poterit exigi.

Quartò requiritur, vt mora ſit notabilis: non enim vnius diei vel etiam ſeptimanæ interuallum debet ordinariè computari ſufficiens ad pęnam incurrendam. Vnde non eſſe iuſtam conſuetudinem dicit Mald. ſi exigi ſoleat alicubi tota pœna, quando non ſtatim à tempore conſtituto ſors ſoluitur: niſi fortaſſis eo nomine tempus longius conceſſum ſit, vt, niſi ante talem terminum præciſè ſors fuerit reſtituta, reddatur mutuatarius ſtatim pœnæ obnoxius.

64 Petes, Vtrùm hæc pœna poſt moram in foro conſcientiæ ſit ſoluenda etiam ante ſententiam Iudicis.

Reſpondetur affirmatiuè, modò mutuator eam exigat. Ita docent Silueſt. V. Pœna n. 14. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. Quod de pœna. Molina tom. 2. diſp. 317. Salon. quæſt. 78. art. Controu. 12. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. n. 336. Salas dub. 21. Azorius tom. 3. lib. 5. c. 6. Couar. in epitome quarti Decretal. 2. p. cap. 6. §. 8. n. 11. & Mald. loco citato: & alij contra Nauar. cap. 25. n. 67. & 68. Sed

Probatur Primò, quia per conuentionem mutuatarius ſe quodammodo mutuatori, vt Iudici ſubmittit: quando igitur hic exigit, & quaſi mandat ſoluere, tenetur alter ſoluere. Deinde pactum ex ſua ratione habet, vt per ſe obligationem inducat ad illi ſtandũ & ſatisfaciendum, ſaltem quando pars requirit: nihil enim tam naturale eſt, ac pacta ſeruari, vt dicitur l. 1. D. De pactis: quare quod ex pacto debetur, ſoluendũ eſt nullâ expectatâ Iudicis ſententiâ: Hæc autem pœna debetur ex Contractu ergò &c. Atque omnino contrahentium hæc videtur eſſe intentio, quod velint ſeſe obligare ad pœnam perſoluendam abſque eo, quod per Iudicem ad hoc debeant condemnari & compelli: alioquin vix eſſet operæ pretium inire conuentionem pœnalem propter moleſtias & incommoda quæ occurrunt in imploranda Iudicis authoritate & ipſius ſententia obtinenda, vt benè dicit Bonac.

Dixi, modò mutuator exigat, quia 65
quamdiu pœnam non exigit, poteſt pręſumi aut remittere, aut indulgere dilationem; quia ſolent homines ſæpius eiuſmodi pœnas gratioſè diſſimulare quando ſortem receperunt. Ad quod accedit, quòd diximus mutuatorẽ hîc habere quodammodo partes Iudicis, & proinde eius exactionem cenſeri quaſi ſententiam. Quare ſicut pœna iudicialis aut legalis nõ debet ſolui ante ſententiam Iudicis, ita neq; hæc ante exactionem mutuatoris. Ita Bonac. ſup. Salas, Molina, Mald. Nauar. cap. 23. n. 67.

Sed dices: Pœna conuentionalis retinet 66
rationem pœnæ: atqui de ratione pœnæ videtur eſſe, quòd non debeatur ante ſententiam Iudicis; ergò non debebit in conſcientia ſolui hæc pœna ante ſententiam Iudicis.

Propter hoc argumentum tenet Sanchez libro 1. De matrimonio diſputat. 36. contrarium, ſicut & alij nonnulli, ſed non ſatis ſolidè, vt apparet: quia vt de ratione pœnæ admittatur eſſe, ſeu potiùs ad eius rationem hoc conſequi, quòd non debeatur antè ſententiam, id limitatè erit intelligendum de pœna, quæ omninò eſt inuoluntaria: non de conuentionali pœna, ſiue de ea, quæ debetur ex voluntario pacto, qualis eſt illa, de qua agimus. Et quidem potiùs dicendum erit, hanc ideo non habere perfectiſſimã rationem pœnæ, quàm contra naturam pacti admittere ſuſpenſionem obligationis, ac debitæ ſolutionis, vſque ad ſententiam Iudicis.

DVBIVM XVI.

Vtrum mutuatori ſemper licitum ſit paciſci, vt ſibi reſtituatur mutuum in eodem pondere, numero, vel menſura, in quibus ipſe mutuum dat, v. g. ſi alteri mutuem modium frumenti, an paciſci poſſim, quod quouis caſu reſtituet mihi modium frumenti: & ſic in alijs.

DOctores variè loquuntur, & diuerſimodè diſtinguunt pro reſolutione Dubij propoſiti. Omiſſis opinionibus, dicam quæ nobis videntur ſolidiùs & veriùs dici poſſe.

RESPONDEO itaq; & DICO Primò: 67
Si dubium ſit, vtrum pretium rei mutuatæ, tempore quo reſtituetur, ſit futurum minus an maius, licebit mutuanti paciſci, quòd ſibi reſtituetur res mutuata in eadem ſpecie eiuſdem bonitatis, in eadem menſura, aut pondere, vel numero, prout ipſe dedit; & poterit eam recipere atque adeò repetere tali modo, etiamſi pretium rei creuerit. In hoc conueniunt DD. paſſim omnes, vt videre eſt apud Salas, De vſuris dub. 24. n. 2.

Digitized by Google

24.n.2. Res eſt euidens: quia par fuit vtriuſque conditio: ſicuti enim mutuator potuit quaſi lucrari, ita etiam perdere, & ſic ipſe mutuatarius quaſi lucrari, ſi videlicet pretium rei mutuatæ eſſet minus tempore reſtitutionis.

68 Dico Secundò: Si in contractu mutui, non fuerit conuentum de reſtituenda re in maiori numero, pondere, vel menſura, vel de exequando eius pretio, ſed ſimpliciter de reddendo mutuo, non tenebitur poſtmodum mutuatarius rem in maiori quantitate reſtituere, etiamſi pretium rei foret tunc minus, quando eam reſtituit. Ita docet Dom. Soto lib. 6. de Iure & Iuſt. q. 1. art. 2. Salon. q. 78. art. 2. Controuerſ. 25. Tolet. lib. 5. c. 34. Graffijs lib. 2. c. 104. n. 21. & 23. Garſias De contract. p. 1. c. 7. Lopez 2. p. Inſtruct. c. 67. Azor. tom. 3. lib. 7. c. 10. quæſt. 7. Sa V. Mutuum n. 9. Leſſ. c. 20. dub. 17. n. 150. & alij contra Pet. Nauarr. lib. 3. cap. 2. n. 252. eſtque ita vſu receptum: Et

Ratio videtur euidens ex natura ipſius mutui, quod eſt contractus, quo res in alterius transfertur dominiũ cum obligatione reddendi ſimilem in ſpecie & eiuſdem bonitatis. Vbi id intelligitur de bonitate, quæ cõmuniter in re tali ſolet attendi. Quare ſimpliciter loquendo modius tritici dicitur eſſe eiuſdem ſpeciei & bonitatis, ſi conſtet granis intrinſecè ęquè bonis, quando valet octo florenos, & quando duodecim. Qui ergò reddiderit ſic rem eiuſdem ſpeciei, & bonitatis ſatisfecerit obligationi, quam ex mutuo contraxit, ſi non ſit aliter conuentum ratione mutationis pretij, quæ poterat aduenire.

Excipiendus tamen eſt caſus, quando mutuatarius fuiſſet in mora ſoluendi pro tempore illo, quo pretium nondum decreuerat.

69 Dico Tertiò: Eodem modò, ſi in contractu non fuerit conuentum de minuendã quantitate, aut de pretio tantùm exæquando, prout valet res pro tempore quo mutuatur: ſed ſimpliciter actum ſit de reſtituenda ſorte ipſius mutui, poterit mutuator poſtmodũ, quando terminus reſtituendi aduenerit, rem in eadem quantitate exigere, & recipere prout eam mutuauit, etiamſi pretium accreuerit. Ita tenent DD. citati pro concluſione precedenti: cum quâ cohæret planè hæc Cõcluſio: quamuis Leſſius videatur hanc negare, ſed non ſatis conſequenter: Nulla enim apparet ratio, cur debeat eſſe deterior conditio mutuatoris, quàm mutuatarij, ita ſcilicet, vt teneatur mutuator in caſu dicto admittere reſtitutionem mutui in eadem quantitate, quando pretium decreuiſſet, & non liceret ei recipere atque exigere eamdem quantitatem rei mutuatæ, ſi pretium tempore reſtitutionis faciendæ accreuiſſet, præſertim cùm nulla æquitas dictet, vt quis ex beneficio incommodum reportet. Foret autem magnum incommodum & grauamen, ſi ex ſimplici mutuo, exponeretur periculo recipiendi rem mutuatam in quantitate minori, ſi pretium eius accreuiſſet; non autem viciſſim expectaret fortunam recuperandi rem illam in eadem quantitate, cum pretij augmento, ſi forſitan pretium accreuiſſet. Ratio itaque huius Concluſionis eadem eſt, quæ præcedentis: & omnino fauet l. Vinum D. De rebus Creditis: vbi dum moueretur quæſtio, ſecundùm quam temporis rationem foret æſtimandum vinum, quod mutuo erat datum, & in iudicio repetebatur, reſpondet I. C. ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, æſtimandum, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc, cùm petitum eſſet. Sed

Opponit Pet. Nauarra: Si mutuem alicui centum aureos, dum ſinguli valent duodecim Regalia, & poſtea decreſcat pretium illorum ad decem, non ſatisfaciet ille, ſi poſtea idem pondus auri reſtituat, ſed maius reſtituere debebit; ergò ſimiliter in alijs.

Pro huius obiectionis ſolutione,

Obſeruandum eſt, poſſe pecuniam ſiue nummos tripliciter dari mutuo. Vno modo, v. g. quòd dem alicui mutuò trecentos florenos ſimpliciter ſiue in vna ſpecie, ſiue in diuerſis, & tantùm fiat ſtipulatio, de reddendis trecentis florenis, prout ratio mutui importat. Alio modo, quòd alicui mutuem centum aureos in ſpecie, non habendo reſpectum ad valorem: & ſtipuler de reſtituendis mihi centum aureis in ſpecie tempore conſtituto mihi reddendis. Tertio, quod alicui dem mutuò trecẽtos florenos in nummis aureis certi generis, & ſtipuler de reſtituendis mihi trecentis florenis in ſimilibus nummis. 70

Si primo modo dederim mutuò, tenebitur mutuatarius mihi reddere trecentos florenos plenè, etiamſi omnes ſpecies pecuniæ, in quibus mutuaueram, decreuiſſent quoad valorem pretij: quia mutuum hic nõ eſt ipſa ſubſtantia nummorum, ſed ſimpliciter pretium, quod extrinſecus habent: vnde illud prout eſt mutuo datum, ſic debet reſtitui: illud autem erant trecenti floreni. Et ſimiliter ſatisfaciet mutuatarius reſtituendo trecentos florenos, etiamſi valor iſtorum nummorum accreuiſſet.

Si ſecundo modo mutuauerim, tenebitur mutuatarius mihi reddere centum aureos in ſpecie, etiamſi valor extrinſecus fuerit auctus. Quemadmodum & tenebor eſſe contentus eorundem reſtitutione, etiamſi valor ille eſſet diminutus. Ratio eſt, quia res mutuò data ſecundùm hanc formam mutuandi ſunt aurei monetati ſecundùm ſuam ſubſtantiam, non habitâ ratione bonitatis aut æſtimationis, quam habent ſecundum præſentem 71

Digitized by Google

ſentem aut futuram eualuationem, vt illa mutabilis eſt; & proinde illi in eodem numero & pondere, nec plus nec minus ex vi mutui ſunt reddendi, quando mutuandi modus habuit talem formam, & ſic, neq; aliter pactum ſit. Sumitur ex Soto ſup. lib.6.q.1. art. 2. Mercad. Tract.3. De contractib. & pluribus alijs antè citatis. Quemadmodum ſi bis mille aureis numeratis in ſpecie, emam mihi ſuper bonis alterius cenſum centum aureorum, annuè in ſpecie ſoluendorum, tenebitur ille annuè ſoluere centum aureos in ſpecie, neque plus vel minus, ſiue aurei valor decreſcat ſiue accreſcat, quantum eſt ex vi illius contractus.

72 Si denique tertio modo dederim pecunias mutuo, tenebitur mutuatarius mihi reddere trecentos florenos in nummis aureis illius generis, vti accepit: ita vt, ſi valor aurei ſit diminutus, debeat dare plures, quàm acceperit, ſcilicet tot, qui conficiant ſummam trecentorum florenorum; & è contrà, ſi valor fuerit auctus, poſſit reddere pauciores, ſcilicet tot ſolùm, qui faciant prædictam ſummam: quia hic iterum res mutuata propriè eſt pecunia tantæ æſtimationis in florenis iuxta currentem eualuationem. Quod autem adiectum eſt, continet tantùm modificationem, in qua ſpecie nummorum ſit pecunia tantæ æſtimationis quoad florenos reſtituenda: quæ adhiberi cenſetur, ne reſtitutio fiat in alijs ſpeciebus, quæ moleſtiores ſunt, ſiue ad computandum, ſiue ad transferendum ad alia loca, aut ſimili de cauſa

Ad argumentũ itaq; Reſp. Res alias, quæ dantur mutuo, eſſe conferendas cum aureis, qui ſecundo modo dantur mutuo. Quo caſu diximus eum, qui ſic acceperit centum aureos mutuo, ſatisfacturum, ſi centum in eodem pondere reſtituat, etiamſi pretium decreuiſſet. Idque euidentius in alijs rebus habet locum, de quibus magis conſtat, quòd ſpectetur tantùm ſubſtantia rei, eiuſque bonitas, non autem attendatur æſtimatio pretij: non enim petit quis mutuo frumentum, aut oleum propter pretium, ſed propter rerum ſubſtantiam, vt illa vti poſſit.

73 D i c o Quartò: Quando præuidetur tempore redditionis, rem valituram plus vel minus, licebit partibus paciſci de reddenda maiori vel minori quantitate, prout rationabiliter putatur pretium minus aut maius futurum; ſed non videtur tunc eſſe tam contractus mutui, quàm venditionis & emptionis, ſaltem implicitè, aut alterius permutationis affinis mutuo. Ita docet Soto ſuprà.

Rationem reddit: quia in mutuo propriè dicto ſpectatur tantùm proportio rerum aut corporum, quæ permutantur, ac bonitatis, quæ in illis ſecundùm ſe ordinariè conſideratur, non pretiorum, vt ſatis ex mutui definitione licet intelligere.

Dico Quinto: Quantũſis pretiũ rei, quæ mutuò datur, probabiliter augendũ putetur, poterit nihilominus mutuator abſque iniuſtitia, in contractu mutui ſiſtendo, obligare alterum ad reddendam ſibi rem in eadem quantitate, in qua dat illam mutuo. Hoc in primis omnes ſatis communiter admittunt, etiam P. Nauarra lib.3. c.2. n.251. quando mutuans erat rem cõſeruaturus in illud tempus: abſolutè verò ita docet Soto loco cit. & Molina diſp. 311. & admittit Leſſius eſſe probabile: quamuis aliter ſentiat, quando ſaltem pro certo haberetur quod pretium ſit augendum. 74

Probatur: quia ſi nullum adijciatur pactum, ſed nudè ac ſimpliciter res detur mutuò, quantumuis præuideatur, quòd pretium rei accreſcet; poterit mutuans nihilominus tempore reſtitutionis exigere rem, in eadem quantitate, prout illam dedit, iuxta tertiam Concluſionem antè poſitam; ergò poterit ab initio per ſpeciale pactum obligare mutuatarium ad reddendam eam in eadem quantitate.

Confirmatur: quia quando in caſu propoſito redditur res in eadem quantitate, ſiue pretium rei accreuerit, ſiue decreuerit (quando non aliter fuerit conuentum) ſeruatur iuſtitia; alioquin nec mutuatarius ſatisfaceret, reddendo eamdem quantitatem, quando pretium decreuiſſet, quod eſt contra ſecundam concluſionem ſatis communiter receptam & antè probatam: nec poſſet mutuator eandem quantitatem recipere, quando pretium accreuiſſet, cuius contrarium oſtendimus circa tertiam Concluſionem, & tenetur à multis citatis: ergò ab initio, quando mutuum datur, poteſt addi noua obligatio, quâ teneatur mutuatarius, iuxta naturam contractus mutui, ſatisfacere, id eſt, reddere rem eiuſdem ſpeciei in eadem menſura, numero, aut pondere: prout etiã & illa ſtipulatio, quâ teneatur mutuator eſſe cõtentus tali redditione mutui: quia iuſto contractui poteſt ſine iniuſtitia ſuperaddi noua & ſtrictior obligatio ad ſtandum & ſatisfaciendum ipſi contractui, qui initur. Quòd ſi alterutra pars exiſtimet ſe fore grauatam, non ineat eiuſmodi contractum, & non petat, aut non det mutuo, ſed reſpectiuè potiùs emat, aut vendat, dilatâ ſolutione, & contrahant ſuper re ſecundùm æſtimationem pretij, præſentis aut futuri, iuxta regulas & conditiones in illa formâ contractus ſeruandas, de quibus ſuprà egimus. Contra charitatem autem peccaret, qui non vellet dilatâ ſolutione alteri rem vendere, qui eâ multum egeret, ſed tantùm dare mutuo, quando præuideretur mutuatarium ex hoc genere contractus valde fore grauandum. 75

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM XVII.

Vtrum ille, qui animo vſurario aliquid vltra ſortem ratione mutui accepit abſque pacto externo de eo dando, teneatur ad reſtitutionem?

76 RESPONDEO & DICO Primò: Si mutuans intenderit aliquid tamquam debitum ratione mutui, vltra ſortem accipere, & mutuatarius etiam tali animo det (quod interdum accidere ſolet, quando indoles mutuantis alteri eſt perſpecta) tum ſine dubitatione tenebitur mutuator ad reſtitutionem. Sumitur ex Nauar. c. 17. n. 219. Molina 301. Tabien. V. Vſura qu. 1. Salas dub. 6. n. 3. §. Secus ſi quamuis nullum pactum: & ſatis per ſe conſtare videtur.

Declaratur breuiter: quia mutuatarius non obtulit voluntariè, neq; ex amicitia: ſed quodammodò coactè, eo quòd metueret ſe aliter nõ impetraturum, ſiue nunc, ſiue aliàs; ſi non præſtaret aliquid vltra ſortem. In hoc caſu autẽ intelligunt DD. locũ habere Cap. Conſuluit De vſuris, vbi Pontifex eum, qui eiuſmodi propoſito pecuniam mutuo dedit, vt plus recipiat, dicit inducendum efficaciter ad reſtitutionem, quamuis ſine omni conuentione id fecerit. Vide Cauar. ad Reg. Peccatum p. 2. in princ. n. 4.

77 DICO Secundò: Si mutuatarius det gratis & voluntariè ex amicitia, aut gratitudine quadam, ſed interim mutuator, id non aduertens, accipiat vt debitum, & tamquam ex obligatione datum ratione mutui, tunc quidem nõ tenetur in veritate à parte rei ad reſtitutionẽ, tenetur tamẽ ratione conſcientiæ erroneæ, quamdiu illa durat. Ita Scotus in 4. diſt. 75. qu. 2. Caiet. Opuſc. De Vſura tomo 3. q. 3. Medina q. 4. De vſuris: Molina diſp. 306. Soto lib. 6. q. 1. a. 4. Tolet. lib. 5. c. 29. Couar. ſup. Sil. V. Vſura 6. q. 3. Nauarra lib. 3. c. 2. n. 208. & ſeq. Salas dub. 7. n. 3. & alij contra Tabien. V. Vſura 1. q. 1. Panorm. ad Cap. Conſuluit, & quoſdam alios: qui volunt mutuatorem teneri ad reſtitutionem, etiamſi illi poſtea conſtiterit, quod mutuatarius liberaliter dederit. Sed

Probatur Aſſertio: quia nemo tenetur ad reſtitutionem, niſi qui habet alienum, aut iniuſtè alterũ lęſit, vel ad lęſionem cooperatus eſt: quamuis enim habuerit quis intẽtionem accipiendi alienum, & ſic alterum lædendi, dum habuit voluntatem accipiendi quaſi pretium ex mutuo, tamen in re non accepit alienum, neque læſio eſt ſecuta, quia alter non inuitus ex obligatione, quam mutuator intendebat, ſed ex amicitia & ex bona voluntate dedit; non fuit igitur iniuſtè grauatus, aut læſus. Quemadmodum ſi intenderem furto auferre palliũ Petri, quod poſtea deprehendam eſſe meum, vel à Petro mihi datum, non tenerer ad reſtitutionem: quia in re non abſtuli alienum, neque Petrum lęſi, vt rectè notat Soto lib. 6. q. 1. art. 2. Et

Confirmari poteſt ex l. Inter omnes 46. §. Rectè D. De furtis, vbi dicitur: Si ego me, inuito domino, facere putarem, cum dominus vellet, furtum facerem (id eſt furti culpam incurrerem) ſed furto non obligor, id eſt, ad reſtitutionem non teneor. Sed

Obijcitur: Licet mutuatarius donet gratis, tamen mutuator non acceptat vt donum, ſed vt debitum; ergò hæc donatio non eſt valida, quandoquidem non ſit acceptata tamquam donatio; ergò mutuator tenetur ad reſtitutionem. 78

Reſpondetur, Donationem quidẽ non fore validã, quando accipiens non vellet acceptare illam per modũ donationis, ſed dumtaxat per modum debiti. Quòd ſi verò implicitè ſaltẽ rem acceptare velit, omni modo meliori, quo poteſt, licet illam vt debitam apprehendat, erit tamen donatio valida: & hoc modo cenſendus eſt mutuator ille acceptare incrementum illud vltra ſortem, videlicet omni ratione meliori, quâ poteſt, quia nil niſi lucrum ſiue profectum ſuum quærit.

Accedit, quòd, tametſi ne implicitè quidem acceptaſſet vt donum, poſtea tamen ſemper poſſit acceptare, quamdiu ſcilicet alter donationem non reuocauerit. Quare obligatio reſtituendi quaſi nulla eſt, vtpotè quæ ad voluntatem debitoris poſſit elidi & extingui.

Obijcitur Secundò: Cap. Conſuluit: De vſuris, dicit Pontifex, vſurarium mentalem in iudicio animæ efficaciter inducendum ad reſtitutionem faciendam; ergò &c. Reſpondetur cum Salas & Molina ſuprà, Cap. loqui de caſu, quo ſuperadditio non fuit gratuitò facta, ſed quaſi ex debito ſecundũ mutuantis intentionem, quam habuit mutuatarius perſpectam, aut præſumptam, quia metuebat quod aliàs non eſſet mutuaturus, prout hoc explicuimus circa primam aſſertionem.

Quæret aliquis: Quid ſi mutuatarius det aliquid vltra ſortem, dum reſtituit, & alter dubitet, quo animo detur, vtrum dubitando poſſit accipere & retinere? 79

Reſpondetur, non poſſe inprimis retinere cum dubio negatiuo, id eſt, quando non habet vlla ſigna, vnde probabiliter exiſtimet eũ gratis ſiue gratioſè omnino dediſſe, ſed planè neſcit, an dederit gratis, an vt pretium mutui. Ratio eſt, quia cum tali dubio, nemo poteſt dominium alicuius rei inchoare. Idem dicendum eſt, quando dubium eſt poſitiuum; ita vt vtrimque habeat æquales rationes, tam pro parte vnâ, quàm pro altera. Ita Tolet. lib. 5. cap. 29. Molina diſput. 305. à Graffijs lib. 2. cap. 107. nu. 12. Salas ſuprà, qui tamen addit poſſe retinere interim dum animum mutuatarij exploret.

Digitized by Google

Vnde quando cōcurrunt eiuſmodi circumſtantiæ & ſigna, vt omnibus perpenſis poſſit prudenter iudicare, quòd alter ex bona voluntate gratis dederit, tunc illi licitum erit retinere. Eiuſmodi autem ſigna iuxta Caiet. & Couar. ſup. ſunt, quando mutuans ex ſua parte nō indicauit ſe aliquid exigere: neque ſoleat exigere, & mutuatarius non indicet, nec præſeferat aliquam triſtitiam vel animi ægritudinem, ſed animo hilari & benè compoſito aliquid præſentat. Tutiſſimum autem erit animum alterius per interrogationem exquirere, vel donationem repręſentare, vt indicat Nauar. c. 17. n. 209. & Salas ſup.

80 Quæritur Secundò: Quid ſi mutuans bonâ fide acceperit aliquid vltra ſortem, exiſtimans alterum gratitudinis causâ dediſſe, & poſtea deprehendat contrarium?

Reſpondetur, teneri tum ad reſtitutionem, quatenus eo factus eſt locupletior. Molina ſup. Lopez 2. p. Inſtr. c. 55. Nauar. ſup. & alij: contra Anton. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 6. vt refert Salas ſup. Quòd ſi bonâ fide rem conſumpſerit, neque aliquid emolumenti inde ſuperſit, ad nihil tenebitur, iuxta dicta ſup. De reſtitutione in communi, & alibi.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm vſurarum dominium transferatur in vſurarium?

81 QVæſtionis huius intelligentia vtilis eſt ad intellectum alterius quęſtionis, magis practicæ, quam proximo loco explicabimus: quænam ſcilicet quis poſſit ab vſurarijs titulo gratuito vel oneroſo accipere.

Respondetvr itaque & Dico Primò: Si vſuræ ſiue res ratione mutui vltra ſortem ſolutæ miſceantur cum alijs rebus eiuſdem naturæ, quæ ſunt ipſius vſurarij, ſic vt nequeant diſtingui, transfertur earum dominium in vſurarium. Ita tenent Sil. V. Vſura 6. q. 1. Med. q. 4. De vſuris, Molina diſp. 326. Nauarra ſuprà c. 2. nu. 397. Mald. Tract. 5. c. 3. dub. 21. & alij contra Salas dub. 38. n. 9. Sed colligitur ex §. Si duorum, & ſeqq. Inſtitut. De rerum diuiſ. & ex l. Si alieni 78. D. De ſolutionib. vbi dicitur: Si alieni nummi, inſcio vel inuito domino, ſoluti ſunt, manēt eius, cuius fuerunt: Si mixti tamen eſſent, ita vt diſcerni nō poſſent, eius fieri, qui accepit in libris Caij ſcriptum eſt; ita vt actio domino cum eo qui dediſſet, furti competeret. Ratio poteſt eſſe, ne rerū dominia maneant incerta, quando eiuſmodi mixta ab vno in alterum transferuntur.

82 Hîc tamen rectè ex Molina notat Mald. Tract. 5. c. 3. dub. 21. mutuatarium, cuius res permixtæ ſunt rebus vſurarij, habere ius in re in aceruum ſiue cumulum, vt ante alios omnes inde illi ſatisfiat, quamdiu cumulus exſtet, idem quaſi manens. Colligi poteſt ex Inſtit. ſup. & ex l. Marcellus 3. §. Pomponius D. De rei vindic. vbi dicitur: Si quid, quod eiuſdem naturæ eſt, ita cōfuſum atque commixtum eſt, vt deduci & ſeparari non poſſit, pro parte eſſe vindicandū, vtputa ſi meum argentum & tuum in maſſam redactum eſt. Quod & rationi cōſentaneum eſt: cur enim quādo mihi certò conſtat rem meā huic eſſe permixtam, nō poſſim mihi ex cumulo vindicare, quantū de meo ibi ineſt? Imo probabile eſt, quod addunt Mol. & Mald. ſi reliquum acerui, quod ex parte furis vel vſurarij admixtum eſt, fuerit minus quid rebus meis, totum potiùs tunc aceruum tranſire in dominium meum, ſic vt eum vindicare poſſim; cum onere tamen reſtituendi reſiduum. Nec enim videtur ratio, quare tali caſu deberent eſſe potiores partes furis vel vſurarij qui iniquè res meas plures miſcuit cū paucioribus ſuis, quàm partes meæ: quæ ſunt argumenta Salas, quare putet res furtiuè vel vſurariè acquiſitas non tranſire in eorum dominium per commixtionē cum rebus ſimilibus ipſorum: neque ratione carent ſaltem quando hæ ſunt in minori quantitate. Fit itaque iſta tranſlatio dominij per talem commixtionē non ex natura permixtionis per ſe, ſed authoritate iurium allegatorū, cum priuilegio prioris domini, & moderamine iam explicatis, quæ leges aliæ citatæ ſubindicant.

Dico Secundò: Si res, vſuræ nomine ſolutæ, non ſic permiſceantur cum rebus vſurarij, vt diſcerni nequeant, non transfertur earum dominium in vſurarium. Eſt D. Th. hîc q. 78. art. 3. vbi docet fructus perceptos ex rebus frugiferis, quas vſurę nomine forſitan extorſit vſurarius, debere ſimul cum ipſis rebus reſtitui: quia, inquit, ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus. Idem contra Scotum in 4. diſt. 15. q. 2. a. 3. Palud. ibidem q. 5. Nauar. c. 17. n. 265. docent Caiet. tomo 2. opuſc. 8. c. 1. Soto lib. 6. q. 1. art. 4. Couar. lib. 3. Var. Reſol. c. 3. n. 16. Angel. V. Vſura 2. q. 18. Sil. V. Vſura 6. q. 1. Mol. diſp. 317. Banneſ. 2. 2. q. 78. a. 3. ibidem Arrag. Salon. Controu. 1. Salas ſup. dub. 38. Mald. ſuprà, & alij ferè communiter. 83

Probatur: quia per illam ſolutionem ſeu traditionē rei alicuius vltra ſortem vſurario factā, non intendit mutuatarius gratis illam donare ex beneuolentia, vt hîc ſupponimus, neque tribuere plus iuris vſurario, quàm habeat, aut ei debeatur propter mutuationē: atqui ratione mutuationis nihil debetur illi præter ſortem: quare nō cenſendus eſt velle ſe dominio illius exuere, & illud in alterum transferre: ſed tantùm externam facere traditionem, quatenus hæc eſt neceſſaria, vt mutuum impetteret, aut pignus recuperet; ergò non eſt fundamentum dicendi, quòd dominium tranſeat in vſurarium.

Confirmatur ex l. Nunquam 31. D. De acqui-

acquirendo rerũ dominio, vbi dicitur, Nunquã nuda traditio transfert dominiũ, ſed ita ſi venditio, aut aliqua iuſta cauſa pręceſſerit.

Secundò Probatur, quia fur non acquirit dominium rei furtiuę, quamdiu diſcerni poteſt à rebus eius proprijs, l. vlt. D. De vſufr. ergò nec vſurarius acquirit dominium rei vſurariæ: vnde nec poteſt eius transferre dominium in alterum: & hinc meritò dixit D. Th. ſup. etiam fructus perceptos ex re frugifera eſſe reſtituendos, & cum illo Banneſ. Arrag. Salon. ſup. Controu. 4. Salas dub. 39. Bonac. ſuprà puncto 14. & alij.

84 Dico Tertiò: Res tamen pecuniâ vſurariâ lucrifactæ, ſtatim atq; vſurario traditę ſunt, tranſeunt in eius dominium. Eſt communis ſententia, vt habet Nauarra lib. 3. c. 2. n. 411. & docet ex profeſſo D. Thomas loco citato. Colligitur ex l. 1. C. Si quis alteri vel ſibi &c. & l. 8. ibidem.

Rationẽ reddit D. Th. quia ſunt fructus induſtriæ vſurarij, non ipſius pecuniæ, quæ ſterilis eſt. Rectè tamen monet, ſi alter paſſus ſit damnum propter carentiam pecuniæ ſuæ, quòd vſurarius teneatur ad compenſationem nocumenti.

Dico Quartò: Si vſurarius res alienas, nomine vſuræ acceptas, diſtrahat & vendat, acquirit quidem ipſe dominium pretij ſibi ſoluti, dominium tamen ipſarum rerum non transfert in emptores, vt iam dictũ eſt. Patet ex l. Qui vas D. De furtis in fine, vbi dicitur, quòd nummus, qui redactus eſt ex pretio rei furtiuæ non ſit furtiuus, & ex l. Si in emptione D. De contrahenda empt. Et ita docent Azor. tom. 3. lib. 5. cap. 12. & alijs locis, Salas dub. 39. Molina diſp. 326. Bonac. ſup. n. 4. Requiritur tamen, vt emptor res illas bonâ fide emerit, neſciens eſſe alienas: ſi enim ſciuerit, iam contractus emptionis & venditionis eſt nullus, & vſurarius ſic eo mediante non poteſt acquirere dominium pretij, quod illi perſoluitur.

DVBIVM XIX.

Quænam ab vſurarijs liceat accipere titulo gratuito, vel oneroſo?

85 OBſeruandum eſt, ſimilem quæſtionem poſſe locum habere pro magna parte etiam in alijs debitoribus, qui ſoluendo non ſunt: quænam ſcilicet ab his liceat accipere titulo gratuito, vel oneroſo.

Resp. & Dico Primò: Res alienæ, quę in ſe exſtãt, vt veſtes, vaſa argẽtea, quę pro vſuris ſiue lucro vſurario vſuris ſunt extortę, nõ poſſunt accipi vllo titulo nec gratuito, nec oneroſo à quoquã, quantũuis etiã vſurarius nõ fieret inde impotens ad faciendam reſtitutionem ijs, quorum ſunt, & ſatisfaciendũ alijs creditoribus. Eſt doctrina cõmunis: & Ratio eſt euidens: quia harum dominium non eſt penes vſurariũ, vt Dubio præcedenti oſtendimus circa aſſertionem ſecundam. Quare eas alienandi poteſtatẽ nõ habet: nec quiſquam eas ſiue dono, ſiue titulo emptionis accipere poteſt. Et quidẽ, ſi quis ſcienter res eiuſmodi ab eo acceperit, tenetur in primis illas reſtituere in ſpecie, ſi apud illum exſtent, aut pretium ipſarum, ſi ampliùs eas nõ habeat, idque non alteri, qàum vero rerum domino. Si autem ignorans eſſe alienas emerit, vel dono acceperit, domino tenebitur ad reſtitutionem, in quantum factus eſt inde locupletior, vbi de veritate ei conſtiterit: & ſi in ſpecie apud illũ adhuc exſtent, tenebitur ſimpliciter reddere. Salas quidem De vſuris dub. 40. n. 3. cum Medina C. De reſtit. q. 11. circa finem, & q. 4. De vſuris, docet vſurarium res quæ functionẽ recipiunt, ſiue quarum vſus, eſt conſumptio (vt ſunt triticum, oleum, vinum, pecunia) poſſe alienare, & dominium in alium transferre, modò ipſe maneat ſufficienter potens ad reſtituendũ. Rationem reddunt, quia cum vſurarius habeat, aut facilè habere poſſit bona eiuſdẽ ſpeciei & bonitatis, quibus opportunè reſtituat vſuras acceptas, cẽſetur dominus earũ expreſsẽ aut implicitẽ cõſentire, vel ſi nõ conſentiat, erit irrationabiliter inuitus circa earum alienationẽ: quod Salas conatur confirmare per diuerſas leges & argumenta: atque ita non teneretur ratione rei acceptæ, qui rem talem ab vſurario, aut fure accepiſſet, dũ hi eſſent potentes rem aliam ſimilem reſtituere. Sed contrarium verius eſt, quod docent Couar. ad Reg. Peccatum, p. 3. in principio n. 2. Molina diſp. 330. Pet. Nauarra lib. 3. cap. 2. dub. 14. & lib. 4. cap. 1. n. 4. Et

Probatur Primò ex l. Nam etſi D. Si certũ petatur, vbi dicitur, Nam etſi fur nummos tibi dedit animo credendi (id eſt, mutuandi) accipientis nõ facit: & ex l. Si me, & Titium: eod. tit. vbi dicitur, ſi debitor meas pecunias tibi mutuò dederit, mihi eſſe reſtituẽdas. Et ratio apparet euidens, quia nemo priuatus poteſt res alterius abſq; eius mandato transferre in dominiũ alterius. Ad fundamentum autem alterius opinionis reſpondetur, omnino immeritò pręſumi, quod dominus cõſentiat, & ſic immerito quoque dici, quod irrationabiliter ſit inuitus, quia per talẽ alienationem multum iuris ei diſcederet: quia cum iam competat ei duplex actio ſcil. perſonalis in vſurariũ, aut furem, & etiam realis in rem quã poteſt vbiq; vindicare, amitteret actionem illam realem, ſi vſurarius aut fur verè transferret dominium rerum eiuſmodi in alterum. Vnde & nouam faciunt iniuriam domino, quando commiſcent cum rebus ſuis proprijs eiuſdem generis. Neque refert, quod vſurarius, aut fur dicatur ſatisfacere reſtituendo rem numero aliam, eiuſdẽ tamen ſpeciei & bonitatis: quia dũ de facto

hæc offertur & reſtituitur, tunc nihil cenſetur domino diſcedere, quia planè ęquiualens & quaſi idē redditur: nec videtur in iſtis vſu conſumptibilibus occurrere ratio, quare merito vrgeret reſtitutionē eiuſdē numerorei, ſiue vt Iuriſperiti loquūtur eiuſdē rei in ſpecie: Secus autē quando non reſtituitur de facto, ſed relinquitur tantū domino actio, quia tunc per alienationē verā periret illi potior ſua actio, nimirū realis, vt iam oſtendimus.

86 Obſeruandum verò hîc eſt, Res illas apud vſurarium exſtantes cenſeri alienas, quæ ſub nomine vſurę ſeu lucri ſupra ſortē datę ſunt: non autem ſic illas, quę vſurario datę ſunt in ſolutionem ſortis, ſiue illius ſolius, ſiue etiam ſortis & vſurarū ſimul, modò ſors æqui valeat ſaltē dimidio iuſti pretij talium rerū ſecundū prudentū æſtimationē. Vnde pignora, quæ intra tempus à Principe conſtitutum nō repetuntur, cenſentur tranſire implicito contractu venditionis in dominium vſurarij: quia à mutuatarijs ſolent iſta quaſi per modū venditionis pro ſorte & vſuris relinqui vſurario: quando autē non eſt deceptio vltra dimidium iuſti pretij, tunc contractus venditionis validus eſt ad dominij tranſlationem. Hac igitur de cauſa quidam probabiliter excuſāt à peccato iniuſtitiæ, qui emūt iſta pignora ab vſurarijs, quando tempore à Principe conſtituto publicè venduntur: niſi ſint res furto ſublatę, aut ſacræ, quæ pignori dari nō poſſunt. Ita docēt Conrad. De contract. q. 69. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 18. §. 17. Mald. ſuprà dub. 22. Monet tamen Anton. quia res nō omnino clara eſt, hinc ante factū non eſſe conſulendum, nihilominus poſt factum nō eſſe damnandū, præſertim (inquit) cum nullum legerit Doctorem qui damnet. Accedit quod poſſit pręſumi tacitus conſenſus mutuatarij in hanc venditionē, quia hoc facit quod plures emptores concurrāt, & ſic pluris res vendatur: Ipſe autem vſurarius teneatur reſtituere quidquid inde vltra ſortē acceperit, & multo magis quod vltra ſortem & prætenſum lucrum vſurarium.

87 Dico Secundò: Res eas, quarum vſurarius dominium habet, poteſt quis ab illo accipere, etiā titulo gratuito, ſi non ſit nec fiat inde impotens ad creditoribus præſtandam ſolutionem aut faciendam reſtitutionem. Neque bona illa ſic tranſlata ſunt obnoxia reſtitutioni. Ita Salas dub. 41. n. 4. cum Molina diſp. 329. & alij DD. cōmuniter. Vnde inferunt filiam poſſe in dotem accipere domum vel agrum, non tantùm, quē pater forſitan ex patrimonio habuerit, ſed & illum, quem pater vſurarius emerit pecuniâ vſuris partâ, modò reliqua bona eius ſufficiant reſtitutioni faciendę. Vide Silueſt. V. Vſura 8. qu. 1. Ratio eſt: quia hæc res eſt ipſius vſurarij, neque eſt alteri hypothecata, vt ſupponimus. Neque enim verū eſt, bona vſurarij eſſe tacitè hypothecata pro vſuris, vt Med. q. 4. De vſuris videtur exiſtimaſſe: Contrarium enim cōmuniter tenent tum Theologi, tum Canoniſtæ: Soto lib. 6. De Inſt. q. 1. a. 4. ad 3. Arrag. & Banneſ. 2. 2. q. 78. a. 3. Salon. ibid. Controu. 3. Tolet. lib. 5. c. 35. Sil. V. Vſura 6. q. 5. Nauar. c. 17. n. 265. Couar. 3. Variat. c. 3. n. 6. Panor. Cap. Cum tu, & Cap. Cum tua nos De vſuris: Ioan. Andreas, Hoſtien. ibidem: Molina diſp. 329. & alij. Ratio eſt: quia neque ex natura rei, neque ex aliquo iure poſitiuo poteſt oſtendi talis hypothecatio.

Addidi, Si inde nō fiat impotens &c. quia plerique DD. ſentiunt, eum, qui accepit aliquid ab eo, qui ex illa occaſione efficitur impotens ad creditoribus ſatisfaciendum, in conſcientia obligari ad reddendum: quod mox amplius oſtendemus. Nonnulli tamen diſtinctionem hîc adhibent: & inprimis dicunt, ſi quis non inducat eiuſmodi debitorē ad donandum, vel alienandum id, vnde fiat impotens, ſed alter ſua ſponte donet, non fore tunc eiuſmodi donatarium in foro conſcientiæ obligatum ad reſtituendum, etiamſi ſciat vſurarium aut debitorem reddi per eam donationem, vel alienationē, impotentem ad creditoribus ſoluendum: ſecus ſi id ſciens, induxerit. Vbi iterū videntur excipere caſum, quo hæc impotentia non eſſet cauſa, quare debitor nō ſoluat, aut non reſtituat, vt ſi iam animo antea cōſtituerat nō ſoluere creditoribus: tunc enim volunt donatarium quoq; eſſe liberum à neceſſitate reſtituendi. Ita ferè Leſſ. c. 20. du. 19. n. 168. & 170. 88

Sed verior, ac æquitati & iuſtitiæ magis conſentanea eſt communior ſententia: & Probatur: quia quando vſurarius, vel alius debitor non eſt ſoluendo creditoribus, nihil poteſt ab eo accipi per vltimam voluntatem, v. g. per teſtamentum, aut legatum, vel per donationem mortis cauſa, ſed totum creditoribus eſt reſtituendum aut relinquendum in foro conſcientiæ, vt mox dicetur; & Leſſ. docet n. 172. ergò neq; per donationem inter viuos, quando eſt impotens, aut putatur inde futurus impotens ad ſatisfaciendum. 89

Sed dices: Non eſt par ratio: poſt mortem enim non poteſt quicquam amplius lucrari, vnde ſatisfaciat; dum viuit autem, ſuâ induſtriâ poteſt adhuc comparare, vnde ſoluat; deinde ipſa perſona quamdiu viuit, manet creditoribus obligata. 90

Reſpondetur: Si debitor, qui manet ſuperſtes, ſit induſtrius aut negotioſus, ita vt probabilis ſpes adſit, ipſum poſſe breui lucrari, vnde creditoribus ſatisfaciat, tunc non videbitur abſolutè dicendus reddi impotens ad ſoluendum: & proinde eo caſu forſitan liceret aliquid ab eo accipere. Si autem ſit homo ignarus aut ignauus, qui vix lucretur, aut ne vix quod expendit, ita vt ſpes non ſit, quòd lucrabitur, vt poſſit ſatisfacere,

Digitized by Google

cere, quid iuuabit creditores, quòd debitor maneat ſuperſtes, quando per donationem reddit ſe impotentem ad ſoluendum? aut quid proderit perſonæ obligatio, quando nec in re, nec in ſpe habet, aut ſuperſit aliud vnde ſoluat.

Probatur Secundò: quia, quo eiuſmodi debitor obſeruat ſe magis impotentē, & rem ſuam anguſtiorem, eo ſemper ſolet tardior & difficilior eſſe ad ſoluendum: &, ſi aliquid ſuâ induſtriâ lucrifaciat, id non tam promptè impendit in ſolutionem, quàm ipſa media iniquè acquiſita apud ſe in valore adhuc exſtantiâ; ergò illi, qui eiuſmodi donationes acceperunt, quibus illum ſciunt redditum impotentem, aut impotentiorem ad ſoluendum, vt inde quaſi deſperet quod ſe poſſit à debitis liberare, vti ſequi ſolet, ſiue illum induxerint ad donandum, ſiue non, tamen cenſendi ſunt ſuo modo cauſa iniquæ detentionis. Vide Mald. ſuprà.

91 Neque videtur vllo modo excuſare, quòd debitor, quando donat, forſitan affirmet, ſe nihilominus non habere voluntatem ſatisfaciendi creditoribus, quia poteſt hæc voluntas ſubitò mutari. Quo caſu fatentur quidem alij, quod donatarius deberet reſtituere: ſed vnde id intelliget, & vt intelligat, forſitan miſer debitor erubeſcet illud repetere, quod viſus eſt liberaliter donaſſe, aut in repetitione metuet difficultates mouendas, aut donatarius forſitan conſumpſerit: atque ità, qui eiuſmodi donationes admiſerunt & receperunt ſunt cauſa, quare creditores iniquè defraudentur.

Vnde & ex cōmuni vulgi apprehēſione, tales cēſentur creditoribus eſſe iniurioſi: quod ſolet clamare, quādo tales debitores faciunt largas donationes, quantumuis etiā in cauſas pias, meliùs ipſos facturos, ſi debita ſua exſoluerent, & qui accipiunt, notantur auaritię, & tamquam qui accipiant bona aliorum ſiue alijs debita. Et quidem ſolent eiuſmodi iniqui homines, qui nō omninò iniquitatem quaſi profitentur, habere pro more, vt obtrudāt ſiue Religioſis, ſiue Curatoribus piarum cauſarum eleemoſynas aliquando largiores, ſiue vt iniuſtitiā ſuam tegant, & patronos ſuarum actionum habeant, ſiue vt ſub hoc prætextu ſibi ſe à reſtitutione liberos perſuadeant, & conſcientiā, quæ eos aliquandò remordet, quaſi cauteriſare valeant. Quare nullo modo conſultum exiſtimo, quod ab eiuſmodi hominibus recipiantur mammonæ iſtæ iniquitatis, ad vllam piam cauſam, niſi pœnitentes prius debitam reſtitutionem fecerint, & ab iniquitatibus in poſterum abſtinere propoſuerint. Quin potiùs ipſorum oblationes, aut cum ſalutari admonitione, aut cum acri reprehenſione ſecundùm ſubiecti exigentiam, tamdiu reijciendę ſint, vt pudore confuſi diſcant facere iudiciū & iuſtitiam: quando enim acceptantur, vlteriùs ipſi in ſuis iniuſtitijs fouentur, & dum ſic ſacrificant de ſubſtantia pauperum, ſunt inſtar illius, qui victimat filium in conſpectu patris, vt loquitur Sapiens.

Probatur Tertiò: quia leges concedunt 92 creditoribus actionem, quâ repetere poſſint ea, quæ titulo gratuitò à debitoribus inſufficientibus acceperunt: & quidem ſi ſciuerint illos tali donatione fieri impotentes, coguntur, qui acceperunt reſtituere, etiamſi res apud eos neque ampliùs exſtet, neque inde facti ſint locupletiores, vt patet ex l. Quod autem D: Quæ in fraudem creditorum, & l. 7. 8. & ſeqq. ergò videtur, quòd ſtatim ab initio iniquè & malâ fide iudicentur iſta poſſidere, ac proinde etiā in conſcientia obligentur iſta reſtituere, quæ acceperunt, etiā antequam creditores per actionē repetant.

Confirmatur: quia nulla videtur ratio, cur hi potiùs tenerētur creditoribus petentibus per actionem, ſiue in iudicio, etiam tunc reſtituere, quando res non amplius penes illos exſtat, neque facti ſunt inde locupletiores, quàm alij, qui acceperunt ignorantes debitorem fieri impotentem; niſi quòd illi ab initio non tantùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniquæ acceptionis fuerint reſtitutioni obnoxij, hi autem tantùm ratione rei acceptæ.

Dico Tertiò: Si vſurarius ſit ſufficienter potens ad ſoluendum omnibus, quibus debet, quando cum eo contrahis, ſic vt tibi tunc ſine aliorum damno, potuerit ſatisfacere, licet poſtmodum aliquo caſu factus ſit impotens, nihilominus cum alijs creditoribus, tibi tuo ordine debetur ſatisfactio. 93

Ratio eſt: quia quandoquidem tempore contractus, potuerit tibi integrè ſatisfacere ſine creditorum intereſſe, par Ius cum alijs creditoribus acquiſiuiſti.

Dico Quartò: Si erat impotens, quando cum eo contraxiſti, & ex tali contractu cenſeretur fieri impotentior, non poteſt tibi tunc ſatisfacere; neque poſtmodum cum alijs, niſi factus fuerit potens ad ſatisfaciendum omnibus antecedentibus. Probatur: quia talis contractus impedit debitum ordinem iuſtitiæ, qui poſtulat, vt prioribus creditoribus fiat ſolutio aut reſtitutio ex bonis debitoris, quæ vlteriùs non debent alijs reddi obnoxia.

Excipiuntur tamen aliqui caſus: vt quando quis contrahit cum tali debitore inſufficiente ſuper re vel opera ipſi neceſſariâ ad mediocrem alimentationem aut veſtitionem vt ſuper pane aut potu tenuiori, vel ſi medicus aut chirurgus operā in eo curando impēdat, aut in ſimili neceſſitate alius ſubueniat.

Dico Quintò: Si vſurarius vel alius debitor non eſt ſoluendo, non poteſt quicquam ab eo accipi per vltimam voluntatem, 94

 vt per

Digitized by Google

vt per legatum, teſtamentum, donationem mortis cauſa, aut ſimili modo; &, ſi quid acceptum fuerit, totum in foro conſcientiæ eſt creditoribus reſtituendum. Ita Doctores communiter: & colligitur ex cit. l. Quod autem §. 9. D. Quæ in fraudem creditorum & l. vlt. Cod. De iure deliberandi. Et ratio eſt; quia eiuſmodi donationes & acceptiones ſunt defraudationes creditorum, quibus iuſto titulo illa debentur.

DVBIVM XX.

Vtrum ſi vſurarius aliquis alicui debeat iuſto titulo: v.g. centum, & aſſignet ſolutionē petendam ab illo, qui ei debet centum ex vſuris; an creditor iſte poſſet acceptare aſſignationem & eam exigere?

95 RESPONDEO & DICO Primò: Licitum non eſt acceptare eiuſmodi aſſignationem, & vigore illius exigere ſolutionem, quando conſtat nullo iuſto titulo, ſed vſurario debitum illud eſſe contractum. Eſt per ſe euidens: & breuiter declaratur: quia communis Doctorum ſententia eſt, famulum vſurarij non poſſe exigere vſuras nomine & ex parte domini ſui, eo quod non debeantur domino, ſed iniquè quaſi extorqueantur; ergò neque creditor vſurarij poteſt illas exigere; quia non minùs exequeretur iniquam exactionem, & peteret indebitum, quàm famulus aut miniſter vſurarij. Hinc Salas dub. 44. num. 11. cum multis quos citat, dicit generaliter, quod quicumque aliorum nomine vſuras exigunt & recipiunt, ad reſtitutionem teneantur.

Confirmatur: quia ſi latro faceret talem aſſignationem ſuper captiuo, quem iniquè detinet in ſyluis, non liceret eiuſmodi aſſignationem acceptare, & in vim illius exigere ſolutionem; ergò neque quando vſurarius ſic aſſignare vult: quandoquidem vterque tam vſurarius quàm latro per iniuriam prætendat ſibi debitum. Vnde ille, qui ex vi talis chirographi accepit ſolutionem vſurarum, tenetur primo loco ad reſtitutionē, quamdiu pecuniæ vel res aliæ, quas accepit, apud illum exſtant, quia tenetur ratione rei acceptæ: quando autem eas alienauit, videtur teneri tantùm, ſecundo loco, videlicet, quando vſurarius, qui eſt principalis auctor damni, non reſtituerit: per contractum enim vſurarium, ipſe principaliter damni cauſam dedit, & in eius commodum alteri facta eſt ſolutio.

DICO Secundò: Etſi non conſtaret eiuſmodi pecunias eſſe debitas iuſto aliquo titulo, ſed tamen nec de contrario conſtat, licebit acceptare aſſignationem. 96

Ratio eſt: quia proximus non eſt condemnandus vſuræ vel iniuſtitiæ, quamdiu de eo non conſtat, ſed potiùs habendus eſt iuſtus negotiator. Si tamen rationes iuſtæ dubitandi occurrant, veritas inquirenda eſt, aut aſſignatio reijcienda: manente autem dubio poſt debitam inquiſitionem, licebit aſſignationem acceptare & vti, quia tunc potiùs benè quàm malè de proximo eſt præſumendum: præcauendum tamen eſt hic ſcandalum. Quòd ſi poſtmodum contrarium conſtiterit, tenebitur reſtituere, quod vigore talis aſſignationis acceperit. Simile eſt in emptione rei, de qua dubitat quis, an ſit furtiua.

DICO Tertiò: Etſi vſurarius ipſe exegerit pecunias, titulo vſurario ſibi debitas, & eas alteri numerat, ita vt conſtet eaſdem eſſe, quas ſic accepit titulo vſurario, tenebitur hic, cui numeratæ fuerint, ad earumdem reſtitutionem. 97

Probatur: quia horum nummorum dominium non fuit tranſlatum in vſurarium, ſed manſit penes illum à quo eos accepit, vt conſtat ex dictis dub. 18. & dub. 19. circa primam Aſſertionem; ergò non potuit vſurarius illud transferre in alterum, & proinde qui accepit, non poteſt eos retinere.

DVBIVM XXI.

Vtrùm hæres vſurarij ad reſtitutionem vſurarum teneatur, & quo vſque?

RESPONDEO & DICO Primò: Hęredes vſurarij tam in foro conſcientiæ quàm in foro externo tenentur ad vſurarum reſtitutionem, quantum ferunt vires hæreditatis. Patet ex Cap. Cum tu, & Cap. Tua nos, De vſuris, quod eſt Alexandri III. vbi dicitur, quòd tam filij quàm extranei hæredes vſurariorum ad reſtituendas vſuras eâ ſint diſtrictione cogendi, quâ vſurarij ipſi, ſi viuerent. Idē conſtat ex Cap. Quamquam De vſuris in 6. 98

Ratio eſt: quia cùm hæredes repræſentent defunctum, & hæreditas obligata ſit ſoluendis ipſius debitis, etiam merè perſonalibus, dubium eſſe non poteſt, quin etiam de vſuris teneantur, ſaltem iuxta vires hæreditatis. Imò etiam teneantur in omni damno temporali iniuſtè illato alijs: ſicuti actiones enim actiuæ defuncti ad eos tranſeunt, ita & paſſiuæ aduerſus eos tranſeunt, vt tradunt Couar. lib. 3. Variar. cap. 3. n. 7. Silueſt. V. Vſura

Digitized by Google

V. Vſura 6. quæſt. 10. Sa eodem V. Molina tom. 2. diſput. 332. Medina quæſt. 4. De vſuris, Salas dub. 43. & alij.

99 Dico Secundò: Vltra vires hæreditatis non obligantur in foro conſcientiæ, etiamſi beneficio inuentarij non ſint vſi: in foro tamen externo iudicabuntur teneri, ſi inuentarium legitimum non fecerint.

Prior pars eſt Panormit. in Cap. Tua nos ſupra cit. Couarr. 3. Variar. cap. 3. num. 8. Mald. ſuprà dub. 23. & aliorum. Ratio reddi poteſt: quia non eſt obligatus creditoribus, neque ex iuſtitia aliquid eis debet hæres niſi ratione hæreditatis, quam apprehendit, & quæ illis exiſtit obligata; ergò quando illam totam legitimis modo & ordine expendit in creditores, non videtur ratio, cur debeat dici in conſcientia vlteriùs obligatus, etiamſi ſub beneficio inuentarij hæreditatē non acceptauerit. Supponimus autem hîc, quòd hæredes non fuerint cooperatores in vſuris conquirendis, quia tunc ex alio titulo vlteriùs tenerentur.

Poſterior pars conſtat ex iure communi contra hæredes non facientes inuentarium: & Ratio eſt: quia eo caſu lex præſumit plus fuiſſe in hæreditate, quando alter ſic hæreditatem adijt ſine beneficio inuentarij. Vnde poſt ſententiam tenebitur etiam in conſcientia ſatisfacere. Imò Molina diſp. 332. docet, ſimpliciter huiuſmodi hæredem, qui ſine beneficio inuentarij adijt hæreditatem, in conſcientia teneri ad ſatisfaciendum creditoribus, etiam ultra vires hæreditatis. Sed quoad hoc, communis ſententia habet, quod diximus, vt etiam fatetur Molina, & ſpeciatim ita docent Soto lib. 6. quæſt. 1. artic. 4. Lopez 2. p. cap. 80. Tolet. lib. 5. cap. 31. Salon. quæſt. 78. art. 3. Controuerſ. 10. Banneſ. dub. 4. Salas dub. 43. n. 2.

100 Dico Tertiò: Quando plures ſunt hæredes vſurarij, non tenentur ſinguli in ſolidum, nec alter pro altero, ſed quiſque pro parte ſua, ſecundum proportionem, quâ hæreditatem participauit. Videtur eſſe contra Nauarrum cap. 17. n. 278. vbi ſcribit: Si quis hæredum non habeat, vnde reſtituat, alius ad id pro ſua hæreditatis parte, quantum feret, obligabitur. Sed Concluſionem tenent Caiet. tomo 2. opuſc. 8. quæſt. 5. Syluest. V. Vſura quæſt. 1. Couarr. lib. 3. Variarum Reſol. cap. 3. Medina quæſt. 4. De vſuris 5. Ad quintum principale, Mald. Pet. Nauarra lib. 3. cap. 2. n. 414. & conſonat legibus, l. 2. C. de hæredit. actonib. & l. pacto C. de pactis.

Ratio reddi poteſt: quia in ſucceſſione hæreditatis, ſicut bona defuncti diuiduntur in hæredes, ita etiam eius obligationes perſonales & debita, ſaltem quoad obligationē in conſcientia. Rationi enim videtur conſentaneum, vt, qui tantummodò ex parte commodum percipit, onus quoque dumtaxat ex parte ſentiat.

Opponit Nauarrus ea, quę antè citauimus ex Cap. Tua nos. Sed ad illa poteſt Reſponderi, quòd Pont. ibi non aliud velit, quàm hæredes ſimul iunctos teneri ad reſtituendas vſuras, ſicuti vſurarium; adeoq; ad illos iunctos tranſire totam obligationem: ſic tamen vt non ſinguli teneantur, niſi pro parte ſua. Ita P. Nauar. & Med. ſupra.

Nihilominus tamen ſententia Nauarri nō apparet improbabilis, quam etiam ſequitur Salas vt probabiliorem ſuprà n. 3. cum multis quos citat: quia rationi & æquitati videtur conſonum, quòd omnes & ſinguli, qui de hæreditate volunt participare, ſint obligati inprimis & ante omnia curare, vt creditoribus ſatisfactum vel cautum ſit. Vnde ſi in hoc negligentiores fuerint, & non prouiderint, non immeritò videri poſſunt obligati ſinguli in ſolidum, quatenus ſaltem pars ipſorum ſe extendit, vt vult Nauarrus. Quando verò hæredes nihil ex bonis vſurarij acceperunt; ad nullam tenentur reſtitutionem: nam obligatio ex delicto non poteſt nocere hæredi, niſi quoad ea in quibus ſuccedit defuncto. Ita Rebell. lib. 8. quæſt. 16. ſect. 2. n. 5. Bonac. De contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 15. n. 15.

Dico Quartò: Tametſi hæredes omnes deficerent in ſoluendo, tamen legatarij non tenebuntur, ſi illa, quæ hæredibus relicta ſunt, ſuffecerint ad ſoluenda debita & reſtitutiones faciendas, ſimulque ad portionem hæredibus ex iure debitam per Legem Falcidiam. Onera enim teſtatoris non tranſeunt ad legatarios, ſed ad hæredes, qui in vniuerſum ius defuncti ſuccedunt, vt patet ex l. Hæreditas D. De Regulis Iuris; & proinde etiam in grauamina. Ita Molina diſp. 332. Medina quæſt. 4. De vſuris, Rebell. & Bonacina ſuprà. Quòd ſi hæreditas non ſuffecerit debitis ſoluendis, & portioni ex eâ hæredibus de iure competenti, tunc legatarij, & donatarij mortis causâ, tenentur pro rata ex legatis vel donatis contribuere, vt iſtis oneribus ſatisfiat. 101

DVBIVM XXII.

An peccet, qui pecunias ſuas apud vſurarium deponit?

Respondeo & Dico Primò: Qui committit pecunias ſuas homini vſurario, non habenti alias, vnde exerceat vſuras, efficitur particeps culpæ ipſius vſurarij. Eſt D. Thomæ quæſt. 78. art. 4. ad 3. ibidem Salon. Controuerſ. 4. Banneſ. dub. 4. Palac. 4. De contract. cap. 10. & aliorum. 102

Probatur: quia talis ſubminiſtrat alteri mate-

materiam peccandi, ſcilicet pecuniam ad vſuras faciendas, vt habet D. Th. & quidem cum iniuria proximi, dum mediantibus his pecunijs vſurarius, proximi ſubſtantiam per iniquas vſuras exhaurit; ergò eſt particeps huius culpæ.

Confirmatur à ſimili: quia ſi quis homini furioſo, ad cædem parato, ſubminiſtret enſem, vel furi, iam ad furtum parato, ſubminiſtret ſcalas, ſiue per modum locati, ſiue per modum depoſiti aut commodati, quibus inſtrumentis reſpectiuè ille proximum occidit, hic autem eum deprædatur, is, qui inſtrumenta ſic ſubminiſtrauit, efficitur reus homicidij, aut furti, vt communis habet doctrina; ergò ſimiliter qui committit pecunias homini parato, vt per vſuras extorqueat ſubſtantiam aliorum, erit particeps iniuſtitiæ, quam vſurarius mediantibus illis tamquam oportuno inſtrumento in proximum committit: vnde non tantùm eſt reus culpæ, ſed etiam obnoxius reſtitutioni, ſaltem vſurario deficiente ſeu non reſtituente. Salas tamen dub. 44. n. 4. & alij quidam docent, talem deponentem non peccare neque contra iuſtitiam, neque contra charitatem, ſi iuſtam habeat rationem ibi deponendi, vt ſi interſit magnę eius commoditatis, quod apud iſtum deponat pecunias ſuas, vt quia non habet alium vbi tutè deponat. Ratio poteſt reddi, quia ex eo fieri videtur, quod ne quidem cenſeatur indirectè velle aut intendere vſuras, quas alter exercebit, vt in alijs ſimilibus ſolet contingere.

102 Dico Secundò: Grauiùs delinquunt, & obnoxij ſunt reſtitutioni, qui non ſimpliciter per modum depoſiti committunt pecunias ſuas vſurario, ſed dant hac intentione, vt inde copioſiùs per vſuras lucretur, ad eum effectum, vt ipſi quoque ex vſuris menſtruum, vel anunum cenſum ab vſurario accipiant. Colligitur ex D. Thoma loco cit. & Nauarro cap. 17. n. 242.

Probatur: quia non tantùm interpretatiuè conſentiunt in iniuſtitiam vſurarij, & ſecundariò tantùm cooperantur, ſicut illi, de quibus in prima aſſertione, quos D. Thomas condemnat; ſed videntur planè directè velle ipſam iniuſtitiam, dum vſurario pecunias cōmittunt hoc fine, vt ipſe in annos ſingulos v. g. ex centum lucretur viginti vnum, aut triginta duo, ſiue plus aut minus, prout in diuerſis prouincijs à Principibus diuerſimodè toleratur, & vt ex lucro illo ipſi percipiant octo, decem, vel duodecim annuè, prout cum vſurario conueniunt. Vnde fit, quòd etiam non tantum ſecundariò videantur cooperari, ſed omnes per modum ſocietatis eſſe principales vſurarij, quamuis vnus ſolus nomen commodet & operam, atque ita omnes dicendi ſint tanquam principales auctores obligati reſtituere, in primis quicquid lucri & vſuræ ſic receperunt: deinde etiam ad minus ſecundo loco omne illud, quod mediantibus ipſorum pecunijs, is qui gerit nomen vſurarij, amplius adhuc à mutuatarijs extorſerit. Ex quibus colligitur, quàm ſit res periculoſa, & multis difficultatibus conſcientię obnoxia, ſic pecunias apud vſurarium exponere.

Dico Tertiò: Is, qui ſimpliciter deponeret pecunias apud vſurarium, tamquam hominem ſibi fidum, vt tutiùs ſeruentur, qui alioquin habeat alias ſufficientes pecunias, quibus vſuras ſuas exerceat, non peccat neque vſuratum fit particeps. Eſt D. Thomæ loco citato. Bannesij, & aliorum. 103

Ratio eſt: quia hic non ſubminiſtrat materiam committendæ iniuſtitiæ, cùm vſurarius habeat abundantem: vnde huius pecunia impertinenter ſe habet ad iniuſtitias, quas alter committit.

DVBIVM XXIII.

Quinam generaliter cenſeantur cooperari vſurarijs, ita vt ad reſtitutionem teneantur?

Respondeo & Dico Primò: Qui conſulunt alteri, vt ſub vſuris mutuet, vel alter ad vſuras exercendas inducunt, aut partes eius in illis conquirendis agunt, obligantur ad vſuras inde ſecutas. Ita Dom. Soto lib. 6. quæſt. 1. Molin. diſp. 331. Nauar. cap. 17. num. 267. Salon. qu. 78. art. 3. Controuerſ. 11. ibidem Arrag. dub. vlt. Banneſ. dub. 5. Valentia diſp. 5. quæſt. 21. puncto 3. Vega V. Vſura caſu 39. & 47. quod quoad conſulentes eſt contra Gabr. in 4. diſtinct. 15. quæſt. 11. & alios quoſdam. Sed probatur: quia verè influunt in damnum, quod proximus patitur. Tenentur tamen ſolùm, non reſtituente eo, qui iniquum lucrum accepit. Neque refert, quod non obſtante tali conſilio, & pacto De Vſuris captandis inde ſequuto, poſſit vſurarius illas non exigere aut remittere, quodque ipſe mutuatarius poſſit non ſoluere (quod opponit Gabriel) quia vt conſulens teneatur, ſufficit reipſa eius conſilio damnum eſſe illatum, atque ita eius conſilium fuiſſe efficax, etiamſi iſta efficacia potuiſſet alterius voluntate impediri. Vnde qui ſuaſerit exercere vſuram, & alter exercuerit, non minus tenetur, quàm qui ſuaſerit latrocinium quod commiſſum eſt, vt bene oſtendit D. Soto loco cit. dub. vlt. 104

Dico Secundò: Famuli fœneratoris, qui illa tantùm faciunt miniſteria, quæ nonminus ſunt in commoditatem mutuatariorum, quam ipſius fœneratoris, & ſunt ex ſe actus indifferentes (vt numerare 105

Digitized by Google

numerare pecunias quæ mutuo dantur, & recipere ipſam ſortem, quæ redditur, ſcribere datum & acceptum, cuſtodire pignora) non videntur teneri De vſuris. Ita Soto ſup. art. 4. cit. Salon. Controuerſ. 9. Arragon. ſup. Sa V. Vſura Malderus tract. 5. c. 3. Dub. 24. Lopez 2. p. c. 28. Leſſ. c. 20. dub. 21. n. 184. Salas dub. 44. n. 12. cum pluribus quos citat: & rationem addit, quia iſti non influunt in ſolutionem vſurarum neque executiuè, neq; conſultiuè, neq; præceptiuę: Non enim ad dandum mutuum ſub vſura inducũt, neq; ad executionem illius contractus cenſentur cooperari: quamuis enim mutuum numerent, vel datũ annotent memorię cauſa pignora cuſtodiant, poteſt tamẽ eſſe præter ipſorum intentionem, quod herus inde lucrum exigat: neque verò ſolent domini in talibus velle à famulis quouis modo pendere, imo ſępe neque conſcios facere. Tertius autem eſt, & magis communiter ab omnibus tenetur, quod non obligentur, qui ſoli mutuatario præſtant obſequium; vt ſi quis rogatus, vbi ſit domus fœneratoris, eam demonſtrat, vel rogatus aut conductus à mutuatario, defert pignora ad domum, aut ſimile officium exhibet.

Dico tertiò: Secus autem de illis dicendũ eſt, qui re ipſa cooperantur vſuris capiendis: vt qui verè & cum effectu influunt in ſtipulationem de ſoluendis vſuris, in exactionem & apprehentionem, aut detentionem ipſius iniuſti lucri vltra ſortem.

106 Colligitur ex Pet. Nauar. lib. 3. De Reſtitut. cap. 2. n. 426. Medina Cod. De Vſuris q. 4. §. De cooperantibus, & Nauarro cap. 17. n. 266. Hinc itaque inprimis tenetur famulus ille, qui ſtipulatur vſuram, licet id faciat de mandato domini ſiue generali, ſiue ſpeciali: cum hoc tamen diſcrimine, quòd teneatur tamquam principalis, quando tantùm habet mandatum generale; v. g. vt fœneretur in pecunia domini, quando volet: in ſubſidium autem ſiue domino deficiente, ſolùm teneatur, quando eſt mandatum ſpeciale, aut certè tale, vt dominus ſuâ authoritate voluerit illum adſtringere ad fœnerandum omnibus petentibus. Vide Pet. Nauarram & Nauarrum ſup. Secundò non excuſatur ab obligatione reſtituendi famulus ille, qui miſſus à domino exigit & obtinuit vſurarum ſolutionem à mutuatario, quamuis ſine coactione & minis: verè enim concurrit ad iniquam extorſionem rei alienæ. Ita Nauarrus & Medina ſup. Lopez tamẽ exiſtimare videtur talem excuſari poſſe, quod etiam Pet. Nauarra ſup. n. 427. indicat, ſed cum reſtrictione, ſcil. in caſu quo famulus nullomodo inflectat, aut moueat voluntatem mutuatarij ad dãdum: ſed dum ad inſtantiam domini ſe determinauit mu- ad ſoluendam vſuram, vadit duntaxat famulus, & recipit, & defert ad dominum, quod videtur ſatis probabile.

Duos autem modos ſuggerunt Dom. Soto, & alij nonnulli, quibus famuli, de quibus iam egimus, poſſint eſſe immunes ab onere reſtitutionis. Vnus eſt per ignorantiam inuincibilem, quâ exiſtimabant, vel non ſubeſſe contractum vſurarium, vel ſe non cooperari iniquitati vſurariæ, modò de vſuris nihil ad eos deuenerit: quia tunc non poſſunt teneri, niſi quaſi ratione iniquæ acceptionis: cùm autem per ignorantiam excuſentur à peccato iniquæ acceptionis, conſequenter etiam excuſandi veniunt à reſtitutione. Vide Lopez ſup. cap. 82. Alter modus eſt, quod petant à mutuatarijs ſibi remitti: facilè enim videntur hoc poſſe obtinere, quia illis non multùm ſolet imputari iniuria fœnoris. 197

Tertiò ſequitur, peccare & reſtitutioni obnoxios habendos eſſe negotiorum geſtores, tutores, ac curatores, qui nomine aliorum, vt ſuorum committentium, aut pupillorum, vel minorennium dant ad vſuras, & fœnus accipiunt. Tenentur tamen ſecundo loco ſiue in ſubſidium, non ſoluentibus illis, quorum nomine & vtilitate fœnus exercuerunt: tunc tamen tanquam principales, quando vſura apud eos in ſpecie extiterit. Ita Mald. ſup. dub. 24.

Dico Tertiò: Quod ad tabellionem ſiue Notarium attinet, qui conficit inſtrumentum contractus vſurarij, ordinariè hic grauiter peccat, quando ſcienter facit. Ita Toletus lib. 5. c. 36. Corduba in ſumma q. 235. Pet. Nauarra ſup. n. 432. Mald. ſup. dub. 24. & alij. Ratio eſt, quia contra iuramentum in ſua admiſſione præſtitum faciũt, vt dicit Pet. Nauarra. 108

Tenetur autem mutuatario de vſuris, ſi in vſurarij gratiam, ita vſuram palliauerit, ſub forma alteriuscontractus, vt per eiuſmodi inſtrumentum in iudicio fœnus obtinendum ſit; eamque vexationem redimens, aut per Iudicem coactus mutuatarius ſoluerit vſuras. Ita Pet. Nauarra n. 433. Toletus ſup. Salas dub. 44. n. 7. Silueſt. ſup. q. 7. vbi etiam addit Notarium teneri, etſi nudè ſine pallio rem, vti geſta eſt, ſuo inſtrumento teſtetur, modò ſciat, quòd Iudex ex corruptela, quæ in eiuſmodi tribunali ſeruatur, ſtabit iſti inſtrumento, & illius vigore coget mutuatarium ad vſurarum ſolutionem. Atque ita quoque tenet Silueſter, Pet. Nauarra & Salas ſup. & alij plures: contra Medinam ſupra qui exiſtimat (vt refert Petrus Nauarra) iniuriam, quæ mutuatario infertur, adſcribendam eſſe Iudici, eiuſque malitiæ, non autem inſtrumento: quod videtur natum magis iuuare partes mutuatarij, cùm declaret vſuram interueniſſe, vt ſatis conſtet non poſſe ad eam ſoluen-

ſoluendam quempiam cogi. Verùm opponit rectè P. Nauarra, quòd ſufficiẽs omninò ſit Notarij huius cooperatio: nam qui ſimiliter præſciret, ex inſtrumento ſuo ſecuturum homicidium, fieret irregularis, homicidio ſubſecuto: nam licet imputetur Iudici, non inde excuſatur Tabellio, qui ſciebat iniuſtum debitum in vim inſtrumenti exorquendum. Vide eum loco citato. Magis forſitan poſſet excuſari aliquando Notarius, quòd non ſoleat facere inſtrumentum, niſi rogante vtrâque parte. Quod ſi factum fuerit, poterit videri non fuiſſe mutuatario iniurioſus, quia ſcienti & volenti non fit iniuria, vt notat Salas. Meritò tamen debebit attendere, an principaliter adhibeatur ab vſurario, quia tum poterit mutuatarius cenſeri inuitus cõſenſiſſe in inſtrumentum conficiendum; ſicuti in ſolutionem vſurarum.

109 DICO Quartò: Principes, Iudices, & Magiſtratus, qui ſtatuto, vel ſententia compellunt ſoluere vſuras, vel impediunt, vt ſolutæ non repetantur, peccant mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem, nec tantùm illi, ſed etiam omnes Officiati, qui in tali negotio ſubſeruiunt Iudicibus aut Magiſtratui. Silueſt. V. Vſura 7. quæſt. 10. Nauarrus cap. 17. n. 275. Soto, Salon. Banneſ. Arrag. Pet. Nauarra ſup. n. 421. Salas n. 6. & alij communiter.

Probatur ex Clementina vnica De vſuris, vbi excommunicantur omnes illi, qui ſtatuta facere, ſcribere, vel dictare audent, continentia, quatenus vſuræ ſolui debeant, vel ne ſolutæ repetantur. Ratio itaq; eſt, quia tales cenſentur vſuris cooperari.

Secus eſt de illis, qui tantùm vſurarios permittunt in Republica propter indigentium neceſſitates, quibus aliter prouideri non poteſt; & ſimul ad maiora incommoda, quæ alioquin ſequerentur, vitanda. Hi enim non cenſentur vſurarum cauſa: quia in tali caſu non tenentur impedire, imò aliquando ne quidem licitum eis eſſet impedire. Debent tamen cauere, ne ipſimet maiores pecuniæ ſummas à fœneratoribus extorqueant, quaſi pro licentia fœneris exercendi, vnde contingat, quòd fœneratores vſuras augeant, & pauperes magis exhauriant, vt quibuſdam in locis ſatis exorbitanter fieri ſolet. Quo caſu ad minus tenebuntur in tantum, in quantum mutuatarij illâ occaſione amplius fuerint grauati.

110 Addit tamen Mald. quia Magiſtratus ſupremus non tantùm poteſt ob cauſas dictas permittere vſurarios aliquos, ſed etiam in ſe ſuſcipere coërtionem & punitionem iſtorum, qui forſitan ipſis in perſonis ſuis, aut rebus eſſent iniurij, hinc poſſe ab vſurarijs accipere ſumptus neceſſarios pro eiuſmodi tutela conſtituenda & adhibenda.

Petet aliquis, Vtrùm vrgere aut compellere mutuatarios, vt ſoluant vſuras permiſſas à Magiſtratu, vel impedire, ne ſolutæ per actionem repetantur, ſit ita malum, & contra ius naturæ, vt nullo caſu, nec authoritate Pontificis, vel mediante eius diſpenſatione, licitè fieri poſſit?

Reſpondetur, eſſe contra ius naturæ, compellere mutuatarios ad ſoluendas vſuras, tamquam verè debitas bono iure, aut impedire eos ab actione repetendi, quaſi debito titulo fuiſſent ſolutæ. Ratio eſt, quia oppoſitum ſupponeret, vſuras iure naturæ non eſſe vetitas; & ad illud reſpicit Cap. Poſt miſerabilem De vſuris, vbi præcipitur, vt compellantur Iudæi remittere Chriſtianis vſuras. Et idem eſt, quod DD. reprehendunt in Iuſtiniano, de quo latè Conradus quæſt. 22. & 23.

Quòd ſi verò aliquibus in locis iudicetur valde neceſſarium, propter multorum graues indigentias, vnde maiora mala timeantur, permittere vſuras; & vſurarij, qui fœnus exercere parati ſunt, non velint tamen mutuare, niſi permittatur ipſis actio contra mutuatarios, qui negarent ſoluere vſuras permiſſas, ac niſi his negetur actio ad repetendas ſolutas, vnde Magiſtratus quaſi neceſſitetur ad faciendam eiuſmodi promiſſionem vſurarijs, vt poſſit ſuccurrere neceſſitatibus ſubditorum, & auertere grauiora pericula à communitate: non foret contra ius naturæ, ſi magiſtratus, iuxta ſua promiſſa, tunc concederet vſurarijs actionem, & vrgeret mutuatarios ad ſolutionem, & non concederet eis actionẽ repetendi. Quamuis interim vſurarijs talia promittere & actionem concedere, & ſic compellere mutuatarios, videatur forè contra ius Canonicum propter Clementinam ſuprà citatam. Colligitur ex Nauarro lib. 5. Conſiliorum tit. De Iudæis & Sarracenis Conſ. 3. n. 7. & 8. & docet Malderus ſuprà. Quod autem non ſit contra Ius naturę, probatur: quia Pontifex, vt teſtatur Nauarrus Conſ. 33. De vſuris, cogit Chriſtianos in ſtatu Eccleſiaſtico Romæ, Anconæ, & Auenione ad ſoluendum Iudæis vſuras promiſſas; ergò ex rationabilibus cauſis concedere actionem vſurarijs ad exigendas vſuras promiſſas, ſiue de quibus conuentum eſt, & ad illas ſoluendas compellere, non debet cenſeri eſſe contra Ius naturæ: neque enim dicendum, quod ibi in illo facto erret, & peccet contra Ius naturæ. Quare neque Princeps ſæcularis ſic faciendo peccabit contra Ius naturæ: quamuis vt id licitè faciat, verius ſit, quod debeat accedere Pontificis diſpenſatio propter ius Canonicum, vt ſentit Silueſter V. Vſura 9. qu. 22. Malderus ſuprà, & alij. Ratio reddi poteſt: quia pro bono publico, quando neceſſitas requirit, poteſt quilibet priuatus cogi ad ſubeundum aliquod particulare incommo-

Digitized by Google

commodum, aut ad cedendum ſiue non requirendum potius ius ſuum.

112 DICO Quintò: Tenetur etiam de vſuris, qui fœneratori ad fœnus exercendum locauerit domum, aut, ſi vſuræ exercendæ ignarus locauerit, non amouet, vt de iure poteſt, quando nouerit ibi vſuras exerceri: &, ſi extraneus fuit fœnerator, locans ei domum, excommunicatur per Cap. 1. De vſuris in 6. ſi ſit Clericus minor, ſiue inferior Epiſcopo, ſi autem maior, vt Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus ille ſuſpenditur; ſi laicus ad arbitrium ordinarij punitur. Tenet Concluſionem Nauarrus cap. 17. n. 195. Malderus ſuprà: & probari poteſt: quia non videretur fundamentum infligẽdi tales pœnas, niſi locans iudicaretur cooperari iniquitati vſurariæ. Quod colligi poteſt ex Cap. Finali, De iniurijs. Et ratio eſt, quia videtur dare cauſam damni non minus quàm ſi inſtrumentum ſuppeditaret ad committendũ furtum. Item ex Capit. 1. De officio delegati, vbi conſentientes pari pœnâ cum agentibus puniuntur.

DVBIVM XXIV.

Quæ pœnæ conſtitutæ ſint vſurarijs?

113 RESPONDEO: In vſurarios manifeſtos variæ ſunt conſtitutæ pœnæ, tum iure Ciuili, tum Canonico. Dicuntur autem manifeſti, qui facto, vel iure notoriè ſunt tales. Facto quidem cenſentur manifeſti tales, qui menſam fœnebrem omnibus paratam habent, vt notat Syluest. V. Vſura 9. qu. 4. vel certè quicũq; ita palàm exercent, vt nulla tergiuerſatione negare poſſint. Ita Mald. dub. 25. Iure autem dicuntur manifeſti, qui Iudicis ſententiâ de hoc crimine ſunt condemnati: vel qui de ſe ipſis, legitimo iuris ordine hoc crimen coram Iudice ſunt confeſſi, Cap. Veſtra De cohab. Cleric. & mulier. Cap. vlt. De accuſ. Cap. Quia in omnibus, de vſuris; vel non tamen illi de quibus hoc per teſtes eſt probatum, aut aliter de eo ſunt conuicti, quãdiu à Iudice per ſententiã non ſunt damnati, nec ipſi confeſſi, vt docet Couar. lib. 3. Variar. c. 3. n. 4. cum Hoſtienſi.

114 Petes: Quid ſi confeſſi ſint coram Parocho & teſtibus?

Reſpondetur, Non ideò adhuc de iure eſſe manifeſtos; quamuis habendi eſſent, vt ipſo facto manifeſtati, ſi publicè id fecerint taliter vt in plurium notitiam deuenerit, vt habet Couarr. ſuprà num. 4. cum Gloſſ. in Cap. Quamquàm De vſuris in 6. Cenſentur tamen manifeſti de Iure, ſi confeſſi ſint corã teſtibus, & Epiſcopo, vt notat Mald. ſup. du. 25. ex Gloſſ. ad Cap. Quamquàm de vſuris in 6. & Ratio eſt, quia hæc confeſſio eſt quaſi iudicialis, & coram Iudice facta: Epiſcopus enim eſt talis criminis, quoque Iudex.

Prima itaq; pœna vſurarij manifeſti eſt Infamia iuris. Habetur l. Improbũ fœnus 20. C. 115 Ex quibus cauſis irrogetur infamia: & Cap. inter Dilectos de exceſſib. Prælator. Huius autẽ pœnæ plures ſunt effectus: vt ſi hæreditas ei teſtamẽto relicta ſit, poteſt ei auferri à fratre teſtatoris præterito, vt patet ex l. Fratres 27. Cod. De inofficioſo teſtam. Item ſi Clericus ſit, eſt incapax beneficij vtpote irregularis; item non poteſt eſſe teſtis. Incurritur autem hæc pœna infamiæ ab vſurarijs manifeſtis, etiamſi exerceant duntaxat vſuras de iure Ciuili permiſſas, vt docent Molina diſp. 334. Couarr. ſup. nu. 2. Salas dub. 47. & alij; quia pœna illa eſt ſtatuta exercentibus vſuras prohibitas: omnes autem etiam iſtæ ſunt ſimpliciter prohibitæ per Canones. De illis verò qui pœnituerint, ita ſcribit Baldus l. Caſus ad finem D. De ſolution. Quod ſi vſuarij pœniteant, & vſuras reſtituant, de æquitate Canonica, famam recuperant, quem Felinus, Salas loco citato, Bonac. ſuprà, Filliuccius tract. 34. p. 2. c. 8. q. 6. & alij apud Salas ſequuntur.

Secunda eſt, Quòd admittendi non ſint ad Sacramentum Pœnitentiæ, donec ſatisfecerint reipsâ ſecundùm facultates ſuas, vel idoneam cautionem dederint, puta pignoratitiam aut fideiuſſoriam; idque vel creditoribus ipſis, ſi ſint præſentes, vel Ordinario loci, aut eius Vicarico, vel Parocho, coram teſtibus fide dignis. Conſtat ex Cap. Quamquàm de vſuris in 6. ſub finem, §. Nullus. Quod ſi talem cautionem præſtare non poſſint, debent iurare, ſe non poſſe, & ſe facturos, quicquid poterunt, vt reſtitutio fiat, Bonacina De contract. diſp. 3. q. 4. puncto vlt. n. 1. Nauarr. cap. 17. num. 279. & alij. Si autem periculum mortis nõ patiatur forſitan moram, tunc facta promiſſione pro viribus reſtituendi, ſtatim abſoluendi erunt, & obtentâ ab eo facultate (inquiunt DD. iam citati) admonendus eſt Epiſcopus de promiſſione facta, vt ſi conualuerit, compellatur ad reſtitutionem, aut ſi moriatur, compellantur hæredes Cap. Tua de vſuris.

Tertia pœna eſt, Quòd repellendi ſint à Cõmunione altaris. Patet ex Cap. cit. Quia in omnibus, De vſuris: Rectè tamen nonnulli obſeruant verbis Cap. non ſignificari, quòd ſint excludẽdi ab officio diuino, tamquam excommunicati, ſed ad perceptionem Sacramenti Euchariſtiæ nõ ſint admittendi: hæc enim ſolet vocari Communio altaris.

Quarta, Quòd non ſint admittendi ad oblationes faciendas. Conſtat ex cit. iam Cap. & qui ipſorum oblationes acceperit, ipſo facto eſt ſuſpenſus ab officio, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit: & oblationem cogitur reddere.

Quinta,

Digitized by Google

Quinta, quòd priuetur Eccleſiaſticâ ſepultura, vt etiam habetur Cap. cit. Quia in omnibus: Imò qui eos ſcienter ſepelire præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus; non abſoluendus, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit, Clement. 1. De Sepult. vbi ſub nomine ſepelientis non intelligitur is ſolus, qui corpus in terram dimittit, vt vult Caiet. V. Excomm. c. 46. ſed inprimis debet intelligi Parochus; quod ex Cap. Quia in omnibus poteſt colligi, vbi dicitur, Qui Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ: quod principaliter cōuenit Parochis. Accedit quod Parochus ſoleat primum manipulum terræ proijcere ſupra corpus defuncti, & ſic tegere, quod propriè ſpectat ad actum ſepeliendi, quem alij miniſtri deinde complent.

Sexta, Quòd ipſorum teſtamenta ſint irrita, niſi prius ſatisfecerint vel cautionem legitimam dederint. Patet ex Cap. Numquam De vſuris in 6.

His additur ſeptima, Quòd non liceat locare vſurarijs externis domos, ſub pœnis Dubio præcedenti mentionatis.

DVBIVM XXV.

Vtrùm licitum ſit accipere mutuum ſub vſuris?

116 RESPONDEO & DICO Primò: Nunquam licet inducere aliquem, vt mutuet ad vſuram: licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & vſuras exercet, accipere mutuum ſub vſuris ob aliquod bonum, vt ad ſubuentionem propriæ neceſſitatis, vel alterius. Ita D. Thomas hîc quæſt. 78. art. 4. Ibidem Bann. dub. 1. Arrag. Caiet. Nauarr. c. 17. n. 262. Sylueſt. V. Vſura 7. q. 1. & alij communiter.

Rationem prioris partis reddit D. Th. quia numquam licet aliquem inducere ad peccandū. Rationem verò poſterioris, quia licet vti alterius peccato ad aliquod bonum, vt docet D. Aug. Enchiridij c. 11. atqui hoc dumtaxat agit, qui ad bonū aliquod, accipit mutuò ſub vſuris, ab illo qui paratus erat & ſolet ſub vſuris mutuum dare: non enim inducit illum ad peccatum, ſed tantum ad mutuandum, quod præſtare poteſt ſine peccato, ſi videlicet vſuram non exigat. Et ideo licet mutuatarius ſciat ipſum id non facturum ſine peccato, ſed admiſcendo peccatū, tamen permiſſiuè tantùm cenſetur ille ſe habere ad peccatum, & eo ad bonum ſuum, vel proximi vti

117 Hinc itaq; non ſatis prudenter loquuntur, qui ſub huiuſmodi forma petunt, Da mihi mutuū ad Vſuras, ſiue ſub vſuris: Imò docet expreſsè Bonacina ſup. puncto 13. n. 1. non licere mutuatario petere ab vſurario mutuū ſub vſuris, etiamſi ille paratus erat dare ſub vſuris, & pro hac opinione citat Arrag. q. 78. art. 4. Turrian. diſp. 63. dub. 1. Azorium Tom. 3. lib. 10. c. 23. & alios. Et ratio reddi poteſt, quia ex vi ſermonis cenſebuntur inducere alterum ad peccatum, dum petunt vt mutuet ſub vſuris, quia ſine peccato nō poteſt ſic mutuare. Quare accipiēdo iſta verba in ſua proprietate & rigore ſignificationis, veram puto doctrinam Bonacinæ, (quāuis ipſe multos citet, qui aliter ſentiant, vt Banneſ. Molin. Salon. locis antea allegatis) atque ita conſequenter, quod mutuatarij vt rectè & ſine periculo peccati agāt, debeant ſimpliciter petere mutuum, vel petere pecunias ſub tali aut tali pignore: ſi rogentur an velint vſuras ſoluere, poterunt indicare quod ſint parati ad illas ſoluendas: & hinc benè dixit D. Thomas quod licitum ſit accipere aliquando mutuum ſub vſuris, non dixit autem, quod ſit licitum petere ſub vſuris. Qui tamen aliâ formâ vterentur, præſertim apud illos, quos conſtat dare ſolitos ſub vſuris nec aliter, videntur excuſari poſſe tanquam qui per ignorantiam vtantur incōgruo dumtaxat modo loquendi, quatenus non cenſeantur eiuſmodi ſermone aliud velle, quàm indicare ſe paratos ad ſoluendum vſuras, quas alter ſolet exigere: neque per iſtum ſermonem aliter immutant aut afficiunt animū talis mutuantis, quàm ſi peterent mutuum ſimpliciter, quia propter ſuam praxim, eodem ſenſu intelligit vtrumque.

DICO Secundò: Non tantùm propter 118
extremā, aut grauem neceſſitatem, ſed etiam propter aliquam communem, ſiue propriam ſiue proximi, licet mutuum accipere ſub vſuris, adeoq; etiam pro conſeruatione decentis ſtatus. Ita Molina diſp. 335. Filliuc. tra. 34. n. 149. Sanchez in ſumma lib. 3. c. n. 27. Bonac. ſup. & alij complures DD. Sequitur ſatis ex concluſione præcedenti: quia qui ex huiuſmodi cauſa mutuum accipit, non inducit ad peccatum, ſed permiſſiuè ad illud ſe habet: quamuis enim nouerit alterum peccaturum, tamen habet iuſtam cauſam petendi ab eo mutuum, quod præſtare poteſt ſine peccato, ſi velit. Vnde quòd peccet, quando dat, & accipio ſub vſuris, ipſius malitiæ adſcribendum venit, non petenti ſimpliciter mutuum ex iuſta cauſa, quamuis ſciat alterum exacturum vſuras; ſcandalum eſt enim acceptum ex parte vſurarij, non datum ex parte mutuatarij.

DICO Tertiò: Idem licet ad mercatu- 119
ram ſuam exercendam, quatenus refertur ad finem honeſtum: v. g. vt inde iuxta ſuum ſtatum, ſe ſuamque familiam intertineat. Ita Dom. Soto lib. 6. q. 1. art. 5. & DD. antè citati, & alij plures. Addunt etiam nonnulli, ad ſtatum mediocriter augendū, vel ad notabile lucrum faciendum. Ita Molina ſup. & cum eo Salas.

Ratio

Digitized by Google

Ratio ſatis ex dictis intelligi poterit. Reprehendit autem ibidem Soto illos, qui contra conditionem ſuam volunt exercere mercaturam, ad quam nec nati nec educati ſunt, & eo nomine ſub vſuris accipiunt magnum mutuum. Vnde fieri ſolet, quòd breui tempore preſſi ære alieno, cedant foro, & creditores ſuos plurimũ defraudent. In quo tales etiam contra iuſtitiam peccant. Et fortaſſis fuit talis mercator ille Florentinus, cui D. Thomas refertur reſpondiſſe, licitum non eſſe pro negotiatione ſub vſura accipere mutuum, vt Soto narrat loco citato.

120 Dico Quartò: Abſque omni rationabili cauſa, non eſt licitum accipere mutuum ſub vſuris, & multò minùs, vt in vſus illicitos, v.g. in commeſſationes indebitas, aut libidines inſumatur. Ita Doctores omnes.

Ratio reddi poteſt: quia qui ſic mutuum accipit ſub vſuris, videtur interpretatiuè quodammodò conſentire, & velle peccatũ ita mutuantis, quia abſque rationabili cauſâ petit, vnde futurum videt, quòd alter peccabit: & quamuis ſit paratus animo ad hoc peccatum quouis tempore committendum, tamen reſpectus, & reuerentiâ diuinæ majeſtatis, cui per peccatum ſumma iniuria irrogatur, merito nos mouere debent, ne vel occaſionem alteri demus peccandi, quando nulla neceſſitas, aut rationabilis cauſa nos vrget, atque adeò vt præcaueamus ex parte noſtra, ne volũtas illa habitualis praua exeat in actum.

121 Sed multùm inter Doctores controuertitur, Vtrùm ille, qui ſine iuſta cauſa mutuũ accipit ſub vſuris, vt v.g. ad vana & inutilia, peccet mortaliter, an venialiter tantùm?

Hic in primis apud omnes indubitatum eſt, ſi mutui acceptio referatur ad finem, qui ſit peccatum mortale, quod ipſa contrahat tunc malitiam mortalem: ſed hæc non eſt cenſenda diſtincta, ſiue alia à malitia voluntatis, quâ vult talem finem. Tota præſens itaque difficultas eſt de malitia, quam contrahit ex eo præcisè, quòd ſine neceſſitate aut iuſta aliqua ratione, ſit aliquo modo occaſio peccati ipſius vſurarij. Quidam ſimpliciter docent, hanc malitiam eſſe tantùm venialem, vt Caiet. hîc qu.78. art.4. Tolet. lib.5.c.37. Salas dub.48.n.7. ad quos videtur etiam accedere Mald. Sed talem peccare mortaliter docent à Valentia tom.3. diſp.5. q.21.pu.4. Rebell.lib.8.q.16.ſect.6. Bonac. ſup.pun.13.n.3. Sa V. Vſura n.5.& alij quos Bonac. citat: & rationem reddit, quam modò indicauimus, quia ſine cauſa & ratione offert alteri occaſionẽ, & quaſi excitat (quia oblata occaſio lucri quamuis iniqui, eſt quaſi illecebra reſpectu talis) vt mala voluntas proximi, quæ erat habitualis aut virtualis tantum, fiat actualis, & exeat in peccatum externum: quod quiſque etiam tenetur, quando commodè poteſt, impedire: & hæc ſententia videtur probabilior, & à pluribus teneri: quamuis interim talis mutuans non peccet tam grauiter, quàm vſurarius ipſe. Si tamen ille tam modicũ mutuum peteret, aut pro tam modico tempore, quod vſurarius propter paruitatem iniuſti lucri quod inde capit, non peccet mortaliter, tum quoque ipſe petens & accipiens mutuum non peccaret mortaliter, quia non eſſet cauſa vel occaſio ſcandali mortalis. Cæterùm vniuerſim dehortandi ſunt omnes, etiam qui aliqualem iuſtam poſſunt habere rationem, ab illa petitione mutui: quamuis enim hi non peccent, tamen de vulnere (tum de ſuo ſcilicet temporali, tum de alterius ſpirituali) remedium quærunt, vt docet D. Ambroſ. lib. De Tobia cap.7.

CAPVT SEPTIMVM,

De Montibus-pietatis, & Contractibus ſocietatis & aſſecurationis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſub nomine Montis-pietatis ſignificetur?

1 RESPOND. Montes-pietatis ſecundum primam eorum inſtitutionem non ſunt aliud, quam notabilis aliqua quantitas pecuniarũ, frumenti, aut ſimilis rei, donata ſiue relicta à viris bonis, intuitu pietatis, vt inde pauperibus & indigentibus ſine vſuris, quibus aliàs exhauriuntur, ſubminiſtretur mutuum ſub certis quibuſdam conditionibus. Ita ferè Salas De vſuris dub.33. Bonacina De contractib. diſp.3.q.3.pun.12.n.1. Mald. Tract.5.c.3. dub.17.& alij DD. Hoc inſtitutum ab annis 180. aut circiter, potiſſimùm cœpit frequentari in Italia. Conditiones autem obſeruandæ erant ferè huiuſmodi:

Prima, Quòd inde daretur mutuum pauperibus incolis talis loci, non diuitibus, aut externis: 2

Secunda, Quòd in certa tantùm quantitate daretur mutuum illud, puta ſimul non

vltra valorem trium aureorum, & per annum diuiſim non vltra quantitatem decem aureorum.

Tertia, Quòd tantùm ad determinatum tempus, mutuum concederetur, vt ad annum, aut paulò amplius.

Quarta, Quòd mutuatarij darent pignus; eò quòd alioquin facilè contingeret Montes illos exhauriri, multis nimirum petentibus inde mutuum, poſtea nòn reſtituentibus.

Quinta, Quòd ſingulis menſibus mutuatarij aliquid exigui ſoluant pro ſtipendijs miniſtrorum, qui Montis curam habent, & parati ſemper eſſe debent ad mutuum porrigendum ſiue ad mutuandum, ac pignora recipienda, reddenda, & ad ſimilia ſeruitia.

Sexta, Quòd ſi debito tempore mutuum non reſtituerint, pignora vendantur, & quod vltra mutuum & exiguum illud, quod pro miniſtrorum ſeruitijs ſoluendum erat, exceſſerit, hoc ipſis mutuatarijs reſtituatur. Ita hac de re ſcribunt Medina De vſuris q. 10. & Nauarrus Tract. De vſura n. 59. & alij nonnulli.

3 Ad Imitationem autem prędictorũ Montiũ-pietatis, de poſt inuentę & inſtitutę ſunt diuerſis in locis rationes quædã ſubueniendi indigentibus per mutuum, iſtis Montibus affines: idque pietatis intuitu, tum pro miſerorum ſolatio ne grauiſſimis vſuris ſic opprimerentur, tum ad peccatũ vſuræ quod Deo grauiter diſplicet, à Repub. excludendum.

Quandoquidem ergò pleriſque in locis non erant homines eius pietatis & liberalitatis, qui gratuito donarent, ſeu gratis & charitatiuè conferrent tantas pecuniæ ſummas, quantæ ſunt neceſſariæ, vt in Repub. queat paſſim indigentibus inde mutuum præſtari, hinc Principes, aut Magiſtratus adinuenerunt & iudicarunt vtile & commodum futurum ſuis ſubditis, quod pecuniæ in magna quantitate leuarentur à varijs ſub annuo cenſu ſoluendo ad modum annui reditus, & certæ domus conquirerentur, & adaptarentur, in ordine ad mutuum erogandum, ad pignora recipienda & cuſtodienda cæteraque peragendá, quę neceſſaria ſunt. Item quod miniſtri idonei aſſumerentur qui omnium iſtorum curam gererent, & iſta executioni mandarent, ſicuti in primis Montibus fit. Verùm quia vt eiuſmodi Montes ſubſiſtant, neque mox conſumantur, opus fuit quòd mutuatarij ex illis mutuũ petentes, non tantum ſoluerent aliquid pro impenſis miniſtrorũ, ſed etiam luerent annuũ cenſum quo Montes tales ex ſua erectione ſunt grauati, tum videlicet ad pecunias conflandas, tum ad domos comparandas. Quarè oportuit, vt pro centum in annum ſoluerent aut tredecim, aut quattuordecim vel etiam quindecim. Cuius generis Montes iam per Belgiũ pluribus in ciuitatibus ſunt inſtituti.

Sunt prætereà & alij quidam Montes, 4
quos Bonac. loco citato vocat mixtos, qui conſtant partim pecunijs charitatiuè & ex pietate collatis ad ſubueniendum indigentibus per mutuum, modis & conditionibus dictis, partim ex pecunijs quas particulares conferunt, & ex centum accipiunt annuè quattuor aut quinque, vt Monte aucto, pluribus ſuccurratur, quando maior concurrit indigentium multitudo. Quare Montes illi qui nomine Montium-pietatis communiter compellantur, ſunt triplicis quaſi generis: primum eorum, quorum maſſa tota eſt liberaliter & ſine onere à pijs hominibus collata. Secundum iſtorum, quorum maſſa tota aut pro longe maxima parte eſt conflata per leuationem pecuniarum ſub annuis cenſibus. Tertium eorum, quorum maſſa pro magna parte eſt donata liberaliter, & aliqua parte ſuppeditata ſiue ſub reditu, ſiue ſub ſpe recipiendi aliquam recognitionem annuam, vt infrà parum latiùs explicabimus.

DVBIVM II.

Vtrùm Montes pietatis primi generis, eorumque vſus ſint immunes à labe vſurarum, atque liciti ſint?

Silueſter V. Vſura 5. quæſt. 4. De eo dubitabat, & Sedem Apoſtolicam dicit conſulendam. Caiet. tomo 2. Opuſc. 6. planè Inſtitutum hoc damnat tamquam vſurarium. Similiter & Soto lib. 6. qu. 1. art. 6. Arrag. quæſt. 78. art. 4. non longè à fine. 5

Verùm cōtra hos Reſpondetur: Omninò tenendum eſt, Montes-pietatis primi generis & eorum exercitium, cum conditionibus ſuprà explicatis, non inuoluere crimen vſuræ aut iniuſtitiæ, ſed licitos eſſe & honeſtos. Ita Nauar. Tract. De vſur. n. 59. Tolet. lib. 5. c. 38. n. 5. Medina De vſuris q. 10. Salas ſup. n. 3. Molina diſp. 325. Luſius Turrian. diſp. 61. dub. 12. Banneſ. qu. 78. art. 4. ad finem Azor. tom. 3. lib. 5. cap. 8. & lib. 10. cap. 22. & paſſim Recentiores.

Probatur, quia in primis fuerunt Montes illi approbati per plures Pontifices, ſcilicet per Paulum II. Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. vt refertur in Bulla Leonis Decimi: Et cum aduerſarij qui Montes impugnabant, & vſuræ conabantur redarguere, nondum acquieſcerent, obtendentes potiſſimùm, quòd in ſuis definitionibus Pontifices adiecissent ſe approbare, quatenus ſacris Canonibus non aduerſarentur, quibus illi contendebant Montes hos 6

tes hos aduerſari: tandem in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. clariùs & ſimpliciter approbati fuerunt, non ſolùm tamquam ab vſuræ labe immunes, & vt liciti, ſed etiam vt pietatis & miſericordiæ exercitia. Ad quos imposterum erigendos cum conditionibus recenſitis, Pontifex fideles quoque exhortatur concedendo indulgentias ijs, qui manus adiutrices ad eiuſmodi Montium erectionem porrexerint. Verba Bullæ ſunt: Nos ſupra hoc (ſcilicet ſuper controuerſijs inter DD. hinc inde agitatis circa iuſtitiam vel iniquitatem Montium) prout eſt nobis ex alto conceſſum, oportunè prouidere volentes; alterius quidem partis iuſtitiæ zelum, ne vorago aperiretur vſurarum; alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus ſubueniretur; vtriuſque verò partis ſtudium commendantes, cùm hæc ad pacem & tranquillitatem totius Reipublicæ Chriſtianæ ſpectare videantur: ſacro approbante Concilio, declaramus & definimus: Montes-pietatis antedictos, per Reſpublicas inſtitutos, & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis & indemnitate, aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum, ad illorum conſeruationem (vt præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat vltra ſortem abſque lucro eorundem Montium, recipitur, neque ſpeciem mali præ ſe ferre, nec peccandi incentiuum præſtare, neque vllo pacto improbari, quinimò meritorium eſſe, ac laudari ac probari debere tale mutuum: & minimè vſurarium putari, licereque illorum pietatem & miſericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs, à ſancta Sede Apoſtolica, eam ob cauſam conceſſis: ac deinceps alios etiam ſimiles Montes cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe. Et paulo infrà: Omnes autem Religioſos, & Eccleſiaſticas ac ſeculares perſonas, qui contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam, de cætero prædicare ſeu diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obſtante, incurrere volumus.

7 Porrò Dominicus Soto, qui poſt prædictum Concil. Lateranenſe contra Montes ſcripſit, ne argueretur impingere in Bullam & declarationem Pontificis & Concilij allegatam, pro ſuæ ſententiæ defenſione perſiſtit & inhæret adhuc aliorum, qui ante Concilium ſcripſerant, reſponſioni, quòd ſcilicet cuncta capitula Montium-pietatis non fuerint per Concilium & Pontificem ſimpliciter approbata, ſed tantùm quatenus ſacris Canonibus non ſunt contraria, ſicuti alij reſpondebant ad confirmationes & approbationes factas per præcedentes Pontifices. Hoc autem Dom. Soto ex diuerſis coniecturis & rationibus conatur oſtendere; vt in primis, quòd Caiet. prædicto Concilio interfuerit, vt ipſemet refert 2. 2. quæſt. 1. artic. 10. & tamen, non obſtante huiuſmodi declaratione, integrum opuſculum contra Montes-pietatis conſcripſerit: quod indicift videtur eſſe, Montes illos non fuiſſe ſimpliciter & per omnia approbatos.

Secundò, quia huiuſmodi quæſtiones morales, & naturalis rationis, quæ ex Scripturis decidi proximè aut remotè non poſſunt, qualis eſt hæc de Montibus-pietatis, an iuſti, an iniqui ſint, non ſunt materia, vt apparet deciſionis Pontificiæ.

Tertiò, quia non omnia, quæ in Concilio illo definita aut determinata ſunt, recepta fuerint.

Sed in primis, ſatis clarum eſt ex tota Bulla, quòd Montes, de quibus verſabatur quæſtio, fuerint ſimpliciter approbati ſine eiuſmodi limitatione, quam Soto illi affingit, quandoquidem nec minima eius reperiatur mentio in omnibus verbis totius Conſtitutionis. Imò cum tali limitatione nihil ſeruiuiſſet ad terminandas controuerſias motas, quæ ſe in illa tanquam prius adiecta fundabant. 8

Quare ad primam Coniecturam eius Reſpondetur, Caietanum multo tempore antè dictum Concilium, opuſculum illud, quod Soto allegat, cōſcripſiſſe, anno ſcilicet 1498. cum Concilium hoc Decretalem ſuam ediderit ad 1515. vnde ab eo argumentum ſumi non poteſt.

Ad ſecundam verò dicendum eſt, quòd ſine dubio Pontifex etiam illas quæſtiones & veritates moralis Philoſophiæ poſſit explicare & definire, ex quibus pendet, vtrùm fideles ſic vel ſic agendo mortaliter peccent, an non: nam ex mortali peccato contra legem naturalem, pendet quoque ſalus & finis ſupernaturalis, ad quem ex munere ſuo Pontifex habet fideles omnes dirigere, & viam rectam demonſtrare. Inſuper ex communi ſententia conſtat, non poſſe errare Pontificem in decretis morum, quæ Eccleſiam vniuerſalem concernunt: inter quæ meritò numeranda eſt prædicta Montium approbatio. 9

Ad tertiam Reſpondetur, quòd, vt declaratio aut definitio veritatis rata ſit, & ab omnibus tenenda ac ſequenda, non egeat receptione apud populum, vt cōſtat ex dictis ſuprà de authoritate Pontificis & Eccleſiæ. 10

Probatur Concluſio Secundò ex Conc. Tridentino, quod Seſſ. 22. cap. 8. 9. & 11. enumerans loca pia, quæ ab Epiſcopo debent viſitari, poſuit etiam hos montes. Supponit ergò Concil. eos eſſe iuſtos & pios. Idem confirmari poteſt ex vſu Eccleſiæ, & multorum particularium Montium-pietatis confirma-

confirmatione de poſt per Sedem Apoſtolicam factâ, vt notat Mald. ſup. dub. 17.

11 Probatur denique ratione: quia id quod pauperes, ſiue mutuatarij hîc ſoluunt, non dant ratione mutuationis vel ratione vſus pecuniæ, ſed tantùm, vt Mons ſeruetur integer, & illi, quorum eſt Mons (quos dicimus eſſe ipſam communitatem pauperum, quibus pecuniæ illæ ad certum & determinatum vſum ſunt relictæ vel donatæ) ſeruentur indemnes, dum mutuum præſtatur: nemo enim cum ſuo damno tenetur præſtare mutuum, neque æquitas id poſtulat (niſi neceſſitas alterius requireret vt de ſuo quis illi donet) ſed quiſque mutuans contra illud ſe poteſt munire etiam per expreſſum pactum, vt conſtat ex dictis cap. præced. dub. 10. ergò &c.

12 Veruntamen vt pleniùs hæc intelligantur, aduertendum eſt, quòd, vt pecuniæ illæ, quæ pauperum ſeu indigentium communitati relictæ vel donatæ ſunt ad hunc vſum, vt ſcilicet ſinguli in ſuis neceſſitatibus poſſint inde habere mutuum abſque vſura, adminiſtrentur, & ex illis mutuum erogetur ſingulis petentibus, tempori & loco, habeaturque ratio, vt poſt certum tempus iterum ſecurè refundantur, opus eſſe multis impenſis propter diuerſa quæ requiruntur ad eiuſmodi erogationem faciendam. Nam in primis debent eſſe aliqui, qui pecuniam illam nomine communitatis habeant ſub ſua cura & cuſtodia, & ex illa mutuum porrigant ijs, qui petunt, quique poſtmodum iterum ab eis mutuum recipiant, qui datum & acceptum in libris rationum annotent. Rurſum, quia pro ſecuritate mutui omninò eſt neceſſariũ, quòd mutuatarij exhibeant pignora, hinc opus quoq; eſt miniſtris, qui ea accipiant, regiſtrent, reponant, & eorum curam gerant, ne perdantur aut corrumpantur. Inde etiam opus eſt vlteriùs conductione domus, vbi iſta aſſeruentur, & alia omnia peragantur: niſi forſitan Monti fuerit domus ſimul donata aut relicta. Item debet interteneri domus. Præterea opus eſt libris rationum, & alijs ſimilibus. Miniſtri autem illi & Officiati non ſunt obligati ſeruire, & officia illa gratis ſubire, atque operam ſine ſtipendio impendere: dignus enim eſt operarius mercede ſuâ, & nemo ſuis tenetur militare ſtipendijs, iuxta Apoſtolum. Si enim qui altari deſeruit, de altari viuit, meritò etiam qui ſic pauperibus deſeruiunt, ex ſuo ſeruitio & opera viuunt, quamuis opus valde laudabile & meritorium foret gratis ſeruitium illud præſtare. Conſtat igitur multis opus eſſe ſumptibus, vt Montes debitè adminiſtrentur. His præmiſſis

Declaratur amplius, illud quod pauperes ſoluunt, quando mutuum ex Monte accipiunt, nõ dari ratione mutuationis, vel vſus pecuniæ, ſed tantùm pro indemnitate Montis, ne damnum aut grauamen ratione præſtiti mutui patiatur, atque adeò ne totus communitati pauperum pereat: quia ſolùm ſoluunt, quantum requiritur ad ferendas prædictas expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad Montis adminiſtrationem, in ipſorum pauperum fauorem & commodum, abſque omni omninò ipſorum Montium lucro vel incremento inde proueniente, vt in conditionibus ſupponitur, & in Bulla Pontificis clarè exprimitur.

Quòd autem huiuſmodi neceſſarias expenſas meritò liceat exigere ab eis, quibus ex Monte præſtatur mutuum, Confirmatur: quia expenſæ illæ fiunt in gratiam & commodum eorum, qui mutuum ex Monte accipiunt aut accepturi ſunt, quò hac ratione ab vſurarum voragine ſe poſſint liberare; ergò æquum & iuſtum eſt, vt, qui hac gratia & commodo frui voluerint, etiam pro parte ſua ſecundùm certam proportionem ad illas expenſas contribuant; atque adeò dum mutuum petunt, ad contribuendum obligari poſſint, iuxta regulam Iuris in 6. qui ſentit onus debet ſentire commodum, & è contrà, qui commodum ſentit, debet etiam ferre onus. Quo fundamento & Pontifex in Bulla approbationis vtitur. 13

Sed cum Caietano opponit Dom. Soto, Primò: Ille, cuius intereſt capitalem illam ſummam pecuniæ ſeruari integram & ſaluam, & ea adhiberi, quæ ad eius conſeruationem ſunt neceſſaria, debet ipſe ſuo onere ſuſtentare miniſtros, & alios ſumptus facere, ad eius aſſecurationem neceſſarios, non autem alij, quorum non intereſt: atqui non intereſt mutuatariorum, ſed mutuantis, aut eius, ad quem ſpectat dominium; ergò ad huius onus ſpectat intertinere miniſtros, qui præſtent & faciant ea, quæ ad Montium ſecuritatem & conſeruationem ſpectant. 14

Confirmatur: quia mutuator, ſi pignus requirat & accipiat, hoc non facit in gratiam aut commodum mutuatarij, ſed in commodum proprium, vt tutam ſibi reddat pecuniæ mutuatæ reſtitutionem; ergò quòd idem pignus cuſtodiatur, eius quoque intereſt, non mutuatarij, qui mallet ipſe retinere.

Reſpondetur Primò, Verum quidem eſſe, mutuantis, & eius, ad quem pertinent pecuniæ mutuò datę, intereſſe, vt ipſi ſecurę & ſaluæ permaneant, & non pereant, vtque ex ijs nihil perdat; ideoque etiam illi incumbere onus & expenſas, quæ ſimpliciter per ſe requiruntur ad earum tutam cuſtodiam, in quantum apud illum ſeruantur, aut ad eius vtilitatẽ exponuntur: ſed quoad ſumptus & expenſas, quæ facienda ſunt pro earum ſecu- 15

rum ſecu-

rum ſecuritate, quaſi per accidens, quatenus ſcilicet dominus rogatus eas exponit in fauorem & commoditatem aliorum, vnde periculum naſcitur, & ad quod præcauendum, opus eſt expenſis aliquibus: ſanè nulla ratio aut æquitas poſtulat, quòd ipſe dominus huiuſmodi ſumptus & grauamina ferre cogatur. Quamuis enim ipſius interſit, habere ſecuritatem recipiendi ſeu pecunias mutuo datas, non tamen ideo in illum ſumptus ad hoc neceſſarij deriuari debent, ſed potiùs in illos, in quorum commodum ipſe pecunias exponit; ex occaſione cuius expoſitionis oritur, quòd ſumptus hi ſint faciendi, vt domino de pecunijs recipiendis tutum & cautum ſit. Quandoquidem enim beneficium mutuandi cedat in vtilitatem eorum, qui mutuum accipiunt: mutuator autem habeat meritò ſe indemnem ſeruare, omninò rationis eſt, quòd iſtorum ſumptibus id facere poſſit.

16 Sed contra Reſponſionem hanc, tamquam fallacem, replicat Soto: quòd, qui ita argumentantur, non ſatis attendant, beneficium mutui debere gratis conferri; & ideo qui mutuat, obligari in ſe onera recipere, quæ ſunt mutuationi annexa, puta ſeruare pignus & reddere; aliàs, inquit, non mutuat. Verùm non obſtante eo, quòd beneficiũ mutui debeat gratis impendi, nihilominus ibidem ipſe Soto admittit, & docet, mutuator ſuam credere pecuniam recuſet, antequam mutuatarius publico ſe obliget inſtrumento, illud debere expenſis eiuſdem mutuatarij à tabellione confici. Rurſum admittit, quòd, ſi mutuator obligauerit ſe ad mutuandum petentibus, poſſe ratione illius obligationis aliquid accipi vltra ſortem. Et eo quidem titulo videtur admittere Montes poſſe aliquid exiguum accipere à mutuatarijs. Quid ni ergò, etiam illo non obſtante, quod Soto allegat, poterunt ſumptus faciendi in pignoribus recipiendis & aſſeruandis imponi mutuatarijs? ſicuti ſecundùm eius doctrinam ſumptus, qui neceſſarij ſunt in confectione inſtrumenti publici: quandoquidem ſicut hic mutuator nihil niſi fidem petit, vt loquitur Soto, quam dicit mutuatarium debere ſuo diſpendio exhibere, ita etiam ille nihil niſi ſecuritatem ſortis quærat: quam ſanè pari omninò ratione æquum eſt, vt mutuatarius ſuo onere & ſumptu teneatur exhibere. Item, quare eo non obſtante, quòd beneficium mutui debeat gratis conferri, non licebit aliquid accipere pro miniſtris, qui ſe obligarunt ad numerandum & porrigendum mutuum ex Monte, & ad referendum ad libros rationum, quemadmodum licet pro obligatione mutuandi? Imò in eo fallitur Soto, quòd exiſtimet Montes-pietatis, de quibus nunc agimus, poſſe aliquid accipere pro obligatione, quam habent ad mutuum dandum: ſicut & in eo, quòd vltimo loco reſpondet ad Bullam Leonis Pontificis, quod ſcilicet in Bulla, Pontifex tantùm admittat & approbet penſionem, quæ pro illa obligatione mutuandi ſoluitur vltra ſortem, quodque illam velit cedere in miniſtrorum ſuſtentationem.

Declaratur vtrumque: quia ex quo Montes illi à pijs hominibus ex charitate liberaliter ſunt inſtituti & donati ad determinatum hunc effectum & vſum, vt inde porrigatur mutuum pauperibus indigentibus; profectò pro obligatione mutuandi, quæ hîc ſubeſt, nihil poſſunt adminiſtratores exigere, quia obligatio iſta ſimul cum donatione & inſtitutione Montis creata eſt. Vnde & conſequenter verum non eſt, Pontificem ſolo hoc titulo admittere & approbare, quòd aliquid vltra ſortem reddatur, cùm titulus hic non ſubſiſtat: Vnde neque Pontifex vſquam in Bulla meminit huius, quòd aliquid ſoluatur pro obligatione mutuandi, ſed meminit impenſarum, quæ neceſſariò fiunt in miniſtros Montis, & in res alias pertinentes ad Montium adminiſtrationem & conſeruationem, eorumque indemnitatem. Deinde 17

Reſpondetur Secundò, In præſenti caſu etiam intereſſe mutuatariorum, quòd capitalis pecuniæ ſumma Montium non diminuatur, ſed integra ſeruetur, ſi non omninò primariò, ſaltem ſecundariò: quia illa ſumma quamuis non ſit ſingulorum indigentium, eſt tamen communitatis indigentium mutuo, & eo nomine relicta, vt ſingulis in neceſſitate inde per modum mutui ſubueniatur. Intereſt autem ſingulorum, vt bona communitatis, quæ ad tam fauorabilem vſum & commoditatem ſingulorũ ſunt deſtinata, conſeruentur in ſua plenitudine, ne pauco tempore & à paucis conſumptâ, reliqui & poſteri priuentur eiuſmodi commoditate. Quare ipſi meritò deberent mutuo cõſenſu & pacto in hoc conuenire, quando paulatim tota maſſa abſumeretur propter impenſas faciendas, quòd potiùs ſinguli aliquid conferrent ad eiuſmodi expenſas, vt Montis conſumptio impediatur: & quòd ipſi per ſe commodè facere forſitan non poſſunt, hoc iuſtâ ratione, ſuperiores Eccleſiæ & Reipublicæ, quibus pauperum cura incumbit, nomine & ad opus ipſorum facere potuerunt. 18

Obijcitur Secundò: Iniquum eſt tam multum ſolui pro cuſtodia pignoris nõ oneroſi, quod ſcilicet non eſt ita obnoxium corruptioni, nec eget excuſſione aut expoſitione ad aërem, vel ſimili operâ, quàm pro cuſtodia pignoris oneroſi, quod ſimilibus operis indiget pro ſui conſeruatione: atqui

Montes ſine reſpectu ad pignorum conditionem accipiunt æquè multum ab illis, qui parem quantitatem pecuniæ mutuò accipiunt, qualiacumque pignora exhibeant; ergò ibi reperitur inæqualitas & committitur iniuſtitia.

Reſpondetur ad Maiorem, per ſe loquendo & abſtrahendo à particularibus circumſtantijs, verũ eſſe, quòd in illo facto reperiatur quędam inęqualitas, quæque etiam per ſe loquendo eſſet vitanda: ſed tamen poſſe occurrere & concurrere circumſtantias, ob quas illa inæqualitas, accedente Superiorum authoritate, ſine vitio poſſit tolerari; vt puta, quia ob multitudinem & diſparitatem pignorum, quantum ad requiſitam eorum cuſtodiam & curam, ſit moraliter impoſſibile, conſtituere diuerſum exactũ & æquale pretium, pro diuerſitate ſingulorum. Vnde Superiores, quibus hac in parte pauperes ſubſunt, potuerunt conſtituerẽ vnam aliquam determinatam regulam & rationem contribuendi, quam omnes debeant ſequi, &, ſi quid inæqualitatis interueniat, hoc ipſi mutuatarij cenſeantur ſibi inuicem indulgere: quod eò etiam rationabilius potuerunt ſuperiores ordinare. Primò, quia pignora, quæ indigent minori operâ miniſtrorum contra corruptionem, ſæpè requirunt maiorem ſollicitudinem & curam, ne vel perdantur vel à furibus ſurripiantur. Deinde, quia contingit eos, qui vno tempore exhibent pignus minùs oneroſum, exhibere alio tempore pignus magis oneroſum, & è contrà. Quare pro communi & publica commoditate potuerunt meritò ſuperiores ſic vnam aliquam contribuendi rationem inſtituere.

Ita quoque vſurarium aut iniuſtum non eſt, vt prætendit Caietanus, tanto plus exigi (quod in Montibus frequentatur) quo mutuum in longius tempus, retentum fuerit: quia quemadmodum nihil ſoluitur ratione vſus pecuniæ mutuò datæ, ita nec aliquid plus ſoluitur, ratione vſus diuturnioris: ſed ſoluit plus, qui diutiùs vtitur, quia operæ miniſtrorum diutiùs impenduntur cuſtodiendis pignoribus; ad quorum intertentionem ampliùs proinde contribuere meritò debet: &, ſi quid inæqualitatis adhuc remaneat, hoc etiam ex cauſis iam allegatis, poteſt ſuperior poteſtas efficere, quod pauperes mutuo conſenſu id cenſeantur ſibi donare, vel illa nomine ipſorũ donet gerens vtiliter negotium iſtius communitatis.

Obijcit Soto Tertiò: Si quis diues pau-
20 peribus pecuniam ſuam mutuaret, acceptis pignoribus, & ſeruatis reliquis Montis-pietatis legibus, non idcircò eſſet immunis ab vſura, accipiens aliquid vltra ſortem; ergò neque Mons ab vſura immunis eſt.

Reſpondetur: Poteſt quilibet etiam priuatâ authoritate ſtipulari ſuam in mutuo, quod concedit, indemnitaté, argumento l. 2. §. vlt. D. De eo quod certo loco dari oportet: & proinde ſi quis priuatim mutuando patiatur aliquod grauamen ex ſumptibus faciendis cauſâ mutuationis, poteſt illas à mutuatario ſine vſuræ vitio recipere.

Nullus tamen priuatâ authoritate poteſt inſtituere officinam mutuationis ad inſtar & ſub legibus Montis-pietatis. Primò, quia Reip. intereſt huiuſmodi negotiorũ cognitionem ad ſe ſumere, & aduertere ac cauere, ne ſub prætextu pietatis, lateat vorago vſurarum. Secundò, quia res ſcandalo non careret: putaretur enim priuatus vſuras exercere, dum ſibi per mutuatarios, indemnitatem præſtari curaret, quando id publico teſtimonio non eſſet probatũ: in conſcientia tamen non incurreret crimen vſuræ, nec iniuſtitiã committeret, ſi à quouis nihil acciperet vltra ſortẽ, niſi præcisè impenſas, quas ratione illius mutuationis cogitur facere. Vnde deberet hic quidẽ ponere aliquã differentiã inter eos, qui offerrẽt pignora magis oneroſa, & minùs oneroſa: vt enim illa inęqualitas ſinę vitio ſit, videtur debere publica authoritas interuenire, vt ex dictis poteſt intelligi.

DVBIVM III.

Vtrùm Montes-pietatis ſecundi generis, quales nunc plures ſunt in Belgio, ſint immunes ab vſura & iniuſtitiæ labe?

SEreniſſimi Principes Belgij, ALBERTVS & 21
ISABELLA pro ſuo zelo iuſtitiæ, & odio iniquitatis, ac ſimul pro pio affectu ergà indigentes, multũ ſolliciti, vt ſubditos ſuos, alios quidem ab iniuſtitia retraherent, ne proximos vſuris opprimerent, alios autem ab vſurarum voragine, ne iniquè exhaurirentur, liberarent, impensè animos adiecerunt ad inueniendam quamcumque iuſtam & licitam rationem erigendi & inſtituendi in prouincijs ſuis Montes aliquos, quos vocans Pietatis, vbi & illi, qui mutuum dant aut erogant, poſſint eſſe ſine crimine, & qui accipiunt, vſuris non grauarentur.

Quandoquidem verò ingens pecuniæ vis neceſſaria erat ad eiuſmodi Mõtes erigẽdos, ac cum omnibus ſuis requiſitis inſtruendos: qualis nec ad manum erat liberaliter donata, imò nec ſpes affulgebat, eiuſmodi ex fideliũ pia & liberali donatione aut contributione poſſe haberi aut conflari, re priùs cõmunicatâ cum multis Belgij Prælatis, per eoſdẽque examinatâ & approbatâ, ordinarunt prædicti Principes tantam pecuniæ ſummã ſub annuo cenſu eſſe leuandam, quanta poſ-

ſed ſuſ-

Digitized by Google

ſet ſufficere, tum ad comparanda neceſſaria ad Montis inſtructionem & adminiſtrationem, tum ad coaceruandum pecuniarum cumulum, ex quo indigentibus poſſet mutuum erogari; cuius annui cenſus canones, Mons annuè ad ratam nummi decimi ſexti, aut circiter, prout cenſus conſtitutus foret, ſolueret; & ab ijs, qui ex Monte mutuum peterent, recuperaret.

22 Quare huius ſuæ ordinationis executionem, ab initio commiſerunt cuidam viro prudenti, fido, & induſtrio, eidemque publicam fecerunt poteſtatem leuandi & accipiendi à quibuſlibet, pecunias ad annuum cenſum ſuper ipſo Monte erigendo aut erecto, eiuſque bonis mobilibus & immobilibus, præſentibus & futuris, ac ſic conflandi pecuniarum maſſam ſeu aceruum, ex quo pauperibus, & alijs quibuſlibet indigentibus, mutuū erogaretur, accepto à mutuatarijs pignore, eoſque obligando ad contribuendum, pro rata mutui, quod accipiunt, & temporis quo vtentur, ad Montis ſic conſtituti ſeruandā indemnitatē, proinde ad contribuendum pro ſumptibus, quos, accedentibus & interuenientibus directione, iudicio & conſenſu Protectorū, ac conſiliariorū ſibi à Principe deſignatorum, cenſuerit ad ſtatum & dictam indemnitatem ac conſeruationem ipſius Montis neceſſarios: factâ inſuper eidē poteſtate eleemoſynas piorum in ſubleuamen mutuatariorum pro Monte acceptandi: Eâ tamen ſemper ſubintellectâ cautelâ, ne vmquam ſupra ſortem & indemnitatē, poſſit quid Monti, eiuſque miniſtris accedere ex cōtributione mutuatariorum, quam vltra ſortem perſoluunt. Conſtant dicta ex Inſtructione datâ primo Superintendenti, per Principes, die 17. Martij ad 1618.

23 Poſtquam verò hic Commiſſarius iuxta authoritatem & ordinationem ſibi à Sereniſſimis Principibus factam, vno in oppido domum comparaſſet, eamque ad requiſitos vſus Montium adaptari feciſſet, aliosque ſumptus ad conſtitutionem & commoditates neceſſarios impendiſſet, ſimul quoque pecuniæ aceruum in mutuum erogandum petētibus collegiſſet, & omnia quidē hæc ex pecunijs ad reditū annuū leuatis & acceptis, procuraſſet; actitatum fuit de determinando onere, ad quod mutuatarij, qui ex Monte mutuum acciperent, forent obligandi.

Hoc itaque punctum curarunt ijdem Sereniſſimi Principes maturè examinari per Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Theologos, atque Eccleſiaſticos, vt habetur articulo vltimo in Regulamento ſeu Inſtructione mentionata, quam generalis Superintendens Montiū ex præſcripto Principū ſequi debet: & habitâ eorum reſolutione, ſimul cum reſolutione ſuorū Conciliorū, attentis oneribus prædictis, & alijs annuè faciendis, tū in Officiatos & miniſtros, tum in res alias, pro Montis adminiſtratione neceſſarias, permiſerunt & authoritatem dederunt prædicto Commiſſario ac generali Superintendenti, ſe regulandi & agendi conformiter ad hanc reſolutionem, quæ habet, poſſe capi dictum intereſſe pro initio ad quindecim pro centum per annum, quod tamen oneribus diminutis deberet etiam minui iuxta iudicium Protectorū Montis.

Porrò contra hoc Montium genus ſeu inſtitutum, variæ & graues ſeſe offerūt & mouētur difficultates à diuerſis, ob quas videri poſſint nō tantùm non mereri nomen Montium-pietatis, quin potius vſurariæ impietatis & iniquitatis, vt aduerſarij ipſorum obtendunt.

Proponitur prima Difficultas occurrens contra Montes ſecundi generis; quales ſunt in Belgio.

Prima & grauis difficultas contra huiuſmodi Montes naſcitur ex ipſa origine ſiue 24
erectione, prout in Belgio erecti ſunt, quatenus ſcilicet pecuniæ, ex quibus conſtituuntur Montes, leuantur & accipiuntur ad cenſum annuum ſuper ipſo Monte erigendo aut erecto, eiuſque bonis mobilibus & immobilibus, præſentibus & futuris. In hoc enim fraus & deceptio non videntur deeſſe: nam eiuſmodi reditus ſunt tantùm tituli ſine re, vt apparet, & ſuis tantùm nominibus videntur imponere ijs, qui pecunias ſic ad reditum contulerint. Mons enim erigendus, aut erectus non eſt aliud, quàm ipſe aceruus pecuniarum ad reditum acceptarū: Eam autem pecuniā, quæ ad reditū capitur, nemo hypothecā dixerit ipſius reditus, ſub quâ reſpectiuè pecunia datur & accipitur: quia tunc pecuniâ hâc vlterius in aliorum dominium translatâ, tranſiret in eoſdem obligatio paſſiua ipſius reditus, non ſecus quàm cum dominio fundi, reditu grauati, tranſit onus ipſius reditus ad eos, in quorum dominium fundus deuenerit: quod conſtat nullam habere rationem, nec à quoquā ſic apprehendi. Quæ autem deinde ad hypothecæ complementum adiunguntur, ſcilicet Montis bona mobilia, & immobilia, hæc nulla exſtare videntur, quæ ſaltē plus valeant, quàm grauata ſint. Sed neque poteſt Mons iſta acquirere: quandoquidem prima Montium, vt ab vſura vindicentur, lex eſſe debeat, quòd nihil omninò lucrari poſſint; ſed tantummodò ſe ſeruare indemnes. Si quis autem dixerit, ex liberali piorū donatione & gratioſis eleemoſynis poſſe bona Montis augeri, replicabitur, quod ſaltem ab initio, neque etiam hactenus videantur fuiſſe oblationes tantæ, quæ vllatenus

Digitized by Google

poſſint hypothecæ inſufficientiam ſupplere: atque ita ipſa erectio non vindicatur à deceptione & fraude.

25 Neque rurſum dici poteſt (vti apparet) reditus hos perſonales eſſe; quia non videtur poſſe deſignari perſona, quæ ex vi huiuſmodi cōſtitutionis redituum, obligetur annuas eorum penſiones præſtare: neque enim Princeps ſuam perſonam aut bona dominicalia obligat, quod ſatis ex Inſtructione ſuprà mentionata conſtat, licet maxima præuilegia & exemptiones concedat: Officiales quoque non alio, quàm officij nomine obligantur: in quo non videtur quicquam eſſe, quod hypothecæ rationem ſubeat: nemo enim ab eis exigere ſolutionem poterit, quando officium relinquunt. Et

Confirmari amplius videtur hoc argumētum ex aliâ praxi obſeruari ſolitâ in erectione quorumdam per Italiam Montium, quam deſcribit hoc modò Azorius, Inſtitutionum Moral. p. 3. lib. 5. cap. 9. Circa ſecundum (inquit) praxis eſt: Iſta ciuitas vendit cenſum, quem conſtituit ſuper ſe & bonis ſuis, & propter bonum pauperum cogit ipſa ciues, vt emant ſinguli certas penſiones cenſus, vt ex eorum pecunijs fiat cumulus Montis: & lib. 10. cap. 22. §. 4. ita ſcribit: Hos item cenſus annuos conſtituit ciuitas, vel Mons in ſuis bonis, hoc eſt, in annuis ſuis redditibus, qui ſunt perpetui profectò. Si Itali exiſtimaſſent ipſum Montem, eiuſque iura, qui annuos prouentus perpetuos aut reditus non habebat, poſſe eſſe hypothecam redituum, ſub quibus capitale totum coaceruatur, non eſt veriſimile quod oneraſſent ciuitates & bona ciuitatum talibus reditibus.

26 Pro difficultatis huius elucidatione & ſolutione, inueſtigandum in primis eſt, in cuius dominium, pecuniæ ad reditum acceptæ ac domus, & res aliæ neceſſariæ ex illis comparatæ, tranſeant, & in cuius dominio ſit pecuniarum maſſa coaceruata, ex quâ petentibus mutuum erogatur: vt liceat videre, vtrùm hi, penes quos dominium reſidet, poſſint dici ſuſcipere aut ſuſcepiſſe perſonalem obligationem in dictorum redituum conſtitutione; & an habeant bona aut iura frugifera, ſuper quibus tanquam hypothecis realibus dici queant conſtituti & fundati eiuſmodi reditus.

Vbi hoc inprimis ſatis certum & explanatum habetur, dominium iſtarum pecuniarum non transferri in perſonam aliquam priuatam: quia ſatis conſtat nullum particularem vt talem, habere proprietariam diſpoſitionem aut ſibi illam arrogare circa eiuſmodi pecunias, vel circa res ex illis pecunijs comparatas.

Quare dicendum eſt, quod ſint in dominio perſonæ aut quaſi perſonæ publicæ, puta in dominio alicuius ex his tribus, ſcilicet vel Principis, vel Ciuitatis, aut certè Corporis ſiue communitatis, mutuo indigentium. Quòd autem dominium non ſit penes ciuitates, ſatis per ſe notum apparet, cùm Magiſtratus loci, hic in Belgio, nec Montes erigi curauerint, neq; bona ciuitatis obligauerint, nec eos gubernēt, neq; adminiſtratores conſtituant, nec rerum, quæ ad Montem ſpectant, habeant diſpoſitionem vllam: ſed hæc omnia fiant per Principem, & ordine ſuo per eos quos vocant, protectores Montium, per Conſiliarios, & Superintendentes.

Quod tamen neque apud Principem, pe-
cuniarum & aliarum ad Montem ſpectan- 27
tium ſit dominium, inde poteſt cognoſci, quia inprimis ſi ita eſſet, iam poſſet Princeps pro ſuo arbitratu, omnia illa vſibus mutuandi ſubſtrahere, & ad proprios vſus applicare; quod neque Princeps, nec alij apprehendunt fieri poſſe. Imò hoc ipſo, quo non totaliter omnia illa neceſſitate ſeruarentur, ad vſus mutuo indigentiū, ſed dicerentur etiā particularibus vſibus Principis pro eius voluntate tanquam res ipſius poſſe applicari & ſeruire teneretur Princeps, ſaltē pro parte, de ſumptibus neceſſarijs qui fiunt ad pecuniarum tutam cuſtodiam & conſeruationem. Deinde ſatis idem ſignificatur in Inſtructione per Principem datâ Generali Superintendenti Montium, vbi facit illi poteſtatem leuandi pecunias ad reditum; ſed ita, vt reditus vendantur, recognoſcantur & conſtituantur ſub nomine ipſius Superintendentis generalis, & ſimul ſub nomine Superintendentis particularis eius Montis; obligando omnia & qualiacumque bona mobilia & immobilia, præſentia & futura illius Montis, ad cuius vſum Capitales nummi talium redituum erunt leuati & applicati, vt habetur articulo 13. Inſtructionis datæ Superintendenti Generali. Non autem permittit Princeps, quòd ſub nomine ſuo vendantur vel recognoſcantur reditus, aut quòd bona ipſius obligentur emptoribus redituum, vel teneatur ipſe ad quodcumque intereſſe ratione Montium, vt conſtat ex artic. 18. dictæ Inſtr. Quare nullus apparet titulus, aut fundamentum ſufficiens, vnde dici debeant vel poſſint bona Montis eſſe in particulari dominio Principis.

Sed neque in dominio ſunt generalis Superintendentis, quamuis ipſe pecunias leuet & accipiat, ac reditus vēdat & recognoſcat, quia hæc omnia facit, non in qualitate perſonæ propriæ, ſed in qualitate miniſtri, & quaſi nomine procuratorio.

Reſtat itaq; à ſufficienti diuiſione (vti ap- 27
paret) omnino dicendum, quòd Mons, & omnia, quæ Montis ſunt, ſint in dominio Corporis ſeu communitatis pauperum, ſeu potius mutuo indigentium (quos in hac quæſtione prò iiſdem ſemper accipimus) in cuius

Digitized by Google

cuius dominium tranſlata ſunt, mediante contractu venditionis & emptionis: quem Princeps, tamquam ex officio Principatus, generalis & ſupremus indigentium curator exiſtens fecit per commiſſarios ad hoc deputatos, nomine & ad opus dictę cõmunitatis.

Quod declarari poteſt à ſimili: quia pecuniæ & res aliæ ex pia & liberali donatione conceſſæ aut relictæ ad Montes erigendos, ſunt ſub dominio communitatis pauperum, vt indicat & præſupponere omninò videtur Dom. Soto loco ſup. cit. & docet Toletus lib. 5. cap. 38. & 39. cum Azorio ſup. & alijs communiter, & nos quoque ſupra dub. 2. Quod etiam aſſerit idem Azorius de Montibus Italicis conſtitutis ex pecunijs, quæ ad reditum ſunt acceptæ, quamuis ipſæ ciuitates ſe obligauerint & bona ſua conſtituerint hypothecam pro cenſu recognito: Quare id multò magis hîc locum habere, tenendum eſt, quia quemadmodum ibi liberaliter ſunt donata, vt inde pauperibus ſubueniretur per dationem mutui, ita hic ſunt pecuniæ ſub onere leuatæ, vt ſimiliter inde ſubueniatur mutuo indigentibus per conceſſionem mutui: quare ſicut illa ex pietate donata ad talem vſum transferuntur per donationem in dominium communitatis pauperum, ita hæc per contractum venditionis redituum nomine & ad opus communitatis indigentium mutuo, in huius dominium tranſeunt, & valdè rationabiliter dicuntur conſtitui ſub dominio illius corporis, in cuius membrorum gratiam & commoditatem ſunt leuata & accepta.

Reſponſio ad primam difficultatem propoſitam.

29 His poſitis & explicatis ad difficultatem motam, Reſpondetur, negando fraudem & deceptionem hîc in pecuniarum leuatione redituumq; conſtitutione committi, adeoq; negando reditus illos eſſe merè titulos ſine re, & in äere tantũ fundatos, vt quidã opponunt. Quando enim cõſtitui dicuntur ſuper Monte erigẽdo aut erecto &c. rectè intelliguntur cõſtitui & fundari tum ſuper ipſa cõmunitate indigentium mutuo, in cuius dominiũ pecuniæ transferuntur: ratione cuius cõſtitutionis competit emptoribus redituũ, actio ad omnia bona mobilia, quę ſunt illius communitatis vt ſic: nec tantũ ſuper illa, ſed etiam conſtituitur ſuper eius bonis immobilibus, vt domibus Monti donatis, vt quibuſdam in locis factum fuit, vel emptis, ſiue ex pecunia gratis collata, ſiue ad reditum accepta; vnde reditus illi ſunt quaſi mixti, partim perſonales, partim reales. Et quamuis hæc bona immobilia per ſe ſola, nullo modo eſſent hypotheca ſufficiens pro tot reditibus, quot Mons grauatur, tamen illa ſimul cum ipſa communitate & bonis mobilibus, quæ perpetuò manent in eius dominio, vel ſimpliciter ſecundùm ſe, vel in pignoribus, quæ exſtant pro pecunijs obligata, ac ſimul cum iure, quod communitati competit, ſcilicet ab eis, qui mutuum petunt exigendi tantum vltra ſortem, quantum ferunt annuæ penſiones, adeoque ab iiſdem recuperandi omnes impenſas & onera, quæ in Montis adminiſtratione occurrunt & fiunt, pro commoditate ſingulorum mutuo indigentium, conſtituunt hypothecã iuſtam & ſufficientẽ.

Nam inprimis communitas illa habet capitale omnium redituum recognitorum ſemper integrum, ſaltem in valore, partim ſcilicet in ſpecie, partim in ſupellectile, partim in pignoribus, partim in ædificijs (nihil enim de capitalibus conſumitur aut minuitur) quæ omnia, creditores ſeu emptores redituum poſſent excutere. Deinde habet alia nonnulla, quæ ex charitate donata ſunt, vt domũ quibuſdam in locis, ſicut diximus: atque ita emptores habent hypothecam, aut ſaltem bona ſibi obnoxia, ſimul cum prędictã communitate, æquiualentia nummis, quibus reditus omnes empti fuerunt; atque adeò etiam excedentia.

Mediante autem iure illo, quod communitas illa habet tum naturaliter, tum per 30
conceſſionem & approbationem Superiorum, quo, vt ſe indemnem ſeruet, poteſt iuſtè exigere tantum à petentibus mutuum, in quantum conflando pecuniarum aceruum, & alia neceſſaria comparando, purè & merè in gratiam & vtilitatem ſingulorum mutuo indigentium, ſeſe grauauit, poteſt meritò ipſa cenſeri ſufficiens, quæ valeat creditoribus ſeu redituarijs annuas penſiones perſoluere: quia hac ratione ipſa eſt inſtar perſonæ frugiferæ, quatenus habet modũ illum moraliter certum accipiendi iuſto titulo iam explicato, tantum ab illis, in quorum fauorem & cõmoditatem ſe grauauit, quantum ipſa promiſit, aut ex contractu venditionis alijs debet annuè pendere.

Quod eo certius procedit, quòd authoritate Principum, menſæ ſiue officinæ fœnebres vſurariorum hac occaſione exterminentur. Quandoquidem enim experientiã conſtet, tam vrgentes eſſe multorum neceſſitates vt coacti fuerint etiam ſub vſura triginta duorũ in ſingula centena annuatim magnã pecuniæ ſummã accipere, moraliter certum eſt, multò plures ſub penſione quindecim aut 12. cum medio, maiores ſummas ex his Montibus mutuo accepturos, à quibus exigi poſſunt ea, quibus creditoribus Montis ſatisfiat de penſionibus redituum. Et quidem, ſi obſeruetur quod tanta pecunia ad ſubueniendum indigentibus non ſit neceſſaria, poterit pleriſque capitalis ſumma reſtitui; & ſic communitas ab onere ſoluendi penſiones liberabitur.

Inſtant

Digitized by Google

Inſtant aliqui, Quod non videatur creditoribus ſiue emptoribus redituũ eſſe prouiſum contra fortuitos caſus, qui poſſunt obuenire Monti, vt ſi per hoſtes diripiatur, aut incendio abſumatur.

31 Reſpondetur id peculiare non eſſe creditoribus Montium, ſiue ijs, qui reditus ſuper Monte habent conſtitutos, quòd non omni ex parte perpetuò eis cautum ſit, contra omnes fortuitos vel extraordinarios caſus; cùm hoc pleriſque alijs ſoleat eſſe cõmune, vt qui reditus emunt merè perſonales, aut etiam alios reales: nam & perſonæ poſſunt deficere, & fundi poſſunt quoque fieri infrugiferi, aut inundatione quaſi perire, & domus hypothecatæ collabeſcere, aut incendio conflagrari. Imò pericula illa perditionis ſortis & penſionis non tantùm illis, qui reditus emunt, ſed & qui villas, agros, aut prata emunt, obuenire poſſunt. Quare ex eo capite non poteſt hæc venditio redituum tamquam fraudulenta culpari, quando hypotheca morali modo ſufficiens eſt, & de eâ, qualis ſit, emptoribus conſtat.

His addo, quòd etiam contra prædictos caſus videatur eſſe prouiſum creditoribus per ius illud, quod diximus cõpetere Communitati, cui, ad reditum dantur pecuniæ; quo ſcilicet in omnibus iſtis, quæ agit & adminiſtrat ad commodum ſingulorum mutuo indigentium, poteſt ſe indemnem ſeruare. Et proinde in eiuſmodi caſibus poſſet à ſingulis mutuum petentibus, tantò ampliùs impoſterum vltra ſortem exigere, quo queat annuas penſiones, ad quas in gratiam ſingulorum ſeſe obligauit, perſoluere. Quemadmodum ſi quis priuatus pecunias acciperet ad reditum, & ſe ſuaque bona obligaret eo fine, vt pecunias illas alteri egenti ac petenti daret mutuò, poſſet hic ſtipulari de ſua indemnitate, ita vt, ſi contingeret pecunias illas perdi mittendo vel remittendo (pono quòd mutuatarius longiùs abſit) teneatur ille eas ſupplere, aut poſtmodum canones & penſiones pro intereſſe ſoluere, & ſic mutuantem ſeruare indemnem. Quod quidem in Montibus nunc faciliùs, & ſine magno eorum grauamine qui mutuum petunt, fieri poſſet; quandoquidem omnes Montium domus per Belgium ſint redactæ in vnius quaſi Montis corpus, ſub lege de eiuſmodi damnis communiter tolerandis, & ſupportandis.

32 Quæ autem de Italia allegantur, quòd ibi eiuſmodi modum hypothecandi reditus non vſurpauerint, poſſunt plures aliæ eius rei fuiſſe cauſæ: non quod putauerint modum hic obſeruatum eſſe illicitum, vt in primis, quòd non admittantur in Italia reditus perſonales, propter conſtitutiones Pontificum, quas in Belgio conſtat non eſſe publicatas & receptas: reditus autem ſuper Montibus pro potiori parte ſunt perſonales, vt ex dictis eſt colligere. Deinde, quia non deerant contradictiones contra Montes alios magis probatos: vnde potuerunt veriti fuiſſe, qui nouos exigebant, concitare maiores controuerſias & oblocutiones, ſi iuxta hanc formam Montium, quæ magis dubia eſſe poterat, inſtituiſſent.

Tertiò & principaliùs, exiſtimo ideo illos hunc modum hypothecandi reditus non vſurpaſſe, eò quòd apprehenderint ſe non facilè hac ratione poſſe pecunias conquirere, ad Montium erectionem neceſſarias; idque propterea, quia homines paſſim non intelligerent aut exiſtimarent per eiuſmodi hypothecandi rationem fore ſibi de ſorte, & annuis penſionibus ſatis prouiſum & cautum, cùm primâ fronte hypotheca videatur ſatis obſcura, neque multum ſolida, quamuis reuera, vt oſtendimus adſit hypotheca iuſta, & meritò ſufficiens cenſenda.

Hinc & in Belgio fuerunt ab initio multi tardiores & timidiores in eiuſmodi reditibus emendis: & aliquando actitatum fuiſſe dicitur, vt ciuitates ſeſe pro talibus reditibus obligarent; ad quod tamen illæ minùs fuerunt procliues, quia pecuniæ in illarum non transferuntur dominium, nec adminiſtrationem. Vnde & nonnulli viri magni, prouidi, & ſoliciti, non tantùm de ſua ſorte, quam ad reditum Monti conferebant; ſed & de toto ſucceſſu Montium, ac cautione omnium intereſſe habentium, vltra hypothecam Montis antè explicatam, voluerunt ſibi etiam domum propriam & bona ipſius generalis Superintendentis obligari, & in hypothecam conſignari, vt ſcilicet hac ratione ipſum generalem Superintendentem excitarent, & quaſi neceſſitarent ad omnem diligentiam, fidem, atque induſtriam ſuam impendendam ne per miniſtrorum negligentiam, fraudes vel perfidiam res Montis perirent aut diriperentur, vel quomodolibet Mons pateretur damnum vel intereſſe ab eis: deinde etiam, ne hi Montes in ſuis incunabilis opprimerentur à fœneratoribus, qui eos multis modis impugnabant, & extinguere conabantur. 33

Secunda difficultas cum ſuâ ſolutione.

Ex prædicto primo capite mouent quidam ſecundam difficultatem, contra emptionem, & ipſos emptores redituum ſuper Monte: dum enim non reperirent in hoc contractu venditorem aliquem, & perſonam in cuius dominium tranſirent pecuniæ quæ pro reditu numerabantur, dixerunt emptionem illam eſſe planè fictitiam: Neque enim Princeps, neque Ciuitates, neque Miniſtri Montium poterant dici hîc eſſe vendentes, in perſona ſaltem propria, cùm omnes 34

Digitized by Google

omnes fateantur pecunias illas non in ipſorum transferri dominium, vt iam ante oſtenſum eſt. Sed neque Mons dici poteſt vendere, aiunt, cùm ipſe non ſit ſuppoſitum capax faciendi contractus, aut capax acquirendi dominij, ſed potiùs ſit res ipſa, quę ſub alterius eſt dominio. Ex quibus omnibus inferunt dominium pecuniarum, quæ numerantur, remanere à parte rei penes illos, qui reditus dicebantur ſuper Monte emere, ac proinde ipſos eſſe dominos, qui in Monte dant mutuum, & conſequenter penſiones annuas, quæ ipſis ſoluuntur, eos accipere tantùm titulo mutui, quandoquidem alius titulus non videatur poſſe aſſignari, & proinde accipere illas vſurariè.

35 Verùm huic difficultati iam per antè dicta ſatisfactum eſt: quia oſtendimus, quænam in hoc contractu venditionis & emptionis redituum ſit perſona aut quaſi perſona vendens, quam iſti non deprehenderunt aut obſeruarant, & in cuius etiam dominium transferantur pecuniæ, ita vt reditum ementes deſinant, pecuniarum quas numerant habere dominium, etiam antequam ex Monte dentur alijs mutuo. Imo neque illas repetere poſſunt nõ magis quàm redituarij. Declarauimus enim, quod perſona illa ſit ipſa communitas mutuo indigentium, cuius Princeps ex officio curator eſt: qui in talibus negotijs & contractibus, ad illius bonum & vtilitatem ſpectantibus, gerit eiuſdem vices & perſonam. Quare verum non eſt, quòd illi, qui pecunias ad reditum conferunt Monti, ſint qui dant mutuum indigentibus, ſed communitas præfata eſt, quæ dat mutuum ſingulis indigentibus & petentibus.

36 Pro explicatione autem eius quod opponitur, quod Mons non poſſit eſſe vendens, aut acquirens dominium pecuniarum, quia non eſt ſuppoſitũ rationale, Obſeruandum eſt, nomine Montis poſſe intelligi tum res ipſas, quæ dicuntur eſſe ipſius Montis, tum etiam ipſam communitatẽ ſub cuius dominio res omnes illæ exſtant: quemadmodum nomine Communitatis intelliguntur aliquando res illæ quæ ſunt ipſius communitatis: Vnde quædam oppida, aut pagi, dicuntur habere magnas cõmunitates, ſiue magna & ampla loca communia, vbi ius habent, ſcilicet paſcendi aut lignandi: aliquando autem intelligitur ipſum corpus ſeu populus conſtituens communitatem. Quando itaque Mons dicitur vendere reditus, & acquirere pecuniarum dominium, tunc ſumitur pro ipſa Communitate indigentium, quæ cenſetur corpus rationale, ſicuti Reſpublica, quæ ius habet ſe gubernandi & dominia acquirendi per ſe, aut per ſuos ſuperiores vel curatores: Sicuti etiã Mons accipitur, quando dicuntur factæ aut fieri liberales donationes Monti, quę à Curatoribus Montis acceptantur: non enim manet dominium iſtarum rerum apud donatorem, ſed tranſit ad Communitatem pauperum, ſiue indigentium mutuo. Dum verò reditus dicuntur conſtitui ſuper Monte, tunc Montis nomine poteſt intelligi tum ipſa Communitas mutuo indigentium, tum res omnes ad illam vt ſic pertinentes, quia diximus reditus illos eſſe partim perſonales, partim reales conſtitutos tum ſuper ipſa communitate; tum ſuper bonis eius.

Tertia Difficultas.

Tertia difficultas mouetur ex bulla Leonis, cuius verba ſuprà dub. ſecundo ſunt recitata: quæ non aliud videtur permittere à mutuatarijs accipi vltra ſortem, quàm quod pro indemnitate Montium ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum, ad Montium conſeruationem pertinentium requiritur. Hinc enim aliqui inferunt, id, quod in his Montibus ſecundi generis accipitur ad ſoluendas annuas penſiones creditoribus, cenſendum eſſe illicitè atque vſurariè exigi ac recipi, vtpote quod neutro membrorum, quæ Pontifex exprimit & admittit, comprehenſum ſit. 37

Reſponſio ad tertiam Difficultatem.

Nonnulli exiſtimant & dicunt ea, quæ ad annuas penſiones ſoluendas exiguntur vltra ſortem, comprehendi ſub impenſis aliarum rerum ad Montium conſeruationem pertinentium; quia iſtarum ſolutio eſt neceſſaria, vt Montes ſubſiſtant, qui (vti ſupponitur) non potuerunt erigi, niſi pecuniâ ad tale onus ſub reditu conquiſitâ: quique proinde neque conſiſtere, neque conſeruari poſſunt, niſi illæ penſiones ſoluantur. Ita ferè Leſſ. q. 1. n. 7. in Appendice ad dub. 23. c. 20. lib. 2. Sed quamuis poſſint eo reduci, 38

Veriùs tamen omninò eſt, propriè loquendo has impenſas, quæ in ſolutionem redituum fiunt, neutro membro in prædicta Bulla directè comprehendi; quia Bulla tantùm agit de Montibus illis, de quibus tunc controuertebatur, quorum capitale totum ex piorum eleemoſynis ſiue liberalibus donationibus erat ſimul collatum ac conflatum. Vnde Pontifex exiſtimandus eſt in eâ tantum approbare exactionem & acceptionem impenſarum, quæ concernebant res neceſſarias iſtorum & ſimilium Montium: inter quas impenſas numerari non poſſunt ea, quæ hîc ſoluuntur pro annuis penſionibus redituum, quandoquidẽ huiuſmodi impenſæ ibi locum non haberent. Accedit, quòd parum appoſitè, imò admodum impropriè penſiones iſtæ, quæ ſoluendæ ſunt, numerarentur inter res Montium neceſſarias

ceſſarias ad eorum conſeruationem, quandoquidem nomine rerum ad Montium conſeruationem pertinentium, vnuſquiſque ſoleat apprehendat ea, quæ in Montis adminiſtratione tamquam inſtrumenta quædam (vt ipſa domus, ciſtæ, armaria, libri, & alia ſimilis ſupellex) requiruntur & ſubſeruiunt pro commoditate eorum, qui mutuum petunt. Eiuſmodi enim res ſunt neceſſariæ pro Montis adminiſtratione & conſeruatione: penſiones autem iſtæ ſunt tantùm quædam onera & grauamina Montis, quæ non tam dicendæ ſunt res pertinentes ad Montem aut eius conſeruationem, quàm ad eos, quibus debentur.

39 Aliter itaque Reſponderi poteſt, quòd tametſi Montes Pietatis, quorum ſumma capitalis ex piorum eleemoſynis eſt conflata, non poſſint pro ſua indemnitate exigere à mutuatarijs niſi ſolas impenſas miniſtrorum, & rerum ad eorum conſeruationem neceſſariarum, tamen Montes ſecundi generis, vt Belgici noſtri qui coaceruati ſunt ſub onere redituum, poſſint inſuper à mutuatarijs exigere & recipere annuas penſiones, quibus communitas ſe onerauit in fauorem & commoditatem ſingulorum, qui mutuo indigerent. Nam ex eodem principio, in quo ſe fundant DD. quorum in Bulla fit mentio, aſſerentes vltra ſortem aliquid poſſe capi pro impenſis miniſtrorum &c. vt ſeruetur Mons indemnis, quia videlicet regula Iuris habet, quòd qui commodum ſentit, etiam onus ſentire debeat, poteſt iuſtificari illud, quod vltra ſortem à mutuatarijs ſingulis accipitur ad ſoluendas penſiones annuas, quibus in illorum gratiam, communitas eſt grauata: quia ſcilicet & hic locum habet, quòd qui commodum ſentit, debeat meritò ſentire & ferrè onus. Quare cum Pontifex iſtorum Doctorum ſententiam propoſitam approbet, vt in illo principio fundatam, non ſolùm non reprobare, ſed conſecutiuè & implicitè dicendus eſt etiam probare id, quod in his Montibus vltra ſortem & impenſas miniſtrorũ, accipitur à mutuatarijs ad ſoluendas iſtas penſiones: quandoquidem enim ſinguli ſentiant commodum ex pecunijs cum illo onere coaceruatis in ipſorum fauorem & vtilitatem, meritò debent quoque proportionabiliter ſuſtinere onus illud.

40 Hinc complures DD. expreſsè approbãt tamquam licitum, quòd authoritate publicâ accipiantur pecuniæ ſub annuo cenſu, vt ſcilicet qui eas conferunt, recipiant quattuor, aut quinque, aut ſex quotannis, prout iuſti reditus conſtitui ſolent: & deinde adminiſtratores inde dent mutuum indigentibus, eâ conditione, vt tantum præter ſortem reddant, quantum eſt neceſſarium, vt ſatisfiat his qui pecuniæ ſummas in Montem ſub reditu contulerunt, & ſimul pro miniſtris, & alijs impenſis neceſſarijs.

Azorius Tom. 3. lib. 5. c. 22. §. Quartò quæritur, ita de hac difficultate ſcribit: De hac re magna fuit olim altercatio &c. Sed poſteà communi conſenſu recepta eſt ſententia aſſerentium id eſſe licitum, quandocumque ij qui in Montem pietatis conferunt ita dant, vt amplius repetere non poſſint, quamuis liberum ſit Montium adminiſtratoribus, eas pecuniarũ ſummas reddere &c. Et reuera (inquit) ita dicendum videtur, quia nulla vſura committitur &c. non ab his qui Montis bona adminiſtrãt, addit: quia tametſi exigant à mutuarijs aliquid ſupra ſortem, id tamen non exigunt ratione mutui, ſed damni quod Mons ipſe patitur: nam Mons ſeſe obligat ad ſoluendum annuum cenſum &c. Plura eodem ſpectantia deinceps ſubiungit. Similia etiam habet eodem lib. c. 9. §. Secundo quæritur. vbi plures quoque citat, vt Lupum Tract. De vſuris, comm. 3. §. 3. n. 84. qui & alios citat.

41 Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 25. c. 11. n. 209. ſcribit ea de re in hunc modum: Vndecimum dubium eſt, an ſit vſura, ſi in ſubſidium indigentium, Ciuitas conſtituat cenſum v.g. quinque pro centum ſuper bonis ſuis &c. vt inde fiat pecuniarum cumulus, ex quo capientes mutuo, ſupra ſortem & taxam pro expenſis ad illius conſeruationem neceſſarijs, ſoluant quinque in centum ciues ſiue alij emerunt. Ad quod reſpondetur (inquit) non eſſe vſuram: nam ex parte contribuentium non eſt mutuum, ſed emptio cenſus, facta iuſto pretio: neque ex parte mutuatariorum in iuſtitia committitur, quòd grauentur, cum in commodum ipſorum ſit inſtitutus talis contractus, eiſque relinquatur liberum, vti beneficio illius, vel non vti. Idem docent Bonac. ſup. quatenus approbat Montes mixtos. Sigiſmundus Tract. de Commercijs & Cambio §. 1. q. 1. n. 46. & affinia habet n. 451. Leſſius in Appendice q. 1. & 2.

Idem ſumi poteſt ex doctrina quam Molina tradit Tom. 2. diſp. 325. & ex Franciſ. Sarmiento lib. 7. Select. Interp. nu. 13. & 14. vbi ſcribit, Si petas, vt tibi mutuem Romæ, vbi pecunias non habeo, ſed notos mercatores, à quibus ego accipiam mutuum ſub fœnore, quod aliter noluerint mutuare, poſſum idem fœnus à te accipere, non vt aliquid lucrer, ſed vt damnum emergens tui causâ, vitetur. Si enim dum in fauorem & commodum alterius, accipio mutuũ à tertio ſub fœnore, poſſim iſti imponere onus ſoluendi fœnus quo me grauo, cur non etiam Mons poterit mutuatarijs imponere onus ſoluendi reditus, quibus ſe onerauit purè & merè in gratiam ſingulorum indigentium?

Quarta

Digitized by Google

Quarta Difficultas contra Montes ſecundi generis proponitur.

42 Quarta difficultas cõtra prædictos Mõtes ex eo mouetur, quòd Doctores qui in Bulla Leonis referuntur defendiſſe Montes-pietatis, valdè expreſsè ſupponant, & ponant, quid moderatum & neceſſarium accipi tantùm vltra ſortem, pro impenſis tum miniſtrorum, tum aliarum rerum requiſitarum ad Montium conſeruationẽ. Similiter quòd & ipſe Pontifex, dum eorũ opinionẽ approbat, valdè expreſsè reſumat, quòd aliquid moderatum ad tales impenſas vltra ſortem à mutuarijs recipiatur: In Montibus autẽ ſecundi generis, vt in erectis hic in Belgio, nõ moderatum aliquid, ſed quid magnum, &, vt apparet, exceſſiuum, & pluſquam neceſſarium, accipiatur à mutuatarijs, ſub titulo iſtarum expenſarum.

43 Neque in præſenti caſu refert, quòd hi Montes non ſint eiuſdem omninò rationis, quoad ſuum initium & modum erectionis cum ijs, quos DD. ibi defendunt, & Pontifex approbat: nam diuerſitas iſta ad hoc negotium eſt impertinens, quandoquidẽ quoad impenſas faciendas circa miniſtros, & res vſibus atque adminiſtrationi Montium neceſſarias, vtrorumq; eadem omninò videatur ratio. Non enim Mons ideo indiget pluribus impenſis circa miniſtros, & circa res ad Montem pertinentes, quia pecuniarum maſſa eſt ſub reditu collecta, magis quàm ſi eſſet liberaliter & ex charitate donata: quare expenſis ęqualibus aut quaſi & penè ęqualibus cũ alijs videntur poſſe interteneri & adminiſtrari, & proinde quòd debeant omnes ſubiacere ijſdem legibus & menſuris. In alijs autem Montibus, vt in Italia, pro huiuſmodi impẽſis, non niſi duo, aut ad ſummum tria in centũ annuatim à mutuatarijs exigi ſolere indicat Azorius Inſtitut. Moraliũ p. 3. lib. 5. c. 9. §. Secundò quęritur, vbi determinat duo pro miniſtris, & lib. 9. c. 22. §. Quartò quæritur, ſub disiunctione duo aut tria ſpecificat pro miniſtris & alijs ſcilicet rebus neceſſarijs, & quatuor aut quinque pro creditoribus, qui ſcilicet ſub cenſu annuo pecunias in Mõtẽ contulerant, vti intelligitur ex verbis eius ſupra allegatis. Vnde videtur ille moderationem impenſarum voluiſſe contineri intra duo, aut ad ſummum tria in centum.

44 In Belgicis verò Montibus à principio accepta ſunt à mutuatarijs quindecim in centũ annuè; ex quibus cedunt creditoribus, à quibus pecuniæ ſub reditu ſunt leuatæ, ſex cum quarta, & proinde pro miniſtris (quo nomine reliqui ſumptus comprehenduntur) remanent octo cum tribus quartis: nunc quidem tantum ſoluuntur duodecim cum medio, vel quarta annuè in centũ atq; ita nunc remanẽt ad minus adhuc ſex pro impenſis miniſtrorũ: Et hęc quidẽ cõformiter, prout apparet, fiũt iuxta inſtructionẽ generali Superintendenti à Superioribus pręſcriptã, ſecundũ illa, quę ex articulo vltimo eiuſdẽ Inſtructionis ſupra retulimus. Quas taxas nõ poſſe intra limites moderatarum impenſarũ contineri, videtur pro notorio ſupponere Leſſ. q. 2. n. 32. in appendice ſiue Tract. quẽ pro horũ Montiũ defenſione edidit: Dũ ſcil. loco cit. probat in Italia vſitatos fuiſſe etiam Montes coaceruatos ſub onere redituum, hoc argumento: quia ibi quibuſdã in locis exiguntur à mutuatarijs ſex vel ſeptem in centũ; quæ inquit, cum non requirantur ad ſolas miniſtrorum & ſimiles ordinarias impenſas, neceſſariò deſtinantur ſolutioni annuarum penſionum, quibus illi Montes grauantur. In fine tamẽ Appendicis n. 88. dicit, quod vtrũ taxa illa prima de exigendis quindecim in centũ in montibus noſtratibus, ſit iuſta, ſit quæſtio facti, peritorũ mercatorum, & aliorum qui norunt expenſas factas, iudicio definienda.

Et ſanè hæc vna fuit conſideratio, inter alias, quæ plures Vniuerſitatis noſtræ Louanienſis DD. tum Theologos, tum Iureconſultos aliquando permouit, vt primam illam taxam de quindecim in centum, exiſtimauerint ac cenſuerint limites expenſarum neceſſiarum, atq; adeò limites indemnitatis Montium exceſſiſſe, nec ab vſurariâ labe ſatis potuiſſe excuſari: cum grauamen hoc mutuatariorum excederet etiã fœnus nauticũ, quod eſt tantùm 12. in centum, quo non fuit maius Iure ciuili conceſſum ac permiſſum. 45

Accedebat, quòd non ſatis appareret, vnde ſenſim poſſet taxa illa minui, ſi Mons nõ faceret ex mutuo lucrum, præſertim eo vſque, vt tandem ſoluerentur ſolùm ſex cum quadrante in centum, ibique omninò ſiſteretur. Quod etiam tamquam fuiſſet vna lex; ſeu conditio Montis erigendi, ſimul in caſu tunc Doctoribus propoſito ſupponebatur. Neque enim ſpes vlla certa, imò nec probabilis affulgebat, tantas in Montẽ eleemoſynas conferendas, quæ ſufficere poſſent oneribus hiſce, pro quibus accipiebantur octo, aut circiter, annuè, ſic vt ex ijs mutuatarij poſſent in tantum ſubleuari. Rurſum vndecũq; ponatur licitè accedere potuiſſe iſtud ſubleuamen, videbatur etiã inde poſſe accedere pari ratione ſubleuamẽ vlterius. Quare non apparebat iterum ratio, cur perpetuò in eo ſiſteretur, quòd mutuatarij ſoluerent ſemper ſex cũ quadrante, niſi quòd ſuo tẽpore Mons intenderet quæſtũ ſuum facere.

Reſponſio ad quartam difficultatem.

Cæterùm quantum ex diſcurſu & conferentijs ſuper hiſce rebus priuatim habitis cum ijs, qui ex officio propiùs & certiùs de omnibus legibus & exercitijs, de impẽſis, ac fine inſtituti Montiũ horum ſunt informati, 46

diſcere & intelligere potui, licebit ad hæc obiecta ſic reſpondere.

Inprimis veriſſimum eſſe, quòd à Montium horum inſtituto, ac Sereniſſimorum Principum mente atque intentione, ac Protectorum eorundem, prorſus ſit alienum, vel minimum quid à mutuatarijs vltra ſortem accipere, præter expenſas neceſſarias, tum ſcilicet ad Montis erectionem, tum ad eius conſeruationem: quodque præhabitis maturis conſilijs, ac rerum neceſſariarũ diligenti diſcuſſione præmiſſâ, fuerint eâ & tantâ moderatione impenſæ taxatæ, quam & quantam Montis indemnitas, eiuſque intertentio & conſeruatio videbantur poſſe admittere: quod ſanctè affirmarunt viri fide digniſſimi, qui principalẽ inſpectionem, & principalem ſuperintendentiam circa Montes habent.

Hoc autem non tantùm dici, ſed etiam ita ſe habere, videtur hiſce rationibus probabiliter poſſe declarari: quia inprimis longè aliter calculandum eſt de illis quindecim quæ ſoluuntur annuè in centũ, & aliter eorum facienda eſt diuiſio, quàm ſuprà in argumento facta ſit. Nam licet reditus ſuper Monte venditi ſint nummo decimo ſexto, vt ſupponimus, & proinde pro onere capitalis videantur ſatis ſoluere mutuatarij, qui ſex cum quadrante in centũ annuè ſoluunt, tamen reuera non ita eſſe, ſic demonſtratur.

47 Primò: quia cùm ſexta, aut ſeptima pars totius capitalis ſummæ, pro Montis erectione acceptæ ſub reditu, debeat ordinariè in ærario ſeruari, quaſi in continuũ mutui ſemen, vt ſemper habeatur, quod petentibus mutuò dari poſſit, ideoq; hæc pars non poſſit prꝗſtare creditoribus penſionem ſibi correſpondentem, oportet, vt quinque aut ſex reliquæ partes, hanc penſionem ferant & præſtent.

Secundò: quia cùm oportuerit maſſam capitalem ad vſum mutuandi collectã fuiſſe iuſto tempore, antequam Montium officinæ aperirentur, neceſſum fuit, vt etiã penſiones interim decurſæ, in onus ſummæ poſtmodũ mutuo datæ congerantur; adeoque his omnibus in ſingula centum mutuo eroganda diſtributis, multò ampliùs quàm ſex cum quadrante veniunt annuè exſoluenda.

48 Præterea, extra penſiones creditoribus annuatim ſoluẽdas, multò plura ad Montiũ Belgicorum tum erectionem, tum conſeruationem, quàm ad Italicorum indemnitatẽ requiruntur. Idque duplici ex capite contingit. Primò, ratione extruendorum ædificiorum, & rerum comparandarum, quæ in adminiſtratione requiruntur. Deinde etiam ratione miniſtrorum ſeu officiatorum, qui hos Montes adminiſtrant. Quòd enim ad ædificia attinet, Italici Montes primæ inſtitutionis videntur ea habuiſſe gratis donata, & veriſimiliter ſupellectilẽ ab initio neceſſariam, vel certè ex pecunijs liberaliter donatis ea comparaſſe; ita vt harum ratione nõ fuerit relictum aliquod onus, quod Montes annuè deberent perſoluere, & à mutuatarijs pro indemnitate ſua recuperare: Montes autem Belgici paſſim debent domos & omnia neceſſaria emere, & extruere atque adaptare ex pecunijs, ſuper Monte ad reditum leuatis & acceptis, vnde magna relinquuntur onera.

Quandoquidẽ autem ex domibus nullus habeatur prouentus, ſed tantùm deſeruiant miniſtris & vſibus neceſſarijs ad mutuandũ, idque in fauorẽ eorum, qui mutuo indigent; hinc iuſtè deriuantur iſta grauamina, etiam in pecunias, quæ erogantur in mutuum, ac conſequenter in ipſos mutuatarios. Vnde iterũ ex iſtis creſcit ſumma, quã mutuatarij vltra ſex cum quadrante, debent ſoluere in centum vt Mons poſſit eſſe indemnis & cõſeruari ac conſiſtere: quo modo non grauantur in Montibus Italicis, quia hi non ſunt obnoxij iſtis oneribus.

Similiter, quod attinet ad miniſtrorũ ſtipendia, oportuit illa in his Montibus ampliora admittere (vt aiunt) vt haberi poſſent viri, quales hîc requirebantur. Quandoquidem enim Montes coaceruarentur ex pecunijs ſub reditu, & ea tantùm conſtitueretur hypotheca, quam ſuprà deſignauimus, quæ multis videbatur ſatis fragilis, aut incerta, planè opus erat miniſtris & officiatis, quorũ facultates & media, fidem eorum inprimis certam ſecuramque facerent ipſi Monti, qui eis concredebatur, & ſic conſecutiuè, etiam fidem conciliarent Monti apud eos, qui pecunias habebant applicandas, vt hi liberiùs & promptiùs auderent eas monti ad reditũ committere; qui alioquin timidiores & tardiores eſſe potuiſſent, ſi leuioris notæ miniſtri fuiſſent conſtituti. Secundò opus erat etiam talibus, quorum perſpecta induſtria, integritas, & virtus poſſent Montium horũ initia, tum perplexa propter molem & magnitudinem negotij, tum apud multos ſuſpecta propter rei nouitatem, redigere & adducere ad firmum aliquem ordinem & ſtatum; ac ſimul valerent improborum fraudes excludere, omniſq; iniuſtitiæ, & iniquitatis ſuſpicionem procul abigere. Huiuſmodi autem officiarijs & miniſtris, opulentiora quędam fuerunt ſtipendia cõſignanda, ne, dum occaſione miniſterij Montium relinquerent alia ſua negotia multùm lucratiua, facerent iacturam, & damnum paterentur ratione operæ, quam in curam Montium transferebant. Vnde quæ reſpectu aliorũ dicerentur forſitan ſtipendia exceſſiua, poſſunt horum reſpectu cenſeri moderata, & quodammodò neceſſariæ impenſæ: quia alioquin tales viri, vt requirebantur, haberi non potuiſſent.

50 Per hęc itaque, & ſi quę ſimilia occurrant, videtur taxa de quindecim in centũ ab initio conſtituta, & magis illa de duodecim cum quadrante, probabiliter poſſe iuſtificari ac declarari non excedere limites indemnitatis Montium pro iſtis temporibus.

Quomodo fieri potuit quod taxa minueretur.

Quod autem taxa primùm poſita fuerit diminuta, etiamſi Mons lucrum non fecerit ex mutuo, inde fieri potuit: partim quòd quædam grauamina, primis annis ſoluenda, poſtmodum ceſſauerint: quandoquidẽ enim ſingula tempora meritò ferant onera pro occaſione tunc occurrentia, factũ eſt, quòd à principio, ſoluendæ fuerint penſiones decurſæ ratione pecuniarum coaceruatarũ ad reditũ, antequam officinæ Montis aperirentur; vnde mutuatarij debuerunt primis annis concurrere ad Montẽ ex ea parte ſubleuandum: partim etiam, quia onera remanentia, ſucceſſu tẽporis fuerunt diſtributa in plures, & ſic etiam fiunt leuiora, quia cum tempore plures petierunt mutuum ex Monte, & plures pecuniæ in mutuum fuerunt erogatæ, quàm ſtatim à primis initijs: vnde fit, quòd onera, quibus domus ſunt grauatæ, & impenſæ miniſtrorum, aliarumque rerum neceſſariarum, nunc diuidenda veniant in plures pecunias mutuò erogatas, & proinde ſingula centena mutuò data iam minùs ſint grauanda, quàm dum pauciores pecuniæ, quæ mutuò dabantur, deberent ferre omnia illa onera & expenſas.

51 Hoc interim verum eſt, quòd nunquam ad eam diminutionem veniri poterit, vt mutuatarij ſex tantùm cum quadrante ſoluant in centum, niſi Mons ex mutuo faceret lucrum: quia onera redituum, quibus domus ex emptione & extructione grauantur, ſunt magna: ſimiliter & miniſtrorum ſtipendia, & aliæ impenſæ, magnæ ſunt: quę grauamina omnia debent mutuatarij vltra ſex cum quadrante, aut ſaltem vltra quinque cum medio vel circiter, ferre & ſoluere. Neque apparentia eſt, quòd eleemoſynæ, quæ forſitan aliquæ gratis conferuntur, poterunt aliquando adæquare omnia illa onera annua iam dicta: aut certè vbi tantæ eſſent, benè ſperandum foret, quòd ampliùs creſcerent, ita vt mutuatarij aliquando ne quidẽm ſex cum quadrante, aut quinque cum medio, deberent ſoluere. Quare illa poſitio, quòd taxa ſoluenda per mutuatarios, diminueretur à quindecim vſque ad ſex cum quadrante, ibique perpetuò ſiſteretur, planè vſuraria ſecum intentionem videbatur importare, prout DD. noſtri de eâ cenſuerunt.

52 Sed fallaciter fuerat illa poſitio inter conditiones Montium adſcripta ab aliquo æmulo eorumdem, qui caſum, etiam fallaciter proponebat ſub nomine protectorum Montium, quaſi ab eis commiſſionem habens, vt ſic faciliùs eis quos conſulebat, perſuaderet, omnia illa ſic in inſtituto Montium ſe habere, prout ipſe habere in facto proponebat. Iſta autem poſitio inter conditiones Montium non reperitur: ſed tantùm quòd ab initio ſoluerentur quindecim, & poſtea fieret diminutio: quę, quo modo fieri aliqualiter potuerit, abſque eo quòd Montes lucrum ex mutuò facerent, iam explicuimus.

Sed contra opponet aliquis: Quod non videatur ſeruari debita æqualitas in illis diminutionibus faciendis, tùm quia prima illa onera, quæ dicuntur poſtea ceſſaſſe, non debuerint magis ferri per eos, qui primis annis acceperunt mutuum, quàm per eos, qui poſteriùs, quandoquidem ab initio ſumma capitalis fuerit collecta & coaceruata, tam in gratiam horum, quàm illorum: tum etiam, quia diuerſis annis contingit plus, aut minus pecuniarum erogari in mutuum; & proinde videtur, quòd ſecundùm hoc deberet ſæpiùs taxa mutari, vt ſeruetur ęqualitas. 53

Reſpondetur, inprimis eſſe rationi conſonum, vt ſinguli anni ſua ferant occurrentia onera, quantum moraliter loquendo, cõgruè fieri poteſt, & proinde quòd priores ferrent iſtas penſiones, quæ ſoluendæ erant ex decurſu redituum, antequam officinæ Montis aperirentur, quia ad hos tamquam viciniores maximè pertinebant. Neque enim cõueniebat, quòd quaſi in infinitum differrentur illæ ſolutiones, ſed quòd qui primùm ſentiebant commoda, etiam ferrent aliquid amplius de onere.

Quoad pecunias autem, quæ dicuntur vno anno plures erogari, quàm alio, ſaltem veriſimile eſt, non obuenire notabilem diuerſitatem aut inæqualitatem, poſtquam Montes ſemel in pleno ſunt exercitio: & propterea in conſiderationem non venire, præſertim quia in talibus, moraliter eſt impoſſibile per omnia ſeruare exactiſſimam æqualitatem. Quare æquum eſt, quòd mutuatarij talem qualem inæqualitatem, quæ ex prædictis poteſt ſubeſſe, ſibi inuicem remittant: quod & facere cenſendi ſunt, quando Princeps, vt patronus & curator indigentium, pro communi ipſorum commodo ita ex cauſis ordinat fieri: quemadmodum dubio præcedenti diximus, ſimili ratione tolli, & à conſideratione remoueri inæqualitatem, quæ in exercitio Montium Italicorum, quos Pontifices approbauerant, obijciebatur interuenire, occaſione diuerſitatis pignorum, quorum alia ſunt oneroſa, alia non item. 54

Hoc tamen ſuperiores Montium diligenter curare obligantur, vt in taxa ſeruetur, quàm moraliter fieri poteſt, exactiſſima æ- 55

qualitas inter onera, quæ Monti incumbunt, & inter ea, quæ vltra ſortem à mutuatarijs accipiuntur. Quare eo nomine calculus accuratè eſt ineundus, vt ex computu de erogatis & receptis clarè cognoſci & diſcerni poſſit, an illa, quæ à mutuatarijs accipiuntur, non ſuperent onera Montis, quæ tam in penſiones annuas redituum, quàm in ſtipendia, & res alias expendi debent: &, ſi ſuperare deprehendantur, mox ad æqualitatem reducantur, atque in omnibus quantum fieri poteſt, ſeruetur æqua proportio.

Quinta difficultas.

56 Quintò, impugnantur hi Montes, & vſuræ inſimulantur, quòd iniquum lucrum faciant. Primò, quia ſtatutis temporibus vendunt pignora, & quòd ex eis diuenditis, vltra ſortem & penſionem, quam domini debuiſſent ad onerum Montis ſuſtentationem conferre, ſupereſt, id reſeruent & applicent ad redituum, quibus grauantur, extinctionem. Secundò, quòd penſionem, quam mutuatarij vltra ſortem ſoluunt, taxent tam altè, vt vltra omnia onera ſua poſſint inde conquirere ſummam, quâ domos ipſas reditibus grauatas liberent: atque ita ipſas domos omninò lucrifaciant, quarum aliquando vna ad quinquaginta aut ſexaginta millia florenorum, aut amplius poteſt æſtimari. Vnde ſic euidenter ex mutuo Montibus, plurimum accreſcit, quod ſine vſura fieri non poteſt.

Reſponſio ad priorem partem difficultatis motæ.

57 Reſpondetur ad Primum, haud dubiè fore iniquũ, ſi, quod ex pignoribus ſic diuenditis, excreſcit, applicetur Monti, quando domini pignorum comparent, vel noti ſunt: hoc enim manifeſtè ex iuſtitia debet illis reſtitui, &, ſi ratione mutui priùs dati Montes ſibi arrogare velint, euidens eſt vſura.

Verũ eo caſu Montes ſibi illud applicare, planè falſum eſt, vt per praxim contrariam quotidianam conſtat. Quando autem domini non comparent, & ignoti ſunt, tunc quod ſuperexcreuit, reputari poteſt inter bona incerta aut derelicta, quæ ſecundùm communem & indubitatam doctrinam, applicari poſſunt pauperibus. Quare & Montes poſſunt hoc titulo ſibi illud ad vſum pauperum tunc reſeruare abſque vſura & iniuſtitia: imò etiam pleno & libero iure ſecundùm aliquos poſſunt ſimpliciter Montes illud ſuo ſeruare dominio, ac in vſus ſuos quoſuis cõuertere; nimirùm iuxta ſententiam, quæ tenet debita ex contractu iuſto, quando creditor ignoratur, poſſe ab ipſo debitore retineri, neque neceſſe eſſe ea pauperibus, aut pijs vſibus applicare: qua de re vide Pet. Nauar. lib. 4. De reſtitut. cap. 2. n. 46. & 47.

Eſt autem diſcrimen inter hos titulos: ſi namque titulo priori Mons ſibi applicet, debebit inde tantùm pauperibus dari, mutuum, idque ſine onere ſoluendi aliquid pro penſione reditus, quia ratione huius pecuniæ Mons non eſt reditu grauatus; ſed ſolùm debebunt aliquid ſoluere pro impenſis domus & miniſtrorum: ſi autem titulo poſteriori, iam poterit inde quibuſlibet mutuo indigentibus ſubuenire, aut applicare ad minuenda communia onera Montis, quod deriuabitur in ſubleuamen commune. Sed æquius videtur & pietati eſt magis conſentaneum, vt inde pauperibus mutuo indigentibus peculiariter ſubueniatur. 58

Reſponſio ad poſteriorem partem difficultatis.

Quod ad ſecundùm attinet, ponebatur illud etiam in caſu, Doctoribus noſtris propoſito, ita ſe habere: quod ſanè ab vſura minimè excuſari poſſe iudicabant. 59

Videntur tamen viri quidam docti alibi in ea fuiſſe opinione, quòd Montes à mutuatarijs poſſent vltra ſortem, accipere tantum, quo ipſas domos ſenſim liberarent ab oneribus, ſub quibus emptæ, & adaptatæ ſunt, moti hac ratione: quia ſcilicet videntur eſſe inter res neceſſarias ad Montium exercitium & adminiſtrationem, quarum onus iuxta Bullam Leonis Pont. poteſt imponi mutuatarijs. Aſt verò ſi hoc argumentũ ſubſiſteret, & aliquid concluderet, planè conuinceret amplius, ſcilicet non tantum à mutuatarijs poſſe exigi quantũ opus eſt, vt ipſæ domus exonerarentur, ſed etiam quantum opus eſt, vt reditus omnes redimerentur, quibus Mons exiſtit grauatus; imò etiam, vt emerentur noui reditus ad ferendas impenſas miniſtrorum: omnium enim videtur eadem ratio, quia omnia deſeruiunt neceſſarijs vſibus Montium, vel potiùs vſibus indigentium mutuo, quę cùm nullus, licitè fieri poſſe, admiſerit, imò euidentiſſimè eſſent vſuraria, ideo quoque negandum eſt, Montes poſſe lucrifacere domos, earumque pretium à mutuatarijs recuperare: quia hoc eſſet reuera, vt aduerſarij ponunt, captare lucrum ex mutuo. Sufficit enim exercitijs Montis, & vſibus indigentium, quòd, ſi domus donatæ non fuerint, habeantur in conducto, aut ſaltem ſint emptæ ſub onere redituum, quod ſingulis annis ferant ſinguli pro rata, qui mutuum ex Monte petunt.

Ad fundamentum itaque aliorum, dicendum eſt, quando admittit Pontifex impenſas miniſtrorum & rerum neceſſariarum à mutuatarijs accipi poſſe, id intelligi de rebus neceſſarijs, quæ vſu conſumuntur vel atteruntur, ita vt ex illis, nihil pretio æſtimabile Montibus relinquatur reliquùm; non autem 60

autem de rebus alijs quibuſlibet. Quare à mutuatarijs non liceret exigere & accipere ea, quibus emantur ſupellectilia ænea, ſtannea, lignea, argentea, ſiue ſacra, ſiue profana, aut aliqua ſimilia ad vſum Montium: quando enim Mons iſtorum acquireret liberum dominium ſine onere, haud dubiè multum lucri, illi accederet: cùm tamen Pontifex expreſsè ponat nullum lucrum Montibus accedere.

Quare aduerſarijs, qui ex prædicto titulo Montes impugnant, Reſpondendum finaliter eſt, verum non eſſe, quod allegant, prout ex primarijs viris, penes quos principalis inſpectio eſt in Montes, & omnes miniſtros, aliquãdo certiùs intelleximus: qui planè affirmant, nihil ad eum finem & vſum à mutuatarijs exigi vel accipi, vt domus exonerentur, reddanturque Montibus liberæ, & ſine onere: vnde tamquam calumnioſa reijcienda eſt iſta obiectio.

Sexta difficultas cum ſua ſolutione.

61 Sextò opponitur, Iuxta Bullam Leonis X. Montes non debent ſeruire niſi pauperibus, vt beneficio mutui, illis ſubueniatur: Montes autem ſecundi generis, vt qui hîc eriguntur, etiam diuitibus ſeruiunt, imò & prodigis ad luxum ſuppeditant inſtrumenta ſiue media; ergo videntur repudiandi.

Reſpondetur inprimis, Pontificem hoc non diſponere, quòd Montes non debeant ſeruire niſi pauperibus, ſaltem expreſsè & in terminis; ſed in narratione præmittere, Montes, de quibus agit, eſſe inſtitutos ad pauperum releuationem: item commendare in illis, qui Montes defendebant, pietatis amorem; ut pauperibus ſubueniretur: Inde tamen non ſequitur alios Montes erigi & inſtitui non poſſe, ex quibus ſuccurratur quoque alijs, etiam diuitibus, qui pro tempore & loco indigent mutuo.

62 Addo, mirum non eſſe, quòd Montes illi, de quibus Pontifex agit, non debeant ſeruire niſi pauperibus, (tametſi ne quidem de iſtis id Pontifex expreſsè dicat) quia à pijs hominibus, capitalis pecunia iſtorum Montium relicta eſt, ad eum dumtaxat finem, vt per beneficium mutui ſubueniretur inde pauperibus: quare ſecundùm legem iuſtitiæ, non poterat niſi vſibus pauperum impendi.

Sed alia eſt ratio horum Montium, qui ad opus omnium mutuò indigentium ex pecuniâ ſub reditu acceptâ ſunt conflati. Vnde nihil hîc obſtat, quo minus poſſit omnibus indigentibus ac petentibus, ex ijs mutuum dari, atque omnibus ſubueniri, præſertim quando maſſa tanta eſt, vt pauperibus nunquam mutuum negetur, ideo quod alijs indigentibus quoque concedatur. Etſi enim pietati maximè cõſentaneum ſit, pauperibus, beneficio mutui ſubuenire, tamen vniuerſalis cura & ſollicitudo Principis aut Reipublicæ meritò poſſunt hoc beneficium etiam diuitibus communicare, quando pro occaſione natâ aliquando paratis pecunijs indigent; vt iam indicauimus.

Quod verò allegatur, etiam prodigis hic ſuppeditari inſtrumenta ad luxum, vtrùm hoc licitè fieri poſſit, alterius eſt quæſtionis, & alibi diſputatur, nec peculiariter Montes concernit. Hoc autem certum eſt, Montes ad eum finem non eſſe inſtitutos, & ſi fiat, id tantum fieri præter mentem inſtituentium.

Septima Difficultas cum ſua ſolutione.

Septimò, opponunt aliqui, & Montes iniuſtitiæ arguunt, eo quòd à ſolis mutuatarijs exigatur quicquid in miniſtros & in pignorum cõſeruationem impenditur, cùm horum ſumptuum medietatem ſaltem (dicant) Montem ipſum debere ferre, vtpote in cuius vtilitatem ſiue ſecuritatem, non minùs fiant, quàm ad commoditatem mutuatariorum. Sed ad ſimilem difficultatem, quam Dom. Sotb, & alij etiam mouent contrà Montes primi generis, à Pontificibus approbatos, Dub. præcedenti, n. 15. reſpondimus, & ſufficienter explicuimus quæ ad illam pertinent. 63

Octaua Difficultas cum ſua ſolutione.

Octauò, arguuntur hi Montes ob defectum approbationis Pontificiæ, quam nonnulli volunt neceſſariam, vt licitè eiuſmodi Montes erigi poſſint. Argumentum deſumunt ex Bulla Leonis, vbi Pontifex ait: deinceps alios etiam ſimiles Montes cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe. Vnde inferunt, ergò ſine Apoſtolicæ Sedis approbatione, erigi non poſſunt: quia niſi Pontifex voluiſſet illis verbis hanc legem ponere, videretur impertinenter ac fruſtrà hoc addi; cùm Sedis Apoſtolicæ approbatione, nullus enim dubitare poterat; quin id quod per ſe licitum erat, multò magis licitum eſſe cenſendum, accedente Sedis Apoſtolicæ approbatione. 64

Reſpondetur; approbationem non eſſe neceſſariò per ſe requiſitam, neq; in Bulla allegata tamquã neceſſariam à Pontifice præſcriptam. Vnde neque Nauarrus, neque Azorius, aut Toletus ſuprà citati inter conditiones neceſſarias ad licitam Montium erectionem; ſiue inſtitutionem, requirunt vel ponunt approbationem, aut confirmationẽ Apoſtolicæ Sedis, prout neq; Molina, qui Diſp. 325. tract. 2. de Contract. etiam priuatis permittit erectionẽ Montium-pietatis; quâ de re nos Dub. præced. aliquid diximus. 25

Hh iij Et quia

Digitized by Google

Et quidem ex ipſo contextu Bullæ ſatis poteſt contrarium colligi: nam Pontifex approbat ſententiam Doctorum, qui Montes, de quibus erat controuerſia, licitos cenſebant, præſertim (inquiebant) ſi Apoſtolica accederet authoritas, vt in Bulla refertur: quam proinde hi DD. non neceſſariò, ſed tantùm conſultò, & pro maiori ſecuritate intelligebant rectè adhiberi.

66 Quare ad argumentum, quod alij ex Bulla deſumunt, dicendum erit, ex eo, quòd Pontifex declaret alios Montes ſimiles cum Sedis Apoſtolicæ approbatione erigi poſſe, nullo modo eſſe conſequens, aliter erectos per ſe indebitè aut illicitè erectos; ſed ſolùm de ijs non conſtare per declarationem ac definitionem Sedis Apoſtolicæ, & Concilij quòd eorum erectio & forma per omnia ſint iuſta & rationi conſentanea, & ab omni mali ſpecie, ac malorum incentiuo aliena, quæ determinãtur de illis Montibus à Sede Apoſtolica approbatis. Neque enim voluit particulatim Pontifex illa declarare de alijs quibuſcumque, quos Sedes Apoſtolica non examinauerit, multò minus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, omnibus, tam Religioſis & Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis prohibere, ne contra eos, de quibus Sedes Apoſtolica non cognouit, verbo, aut ſcripto diſputare auſi fuerint. Hæc itaque eſt ratio, quare addiderit Pontifex, cum Sedis Apoſtolicæ approbatione poſſe alios ſimiles erigi: quia vbi approbati fuerint, tunc extra omnem controuerſiam & diſputationem, per hanc Concilij & Sedis Apoſtolicæ declarationem conſtituuntur: quod alijs non voluit eſſe commune, tametſi erigi non vetuerit.

Nona & vltima Difficultas cum ſua ſolutione:

67 Nonò & vltimò reprehenditur ipſum nomen, quòd ſcilicet indebitè vocentur Montes Pietatis: quandoquidem nomen hoc Montibus alijs fuerit impoſitum, eò quòd fidelium pietas gratis contuliſſet pecunias capitales Montium, vt inde miſericorditer ſubueniretur pauperibus per beneficium mutui. Quod in his Montibus locum non habet: quinimò videntur pauperes per omnia tractari in rigore iuſtitiæ: nam pecuniæ ſunt collectæ & coaceruatæ ſub annuo cenſu; ſimiliter & domus emptæ. Debent autem mutuatarij onera penſionum ſoluere, & Montem ſeruare indemnem ab illo grauamine, atque inſuper ferre impenſas miniſtrorum, & aliarum rerum neceſſariarum: Quare nullum videtur eſſe fundamentum, vnde Montes hi dici poſſint Pietatis.

68 Reſpondetur: ſine dubio nomen illud excellentiori modo & perfectiori ratione conuenit Montibus primæ inſtitutionis, nõ tamen deſunt aliqua fundamenta, ex quibus ſecundùm diminutiorem quandam rationẽ, poſſit nomen illud etiam communicari his Montibus.

Vt inprimis, quoad noſtros Belgicos, quia Sereniſſimi noſtri Principes ex pietatis & miſericordiæ affectu, animum & cogitationes ſeriò, & cum magna cura, adiecerunt ad horum Montium erectionem, vt ſi non in totum, ſaltem pro notabili aliquâ parte ſubleuarentur pauperes, & mutuo indigentes à grauamine, quod fœneratores iniquè ab eis extorquebant, ac ſimul etiam vſuræ crimen à Republica eliminaretur.

Deinde quòd præter hanc ſolicitudinem etiam pro charitatis affectu, notabilẽ ſummam, ſiue in pecunijs numeratis, ſiue in domibus donatis quibuſdam in locis contulerunt in horum Montium ſubſidium, & conſequenter in ſubleuamẽn indigentium: ac ſimul quoque iura, quæ ex diuerſis capitibus eis competere poſſent, occaſione Montium inſtitutionis, & contractuum & negotiorum concurrentium, liberaliter remiſerint, & diuerſas immunitates ac priuilegia conceſſerint eis, qui ad huius inſtituti promotionem, & ſubſiſtentiam, conferunt operam aut aliter cooperantur.

Tertiò, quia ad exemplum Sereniſſimorum Principum, etiam primarij Curatores, 69
quos Protectores Montium vocant, ſimiliter abſque temporalis mercedis compenſatione gratis & ex charitate, hanc curam ſuſceperint & gerant.

Quartò, quia dum difficiliùs pecuniæ conflari poſſent ab initio ſub reditu conſtituendò ſuper Monte, fuerint aliqui, qui pio affectu & intentione ſuccurrendi pauperibus & indigentibus, etiam fidem ſuam & bona pro magnis ſummis, hypothecæ vel cautionis nomine obligauerint abſque lucri ſpe & intuitu.

Denique, quia qui mutuum dat proximo in neceſſitate conſtituto, cenſetur facere opus pietatis, etiamſi ſtipuletur de ſua indemnitate, tum ex parte damni emergentis, tum lucri ceſſantis. Alioquin enim pietatem exercere dicendus non videretur, qui mutuum dat ſine damno emergente, & lucro ceſſante, quando hæc incommoda illi non impendũt aut obueniunt: in Montibus autem gratis datur mutuum adhibitâ tantùm cautelâ indemnitatis. Quare omnibus his conſideratis, non omnino indebitè videtur nomen hoc Pietatis, etiam quodam modo, quamuis minùs perfectò, hiſce Montibus communicari. Ex dictis hactenus, & Difficultatum quæ contra hoſce Montes opponuntur, enodatione & explicatione, ſatis iam conſtare videtur; quod Montes etiam ſecundi generis, quantum eſt, ex ipſorum erectione, & Inſtitutione, (De exercitijs vt

Digitized by Google

citijs vt in facto fiunt, relinquo alijs, qui de illis propiùs ſunt informati, iudicandum) ab vſuræ & iniuſtitiæ labe ſint immunes: & ſimul quomodo ab ea poſſint vindicari. Cæterùm omnia, quæ de iſtis diximus, S. Sedis cenſuræ, ex animo volo eſſe ſubiecta.

DVBIVM IV.

Vtrùm Montes, quos vocant mixtos, ſint immunes ab vſura, & liciti?

70 MOntes mixti dicuntur, qui conſtant partim ex pecunijs liberaliter & charitatiuè donatis ab hominibus pijs: partim pecunijs ſub onere cēſus annui, vel intereſſe recipiendi collatis ad ſubueniendum indigentibus per mutuum. Quod poſterius adinuentū fuit, vt Monte aucto poſſit pluribus indigentibus ſubueniri. Ita ferè de illis loquitur Bonac. De contract. diſp. 3. q. 3. pun. 12. n. 9. vt ſuprà indicauimus. Addo, vel intereſſe: quia ponit Bonacina, quod aliquando illi qui ſic ſub onere aliquo pecunias conferunt, dent illas Monti tantùm mutuo, ſic vt poſſint eas repetere, & tamen annuè recipiant quattuor aut quinque, quamdiu eas ibi relinquunt: idque per modum intereſſe, vel vt gratuitum donum liberaliter à Monte eis factum: quod onus etiam ſuſtinent mutuatarij qui ex Monte mutuum accipiunt, ſicuti & penſiones cenſuum. His præmiſſis

71 RESPONDEO & DICO Primò: Montes illi, quatenus conſtāt partim pecunijs charitatiuè collatis, & partim pecunijs ſub annuo cenſu acceptis, ita vt qui numerarunt, non poſſint illas repetere, non continent vſuram, neque ex parte Montis, quatenus à mutuatarijs recuperat penſiones quas ſoluit pro pecunijs ad cenſum leuatis: neque etiam ex parte iſtorum, qui pecunias ſic contulerunt & reditum emerunt ſuper Monte, quando inde penſiones annuas exigunt & recipiunt. Patet hæc aſſertio ex dictis Dubio ſecundo, & tertio præcedenti, vbi explicata ſunt, quæ parere poſſunt difficultatem præſertim cōtra ſecundum membrū.

72 DICO Secundò: Qui conferunt pecunias in talem Montem per modum mutui, reſeruata ſibi libertate repetendi ad placitum, in quantum ratio mutui permittit, & accipiunt annuè eandem determinatam ſummam per modum intereſſe, poſſunt meritò videri non omnino immunes à labe vſuræ, & multòminus illi, qui prætendunt per modum liberalis doni, accipere annuè ſimilem penſionem.

Probatur Primò, quia paſſim DD. qui admittunt, poſſe pecunias colligi ad Montem conſtituendum ſub annuis penſionibus, addunt modò illi qui pecunias conferunt, non poſſint illas repetere. Azorius ſuprà.

Secundò, quia intereſſe non ſolet eſſe ſibi ſemper ſimile, ſed vno anno maius, altero minus: nec ſolent illi qui recognitionem liberalem faciunt pro beneficio accepto, ſingulis annis æquè multum & determinatum aliquid rependere, niſi apprehendatur id vtrimque per modum debiti reſpectiuè dari & recipi, quod non fit abſque vſura: quare modus ille augendi Montem non videtur probandus.

DICO Tertiò: Vbi pecuniæ per modum eleemoſynæ relictæ ſeu datæ ad ſubueniendum pauperibus certi loci per mutuum, ſufficiunt ad pauperibus iſtius loci ſubueniendum, non licet ibi augere Montem per pecunias ad annuū cenſum vel intereſſe, leuatas, vt ditioribus mutuo indigentibus, vel alijs alterius loci, detur mutuum, ſic vt onus iſtarum penſionum deriuetur quoque in pauperes iſtius loci mutuum petentes, quibus prima maſſa pro ipſis ſufficiens, erat gratis collata. Ratio euidens eſt, quia contra Iuſtitiam eſt, bona quæ ſolis pauperibus ſunt gratis relicta aut deſtinata, deriuare in alios vel aliorum vſum, & cum onere & grauamine pauperum comparare alia, ac ſimul vtraque diſtribuere æqualiter in illos qui ius ad priora non habebant, & in pauperes. Quare in tali occaſione, deberet potius conſtitui quaſi duplex Mons, vt ex vna parte daretur mutuum pauperibus talis loci, qui nihil contribuerent pro penſionibus ſoluendis ratione pecuniæ leuatæ ad cenſum: & ex alia parte daretur mutuum alijs ditioribus, vel externis qui ſoli ſuſtinerent onus iſtarum penſionum, vtpote quibus non competat ius accipiendi mutuum ex pecunijs charitatiuè donatis ad ſubueniendum per mutuum pauperibus talis loci. Quod ſi tot eſſent pauperes petentes mutuum, vt maſſa relicta non ſufficeret, tunc quidem poſſet ſic augeri, & poſſent grauari pauperes ſinguli petentes ad inueniendas iſtas penſiones, pro rata ſummæ acceptæ ad cenſum, & proportione ad maſſam gratis donatam, ita vt ſi totus aceruus conſtaret ex iſtis tanquā duabus partibus æqualibus, & ſoluerentur, v. g. quinque pro centum leuatis ad reditum, non deberent tamē mutuatarij tunc ſoluere vltra impenſas miniſtrorum, quinq; pro centum, ſed tantum duo cum medio, vel parum amplius, quia media pars habetur abſque onere ſoluendi panſionem. Recenſet Bonacina adhuc Montes diuerſi generis, ſed qui non ſunt aliud, quam notabilis aliqua pecuniarum ſumma collecta à Principe vel Repub. aut Ciuitate ad ſubueniendum ſuis neceſſitatibus, idque ſub annuo reditu, pro quo

vel Princeps vel Reſpub. aut Ciuitas obligant ſe & ſua bona & prouentus. Notat inſuper, quod aliquando etiam prouentus aut iura Principis, aut Reipubl. vel Ciuitatis vocentur Montes, vt prouentus vectigales, tributa, iura ſigillorum, & ſimilia, quæ elocantur, aut quaſi venduntur, aliquãdo ad determinatum tempus, aliquando ad incertum, vt ad vitam emptoris. Sub qua ſignificatione Montis nomen in Italia, & præſertim Romæ, ſæpius vſurpatur, vt ibidem notat Bonac. De quibus licebit plura videre apud Azor. 3. parte lib. 5. cap. 12. & lib. 10. cap. 23. & Filliuc. tract. 34. cap. 9. num. 185. & 187. Sed quia omnino diuerſæ ſunt rationis à Montibus-pietatis, hinc ad præſens noſtrum inſtitutum non pertinent.

DVBIVM V.

Quid ſit Contractus Societatis? & vnde iudicandum, an iuſtus ſit?

74 OBſeruandum eſt, plures à Doctoribus aſſignari quaſi ſpecies Societatis, quæ deſumuntur ab obiectis ſeu rebus in quibus eſt communicatio: alia enim eſt (inquit Bonacina ſupra quæſt. 6. puncto 1.) animalium, alia vectigalium, alia omnium bonorum, vt quando aliqui per Contractum ſibi mutuo faciunt vtrimque omnia ſua bona communia: quod intelligitur vniuerſim de omnibus, quando indefinitè exprimitur etiam de futuris, quæ quocumque titulo huic vel illi accedant perſeuerante Societate, ſiue titulo ſucceſſionis hæreditariæ, ſiue per legatum, ſiue per negotiationem, donationem &c. vt tradit Molina De Contractibus Tract. 2. Diſput. 412. Alia eſt Societas negotiationis, quæ etiam vocari ſolet lucratoria, aut quæſtuoſa: de quâ nos præcipue agemus. His præmiſſis

RESPOND. Societatis Contractus eſt conuentio duorum vel plurium conferentiũ ſuam pecuniam, vel induſtriam, vel laborem, vel rem aliam pretio æſtimabilem ad commune lucrum faciendum. Patet Inſtit. De Societ. & l. 1. D. pro Socio. Dicitur conuentio quaſi loco generis, quia omnis Societas eſt conuentio, non contra. Additur, Conferentium ſuam pecuniam, vel induſtriam, quaſi loco differentiæ, quâ contractus hic ab alijs diſtinguitur: nam in Societate debet ſinguli aliquid conferre in commune, vt efficiantur participes lucri, ſiue omnes partẽ pecuniæ æqualẽ, & induſtriam & laborem parem, ſiue aliqui maiorem ſummam pecuniæ, & alter plures ſollicitudines & labores, vel vnus totam pecuniam, & alter omnem induſtriam & laborem, aut alijs ſimilibus modis. Dicitur, Ad commune lucrum faciendum: nam ſi lucrum ſpectaret ad vnum ſolum v. g. ad illum qui pecuniã, aut rem pretio æſtimabilem contuliſſet, & alteri ſit aſſignata merces aut ſtipendium laboris, & induſtriæ ſuæ, non erit tũ propriè contractus Societatis, ſed locationis, & cõductionis, etiamſi forſitan in ſtipendiũ aſſignata ſit aliqua pars lucri prouenientis ex negotiatione: ſic enim mercatores ſolent aliquam partem quintam, ſextam, aut aliam determinatam aſſignare miniſtris, vt faciant illos diligentiores in gerendis negotijs ſub ſpe maioris lucri, vt tradunt Molina ſuprà Diſput. 411. & Filliuccius Tract. 38. nu. 1. Si tamen ineretur Contractus non exprimendo illam partem dari in ſtipendium, ſed ſimpliciter dicendo, tot partes lucri ſpectare ad illum qui apponit Capitale, & aliquo tam partem pertinere ad eum qui apponit induſtriam, cenſetur contractus Societatis: quia conuenit illi definitio Societatis. Ita Molina ſup. & Filliuc. n. 3. Bonac. & alij.

Quod autem ſpectat ad iuſtitiam huius Contractus, requiritur in primis, quod conuentio tendat ad lucrum faciendum per licitam & honeſtam negotiationem, aut per aliud probatum exercitium: nam ſi conuenirent aliqui, & conferrent ad lucrum quærendũ per pyraticam, aut latrocinia, euidens eſt, quod talis ſocietas, laboret iniuſtitiã. 75 Quoad reliquum verò, Mol. ſup. Diſp. 415. ponit hanc vnicam quaſi regulã, ſecundum quam iudicandum ſit de iuſtitia huius Contractus, & conſequenter, vtrùm naſcatur in aliquo ſociorum obligatio reſtitutionis, an non: Computatis (inquit) omnibus, quæ ſinguli Socij appoſuerunt, tam quoad Capitale, quàm quoad Induſtriam, operas, vel inſtrumenta, aut quiduis aliud, ſi in contractu comperiatur proportionalis æqualitas, ita ſcilicet vt qualis fuerit proportio eius quod quiſque apponit, ad ea quæ apponunt alij, talis ſit proportio lucri quod reportaturus eſt, ad lucra quæ reportaturi ſunt alij, partiſque capitalis quam finita ſocietate eſt extracturus, ad partes quas extracturi ſunt alij, atque etiam periculi & damni, cui ſe exponit, ad pericula & damna, quibus alij ſe exponunt, vel certè ſi in horum aliquo inæqualitas aliqua cernatur, id aliunde compenſetur, ita videlicet vt omnibus ponderatis & computatis, prudentum arbitrio, æqualitas proportionalis inter ſocios comperiatur, contractus ille tunc iuſtus eſt: alioquin iniuſtus & inæqualis cum obligatione reſtituendi, ac reducendi ad æqualitatem. Vbi obſerua, multorum æſtimationem quæ in Contractu & exercitio Societatis occurrunt, vt v. g. induſtriæ, operarum, moleſtiarum, periculorum, non conſiſtere in indiuiſibili, ſed quandam habere latitu-

latitudinem,vnde contingit iſta non ab omnibus etiã bonis & intelligentibus æſtimari eodẽ pretio & valore: & hinc cõſequens eſt quod neque proportionalis æqualitas (quã inter Socios diximus, neceſſario requiri ad Societatis Iuſtitiam) in indiuiſibili conſiſtat, ſed latitudinem ſuam habeat maiorem, vel minorẽ pro magnitudine negotiationis, & multitudine&varietate laborũ,induſtriæ, ſollicitudinum cõcurrentium: quia in tanta multitudine & varietate difficilius eſt reducere omnia ad indiuiſibilẽ æqualitatẽ. Sufficit igitur, quod omnibus perpenſis non reperiatur iudicio prudentum in iſtâ materiâ, egreſſus à proportionali æqualitate inter Socios, qualem ipſi iudicant poſſe & debere inter Socios ſeruari: Si autẽ ſit egreſſus, debet ad talem æqualitatem reduci, niſi Socij alij qui patiuntur ex iſta inæqualitate,velint indulgere& remittere expreſsè vel tacitè,ex amicitia, vel ex gratitudine propter aliqua obſequia aliàs ſibi ab iſto,qui plus accepit, præſtita.

DVBIVM VI.

Quomodo lucra inter ſocios ſint diuidenda?

76 RESPONDEO & DICO Primò: Quando Socij inierunt Societatem ad lucrum, & non expreſſerunt quonam pacto lucrum inter ipſos, eſſet diuidendum, intelligitur tum diuidendum ſecundum partes æquales. Patet ex Inſt. De Societ. circa principum §. Et quidem: & l. ſi non fuerit In principio D. pro Socio. Quod Gloſſa vtrobique recte intelligit, quando æqualiter omnes ad Capitale contribuerunt: Vnde id quod dictum eſt, intelligendũ venit de partibus lucri ęqualibus, non ſemper ſecundum proportionem aritlimeticam, ſed ſecundum proportionem geometricam, vt qualis ſcil. fuerit proportio partis ab vno ad capitale appoſitæ, ad partes appoſitas ab alijs, talis ſit proportio partis lucri ab ipſo accipiendæ ad partes lucri quas alij accipiunt.

Neq; hac in re poteſt eſſe difficultas, quãdo ſinguli eâdẽ proportione, quâ inferunt pecunias in Societatẽ, conferũt quoq; induſtriã, &operas, & inſtrumenta neceſſaria, vt quoad vehicula, v. g. currus, &c. aut nauigia: aut certe cõmunibus expenſis conducũt negotiorũ geſtores, & alia neceſſaria. Ita paſſim DD. Banneſ. 2. 2. q. 78. art. 4. Salon. ibidem, Pet. Nauar. lib. 3. cap. 2. n. 449. Bonac. ſup. puncto 3. n. 3. & alij. Et ſatis euidenter per ſe elucet, quod iuſtitiæ ratio requirat tunc eiuſmodi lucrorum partitionem qualem nunc deſignauimus: quemadmodum & damnorum, ſi interueniant. Et quidem quando de damno non fuit expreſſum, quantâ parte quiuis ſociorum debeat ferre, intelligitur in eadem proportione debere damnum ſuſtinere, in qua lucrum erat participaturus. Patet Inſtit. De Societ. §. Illud: quod tamen intellige, quando damnum obuenit abſque culpa alicuius Socij.

Sed difficultas magna eſt: quando vnus 77 ſociorum appoſuit omnes pecunias applicatas ad negotiationem, & alius induſtriam & operam.

Vtrùm diſſolutâ ſocietate, ſit inter illos diuidendum ſolum lucrum, an etiã Capitale per alterũ ex duobus ab initio collatum? Quæſtio hæc perplexa valde eſt: & controuerſa inter Doctores. Pro eius clariori explicatione

Notandum eſt, Dupliciter poſſe conſiderari valorem tum pecuniarum, quæ ab vno conferuntur in Societatem, tum induſtriæ & operarum, vel etiam Inſtrumentorum vſus, quæ conferuntur ab alio. Primò ſimpliciter ſecundum ſe, & quaſi ſecundum ſubſtantiam ſuam, abſque relatione & ordine ad lucrũ, quod mediantibus illis per negotiationẽ acquiri poteſt: ſic v. g. valor centum aureorum conſideratur, quando illi dicuntur ſimpliciter valere trecentos florenos, more noſtro loquendi: & ita induſtriæ & operarum valor, quas aliquis adhibet, conſideratur, quando æſtimantur mereri centum, aut ducentos, & tanti locarentur ſi quis vellet conducere, &c. Secundò poteſt valor vtrorumque conſiderari in ordine ad faciendum lucrum per mercaturam: qui valor ſæpè multum eſt diuerſus à valore priori: nam poteſt fieri, quod induſtria & operæ quæ in ſe valent tantummodo centum, & ſic longè inferioris ſint valoris, quàm centum aurei ſecundũ ſe, tamen in ordine ad faciendum & participandum lucrum, plus valeant & conferant, quam aurei centum, ſiue quàm vſus centum aureorum aut ducentorum, vt notat Molina diſp. 416. nu. 2. His præmiſſis, pro reſolutione difficultatis

RESPONDEO, & DICO Secundò: 78 Quando induſtria, operæ, vſus v. g. Nauigij aut inſtrumenti ſimilis, quæ vnus ſociorum cõfert, aut adhibiturus eſt, tempore ſocietatis durante, ſunt iuxta priorem valoris ipſorum conſiderationem, æqualia cum Capitali ſummâ pecuniarum, quas alter apponit, licitè inter ſe contrahent Socij, quòd finito ſocietatis tempore, tam ſumma hæc Capitalis, quàm lucrum, æqualiter inter vtrumque erunt diuidenda. Ita docet Caiet. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad 5. Conrad. De contract. q. 93. Coroll. 3. Molina diſp. 416. & Couar. lib. 3. variar. cap. 2. n. 2. cum alijs quos citat. Probatur, quia quando ita contrahitur & ſic fit diuiſio, ſeruatur æqualitas inter ſocios: Declaratur, quia ſicuti ab initio æqualia contulerunt ad ſocietatem, ita finitâ ſocie-

tate,

Digitized by Google

tate, reportabunt æqualia; ergo inter illos ſic ponitur æqualitas.

79 Vnde ſi in prædicto caſu Societatis, nullum lucrum ſuperſit finitâ Societate, nec quidquam pręter Capitalem ſummam pecuniarum, quas alter Sociorum attulit, quibus induſtria & operę alterius in valore ęquiualebant, prout in aſſertione ſupponitur, erit illa vtriq; ſocio communis: & ſi aliter fieret, naſceretur ſumma inæqualitas inter ſocios; quia vnus ſeruaret totum quod ad Societatem attuliſſet, & alter qui æquiualens poſuiſſet, perderet hoc totum quod poſuiſſet: hoc autem repugnat Societatis legibus, inquit Couarr. l. Si id quod, in principio, & §. Item Celſus: & l. cum Duobus D. pro Socio, & Gloſſ. in l. 1. C. pro ſocio: & hinc rectè docet Molina: quod ſi pactum ſit (in tali ſcilicet caſu) quod ſolum lucrum diuidatur, tunc propter prædictam inæqualitatem, exorituram obligationem reſtitutionis faciendæ, quantum neceſſe eſt, vt contractus reducatur ad æqualitatem, videlicet vt qui operam & induſtriam tanti valoris contulit, recipiat dimidium quoque Capitalis, quod alter appoſuerat. Cuius rei æquitas & iuſtitia ſic poterit amplius demonſtrari: nam ponamus caſum, quod duo ſic ad communiter negotiandum conueniant, quod vnus apponet mille aureos ad emendas merces: & alter apponet mille aureos ad ſatisfaciendum rerum geſtori pro induſtria, & laboribus, pro conductione vehiculorum, vt currum, vel nauium &c. & contingat, quod finitâ ſocietate, nihil ſuperſit præter mille aureos, quos vnus appoſuit ad merces, ſatis euidens eſt, fore magnam inæqualitatem, ſi ille qui expoſuit mille in operas, & in conductionē inſtrumentorū, perderet ſuos mille, & alter ſeruaret ſuos mille integros: atq; ideo, iuſtitiam requirere quod æqualiter illos diuidant, & damnum aliorum ferant æqualiter: ergo ſimiliter, quamuis non expoſuerit mille in ſpecie: ſed exhibuit in valore, quando ipſe præſtitit induſtriam, operas, vſum nauigij, aut currum &c. quæ valent mille, debet ſimiliter hic in capitali participare: & ſi finitâ ſocietate, ſupereſſent tam ex capitali, quam ex lucro, v. g. 3000. non deberet ſic fieri iſtorum partitio, quod qui poſuiſſet 1000. in ſpecie, acciperet ante alterum, ſuos 1000. & tunc ſinguli mille quaſi ex lucro: ſed deberent primùm ſinguli accipere 1000. & tunc ſinguli adhuc quingentos.

80 Petes: Quid ſi Socij in caſu collationis eiuſmodi ad ſocietatem, conueniſſent ſimpliciter, quod finitâ Societate, diuiſionem facerent inter ſe per partes æquales, non exprimendo, an ſolius lucri, an totius ſummæ ſuperreſtantis? Reſpondetur, Intelligitur contractus in dubio de partitione totius ſummæ faciendâ: quoniam in dubio præſumendum non eſt, contrahentes voluiſſe celebrare contractum iniuſtum, qualis aliàs foret, vt iam oſtenſum fuit: vt bene notat Molina loco ſuprà citato.

Ex dictis facile erit intelligere, quod ſi Capitale pereat poſt operam, induſtriam, & præſtitum vſum inſtrumentorū, quæ Capitali ęquiualebant modo dicto, ad nihil hunc qui iſta præſtitit, teneri ſocio ſuo, qui Capitale appoſuerat: quia dum ſuas operas & induſtriam, quas appoſuerat, perdidit, tantum amiſit, quantū alter: aſt verò ſi Capitale periret, priuſquam ipſe induſtriam & labores, & alia quæ iuxta conuentionem, debebat adhibere, appoſuiſſet, tunc teneretur illi ſoluere dimidium Capitalis: quoniam nondum ex parte ſua, tantundem in valore in Societatem intuliſſet, quantum conferre tenebatur. Si verò Capitale periret, poſtquam alter ſocius partem operarum, induſtriæ, atque vſus inſtrumentorum, vt nauigij, aut curruum, vel æquorum appoſuerit, reſtaretque pars aliqua quoad valorem adhibenda, tunc ſolùm teneretur ſocio reddere dimidium valoris eius, quod reſtabat apponendum. Ita Molina ſup. & Leſſ. lib. 2. cap. 25. dub. 2.

Dico Tertiò: Si operæ, induſtria, atque vſus inſtrumentorum, quæ vnus ſocius confert, non ſunt quoad valorem iuxta primam conſideratione, æqualia Capitali, quod confert alter, ſed tamen arbitrio prudentum in illa materia, cenſentur æqualia in ordine ad lucrum faciendum, adeo vt iudicent eum qui iſta apponit, poſſe meritò æqualiter in lucro negotiationis participare cum altero, qui tantas pecunias apponit, aut ſaltem in tali vel tali proportione, tunc licitè inter illos celebrabitur contractus, quod finitâ Societate, æquè participabunt lucrum, vel alter in tali, aut tali proportione: & quod Capitale, ſi ſaluum permaneat, ad illum ſolum pertinebit, qui illud appoſuit. 81

Aſſertio hæc videtur ſatis euidens, quoniam in tali contractu ſeruatur æqualitas, prout prudentes & verſati in tali materia, iudicant, quod ſupponitur, & proinde non peccant contra iuſtitiam, qui ſic contrahunt; ergò &c. 82

Ex quibus autem ſit facienda æqualitatis æſtimatio in eiuſmodi Societatis contractu, licebit videre apud Malderum Tract. 5. c. 2. dub. 10. in quibus multum eſt tribuendum communi iudicio negotiantiū. Hoc autem addo obſeruandum, quod ex Nauar. c. 17. n. 252. monet Molina ſup. n. 4. verum non eſſe, quod Soto lib. 6. q. 6. a. 1. dicit, ſcilicet, quod dum vnus ſociorū apponit pecunias, & alius induſtriam & operas, non plus pecuniam eſſe æſtimandam ad definiendam ſiue determinandam partem lucri, quæ poſſit ei compe-

competere qui pecuniam contulit, quã æſtimandum ſit periculum cui illa exponitur. Quod inprimis Molina declarat quaſi à poſteriori, quia inde ſequeretur, quod ille qui ingentẽ pecuniæ ſummã cõtuliſſet ad negotiationẽ valde tutã quæ veluti ſine periculo eſt, ex qua tamen ſperetur magnum lucrũ, & interim ſine ſingulari quoq; induſtria & magnis laboribus poteſt peragi, ferè nihil de lucro poſſet percipere: ſed penè totum pertineret ad illum qui modicas operas, & exiguã induſtriam adhibuiſſet: quod tanquam manifeſtè falſum (inquit) reſpuit intellectus. Deinde cum tanta pecuniæ ſumma, præcipuè ad lucrum cooperetur, & operetur vt inſtrumentum eius qui appoſuit & periculo ipſius, abſurdum omnino apparet, affirmare, eum qui appoſuit, poſſe ſolùm participare de lucro, quantum æſtimabitur periculum, & non ſimul letiam ex illo capite, quod effectus ille, ſcilicet ucrum, ab ea ſimul pendeat, & quaſi cauſetur.

83 Supponit autem Dom. Soto, quod periculum Capitalis remaneat penes illum, qui illud appoſuit, & rectè: quia quando illa quæ hinc inde conferuntur, ſe habent in proportione iuxta tertiam aſſertionem, & ſic celebratur contractus, verum tunc eſt, ſi Capitale pereat, perire totum ei, qui illud attulit, quia apud eum ſolum quoque manet eius dominium, quando talis initur contractus. Itemque ſi is qui operas erat collaturus, nondum eas impendit, vel non integras, & capitale totum perierit, non tenebitur aliquid alteri reſtituere, ratione operarum, quas nondum adhibuit: quia eâ lege cenſet:r talis contractus celebrari, vt ad alterũ ſociorũ ſpectet periculũ totius capitalis, ſicuti ſi maneat ſaluum, ipſi quoq; ſoli reſeruatur totum: ad alterum verò ſpectet ſolum adhibere induſtriam & operas, aut ſimul vſum nauigij, vel rei ſimilis, quamdiu Capitale fuerit ſaluum: illo autem perdito, non amplius teneatur iſta præſtare: neque eſt hoc iniquum, quandoquidem ſemper quando nullum eſt lucrum, hic amittat totum quod apponit: Alteri autem poſſit manere ſaluum & integrum quod appoſuit, puta capitale pecuniarum, aut mercium, ſi hoc non perierit.

84 Dices: Videtur iniuſtum, quod conferens operas & induſtriam & vſum inſtrumentorum, perdat ſemper totum quod appoſuit, quando non fit lucrum: alter autem retineat totam ſuam ſortem, ſi ſuperſit, aut ſaltem quidquid de eâ ſupereſt. Reſpondetur negando aſſumptum: Et ratio eſt, quia in primis alter amittit interuſurium ſeu intereſſe ſuarum pecuniarum: potuiſſet enim ex ijs capere lucrum applicando ad reditus vel fundos emendos. Deinde, quia exponit quid longè maius periculo perditionis, quã qui confert induſtriam & operas; quia Capitale quod apponit, poteſt valere ſeptingenta ſecundum æſtimationem rei in ſe: vbi induſtria, & operæ & reliqua, quæ apponuntur ab alio non valebunt centũ iuxta æſtimationem rei in ſe, vt ſupra cum Molina diximus, quamuis in ordine ad faciendum lucrum per negotiationẽ iudicio prudentum in tali materia cenſeantur æqualia: quare ex iſto capite non reperitur quoque iniuſtitia in illa ratione contrahendi.

Et forſitan non rarò celebrantur hoc ſenſu & modo iuxta tertiam aſſertionẽ, contractus Societatis: Idque poteſt eſſe fundamentum iſtorum Doctorum, qui dicunt ſolum lucrum inter Socios eſſe diuidendum, quod, ſubducto Capitali, remanſerit, & Capitale integrum ad illum ſolum pertinere, qui illud appoſuit: quam ſententiam tradunt Dom. Soto ſup. Nauarr. cap. 17. nu. 251. & ſequentibus Bonac. ſupra, pnncto 3. nu. 1. quin & Caiet. in Summa V. Societas: vndè quidam exiſtimant eum mutaſſe opinionem. Accedunt ad prędictam ſententiam Silueſt. V. Societas: q. 6. & ibidem Angel. n. 10. & alij: quamuis multi addant, licitè aliquando in pactum deduci, tum vt capitale ad omnes pertineat, tum etiam, vt, ſi pro parte pereat, ex reliquo tamen, debeat pars aliqua obuenire ei qui operas & induſtriam appoſuit: vt refert Molina diſp. 416. Quæ in caſu ſecundæ aſſertionis noſtræ habent locum: & proinde videtur Doctorum dicta in ſpecie diuerſa, poſſe conciliari iuxta diuerſos caſus ſecundæ & tertiæ Aſſertionis.

DVBIVM VII.

Vtrùm in contractu ſocietatis mercatoria, quis poſſit curare ſe aſſecurari de ſorte & de certo lucro?

OBſeruandum eſt, Duobus modis id poſſe practicari: quod quis curet ſe de ſorte, & de certo lucro aſſecurari: Vno modo, per vnum aliquem contractum in externa ſpecie quaſi ſimplicem, ſed tamen implicitè, & virtualiter multiplicem, ſeu continentem plures contractus. Alio modo, mediantibus pluribus cõtractibus expreſſis, qui ſolent aut poſſunt eſſe hi vel tales: puta quod Primò quis ineat contractum ſocietatis mercatoriæ, quo conueniat cum vno, aut pluribus, quòd ſinguli conferent, v. g. mille in maſſam communem, quæ fiat omnium; ita vt ſinguli efficiantur domini totius ſortis partialiter ſeu partiali dominio, idque ad gerendam negotiationem communi nomine, & communibus operâ, ſumptu, periculo, & ſpe lucri; vel etiam quòd vnus inferat maiorem ſum- 84

Digitized by Google

rem ſummam pecuniæ, ſed alius impendat labores & induſtrias, quæ in ordine ad lucrum ſperatum poſſunt tanti æſtimari, quanti maior illa quantitas pecuniæ, quam alter confert, ita vt inter illa duo ponatur æqualitas, prout iſta dub. præcedenti circa ſecundam & tertiam aſſertionem latius explicuimus. Deinde quod ſecundò ineat contractum cum aliquo de aſſecurandâ ſibi ſorte capitali, quam in eiuſmodi ſocietate, negotiationi habet expoſitam, vt, ſi contingat eam, quocumque modo interire aut deperdi, debeat iſte illam integram reponere; pro quo periculo & onere ſubeundo redditur illi iuſta compenſatio, quæ prudentum iudicio æſtimatur ſuſceptioni illius periculi æqualis. Denique quòd vlteriùs & Tertiò idem contrahat, & quaſi vendat ſuum lucrum ſperatum ex negotiatione, quæ fit in ſorte eius quam appoſuit, pro aliquo determinato & certo pretio, quod ſibi debeat perſolui, ſiue ex negotiatione ſuccedat lucrum magnum aut paruum, ſiue etiam nullum. His præmiſſis

86 Respondeo & Dico Primò: Mediantibus tribus eiuſmodi expreſſis contractibus poteſt quis iuſtè & licitè ſe curare aſſecurari de ſua ſorte, & de certo aliquo lucro, ſaltem quando ſecundum, & tertiũ contractũ facit cum aliquo, qui non eſt de ſocietate mercatoria, vbi ſortem depoſuit. Hæc Concluſio ſub iſtis terminis à nullo videtur omninò negari.

Et probari poteſt, diſcurrendo breuiter per ſingulos iſtos contractus. Nam quod contractus illi ſocietatis ſint liciti, iam ante oſtendimus: nec eſt, qui dubitet de illis in communi loquendo: quod enim per me ſolùm poſſum, vt v. g. negotiari & lucrari, id quoq; poſſum cum alio, & per alium: hominem enim cum homine inire ſocietatem ad rem honeſtam, omnia iura permittunt.

87 Quòd ſecundus quoq; contractus ſit iuſtus & licitus, declaratur: quandoquidem enim periculum ſortis ſit pecuniâ æſtimabile, nulla apparet in eo iniuſtitia, quòd vnus alteri volenti ſuſcipere pro pretio, hoc illi imponat, & alter de iuſta compenſatione pro periculo ſuſcepto ſtipuletur, poſitâ ſcilicet inter illa duo, ex prudentum iudicio, æqualitate, prout poni poteſt: neque in eo contractu apparet alia turpitudo, in genere de illo loquendo.

Eadem eſt ratio de contractu tertio: quià ſpes maioris lucri, & ſuſceptio periculi de nihil lucrando, ſunt quoque pretio æſtimabilia; ergò ſuper iſtis poteſt iuſtè & licitè contrahi, vt ſcilicet vnus in alium transferat ſpem maioris lucri, quam habebat, & alter ſuſcipiat periculum de nihil lucrando, faciatque eum, cum quo contrahit, ſecurum de aliquo determinato lucro, poſitâ ex prudentũ iudicio inter duo illa æqualitate.

Dico Secundò: Non tantùm poteſt quis inire prædictos contractus cum diuerſis, ita vt poſteriores ineantur cum alijs extra Societatem, verùm etiam, vt omnes cum vno & eodem, qui ſocius ſit, fiant, quando fiunt ſaltem ſucceſſiuè, & interpoſito tempore. Eſt contra Dom. Soto lib. 6. q. 6. art. 2. qui abſolutè negat cum eodem, cum quo initus eſt ſocietatis contractus, poſſe iniri contractum aſſecurationis de ſorte, & de certo lucro, ſiue ſimul tempore, ſiue ex temporis interuallo, cum quo ſentiunt Arrag. 2. 2. q. 78. art. 2. Panorm. Cap. per Veſtras De don. inter virum & vxorem, & quidam alij. Sed Aſſertio magis communiter tenetur: ita enim Caiet. Opuſc. 17. Reſp. 11. Reſponſionum, Syluester V. Societas 1. q. 2. ibid. Angelus n. 7. Nauarr. cap. 17. nu. 255. Couarr. lib. 3. var. cap. 2. n. 3. & 4. Molina ſup. diſp. 417. n. 8. Toletus lib. 5. cap. 41. Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 24. p. 2. & q. 25. p. 2. Bonac. De Contract. diſp. 3. q. 3. puncto 11. cum multis quos citat. 88

Probari poteſt Primò, ex l. Si non fuerint 29. D. Pro ſocio, vbi dicitur, ita coiri ſocietatẽ poſſe, vt nullam partem damni alter ſuſtineat: quod aliâ ratione fieri non poſſe videtur, niſi contractui ſocietatis addendo contractum aſſecurationis. Pro eodem allegantur à Bonac. Cap. per Veſtras: ſup. & Cap. vnicum De Commodato. 89

Probatur Secundò: Quia nulla ratio videtur prohibere, quo minùs poſt contractum ſocietatis liberè & iuſtè initum, poſſit ſocius ſuſcipere in ſe periculum ſortis alterius, eumq; de illa aſſecurare pro eo pretio, quo tertius aliquis extra ſocietatem ſuſcipere eſt paratus. Imò nec contra rationem eſſet, quòd minori pretio illud ſuſciperet, vt ſcilicet à neceſſitate & moleſtijs computuũ ſe liberet, &, ſi in negotiatione ſit verſatior, ne teneatur ſua ſecreta, atque induſtriam alteri explicare.

Sed opponit Soto, non parem eſſe rationem, quando illi aſſecurationis contractus ineuntur cum tertio, & quando cum ſocio: quia quando cum ſocio, tunc, inquit, eſt verum mutuum, & ceſſare videtur contractus ſocietatis mercatoriæ, ac proinde non poteſt tunc alter eſſe particeps lucri, & ſic iniuſtè accipit pro eo, aliquid. Tunc autem eſſe verum mutuum, ſic conatur oſtendere: quia periculum illius pecuniæ, inito iam aſſecurationis contractu, eſſet penes ſolum aſſecurantem; ergò hic modò eſt illius pecuniæ dominus, quia periculum eſt eius, cuius eſt dominium. Deinde poſſet ſocius iſtâ pecuniâ iam dotare ſuâ filiâ, & prout libuerit, pecuniâ vti; ergò &c. 90

Reſpondetur, Negando idcirco fieri mutuum, & ſimiliter negando dominium

iſtius

illius pecuniæ tranſire in ſocium: ſed remanet pecuniæ dominium apud illum, qui eam in ſocietatem mercaturæ contulit.

91 Vnde ad illud, quod primo loco in probationem adducitur, ſimpliciter negandum eſt, eum ſemper eſſe dominum rei, qui amiſſionis, vel interitus eius ſubit periculũ, vt euidenter conſtat in contractu aſſecurationis cum tertio, & in omni contractu fideiuſſionis. Rurſum ſi emam merces ab aliquo, & poſtea cum eodem ineam contractum ſecuritatis, donec ad locum, vbi eas diſtrahere intendo, fuerint aduectæ, non efficietur ille idcirco dominus harum mercium, quia ſubit & ſuſcepit periculum tranſuectionis.

92 Similiter ad illud, quod ſecundo loco adducitur, Reſpondetur, negando poſſe illum dotare filiam, aut poſſe ſortem quam appoſuit, propter initũ aſſecurationis contractum à negotiatione extrahere me inuito & repugnante. Si tamen inde nihil incommodi timerem perſentire, poſſem illud permittere: & tunc quidem hoc ipſo, quo illam negotiationi ſubtraheret, cenſeretur eam ſibi mutuo ſumere, & poſſet nihilominus mihi teneri in tantum, in quantum anteà; ſed iam alio titulo, ratione ſcilicet lucri certi mihi ex illa pecunia ceſſantis, non ratione mercatoriæ ſocietatis.

Simili modo poſſet quis vti depoſito alterius: vnde tamen non ſequitur, illum fuiſſe dominum depoſiti, ſed tunc demùm incipere eſſe dominum, quando cùm prioris domini tacito vel expreſſo conſenſu, illud à ratione depoſiti alienauit, & inter ſua tamquam ſuum accepit.

93 Dico Tertiò: Non ſolùm ita cum vno de ſocietate ipſa mercatoria, licet ſucceſſiuè inire contractum aſſecurationis, ſed etiam eodem tempore, & eodem quodam tractu, atque adeo cum dependentia vnius contractus ab altero, ita vt non velis eſſe ſocius cum aliquo in negatiatione, niſi velit tecum conuenire, quid illi ſis daturus, vt tibi ſortem aſſecuret, & à te quaſi emat certo aliquo pretio lucrum ſperatum. Eſt contra Caietanum loco ſuprà citato. Sed præter Doctores allegatos pro aſſertione precedenti, inſuper ſic quoque docent, quod eodem ſcilicet tempore licitè id fiat, Lopez lib. 1. De contractib. cap. 64. Eman. Rodriguez in Sum. Caſuum p. 1. quæſt. 46. Franciſcus Garcia De contract. p. 2. cap. 17. Bartholomæus Medina in ſua Inſtruct. §.27. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. n. 443. Malderus ſuprà dub 9. Leſſius lib. 2. c. 25. dubit. 3. Et ex antiquioribus, Ioannes Maior in 4. diſtinct. 15. quæſt. 27. Gabr. ibidem, quæſt. 11. dub. 10. Fumus V. Societas, num. 6. & à Valentia ſuprà refert Romæ ad 1581. ſe præſente complures Theologos ſuo ſuffragio illam ſententiam comprobaſſe: vnde non parùm probabilitatis accedit ab authoritate Doctorum, qui ſic ſenſerunt, & qui modò ita ſentiunt.

Probat Nauarr. ſuprà cap. 17. nu. 256. ex Cap. Per veſtras De donatione inter virũ & mulierem, vbi Papa iubet, vt marito vergente ad inopiam, dos vxoris deponatur apud aliquem mercatorem, quo ex parte lucri honeſti onera matrimonij ſuſtentet: & ita (inquit Nauarr.) intentio eius fuit, vt dos ſalua ſeruaretur, ſiquidem ob hoc iubet illam à marito auferri, & ita videtur noluiſſe inprimis, quòd ad lucrum & ad damnum mercatori traderetur, hoc enim erat eã periculo obijcere: voluit tamen certum aliquod lucrũ inde prouenire, ad matrimonij onera ſuſtinenda: atqui hæc duo non poſſunt fieri aut obtineri, niſi cum contractu Societatis ſimul ineatur cum mercatore contractus aſſecurationis tum de ſorte, tum de aliquo determinato & certo lucro; ergo tacitè voluit Papa iſta fieri, infert Nauarrus.

Probatur Secundò: quia quando plures aliqui contractus cum diuerſis initi, ſunt iuſti, & liciti, tum ijdem poſſunt iuſtè & licitè iniri cum vno & eodem, vt circa aſſertionem præcedentem eſt demonſtratum; 94
ergo ſimiliter, quando plures aliqui contractus cum vno & eodem ſucceſſiuè initi, fuerint iuſti & liciti, poterunt quoque ijdem ſimul vno tempore & continuo tractu cum eodem iniri: nam quod ſimul fiant, vel quod ſucceſſiuè fiant, non mutat iuſtitiam nec honeſtatem, modò in contractibus ſeruetur ſemper æqualitas inter res, aut quaſi res ſuper quibus contrahitur, nam iuſtitia cõſiſtit in æqualitate rei ad rem; & ſicuti non in habitudine ad hanc vel illã perſonam cum qua contrahitur, ita neque ad hoc vel illud tempus, quo contractus ſeparatim, aut ſimul celebrantur, quando hoc non inducit aut ſecum adfert variationem circa pretium rerum inter quas fit commutatio. Confirmatur, quia ſi intercederet hic aliqua iniquitas, maximè videretur ex eo prouenire, quod alter ſocius obligaretur ad aliquid ſupra contractum ſocietatis: atqui hinc non intercedit, quia non obligatur ad hoc ex vi contractus ſocietatis: quod admittimus fore iniquum: ſed obligatur ex alio contractu, in quo datur noua compenſatio æqualis grauamini quod imponitur, vt ex infrà dicendis magis conſtabit: ergo &c.

Et quidem authores citati omnes ſatis clarè videntur hoc docere, quòd ſicuti ſucceſſiuè, ita etiam ſimul tempore cum vno & eodẽ poſſint plures eiuſmodi cõtractus fieri: ſed nõnulli ex ipſis addunt, modò mercator ſiue ſocius, qui aſſecurationem præſtat, id liberè faciat. Ita Toletus ſup. vbi non videtur admittere, quòd quis ſocium cum quo

quo init contractum ſocietatis, ſimul obliget ad ſecundum & tertium, ſed quod velit eum eſſe liberum, ſicuti tertius aliquis extra ſocietatem, liber eſt. Idem innuit Angelus, Silueſt. Ioan. Maior, & Lopez locis ſup. citatis. Quare videntur hi reijcere illam dependentiam vnius contractus cum altero, quam in aſſertione cum alijs DD. admittimus, & exemplariter explicuimus.

95 Eſt quidem verum, quod modus hic videri poſſit præſeferre ſpeciem mali, vtpote ſub quo queant palliari vſuræ, dum quis dicit ſe cum altero velle inire ſocietatem mercatoriam, & pecunias conferre, ſed eâ tantùm lege, quòd alter mediante iuſta compenſatione aſſecurabit illum de ſorte, & rurſum pro lucro maiori incerto, aſſecurabit de aliquo minori certo: quia videtur tantùm quaſi velle alteri pecunias mutuare: nihilominus tamen ſi rectâ intentione procedat & contractus illos faciat, non deprehendetur in eis iniuſtitia, vt ſi quis cum aliquo, quem ſcit, aut bonâ fide exiſtimat negotiaturum in pecunijs illis, eoque nomine cupiat cum illo inire contractum ſocietatis: Interim verò ob rationabiles cauſas, vt v. g. ad vitandas moleſtias & difficultates, vel etiam aliorum fraudem quæ ſolent circa cõputationes de lucro, & circa eius partitionem faciendam obuenire, in quibus contingit illum non eſſe verſatum. Item ad vitandum periculum ſortis, & ob ſimilia, mavult ex Societate expectare minus lucrum, quàm alioquin moraliter loquendo, ex eâ perciperet: Et ideo non vult inire ſocietatis contractum cum illo, niſi velit hanc legem acceptare, quod mediante iuſtâ compenſatione, illum de ſorte aſſecurabit, & quod rationabili certo pretio emet lucrum maius incertum, quod moraliter poſſet exſpectare: quæ ſi ita fiant, non apparet ſanè in illa ratione contrahendi tali animo & intentione, aliqua vſuræ labes à parte rei, aut iniuſtitia: etſi addat quòd alioquin potiùs cum altero, qui id præſtare paratus erit, ſocietatem inibit.

96 Probatur: quia tres illi contractus ſunt liciti & compatibiles, & abſque iniquitate poſſunt etiam cum vno ex ſocijs, ſiue ſucceſſiuè, ſiue ſimul fieri, vt prædicti authores admittunt, quando onus aſſecurandi ſocius liberè ſuſcipit, & proinde poſteriorem contractum independenter facit à priori; ergò etiam iuſtè fieri poterunt cum dependentia tali vnius ab altero ſicuti poſuimus.

Probatur Conſequentia: quia quando duo aliqui contractus ſunt mihi liciti & liberi (vt ſuppono hîc eſſe) poſſum velle cum aliquo inire vnum eâ lege, quòd inibit quoque alterum mecum, ſeruatâ ſemper in vtroque debitâ æqualitate. Ita enim poſſum vélle tibi vendere agrum iuſto pretio, eâ lege, quòd mihi vendes iuſto pretio domum tuam, & alioquin minimè velim tibi vendere, item locare tibi domum eâ lege, vt mihi loces agrum.

Confirmatur: quia in vtroque ſeruatur ſecundum ſe æqualitas, vt ſupponitur, atqui hæc per legem ſeu conditionem illam, quâ vnus non vult priorem inire, niſi & ſecundus ineatur, non tollitur. Declaratur, quia iſta dependentia non poteſt dici iniquè grauare alterum, quia poteſt alter vtrumque contractum omittere & recuſare, ſi timeat plus incommodi incurrere ex poſteriori, quàm commodi ex priori percipere. Vnde etiam fit, quòd quamuis forſitan minùs libenter ſecundum ineat, tamen ſimpliciter liberè ineat: & quidem niſi exiſtimaret ſibi vtilius eſſe, inire vtrumque, quàm omittere, haud dubiè recuſaret, hoc enim illi omnino liberum eſt. Quare etiam in iſto modo & forma ineundi illos contractus, non videtur ſubeſſe iniquitas ſiue iniuſtitia. 97

Sed contra dicta

Obijcitur Primò: Per pacta illa aſſecurationis videtur euerti natura ſocietatis. 98 Confirmatur, quia de huius ratione eſt, vt partes ſocietatem ineuntes, in ea ſint æquales, vel ſimpliciter, vel proportionabiliter iuxta quantitatem, ſiue pecuniæ, ſiue laborum, quam ad eam conferunt. Quando igitur aliquis de ſocietate non eſt obnoxius periculis de ſorte, & de lucro, ſicut alij, videbitur leonina ſocietas, vt loquitur l. Si non fuerint D. Pro ſocio, quia participabit vnus de commodis, & non de incommodis.

Reſpondetur Negando Aſſumptum. Ad Confirmationem autem reſpondendum eſt, illud, quod dicitur, ad rationem ſocietatis pertinere, vt partes ſint æquales, intelligendum eſſe, quantum eſt, ſcilicet ex parte contractus ſocietatis. Vnde ſi quis ex eo ſolo, quòd ſocietatem mercatoriam cum altero init, velit ſibi caueri de periculo ſortis, & nihilominus æqualiter cum alijs participare in lucris, omninò eſſet iniquus ille contractus, quia grauaretur alter ſupra naturam contractus ſocietatis, & verè eſſet ſocietas leonina, quia vnus eſſet immunis à damnis, & par in lucris.

Sed non eſt contra naturam ſocietatis, neque eam efficit leoninam, quando ſocietate initâ, ex qua omnes ſecundùm proportionem in omnibus commodis & incommodis ſunt æquales, aliquis eorum nouum init contractum cum vno, vel cum reliquis, quo liberetur ille à periculo damni, ſed minus habeat de ſperato lucro, quam cęteri, & ita ad æqualitatem alijs compenſetur periculũ, quod in ſe ſuſcipiunt: quia quemadmodum iſte non eſt iam æqualis in periculis,

tulis, ita non eſt æqualis in ſperatis lucris. Atque ita ex duabus illis inæqualitatibus exurgit inter ſocios, ſimpliciter loquendo quædam æqualitas: & ſicuti id eo modo non repugnat rationi ſocietatis fieri ſucceſſiuè, ita neque quòd ſimul fiant, modò ſic inter ſocios conſtituatur æqualitas.

99 Obijcitur Secundò, Bulla Sixti V. quæ incipit Deteſtabilis; vbi ſic loquitur Pontifex: Damnamus & reprobamus omnes & quoſcumque contractus, conuentiones, & pactiones, poſthac ineundos ſeu ineundas, per quos ſeu quas cauebitur perſonis, pecunias, aut animalia, aut quaſlibet res, ſocietatis nomine tradentibus, vt etiamſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem fieri contingat, ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrum à ſocio ſuſcipiente reſtituatur, ſiue vt de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur; ſtatuimuſque huiuſmodi contractus, conuentiones, & pactiones vſurarios & illicitos poſthac cenſeri debere, & impoſterum non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradunt, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter ſe paciſci. Hactenus Pontifex: quibus manifeſtè videtur reijcere pacta illa, quibus aliquis in ſocietate aſſecuratur de ſorte, aut de certo lucro.

Reſpondet Bonacina ſuprà diſput. 3. quæſt. 3. puncto 11. & quæſt. 6. p. 3. à Pontifice damnari ſocietatem eiuſmodi, quoties periculum Capitalis ſtat penes accipientem ob ſolum ſocietatis contractum: non ſic, ſi periculum capitalis reijciatur in accipientem per contractum licitum aſſecurationis, quando hic additur: quod dicit patere ex deciſione Rotæ apud Farinacium deciſ. 137. & 180. quod etiam tenet Reginaldus lib. 25. num. 400. Molina ſuprà De contractib. diſput. 417. & indicat quoque Leſſius.

100 Alij autem reſpondent admittendo verũ eſſe, quòd Pontifex ibi prohibuerit contractus illos impoſterum fieri, eoſque iuxta præſumptionem fori externi, lege poſitiuâ de cætero damnaſſe: ſed quandoquidem Bulla illa non fuerit ad vſum reducta, ne per Italiam quidem, vbi maximè viget & viguit ſemper iſta forma contrahendi, vt Doctores annotant, neque ſeriosè curauerit Pontifex (vt apparet) eam obſeruari: neque vniuerſaliter publicari, hinc dicunt rem illam manſiſſe in terminis iuris naturæ, quandoquidem lex illa poſitiua contraria, non obtinuerit.

Ex dictis autem hactenus ſatis videtur conſtare, quòd, in terminis iuris naturæ conſiſtendo, nihil iniuſtitiæ, nihilque contra rectam rationem in contractibus illis legitimè initis inuoluatur, quare nec modò debent cenſeri iniuſti aut illiciti. Ita Malderus Tract. 5. cap. 2. dub. 9. & ſatis accedit Leſſius lib. 2. cap. 25. dub. 3. nu. 33. & videtur hæc reſponſio ſolidior.

Sed Replicabit aliquis: Dicit Pontifex, Statuimuſque huiuſmodi contractus vſurarios & illicitos cenſeri debere: per hoc autem videtur indicare eos ex natura rei eſſe illicitos, etiam antecedenter ante ſuam conſtitutionem. 101

Reſpondetur: Non dicit Pontifex, Declaramus eos vſurarios & illicitos, quod efficaciùs premeret; ſed, Statuimus eos debere cenſeri vſurarios & illicitos, idque non abſolutè: ſed poſthac. Vnde ſatis liquet, non voluiſſe Pontificem declarare ſeu ſignificare, contractus illos naturâ ſuâ eſſe vſurarios & illicitos: nam alioquin non addidiſſet, Debere poſthac tales cenſeri: neque dixiſſet, Statuimus eos debere tales cenſeri, ſed, Declaramus eos eſſe tales. Quare tantummodò ſtatuit (quòd & verba ſonant) ſcilicet quod de cætero deberent haberi tamquam vſurarij, videlicet ex præſumptione, præſertim in foro fori, & illiciti propter prohibitionem, quam faciebat.

Obijcitur Tertiò, Cap. Nauiganti De vſuris, quod ita habet: Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd in ſe ſuſcipit periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus: atqui videtur hoc aduerſari antè dictis; ergò &c. 102

Reſpondetur: Textus illius Capituli obſcurus eſt: interim loquitur de caſu mutui, vt patet ex verbis, certam mutuans pecuniæ quantitatem. Quare impertinenter allegatur contra contractus, de quibus hîc agitur: ſiue ſenſus ſit, quòd ille vſurarius ſit cenſendus, qui nauiganti, vel eunti ad nundinas, dat mutuum, cum hoc onere, quòd mutuatarius cum eo debeat conuenire, vt periculum in ſe ſuſcipiat, & aliquid lucri vltra ſortem ita ſit recepturus, vti Silueſter V. Vſura 1. quæſt. 35. & alij quidam interpretantur; quia fieri poteſt, inquiunt, vt onus hoc quod mutuatario tunc imponitur, ſit pretio æſtimabile: ſiue ſenſus ſit, quòd iſte ſit cenſendus vſurarius, qui mutuum dat nauigãti vel eunti ad nundinas eâ lege, vt mutuatarius periculum ſubeat, & tamen debeat reddere partem lucri vltra ſortem, vt magis ad textum conformiter alij exponũt. Neutro enim ſenſu hîc ad rem facit textus ille: quia in contractibus, de quibus hîc agitur, dicimus non intercedere mutuũ, & proinde ratione mutui, nihil vltra ſortem recipi, ſed alio iuſto titulo, nempe iure ſocietatis in commercijs, ratione cuius mihi competit, quod eſt quaſi reſiduum 103

Digitized by Google

ex lucro ſperato, poſtquam inde eſt deductus ſumptus, & quaſi pretium duplicis aſſecurationis, quæ mihi præſtita fuit.

104 Dico Quartò: Ex aſſertionibus poſitis inferunt Doctores qui eas tenent, etiam poſſe aliquem aſſecurari de ſorte in negotiationem conferendâ, & de aliquo determinato lucro ex negotiatione, per vnum contractum, implicitè & virtualiter continentem contractus illos triplices; ſiue, quod in idem redit, tres illos contractus poſſe fieri per modum vnius: v. g. ſic conueniendo confero hanc pecuniam ad negotiandum tecum, & do tibi totum lucrum ex negotiatione proueniens eâ lege, vt obliges te pro mea ſorte, & ſoluas mihi, quamdiu in ea fiet negotiatio quinque aut ſex in centum annuè, prout ſecundùm rationem temporis & mercaturæ, prudentes & verſati in illa arte iudicabunt eſſe iuſtum: aut etiam hoc pacto, ſi velis negotiari meâ pecuniâ, ſortem aſſecurare, & ſoluere quinque aut ſex in centum, conferam tantum vel tantum ad negotiationem, & habebis tamen totum lucrum ex negotiatione proueniens. Ita Molina ſuprà nu. 8. Mald. Leſſ. Bonac. & alij.

105 Probatur, quia hic vnus contractus importat & includit omnia, quæ vtrimque ſunt conferenda & commutanda; quæque tres alios contractus ingrediuntur. Vnde hæc, aut ſimiles formulæ in diuerſis Emporijs vindicantur ab vſura & iniuſtitia: Ego infrà ſcriptus confiteor hoc meo chirographo, me accepiſſe à Titio mille aureos, vt eos impendam legitimæ negotiationi, & loco incerti lucri maioris, quod illi ex hac negotiatione poſſet competere, promitto me daturum quinque aut ſex in centum, ſingulis annis, & eiuſdem ſummæ periculum præſtiturum: quia virtualiter hîc eſt triplex ille contractus, quem diximus eſſe iuſtum & licitum, maximè quando vtraque pars omninò voluntariè & liberè in illum conſentit, non minùs, dum fiunt ſimul, aut per modum vnius, quàm ſi ſeorſim aut ſucceſſiuè fierent.

Sed contrà opponitur: quòd vſuræ pupillares multis legibus & conſtitutionibus ſint prohibitæ & damnatæ; ergò videtur etiam huiuſmodi contractus reijciendus, quaſi videatur eiuſdem quodammodò eſſe rationis cum illis.

106 Reſpondetur Negando Conſequentiam: & ad Confirmationem dicendum, quòd magna inter vtrumque ſit differentia; quia illæ vſuræ pupillares proueniunt ex mutuo puro & propriè dicto, quod appellant depoſitum, neque habent alium titulum: nam deponebantur pupillorum pecuniæ indifferenter apud quoſcumque, qui eis indigerent, aut eas expeterent, ad quoſcumque vſus, ſiue ad familiæ ſuſtentationem, ſiue ad ſuorum debitorum ſolutionem, ſiue alio fine, cum conditione & pacto, quòd annuè inde aliquid ad pupillorum ſuſtentationem ſolueretur, quodque capitalis ſumma intra certum tempus, aut pro oportunitate pupillorum integra reſtitueretur. Vnde illa pecuniarum depoſitio erat vera & pura mutuatio, cum pacto recipiendi aliquid vltra ſortem, atque ita merito contractus ille tamquam vſurarius eſt interdictus & damnatus.

Quin imò, ſi quis etiam cum tribus prædictis contractibus, ſiue implicitè, ſiue expreſsè initis, tradat pecuniam ſuam alicui, quem non credit in ea negotiaturum, palliata erit vſura: neque enim talis negotiationem, & ex ea lucrum intendit, ſed cenſetur ex mutuatione pecuniæ quæſtum expectare. 107

Similiter ſi det illi, quem credit quidem negotiaturum, verum ad hoc non attendit, nec curat, an negotietur, an non, ſed in eum transfert dominium ſuæ pecuniæ, cum conditione, vt tempore conſtituto, ſortem ſibi cum certo emolumento reſtituat: quia moraliter cenſetur tantùm dare pecuniam mutuo.

Neque diſſimilis erit ratio, ſi quis det mercatori pecuniam, vt ipſe ſolus, ſine actuali aut virtuali ſocietate, in illa negotietur, cum pacto interim adiuncto de reddenda ſorte cum aliquo incremento, ad placitum deponentis, vel poſt determinatum tempus. Ita docet Molina diſp. 417. n. 9.

Quare in pecunijs exponendis cum ſpe alicuius emolumenti, oportet ſollicitè attendere, quâ formâ contractus, quo animo & quâ intentione exponantur vel alteri tradantur: nam lucrum quod ſecundùm vnum genus contractus rectâ intentione initi, iuſtum eſt & licitum, id iuxta aliam contractus formam, aut contrahendi intentionem erit iniquum & reſtitutioni obnoxium. 108

Debet itaque dari ſeu conferri ad negotiationem vt cooperetur, & accedente alterius induſtria pariat lucrum, non à ſe alienato dominio: attamen qui dat, poteſt cum altero conuenire, vt periculum ſortis mediante iuſta compenſatione in ſe ſuſcipiat, vt dictum fuit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT OCTAVVM,

De Cenſibus, Cambijs, & de Conducto & Locato.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Cenſus, & quotuplex?

1 NOMEN Cenſus diuerſa habet ſignificata, vt videre eſt apud Couar. lib. 3. Variarum Reſol. cap. 7. n. 1. Aliquando enim ſignificat fortunas ſeu diuitias, vt in hoc dicto, *Dat cenſus honores, cenſus amicitias*: aliquando ſignificat æſtimationem fortunarum, quâ vniuſcuiuſque vires fortunarum æſtimantur & cenſentur, quantæ ſunt, vt intelligatur, quantum quiſque tributi nomine debeat Principi ſoluere: vt habetur l. Vitia, l. Forma, l. Per diſcurſum D. De cenſibus, & l. 2. & 3. C. De cenſibus. Aliquando ſumitur pro ipſo tributo, quod capitatim, vel ſecundùm fortunas, Principi ſoluitur, vt Matthęi 22. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Aliquando accipitur pro omni eo, quod annuatim ſolet dari in ſignum ſubiectionis eius, qui ſoluit, & dominij illius, cui ſoluitur. Vide plura de varijs acceptionibus huius nominis apud Salas Tract. De cenſibus dub. 1.

In propoſito autem ſumitur non pro pecunia, vel re aliqua materiali, ſed pro re quodammodò ſpirituali, iuxta modum loquendi Iureconſultorum, ſeu immateriali, videlicet pro certo iure in re alterius aut perſonâ: quam cenſus ſignificationem colligit Nauar. Comment. De vſuris n. 69. ex cap. penult. De cenſibus, & cap. Præterea De iure patronatus. His præmiſſis

2 RESPONDEO & DICO Primò: Cenſus generaliter, de quo nobis hîc eſt ſermo, & qui alio nomine communiter vocatur Reditus, rectè deſcribitur ius percipiendi annuam penſionem ex re vel perſona alterius, vtili aut frugifera. Sumitur ex Dominico Soto lib. 6. quæſt. 5. artic. 1. vbi dicit quod cenſus ſit penſio, quam quis conſtituit ſuper bonis ſuis, vel perſona: vbi nomine penſionis intelligit ius quod quis alteri vendit, vt penſionem percipiat, vt in ſequentibus ſatis indicat. Et à pleriſque DD. ſimili forma deſcribitur. Toletus quidem lib. 5. cap. 42. à Valentia diſput. 5. quæſt. 22. puncto 1. & Arragon. 2. 2. quæſt. 78. artic. 4. ſub finem omittunt illam particulam, Aut perſona, ſed dicendi ſunt vel definire tantum cenſum realem: aut certè ſub nomine rei etiam comprehendere perſonam, quia & illa eſt res fructifera & vtilis: idque ſatis innuunt illa, quæ Arragonius dicit in ſequentibus.

Dicitur itaque eſſe ius quoddam, quia cenſus non eſt ipſa penſio quæ ſoluitur, ſed ius exigendi quotannis certam penſionem. Huic iuri reſpondent in re vel perſona ſeruitus, & debitum præſtandi penſionem, vt tradit Conrad. quæſt. 72. ſuppoſitione 1. & ex illo Mald. Tract. 5. cap. 5. dub. 1. Vnde fit, vt qui vendit cenſum, non vendat pecuniam aut fructus annuos, ſed propriè ius exigendi certam pecuniæ ſummam, aut certos fructus ex re aut perſona. Quemadmodum qui agrum vendit, non dicitur vendere fructus, quos ſingulis annis producet. Quod etiam inde confirmari poteſt, quia fructus aut pecuniæ ſunt inter bona mobilia: cenſus autem ſiue reditus annumerantur bonis immobilibus, vt patet Clementinâ, Exiui §. Cumque annui reditus De verborum ſignificat.

Dicitur, ex re alterius; quia dum ex re propria, quis penſionem ſiue fructus percipit, non vtitur hoc iure, ſiue iure cenſus: ſed alio iure perfectiori, ſcilicet dominij, ratione cuius ſiue elocando, ſiue in emphyteuſin dando, poteſt inde penſionem percipere.

DICO Secundò: Cenſus variè ſolet diuidi: ac Primò in Reſeruatiuum, & Conſignatiuum. Iſte dicitur, quando quis transfert rem ſuam in alterum tam quoad dominium directum, quam vtile, ſiue donando, ſiue vendendo, ſiue alio modo, ſeruato ſibi iure percipiendi annuam penſionem ex re, quam alienat. Cenſus itaque Reſeruatiuus differt ab Emphyteuſi; quia in emphyteuſi, non transfertur niſi dominium vtile, hîc autem vtrumque, tam directum quàm vtile. Deinde in emphyteuſi, ſi triennio non ſoluatur penſio, cadit dominium vtile in commiſſum, & coaleſcit cum dominio directo, idque ipſo iure communi: quod locum non habet in cenſu reſeruatiuo, niſi de eo expreſſum pactum inter partes eſſet initum. 3

4 Quod pactum in cenſu reſignatiuo, validum eſt non minus, quàm in Emphyteuſi, vt docent Couar. ſuprà, Gutier. lib. 2. De qq. pact. qu. 268. n. 10. Molina ſuprà n. 5. Neque obſtat (addit hic) motus proprius Pij V. quia in eo ſolum eſt ſermo de cenſibus conſignatiuis. Ratio eſt, quoniam cum in hoc contractu concedatur res quoad dominium & proprietatem, reſeruato cenſu, poteſt iuſtè qui rem ita concedit, non velle aliter concedere quoad vtrumque dominium, quàm ſub hoc pacto, & cõditione, quod ſi alter, cenſus annui ſolutionẽ ad tot vel tot annos differat, res quoad vtrumque dominium ad ipſum redeat: nõ ſecus ac qui rem in emphyteuſim tradit, poteſt iuſtè nõ aliter velle illam concedere quoad dominium vtile, quàm ſub ſimili conditione. Idem dicit Gutier. ſup. & cum ipſo Molina, habere locum, quod videlicet prædicta conditio valida foret, etiamſi res eſſet tradita ſub cenſu reſeruatiuo redimibili, quod eſt contra Couar.

Tertiò, quod Emphyteuta non poſſit vendere rem emphyteuticam, domino directo non monito, alioquin res quoque cadit in commiſſum: & præterea ex pretio, proprietarius ſiue dominus directus partem accipit, quam vocant laudemium: Res autem cenſualis ſiue cenſibus obnoxia poſſit vendi, inſcio illo, cui cenſus eſt reſeruatus, aut conſignatus.

5 Petes, quid ſi dubitetur, an contractus initus fuerit emphyteuticus, an cenſualis, qualis erit habendus ſiue iudicandus? Variant hic Doctores: Iulius Clar. lib. 4. Sentent. §. Emphyteuſis quæſt. 1. quando neque ex clauſulis contractus, neque ex alijs circumſtantijs poteſt determinari, exiſtimat potius eſſe iudicandum tunc in fauorẽ concedentis, & proinde habendum emphyteuticum. Sed Couar. lib. 3. variar. cap. 7. n. 1. Valaſſ. de iure Emph. quæſt. 32. n. 23. Nauar. in Comment. cap. 1. cã. 14. quæſt. 13. n. 109. & cum eis Molina, docent potius in fauorem poſſidentis eſſe iudicandũ, & proinde cenſualem eſſe habendum: quoniam in dubio melior eſt conditio poſſidentis, neque enim plus grauaminis illi eſt iniungendum, quam veriſimiliter conſtet, illi incumbere. Et quidem addunt tres primi, idem dicendum eſſe, ſiue qui rem tradidit, ſit Eccleſia, ſiue priuatus: idque contra quoſdam qui cenſuerunt in fauorem Eccleſiæ in eo caſu iudicandum: Neque iſtis refragatur Molina.

Conſignatiuus cenſus dicitur, quando quis ſuper bonis ſuis, quæ retinet, vel etiam ſuper perſona ſua alteri cenſum conſignat.

6 Hinc ſecundò diuiditur cenſus, ratione materiæ in Realem, & Perſonalem. Realis dicitur, quando ſuper re aliqua quatenus res contra perſonam diſtinguitur, fundatur, ſeu conſtituitur, vt ex illa debeatur penſio, quæ rem ipſam comitetur, ita vt ſemper tranſeat hoc onus cum re, ad quemcumque dominum res deuenerit, & ipsâ re pereunt, vt ſi ager, vel pratum inundatione pereat, etiam ipſe cenſus perit: vt habet Salas ſuprà n. 4. & infrà latius oſtendemus. Perſonalis dicitur, qui immediatè ſuper perſona conſtituitur, quæ ſeipſam obliget ad reddendam annuam penſionem alteri. Non rarò autem nunc contingit conſtitui cenſum ſuper re aliqua, & ſimul ſuper perſona, & hic vocari poteſt Cenſus mixtus: qui cõſtituit proinde tertium membrum dictæ diuiſionis.

Tertiò diuiditur ratione penſionis debitæ, in Cenſum Fructuarium, vt quando penſio ſoluenda conſiſtit in fructibus, v. g. vt in frumento, aut vino; & in Pecuniarium, vt quando penſio eſt pecunia.

Quartò diuiditur ſimiliter ratione penſionis, in CenſumCertum, & Incertum. Certus dicitur, quando ad certum numerum determinata pecuniæ ſumma, aut fructuũ, penſionis loco, annuè eſt ſoluenda; vt v. g. cenſus quinquaginta florenorum, aut decem modiorum ſiliginis. Incertus autem dicitur, quando aliqua quota prouenientium fructuum, non ad certum numerum aut menſuram, conſtituitur loco penſionis ſoluenda: v. g. quarta, aut quinta pars fructuũ, prout nati fuerint.

Quintò diuiditur in Perpetuum, qui ſcilicet per ſe nunquã extinguitur: & in Temporalem, qui cum tempore per ſe quaſi moritur. Perpetuus ſubdiuiditur in Redimibilem, ſcilicet ad placitum eius, qui reditum debet: & in Irredimibilem, qui ad placitum debentis redimi non poteſt. Temporalis ſubdiuiditur in temporalem certi temporis v. g. viginti aut triginta annorum, quibus lapſis, ille ceſſat; & in cenſum temporis incerti, vt v. g. ad vitam duorum, vel trium hominum, de qua incertum eſt, quando finietur.

DVBIVM II.

Vtrum cenſus reales tam conſignatiui, quàm reſeruatiui liciti ſint?

RESPONDEO & DICO Primò: Cẽſus reſeruatiuus omninò licitus eſt: 7 Id eſt, Vnuſquiſque quando rem ſuam fructiferam alienat, transferendo eius dominium in alterum, licitè poteſt ſibi reſeruare ius ad percipiendam annuam penſionem ex eadem re, idque vel redimibiliter, vel irredimibiliter: id eſt, ſic vt is, in quem dominium transfert, poſſit certo pretio illud ius

alterius

alterius redimere, quandocumque ſibi placet, vel ita, vt id non poſſit, niſi forſitan in hoc conſentiat is, à quo rem ſub cenſu accepit. Eſt hæc concluſio communis Doctorum, neque de ea eſt controuerſia.

Ratio reddi poteſt: quia quiſque rerum ſuarum eſt arbiter; vnde de illis poteſt diſponere, prout vult, quatenus iure non prohibetur: Quare ſicuti poteſt illas à ſe alienare vel in totum, vel ſecundùm partem, ita etiam, vel omninò liberè in alium transferre, vel cum certo onere.

Aduertendum tamen eſt ſemper ſeruandam eſſe æqualitatem, hactenus, vt penſio non ſuperet valorem rei, ſi res titulo donationis, aut legati in alterum transferatur. Item ſi titulo oneroſo, v. g. venditionis, aut permutationis, ne penſio ſuperet reliquum valorem rei, quem habere poteſt vltra pretium, quod perſoluitur, vel ſupra rem cum quâ permutatur, alioquin contractus manifeſtè eſſet iniquus.

8 Dico Secundò: Emptio cenſus conſignatiui realis ſiue ille ſit antiquus, ſiue de nouo iam creetur, ſimiliter licita eſt, ſeruatis certis conditionibus. De emptione cenſus antiqui ſeu prius cõſtituti, ſatis communis eſt ſententia. De nouis autem quidam olim negauerũt, vt Henr. à Gandauo Quodl. 8. Innocentius, & Ioan. Andreæ, quos refert Sylu. V. Vſura 2. q. 12. licet de duobus poſtremis aliter videatur exiſtimare Molina: Sed nunc communis quoque doctrina habet, emptionem noui reditus realis licitam omninò eſſe: vt videre eſt apud Salas ſup. dub. 2. n. 3. vbi plurimos citat. Et

Probatur Primò: Quia Martinus V. & Calixtus III. Pontifices in ſuis Extrauagantibus, quæ extant inter Communes, tit. De emptione & venditione, declararunt authoritate Apoſtolicâ cenſus illos, qui conditiones ibidem expreſſas haberent, eſſe iuſtos ac licitos, & debitorem ad ſolutionem teneri. Vbi non diſtinguunt inter antiquos & nouos. Imò potiſſimum de illis loquuntur, qui de nouo ſuper rebus conſignantur, vt colligitur ex prima conditione, puta quòd venditor deſignare debeat rem immobilem & frugiferam, cui cenſum imponat. Similiter eoſdem approbauit Pius V. in ſua Conſtitutione de cenſibus; licet hic plures imponat conditiones ad licitam cenſus emptionem, quàm alij duo Pontifices.

9 Probatur Secundò: Quia poteſt quis alteri vendere ius ſeruitutis non tantùm quod habet in agro alieno, ſed etiam in ſuo de nouo conſtituendum; ergò poteſt etiam vendere alteri ius percipiendæ certæ penſionis ex ſuo agro, illudque de nouo ipſi conſignare.

Tertiò: Quia, vt alij admittunt, poteſt quis donatione conſtituere in re ſua alteri cenſum; ergò nihil prohibet etiam vendere, quandoquidem ius illud ſit res temporalis & pretio æſtimabilis. Probat denique alia ratione Salas, quam dicit eſſe à priori: quia (inquit) ſicut venditor obligatur ad infinitas quaſi penſiones, ſi irredimibilis ſit, aut quamdiu non redemerit ſi redimibilis ſit, ita etiam emptor infinitam quandam ſuſcipit incommoditatem, quia ſemper periculum habet amittendi cenſum, pereunte re in qua eſt cõſtitutus: & numquam poteſt, licet maximè indigeret, integrã ſortem repetere, & inſuper obnoxius eſt curis & moleſtijs, vt ſingulis annis penſiones requirat, & ſimilibus alijs difficultatibus & periculis perpetuis: ergò per finitum pretium, cum ijs incommodis infinitis (inquit) ſufficienter compenſatur ius quod emptor acquirit ad penſiones quaſi infinitas, quæ ratio valet ad vtcũque oſtendendam æqualitatem inter pretium, & ius emptum, quàm aliqui difficulter videntur apprehendere, vt ex obiectionibus patebit.

Obijcitur itaq; Primò: Emptio noui cenſus non videtur eſſe vera emptio, ſed purum mutuum: atqui in mutuo non licet plus accipere, quàm datum ſit; ergò non licet inde accipere penſiones annuas, quę putantur ſuperaturæ ſortẽ, vel quæ in ſolutionem ſortis non cõputentur, quia alioquin ex mutuo reportabitur lucrum. Probatur Maior: Quia non apparet hic res aliqua vendibilis alia, quàm pecunia per terminos recipienda: atqui hæc non eſt vendibilis; & ſi quis dixerit eam eſſe permutabilem, non tamen permutari poteſt, niſi cum ęquiualente, alioquin contractus iniquus erit; ergò pecunia, quæ prius ſimul numerata eſt pretenſo venditori, non eſt numerata per modum emptionis, ſed per modum mutui. 10

Reſpondetur Negando Maiorem: quia vt patet ex l. Cum quid D. Si certum petatur, mutuans poteſt pecuniam reuocare: & omne mutuum ex ſua ratione expoſcit obligationẽ reddendi ſortem, vel quando poſt aliquam moram temporis, mutuans, eam petierit, aut tempore definito: quod non repetitur in cenſu perpetuo, nec in redimibili quidem. Vnde negatur ſimiliter illud, quod ad eius probationem aſſumitur: quia adeſt res alia vendibilis, videlicet ius percipiendi penſionem certam ſiue pecuniæ, ſiue fructuũm ex re frugifera alterius, vt ex definitione cenſus conſtat: quod ius eſt pecuniâ æſtimabile & vendibile: neque eſt ipſa pecunia, aut fructus ſucceſſiuè recipiendi: ſed quid ab his diſtinctum: ſicuti res naturalis frugifera, vt ager, aut pratum, eſt quid diſtinctum à fructibus, qui inde proueniunt. Quare ſicuti qui agrum emit, non dicitur emere fructus naſcituros, ſed ipſam rem quæ nata eſt producere fructus; ita qui cenſum 11

Digitized by Google

ſum emit, non debet dici emere penſiones, ſed ius ad penſiones ex re alterius percipiendas, vt rectè Molina ſup. Mald. Tract. 5. cap. 5. dub. 3. & alij.

12 Sed replicabit aliquis: Ius illud percipiendi penſionem, non exſtat ante venditionem; ergò venditur id, quod non eſt, & proinde non eſt vera, aut ſaltem iuſta venditio.

Reſpondetur Primò, Neg. Conſeq. quia poteſt quis etiam vendere fructus agri ſui, antequam creuerint, habitâ iuſtâ ratione periculi, quod ſubeſt.

Secundò Reſpondetur, Negando Antecedens: quia illud ius etiam antè extat eminenter apud venditorem: hic enim ius habebat percipiendi ex re ſua penſionem illã, ſicut & alios fructus ipſius, quos producit: quamuis illud ius vt ſic, non haberet nomen & rationem cenſus, quia nomen cenſus importat, quod ſit ius percipiendi penſionem ex re alterius, vt ex dictis conſtat.

Cæterùm in cõtractu hoc emptionis obſeruandæ ſunt inprimis ab omnibus, & vbique conditiones, quæ iure naturæ ad eius iuſtitiam requiruntur; vt ſunt hæ:

13 Prima, quòd res illa, in qua cenſus conſtituitur, verè exſtet, & ſit venditoris, qui alteri ius annuam penſionem percipiendi vendit. Ratio eſt, quia alioquin contractus ex parte venditoris erit iniquus, dum vendit quod nec actu, nec virtute habet, quodque ipſius non eſt, ius enim illud ſubſiſtere non poteſt abſque re illa, ex cuius fructibus penſio ſolui debet.

Secunda eſt, quòd res illa ſit frugifera: atque adeo nata ſit tantos producere fructus, qui poſſint ſufficere penſioni cuius percipiendæ alter ius vendit, idque vltra alia onera, ſi aliquibus adhuc res illa ſit obligata. Ratio eadem eſt, quia alioquin naſcetur hîc iterum iniuſtitia ex parte vendentis, qui ius vendit, quod nullum eſt, aut nullius valoris.

14 Petes: Quid ſi emptor hoc ſciens, tamen ſit contentus emere? Reſpondetur, Nec id videbitur tunc licitè fieri; quia æſtimabitur palliata vſura ex parte ementis: quia videtur mutuo dare pecunias, vt inde aliquid vltra ſortem recipiat: neque enim dici poterit emere ius ad penſionem percipiendam ex re tali, cum ſciat eam vel non reddere fructus, vel certè fructus eius alteri eſſe obligatos, aut ſi intenderit nihilominus emere, nullam poterit à venditore penſionem exigere: cum res non ſufficiat eam reddere; ipſi autem tantum ius ſit percipiendi penſionem ex re illa. Secus tamen dicendum ſi venditor alia adhuc habeat bona & ſuper illis ſimul reditum conſignat, quorum fructus penſioni ſoluendæ ſufficiant.

Dico, & nata ſit producere tantos fructus &c. quia licet actu non fructificaret; v. g. quia ager negligitur & iacet incultus, hoc non impedit, quo minus ſuper ea re cenſus conſignari poſſit.

Tertia conditio eſt, ſi contingat rem ipſam in totum perire abſque culpa venditoris, quod tunc pereat & extinguatur quoque cenſus. Quandoquidem enim cenſus ſit inſtar iuris vſufructuarij, vel inſtar ſeruitutis, quam res debet, neceſſarium eſt, vt ſicut hæc, pereunt cum ipſa re, ita vnà quoque cenſus cum ipſa re ceſſet & quaſi emoriatur. Idque locum habet etiamſi in venditione cenſus non ſit expreſſum, vt cum Molina docet Mald. contra Couar. quia cenſus talis ex natura rei id importat, vt patet clarè ex Extrauag. Martini V. & Calixti IV. vbi cum de eiuſmodi cenſu ſermo haberetur, dicitur pereuntibus poſſeſſionibus, in quibus cenſus erat conſtitutus nullam competere actionem emptoribus cenſus ad recuperationem pecuniæ: quia videlicet ipſis peribat cenſus, vnà cum prædijs, in quibus erat conſtitutus. Imò ſi ex parte pereat res, debet etiam pro parte minui cenſus, vt tradit quoque Mald. ſuprà dub. 7. Secus ſi res tota forſitan minùs frugifera redderetur: Interim tamen eius fructus ſufficerent penſioni ſoluendæ vltra priora onera. 15

Obſeruandum tamen hic eſt quòd inito contractu de cenſu poſſit accedere (quantum eſt ex parte iuris naturæ) ſecundus contractus ſiue pactum, quo venditor ſe obliget ad penſionem ſoluendam, non obſtante quòd res cenſui ſubiecta tota aut ex parte pereat, aut quòd fructus aliquando totaliter intereant, quod erit veluti pactum aſſecurationis modò onus huius obligationis iuſto pretio per emptorem compenſetur. Iuſtum autem pretium cenſebitur, quod viri boni & intelligentes, conſiderato periculo euentus ſtatuent. Tunc verò huiuſmodi reditus videbitur ſimul inducere rationem cenſus perſonalis, ita vt poſſit dici mixtus. 16

Dixi, pactum illud poſſe accedere, quantum eſt ex parte iuris naturæ, quia an iure poſitiuo prohibitum ſit, mox examinabimus.

Quarta Conditio, vt iuſto pretio cenſus comparetur: hoc enim ipſa iuſtitiæ ratio per ſe poſtulat.

Conditiones verò, quæ iure Pontificio in hoc cõtractu cenſuum obſeruandæ ſunt, recenſet Nauarrus in Comment. De vſuris n. 84. & ſeqq. ex Bulla Pij V. ſuper hac re editâ anno 1569. quas mandauit Pontifex obſeruari, & ſine quibus decernit contractum huiuſmodi irritum & fœneratitium habendum. Sunt autem quatuordecim: inter quas tamen etiam comprehenduntur quæ iure naturæ ſunt neceſſariæ. 17

Prima

Digitized by Google

Prima itaque iuxta Bullam eſt, vt cenſus conſtituatur ſuper re immobili, aut quæ pro immobili habetur, naturâ ſuâ fructifera, & certis finibus deſignatâ, nec vllo modo aliter. Vbi

Notandum eiuſmodi res immobiles cenſeri agros, domos, ſyluas, fodinas metallicas, & ſimilia, ex quibus emolumentum percipitur: imò & ipſum cenſum haberi pro re immobili & fructifera; vnde ſuper eo poteſt alius fundari, modò eſſet irredimibilis; quemadmodum videmus conſtitui ſuper cenſibus & iuribus Regis.

18 Notandum Secundò: Pontificem velle rem illam certis finibus eſſe deſignatam, ne ſuper bonis omnibus, præſentibus & futuris, cenſus conſtituantur, quia tales videntur ſapere rationem cenſus perſonalis, quem Pontifex in Bulla ex profeſſo intendit prohibere.

Secunda conditio eſt, vt contractus hic non fiat niſi numerato & accepto iuſto pretio, idque tempore contractus, ac coram Notario & teſtibus.

Tertia, vt non fiat anticipata ſolutio penſionis, neque ea in pactum deducatur: rurſum, vt venditor non cogatur ſoluere penſionem, niſi pro rata temporis elapſi. Vnde patet emptorem non poſſe, dum pretium numerat, ſubtrahere penſionem primi anni per modum ſolutionis anticipatæ; neque elapſa parte temporis amplius exigere, quàm partem penſionis tempori correſpondentem, ſi venditor cenſum redimat.

19 Quarta eſt, ne apponantur conditiones, quibus directè vel indirectè obligetur venditor ad caſus fortuitos, ad quos ex natura huius contractus non teneatur, quas non ſolum Pontifex prohibet, ſed etiã inualidat.

Quinta eſt, vt non fiat pactum reſtringens libertatem alienandi rem cenſui ſubiectam: neque venditor cogatur emptori ſoluere laudemium, id eſt trigeſimam, aut quinquageſimam partem pretij, ſi contingat rem alienari. Et hoc meritò, quia laudemium ſolui ſolet directo domino, quando res alienatur in recognitionem iſtius dominij ab illo, qui habet dominium tantùm vtile. Qui verò cenſum emit ſuper agro, aut alia re immobili, non acquirit illius rei directum dominium: quare venditori cenſus imponeretur indebitum grauamen.

20 Sexta conditio eſt, vt dominus rei cenſuariæ ſignificet domino cenſus pretium & conditiones, quibus res cenſui ſubiecta eſt vendenda, caſu quo eam vendere intendat & per menſem expectet, vtrum hic velit emere: iſque alijs præferatur, alijs ſcilicet qui priùs non habebant ius prælationis, vt notat Nauarrus loco ſup. citato n. 127. Ratio huius eſſe poteſt, quia per alienationem rei in alium, poteſt ius cenſum habentis fieri deterius: vt ſi vendatur viro potenti & litigioſo, aut multum priuilegiato, à quibus difficiliùs haberi poſſit ſolutio penſionum; ideoque non ſine fundamento ordinatur, vt cenſuarius in emptione rei, ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, gaudeat iure præferentiæ.

Septima, vt non fiat pactum, quo incidat venditor, in aliquam pœnam ob moram ſolutionis penſionum, v.g. in pœnam commiſſi ſeu amiſſionis rei cenſuariæ, ſi ſecundo aut tertio anno non ſoluerit, aut in pœnam dupli, vel alias ſimiles. Si tamen dominus cenſus ex culpabili morâ debitoris incideret in damnum aliquod, aut cõgeretur facere expenſas ad ſolutionem obtinendam, teneretur debitor iure naturæ illa compenſare, quamuis non ex pacto, etiamſi foret appoſitum.

Octaua eſt, vt ex penſionibus ceſſis non augeatur cenſus. Quod intellige, priuſquam re ipſâ fuerint ſolutæ: nam vbi ſolutæ fuerint 21
& ab alio acceptæ, iam eadem eſt harum pecuniarum ratio, quæ aliorum. Vnde ſi hæ vel aliæ coram Notario & teſtibus numerentur illi qui cenſum debet, ſi eas petierit, poterit cenſus augeri, vt notat Nauarrus ſup. n. 94. eſt enim huiuſmodi augmentationis eadem ratio, quæ fuit ipſius conſtitutionis ab initio.

Nona eſt, vt non apponantur pacta, quibus venditor cogatur ſoluere aliqua onera, ad quæ ex natura contractus talis non teneatur: vt ſi conſuetudo habeat, quòd emptor debeat aliquid ſoluere fiſco, non poteſt obligari venditor, vt ipſe ſoluat, quemadmodum neque è contrà.

Decima eſt, vt hypotheca ſiue potius res in qua, ſiue ſuper quâ fundatur cenſus, in totum vel ex parte pereunte, aut effecta infructuoſa, cenſus quoque totus extinguatur, aut pro rata minuatur. Vide dicta antè circa tertiam conditionem, inter illas quas diximus iure naturæ ineſſe.

Dico, vel potius res in qua, ſiue ſuper qua 22
fundatur &c. quia licet vulgariter ſoleat hypotheca appellari, tamen propriè hypotheca non eſt: quia tum ſi res per venditionem tranſiret in dominium alterius, non competeret illi, cui cenſus debetur, actio aduerſus emptorem, niſi prius exequutio fieret in bonis venditoris, vt conſtat de Hypothecis ex Authent. Hoc ſi debitor C. De pignoribus: quod omnium ſententiâ falſum eſt. Deinde alienatâ ſic re ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, adhuc remaneret illi, cui cenſus debetur, actio contra venditorem rei, quod etſi Couarr. admittat & teneat, tamẽ eſt contra communem ſententiam: & Molina ſupra n. 8. merito cum alijs quos citat, id reijcit.

Vndecima eſt, vt ſemper eodem pretio, quo cenſus eſt emptus, poſſit à venditore redimi & extingui, nec fiant vlla pacta, quibus directè vel indirectè talis facultas venditori tol-

ditori tol-

ditori tollatur. Vbi obſeruandum eſt, venditorem idcirco non poſſe per partes præſertim minutiores extinguere cenſum: hoc enim cederet in magnum præiudicium emptoris, qui ſi integram ſummam acciperet, prout eam numerauit, poſſet prædium vel rem aliam maioris momenti emere. Nec tamen hic prohibetur, quo minùs ab initio poſſit in pactum deduci, quòd venditori licebit redimere in duabus aut tribus vicibus, numerando ſingulis vicibus mediam, aut tertiam partem pretij, & pro rata cenſum minuendo.

23 Duodecima, vt venditor, volens cenſum redimere, præmoneat emptorem bimeſtri antè, & denuntiatione hac factâ poſſit cogi venditor, vt intra annum redimat, non autem anno iam elapſo.

Decimatertia, vt emptor non poſſit à venditore inuito, pretium repetere & extorquere. Vnde ex vi huius conditionis, cenſus omnes ſunt irredimibiles ex parte ementis, id eſt, quod ille pro ſuo arbitrio non poſſit venditorem vrgere ad cenſum redimendum.

Decima-quarta & vltima eſt, vt pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, vel aliud accidens,

Porrò circa has conditiones, à Pontifice præſcriptas,

Notandum eſt Primò, eas non extendi ad contractus ante Bullam initos, ſed tantùm ad eos, qui poſtea erant faciendi; præter illas tamen, quæ ſimul ſunt iuris naturæ.

24 Notandum Secundò: illas tantùm extendi ad contractus celebrandos per modum venditionis & emptionis, in quibus dato pretio cenſus conſtituitur, non autem ad cenſus, qui conſtituuntur donatione, teſtamento, conſignatione dotis, aut ſimili ratione: quemadmodum enim quis poteſt liberaliter rem ſuam alteri in perpetuum donare, ita quoque poteſt ſuper eâ liberaliter alteri reditum conſignare, quem etiam hæredes non poſſint redimere.

Notandum tertiò: Cenſus emptitios, quando ſub alia forma celebrantur contractus, quàm Pontifex præſcribit, habendos eſſe fœneratitios, vti Pontifex ordinat. Quod tamen intellige quoad præſumptionem in foro externo: quia fieri poteſt, vt à parte rei interim non ſint fœneratitij; Quod enim ex natura rei non eſt vſurarium, vt puta, quia reuera non intercedit à parte rei aliqua iniuſtitia, vel inæqualitas, non videtur ſolâ prohibitione ſuperioris, etiam Pontificis, infici poſſe labe vſuræ, quamuis redditur illicitum, aut etiam irritum.

25 De Simonia autem non eſt eadem omninò ratio, quia quando contractus aliquis prohibetur ob reuerentiam rerum ſacrarum, in quibus verſatur, tunc committitur peccatum contra religionem, ſi quis illum attentet: ſed quamuis prohibeatur aliquid propter periculum iniuſtitiæ, aut ſpeciem vſuræ, non tamen idcirco habet neceſſariò coniunctam iniuſtitiam; & proinde nec rationem vſuræ, quæ ſine iniuſtitia non ſubſiſtit à parte rei; quemadmodum ſi aliqua prohiberentur tantummodo propter periculum ſimoniæ, quia hæc facilè poſſit illis ſe immiſcere; non autem propter indecentiam quæ per ſe illis ineſſet, etiam fieri poſſet illa non fore verè ſimoniaca ſi fierent, quamuis illicitè fierent.

Notandum Quartò: quicquid contra conditiones à Pontifice præſcriptas, contigerit dari aut remitti, id totum à fiſco vindicari poſſe, ſic enim expreſsè in Bulla conſtituitur;

Quod autem ad conditiones attinet, quæ continentur in Bullis Martini V. & Calixti III. eas breuitatis cauſa hîc nõ recenſemus, tum quod omnes in prædictis ferè comprehendantur, tum quòd Pontifices illi non videantur ponere & requirere illas tamquam neceſſarias, vt emptio cenſus ſit licita: ſed ipſi conſulti, vtrùm cenſus cum eiuſmodi cõditionibus liciti eſſent, tantummodò reſponderunt affirmatiuè, eos cum talibus conditionibus licitos eſſe. 26

Solum ibi adiungebatur, quòd venditor poſſet etiam per partes redimere cenſum: Quam conditionem diximus non eſſe vſque adeò conſonam æquitati propter incommodum emptoris, niſi hoc forſitan aliunde compenſaretur, vt quia minoris emerat cenſum: vnde & Pius quintus, eam non putauit requirendam.

DVBIVM III.

Vtrum cẽſus perſonales & reales, in quibus non obſeruantur conditiones iam recenſitæ, ſint vbique illiciti & cenſendi fœneratitij?

QVidam exiſtimaſſe videntur prædictam conſtitutionem Pontificis tantùm reſpicere prouincias, & loca ſanctæ Sedi temporaliter ſubiecta, quaſi ab eo emanaſſet, non vt Pontifice, ſed tamquam iſtorum locorum domino temporali. Verùm hoc minùs rectè dicitur: quia conſtitutio illa facta eſt ad præcauendas iniuſtitias & palliatas vſuras, ac proinde propter animarum ſalutem, cui Pontifex conſultum eſſe voluit. Quare cùm hæc conſideratio & cura propriè ad illum ſpectent in qualitate Pontificis & vniuerſalis Paſtoris Eccleſiæ, 27

non

Digitized by Google

non autem in qualitate dominij temporalis, propriè & per ſe loquendo, potiùs dicendum eſt, quòd conſtitutio illa emanauerit ab illo in qualitate Pontificis. Vnde

28 Respondeo & Dico Primò: Vbicumque prædicta conſtitutio eſt promulgata & recepta, ibi cenſus perſonales & reales, in quibus conditiones recenſitæ non obſeruantur, ſunt illiciti & habendi fœneratitij. Sequitur ex dictis, & communiter ita tradunt Doctores.

Dico Secundò: Iure tamen naturæ non ſunt illiciti cenſus perſonales, etiam cum cõſtitutione generalis hypothecę omnium bonorum, aut ſpecialis aliquorum certorum, pro ſecuritate ementis. Et proinde addo, quòd in locis, vbi conſtitutio Pontificis promulgata & recepta non eſt, emptio eiuſmodi cenſuum iuſto pretio facta, non ſit illicita, neq; fœneratitia habenda. Ita Dom. Soto. De iure & iuſtitia lib. 6. q. 5. art. 1. concluſ. 4. Couar. lib. 3. Variarum reſol. cap. 7. n. 5. Medina Cod. de Vſura q. 11. Conrad. de Contract. q. 74. & aliquot ſequentibus. Thomas Boninſignius libro de cenſibus cap. 4. n. 7. Arragon. ſup. Concluſ. 3. Tolet. lib. 5. c. 46. Salas de Cenſib. dub. 3. Malderus, & plures alij recentiores contra Nauarrum in Comment. de Vſuris nu. 81. & alios quos refert.

29 Probari autem poteſt Primò: quia olim etiam Eccleſiæ debebantur decimæ perſonales, ſcilicet ex labore manuũ, & negotiatione, vt patet ex Cap. Apoſtolicæ, & Cap. Paſtoralis De decimis. Item 2. Eſdræ cap. 10. Inſtituerunt fideles Iudæi annuum cenſum tertiæ partis ſicli pro fabrica templi, panibus propoſitionum, & ſacrificijs, idque ſuper ſuas perſonas: atqui talis obligatio, ſiue ſponte ſuſcepta, ſiue à ſuperiore legitimè impoſita, eſt pretio æſtimabilis; ergò vendi & emi poteſt; ac proinde etiam cenſus perſonalis, quantum de iure naturæ eſt, emi ac vendi poteſt, cum eiuſmodi obligatio ſit quidã cenſus perſonalis. Idem confirmatur à Salon. diſp. de Cenſib. art. 3. contr. 5. ex Nicolao V. Qui in extrauag. De Cenſibus pro Regno Sicilię dicit, poſſe obligari perſonas, earumque proprietates, reditus, iura &c.

30 Probatur Secundò: quia ſicuti res quædam ſunt fructiferæ, ſuper quibus poteſt iuſtè cenſus conſtitui, vt Dubio præcedenti dictum eſt, ita etiam perſona poteſt eſſe fructifera ratione artificij, ingenij, vel induſtriæ; ergo ſuper ea poterit quoque cenſus aliquis conſtitui, ſeruatis conditionibus ex lege iuſtitiæ ad hoc requiſitis.

Confirmatur: quia poteſt homo certo pretio elocare operas ſuas alteri, etiam ad vitam; ergò poterit etiam ſuper ſe conſtituere cenſum alteri ad percipiendos fructus ſiue penſionem aliquam annuã ex operis ſuis.

Obſeruandum autem hîc eſt, non eodem omninò modo cenſus conſtitui ſuper rebus, & ſuper perſonis: quia ſuper rebus ſic conſtituuntur, vt, ſi dominus penſiones nõ ſoluat, poſſint res ipſæ euinci, & vendi à creditore, vt capitale & penſiones non ſolutæ inde recuperentur; perſona verò, ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, etiam deficiente penſionis ſolutione, non poſſit vendi aut in ſeruitutem redigi. Cenſus enim perſonalis, prout paſſim eſt in vſu, tantùm ponit ius penſionis annuæ percipiendæ in emptore, & obligationem perſonalem illius ſoluendæ in venditore: quæ etiam tranſeat in hæredes, ad cuius ſolutionem præſtandam, debitor poſſit actione perſonali conueniri coram iudice, ſi in mora fuerit, & per iudicem ad eam faciendam compelli: quemadmodum & debitoris hæredes conueniri & compelli poſſunt, in quantum tamen hæreditas poteſt ferre. Neque hoc mirum debet videri: nam & pro alijs obligationibus perſonalibus hæredes conueniri poſſunt, vt v. g. pro non ſoluto pretio mercium quas defunctus habuit titulo emptionis, & pro ſimilibus: non tamen poteſt perſona vendi, aut in ſeruitutem redigi, vt diximus. 31

Quam rationem cenſus perſonalis ſic explicatam ſi Nauarrus benè perpendiſſet, forſitan non ita contra cenſus perſonales fortiter egiſſet: quandoquidem eius argumenta potiſſimùm videantur inniti huic fundamento, quòd homo Chriſtianus vendi, aut in ſeruitutem redigi, nec debeat nec poſſit.

Ex dictis licet etiam intelligere, quomodo hic cenſus naturâ ſuâ ſit perpetuus, quia ſcilicet obligatio ad hæredes tranſmittitur; poſſe tamen fieri caducum & perire, ſi videlicet poſt mortem venditoris, hæreditas relicta non ſufficeret penſionibus ſoluendis; vnde hæreditas reſpueretur: quemadmodũ & aliæ obligationes perſonales tunc fiunt inutiles.

Dixi in Aſſertione, poſſe etiam accedere obligationem hypothecariam, ſiue ſpecialem, ſiue etiam generalem omnium bonorum, pro ementis ſcilicet ſecuritate; quia in reliquis contractibus licet exigere hypothecam tum generalem, tum ſpecialem, vt v. g. in mutuo pro recuperanda ſorte, in venditione mercium ad terminum pro pretio; ergò etiam in emptione cenſus perſonalis, ementi licebit exigere, & vendenti conſtituere, quantum ſcilicet de iure naturæ eſt. Confirmatur: quia hoc ipſum permiſſum fuit Siculis à duobus Pontificibus Nicolao V. in Extrauag. ſupra, & Greg. XIII. ergò non repugnat iuri naturæ, cũ alioquin Pontifices id, nec permiſiſſent, nec permittere potuiſſent. 32

Obſeruanda autem hîc eſt differentia inter hypothecam tantum, & inter rem ſuper quare-

qua reditus eſt conſignatus: quia hypotheca ſolummodò ponitur ad ſecuritatem alterius contractus, propriè de illa loquendo, vt ſuprà indicauimus. Quare ex ea non eſt ſoluenda penſio, nec debitum, pro quo conſtituitur, niſi eo euentu, quo aliter ſolutio à perſona debitoris nequiret obtineri. Vnde ſi debitor bona tantùm hypothecata vendat alicui tertio, non poterit creditor immediatè ex bonis illis ſolutionem petere; ſed tantùm in caſu, quo à perſona prima, eam obtinere non valet. Secus res ſe habet, ſi cenſus ſit conſignatus ſuper bonis illis, ſiue interim ſimul ſuper perſona, ſiue non. Et quidem ſi cenſus mixtus ſit, conſtitutus ſcilicet tam ſuper bonis, quàm ſuper perſona, poterit emptor cenſus exigere penſionem & à venditore cenſus, ratione nimirum obligationis perſonalis; & à tertio, ſi bona alteri ſint vendita, ratione ſcilicet obligationis realis, quæ per modum ſeruitutis adhæret bonis, & cum illis tranſit: ita tamen, vt dum ab vno ſolutionem penſionis obtinuerit, non poſſit eandem ab altero exigere. Eſtque hoc genus cenſus etiam licitum, quantum eſt de iure naturæ: ſi enim vterque cenſus, realis & perſonalis, ſeorſim ſit licitus, nulla apparet ratio, cur non etiam iunctim de iure naturæ licitus ſit.

33 Cæterùm ad iuſtitiam venditionis & emptionis reditus perſonalis, requiritur inprimis, quod perſona ſit fructifera, id eſt, talis quæ induſtria vel labore fructum faciat, aut certè bona habeat in re vel in ſpe, ex quibus penſionem annuam valeat perſoluere: vt docent Mald. ſup. dub. 8. Salas ſup. dub. 3. Leſſius lib. 2. cap. 22. dub. 4. cum Ioanne Medina quæſt. 11. Ratio eſt, quia alioquin ius illud percipiendi penſionem annuam ex tali perſona, nullius eſſet valoris, & proinde nullo pretio dignum aut æſtimabile. Imò ſi perſona nulla haberet alia bona, quàm lucra manuum vel induſtriæ, non poſſet ſuper eâ iuſtè conſtitui reditus perpetuus, ſed tantùm vitalitius, qui ſcilicet duraret ad vitam vendentis: quia poſt mortem eius foret ius illud inutile: quia nemò vellet eſſe eius hæres ſubeundo perſonalem obligationem ſoluendi penſionem illam, quando defunctus nulla relinqueret bona, quæ æquiualerent iſti oneri.

Deinde requiritur quòd emptio huiuſmodi cenſus fiat iuſto & proportionato pretio, de quo paulò infrà dicemus. Prædictis itaque ſuppoſitis,

Probatur altera pars Concluſionis, ſcili-
34 cet quòd cenſus perſonales non ſint illiciti nec fœneratitij habendi in locis, vbi Bulla Pontificis non eſt promulgata & recepta.

Primò, quia probabilis ſententia habet, quòd quemadmodũ leges Imperatoriæ non obligant, niſi prius in prouincia fuerint promulgatæ, ita neque obligare Pontificias; qua de re latiùs egimus 1. 2. in Tractatu de Legibus.

Secundò, quia etiamſi lex aliquando fuerit promulgata, tamen ipſo vſu contrario per longum tempus, v. g. per decennium amittit obligandi vim, præſertim quando Superiores ſciunt, & nõ vrgent, nec inſtant, vt lex obſeruetur, quando eius obſeruationem curare poſſunt: vt colligitur ex Nauarro cap. 23. n. 41. Couar. lib. 2. Variar. Reſol. cap. 16. n. 6. & docent ſatis communiter DD. ergò conſtitutio illa Pontificis, de qua agimus, nullo modo cenſenda eſt obligare in prouincijs, vbi iam poſt tanta tempora, nunquam fuit publicata aut recepta, quemadmodum in Belgio, & alijs diuerſis prouincijs.

Dico Tertiò: Similiter cenſus irredimibiles ex parte venditoris, quos ſcilicet 35
venditor pro arbitrio ſuo redimere ſeu extinguere ex contractu non poteſt, ſiue ſint reales, ſiue perſonales, non ſunt quoque iure naturæ illiciti aut prohibiti. Ita Soto lib. 6. quæſt. 5. art. 2. Medina quæſt. 12. De vſura, Molina diſp. 185. Tolet. lib. 5. c. 44. & plerique recentiores.

Probatur: quia in emptione huiuſmodi cenſus non apparet vel ſpecies vſuræ, cùm ſors non ſit refundenda; ſed eſt aperta emptio iuris perpetui in re vel perſona alterius ad fructus inde percipiendos; ergò ſi hoc ius proportionato pretio ematur (quod ſupponi debet, vt ſignificauimus iam antè) contractus emptionis iuſtus erit, nec vlla ex parte, iuri naturæ aduerſabitur. Confirmatur, quia tale ius eſt pretio certo æſtimabile; ergò poterit illo emi.

Obſeruandum, huiuſmodi cenſum irredimibilem plus valere, & proinde maiori pretio eſſe emendum, quàm redimibilem ex parte venditoris; atque iterum plus valere, quia conſignatur ſuper bonis & perſona, quàm qui ſuper bonis tantùm, vel ſuper perſona tantùm: quia certior eſt & minùs caducus, & conſequenter huius valoris maioris in emptione eſſe habendam rationem, vt pluris quoque ematur cenſus talis.

Dico Quartò: Non improbabiliter 36
tenent multi Cenſum etiam redimibilem ex parte emptoris, (id eſt quem ad arbitrium emptoris debet venditor redimere) poſſe iuſtè ac licitè conſtitui & emi, quantum eſt de iure naturæ. Ita docent Conrad. qu. 84. Concluſ. 5. §. Circa: Medina C. De vſuris quæſt. vlt. §. Quibus non obſtantibus. Greg. à Valent. 2. 2. diſp. 5. quæſt. 22. p. 6. Mald. ſup. dub. 11. Leſſius lib. 2. cap. 22. dub. 10. contra Soto lib. 6. queſt. 5. art. 3. Concluſ. 1. & Petrum Arragon. 2. 2. quæſt. 78. art. 4. Concluſ. 4. qui erroneè ab aliquibus citatur pro altera opinione.

Proba-

Digitized by Google

37 Probatur: quia emi poteſt cenſus qui ſit redimibilis arbitrio venditoris,quod certiſſimum eſt.Imò ſic vult omnes cenſus conſtitui Pontifex in ſua Bulla, vt ex antè dictis conſtat; ergò apparet, quod poſſit etiam emi cenſus redimibilis ad voluntatē emptoris. Si enim iure naturę tibi licitū ſit vendere tale ius in re tua cum pacto,quod poſſis illud redimere eodem pretio, videtur, quòd & mihi iure naturæ licitum erit, emere ius tale in re tua, cū pacto, quod tenebris redimere, ſi vendere iterùm voluero.

Cōfirmatur Primò, quia ideo poteſt venditor iuſtè imponere emptori obligationem reuendendi ius quod emit, ſiue permittendi vt eodem pretio refuſo extinguatur, quia hoc onus poteſt compenſari, tanto ſcilicet minoris vendendo cenſum: atqui obligatio quam imponit emptor hic venditori,ad cenſum redimendum, poteſt ſimiliter compenſari ad æqualitatem, ſcilicet emendo tanto pluris ipſum cenſum; ergò &c.

Cōfirmatur Secundò, quia poteſt emptor cenſus paciſci cum tertio, vt ille teneatur à ſe cenſum emere, quando vendere voluerit; ergo poteſt etiam tale pactū inire cum venditore. Vide hæc latiùs apud Leſſ.loco cit.

Sed opponunt alij: In tali Contractu interuenit mutuū cū lucro, ergo eſt vſurarius. Quod interueniat lucrum, per ſe patet,quia
38 emptor lucratur omnes pēſiones perceptas: & tunc quando vult, recuperat totam ſortē: Quod aūt interueniat mutuum,ita probant: quia tunc datur aliquid alteri mutuo, quando datur ei res repetenda & reſtituenda tempore, quo dans voluerit; ergo &c. Huc accedit, quod contractus ille aduerſetur Extrauag. Martini & Calixti, & Bullę Pij V.

Reſp.Neg. Anteced.pro ea parte,quâ dicitur hic interuenire mutuum: pro cuius explicatione notandum eſt, dupliciter poſſe pecuniam alteri dari cum obligatione reſtituendi certo tempore, aut indefinito tempore, quo ſcilicet dans voluerit repetere: Vno modo ſic vt immediate detur pro ſimili pecunia eiuſdem valoris, quæ poſt aliquod tempus ſit reddenda: & tunc eſt mutuum: altero modo, vt detur immediatè pro re aliqua vendibili cum obligatione, vt venditor rem illā poſt aliquod tempus redimat,& pro illa pretiū tantū vt antea accepit, perſoluat: & tunc eſt vera emptio. Hoc autē modo fit in propoſito: non enim emptor cenſus dat pecuniā immediate pro pecunia refundenda in redemptione, ſiue extinctione cenſus: ſed pro cenſu, ſiue pro iure percipiendi annuè ex bonis alterius talem penſionē: neque obligat alterum ad dandam pecuniam pro pecunia accepta, ſed vt recuperet ius illud quod vendidit, & ſic ſe, & ſua bona liberet ab illo onere, & quaſi ſeruitute. Quæ quidem omnia ſpeculatiuè loquendo, videntur abſque iniuſtitia, & labe vſuræ fieri poſſe, quādo rectâ & ſincerâ intentione fiunt. Sed nihilominus quia procliue eſt, quod in tali cōtractu, animus vſurarius interueniat, atq; adeo ipſa forma contractus talis præ ſe ferat ſpeciem vſuræ, quod argumentum aliorum ſatis oſtendit, hinc non immeritò à Pontificibus eſt repudiatus & prohibitus:qui tamen non definierunt illum abſolutè in ſe ſpectatum eſſe vſurarium. Quare etiam DD. paſſim addunt, illum non ſuadendum, ſed diſſuadendum eſſe, ac omnino ab eo abſtinendum, niſi magnæ & iuſtæ aliquæ neceſſitates, aut rationes occurrerent.

Ex dictis licet intelligere, quòd cenſus irredimibiles iuxta duas aſſertiones poſteriores,non ſint illiciti abſolutè loquendo,in locis,vbi Bulla Pij V.non eſt publicata & recepta:ſecus autem, vbi publicata & recepta eſt, quia per illam huiuſmodi cenſus vetantur.

Petet aliquis, An licitum ſit, in cenſus emptione adijcere pactum, quòd venditor, ſi aliquando redimere voluerit,tenebitur redimere eâdem monetâ in æquali numero?

Reſpondetur, quibuſdam caſibus id lici- 39
tum eſſe. Primò, ſi moraliter certū ſit, æſtimationem monetæ non eſſe mutandam. Secundò,ſi hoc quidem ſit dubium, ſed vtrimque æquè dubiū, an æſtimatio ſit augenda, an diminuenda. Tertiò,ſi quis tanti emat cēſum,quanti emi ſolet irredimibilis, tunc enim nō tenetur reuendere, quantum eſt ex ratione pretij quo emit. Vnde in contractu exigere poteſt, vt eo modo, ſcilicet eâdem ſpecie monetæ in eodem numero, redimat, ſi aliquando redimere voluerit.

Addunt nonnulli quartū caſum, quando videlicet emptor ſtatuiſſet pecuniam ſuam ſeruare in tempus, quo ęſtimatio eſſet aucta: tunc enim exiſtimant, quòd veluti ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, poſſit tale pactum emptor apponere. Sed cum hic contractus fiat in vtilitatem & commoditatem vtriuſque contrahentiū, & potiſſimùm emptoris, non ſatis apparet,quâ ratione dum emit rem frugiferā iuſto tantùm pretio, dici poſſit ſuſtinere damnum, aut lucrum ceſſans ex pecuniarum ſuarum tali expoſitione,cùm fieri non poſſit,vt rem frugiferā ſibi comparet,& tamē pecunias in tempus, quo ęſtimatio earū augenda ſit, ſeruet. Aliter ſe res habet in mutuo,quia hoc fit tantùm in gratiam mutuatarij, neque mutuator aliquid fructus ex pecunia, aut re per illam cōparatâ percipit, quamdiu mutuator retinet. Hinc de eo dici poſſet, quòd pateretur damnū, niſi redderetur in eadem moneta & in eodē numero,ſi illam ſeruare conſtituiſſet. Vnde & hoc caſu,quando id mutuator ſtipulatur, non poteſt aliquid aliud accipere pro lucro ceſſante, quia non poteſt pecunias ſeruare, & ex illis lucrum facere.

Digitized by Google

40 Extra tres itaq; dictos caſus non videtur licitum,pactum illud apponere. Quare ſi apponatur, & cenſus ordinario tantùm pretio ematur, committitur iniuſtitia, quia non dat niſi iuſtum pretium cenſus communi modo redimibilis, & tamen venditori imponitur graue onus pretio æſtimabile, pro quo nihil ſoluit emptor, nec viciſſim aliquod incõmodum æquale in ſe ſuſcipit, vnde in Belgio,lege Principis conſtitutum eſt, quòd moneta currenti poſſit venditor cenſum redimere: quod & alibi vſu receptum, oſtendit Roder. lib.2.q.15.n.92. rationi & iuri cõmuni eſſe conſentaneum, etiã vitiatâ conditione contrarij pacti, vt refert Mal. Tra.5.c.5.du.13.

41 Petet aliquis Secundò: Vtrùm licitum ſit pactum, quo venditor cenſus obligatur ad ſoluendũ plenum Canonem anni illius, quo redimet, etiamſi annus tantùm pro parte lapſus eſſet.

Reſpõdetur: Illud Pontifex prohibuit, vt conſtat ex ante dictis:& per ſe illicitum eſſe, rectè docet Mald.ſu.du.14. niſi alius titulus concurrat,puta iuſti intereſſe, qui facilè pro mẽſibus aliquot poteſt hîc interuenire.Vnde & Pontifex dum tale pactum vetuit, tamen ſimul ſtatuit,quòd venditor debeat emptori, vno bimeſtri ante redemptioné denuntiare ſuam intentionem, quam nec retractre tunc poteſt, ne emptor inde incommodum patiatur in diſpoſitione rerum ſuarum,vt antè dictum fuit.

42 Dico Quintò: Cenſus temporales vitalitij, quoq; liciti ſunt. Probatur: Quia cenſus perpetui,vt oſtenſum eſt,non ſunt iniqui;ergò multò minùs temporales. Confirmatur: quia hi poſt vitam vnius,aut duorum vel triũ hominum(prout ſcil. conuentum fuerit) per ſe extinguuntur,nõ redditâ ſorte.Alij autem nunquam ceſſant poſt quantumuis longum tempus,niſi iterũ ſorte reſtitutâ,non obſtantibus omnibus penſionibus prius perceptis; ergò ſi his non inſit iniuſtitia, multò minùs inerit,illis ſeruatâ ſemper ratione proportionati pretij. Sed

43 Obijcitur generaliter contra omne genus cenſuũ:In omni cenſu exſpectatur ordinariè & quidẽ probabiliter multò plus in penſionibus,quàm ſit pretium, quod ſoluitur:Imò dum aliquando decuplum, aut centuplũ per penſiones eſt redditũ, vltra pretium ſolutũ, manent adhuc penſiones ſemper ſoluendæ ſingulis annis: apparet igitur quòd in omni emptione cenſus cõmittatur iniuſtitia, cùm nulla ſit æqualitas inter pretium, vt apparet, & rem venditam, puta penſiones annuas.

Reſpondetur, Neg. Conſeq. & ad illud, quod per modum confirmationis aſſumitur, nullam ſcil.eſſe ęqualitatem inter pretium & rem venditam, ſimiliter Reſpondetur, hoc ipſum quoq; negãdo.Pro cuius declaratione

44 Obſeruandum eſt,non ipſas penſiones eſſe rem venditam, quando cenſus emitur, quæ ſucceſſiuè poſſunt longè excedere pretium; ſed rem venditam eſſe ius percipiendi certos fructus ſiue penſionem, vt aliquoties ſuprà diximus. Neq; exiſtimandũ eſt, naſci hîc iniuſtitiam, aut inæqualitatem ex eo, quòd ex tali iure empto ſperentur cum tempore fructus longè plures, quàm ſit pretium ſolutũ: quia alioquin oportebit ſimiliter iniuſtitiæ condemnare omnem contractũ, quo res aliqua frugifera emitur,v.g.pratum,ager,ſilua; quandoquidem ordinariè exſpectentur ex talibus rebus, fructus qui cum temporis tractu,etiã vltra onera ratione culturæ incumbentia, excedent pretium, quod pro illis ſoluitur. Non itaque ad iuſtitiam huiuſmodi contractus requiritur, quòd pretium ſolutũ ſit æquale omnibus fructibus aliquãdo ex re percipiendis, ſed ſatis eſt, quòd ſecundum taxationem legis,aut communem æſtimationem ſit æquale valori talis rei frugiferæ: Rebus autem frugiferis annumeratur quoque ius cenſuum.

DVBIVM IV.

Quodnam ſit iuſtum pretium Cenſuum?

Respondetur: Dupliciter illud, ſicut & aliarum rerũ, poſſe conſtitui: Primò, 45
lege Principis, & hoc dicitur pretium legitimum quaſi lege decretum: quod ſeruandum eſt,niſi fortaſſis cõtingeret circumſtantias ita notabiliter eſſe mutatas, vt meritò præſumi poſſit non eſſe mentẽ legiſlatoris, quòd cum his circumſtantijs cõſtitutio eius obſeruetur.

Secundò,Quando lege non eſt conſtitutũ pretium, tunc conſtitui poteſt communi hominum illius prouinciæ æſtimatione, iuxta l.Pretia rerum 63. D. Ad l. Falcidiam.

Qua in re aduertendum eſt, ijs in locis,vbi plurimum viget negotiatio,minoris ęſtimari iſtos cenſus: & ſimiliter vbi pecuniæ eſt penuria,quia hoc facit,vt merces,& res alię minori nummo ſoleãt vendi; & negotiatio facit pecuniã, vt induſtrię hominum ſubeſt,magis lucroſam; quò fit, vt hæc pluris æſtimetur.

Vnde cõtingit,quod pretia cenſuũ etiã realium, pro varietate temporum, & locorũ ſint 46
quoque diuerſa: nam cenſus redimibiles in Belgio ferè nummo decimo octauo, aut decimo ſexto æſtimantur.In Regno Caſtilliæ, nummo decimo quarto, vt indicat Molina diſp.385.n.15.In Germania Martinus V. & Calixtus III. approbarunt cenſus nummo decimo,vndecimo,decimotertio,& decimoquarto emptos pro diuerſa temporum conditione,vt patet ex eorum Extrauag. Similiter Nicolaus V. & Gregor. XIII. in Sicilia probarunt reditus emptos nummo decimo. Quod ad cenſus irredimibiles attinet, quidam volunt iuſtum pretium irredimibilis cenſus eſſe duplum ad redimibilem, vt refert

Molina

Mol. ſuprà: alij autem dicunt ſolùm debere eſſe maius in ſexquialterâ ferè proportione, ita videlicet, vt ſi pretiũ redimibilis cenſus ſit ad rationem quatuordecim pro vno, pretium irredimibilis erit ad rationẽ viginti pro vno: & his ſubſcribit Molina ibid. modò in vtroque, æqua eſſet ſtabilitas ac ſecuritas ex parte rerum aut iurium, ſuper quibus fundantur. Interim addit, nihil quod vſu receptum eſt hac in parte, in vnoquoque loco, facilè eſſe improbandum.

47 Cæterùm in æſtimatione cenſus realis faciendâ, conuenit valdè attendere ad pretia rerum frugiferarũ, vt v.g. tanti ematur, aut penè tãti, cenſus annuus irredimibilis centũ flor. quanti emeretur fundus aliquis, ex quo deductis expenſis, licet annuè expectare fructus, qui valerẽt 100. flor. Dico, aut penè tanti; quia amplius videtur eſſe, habere plenum rei dominium, quàm ſolum habere ius ex ea percipiendi tantos prouentus: quia qui tantùm habet cenſum ſuper re conſtitutum, pendet ab alio à quo debeat expectare ſolutionẽ: neq; ita pleno iure ex fundo percipit ſuam penſionẽ, ſicuti ipſe dominus fundi percipit ex eo fructus: vt obſeruat Mald. ſup. dub. 16. Cenſus autem redimibilis haud dubiè minoris eſt æſtimandus, quã fundus, qui tantundem valeret annuè, propter conditionem redimibilitatis. Sed poſſet comparari cum fundo, qui cum pacto venditur, vt à venditore ad ipſius voluntatem poſſit redimi. Si verò ſimul accedat obligatio perſonalis, & fiat cenſus mixtus, hoc etiam nomine propter maiorem ſecuritatem, pluris erit cenſus æſtimandus.

Plura autem, quæ conſideranda veniunt circa æſtimationem cenſuum cuiuſuis generis, vide in particulari explicata apud Malderum loco citato.

DVBIVM V.

Vtrùm ſi cenſus fuerit emptus minoris pretio iuſto, penſiones ſint reſtituendæ quatenus ſecundùm proportionem ſuperant pretium iuſtum?

48 Dico Primò: Si pretium lege ſit conſtitutum cum particula irritante contractus, qui fiunt prętio inferiori, tunc penſiones perceptæ adminus erũt reſtituendæ, quâ parte excedunt pretium legitimum. Ita Mald. ſup. dub. 17. & Leſſ. du. 15. Ratio eſt: quia cenſus, quâ parte excedit hoc pretium, haud dubiè eſt irritus, & proinde non ſubeſt titulus, quo poſſit emptor penſiones pro illa parte percipere. Dico, ad minus, quâ parte excedunt; quia non eſt improbabile, quòd quâ parte pretiũ eſt æquale cenſui, eatenus poſſint penſiones reſeruari, quia præſumi poteſt, quòd lex non intendat derogare contractui, niſi in quantum eſt iniquus.

Dico Secundò: Quando nulla lex eſt irritans contractũ, probabile eſt, nihil ex penſionibus eſſe reſtituendum, ſed quod ad iuſtum pretium deerat, tantùm eſſe ſupplendũ & ſimul ſoluendum intereſſe, ſi quod ex carentia iuſti pretij, vẽditor paſſus ſit. Ita Medina q. 15. De vſuris, Mald. Leſſ. & alij. 49

Probari poteſt: quia venditor, nõ videtur fraudatus ex eo, quod emptor perceperit penſiones, ſed quia iuſtum pretium ei non fuerit perſolutum; nam penſiones fiebant emptoris. Sicuti ſi quis agrum emeret minoris iuſto pretio, non teneretur fructus agri reddere, ſed pretium ſupplere & reſarcire damnũ, ſi quod ex defectu iuſti pretij obuenerit venditori. Penſiones autem ſunt veluti fructus ipſius iuris, in quo cẽſus cõſiſtit. Ex quibus licet deducere emptorẽ cẽſus obligatũ eſſe in conſcientiâ ad pretium ſupplendum, etiamſi res cenſui ſubiecta paulò pòſt inũdatione, aut alio fortuito caſu fieret inutilis in perpetuum, atque ita cenſus ipſi periret; quia cenſus perit domino, non illi, qui vendidit, qui pretium ideo non tenetur reſtituere, &, ſi ſolutũ non ſit, poteſt exigere. Quemadmodum ſi quis infra iuſtum pretiũ emiſſet domũ, deberet is ſupplere pretium, etiamſi paulò pòſt incendio domus abſumeretur, vt ex Med. ſup. §. Sed pone: notat Mald. loco cit. Qui & addit, probabilem eſſe ſententiã, quę dicit irritam eſſe omninò emptionem cenſus infra iuſtum pretium, quando reditus multum excedit pretium, quod docet Rodericus lib. 1. q. 7. n. 8. vt v.g. ſi infra nummum decimum fuerit emptus, quia ſcil. talis cõtractus iudicandus eſt vſurarius, ac proinde irritus. Vnde in tali cenſu ſic empto obligaretur emptor reſtituere penſiones integras perceptas; quia non fuiſſet ei ius aut titulus eas percipiendi ex re alterius.

DVBIVM VI.

Quid & quotuplex ſit Cambiũ?

Dico Primò: Cambium generatim idẽ eſt quod Permutatio. Ita notat Salas Tract. de Cambijs du. 1. vbi addit, Ariſtotelẽ huius contractus meminiſſe ſub nomine permutationis 1. Polit. c. 6. & D. Th. 2. 2. q. 74. art. 4. Cambire enim, permutare eſt: atq; ita latiſſimâ hac ſuâ ſignificatione dici poteſt complecti omnẽ cõtractum onéroſum; nam in omnibus eiuſmodi contractibus eſt quædam quaſi permutatio: vt patet in emptione & venditione, vbi pretiũ pro merce, aut merces pro pretio permutantur; in locatione, conductione, vbi vſus rei pro pretio, vel contrà permutantur; & ſic in alijs. 50

Secundò, ſumitur ſtrictiùs cambium ſiue permutatio, videlicet pro contractu innominato quodam, qui ſolet explicari his verbis, Do, vt des, quo ſcilicet res vna commu- 51

tatur

tatur pro alia: vt equus pro boue, domus pro agro, vel etiam domus pro domo; non autem res pro pretio, aut res pro actione.

52 Tertiò, ſumitur Cambium magis particulariter, prout de illo hîc inſtituimus agere: & ſic dicitur eſſe commutatio numiſmatum ſeu pecuniæ pro pecunia. Verùm quia illi, qui ex profeſſo cambium exercent, ſpectare ſolent lucrum aliquod in pecuniæ commutatione, & ſecundùm communem loquendi modum vocãtur ſpecialiter campſores, ideo exactiùs poterit cambiũ deſcribi hoc modo, Quòd ſcil. quędã ſit lucroſa cõmutatio pecuniarũ cũ pecunijs aliquo modo diuerſis, ſiue ſecundùm quantitatem, ſiue ſecundùm ſpeciem, ſiue ſecundùm locũ. Dicitur enim cambium exerceri propriè ab illo, qui in obſequium alterius pecunias permutat, & inde aliquid quæſtus ſumit: non ſic exerceri dicitur ab eo, qui in ſui gratiam & commoditatẽ requirit permutationem. Vnde cambium, de quo agimus, non dicit ordinem proximè & per ſe ad hunc qui permutationem requirit, quia non dicitur idcirco exercere cambium.

53 Differt autẽ à mutuo inprimis; quia mutuum non eſt cõmutatio propriè, ſiue vltrò citroq; datio rei pro re, ſiue pecuniæ pro pecunia. Deinde mutuũ ex ſua ratione requirit aliquod tempus inter medium, inter pręſtationem rei mutuò datę, & inter eius reſtitutionẽ: quod cambio per ſe nõ ineſt, quãuis per accidẽs aduenire ſoleat, vt quãdo pecunia hic præſens commutatur cũ pecunia exiſtenti alibi in loco diſtanti. Denique quòd contractus mutui in ſuã ratione ſit cõpletus, antequam ſors ſit reddita: contractus autem cambij non ſit cõpletus, niſi vtrimq; pecunię ſint præſtitæ. Dixi, quod ſit cõmutatio pecuniarũ cũ pecunijs aliquo modo diuerſis &c. quia ad cambij rationem non eſt neceſſariũ, quod pecunia quæ commutatur, ſit diuerſa ab altera pro qua cõmittatur, vel in materia, vel in forma quoad publicum ſigillum illi impreſſum, vt notat Molina Tract. 2. De contr. diſp. 398. contra Med. q. 1. De cambijs: Cõmutatio enim pecuniæ datæ in vno loco, pro pecunia in alio loco exiſtente & reddenda, eſt verè cambium, quamuis hæc neque in materia, neque in forma ſit diuerſa, quod etiam tradit Soto lib. 6. De Iuſt. & Iure quæſt. 8. art. 1.

54 Dico Secundò: Diuerſę aſſignari ſolent cambij diuiſiones. Atque inprimis diuiditur in cambiũ Reale, ſeu verum & propriè dictum, & in cambium, quod vocant Siccum, aut potius Fictum: vt, quando qui cambium petit, neque hîc, neque alio loco habet pecuniã, ſed ſimulatione quadam, hoc inter ſe agunt partes, quòd pecunia hic numeretur & dicatur alibi reſtituenda factori cãpſoris, aut eius correſpondenti, qui tunc fingit ſe recepiſſe, & iterũ talẽ ſummã cambij nomine numeraſſe negotiorũ geſtori primi petẽtis cambiũ. Vnde debet primus petens poſtmodũ campſori reddere eodem loco pecunias antea acceptas, cũ lucro duplicis cãbij; atq; ita à parte rei non fuit niſi mutuũ, eſtq; captatio lucri ex mutuo, & palliata vſura.

Cambiũ Reale ac Verũ eſt legitima permutatio vera & realis pecuniarũ, ex qua altera pars permutantiũ aliquid lucri accipit. 55

Subdiuiditur autem in cambium Minutum, & in Locale.

Minutum cambium vocatur permutatio numiſmatũ diuerſæ rationis, aut ſpeciei, quę vtrimq; præſenter eodem loco habentur, & de manu ad manũ redduntur; vnde & Manuale dici ſolet, vt v.g. nummorum aureorũ cum argenteis, argenteorum cum ęneis, item maiorum cum minoribus, etiamſi vtrimque ſint aurei, vel vtrimque argentei, item vetitorum cum alijs permiſſis, raſorum cum integris, antiquorum cum nouis &c.

Locale, quod etiam vocatur cambium per litteras, eſt, quando pecunia vno in loco exiſtens mutatur cum pecunia alibi exiſtente, ſiue interim reddatur alio loco in eadem ſpecie, ſiue in diuerſa. Neque fundamentum Medinæ qui aliter ſentit, quoad poſteriorẽ partẽ ſubſiſtit, quod ſcil. non ſit futura permutatio, niſi pecunia in alia ſpecie reddatur, quãdoquidẽ & res eiuſdẽ ſpeciei rectè inter ſe permutari dicantur, & legitimè permutari poſſint, quę in diuerſis exiſtunt locis: quin & quæ ſunt in eodem loco: poteſt enim equus cõmutari cũ equo, bos cũ boue, ſiue in eodẽ loco, ſiue in diuerſis exiſtant: quãuis iſta cõmutatio in eodem loco non ſoleat fieri, niſi ſaltem ſecundũ aliqua accidentia differant. 56

DVBIVM VII.

Vtrum ex cambio minuto licitum ſit facere aliquod lucrum?

OBſeruandum hic eſt, cambium minutum, ſuas habere commoditates in Repub. quod ſic facilè declaratur: quia multi ſæpè minutis indigent pecunijs ad res quotidianas vilioris pretij emendas, ad eleemoſynas faciendas, & ad ſimilia. E contra verò contingit, quod alijs commodiores ſint pecuniæ maiores, vt qui debent pecunias de vno loco in alium tranſportare, vel volunt pecunias aſſeruare in longum aliquod tempus, vt maiorem pecuniæ ſummam ſimul ad fundos aut cenſus emendos applicent, vel quia migrant ad loca, vbi pecuniæ quas hic habent, nõ obtineant valorẽ. Vnde vtile eſt Reipub. quod ſint campſores aliqui, qui in promptu paratas habeant pecunias ſic omnis generis ad cambium pro alijs, prout quiſq; indiguerit. Quare etiam diuerſis in prouincijs, authoritate publica inſtituuntur eiuſmodi campſores. His præmiſſis 57

RESPON-

Digitized by Google

58 Respondetur, Etſi cambium minutum frequenter ſit quaſi œconomicum, tamen poſſe fieri, quòd etiam licitè & iuſtè lucrum aliquod inde capiatur; idque ex diuerſis titulis & cauſis, quæ poſſunt concurrere. Ita tradunt Doctores communiter. Declaratur, nam qui ex officio, authoritate publicâ inſtituto, exercet hoc genus cambij pro commoditate communitatis, poteſt in primis accipere aliquid pro obligatione cambiendi, ratione cuius debet vacare petentibus cambium, & ſollicitus eſſe, vt varietatem numiſmatum habeat, quibus ſeruiat communitati. Deinde in eodem concurrere poſſunt & alij tituli, qui tamen publico campſori non ſint omninò proprij, ſed & alijs poſſint eſſe communes: Primò, namque ratione lucri ceſſantis poterit quis accipere amplius, quanti æſtimabitur, v. g. ſpes lucri quam habebat, ſi nummos, quos permutat, aliò detuliſſet, vbi pluris valent, prout transferre conſtituerat. Vbi tamen deducenda erit æſtimatio periculi, & expenſarum, ſi quæ in tranſlatione eſſent faciẽdæ, ſicuti & in ſimilibus caſibus lucri ceſſantis. Similiter quando quis pecuniã ſuam quaſi otioſam ſeruat, in gratiam illorum, qui cambium petunt, alioquin expoſiturus in negotiationem vel emptionem rei frugiferæ, poteſt & hic intereſſe ſuum æſtimare, præſertim qui ex authoritate publica id facit. Vide Medinam quæſt. 7. De vſuris.

59 Secundò, ratione valoris intrinſeci numiſmatum, quæ à campſore dantur. Quamuis enim numiſma datum, & numiſma acceptum ſecundùm valorem lege conſtitutum ſint paria, poteſt tamen valor intrinſecus numiſmatis, quod ſuppetit campſor, eſſe melior; idque vel quia reuera habet plus ponderis in materia licet æquè bonâ, vel quia purioris auri eſt, vel efficacioris ad medicamentum, vel magis idonei ad deaurandum, vel vt inde vas aureum, argenteumve conficiatur. Ita ferè Nauarrus, in cap. vlt. De vſuris n. 20. Caiet. Opuſc. De cambijs cap. 1. & 6. Dominicus Soto lib. 6. De iuſtitia & iure quæſt. 9. art. vnico Mald. Tract. 5. cap. 4. dub. 2. Silueſter V. Vſura 4. n. 3. & plerique alij.

Sed contra hunc titulũ opponit Medina, qui aliter loco cit. ſentit, quòd Princeps ſiue Magiſtratus in cõſtituendo legitimo pretio numiſmatum habuerit reſpectum ad omnia illa & alias commoditates materiæ; ergò in numiſmatum permutatione non licet aliquid amplius exigere ex talibus titulis, alioquin videbitur naſci inęqualitas & iniuſtitia.

60 Reſpondetur, Principem, & Magiſtratum in conſtituendo legitimo valore etiam aliquouſque ad prædicta reſpicere; non tamen tam exactè ad omnia & ſingula in particulari. Non enim ſemper conſtituunt exactiſſimam differentiam inter aurum, & aurum, etiamſi vnum ſecundùm aliquos reſpectus ſit præſtantius altero: ſed præſertim veritatem & integritatem ipſius ſpeciei conſiderant, neque intendunt nummos illos taxare ſecundùm omnem vſum, quem habere poſſunt, ſed quatenus conſiderantur vt menſura & pretium rerum venalium. Quò fit, vt, ſi alicui debeas centum florenos, & velis ſoluere in nummis aureis, non poſſis ſingulos pluris æſtimare, quàm lege ſtatutum ſit. Nec tenetur creditor illos accipere in ſolutionem, niſi ſecundùm æſtimationem legis, neque tenetur attendere ad præſtantiam metalli, vel alias commoditates illius: quod ſi tamẽ creditor ille cuperet nummos aureos ſibi numerari, & ex cõtractu non eſſet debitor obligatus in auro ſoluere, poſſet eos pluris æſtimare, videlicet quanti iudicio communi cenſentur amplius valere, quia moneta illa aurea; non tam vt ſunt pretium ſeu menſura rerum venalium, quàm vt res etiam menſurabiles, & ſic quaſi permutatione rei cum re ſatisfaciet creditori.

Dices iterum: Solent Principes lege prohibere, ne quis exponat numiſmata ſupra valorem lege conſtitutum; non poterit ergò campſor aliquid amplius accipere vltra eualuationem.

Reſpondetur, Principes ſtatuere legitimũ 61
valorem pecuniæ, vt eſt menſura aliarũ rerum, & prohibere, ne vt ſic, exponantur numiſmata altiùs; non tamen eorum eſſe mentem, quin nummi aliqui purioris materiæ, aut quæ certas contineat commoditates, ſi tamquam res cõmutentur cum alijs nummis materiæ impurioris, aut quæ ſimiles non habeant commoditates, poſſint pluris æſtimari ratione ſuæ materiæ, quàm illi, cum quibus commutantur. Id enim velle prohibere non videtur ſatis in ratione fundatum, per ſe ſaltem loquendo, cùm materia ſit pretio æſtimabilis, & in ſe vendibilis. Dico, per ſe loquendo; quia ad fraudes excludendas, quibus mandata Principum de non augendo valore ſolent eludi, poſſet aliquando id etiã iuſtè prohiberi: & tunc quidem illicitè quis ſic commutaret, ſed tamen non committeret iniuſtitiam, ſi non excedat æſtimationem, in quantum eius numiſmata cenſentur eſſe præſtantiora.

Sed contra dicta Obijcitur: Quæ ſunt æ- 62
qualia vni tertio, etiam debent cenſeri eſſe æqualia inter ſe: atqui v.g. centum floreni in minutis pecunijs, & 100. flor. in auro ſunt æſtimatione æquales vni tertio, v. g. veſtimento 100. flor. ergò & inter ſe, ac per cõſequens, quemadmodũ non poteſt quis minus ſoluere quàm centũ florenos, pro veſte tanti empta, etiamſi offerat ſolutionem in auro optimo: ita neque in cambio videtur poſſe amplius accipere, quin lædatur æqualitas.

Digitized by Google

Reſpondetur, Non ſequi; quia in Antecedente, nummi aurei & argentei ſumuntur ſecundùm rationem numiſmatis, & vt ſunt menſura rerum pretio æſtimabilium, & ſic inter ſe ſunt æquales: in Conſequente autem conſiderantur ſecundùm quod ſunt res inter ſe permutabiles; & ſecundùm eam conſiderationem, aurei poſſunt pluris æſtimari, quàm argentei.

63 Tertius titulus poteſt eſſe labor conquirendi nummos illos, quos campſarius expetit, & ſimul opera computandi, vt docent Conrad. quæſt. 99. Concluſ. 3. Soto lib. 6. quæſt. 9. art. vnico, Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 47. Nauarrus cap. 17. n. 288. & alij plures contra Caiet. qui exiſtimat operam campſoris non eſſe æſtimandam, quandoquidem campſarius viciſſim in numerando laborem rependat. Verùm quandoquidem campſor eiuſmodi curam & laborem ſubeat in gratiam alterius, meritò hæc illi ab altero compenſantur. Vnde virtute hîc intercedit quaſi contractus locationis operarum.

Quartus titulus eſſe poteſt, quòd nummi, quos ſuppeditat campſarius in loco vbi fit cambium, ægrè ſiue difficulter exponantur, ſaltem in illo valore, quem prętendit, quamuis in locis vicinis communiter valeant tantum. Poteſt enim tunc campſor ratione difficultatis aut moleſtiarum, quas ſubibit, vt nummos illos exponat, vel aliò tranſmittat, aliquid lucri accipere.

Quintus titulus ſit propter aliquam commoditatem quam habent nummi, quos dat campſor, præſertim quando plures ſunt, qui quærunt illos propter talem commoditatē. Ita Caiet. ſup. c. 1. & c. 6. Nauarr. & alij. Aliquando autem expetuntur magis nummi minuti, aliquando nummi aurei: commoditas autem illa eſt pretio æſtimabilis.

Sextus titulus poteſt eſſe, quando periculum eſt, quòd nummi, quos præſentat campſarius, reprobandi ſint, aut valor eorum minuendus. Ita Medina ſup. cum alijs.

64 Quæret aliquis primò, An priuatis abſque publica authoritate, liceat hoc genus cambij minuti exercere? Caiet. ſup. cap. 1. exiſtimat, non licere; ſed rectiùs Molina diſp. 399 n. 5. cum multis alijs, quos refert & Dom. Soto ſup. docent, id eis licitum eſſe, niſi peculiari lege eſſet prohibitum, modò ſeruent leges æqualitatis & iuſtitiæ, & non excedant in capiendo lucro vltra quàm ex titulis ſibi competentibus æquâ ęſtimatione accipere poſſint.

Petes Secundò, Vtrùm ſi lege prohibitum foret, ne quis præter campſores publicos, huiuſmodi cambium faciat, teneretur ad reſtitutionem, qui contra faceret?

Dom. Soto lib. 6. quæſt. 9. art. vnico putat teneri: ſed quamuis illicitè faceret, tamen verius apparet illum non incurrere obligationem reſtitutionis, vt docet Molina ſuprà n. 7. Salas De cambijs dub. 5. & alij. Non enim obligatur Reipublicæ, cum nullum damnum illi intulerit: neq; etiam huic, qui cum eo cambium fecit, quia nulla huic facta eſt iniuria, cū non plus ab illo acceperit, quàm communi campſorū iudicio nummi in tali permutatione conſueuerunt æſtimari. Nō poſſet tamē talis priuatus accipere tantum, quantum campſor publicus, quia non habet in illo locum, titulus ille, quod ſit obligatus & debeat eſſe paratus ad cambium faciendū, quem titulū habet campſor publicus, eſtque valde notabilis & oneroſus.

DVBIVM VIII.

Vtrum campſor, à quo cambium petitur, aliquid lucri poßit accipere, tam quando prior à campſario pecunias accipit, vt alibi reddat, quam dum ipſe prior eas dat, vt alibi recipiat?

CAmbium locale, ſiue per litteras, ex diuerſis occaſionibus frequenter vtile, & quodammodo neceſſarium eſt hominibus: quia ſæpius indigent vno in loco pecunijs, quas habent in alio, ſiue ad merces ibi emendas, ſiue ad illic commorandum, quas tamen vel propter legem prohibentem non poſſunt, vel nō tam cōmodè propter labores & moleſtias, aut nō tā cito poſſunt, vel propter pericula itinerū non audent de loco in locum tranſportare: aut rurſum, quia pecunia, quam vno in loco habent, non admittitur aut recipitur in alio, vbi illâ indigent. 65

Hinc itaque quæritur, an licitum campſoribus ſit, pro eiuſmodi commutatione pecuniæ de loco in locum, accipere aliquod incrementum & lucrum.

His præmiſſis Reſpondetur, Vtrouis modo fiat cambiū, ſiue quod ipſe prior à campſario pecunias accipiat, vt alibi reddat, ſiue quod ipſe prior numeret, vt alibi reſtituantur, poteſt licitè cāpſor aliquid lucri accipere. Quod priori modo, hoc licitè poſſit, cōmunis habet DD. ſententia, vt notat Molina diſput. 403. modo tamen id lucri, iudicio prudentum non excedat valorem illius formalis aut virtualis tranſportationis de loco in locum. Ita Conr. De contractib. q. 99. Concluſ. 4. Medina quæſt. 4. De cambijs, Soto lib. 6. quæſt. 10. art. 1. Nauar. cap. 17. n. 289. Gab. in 4. diſt. 15. quæſt. 11. art. 3. dub. 12. & alij paſſim.

Poſteriori modo quidā negant licitè fieri poſſe, ſed dicunt eiuſmodi contractū vſurarium, vt refert Mol. diſp. 404. Nihilominus commu-

communior DD.opinio eſt, etiã cõtractum illum vſurarium non eſſe, ſed licitè quoque fieri poſſe, modò incrementum non accipiatur ob expectatam ſolutionem, ſed propter obſequium, ſiue propter virtualem pecuniæ tranſportationem: ita docent cum Molina DD. modo citati.

66 Probatur autem vtraque pars ſimul: quia plures poſſunt aſſignari tituli vtrique modo communes, ex quibus Campſor poſſit iuſtè & licitè aliquid lucri accipere à campſario: vt in primis, ex cauſa tranſportus pecuniarum, quem campſor alteri præſtat, partim ſuâ operâ, partim ſuâ induſtriâ: hactenus ſuâ quidem operâ, quòd litteras debeat perſcribere, pecunias hîc alteri numerare, aut ab eo recipere, & curare alibi per agentem, aut recipi aut reſtitui, prout ille vel priùs numerauit, aut priùs recepit: Accedit autem induſtria, quòd non realiter pecunias tranſportet aut tranſportari curet de loco in locum, ſed virtualiter: quia nouit diuerſis in locis habere correſpondentes, aut pecunias ſuas paratas, quibus mediantibus poſſit alteri ſatisfacere, vt illi pecunias conſtituat, vbi eas habere deſiderat.

Neque impedit, quò minùs ratione huius tituli poſſit aliquid lucri accipere, quòd re ipſâ pecunias non transferat: nam transportus ille virtualis quaſi æquiualet reali tranſlationi, vt ſi tradam tabellario centum aureos transferendos Coloniam certo pretio, & ille inueniat alium, qui hîc eos accipiens paratus ſit eos Coloniæ gratis repræſentare, tenebor nihilominus tabellario non minùs, quàm ſi re ipſâ eos tranſtuliſſet. Neque enim refert, quòd tabellarius ſine labore tranſpoſuerit, quia hoc ipſius induſtriæ & bonæ fortunæ eſt tribuendum.

67 Aduertendum tamen eſt, non poſſe campſores tantumdem exigere, quàm ſi re ipſâ transferant, ſed ſolum tantundem, quantum communiter, bonorum & prudentum iudicio inter ipſos bona fide, conſideratis conſiderandis, conſtitutum eſt; quod ordinariè longè eſt minus, quàm pro reali tranſportatione dandum foret. Sicut enim aliarũ rerum pretium ex communi æſtimatione intelligentium & proborum hominũ pendet, ita & huius operæ, quam campſor præſtat.

Neque his obſtat, quòd in exemplo allegato de tabellario, poſſit is accipere totum pretium realis tranſlationis, quia quaſi fortuito tantùm caſu obuenit illi ea commoditas aliter traijciendi pecunias; quæ meritò illi attribuenda eſt, non alteri, cuius pecunias transferendas habebat: In cambio autem ſunt ordinaria & cognita media traijciendi aliter pecunias, quàm per realem tranſportationem: vnde meritò conſtituitur aliquod determinatum & minus pretium, pro opera talis tranſportus;

Dicet aliquis: Qui pecuniam campſori tradit, vt alibi recipiat, non intendit conducere operam campſoris, ſed permutare pecuniam quam hic habet, cum ea, quam campſor habet alibi; ergò videbitur quòd cãpſor non poſſit illo titulo aliquid recipere. 68

Reſpondetur, licet campſarius forſitan non intendat expreſsè operam campſoris conducere, tamen implicitè id facit, quando hic pecuniam tradit campſori, vt curet eam ſibi in alio condicto loco reddi: hoc enim non fit, niſi per realem aut æquipolentem transportationem.

Secundò, ex titulo aſſecurationis poteſt campſor aliquid accipere, quatenus cãpſarium aſſecurat, quòd pecuniæ eius ſine periculo, ipſi conſignabuntur ſeu numerabuntur eo in loco, vbi eas numerari petit. Ratio eſt: quia liberare campſarium à periculo tranſmiſſionis pecuniarum per itinera longa & periculoſa, eſt pretio æſtimabile, vt patet ex eo, quòd dum nuntius ſeu baiulus in ſe ſuſcipit periculum tranſportationis, iuſtè pro eo pretium exigat, vltra laborem tranſportationis. Neque obſtat, quòd campſori in tranſponendâ pecuniâ, nullum ſit periculum, cùm ipſe alibi eam habeat paratam, quia id eius prouidentiæ, aut bonæ fortunæ tribuendum eſt, aut eius induſtriæ, cuius eſt quaſi partus quidam, vt ex Silueſtro V. Vſura 4. qu. 8. nu. 2. docet Mald. ſuprà Dubitat. 3. Sed

Obijcitur: Quando campſarius prior accipit pecunias à campſore, quas alibi curat reddi, tunc hic potiùs videtur campſoris pecunias aliò tranſportare, quàm campſor pecunias huius; ergò non poterit campſor exigere aliquid ratione operæ in tranſportando, & conſequenter neque ratione aſſecurationis, quandoquidem ipſius pecuniæ videantur tranſmitti tantùm, non verò campſarij. 69

Confirmatur: quia non poteſt campſor ex alio loco huc transferre ſuo periculo pecunias alterius, niſi antea eas acceperit: atqui nondum eas accepit, quando campſario hic numerat pecunias; ergò &c.

Propter hæc argumenta Boninſignius, & Lopez de Cambijs cap. 5. exiſtimant campſorem, qui prior numerat, non poſſe hoc titulo aliquid accipere, quamuis alios titulos aſſignent, quibus eum aliquid lucrari poſſe admittant. Illis tamen non obſtantibus Dom. Soto ſup. q. 9. art. 1. Nauarrus cap. 17. n. 289. Mald. ſup. & alij plures admittũt etiam in hoc caſu, aliquid lucri titulo tranſmiſſionis & aſſecurationis accipi poſſe. Et ſanè rem moraliter æſtimando, atque intentionem & finem campſarij ac campſoris inſpiciendo, apparet eadem ratio quoad titulum tranſmiſſionis ſeu tranſportus in hoc modo cambij, quando campſor

prior numerat; & in altero, quando campſarius prior ſuas dat pecunias.

70 Vnde ad argumentum Reſpondetur, quod in cambio, non tam debeant dici tranſmitti aut tranſponi pecuniæ illius, qui priùs ſuas alteri numerat, quàm iſtius, qui ſuas habet vno loco, ex quo deſiderat eas alio loco habere, & ſibi realiter aut æquiualenter tranſponi. Iam verò campſarius eſt; qui petit ſuas pecunias ex vno loco habere in alio: idcirco enim campſorem adit, vt pecuniam quam alibi habet curet campſor hîc repræſentari: quod facit, ei pecunias prænumerando, non autem accedit, vt pecuniam campſoris aliò tranſmittat, neque hoc petit campſor.

Ad Confirmationem autem dicendum eſt, quòd, licet realiter pecunias transferre non poſſit, antequam eas acceperit, poſſe tamen æquiualenter: præſtat enim campſor id prænumerando, quod æſtimatione æquiualet, ac ſi pecuniam alibi receptam huc transferret.

Alij autem alios aſſignant titulos, quibus campſor, qui prius numerat, poſſet aliquid lucri accipere, vt titulo emptionis & venditionis: quia volunt hic quaſi emi pecuniam abſentem pro præſente, & quia abſens loco minoris æſtimatur quàm præſens, vt in mercibus fieri ſolet; ideo campſorem poſſe aliquid minus numerare quam alibi ſit recepturus. Ita Boniſingus De cambijs cap. 6. Caiet. ſimili Tract. cap. 7. Silueſter V. Vſura 4. quæſt. 8. vel titulo permutationis, vt aliqui loquuntur, & ferè eodem recidit, quatenus ſcilicet pecunia abſens minus valere cenſetur quàm præſens, quia abſens loco, ex natura rei non præbet omnem commoditatem, quam præſens. Deinde abſens non poteſt ſine ſumptu, & frequenter etiam non ſine periculo haberi præſens. Ita Caiet. etiam ſup. Silueſt. ibidem quæſt. 4. Nauarrus in Comment. ad Cap. finale De vſuris n. 62. vbi & alios citat.

71 Neque obſtare videtur, quòd campſor abſentem pecuniam ſine periculo & ſumptu poſſit facere præſentem, vt opponit Soto quæſt. 12. art. 2. qui hos titulos non admittit: tum quia id non ſemper verum eſt; ſæpe enim & ſumptus & pericula ea de cauſa ſuſtinet, vt v.g. ad ſuos factores quos alibi habet, magno ſtipendio intertenendos, quibus & ſua concedere debet: tum etiam quia illud induſtriæ ipſius aut fortunæ aſſignandum videtur. Nam ſatis eſt, vt apparet, ad iuſtitiam huius tituli, quòd pecunia abſens ex ipſa rei conditione minoris æſtimetur, eo quòd communiter non ſine ſumptibus & periculis præſens haberi queat.

Similiter nec obſtare dicunt, quòd aliquando ſit campſori commodum habere pecuniam alibi, ſiue abſentem, quia id non prouenit ex conditione abſentiæ per ſe conſideratæ, quæ incommoditatem adfert, ſed ex induſtria campſoris, qui pecuniam abſentem nouit vtiliter expendere. Quare ob eiuſmodi ſuam commoditatem, non tenetur ille pecuniam abſentem ſecundùm ſe pluris æſtimare: quemadmodum, vt diximus, ille cui commodum eſt reducere equum hinc Coloniam, non tenetur illud commodum æſtimare, ſi quis eius operam ad reducendum equum conducere velit.

Alij autem duo tituli videntur peculiariter hîc concurrere, quando campſor prior 72 numerat, ſcilicet lucri ceſſantis pro tempore, quod intercedit inter hanc numerationem, & inter redditionem alibi faciendam: ſi alioquin negotiationi & alijs lucris pecunia erat impendenda, prout mercatores ſolent in omnem occaſionem lucri intendere, quando pecunias paratas penes ſe habent. Deinde ratione periculi, ne forſitan loco conſtituto non reſtituantur ſecundùm rationem contractus. Qui tituli locum non habent, quando campſarius pecunias prænumerat campſori.

Cæterùm ſunt & alij tituli, qui vtrique modo cambiendi poſſunt quoque eſſe communes, vt inprimis ratione æſtimationis pecuniæ, quæ ſecundùm eualuationem ſiue conſtitutionem Principum maior eſt vno in loco, quàm in altero. Vnde campſor poteſt ſibi facere reſponderi de exceſſu, quem habet eo loco, vbi ipſe pecuniam accipit: v. g. ſi quis hîc Louanij petat cambium, vt reſtituat Leodij, vbi pecuniæ altiùs quàm hîc ſecundùm legem ſunt taxatæ, ita vt quæ hîc faciunt centum, ibi faciant centum viginti duo, poterit campſor conuenire, quòd campſarius pro centum reddet Leodij centum viginti duo, vel quòd eaſdem ſpecies reſtituet: imò, vt aliqui videntur apprehendere, quod etiam aliquid amplius; quod tamen ex illo titulo non videtur fundatum.

Secundò, ratione maioris pecuniarum 73 æſtimationis in vno loco quàm in alio, quaſi accidentariè: quia ſcilicet ex quibuſdam occaſionibus contingit, quòd licet pecuniæ ad eumdem valorem ſecundùm Principum conſtitutiones in diuerſis locis ſint æſtimatę, tamen, v.g. mille floreni in quacumque ſpecie, conſiderando eos, vt res permutabiles, æſtimentur pluris in vno loco quàm in alio: idque triplici potiſſimum ex capite. Primò, ratione maioris raritatis pecuniarũ inter ipſos mercatores & campſores vno loco, quàm alio: quando enim parũ pecuniæ apud mercatores alicuius loci, inibi habetur, tunc pluris communiter eo loco æſtimant ſuas pecunias reſpectu commutationum. Quemadmodũ enim raritas merciũ inducit maiorẽ earundem caritatem, ita etiã raritas pecuniæ inducit maiorem quandam æſtimationem,

Digitized by Google

mationem; non quidem legalem, quæ intrinſeca eſt quodammodo, & conuenit pecuniæ, quatenus eſt menſura rerum venalium, ſed extrinſecam, quæ conuenit pecuniæ, quatenus eſt res permutabilis. Secundò, ratione maioris multitudinis petentium ad cambium hoc loco: facit enim hæc multitudo, vt pecunia pluris æſtimetur tali loco. Quemadmodum pretia mercium augentur, quando plures ſunt mercatores, quia hi exhauriunt & inducunt raritatem. Neque obſtare videtur, quòd hæc multitudo petentium, interdum concurrat ex occaſione quòd concedatur longius tempus ad redditionem faciendam: quia hoc ipſo, quo multi ſunt ementes, ſolent pretia mercium augeri. Nec enim conſiderare debent vendentes, quid ſpectent emptores, vel cur tanta multitudo conueniat; ſatis enim eſt plurimos confluere, vndecumque hoc accidat. Hinc tamen non ſequitur, licitum eſſe augere pretium, dum vendis dilatâ ſolutione, eò quòd plures ſic petentes emere ad te accurrant, quia quod multi petant à te emere, non auget pretium commune. Secus autem ſe res habebit, quando paſſim multi ſunt per totum diſtrictum petentes emere, eò quòd paſſim merces ibi credito vendantur: illa enim multitudo auget pretium præſens mercium, non autem facit, vt liceat accipere amplius ſupra iuſtum pretium præſens, ratione dilationis. Tertiò ratione maioris ſecuritatis pecuniæ in vno loco, quàm in altero: nam in locis, vbi pecuniæ periculis ſunt expoſitæ, cæteris paribus minoris æſtimantur, vt rectè docet Caiet. cap. 2. de cambijs: res enim periculo adhuc ſubiecta minus valet, quàm quæ tutò habetur.

DVBIVM IX.

Vtrum in locali cambio ſiue per literas, quando fit ad vtriuſque cõmoditatem poßit alteruter aliquid lucri capere.

74 RESPONDEO & DICO Primò: Si vterque petat & det, ſitque par æſtimatio pecuniæ vtrobique locorum, neuter lucrum faciet licitè; ſed centum floreni v. g. ſimpliciter commutandi ſunt, cum centum eiuſdem ęſtimationis. Ita docet Lopez Tract. de cambijs cap. 3. & alij.

Probatur: Quia neque potero amplius aliquid exigere ratione permutationis, cùm ea, quę permutantur ſupponantur eſſe ęqualia: neque etiam ratione tranſportationis, ſeu locationis operarum in pecunijs alterius transferendis: quia ſicut ego pecuniam ipſius quam habet v. . Coloniæ, cenſeor transferre Antuerpiam, ſi ibi pecunias ei numerem, ita ipſe pecuniam meam, quam Antuerpiæ ipſi numero, cenſetur transferre Coloniam, vbi eas habere deſiderabam: & ita eſt æqualitas in hiſce operis, quas ſibi viciſſim præſtant: ergò &c.

DICO Secundò: Si ob aliquam cauſam ſit inæqualitas æſtimationis pecuniarum, in hoc & in illo loco, ipſa erit compenſanda; & ratione huius poterit alteruter aliquid plus accipere. Ita Lopez ſup. Leſſ. dub. 3. n. 25. & dub. 4. num. 34. & alij, vt v. g. ſi aureus valeat Antuerpiæ ſexaginta quinque, & Coloniæ tantùm ſexaginta, poterit quis Antuerpię accipere 65. & Coloniæ reddere ſexaginta. Cæterùm in huiuſmodi Cambijs obſeruãdum erit, vt ſeruetur iuſtitia in vtroque contractu, qui implicitè hic concurrunt: alter, quo ego tamquam campſor pecuniam alicuius, quam Coloniæ habet, cenſeor transferre Antuerpiam; alter, quo ille hoc ſibi à me præſtari non vult, niſi in compenſationem viciſſim mihi ſimilem operam præſtet. Vnde potero ego exigere id, quod campſores, qui pecunias Antuerpiæ numerant, quas campſarij Coloniæ reddunt; ille verò id, quod campſores ſolent exigere, qui Coloniæ pecunias numerant, quas campſarij Antuerpiæ reddunt. 75

76 DICO Tertiò: Etiamſi occaſio huiuſmodi cambij ſit vtrique valdè commoda; ſi tamen alter à me tamquam campſore petat Antuerpiæ pecunias, quas alibi reddat, licet loco mihi oportuno, & ego nõ petam viciſſim operam ipſius, potero aliquid lucri accipere. Ita Soto lib. 6. De Iuſt. q. 10. ar. 1. §. At licet.

Ratio reddi poteſt, quia non poteſt alter mihi meam commoditatem quaſi vendere: quare nec poteſt aliquid exigere, eo quod mihi cõmodum ſit pecunias recipere eo loco, vbi eius ſunt, niſi operâ illius velim vti, quemadmodum ipſe cupit vti meâ.

Declaratur exemplo euidentiori. Si quæram virum, qui reducat equum Antuerpiam, & alius quiſpiam debeat eò proficiſci, & equum quærat, ſi velim eius vti operâ in equo reducendo, poterit ille nihilominus ſine iniuſtitia diſſimulare ſe equum quærere & operam ſuam iuſto pretio mihi locare: neque potero poſtea aliquid exigere pro vſu equi, licet ante contractum, ſi ſciuiſſem eum quærere equum, potuiſſem hunc equũ illi iuſto pretio locare; in eius tamen libertate fuiſſet, id recuſare.

DVBIVM

DVBIVM X.

Vtrum cambia, in quibus pretium variatur ratione maioris vel minoris intercapedinis temporis, quo pecuniæ prænumeratæ redditio eſt facienda, ſint licita?

77 VSitata ſunt hoc tempore huiuſmodi Cambia, quod v. g. ſi quis Antuerpiæ petat Cambium, quod in proximis nundinis reſtituet Francofurti, conſideret campſor, quot menſibus nundinæ illæ adhuc abſint, & ſecundum quod pluribus vel paucioribus diſtant, accipiat plus, vel minus ratione cambij, vt ſi quinto menſe ante nundinas proximas petatur Cambium, numerabit tantum v. g. 73. groſſos pro floreno germanico reſtituendo Francofurti tunc in nundinis: ſi quarto, aut tertio menſe ante nundinas petatur, numerabit 74. aut 75. groſſos pro floreno germanico: De hoc igitur genere Cambij, quod etiam communiter Francofurtenſe appellatur, quæritur an ſit licitum? His præmiſſis

78 RESPONDEO & DICO Primò: Si ſolum contractum cambij ſpectemus, non poteſt pretium variari ratione temporis longioris aut minus longi, quo nundinæ diſtant vel ſolutio ſit facienda. Ita Molina Tract. 2. De Contractib. diſp. 404. Medina q. 4. De Cambijs §. De aliâ causâ: Soto lib. 6. qu. 12. art. 5. Banneſ. 2. 2. tom. 2. Tract. De Cambijs. Vega qui in ſumma & Epitome caſu 29. abſolutè damnat Cambia in quibus quãto maius tempus ſolutioni faciendæ datur, tanto maius pretium exigitur: & Salas De Cambijs dub. 18.

Ratio eſt, quia in Cambio per ſe loquendo, non requiritur temporis interuallum, niſi quatenus neceſſarium eſt ad tranſlationem litterarum: ſi autem plus temporis concedatur ad ſolutionem præſtandam, id non fiet ex vi & natura contractus Cambij, ſed taciti cuiuſdam mutui: atqui in mutuo aliquid exigere præcisè ratione longioris temporis eſt vſurarium, vt ſuprà dictum fuit; ergò &c.

79 DICO Secundò, poſſe tamen fieri aliquam pretij variationẽ in Cambio ex occaſione lõgioris intercapedinis temporis, quo reſtitutio eſt facienda, quando illa ſcil. longioris temporis mora cauſat, vel coniunctũ habet aliquem iuſtum titulum augendi pretium, vt puta, lucri ceſſantis, vel ratione maioris periculi, cui exponitur pecunia prænumerata, quando redditio diutius differtur: qui tituli ſolent ſatis ordinariè concurrere cum longiori mora reddendi, quandoquidem mercatores continuò ſint intenti captandis lucris ex negotiatione, aut ex cãbijs ſæpiùs iteratis, quando pecuniæ citiùs redduntur. Similiter & dilatio ſolutionis ſolet ſecum adferre maius periculum ſortis propter varios euentus, qui campſario interea poſſunt obuenire. Ita docent Molina ſup. §. Timoratus quidam. Medina q. 2. de Cambijs: à Valen. tom. 3. diſp. 5. q. 23. puncto 4. Toletus lib. 5. c. 53. n. 4. Malderus Tract. 5. cap. 4. dub. 4. Salas ſup. & alij plures.

DVBIVM XI.

Vtrum prouiſiones, vt vocant, quas campſores accipere dicuntur, iuſte accipiantur?

NOtandum Primò: Prouiſiones hîc vocari ea, quæ accipiunt Campſores pro 79
opera præſtita, aut præſtanda in litteris ſcribendis, in pecunijs numerãdis, in regiſtrãdo recepta & expoſita, ac in ſimilibus munijs.

Notandum Secundò, Campſorum nomine aliquando ſignificari ipſos dominos, quorum ſunt pecuniæ, quæ petentibus ad cambium prænumerantur, aut alibi conſignantur: aliquando autem intelligi horum factores ſeu negotiorum geſtores, qui ſcilicet pecunias illorum recipiunt, cuſtodiunt, exponunt, & de illis rationes conſcribunt, iuxta litteras à dominis tranſmiſſas, aut aliàs iuxta commiſſionem, aut mandatum in ſpecie vel in genere illis factum. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: 80
Campſores famuli, qui alijs ſubſeruiũt, poſſunt iuſtè ac licitè accipere prouiſiones ſuas à domino ſuo campſore. Patet, quia dignus eſt operarius mercede ſua: hi autem locant operas ſuas domino campſori. Deinde ſi periculo ſuo pecunias aliorum apud ſe depoſitas, cuſtodiant, ſic vt domino de illis caueãt, poterunt etiam vltra iuſtum pretium laboris ſeu operæ, accipere aliquid ratione ſuſcepti periculi in pecunijs cuſtodiendis: quia etiã hæc cura & ſuſceptio periculi eſt pretio æſtimabilis.

DICO Secundò: Non poterunt autem 81
ſuas prouiſiones accipere à campſario.

Ratio eſt euidens, quia ex quo hic iuſtum pretium cambij ſoluit domino campſori, deriuantur omninò huiuſmodi onera in ipſum dominum campſorem. Ita docet Nauarr. in Comment. cap. vlt. de Vſuris n. 37. & in Ench. c. 17. n. 293. & Molina diſp. 409. quoniam reuera id oneris, quod ſubit factor, aut aliquis quaſi factor, illud loco & nomine ipſius ſubit, cuius nomine pecunias numerat.

DICO

Dico Tertiò: Dominus campſor non poterit quoque has prouiſiones à campſario exigere, quando titulo tranſmiſſionis pecuniarum & earundem aſſecurationis aliquid pro cambio accipit. Sequitur ex dictis, &

Declaratur, quia hoc ipſo, quo curam ſuſcipit pecunias campſarij tranſmittendi aut tranſponendi ad talem locum condictum, eiuſque curæ iuſtum pretium accepit, omninò ipſi incumbit onus vt abſque alio grauamine, faciat campſario pecunias ſuas in loco conſtituto numerari: ſi enim ſic iterum onera & ſtipendia ſuorum factorum ſiue correſponſalium in campſarium reijceret, iam duplex pretium tranſmiſſionis pecuniarum videbitur accipere.

DVBIVM XII.

Vtrùm poßit campſor facere pactum de intereſſe ſuo, ſi campſarius fuerit in mora ſoluendi.

82 Respondetur, Per ſe loquendo licitè fieri poſſe eiuſmodi pactum, quemadmodum in alijs quoque contractibus: vt ſi campſor propter moram cogeretur accipere aliam pecuniam ad intereſſe, aut lucris ſperatis fruſtraretur propter carentiam pecuniæ ſuæ. Conſtat ſatis ex dictis ſup. De Mutuo & Vſura. Poteſt autem pactum de intereſſe dupliciter iniri. Vno modo de incerto, vt videlicet ex ſtipulatione teneatur campſarius omne damnum emergens aut lucrum ceſſans, quod poſtmodum deprehendetur ratione moræ obueniſſe, reſarcire & ſupplere. Alio modo de aliquo certo nummo ſoluendo: vt ſi campſor petat aliquid determinati pretij pro periculo damnorum cui ſe exponit, in caſu quo ſolutionem campſarius ad tantum vel tantum temporis differat vltra terminum ordinarium. Verùm hic ſecundus modus prohibitus eſt à Pio Quinto in Bulla de Cambijs, de qua mox plura dicemus.

Petet aliquis, Vtrùm ſtatim ab initio paciſci poſſit campſor, vt, ſi campſarius fuerit in morâ reddendi loco condicto, quod mox poſt lapſum terminum accipiat eandem ſummam, quâ debet, iterum ad cambium; & ſi lapſo termino rurſus deficiat in ſolutione, eandem tertiò accipiat ad cambium, & ſic deinceps donec ſoluerit.

83 Reſpondetur id licitum non eſſe, niſi forſitan ratione lucri ceſſantis, de quo moraliter certò conſtat eſſe obuenturum, vt quando campſor moraliter certus eſt ſe pecuniam illã, ſi termino conſtituto ſoluatur, ſtatim ad cambium æque vel magis lucroſum exponere poſſe. Vide Nauar. in Cap. Nauiganti n. 34. Quòd ſi de eo moralem certitudinem non habeat, non poterit eiuſmodi pactum inducere: quia ratione moræ non poteſt eum ad amplius, quã ad lucrum ceſſans obligare: quod tanti æſtimari ordinariè non poteſt, quàm pretia tot recambiorum aſcendunt. Vnde reprobanda eſt conſuetudo, quâ campſores quidam obligare ſolent campſarios ad illa recambia, dum ſolutio non ſtatim fit terminis conſtitutis. Vide D. Soto lib. 6. q. 12. art. 5.

DVBIVM XIII.

De conditionibus requiſitis in cambio, in Bulla Pij V. deſuper editâ.

Damnat Pontifex inprimis in Bulla illa, 84
quæ apud Nauarrum refertur cap. 17. n. 300. omnia cambia ſicca, tamquam vſuraria, in quibus ſcilicet ex contrahentium intentione, ſolutio cãmbij futura eſt eodem in loco, vbi campſor pecunias numerat, quia alter alibi pecunias non habet; qua de re ſupra aliquid diximus. Secundò, iubet Pontifex in cambio reali, certas obſeruari conditiones:

Prima autem eſt, ne fiat pactum de aliquo 85
lucro prgſtando ratione dilationis vltra terminum prgſtitutũ. Nam ex ſupra dictis conſtat, vſurariũ eſſe, aliquid vltra ſortem accipere præciſè ratione longioris temporis, quo non redditur.

Secunda, ne ab initio, vel poſtmodum 86
fiat pactũ de certo & determinato aliquo intereſſe, in euentu, quo non fieret ſolutio tempore debito. Vbi

Aduertendũ Primò, tantùm prohiberi pactũ de certo intereſſe ſoluendo, ratione ſcil. lucri ceſſantis aut damni emergentis. Vnde non cenſetur interdictum pactum de reſarciendo damno, aut intereſſe, ſi quod poſtmodum deprehendetur ex mora campſarij obueniſſe, quia tempore ſtatuto nõ ſoluerit.

Aduertendum Secundò, Nauarrum ſup. ſentire hanc prohibitionem fundari in præſumptione fraudis vſurariæ; adeoque exiſtimare, in foro conſcientiæ pactum de aliquo certo intereſſe, ſi proportionaliter ad periculum conſtituatur, eſſe iuſtum, idque etiam in locis vbi Bulla illa fuerit promulgata & recepta: atque adeò eſſe validum in conſcientia. Quod non videtur improbabile, quia non addit Pontifex particulam irritantem, & contractus non includit à parte rei aliquam inæqualitatem, vt ſupponitur. Quia tamen mens Pontificis propter periculum vſuræ, eſt vetare tale pactum, haud dubiè illicitum erit illis in locis, iſtud apponere.

Tertia

Digitized by Google

Tertia conditio eſt, ne realia cambia aliter, quàm ad proximas nundinas fiant, vel ſi nundinæ ibi non aguntur, non niſi ad proximos terminos, iuxta locorum receptum vſum. Vbi

87 Obſeruandum eſt, prohibitionem illam ſic intelligi, vt nō liceat ad ſecundas nundinas tribuere, vel vltra terminum ordinarium extendere, cum maiori ſcilicet lucro, quàm ad primas dari ſolet; alioquin cum pari tantum lucro, ad 2. nundinas extendere, non prohibetur, quin hoc eſſet potius opus charitatis.

Obſeruandum præterea, ſi quis ratione veri intereſſe, quod interuenit, plus exigeret, cambium faciendo ad ſecundas nundinas, vel extendendo vltra terminum ordinarium, quòd peccaret quidem contra hanc conſtitutionem, vbi ea recepta eſt, & in foro externo iudicaretur vſurarius, non tamen in foro conſcientiæ teneretur ad reſtitutionem, ante ſententiam, eò quòd in re non ſit facta inæqualitas.

Quarta conditio eſt, vt in dandis terminis ſolutionum habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, vbi ſolutio facienda eſt. Quod voluit Pontifex, ne dum longiores præfiguntur termini, quàm locorum diſtantia poſtulat, fœnerandi ſumatur occaſio. Nota tamen, hîc non reprobari terminos ſolutionum datos ad primas nundinas, licet frequenter ſint multo longiores, quàm locorum diſtantia per ſe requireret, quia implicitè videtur Pontifex hos terminos in antecedentibus probaſſe, vt ex dictis eſt colligere. Et

Ratio eſſe potuit: quia in locis, vbi nundinæ ſunt, non poſſunt tam commodè conſtitui alij termini, eò quòd tunc ſpecialiter pecuniæ & merces ad talia loca deferri ſolent, & mercatores eò confluere. Quare commodiſſimè tam pro vnâ, quàm pro altera parte videntur tum ibi fieri ſolutiones.

Cæterùm plura in particulari de Cambijs videre licebit apud Molina Tract. 2. De contractib. diſp. 389. & ſequentibus vſque ad diſp. 410. Toletum lib. 5. cap. 50. & ſequentibus, & apud Mald. Tract. 5. cap. 4.

DVBIVM XIV.

Quid Locatio, & quid Conductio?

88 RESPONDETVR: Locatio eſt contractus, quo res, aut perſona ad vſum vel fructū conceditur pro pretio. Sic paſſim deſcribitur à DD. Dixi quo res vel perſona: quia non tantùm res tum mobilis tum immobilis, poteſt locari: ſed etiam poteſt homo ſe ipſum locare alteri pro pretio ſiue mercede, vt ex quotidianâ praxi cōſtat. Addit autem Molina De contr. diſp. 486. quo cōceditur res ſi immobilis ſit, ad minus tempus, quā decennium: quoniam ſi hæc ad decennium vel vltra eo modo concedatur, transfertur ex Iuris diſpoſitione (inquit) dominium vtile eius in accipientem: vnde tunc exurgit contractus emphiteuticus ſpecie diſtinctus à locatione proprie & ſpecialiter dicta: habetque iſte contractus particulares effectus, quos non habet locatio, vt ex infrà dicendis conſtabit. Dicitur in definitione, Quo conceditur ad vſum, vel ad fructum: quædam enim locantur tantum ad vſum, vt domus, equus, famulus, & ſimilia, quorum fructus non eſt alius, quàm vſus: quædam verò ad fructum, vt agri, prata, vectigalia, & ſimilia. Additur denique, Pro pretio ſeu mercede, ad diſtinctionem precarij & commodati, in quibus non interuenit pretium, ſed gratis celebrantur, vt ex l. Si merces D. locati tradit cum alijs Bonac. De contract. diſp. 3. q. 7. puncto 1. Item ad diſtinctionem contra permutationem vnius rei cum altera.

Conductio eſt Contractus, quo res vel perſona accipitur pro pretio vel mercede ad vſum, aut ad fructum. Vnde fit quod idem contractus inter duos ſit locatio ex parte vnius, & conductio ex parte alterius.

DVBIVM XV.

Vtrum locator teneatur ad expenſas à conductore factas in re locata, & an teneatur ad onera & tributa?

RESPONDEO & DICO Primò: Locator tenetur non ſolum ad refundendas factas expenſas neceſſarias ad rei locatæ conſeruationem, ſed etiam vtiles ſiue neceſſarias ad conuenientem vſum rei ad quem res conducta eſt, quæ duraturæ ſunt vltra conductionis tempus. Sumitur ex l. 1. C. de locato. Rationem addit Bonac. quia qui ſentit commodum, par eſt vt ſentiat onus: vel potius, quia ratio poſtulat, vt qui concedit alteri vſum rei ſuæ pro pretio, quod illam vſui conuenienter aptam exhibeat & conſeruet ſumptibus ſuis. Niſi tamen aliter eſſet inter illos conuentum: nam conuentio facit quaſi legem inter contrahētes. Dixi, Quæ duraturæ ſunt vltra conductionis tempus, quia ſi conductor faciat expenſas aliquas ad ſuam commoditatem pro tempore quo rem in conducto tenet: neque rei immobiliter inhæret quod factum eſt, non poteſt petere expenſas illas à locatore, cum eas fecerit in ſui tantum gratiam, & poſſit 89

Digitized by Google

& poſſit auferre quod fecit, ſi ſuperſit, l. Sed addes §. Inquilinus D. locati. & ita tradunt Molina diſput. 496. Bonacina ſuprà puncto 2. num. 6. & alij. Cæterùm addit Bonacina cum Oenotomo ſuper Inſtit. De actionibus §. De actione ex conducto n. 12. & Plato ibidem quos citat, conductorem poſſe retinere rem conductam, donec ſatisfactionem expenſarum obtineat: par enim non eſt, vt rem, ad quam habet ius (inquit) dimittere cogatur, antequam ei ſatisfiat.

90 Dico Secundò: Locator tenetur ad onera, vt viarum adiacentium reparationem, & tributa impoſita rei locatæ, niſi aliter cum conductore conuenerit, vel niſi aliud obtineat locorum conſuetudo. Sumitur ex l. Quod ille, §. quicumque D. De via publica. Dixi, tributa impoſita rei locatæ: nam ſi imponantur fructibus, tenebitur conductor, vt tradunt Rebell. lib. 14. q. 9. Azor. 3. p. lib. 8. cap. 8. Bonac. ſuprà, & alij: quia ſicuti fructus ſunt conductoris, ita meritò etiam annexa aut impoſita eis contra ferre debet.

DVBIVM XVI.

Vtrùm locator rei fructiferæ debeat remittere de penſione, ſi ſterilitas ſuperuenerit, vel fructus in agro fuerint destructi, aut abſumpti?

91 Respondetur: De iure communi propter ſuperuenientem ſterilitatem ex nimia ſiccitate, aut nimia pluuiarum abundantia, ac quoque propter fructuum vaſtationem ſiue per exercitum conculcantem & diripientem, ſiue per grandines & tempeſtatem, ſiue per inundationem, aut ſimiles cauſas violentas, liberatur conductor à ſoluenda penſione, ſi aliter non ſit inter partes conuentum. Ita habetur l. Si merces §. Vis maior: l. Ex conducto §. Si vis D. locati, l. Licet 1. C. eodem tit. Cap. Propter ſterilitatem eod. Et quidem conſentiunt omnes DD. ſi ſterilitas ſit tanta, vt nihil omninò fructuum colligatur, ſic tum liberari conductorem, vt nihil omninò de penſione debeat ſoluere, iuxta l. cit. Ex conducto §. Si vis. Et ratio eſt, quia iniquum foret, quòd colonus ſupra damnum ſeminis, ac laboris amiſſi, inſuper mercedes agri præſtare cogeretur, vt lex loquitur. Si autem ſterilitas notabilis ac magna ſit, non tamen tanta, quòd nihil percipiatur, erit facienda remiſſio pro rata, vt habetur in cit. Cap. Propter ſterilitatem De locato, & l. Si merces: vbi dicitur, Vis maior non debet conductori damno eſſe, ſi plus quàm tolerabile eſt, læſi ſunt fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus.

Hic autem mouetur quæſtio, quando damnum in fructibus cenſendum ſit, pluſquàm tolerabile, ſiue notabile & magnum, vt propter illud ſit facienda remiſſio aliqua pro rata. Variè loquuntur hac de re DD. vt videre eſt apud Molin. diſp. 495. & Couar. Practicarum qq. cap. 30. n. 1. Inter diuerſas autē opiniones videtur rationi ſatis conſona ſententia illorum, qui dicunt, attentendum hic eſſe, vtrùm communi ſenſu & iudicio vulgi cenſeatur, & quaſi proclametur fuiſſe ſterilitas, aut grauis vaſtatio agrorum in talibus locis, ſiue etiam huius, vel illius agri: ad quod tum poteſt accedere inquiſitio, & examen ſuper quantitate. Et quidem ſi deprehendatur quòd conductor non perceperit dimidiam partem fructuum, qui communiter ex fundo percipi conſueuerunt, tunc aliquam eſſe faciendam remiſſionem penſionis pro rata. Ita ferè Gloſſa l. Licet Verb. Sterilitas C. De locato, & Gloſſa l. Si vno in princ. Verb. Etiam eius D. locati, & ſequuntur multi, quos refert Couar. ſup. §. Sed & hæc, neque improbat. Si autem perceperit vltra dimidiam partem, & vt penè ad vnam adhuc quartam peruenerit, tunc nulla erit facienda remiſſio. Ratio prioris eſt: quia penſio ſoluenda ex agris, qui coluntur, ſolet ferè æquiparari mediæ parti fructuum, quos ager proferre conſueuit; vnde ſæpius pro dimidia parte fructuum elocantur. Si itaque tunc nulla fieret remiſſio, quando non percepit conductor mediam partem fructuum, fieret, quod ipſe perderet totaliter & labores & ſeminis impenſam, & proprietarius nullum ſentiret damnum, quod non eſt rationi conſentaneum, quando id nullâ conductoris culpâ accidit. Quare videretur penſio tunc pro media parte aut ſaltem pro tertia remittenda, vt vterque aliquo modo ferat damnum. Addo, aut ſaltem pro tertia parte, quia iura videntur velle, quòd coloni debeant ſuſtinere minora damna abſque onere proprietarij. Quando autem remitteretur media penſio, tunc damnum diuideretur æqualiter. Et hinc patet quoque ratio poſterioris, quia ſcilicet ſterilitas pro quarta parte fructuum aut parũ plus, poteſt cenſeri modicum damnum, quod Canon dicit colonum æquo animo debere ferre. Alij autem dicunt tunc pro rata faciendam eſſe remiſſionem, quando ſterilitas tanta eſt, vt detracto ſemine, & æſtimatione expenſarum, non ſuperſit, quod ſaltem ſufficiat ſolutioni dimidiæ penſionis. Quòd ſi ſufficiat ſolutioni dimidiæ penſionis, tunc remiſſionē non eſſe faciendam, quia non cenſebitur magna, ſed modica ſterilitas: ſicuti, inquiunt, ſi quis in emptione aut venditione ſit deceptus, non tamen vltra dimidium iuſti pretij, non cenſetur læſio enormis. Hanc

Digitized by Google

Hanc ſententiam dicit Molina poſt Bartol. l. Licet Cod. De locato, eſſe communem, in quam & ipſe cum Couar. ſupra num. 8. inclinatur. Ratio autem æquitatis, quare propter modicam ſterilitatem non ſit facienda remiſſio, poteſt eſſe, vt indicat Gudelinus lib. 3. de Iure nouiſſ. cap. 7. §. Finitimus: quia è contra quoque ſolet accidere, quod aliqui anni ſint fertiliores ſupra ſolitum; & tamen non ideo plus ſoluunt conductores. Si tamen aliqui anni tam notabiliter eſſent fertiliores, quod facile compenſarent ſterilitatem etiam magnam alicuius alterius anni, tunc ſecundùm iura, non eſſet facienda remiſſio, imò ſi ſequentes id præſtent, poſſet repeti, quod prius fuiſſet remiſſum, vt habetur l. Si vno & l. Ex conducto D. locati. Vide Gomez. tom. 2. c. 3. n. 18. & Molina ſup. n. 9.

92 Addidi ſupra in Reſponſione: ſi inter partes contrahentes non ſit aliter conuentum: nam ſi inierint pactum, quòd conductor quouis euentu teneatur ad integram penſionem (quod ſolet vocari pactum ferreum) non tenebitur locator quidquam remittere. Vt tamen ſit iuſtum tale pactum, debet penſio eſſe minor, quàm vbi datur locus remiſſioni faciendæ iuxta iurium diſpoſitionem, idque quanti æſtimabitur illud onus, ſeu illa renuntiatio iuris de requirenda remiſſione in fortuitis infortunijs prędictis: quæ etiam ex æquo & bono alioquin debet fieri.

Quòd ſi ager locatus ſit pro certa quota fructuum percipienda, vt pro dimidia, aut tertia parte, tunc nulla erit facienda remiſſio, ſed poterit locans ſemper percipere ſuam quotam, paruam aut magnam, prout ager protulerit, & vaſtata non fuerit, vt tradit Nauarr. cap. 17. num. 190. quia partiarius colonus, quaſi ſocietatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur, vt habetur in l. Si merces 25. D. locati.

DVBIVM XVII.

Vtrùm teneatur conductor ſoluere penſionem, ſi impediatur ab vſu, vel cultura rei conductæ?

93 Respondeo & Dico Primò: Si obueniat impedimentum ex parte conductoris, vt quia eius culpâ res perit, aut redditur inepta ad vſum, vel ſtante re integrâ, ipſe aliò auocatur pro ſua voluntate, vnde fit quod non poſſit re vti, tenebitur, talibus non obſtantibus, penſionem integram ſoluere. Ita Molina Tract. 2. De contractibus diſput. 493. cum Nauarr. qui cap. 17. num. 197. ſic reſoluit de illo, qui non eſt vſus operâ eius, quem conduxit ad operandum, propter impedimentum ex parte perſonæ ipſius obueniens: & n. 198. de illo, qui re aliâ conductâ non eſt vſus, ob impedimentum ſimiliter ex ſua parte obueniens, & colligitur ex l. Qui operas 38. & l. Si vno 16. D. locati. Si tamen locans, dum prior conductor non vtitur, elocet alteri, debebit tantundem de penſione minuere, quantum ab alio acceperit.

Dico Secundò: Quòd ſi interueniat 94
aliquod impedimentum ex parte rei conductæ, abſque culpa conductoris, ob quod non poſſit re vti, aut certè meritò illam deſerat, non tenebitur ad penſionem pro illo tempore. Ita Molina ſup. Nauar. n. cit. 17. n. 187. & Couar. lib. 3. Var. reſol. cap. 13. nu. 8. vbi id de famulo ægrotante affirmat & probat & qq. Practicarum qu. 30. n. 3. id docet de bello, & alia quacumque iuſta cauſa: vbi & pro iuſta cauſa etiam allegat peſtem, quæ ſuperueniens inficit domos vicinas, & infeſtationem domus à malignis ſpiritibus, & ſpectris: ſed non videtur id paſſim obtinere quoad peſtem, quod conductor idcirco liberetur à ſolutione penſionis. Probant autem DD. aſſertionem ex l. Si fundus, & duabus ſeqq. l. Si vno D. locati.

Petes, Vtrùm ceſſante, vel ſublato impedimento debeat continuari contractus? 95
Couar. ſuprà nu. 3. affirmat cum alijs, quos citat: Sed Molina videtur melius diſtinguere, quòd ſcilicet ſi res non ſit integra, vt quia locator inuenit alium, qui conduxit, etiam pro illo tempore, quo alter deſeruit, non poſſit tum prior conductor cogere locatorem ad continuandum ſe in ſua conductione: hac enim de cauſa videntur iura ſtatuiſſe, quod debeat conductor monere locatorem, quod velit rem locatam relinquere, vt locator ſuæ vtilitati poſſit conſulere. Si verò res ſit integra, & nihil ſit, quod perſuadeat, conductorem non eſſe cogendum, quod tum poſſint ſe mutuo cogere ad contractum continuandum. Addo, Et nihil ſit &c. quia ſi ſpectatis circumſtantijs aliquid ſit, quod ſuadeat conductorem non eſſe cogendum, vt contractum continuet, vt v. g. quia impedimentum longo tempore durauit, & interea aliò migrauit, vel ſibi de alia re ſimili prouidit, tunc non videtur is cogendus ad continuandum: quia ſi talis conditio fuiſſet ab initio propoſita, non acceptaſſet: In contractibus autem non cenſetur vniuerſali pactione comprehenſum id, quod ſi in particulari proponeretur, vt deducendũ in pactum, non acceptaretur. Quòd ſi res locata ante tempus impletũ, reddatur notabiliter

Digitized by Google

notabiliter deterior vel minùs apta ad vſum ad quem conducta eſt, ſine culpa conductoris, nec reparari poſſit, poterit tunc conductor rem relinquere, vel cogere locatorem proportionabiliter minuat de penſione. Ita habetur l. Habitatores in principio, & l. Si merces, §. Si vicino D. locati.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm minor factus maior teneatur ſtare locationibus factis per ſuum tutorem aut curatorem, & Beneficiarius aut Prælatus, locationibus factis de bonis Eccleſiaſticis per ſuos anteceſſores?

96 RESPONDEO & DICO Primò: Minor finita tutelâ aut curâ, tenetur tam ipſe, quàm hæredes eius ſtare locationibus factis per tutorem & curatorem: & ipſe quoque conductor tenetur illis ſatisfacere. Ita Molina diſp. 492. & Gomeſ. tomo 2. Variar. Reſolut. cap. 15. num. 5. cum communi DD. ſententia, argumento l. Si Tutelæ D. De adminiſtratione tutorum. Ratio eſt, quia dum quis eſt legitimus adminiſtrator rerum aliquarum nomine alterius, vt ſunt, tutor, curator, procurator, tunc is, cuius nomine eas adminiſtrat, non ſecus tenetur ſtare contractibus per illum factis, quàm ſi ipſe eos celebraſſet. Si tamen minor deprehenderetur notabiliter læſus, concederetur ei tunc reſtitutio in integrum.

97 DICO Secundò: Quando Prælatus, aut Beneficiarius res ſuæ dignitati aut titulo benificij ſui deputatas, ſeu annexas, locauit ad ſuam particularem vtilitatem & vſum, non tenetur ſucceſſor in dignitate, aut beneficio ſtare iſti locationi: ſed neque etiam ipſe conductor ſtare tenetur. Ratio eſt, quia finitur iſte contractus eo ipſo, quo dignitas, vel beneficium Eccleſiaſticum tranſit ad alium Rectorem & Poſſeſſorem: quia non poſſunt de illis bonis paciſci, niſi in tempus vitæ. Ita Gloſſa in cap. vlt. ne Prælati vices ſuas: Couar. lib. 2. Variar. cap. 15. num. 6. Molina ſupra, & alij communiter.

89 DICO Tertiò: Quando Prælatus, aut Beneficiarij locant res, non ad ipſos in particulari pertinentes, ſed pertinentes ad ſuam Eccleſiam, aut Collegium, vel Monaſterium, tamquam earum legitimi adminiſtratores, & tantùm locant ad tempus de iure permiſſum, & ſeruatâ ſolemnitate requiſitâ, tunc ſucceſſor ſtare tenetur contractui: & ſimiliter conductor tenetur cum ſucceſſore continuare. Si tamen Eccleſia notabiliter læſa comperiatur, poterit recurrere ad beneficium reſtitutionis in integrum. Ratio enim eadem hîc militat, quæ in locationibus factis per tutores, vel curatores minorum. Ita Gloſſa, & DD. ante citati, & alij communiter.

Petes, Vtrùm emptor fundi vel rei locatæ teneatur ſtare locationi per alium factæ? Reſpondetur de Iure communi non teneri, l. Emptorem Cod. De loc. & cond. quia ex conductione nihil omninò iuris in re acquiritur conductori. Moribus tamen diuerſarum Prouinciarum, vt Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, & aliarum, contrarium obtinet, in quibus potior eſt conductionis, quàm emptionis cauſa, vt notat Gudel. lib 3. De Iure nouiſſ. cap. 7. §. Finitimus venditioni: quamuis non in omnibus omninò oppidis aut locis iſtarum Prouinciarum ſic ſeruetur. Vnde conſuetudo loci eſt inſpicienda: & forma contractus.

DVBIVM XIX.

Vtrùm locator poſſit aliquando conductorem expellere, & quibus caſibus.

RESPONDETVR, aliquando poſſe: 99
idque in diuerſis caſibus, iuxta Iuris diſpoſitionem. Primus ſit, quando conductor non ſoluit penſionem conductionis debito tempore: l. Ædem Cod. De locato. Tempus autem debitum ſoluendi eſt illud, quod in contractu fuerit expreſſum: ſi verò nullum ſit expreſſum, ſtandum erit conſuetudini loci. Quòd ſi non ſit quoque firma aliqua conſuetudo de tempore, quo ſoleant penſiones ſimilium locationum ſolui, tum cenſetur ſoluenda in fine anni, etiamſi in contractu pro annua penſione ad plures annos res ſit locata. Ita Gloſſa ad legem cit. & Doctores communiter, vt refert Nauar. cap. 17. num. 198. & Molina diſp. 497. & colligunt ex l. Scire debemus, & l. Pluribus De verbor. ſignificat. Quod ſi penſio ſit ſoluenda in fructibus, tunc ſoluenda eſt poſt fructus collectos & non antea, ſi aliter non ſit conuentum. Sumitur hoc ex l. Firmio, §. vlt. D. Quando dies leg. ced.

Sed controuertitur, An poſſit expelli conductor ſtatim à debito tempore lapſo, ſi non ſoluerit penſionem? an verò debeat ad biennium fuiſſe in mora non ſoluēdi? Omiſ- 100

Digitized by Google

ſis opinionibus reſpondetur, quod ſtando in Iure Cæſareo, non ſit neceſſarium expectare tantam moram, vt cum Iaſone & Decio docet Molina Diſp. 499. quia lex Ædem, enumerans cauſas, propter quas expelli poſſit conductor ante finitum tempus, nihil meminit de morâ ſoluendi ad biennium: quod non omiſiſſet, ſi ad expulſionem foret tanta mora neceſſaria. Non tamen ſtatim ac non ſoluitur penſio tempore debito, poteſt cum effectu expelli conductor, ſi penſionis quam debet, offerat ſolutionem; ſed neceſſaria eſt aliqua contumacia in non ſoluendo: Vnde l. Quæro §. Inter locatorem, in caſu ibi propoſito additur, quòd conductor biennio integro non ſoluerit penſionem; non quod tanta mora eſſet neceſſaria, ſed vt tanto clarius appareret, quàm meritò locator vellet eum expellere: quare neque Iureconſultus debet cenſeri hoc tanquam neceſſarium conſtituiſſe, quando ſuper caſu ſic propoſito, tulit ſententiam pro locatore, & eum abſoluit à pœna in contractu appoſitâ contra eum, qui ante tempus finitum reſiliet à contractu, quia ſcilicet hoc intelligebatur, modò quiſque ex ſua parte ſatisfaceret conditionibus ex naturâ rei, aut de iure requiſitis.

101 Nec obſtat dictis l. Cum domini D. locati, vbi biennium exſpectari præcipitur à puncto, quo penſio ſolui debebat: quia lex illa non loquitur vniuerſim, ſed de particulari caſu cum certis circumſtantijs, quæ longiorem moram poſtulabant, vt de locatione domorum, aut horreorum, quæ conductor clauſa reliquerat, & ipſe iam abſens erat: quia enim ibi ſolent merces, aut res conductoris recondi, præcipitur, vt non priùs aperiantur, quàm lapſum ſit biennium, perſeuerante abſentiâ conductorum: tunc autem aperiantur coram perſonis publicis, & redigantur in ſcriptis, quæ ibi comperta fuerint.

Dixi, Stando in Iure Cæſareo: quia de Iure Canonico nō videtur poſſe conductor expelli, niſi poſt morā biennij, Cap. Propter ſterilitatem De locatione: §. Verum: quod DD. intelligunt quando locatio eſt in plures annos, vt ad quinquennium vel vltra. Ita Nauarr. c. 17. n. 193. ſanè Cap. Ponit, quod ſit vltra biennium. Volunt autem alij, textum illum habere tantùm locum, quando in contractu locationis eſt additum pactum de non expellendo conductore: Vide Couar. in Rubr. de Teſtam. p. 2. n. 12. Hinc dicit Molina, quod in tribunali Canonico ſtandum ſit diſpoſitioni Cap. cit. vt ſcilicet ſi locatio ſit pluſquam ad biennium pro annuâ penſione, non prius conductor cum effectu à re conducta omnino expellatur, quam ſit lapſum biennium quo fuit in mora.

Secundus caſus ponitur, ſi quis locat domum & ex ſuperueniente cauſa, quæ tempore contractus veriſimiliter præuideri non potuit, contingit, quòd ſit ipſi domus neceſſaria ad vſum & habitationem, cit. l. Ædem C. De locatio: Cap. Propter ſterilitatem §. Verum De locat. & ita tradunt DD. communiter, Couarr. pract. qq. c. 30. n. 3. Nauarr. & Molina ſup. Exempla ponuntur, vt ſi domus, in qua locator habitabat, inſperatè corruat, nec aliam habeat, in qua poſſit commodè habitare: aut ſi hoſtes ex inſperato incipiant irruere in partes, vbi habitabat, ſic vt non poſſit ibi ſecurè remanere: Vide plura ex diuerſis authoribus allegata apud Molinam Diſp. 499. n. 6.

Sed quæri poteſt, Vtrùm in hoc caſu poſſit locator expellere conductorem, ſi præceſſerit pactum de non expellendo? Couarr. lib. 2. Variar. c. 15. n. 4. propendet in opinionem, quòd nihilominus poſſit, propter l. Quæro §. Inter locatorem. Vnde colligit, quod pactum illud non intelligatur in euentibus de iure exceptis. Angelus tamen ad l. Ædem Cod. De locato, & alij tenent partem negantem, eo quod eiuſmodi pactum debeat âliquid operari: & hi reſpondent ad §. Inter locatorem, quòd procedat, & vim habeat, quando conductor eſt in culpa, atque adeò ex ſua parte non ſatisfacit contractui: ſicuti ibi in caſu propoſito, vbi à biennio non ſoluerat penſionem locationis: & videtur horum ſententia probabilior, præſertim ſi accedant aliquæ circumſtantiæ, quæ indicent ad eiuſmodi caſum aut ſimilem excludendum fuiſſe pactum adiectum, quod videtur pactum per ſe ſatis importare. 102

Tertius Caſus eſt, quando domus poſtquam eſt elocata, cæpit indigere reparatione neceſſariâ, quæ adhiberi non poſſit, conductore in ea habitante, cit. l. Ædem, & Cap. Propter ſterilitatem ſupra, & affirmat communis Doctorum ſententia. Finitâ tamen reparatione tenetur locator reſtituere domum conductori, vt abſoluat totum tempus locationis. Ita Bart. cum Gloſſ. l. Si duo §. Cum inquilinus D. Vti poſſidetis: & alij.

Quartus Caſus eſt, quando conductor abutitur re locatâ: vt ſi notabile damnum illi inferat, aut contra bonos mores vtatur, meretrices aut lenones in ea intertenendo, vel aliud turpe, & ſcandaloſum commercium ibi exercendo, vnde detrimentum aut offenſa viciniæ ſequatur, l. Ædem, & Cap. Propter ſterilitatem ſup. 103

Cæterùm obſeruandum eſt diſcrimen inter caſus illos, quòd ſcilicet, quando ob ſecundum vel tertium caſum expellitur aut dimittitur conductor, quod tunc ex communi

Digitized by Google

muni omnium ſententiâ, ſit illi facienda remiſſio penſionis pro rata temporis, quo non vſus fuerit domo conductâ, & ſumitur ex l. Qui inſulam D. locati, & cap. Propter ſterilitatem. Et ratio eſt euidens: quandoquidem enim non ob culpam vel cauſam à ſe datam, expellatur, ſed propter commoditatem locatoris, poſtulat omninò æquitas, quod nihil ſoluat pro tempore, quo non permittitur re locata vti & frui.

De alijs autem duobus caſibus controuertitur inter DD. Nauar. cap. 17. n. 194. loquens de quarto caſu, cum alijs quibuſdam cenſet, nihil minuendum eſſe de penſione, eo quòd conductor culpâ ſuâ fuerit expulſus à re conducta: vnde idem dicturi eſſent de primo caſu. Gloſſa autem ad l. Ædem ſup. & Gloſſa ad §. Verùm ſupra (quas ſequuntur Salic. & Spec.) dicunt eſſe minuendum pro rata temporis: ſed locatorem poſſe agere contra conductorem de damno illato.

Rectè autem Molina ſic diſtinguit: quòd ſi locator, expulſo conductore, inueniat alium, qui conducat, ſub eadem penſione, pro reliquo tempore, aut conductor talem offerat, tunc remittendum eſſe de penſione pro rata temporis conductori primo; ſed tamen ſi damnum intulit rei locatæ, quod non reparauit, poſſe de eo aduerſus illum agere. Si autem non inueniatur, vel offeratur aliquis, qui velit conducere, aut non qui tanto pretio velit, tunc quidquid minus dominus recipit pro reſtante tempore, hoc teneatur primus, conductor ſoluere, ne locator cogatur ſuſtinere damnum ob culpam conductoris.

104 Et hoc videntur voluiſſe Gloſſæ citatæ. Id quippe inter damna illata rectè computari poteſt: & hęc quoque videtur eſſe ratio, quare dum cap. Propter ſterilitatem §. Verũ De locato, dicit in 2. & 3. caſu eſſe de penſione minuendum pro rata temporis, non idem dicat de primo & quarto caſu, quia in iſtis ſemper notandum eſt, in his non ſemper, ſed tantum quando non inuenitur alius, qui pari pretio velit conducere, & legitimè & abſque rei detrimento illâ vti.

Ex quâ autem culpâ conductor teneatur locatori, ſi res apud illum pereat, aut deterior fiat: & è contrario, locator teneatur conductori, ſi locet illi rem vitioſam, vt v. g. vaſa infecta, vnde conductor patiatur damnum, quia liquores, quos infundit, corrumpuntur, ſatis colligi & intelligi poterit ex dictis ſup. Tract. 2. cap. 1. dub. 7. n. 20. & ſequentibus.

DVBIVM XX.

Quid Emphyteuſis, & quid Feudum?

RESPONDETVR: Emphyteuſis conuenienter hoc pacto deſcribitur, quòd ſit contractus, quo res immobilis ſub reali penſione, ſtatutis temporibus ſoluendâ, conceditur alicui quoad dominium vtile: idque vel in perpetuum, aut ad tempus ſiue certum (quod tamen non poteſt eſſe minus decennio) ſiue incertum, vt ad vitam vnius, duorumve, vel plurium. 105

Quomodo differat à locatione, conſtat ex iam dictis ſup.

Dicitur, Quo res immobilis conceditur; quia contractus emphyteuticus non poteſt eſſe niſi de re immobili, quod iura ſupponunt l. 2. C. De iure emphyt. & §. Adeo Inſtit. De locat.

Additur ſub reali penſione; ad differentiam feudi, in quo perſonale ſeruitium & fidelitas ſoluitur, ſi feudum merum ſit, nihil de emphyteuſi habens permixtum. Debet autem emphyteuta illam ſoluere intra certum tempus: alioquin amittit rem emphyteuticam cum meliorationibus quas fecit, & redit totaliter ad priorem dominum, vt tradunt Doctores communiter, & colligitur ex l. 2. & 3. C. De iure emphyt. & quidem ſi emphyteuſis ſit eccleſiaſtica, amittit, ſi per duos annos non ſoluat penſionem, niſi celeri ſatisfactione purgauerit moram: Si autem ſit ſecularis, amittit, ſi per tres annos non ſoluerit, nec admittitur purgatio. Et quidem ipſo iure res cadit in commiſſum: non tamen tenetur emphyteuta ſe illâ ſpoliare, antequam dominus directus declaret ſe velle pœnam illam commiſſi mandare executioni, vt docent Iulius Clarus lib. 4. Sentent. §. Emphyteuſis quæſt. 9. Syluester V. Emphyteuſis num. 7. & ſeqq. Et tunc tenetur cedere, niſi iure poſſit excipere, opponendo aliquid, quare in commiſſum non inciderit, vt iuſtam ignorantiam, aut legitimum impedimentum. Vide Iul. Clar. ſup. q. 8. n. 9.

Additur etiam quo conceditur quoad dominium vtile; quia dominium directum illud retinet ſibi ipſe concedens: penes quem etiam manet poſſeſſio ciuilis. Vnde fit, quod agri emphyteutici non poſſint quoad dominium directum præſcribi ab emphyteuta, vt patet l. Malè 2. C. De præſcriptione 30. annorum: quia contra poſſidentem ciuiliter non eſt præſcriptio, cùm hæc ipſa poſſeſſio ad præſcriptionem ſit ſufficiens, prout latius iſta explicuimus ſup. Tra. 1. c. 5. dub. 2.

Digitized by Google

Vide plura, quæ ad hunc Contractum Emphyteuſis pertinent, aut conſequuntur l. 1. 2. & 3. C. De iure emphyteutico.

Feudum dictum eſt à fide ſiue fidelitate
106 ſeruanda, vt communiter notant DD. quia ſcilicet feudatarius peculiari ſacramento fidelitatis ſeſe obſtringit infeudatori. Accipitur autem nomen illud dupliciter: aliquando pro re, quæ datur in feudum: aliquando pro certi generis contractu, quo videlicet res immobilis aut æquipollens vt prædium, vrbs, pagus &c. ſub onere fidelitatis & obſequij perſonalis, conceditur alicui quoad dominium vtile, retentâ proprietate ſiue dominio directo. Quare non poteſt feudatarius alienare rem in feudum acceptam ſine conſenſu domini directi, ad quem pertinet inueſtire, & mittere in poſſeſſionem: alioquin excidit à feudo, etiamſi alienando proteſtetur ſe alienare, ſaluo & reſeruato conſenſu domini directi: Ita Iul. Clar. lib. 4. §. feudum q. 30. Sylueſt. V. Feudum q. 18. quia proteſtatio eſt contraria facto: vnde ſi addat, ſaluo domini conſenſu, & non aliter nec alio modo, non excidet, vt notat Bonac. De contractib. q. 8. puncto 3. §. 4. & 7. quia tunc reuera non eſt alienatio, niſi acceſſerit domini conſenſus. Tenetur autem præſtare obſequia perſonalia quando requiritur, alioquin feudum cadit in commiſſum. Poteſt autem feudum renuntiare etiam domino inuito, & ſic à neceſſitate præſtandi obſequia liberari: quia ibi non eſt alienatio, ſed repoſitio rei in priori ſtatu: ipſa verò obligatio naſcitur ex re in feudum conceſſâ, quare hâc dimiſſâ ceſſat obligatio: Ita ſatis communiter DD. vt refert ex Panorm. Cap. quæ in Eccleſiam De Conſtit. refert Bonac. ſup. §. 6. n. 4. contra Bartholum apud Clarum de Feudis q. 34. Vide plura de his quæ ad Feudum ſpectat apud Iul. Clarum §. feudum cit. apud Azor. 3. p. lib. 10. Sylueſt. V. Feudum, & Bonac. ſup. puncto 3. cit.

TRACTATVS SEXTVS,

De Iudicijs: & concurrentibus in Iudicio.

CAPVT PRIMVM,

De Iudice & actu iudicandi.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm iudicium ſit actus Iuſtitiæ?

1 NOTANDVM eſt, varia eſſe ſignificata huius nominis Iudicium, vt notat Sylueſt. V. Iudicium in principio: & Arragon. 2.2. q.60. art.1. Et quidem duo quaſi ſunt primaria, ex ordine ſiue habitudine ad quæ, videntur reliqua hoc nomine compellari. Primò itaque ſignificat animi noſtri ſententiam de quacumque re, veram vel falſam, præſertim ex aliquo fundamento ſeu motiuo formatam; & ſic in vulgari ſermone frequenter vſurpatur, & diſtinguitur contra ſimplicem apprehenſionem rei, in qua non eſt veritas aut falſitas. Et huc pertinet acceptio illa, quâ ſumitur aliquando pro vſu rationis, vt dum dicitur puer carere iudicio, & alius quilibet qui ſine fundamento loquitur, aut ratiocinatur. Secundò ſpecialiter ſignificat ſententiam Iudicis, quâ in controuerſijs, & Iuris quæſtionibus dicit & determinat inter partes, quid cui debeatur. Ita ſumitur l. 1. D. De re Iud. & apud Iure Conſultos communiter: Et in Scripturis, Ioannis c. 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*, atq; ita iudicium ſecundum nominis etymologiam dicitur, quaſi Iuriſdictio. Ex ordine autem ad hoc ſignificatum, etiam ordinatio & inſtructio cauſæ partiũ hinc, inde coram Iudice, ſiue proceſſus iuridicus dicitur Iudicium, quomodo ſumitur hîc in titulo huius Tractatus: item locus ipſe, in quo ſolet Iudex ſententiam proferre: & pœnæ & effectus, qui ſequuntur ad ſententiam Iudicis, dicuntur aliquando iudicia: vt Marci c. 12. *Hi recipient prolixius iudicium*, id eſt, grauius punientur. Et ſic quoque ſolemus de miſerijs & afflictionibus obuenientibus communitati & prouincijs, ſiue etiam particularibus perſonis, dicere quòd ſint Dei iudicia, præſertim quando nobis cauſæ ſunt occultæ: & Pſal. 35. dicitur, *Iudicia tua abyſſus multa*. Imò ex ſecundâ iſtâ ſignificatione, extenſum eſt nomen hoc, vt non tantùm ſignificet rectam determinationem in materia iuſtitiæ, ſed etiam

Digitized by Google

etiam in materia cuiuſque alterius virtutis, vt in materia temperantiæ, fortitudinis &c. præſens autem dubium proponitur de iudicio in ſecunda ſignificatione, vt verſatur in materia iuſtitię, & diſputat de eo D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 1.

Notandum Secundò: quòd Iudicium hoc, ſiue iſta dictio ſeu determinatio Iuris, poſſit conſiderari dupliciter: Vno modo, quatenus Iudex dicendo ius, facit quod ex ſuo officio debet Reipubl. alio modo, quatenus iudicando ponit æqualitatem inter partes de ſuis iuribus contendentes, & cuique aſſignat quod ſecundùm iuſtitiam illi debetur. His præmiſſis

2 Respondeo & Dico Primò: Iudicium in ſecunda ſignificatione vt à Iudice profertur ex officio, iuxta priorem habitudinem iam explicatam, eſt actus iuſtitiæ elicitus ab habitu iuſtitię, ſicuti temperanter comedere eſt actus elicitus à virtute temperantiæ. Ita docet Arrag. 2. 2. q 60. art. 1. & alij. Probatur, quia iudex obligatur ex iuſtitia dicere ius ſubditis petentibus: quia propterea accipit ſua ſtipendia ſiue à Principe ſiue à Republ. & ipſe princeps, propter tale & ſimilia miniſteria, quæ pro conſeruatione, pace & concordia ſubditorum exhibet, recipit ab eis tributa & honores, ergò dictio illa iuris ſiue iudicium eſt ſimpliciter actus iuſtitiæ, & quidem elicitus, ſicut quilibet actus externus, qui verſatur in materia propria alicuius virtutis, dici ſolet elici aut exerceri ab illa virtute. Et rectè quidem, quia licet talis actus non producatur efficienter phyſicè ſaltem immediatè ab habitu exiſtente in voluntate, per ſe tamen eſt propria materia illius, & non pertinet ad alium habitum: atque adeò potentia executrix non mouetur à voluntate, vt imbutâ alio habitu, qui ex alio motiuo inclinet ipſam ad mouendam potentiam executricem, vt iam ſupponimus, ſed à voluntate vt imbuta habitu iuſtitiæ, qui ex propria ratione inclinat voluntatem ad mouendam potentiam executricem in talem actum: vnde merito dicitur elicitus ab illa virtute. Quando autem voluntas inclinatur ab aliquo habitu, vt eliciat volitionẽ alicuius actus externi, & ad illum moueat potentiam executricem, qui non ſit propria materia illius habitus, ſed ordinatur tantum ad finem illius habitus, tunc dicitur & talis volitio, & ipſe actus externus non elici, ſed imperari tantùm ab iſto habitu virtutis: quę hic per occaſionem dicta ſint, quia ſępè poſſunt vſui venire.

3 Dico Secundò: Iudicium Iudicis quatenus inter partes litigantes ponit æqualitatem, & aſſignat vnicuique quod illi ex iuſtitia competit, rectè dicitur actus elicitus à Iuriſprudentia, & imperatus ſuo modo à iuſtitia. Eſt D. Thomæ 2. 2. q. 60. art. 1. partim in corpore, partim in Reſponſione ad 1. Idem ſignificat ibidem Arragon. & Soto lib. 3. de Iuſt. & Iure q. 4. art. 1. vbi dicit Iudicium eſſe prudentiæ tamquam proferentis: Iuſtitiæ tamquam inclinantis hominem ad rectum iudicium.

Prior pars colligitur ex illo Apoſtoli 1. ad Corinth. 2. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam qui poßit iudicare inter fratrem ſuum:* vbi indicat iudicium eſſe actum intellectus & prudentiæ. Et probatur ratione, quia omnis actus, quo iudicamus de conformitate ponendâ in opere cuiuſcumque virtutis ad regulas illius, eſt procedens à ſcientia ſeu cognitione talis virtutis, eiuſque proprij obiecti; ergò etiam determinatio & dictio iuris ſeu iuſti elicietur à iuſtitiæ & iuris ſcientia.

Probatur pars poſterior, quia omne iudicium quoque rectum de conformitate operis ad regulas virtutis, eſt ſimul pendens ſuo modo ab ipſo virtutis habitu, quatenus hic diſponit, vt loquitur D. Thomas, atque etiam inclinat intellectum ad operandũ iuxta exigentiam & regulas talis virtutis; ergò etiam iuſtitiæ habitus diſponit & incitat, vt Iudex conformiter dicat & determinet in negotijs ſecundùm exigentiam & regulas iuſtitiæ. Hinc & mouet ad merita cauſæ diligenter examinanda, vt conueniens iudicium feratur: quia occultâ quâdam naturali conſenſione potentiarum fit, vt motus vel inclinatio vnius, etiam ſuo modo diſponat, & quaſi trahat alteram ad ſui conformitatem. Vnde dici communiter ſolet, quòd quiſque iudicat de rebus, ſecundum quod affectus eſt: operatur enim ſuo modo affectus, vt obiectum illi conforme & gratum, iudicetur ab intellectu tamquam conueniens & amplectendum. Hinc itaque affectus iuſtitiæ in voluntate reſidens operatur hoc, vt quæ iuſtitiæ conformia ſunt, apprehendantur ab intellectu, & iudicentur tamquam bona & proſequenda, propter honeſtatem iuſtitiæ: ſicut & affectus temperantiæ facit apparere & apprehendi opera temperantiæ vt bona & amplectenda. E contrà quoque fortis apprehenſio & reſolutum iudicium intellectus, plurimùm valet ad mouendos affectus voluntatis. Eſt igitur iudicium actus iuſtitiæ, quatenus hæc diſponit & inclinat hominem ad dicendum ius cõforme regulis & rationi ipſius iuſtitiæ. 4

DVBIVM II.

Vtrùm licitum ſit iudicare?

Intelligitur Dubium de iudicare, prout videlicet ſignificat determinare aut dicere ius inter partes, quæ aliquam inter ſe 5

habent difficultatem ſiue controuerſiam in materia iuſtitiæ, ſiue de iure ſuo. Ita de illo diſputat D. Thom. q. 60. cit. art. 2. Negarunt Waldenſes hæretici inter Chriſtianos, licita eſſe iudicia, vt refert Caſtro V. Iudex, quos noſtri temporis Anabaptiſtæ ſequuntur, vt refert Bellarm. tomo 1. Controuerſ. 5. lib. 3. c. 9. & pro hoc ſuo errore, diuerſas allegant Scripturas noui Teſtamenti, vt Matthæi 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: ad Rom. cap. 2. *Propter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas.* Et cap. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum: domino ſuo ſtat aut cadit.* Iacobi 4. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum.*

His tamen nonobſtantibus Catholica doctrina habet, licitum eſſe iudicare ſeu ius dicere inter partes, quæ aliquid habent aduerſus ſe inuicem ſuper iuribus vel iniurijs, ſeruatis illis, quæ ratio iuſtitiæ exigit: puta quod ſecundùm virtutem iuſtitiæ feratur iudicium ab eo, qui authoritatem habet, & ſecundùm rationem prudentiæ. Ita docet D. Th. loco citato, & DD. omnes.

6 Probari poteſt Primò ex Scripturis: Deuteron. c. 16. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio*: vbi Dominus manifeſtè non tantùm approbat, ſed etiam inſtituit iudicium. Et ne dicant hæretici, licitum quidem fuiſſe iudicium tempore legis antiquæ, ſed à Chriſto Domino prohibitum in nouo Teſtamento, probatur idem ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* Et Paulò infrà *Etſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis.* Et rurſum: *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum.* Quibus omnibus apertiſſimè ſignificat Apoſtolus, nullo modo illicitum aut prohibitum eſſe fidelibus Chriſtianis, quod inter fratrem & fratrem, qui aduerſus ſe inuicem habent negotium, dijudicent & ferant ſententiam, ad difficultatem & controuerſiam ſopiendam, vnicuique attribuendo quod illi debetur: imò ſimpliciter hortari videtur Sanctos, vt ſic difficultates inter fratres ſeu proximos oborientes dirimant; ergò &c.

Probatur Secundò: quia ſeruatis, quæ ad
7 iuſtitiæ rationem pertinent, iudicare eſt actus virtutis: nulla autem ſubeſt ratio, quare actus ille debeat dici illicitus aut prohibitus. Accedit quod actus ille in Republica omninò neceſſarius ſit ad conueniens regimen humani generis, & quaſi ex natura rei comitetur ſuperioritatem & authoritatē regiminis. Vnde & Hebræi primos ſuos rectores appellarunt Iudices. Quamuis ergo præcepta iudicialia legis veteris ceſſauerint, non tamen ideo exſtincta ſunt iudicia: quia Iudices eſſe, eoſque adiri, & eorum ſententijs obedire, non iudiciale tantùm fuit, ſed omninò morale ex ipſis principijs moralis Philoſophiæ & dictamine rationis deſcendens: cuiuſmodi non ſolùm non ſunt à Chriſto ſublata; quin etiam perfectius in lege nouâ meritò debeant obſeruari.

Ad Scripturas itaq; in contrariū allegatas. 8
Reſpond. eas veriſimiliter omnes agere de priuatis iudicijs hominum particularium; in nulla autem ex illis, ſermonē eſſe de iudicio publico, quod à Superioribus legitimâ authoritate exercetur, ſeruatis iuſtitiæ legibus circa ſubditos, ad eorum quæſtiones & lites dirimendas ac ſopiendas. Et quidē Matthæi cap. 7. & Lucæ 6. reprehendit Chriſtus iudicia illa noſtra, quibus tamquam ſeueriores, aut ſiniſtriores cenſores ſolemus aut proximorum defectus etiam aliquando leuiores, multum aggrauare, & grauioris reatus condemnare, aut ſine ſufficienti fundamento, mala de fratribus opinari, proprios interim defectus maiores non conſiderantes, neque eos in nobis ipſis redarguentes, & multò minùs emendantes, quod valdè vitioſum eſt. Ita ferè D. Hieron. & ex adiunctis facilè hic ſenſus intelligitur: Addit enim Chriſtus: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides*, & alia ſimilia. Apoſtolus autē ad Rom. cap. 2. redarguit eos qui eadem turpia facta committebant, quæ in alijs culpabant, & pœnas aut ſupplicia mereri intelligebant ac iudicabant, non quidem quod in eo malè iudicarent, ſed quod ſe inexcuſabiles oſtenderent, eadem faciendo quæ ſano iudicio condemnabant. Vnde ſequitur; *Exiſtimas autem, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Cap. autem 14. redarguit illos qui fratres ſeu proximos propter res ſiue actus indifferentes pro illo tempore, iudicabant tamquam malè ſecundùm religionem Chriſtianam conuerſantes, & propterea diſſertationes ac diſſenſiones ſuſcitabant in Eccleſia: quod fieri prohibet; quia non erant illi conſtituti ad iudicandū de fratribus ſuper talibus rebus aut factis: & proinde vult quod à talibus iudicijs tamquam ad ipſos non ſpectantibus abſtineant, & concordiam ac pacem inter fideles conſeruent & foueant. D. Iacobus quoque non agit de iudicio publico, ſed priuato quo quiſque ſuſpicioſo animo ſentit malè de proximo. Patet ex antecedentibus: præcedit enim; *Nolite detrahere alterutrum fratres mei: qui detrahit fratri* (ſcilicet verbis iniquis) aut qui iudicat fratrem ſuum (ſcilicet corde malo ſuſpicioſo) *detrahit legi*, & iudicat legem. Detrahit (inquit) legi & iudicat eam, quę ſcilicet iſta prohibet: quatenus enim cōtra eam agit, videtur ſuo facto legem diminuere

nuere & extenuare, & eam iudicare, quaſi male prohiberet detractionem & temerarium iudicium, ſeu ſuſpicionem.

9 Sed maior eſt difficultas, vtrùm tempore nouæ legis licitum ſit Chriſtiano in publico iudicio cõtendere, ſeu cauſam agere contra alterum: quamuis enim iudicium publicum ferre, quo lites dirimuntur & terminantur, ſit licitum & ſanctum, vt modo oſtendimus; nihilominus in iudicio litigare poſſet eſſe prohibitum & prophanum: neque enim, tametſi rixas, ſiue pugnas componere, aut dirimere, licitum ſit & bonum, ideo rixari & pugnare bonum aut licitum eſt. Vnde pro negatiua parte ſic arguitur ex Scriptura: Chriſtus Lucæ 6. dicit: *Qui auſert quæ tua ſunt, ne repetas.* Et Matthæi 5. *Et ei, qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: quibus Dominus tam ſuſtinere partes Rei, quam partes Actoris in Iudicio, videtur prohibere. Quod autem verba illa non tantum ſint conſilij, vt quis reſpondere poſſet, ſed præcepti, Probari poteſt ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 6. vbi grauiter Corinthios arguit, quod iudicio contenderent: & tandem addit: *Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos*: & licet vocabulum Græcum quod interpres noſter vertit delictum, ſignificet propriè minorationem ſeu diminutionem, vt notat Eſtius in ſuis commentarijs: vnde exiſtimari poſſet, quod Apoſtolus tantum velit eſſe quendam receſſum à perfectione Chriſtianâ, tamẽ antiqui plures intellexerunt illo nomine ſignificatum eſſe delictum ſeu peccatum propriè dictũ, vt D. Chryſoſtomus qui crimen vocat (id eſt peccatum) iuſtâ Pauli accuſatione dignum. Similiter Theophylactus: Ecumenius, Primarius, Sedulius, vt refert Eſtius. Idem amplius confirmari poteſt ex D. Aug. qui cap. 78. Enchyridij ita de hoc loco Apoſtoli ſcribit: nam & hic poſſet putari iudicium habere aduerſus alterum non eſſe peccatum, ſed tantummodo id, extra Eccleſiam velle iudicari, niſi ſecutus adiungeret: *Iam quidem omnino delictũ eſt inter vobis; quia iudicia habetis inter vos.* Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, vt diceret iuſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet à ſe, Iudicum ſententiâ remoueri, continuo talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit, atque ait: *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* vt ad illud redeatur, quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium*; & alio loco: *Qui abſtulerit tua noli repetere.* Prohibuit itaque ſuos de ſæcularibus rebus cum alijs hominibus, habere Iudicium, ex qua doctrinâ dicit Apoſtolus eſſe delictum. Hactenus Auguſt. qui ſimilia habet etiam in enarratione Pſal. 80. vbi eos qui ſua in Iudicio repetunt, numerat cum illis, qui ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus, ædificant, lignum, fœnum, ſtipulam, volens declarare quod non ſine peccato veniali contendatur iudicio, & Concione 24. in Pſal. 118. vocat ſic litigantium vitioſas & negotioſas cupiditates. Pro difficultatis huius reſolutione reſpondeo &

Dico Primò: non eſt per ſe, ac intrinſecè malum, aut illicitum in iudicio, ſua repetere, vel ſua ibidem defendere. Ita docet Eſtius in commentarijs ſuis ad citata Apoſtoli verba: eſtque communis & certa doctrina. 10

Probari poteſt primò ex veteri lege, ex quâ ſatis conſtat Dominũ probaſſe iudicia, ac etiam remiſiſſe homines ad iudices in ſuis controuerſijs: ergo Iudicem interpellare & coram illo cauſam agere, aut defendere non eſt intrinſecè malum.

Probatur Secundò: Quia actus illi, repetere ſcilicet ſua in iudicio, aut ſua ibi defendere, per ſe neque repugnant iuſtitiæ, neque Charitati: imò aliquando ſeruire poſſunt multum charitati proximi, quatenus mediantibus illis, proximus ab iniuſtitiâ liberatur, in qua alioquin perſeueraret. Vnde D. Gregorius in moralibus ſic ſcribit: Quidam dum temporalia à nobis capiunt, ſolummodo ſunt tolerandi, quidam verò æquitate ſeruatâ, ſunt prohibendi, non ſolâ curâ ne noſtra ſubſtrahantur, ſed ne rapientes non ſua, ſemetipſos perdant: quod vel aptiſſimè fit, quando per iudicem curantur prohiberi. Hinc & D. Th. ſup. q. 43. art. 8. docet propter eos qui ex malitiâ, ſcandala concitant, non eſſe temporalia dimittenda: quia & hoc noceret bono communi, daretur enim malis (inquit) rapiendi occaſio, & noceret rapientibus qui retinendo aliena, in peccato remanerent: atque ita ibidem interpretatur præceptum Chriſti, & Apoſtoli ex D. Aug. libro de ſermone Domini in monte. cap. 35. & 36. eſſe intelligendum ſecundum præparationem animi, vt ſcilicet homo ſit paratus, potius pati iniuriam vel fraudem, quàm iudicium ſubire ſi hoc expediat: quandoque autem (addit) non expedit. Ex quibus omnibus ſatis intelligitur, non eſſe per ſe malum aut illicitum ſubire iudicium, & ſua in iudicio repetere aut defendere.

Dico tamen Secundò: Ex ſententia Apoſtoli Pauli, ſicut eum intellexerunt D. Auguſt. & alij multi ſcriptores antiqui antè citati, delictum & peccatum ſaltem veniale eſt, iudicio contendere pro rebus temporalibus atque adeo à Chriſto prohibitum, non ratione ſui, ſed propter multa incommoda & mala, quæ ſolent comitari aut eſſe coniuncta, niſi tamen occurrant alia bona, aut iuſtæ neceſſitates, quæ valeant illa incommoda 11

& mala

& mala compenſare. Ita ferè Eſtius loco citato: ſuſcipiuntur enim huiuſmodi lites vt plurimùm ex inordinato rerum temporalium amore, quem vt Chriſtiani excluderent, voluit Apoſtolus eos à iudicijs abſtinere; contendit namque Chriſtianus (inquit D. Aug. in citata enarratione Pſalmi 80.) pro rebus terrenis amplius, quàm decet eum, cui promiſſum eſt Regnum Cælorum, nec totum cor ſurſum leuat, ſed aliquam partem eius trahit ad terram.

12 Deinde non exiguum malum eſt, iactura temporis, quam communiter pati ſolent litigantes: idque non ſine detrimento pacis & tranquillitatis internæ animi, quam maximè debent Chriſtiani ſollicitè intendere & quærere: propter quod malum vitandum, mandat etiam Apoſtolus, vt tempus redimamus: ad Epheſios 5. & ad Coloſſenſes 4. cap.

Denique, contentiones iſtæ in iudicio non ſolent carere magno periculo multarum offenſionum quæ ex illis naſcuntur, ſiue ex vnâ, ſiue ex alterâ parte litigantium, vt ſunt ſiniſtræ ſuſpiciones, detractiones, animorum ab inuicem alienationes & acerbitates & ſimilia; quocirca niſi aliud adſit motiuum honeſtum, & bono aliquo maiori, diſpendium iſtud ſpirituale compenſetur cum ſtudio cauendi pericula iam dicta, non ſine peccato lites eiuſmodi forenſes ſuſcipiuntur, ac minus ſine peccato aguntur, quantumuis quidam nimis cupidi ſuarum rerum poſſeſſione (ait Eſtius) reclament.

13 Additur itaque in concluſione, niſi occurrant alia bona, aut iuſtæ neceſſitates quæ valeant illa incommoda compenſare, quia multis caſibus, delicto caret, imò laudabile & pium, ac neceſſarium eſt, iniuriam iudicio repellere: quemadmodū vbi quis non ſuum ac priuatum, ſed publicum alicuius communitatis agit negotium, vt eccleſiæ, monaſterij, collegij, præſertim ſi ex obedientia, aut ex officio id faciat: quamuis aliquando ipſa communitas tota poſſit quoque hâc in parte eſſe immoderatior, ſicut & particularis perſona: quod forſitan non rarò obuenit.

Similiter vbi quis bona pauperum, pupillorum, aut viduarum iniuſtè ablata, aut malè alienata repetit, vel ne auferantur obſiſtit. Rurſus vbi quis ſua repetit quæ coniugi & liberis alendis ſunt neceſſaria, aut ſibi quoque ipſi. Denique quando aduerſarius videtur futurus audacior ad nocendum, & illaturus pluribus alijs iniuriam, ſi authoritate Iudicis non reprimatur. In talibus enim caſibus non ex priuato amore temporalium ſecundum ſe, ſuſcipiuntur lites, ſed ex alio honeſto ac iuſto motiuo, & ſpectantur illa bona cum certo ordine, quo eorum procuratio eorum eſt pia, & ſecundum rationis dictamen adhiberi poteſt. Et hinc quoque illius temporis quod iſtis impenditur non cenſetur quis omnino pati iacturam.

Quod autem ad pericula offenſionum & amaritudinum attinet, debent hæc caueri etiam ab illo qui aliquo ex dictis titulis litem ſuſcipit, ac inprimis, vt in ſe talibus paſſionibus non indulgeat; imò ſi exiſtimaret non poſſe ſe lites proſequi abſque eiuſmodi malis paſſionibus, non liceret ipſi, ſe litibus immiſcere: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Debet præterea etiam adhibere cautelam; ne aduerſæ parti det cauſam acerbitatis vel odij: ſi verò illâ adhibitâ nihilominus pars aduerſa odium concipiat, cenſebitur alter qui ex talibus rationibus litem agit, ſe habere permiſſiuè tantum ad illud, nullo autem modo eorum eſſe cauſa vel illis cooperari.

DVBIVM III.

Quale peccatum ſit iudicium ſuſpicioſum ſiue temerarium.

Docet D. Thom. hic q. 60. art. 2. Ad iudicium, vt ſit verè actus Iuſtitiæ, tria requiri: primo quidem, vt procedat ex inclinatione Iuſtitiæ; Secundo, vt procedat ex authoritate præſidentis; Tertio, vt proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ. 14 quas conditiones indicat quoque Scriptura Exod. cap. 18. quando Ietro ſocer Moyſi dixit: *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex his Tribunos, Centuriones, & Decanos qui iudicent populum omni tempore*, &c. In hoc namque quod dicitur, Elige viros timentes Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, explicatur prima conditio, quæ eſt vt iudicium procedat ex inclinatione Iuſtitiæ: & in eo quod dicitur conſtitue ex eis Tribunos, Centuriones, explicatur ſecunda: & tandē quando dicitur: Elige viros ſapiētes, explicatur tertia.

Contra hanc autem peccatur, vt cit. loco docet, quando deeſt certitudo rationis, puta (inquit) cum aliquis de his iudicat quæ ſunt dubia vel occulta, ob leues coniecturas, 15 ſiue ex leuibus indicijs: quod vocat iudicium ſuſpicioſum vel temerarium. Dicitur ob leues coniecturas, ſiue ex leuibus indicijs, quia quod ex iuſtis rationibus format, non eſt dicendum temerarium vel ſuſpicioſum, etiamſi quoque ſit de malefactis, aut defectibus alterius. Solet autem formari vel de internis, vt dum iudicamus de intentione, vel de interna animi diſpoſitione alterius; aut de externis factis quorum auctor eſt occultus, aut denique de futuris, vt hunc futurum furem, aut latronem, vel numquā emendandum. Colligitur hoc ex D. Aug. lib. 2. De ſerm. Domini in monte c. 28.

Obſeruan-

Digitized by Google

16 Obſeruandum autem eſt, tres dari veluti gradus iudicij temerarij, iuxta D. Tho. q. cit. artic. 3. Caietanum verò ibidem aſſignare quattuor.

Primus eſt quando ex leuibus indicijs quis tantum dubitare incipit de bonitate alterius.

Secundus, quando quis ſiniſtrè ſuſpicatur de proximo, ſed non firmiter adhæret.

Tertius, quando eo quis progreditur vt etiam ex leuibus coniecturis firmiter iudicet in animo rem tali vel tali modo ſe habere.

Quartus denique quando procedit quis vlterius ad ferendam ſententiam foris. Inter ſecundum autem & tertium ponunt nonnulli alium adhuc medium, ſcilicet opinionem: atque ita volunt eſſe 5. gradus. Hi gradus ita ſe habent vt maiora indicia requirantur ad ſuſpicionem, quàm ad dubitationem ad hoc vt liberetur à temeritate, & maiora ad firmum iudicium formandum, quàm ad ſuſpicionem vel opinionem: & inſuper maiora ad iudicium dicendum, quam tantum in mente formandum.

His itaque poſitis, Queritur: Quale peccatum ſit iudicium temerarium?

17 Respondeo & Dico Primò: Temerarium iudicium Iudicis prodiens in actum externum ſemper eſt peccatum mortale contrà iuſtitiam. Ita docet D. Th. quæſt. citata art. 3. & alij communiter.

Ratio eſt: quia Iudex ex officio & ex iuſtitia tenetur iudicare ex iuſtis & ſufficientibus motiuis: alioquin iniuriam facit partibus dum abiudicat, vel exponit ſe periculo abiudicandi parti alterutri, quod ex iuſtitia ipſi competit: vnde ſi abiudicauerit, obligabitur ad reſtitutionem.

18 Dico Secundò: Iudicium temerarium ſiue ſuſpicioſum hominis priuati in animo reſidens non eſt peccatum, quamdiu quis non aduertit ſe male iudicare aut ſentire de proximo: poſtquàm autem cœperit aduertere, ſaltem ſemplenè, iam erit peccatum veniale, niſi illud remoueat: ante plenam verò aduertentiam nunquam eſt peccatum mortale; Eſt doctrina communis: & conſtat ex generalibus principijs de actibus humanis & de peccatis in genere.

Quæres quid ſi dubitet aliquis, vtrum perfectè aduerterit in ſe ſuſpicioſum illud iudicium de proximo an imperfectè tantum? qualiter cenſebitur iſte peccaſſe?

Reſpondetur, de illo ſentiendum eſſe iuxta communem regulam, quam ſolent DD. tradere de talibus caſibus, quod nimirum ſi ille timoratæ ſit conſcientiæ, & ſentiat ſe ita affectum, quod nullo modo vellet Deum mortaliter offendere propter quæcumque commoda aut incommoda, tunc perſumendum eſſe, non fuiſſe deliberatum & præfectum conſenſum, ſi autem ſit laxioris vitæ qui parum ſolet eſſe ſollicitus, vtrum mortiferè peccet, an non, tunc potius inclinandum in eam partem, quod conſenſus fuerit plenus & perfectus, quare oportebit eum confiteri, ſi materia ſit grauis. Vide Aragon. 2.2. q. 60. art. 3.

Dico Tertiò: Iudicium temerarium cum plenâ animaduerſione, ſi firmum & quaſi moraliter certum formetur in re graui contra proximum, ordinariè eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam. Colligitur ex D. Th. ſup. & tradunt DD. communiter. 19

Probari autem poteſt primò ex Scripturis anteà dub. 1. allegatis & ibidem explicatis, vt Matthæi 7. Lucæ 6. 1. ad Corinth. 4. Iacobi 4. quod & Confirmatur ex cap. 8. Zachariæ, vbi cogitare in corde malum contra amicum, numeratur inter illa, quæ odit Dominus.

Probatur Secundò ratione, quia per eiuſmodi iudiciū irrogatur grauis iniuria proximo, quādo quis ſic male de proximo iudicat in animo ex leui vel nulla cauſa: lædit enim bonam ipſius æſtimationem, quam in animo ipſius iure poſſidebat: quià cuilibet ius creatum eſt, vt de illo bona habeatur opinio, aut ſaltem non mala, niſi ſufficientia argumenta aliud ſuadeant; iuxta regulam iuris: quiſque præſumitur bonus donec probetur malus.

Accedit quod ſic iudicans vſurpet quodammodo iudicium Dei, cuius ſolius eſt de occultis iudicare, præſertim quando de intentione alterius præſumit malè iudicare, vnde etiam Deo quędā fit iniuria: vt indicat Apoſtolus 1. ad Cor. 4. dum ſic ſcribit: *Nolite ante tempus iudicare quoad vſque veniat Dominus qui manifeſtabit occulta cordium.*

Obſeruandum tamen eſt, ſi argumenta non eſſent quidem omnino ſufficientia, ſed tamen aliquam haberent veriſimilitudinem, ſic vt licet non omnino à temeritate excuſarent, nihilominus eam notabiliter cenſerentur diminuere, ex eo capite fieri poſſe, quod iudicium hoc à peccato mortali, quamuis non à veniali excuſaretur.

Dixi in materia graui, quia ſi quis temerè iudicet in materia parui momenti, aut quam proximus parui facit, non committet peccatum mortiferum, ſic temerè iudicando: ſicuti non peccat mortaliter peccato detractionis qui leue aliquod vitium vt defectum venialem alterius, alijs refert. Quæ autem materia in genere Detractionis cenſeatur leuis aut parui momenti, latè explicuimus ſupra Tract. 4. cap. 1. dub. 3. n. 11. & aliquot ſequentibus: & quæ in Detractione eſt parua, etiam debet parua cenſeri in temeraria ſuſpicione, vel iudicio ſiniſtro de proximo, quare iſta hic non repetimus. 20

Dico Quartò: Si quis nō iudicet firmiter, ſed tantum dubitet aut ſuſpicetur ex indicijs inſufficientibus, non erit ordinariè niſi peccatum 21

peccatum veniale. Colligitur ex D. Thom. art. 3. citato, & docet Caiet. ibidem. Dom. Soto libro 3. q. 4. art. 3. Nauarr. in Comment. ſuper Rubr. de Iudicijs: Luiſius Turr. in 2. 2. De Iudicio Diſp. 4. dub. 3. n. 7. & alij plures: dicitur autem quis ſuſpicari dum aſſentitur quidem, ſed debiliter & dubitanter.

Ratio itaque eſt: quia tum propter dubium adiunctum eiuſmodi imperfecto iudicio, tum etiam propter facilitatē qua intellectus ad eiuſmodi actus prolabitur, non cenſetur per eos, grauis iniuria inferri.

22 Dixi ordinariè: quia interdum fieri poteſt, quod malè ſuſpicari de proximo, imo & de eo dubitare; eſſet peccatum mortale, vt ſi quis ex nullis aut leuiſſimis argumentis ex quadam maleuolentia ſuſpicaretur graue ſcelus de viro alioquin boni nominis & famæ, nec vellet eam ſuſpicionem deponere quantumuis aduerteret eam non eſſe fundatam, aut non niſi leuiſſimè, ita docent Soto ſup. Mald. Tract. 6. cap. 1. dub. 2. & alij mox citandi, qui etiam magis generaliter, hoc de ſuſpicione videntur docere.

Ratiò reddi poteſt: quia talis ſuſpicio vel dubitatio non procedit ex debilitate intellectus aut fragilitate aliqua, ſed ex malitiâ, qua ſine ratione & fundamento vult malum de proximo ſuſpicari, vt cum forſitan non cogatur in animo ſibi præferre, ſed liberius ipſum contemnat. Solent autem eiuſmodi ſuſpiciones ſæpius formare de alijs, qui ipſi occultis vitijs ſunt obnoxij, vnde exiſtimant alios ſibi eſſe ſimiles, vt indicat D. Thomas loco citato.

23 Loquendo itaque de huiuſmodi ſuſpicione deliberata locum habere poterit ſententia quorundam vt Banneſij, Salonij, & Petri Arragonij 2. 2. ad art. 3. q. 60. ſicuti notat Turrianus ſup. qui generaliter videntur dicere omnem ſuſpicionem temerariam de graui malo proximi, ſi deliberata ſit, eſſe peccatum mortiferum. Sed ſi abſit illa pertinacia & pleniſſima aduertentia non tantum ipſius ſuſpicionis ſed etiam tantæ temeritatis quod ſcilicet aduertat ſine fundamento ſe ita ſuſpicari, veriſimilius eſt non eſſe mortiferum, iuxta aſſertionem quartam ante poſitam: Eſtque id conformius doctrinæ D. Auguſtini Tractatu 90. in Ioannem, vbi de huiuſmodi iudicijs & ſuſpicionibus agit.

24 Petes Primò: Vnde dignoſci poſſit, an quis iudicet? an ſuſpicetur tantum? Reſpondetur Caiet. hic q. 60. art. 3. inſinuat hanc regulam: ſi quis aſſentiatur ſic vt rogatus reſponderet, ſe ita putare, tamen poſſe ſe falli, neque habere pro certo, tunc cenſebitur eſſe tantum ſuſpicio: ſi autem ſic aſſentiatur vt reſponderet ſe habere illud pro re moraliter certa, aut ſe non dubitare quod tunc cenſebitur iudicium.

Quare obſeruandum eſt ad iudicium non requiri tantam firmitatem aſſenſus quæ omnem omninò formidinem de oppoſito excludat, vt rectè docet Arragon. loco cit. contra quoſdam qui videntur id exiſtimare: hoc enim ad moralem certitudinem non eſt neceſſarium: nam ſi is qui dicit ſe moraliter certum de re aliquâ, interrogaretur an putaret nullam falſitatem aut errorem vllo modo poſſe ſubeſſe, ſæpius reſponderet ſe non omninò ita hoc tenere: nec velle aſſecurare.

Petes Secundò: In quo ſita ſit iniuria quæ per dubitationem de probitate aut improbitate alterius, cenſetur ipſi inferri, cum non teneamur poſitiuè iudicare proximum eſſe probum; quandoquidem liceat mentem ad alia conuertere, & nolle circa illam conſiderationem occupari? 25

Reſpondetur, iniuria quæ dubitando infertur, ſita eſt in eo, quod argumentis leuibus & inſufficientibus aliquis putat probitatem alterius eſſe ambiguam: quamuis enim poſſim nihil iudicare, tamen ſi velim mente circa illum verſari, non poſſum ſine iuſtis rationibus, eius probitatem iudicare ambiguam.

Petes Tertiò: Quomodo facienda ſit reſtitutio, ſi iudicia temeraria fuerint tantum interna. Reſpondetur, quandoquidē per ſolum iudicium non inferatur exterius damnum, hinc quoque non opus eſſe externâ reſtitutione, quod ſignificat D. Thom. art. 3. cit. ad 3. tamē generatim de reſtitutione loquendo, eſſe hic etiam aliquam faciendam, quæ fieri poteſt, reponendo exiſtimationem de proximo in animo ſuo, eo loco quo prius habebatur, opinando & bene iudicando de proximo, vti prius ipſe opinabatur, aut alij boni viri opinantur, non obſtantibus leuiſculis illis argumentis quibus fuerat motus ad malè ſuſpicandum vel iudicandum de proximo. 26

DVBIVM IV.

An dubia in meliorem partem ſint interpretanda?

RESPONDEO & DICO Primò: Quādo agitur de iudicando de rebus, vt quando quæritur, vtrùm talis contractus ſit licitus, vtrùm hæc ſit materia talis Sacramenti, tunc dubia non ſunt in meliorem partem interpretanda, ſed res ſuis æſtimanda eſt momentis. Eſt D.Thom. q.60. art. 4. ad 2. & 27

Ratio eſt; quia iudicium illud eſt ſpeculatiuum, & id vnum agitur vt inquiratur veritas; nec timetur ne cuiquam fiat iniuria de rebus verè iudicando.

DICO

28 DICO Secundò: Quando agitur de iudicio de perſonis quoad bonam vel malam de illis exiſtimationem, tunc dubia in meliorem partem ſunt interpretanda. Ita D. Tho. ſup. In Corpore, & alij DD. communiter. Colligit illud D. Auguſt. libro 2. De ſermone Domini in monte Cap. 28. ex illis verbis Chriſti: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: hoc loco (inquit) nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Idem docet D. Bernardus Sermone 4. in Cantica: Etiamſi perperam quid actum deprehendas (inquit) nec ſic iudices proximum: magis autem excuſa intentionem, ſi non patet opus, puta ſurreptionem, puta ignorationem, puta caſum interueniſſe. Præſcribit hoc ipſum etiam Seneca, gentilis Philoſophus lib. 2. De ira cap. 4. Simplicitate opus eſt, & benigna rerum æſtimatione, vt nihil niſi quod in oculos incurrat, manifeſtumque erit, credamus, quod videlicet famam proximi concernit.

29 DICO Tertiò: Quę poſitiuè dubia ſunt, id eſt, ſic vt pro vtraque parte ſuppetant probabilia argumenta, non tenemur ſemper in meliorem partem interpretari, actu poſitiuo iudicando proximum eſſe re ipſa innocentem, aut eum eſſe habendum innocentem, ſed ſatis interdum erit ſuſpendere iudicium, & mentem aliò diuertere. Ita Caiet. ad articulum 4. ſup. citatum: ibidem Arragon. & alij.

Ratio eſt, quia licet tenear in meliorem partem inflectere mentem, ſuppoſito quod velim iudicare, vel animo ſtatuere aliquid de ſtatu proximi, tamen abſolutè non teneor actu poſitiuo aliquid animo ſtatuere de illius probitate aut improbitate, atque ita poſſum tunc ſuſpendere iudicium. Quod euidentius patet circa eos de quibus neutram in partem habemus poſitiuum iudicium, eo quod res ipſorum nobis penitùs ſint incognitæ.

Valdè tamen conſultum fuerit etiam dubia interpretari poſitiuè in meliorem partem, quia hoc charitati magis eſt conſentaneum: imò ſi contingat nos tentari ad malam concipiendam exiſtimationem de proximo per prauas ſuggeſtiones ſiue hominum, ſiue dæmonum, ad quam tentationem ſuperandam fuerit neceſſarium poſitiuè benè opinari de proximo, tenebimur omnino poſitiuum iudicium de eius probitate formare, vt benè notat Arragon. artic. 4. citato.

30 DICO Quartò: Quando vtrimque ſuppetunt argumenta ad probabiliter opinandum vtramuis partem, non videtur eſſe peccatum, ſaltem mortale, apprehendere, quod ſpeculatiue loquendo, talis veriſimiliter ſit improbus. Ita Malderus Tract. 6. cap. 1. dub 4. aſſertione 4. Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 4. Probatur, quia cum argumenta ſuppetant ſufficientia ad talem ſpeculatiuam apprehenſionem cum formidine de oppoſito generandam in animo intelligentis, non iniurioſè agit quis cum altero ſi ex illis talem formet apprehenſionem. Non tamen ideo huic licebit opinari practicè illum eſſe improbum, ſic videlicet, vt iudicet illum à ſe vel alijs eſſe habendum pro homine malo, quia tametſi ſpeculatiuè propter argumenta veriſimiliter ſit improbus, non tamen propterea debet talis practicè haberi, dubio enim ſpeculatiuo ſtante, melior eſt conditio poſſidentis. Imò nec charitati ſatis erit conſentaneum, vel formare apprehenſionem quod alter, ſpeculatiuè loquendo, ſit probabiliter malus: eſtque periculoſum ne inde ad practicè malè ſentiendum de proximo deſcendatur, quare licet per ſe non ſit peccatum, ſaltem mortale, vt diximus, tamen meritò erit ſollicitè ab eiuſmodi apprehenſionibus cauendum.

DICO Quintò: Quando agitur de damno vel incommodo vitando in nobis, vel in 31
proximo, tunc dubia poterimus interpretari in partem deteriorem, quaſi per ſuppoſitionem, vt loquitur D. Thomas: ſiue hoc ſenſu, vt non quidem iudicemus proximum eſſe habendum pro improbo, vel auctore alicuius criminis, ſed iudicemus ſic nobis exterius cauendum eſſe, ac rebus noſtris conſulendum, perinde ac ſi dubia eſſet eius probitas. Colligitur ex D. Thom. artic. cit. ad 3. & ſic docent Arragonius ibidem, Malderus ſuprà, & alij, qui dicunt tunc, dubia in deterius interpretanda, non definitiuè iudicando, ſed per quandam ſuppoſitionem, veluti timendo malum à proximo.

Sic quando recipimus ignotum, poſſumus cauere nobis & rebus noſtris, perinde ac ſi dubia eſſet eius probitas, nullo tamen modo habentes illum pro improbo, neque abſolutè de hoc dubitando, ſed ſecurius volentes prouidere rebus noſtris. Ita quoq; ſuperiores interdum monent, aut caſtigant ſubditos ob iudicia quædam dubia, ne fortè mali ſint, quamuis eos pro malis nō habeant, & eorum facta & intentiones in animo excuſent: nam & ſuperiores hanc regulam de dubijs in meliorem partem interpretandis quoad internam exiſtimationem & affectum ſeruare debent, quamuis in ordine ad emendationem, vel ad cautelam in futurum poſſint ita ſe exterius gerere ac ſi ſubditi ob noxij eſſent debitis pœnis.

Digitized by Google

DVBIVM V.

Vtrùm ſit ſemper ſecundum leges ſcriptas iudicandum.

32 PRoponit hoc D.Tho.quæſt. ſuprà citata artic. 5. Reſpondet autem per duas Concluſiones: Prior eſt: Si legis ſcriptura, ſiue leges ſcriptæ contineant ius naturale, prout ſæpius contingit, tunc ſemper ſecundum illas eſt iudicandum. Ratio per ſe euidens eſt; quia iuri naturali contrauenire ſemper iniquum eſt, & illicitum.

Poſterior eſt: Etiamſi leges ſcriptæ tantùm contineant ius poſitiuum, etiam tunc ſecundum illas eſt iudicandum. Probatur ex D. Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 31. vbi ſcribit, quod licet quando leges inſtituuntur, de illis iudicent homines qui eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit iudicibus de eis iudicare, ſed ſecundum illas. Idem docet D. Greg. & refertur Cap. Summopere, cauſa 11.qu.3. Quod etiam ordinariè locũ habet in ſupremo principe, vt docet Arrag. art.5. citato: quia quod ex rationabili cauſa tanquam iuſtum ſtatuit, debet quoque ipſe iuſtum iudicare, & proinde ſecundum leges quas ſcripſit. Dixi ordinariè: quia poteſt ſupremus princeps interdum diſpenſare in lege poſitiua ex rationabili cauſa, quando fit ſine iniuria tertij, vt legis pænã remittere, vel mitigare: hoc autem non poteſt inferior, niſi ex tacita vel expreſſa ſuperioris conceſſione. Quomodo autem princeps ſubijciatur ſuis legibus, vide latiùs explicatum 1.2.quæſt.96. art.5.

33 Obſeruandum tamen eſt, quod etiam Iudex inferior interdum poſſit à lege ſcripta recedere, iudicando contra verba legis, prout in rigore ſonant, vt docet hic D.Thomas in reſponſione ad ſecundum: idque inprimis quando conſtat mentem legiſlatoris eſſe aliam, nec voluiſſe hunc caſum tali lege eſſe comprehenſum, quamuis ſub verbis contineri videatur, tunc enim ſi verba legis ſeruarentur meritò diceretur locum habere illud dictum, Summum ius ſumma iniuria.

Deinde Confirmatur ex lege nulla ff. de legibus, & lege, Non dubium Cod. de legibus, vbi illud ſatis clarè ſignificatur.

34 Ratio redditur: Quia tenetur quis magis ſequi mentem legiſlatoris quæ eſt veluti anima legis, quàm corticem verborum, neque in hoc caſu tenebitur Iudex inferior conſulere legiſlatorem ſiue ſupremum Iudicem, quia ſupponitur de eius ſenſu & mente euidenter conſtare.

Secundò, Poterit Iudex inferior quando non quidem abſolutè conſtat, ſed probabilius eſt aliam eſſe legiſlatoris mentem, & res non patitur moram, vt ſuperior conſulatur: quia contra rectam rationem tunc foret verbis legis inſiſtere; ſemper enim intentio legiſlatoris principaliter eſt inſpicienda ac ſequenda: ſi autem ſuperior conſuli poſſit, omninò conſulendus erit, quia tenor legis infringi non debet, niſi quatenus conſtat vim non habere, quando ſine graui incommodo de eo conſtare poteſt.

Quod ſi vtrumque æquale ſit dubium, & princeps conſuli nequeat, tenetur inferior Iudex ſecundum verba legis iudicare. Ita communiter DD. Ratio reddi poteſt, quia in paritate dubij, debet Iudex, qui eſt legum cuſtos, meritò præſumere pro lege vt ſonat.

DVBIVM VI.

Vtrùm tyrannus ius dicens peccet vſurpatione iudicij, eiuſque ſententiæ ſint irritæ?

DIximus ſuprà dubio 3. ex D. Thoma, quod vt iudicium ſit actus iuſtitiæ inter alia requiratur, quod procedat ex auctoritate præſidentis ſiue à legitima poteſtate, & proinde ſi quis iudicet non ſubditum, aut in ijs in quibus non eſt ſubditus, iudicium erit vitioſum: & dici tum iudicium vſurpatum. 35

De diuerſis itaque qui ſibi iudicandi munus aſſumunt: Quæritur, vtrùm contra hanc conditionem requiſitam ad publici iudicij rectitudinem delinquant? Et primò, de tyrannis: vtrùm quando ius dicunt, peccent vſurpando iudicium?

Pro huius difficultatis & ſequentium aliquot faciliori intellectu, obſeruandum pluribus modis contingere, vnum alteri eſſe ſubiectum ſic vt ab eo iudicari poſſit: vt inprimis iure ordinario, quo alter præeſt, ſicuti fideles omnes ſubditi ſunt Pontifici, & Ciues ſuo magiſtratui.

Secundò, Ratione poteſtatis delegatæ, quæ alteri commiſſa eſt: ſic prouinciæ ſubſunt legato Apoſtolico, ad quas ipſius legatio dirigitur, Item Regnum proRegi, quando Rex abſens aliquem conſtituit.

Tertiò, Ex conſenſu & compromiſſione partium: ſic auctoritatem habent Iudices arbitri.

Quartò, Ratione delicti, vt patet ex Capitulo Poſtulaſti, de foro competenti. Ad quem

Digitized by Google

quem modum reuocari poteſt ſubiectio quã contrahit quis interdum ratione contractus, aut litis ſuſceptæ ſeu conteſtatæ, non declinato Iudice ab initio, aut ſimili occaſione.

36 Obſeruandum præterea, dupliciter aliquem dici tyrannum. Vno modo propter abuſum poteſtatis, iniquiùs aut crudeliùs cum ſubditis agendo, cum alioquin legitimus ſit ipſorum dominus ſeu princeps. Alio modo propter vſurpationem poteſtatis ac ſuperioritatis: quomodo tyrannus eſt qui abſque omni iure & iuſto titulo Rempublicam inuaſit, & eam oppreſſam tenet.

De huiuſmodi itaque tyranno proponitur dubium: nam de legitimo principe conſtat, eum quando ius dicit, nõ peccare vſurpatione iudicij, eiuſque ſententias eſſe validas, modò in alio non excedat contra ius & iuſtitiam, etſi abutatur ſua poteſtate in reliquis & tyrannicè cum ſubditis agat. His præmiſſis

37 Respondeo & Dico Primò: Quamdiu Reſpublica, aut verus eius Princeps tyranno inuadenti obſiſtit, & reluctatur, ſic vt non cum pace toleretur, non tantum ius dicendo peccat per vſurpationem iudicij, ſed etiam ſententiæ eius iudiciales ſunt irritæ ac nullæ. Eſt communis doctrina tum Canoniſtarum ad Capit. Accuſatores cauſa 3. qu. 8. & Cap. Infames, 3. qu. 7. tum Summiſtarum V. Iudex, V. Sententia: & ſequitur ex communi doctrinâ quam tradit D. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. Prior pars conſtabit ex infra modò dicendis. Poſterior declaratur, quia ſicuti vis legis obligandi, ita validitas ſententiæ Iudicialis pendet quaſi eſſentialiter ex aliqua ſuperioritate, vt docet D. Th. q. ſup. cit. a. 6. atqui nulla ex parte, neq; vllo ex cap. poteſt hic oſtendi aliqua ſuperioritas quæ influat & validare queat iudicium talis tyranni, vt ex dicendis ſtatim amplius conſtabit: ergo manifeſtum eſt, quod ſententiæ illius ſint irritæ & nullæ.

38 Dico Secundò: Etiam quando talis tyrannus iam quaſi in pace imperat, Republica non amplius propter virium defectum repugnante, peccat ipſe ius dicendo per vſurpationem iudicij: ſententiæ tamen eius iudiciales ſunt ratæ & validæ. Prior pars eſt communis Doctorum: & probatur, quia dicendo ius vſurpat quaſi rem alienam inuito domino, ſcilicet auctoritatem ac poteſtatem veri principis ſiue ſuperioris: ergo peccat vſurpatione iudicij. Poſterior pars videtur eſſe contra Dominicum Soto lib. 3. De iure & iuſtitia quæſt. 4. art. 6. vbi docet Tyrannum qui Rempublicam inuaſit, non poſſe vllam legem ferre, vel ſententiam iudicialem dicere, quæ in conſcientia teneant donec factus fuerit legitimus princeps aut iudex: quod aliquando fit conſenſu populi ſi ſui iuris ſit, aut longiſſimi temporis lapſu & præſcriptione.

Sed ita vt diximus, docent Franc. à Victoria relectione de poteſtate ciuili n. 23. 39
Bannesius hic quæſt. 78. art. 1. Pet. Arrag. quæſt. 60. art. 6. Mald. Tractatu 6. cap. 1. dub. 9. Tannerus tom. 3. diſp. 4. quæſt. 4. dub. 1. n. 14. & alij plures.

Probatur, quia iudicia ſiue ſententiæ talis tyranni in eo ſtatu ſecundum iuſtitiam latę, tametſi validitatem & vim non habeant, vt à poteſtate procedunt quam vſurpat & verè non habet, tamen dici poſſunt aliunde illam accipere, eſtque rationi naturali conſentaneum, vt ſic fieri cenſeatur.

Declaratur vtrumque: quia dici poteſt, quod durante illo oppreſſionis ſtatu, tacitè Reſpublica approbet & ratificet mandata & acta illius tyrannicè imperantis, quatenus legibus & vtilitati communi congruunt, iiſque ſunt conſentanea: ac velit eius ſententias iuſtas, quibus ciuium difficultates & lites dirimuntur, aut noxij puniuntur, eſſe validas, atque adeo ciues ſiue ſubditos obligare: quibus proinde hi teneantur etiam in conſcientia ſe accommodare. Rata itaque erunt iſta iudicia, quatenùs nituntur auctoritate & tacitâ approbatione Reipublicæ; non quatenus à tyranno proficiſcuntur, & huius rei argumentum licet ſumere ex L. Barbarius D. De officio Prætorum: & cap. 1. quæſt. 7. cauſa 3. Nec dubitandum, quin poſſit Reſpublica hanc vim & validitatem addere iuſtis iudicijs à tyranno latis, quia eſt ipſa ſingulorum ſuperior quamuis tyrannide iaceat oppreſſâ. Quòd autem id faciat, quando iam ſine reluctatione & repugnantiâ, quaſi in pace eum tolerat, dum tyrannidem eius excutere non valet, eſt omninò rationi congruum; quia ad bonum commune ciuium pertinet, quòd in tali eorum ſtatu, etiam validè poſſint controuerſiæ & lites dirimi ac ſopiri, & malefactores iuſtè puniantur per ſententiam validè in eos latam: quia alioquin infinitis perturbationibus, & ſummæ confuſioni Reſpublica continuò foret expoſita, dum nullus in animo & conſcientiâ exiſtimaret ſe obligatum, vt ſententijs, & iudicio lato ſtare & acquieſcere debeat: quare omninò dicendũ erit Rempublicam ita illis addere ſuam auctoritatem, quando ſine vlteriori renitentiâ iam manet ſub tyrannide oppreſſa. Secus quamdiu reluctatur, quia exiſtimanda eſt potius pro illo tempore, velle ſuſtinere quædam incommoda in aliquibus membris, quàm vllatenus velle agnoſcere, & approbare facta qualiacumque ipſius tyranni eam oppugnantis & inuadentis?

Et ex his ſatis licet intelligere rationem diuerſitatis 1. & 2. Concluſionis. 40

Digitized by Google

Porrò ſi Reſpublica ſit omnino ſui iuris, poterit vniuerſaliter omnia quę iuſta ſunt, ratificare quæ tyrannus gerit: ſi autem ſit ſub alio principe, tum quæ concernunt auctoritatem principalem, rata non erunt, niſi & Princeps pro bono populi ſui cenſeatur tacitè illa approbare.

Sed contra primam partem concluſionis opponitur: ſi tyrannus etiam tum peccet ius dicendo: ergo ciues ab eo non poterunt ius petere, non enim licet ab aliquo petere, quod ſine peccato nequit præſtare.

41 Reſpondetur cum Caiet. V. Tyrannus, negando conſequentiam: quia dici poſſunt ius petere ab illo non abſolutè, ſed quaſi ſub conditione, videlicet, vt ſi velit principatum tenere, dictet eis iuſtum iudicium; nec tamen opus eſt exprimere hanc conditionem, quia ſupponitur tanquam manifeſta: itaque petitur id ad quod ipſe tenetur; ſuppoſito quod principatum ſibi vindicare velit: quamuis itaque peccet iudicando, magis tamen peccaret negligendo iuſtitiam, vnde Caiet. dicit, eo caſu ciues quaſi petere, vt tyrannus euitet peccatum maius, & potius committat minus; quia peius eſt occupato tribunali, non adminiſtrare iuſtitiam & permittere iniquitatem prædominari, quàm ius dicere, & iuſtitiam procurare, quamuis poteſtate vſurpatâ; poſſet etiam breuiter & non minus ſolidè reſponderi, quod non petatur id quod ſine peccato præſtari non poteſt, & quamuis non poſſit per ipſum proximè, poteſt tamen remotè, quia poteſt tyrannus dimittere imperium, & ſic curare aut permittere ius dici per verum principem, ciues autem non niſi ius petunt eo modo quo ipſis debetur, vnde ſi ipſe ſine peccato non poſſit, prout non poteſt, ſinat adminiſtrari per illum qui ſine peccato poteſt, quem ipſe impedit.

42 Dico Tertiò: Iudices inferiores à tyranno conſtituti ſi eius tyrannidem non iuuent, neque ſuſtentent, non videntur iudicando peccare, modo omnia iuſtè gerant. Ita Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 9. num. 75. probari poteſt quia nullam videntur Reipublicæ iniuriam facere, quin potius ipſa dici poſſit tacitè in illos conſentire, poſito illo rerum ſtatu, quia id in eius tranquillitatem & commodum cedit. Verùm raro fit quod eiuſmodi inferiores Iudices ſub tyranno non cogantur multa iniqua mandata emittere, & iniuſtas ſententias dicere, vnde non niſi periculoſiſſimè talia officia ſuſcipiuntur & adminiſtrantur.

DVBIVM VII.

Vtrùm vſurpatione iudicij peccet iudex dicendo ius, qui officio eſt priuatus, vel coloratum tantum habuit titulum? eiuſque ſententiæ ſint irritæ?

Respondeo & Dico Primò: Si quis notoriè intruſus eſt in officium ſine legitimo titulo, vel eo priuatus eſt, & declaratus eſſet priuatus, ſic vt cõmuni opinione exiſtimetur, vel nunquam fuiſſe verè ſuperior, aut iudex, aut communiter cognoſcatur iam excidiſſe, haud dubiè talis ius dicendo peccat vſurpatione iudicij, & ſententiæ eius ſunt irritæ & nullæ. Patet ex dictis dubio præcedenti: eſtque res per ſe euidens, cum nec verè, nec apparenter apud populum habeat auctoritatem & iuriſdictionem iudicandi. Excipio tamen acta tyranni intruſi, nunc in pace quaſi imperantis, de quo egimus antè: idque ob rationes ibi explicatas. 43

Dico Secundò: Quamdiu errore communi quis habetur pro iudice qui officium titulo ſaltem colorato poſſidet, puta quia à ſuperiore fuit inſtitutus, acta eius rata ſunt etiamſi vel nunquam verè officium habuerit, aut ſi habuerit iam tamen à parte rei ſit illo priuatus. Ita Palud. in 4. diſtinct. 17. quæſt. 6. art. 2. Caiet. V. abſolutionis impedimenta. Nauarrus in Capitulum Placuit de pœnitentia diſtinct. 6. Arrag. hic q. 60. art. 6. Sanchez de matrimonio lib. 3. diſputatione 22. quæſt. 6. Mald. ſuprà dub. 12. & plerique alij. 44

Probatur autem ex iure tum Canonico, tum Ciuili. Cap. 1. quæſt. 7. cauſa 3. dicitur ſi ſeruus dum putaretur liber, ex delegatione, ſententiam daret, quamuis poſtea in ſeruitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet. Similiter L. Barbarius Philippus ff. de officio prætorum, acta illius Barbarij Philippi ad præturam (cuius propter impedimentum occultum, ſcilicet ſeruitutis incapax erat) promoti declarantur valida, quatenus geſta erant, quãdiu latuit impedimentum. Ratio fundatur in publica vtilitate: quia niſi eiuſmodi acta eſſent valida, ſequerentur in Republica & in populo Chriſtiano maximæ perturbationes & plurima incommoda.

Rectè autem Panormit. ad Capitulum Nihil 44. De electione & electi poteſtate Caiet. Arrag. ſup. & alij nonnulli notant, hîc debere concurrere duas conditiones, vt putatitij Iudicis acta ſint rata, vnam ſcilicet ex parte iudicis, nimirum quod habeat titulum ſaltem coloratum: quem ſufficienter præſtat inſtitutio à ſuperiore facta: alteram ex parte populi, vt ſcilicet communi errore populi habeatur legitimus ſuperior aut iudex. Vtrumque colligi poteſt ex iuribus citatis. Quando autem illa duo ſic concur- 45

runt,

Digitized by Google

ſunt, tunc ius ipſum extraordinariè confert iuriſdictionem ad ſingulos actus illius Iudicis propter bonum commune. Vnde in reſponſione diximus; quamdiu errore communi exiſtimatur iudex, qui titulo ſaltem colorato officium poſſidet.

46 Porrò concluſionem poſitam intelligunt DD. locum habere imprimis non tantum in foro externo, ſed etiam in foro interno quatenus hîc poteſt iuriſdictio conceſſione Eccleſiæ ſuppleri. Ita Henriquez lib. 2. De pœnitentia cap. 4. & lib. 3. c. 6. & 13. Sanchez & Mald. ſuprà cum pluribus alijs, quos apud Henriquez & Sanchez videre licet. Vnde ſi Sacerdos aliquis communi opinione exiſtimetur eſſe parochus, valida erit abſolutio ab eo impenſa: ſecus ſi putaretur eſſe Sacerdos, & verè non eſſet, quia hunc defectum non poteſt Eccleſia ſupplere: Suâ enim voluntate vel conceſſione ſola non poteſt illi tribuere Characterem Sacerdotalem, ſicuti poteſt Sacerdoti tribuere Iuriſdictionem neceſſariam.

Secundò, intelligunt locum id etiam habere in Iudice delegato, non tantum in ordinario, præſertim quando delegatus eſt ad aliquam cauſarum vniuerſalitatem: Ita Palud. ſup. Quod etiam à pleriſque extenditur ad eum qui delegatus habetur ad vnã aliquam cauſam particularem, vt refert Leſſ. ſup. dub. 8. n. 66. Et colligi poteſt, ex citato capitulo q. 7. cauſa 3. vbi ſermo eſt de Iudice delegato, & vt apparet, ad cauſam aliquam particularem. Vide Mald. ſup.

Tertiò intelligunt, locum quoque habere quando ſuperior ſciens impedimentum aut incapacitatem, contulit officium inualidè: etiamſi quoque hic ſuperior nõ poſſit impedimentum tollere: vt ſi Epiſcopus parochialem Eccleſiam contuliſſet illi quem nouerat occultum homicidam voluntarium. Et ſimiliter locum habere, etiamſi litigantes forſitan priuatim nouerint non eſſe verum Iudicem; ſufficit enim error communis cum titulo ſaltem colorato quem Iudex putatitius habeat. Hinc tametſi priuatim quis ſciret parochum propter occultam ſymoniam ab eo commiſſam, excidiſſe, vel nunquam habuiſſe parochiam, nihilominus tamen validè ab eo poterit abſolui.

Quartò etiam tunc verum eſſe, quando populus dubitat de eius priuatione, ſed toleratur adhuc. Ita docent Panorm. in Capitulum Nihil 44. de electione, quem refert Roſella verbo Confeſſor. 3. in fine, Syl. eodem 1. q. 19. Sanchez lib. 3. De matrimonio diſput. 2. num. 56. Mald. ſup. & alij plures. Colligitur ex cap. Nonne, cauſa 8. quæſt. 4. Hinc vocatus aliquis à Iudice dubio tenetur venire, alias puniri poterit à vocante, vt patet l. ex quacumque ff. ſi quis in ius vocatus non ierit.

Ratio reddi poteſt, quia cum antea habitus fuerit ſuperior, non poſſunt ſubditi propter dubiũ ſuperueniens eum reijcere quandiu in officio perſeuerat, in dubio enim non debet iure ſuo quiſquam ſpoliari, quia melior eſt conditio poſſidentis. 47

Sextò intelligunt DD. etiam habere locum in iis quæ geruntur ex officio publico, quamuis non ſint actus iuriſdictionis, vt v. g. in confectione inſtrumenti quod fit à tabellione ſeu notario. In electione, & præſentatione ad beneficia & officia: In actu parochi aſſiſtentis contractui matrimoniali: non enim eſt hic actus iuriſdictionis, ſed exhibitionis præſentiæ ſuæ tanquam determinati teſtis iure nouo requiſiti.

E contra verò reſtringunt & docent locum non habere 1. quando tantum priuato errore partium exiſtimatus fuerit iudex; non autem communi errore populi: partes enim non prorogant iuriſdictionem Iudicis quem per errorem particularem exiſtimant competentem, coram eo non acturæ, ſi ſcirent non eſſe ſuum, vt conſtat ex l. ſi per errorem ff. de iuriſdictione: non enim conſentiunt qui ſic errant. 48

Secundò, non habere locum quando occultum impedimentum eſt legis naturæ, ita vt per naturam non ſit capax officij: vt v. g. ſi iudicauerit qui neſciebatur eſſe furioſus; irrita erunt eius acta, ſi verè furioſum fuiſſe poſtea conſtiterit, nullus enim hominum conſenſus efficit vt iudicium ſine rationis vſu eſſe poſſit.

Tertiò, iuxta Panormit. ad Cap. Nihil ſup. locum non habet in eo qui geſſit ſe pro prælato, & tamen non fuit in poſſeſſione, vt refert Malderus loco citato.

DICO Tertiò: peccat tamen iudex putatitius vſurpatione iudicij quando ius dicit, niſi inculpabiliter ignoraret ſe non eſſe verum iudicem. Colligitur ex dictis dubio præcedenti de tyranno: quem communiter Doctores dicunt peccare vſurpatione iudicij, etiamſi acta eius doceant eſſe rata per conſenſum aut approbationem Reipublicæ, quando quaſi in pace toleratur imperare: ergo ſimiliter hic Iudex putatitius peccabit, non obſtante, quod ius commune ſiue Eccleſia aut Reſpublica addat actibus eius auctoritatem & robur propter fauorem communitatis; quia vſurpat poteſtatem, quæ prius illi non competit, licet quaſi ex neceſſitate boni publici, ei communicetur in actu dum exercetur. 49

Digitized by Google

DVBIVM VIII.

Vtrùm ſententiæ & iudicia Iudicis excommunicati ſint irrita? ipſeque ius dicendo peccet?

50 RESPONDEO & DICO Primò: Iudicis tantum occultè excommunicati ſententiæ & acta non ſunt irrita. Ita Gloſſa in Capitulum ad probandum, §. Innodatus: de ſententia & re iudicata. Palud. ſup. Soto in 4. diſt. 22. art. 1. & 4. Couar. in Cap. Alma 1. parte §. 7. nu. 4. Mald. ſuprà dub. 11. & in eo ſatis videntur paſſim omnes conuenire.

Probari poteſt Primò ex dictis dubio præcedenti: quia errore communi ſaltem populi, nullum putatur habere impedimentū.

Secundò, quia occultè excommunicato non eſt reuera adempta iuriſdictio, aut ſuſpenſa vel impedita, vt colligunt DD. ex Cap. ad probandum iam citato, ex verbis illis: præſertim ſi pro eo, quod vnus ex delegatis iudicibus excommunicationis vinculo eſſe publicè innodatus &c. vbi à contrario ſenſu inſinuatur, ſecus eſſe ſi occultè tantum eſſet excommunicatus.

Tertiò, quando excommunicatio Iudicis eſt occulta, non eſt ipſe publicè vitandus, ſed tantum occultè & priuatim etiam iure antiquo, vt colligitur ex Cap. Cum ab homine, de ſententia excommunicationis: imo fieret ei iniuria, ſi quis eius communionem in publico detrectaret, propter infamiam quæ ſequeretur: ergo cum non poſſint partes propter excommunicationem occultam eius recuſare iudicium (niſi fortè velint ſuſcipere onus probandi ipſum eſſe excommunicatum ad quod non obligantur) oportet admittere eius ſententiam eſſe validam, quia abſurdum foret quod partes tenerentur ſe ſiſtere tribunali eius à quo non niſi ſententiam irritam referre poſſint: quæ locum habent non tantum in ſententijs, & actis fori exterioris, ſed etiam interni & pœnitentiæ, quia DD. generaliter loquuntur & rationes non minus, imò fortius in foro interno militant, vt conſtare poteſt ex dictis dub. præcedenti.

51 DICO Secundò: Peccat nihilominus Iudex occultus excommunicatus dicendo ius, antequam ab excommunicatione abſoluatur. Probatur: quia iudicando præuaricatur iuſtum Eccleſiæ præceptum quo iubetur à communione, & proinde magis ab iſtius poteſtatis exercitio abſtinere: & quidem mortaliter eum peccare docet Suares de cenſuris diſput. 16. ſectione 1. Nauarr. cap. 27. n. 7. Soto in 4. diſt. 22. qu. 2. art. 1. Tannerus ſup. n. 22. & alij plures. Probatur quia Eccleſia non tantum generali ratione cenſetur hoc ipſi prohibere, quatenus eſt humana communicatio cum fidelibus, ſed etiam particulariter quatenus eſt vſus iuriſdictionis & auctoritatis, continens & requirens præeminentiam & dignitatem: quare cum naſcatur inde quædam materiæ grauitas, non videtur illa præuaricatio à mortali excuſanda: niſi contingeret interuenire aliquam inconſiderationem, vel ex particulari circumſtantia reddi leuiorem, vt propter functionis breuitatem, quæque minus publicè fiat, aut aliquam vrgentem quaſi neceſſitatem.

Caiet. tamen V. Excommunicatio vetita, exiſtimat generaliter iudices excommunicatos in actibus iudicialibus tantum venialiter delinquere, quem ſequitur Henriques De excōmunicatione cap. 7. Bartholomæus Ledeſma De excommunicatione dub. 9. quorum opinionem dicit Tannerus probabilem: Mald. autem dicit: quia quæ Iudex hic facit, ferè Reipublicæ aut partibus neceſſaria ſunt, ex hoc cap. excuſari poſſe à mortali.

DICO Tertiò: Quando excommunicatio Iudicis erat publica & notoria, ante Conciliū Conſtantienſe, & ante Extrauag. quæ incipit Ad euitanda, non tantum Iudex peccabat iudicando, ſicuti iam diximus de occultè excommunicato, ſed etiam eius ſententiæ & acta erant irrita & nulla. Ita communiter ferè DD. tenent. Colligitur illud ex pluribus Canonibus, vt inprimis ex Cap. Ad probandum, de ſententia & re iudicata: vbi iubetur caſſari (id eſt caſſa & irrita declarari, vt expoſuit Gloſſa & alij intellexerunt) ſententia lata à pluribus iudicibus delegatis, eo quod ex illis, vnus eſſet vinculo excommunicationis publicè innodatus. 52

Vbi tamen nota id tunc demū habere locū quod occaſione vnius iudicis excōmunicati irritetur ſententia, quando determinatus numerus iudicum requiritur, qui conformiter dicant ſententiam; alioquin quando ex multis ſufficeret maior pars, tunc forè ſententiam validam, etiamſi vnus aliquis ex illis eſſet excommunicatus, modo adhuc maior pars ſine illo ſubſiſteret, quæ ſententiam diceret. 53

Secundò deducunt DD. ex Cap. Audiuimus cauſa 24. q. 1. vbi dicitur, excommunicatum non poſſe excommunicare: quòd de publicè excommunicato exponit Gloſſa ad verbum, non potuit: ipſum autem verbum, non potuit, indicat carentiam poteſtatis, aut ſaltem eius impedimentum, ac proinde ſententiam talis iudicis eſſe irritam. Idem deducunt ex Capitulo Pia de exceptionibus in 6. Item ex Cap. Nos ſanctorum cauſa 15. quæſt. 6.

quæſt. 6. vbi ſubditi abſoluuntur ab obedientia præſtanda ſuperioribus excommunicatis: cum autem hæc obedientia reſpiciat iuriſdictionem, conſequens eſt, quod illa in excommunicatis ſit ſuſpenſa.

Probari poteſt Secundò: quia excommunicati excluduntur à partibus actoris & teſtis in iudicijs publicis, vt patet Cap. Pia iam citato, & Cap. Decernimus de ſententia excommunicationis in 6. iuncta Gloſſa: oportet ergo & iudices ſi publicè ſint excommunicati, cenſere à munere ſuo excluſos; nam rationes quare iſti ſecludantur etiam in iudicibus locum habent. Referuntur enim huiuſmodi rationes Capitulo pia. Repellit excommunicationis exceptio (habet textus) agentes, vt ex hoc magis cenſura Eccleſiæ timeatur, communionis periculum euitetur, contumatiæ vitium reprimatur, & excommunicati dum à communibus actibus excluduntur, erubeſcant ſalubriter.

54 Ratio itaque concluſionis eſt, quia tales iudices tametſi non abſolutè ſint priuati officio & poteſtate (retinent enim quaſi habitu) tamen ſunt impediti & ſuſpenſi ab vſu & exercitio ex Canonum diſpoſitione: poteſtas autem ſic ſuſpenſa & impedita non magis operatur, quàm ſi non eſſet.

Et vt forſitan non euidentiſſimè ex Canonibus id demonſtrari, ac conuinci poſſet, accedunt communis ſenſus, vſus & conſuetudo Eccleſiæ ac fidelium, quæ vim legis habere poſſunt etiam ſine expreſsâ lege, & ſicuti dare, ita etiam auferre, aut ſuſpendere iuriſdictionem: omnes enim DD. paſſim ſentiunt eiuſmodi iudicia fuiſſe irrita & pro talibus habentur: quemadmodum igitur ſuprà diximus communem exiſtimationem, licet erroneam, ſuo modo conferre iuriſdictionem, non habenti, ita hic dicimus communem opinionem potuiſſe adimere atque adeò ademiſſe talibus iudicibus, etiamſi forſitan verum eſſet, vt aliqui contendere videntur, quod Canones in rigore verborum, non abſtuliſſent aut ſuſpendiſſent: quamuis interim longè probabilius ſit & quaſi certum, quod per Canones ex eorum intentione fuerit poteſtas illis adempta ſiue ſuſpenſa prout Eccleſia communiter ſenſit, vnde huiuſmodi iudices ſi ius dicere attentent, peccant etiam vſurpatione iudicij propriè dicta, quod non ita locum habet in excommunicatis occultis, vt bene notat Tannerus ſuprà.

55 Dico Quartò: Poſt Concilium Conſtantienſe, non cuiuſlibet iudicis notoriè excommunicati ſententiæ & acta ſunt irrita & nulla, quamuis iudicando peccet; ſed illius tantum qui eſt denunciatus, vel eſt notorius percuſſor Clerici. Priorem partem, docent Nauarrus cap. 17. nu. 7. Dom. Soto in 4. diſtinctione 22. quæſt. 2. art. 1. Suares De cenſuris diſput. 9. ſectione 2. Henriques ſup. Similiter Malderus dub. 11. & recentiores paſſim.

Probatur: quia Concilium illud ad vitandum ſcandalum, periculum, & ad ſubueniendum conſcientijs timoratis, permiſit quod fideles cum alijs excommunicatis qui non ſunt nominatim publicè & expreſsè excommunicati, ſeu tales denuntiati, vel notorij percuſſores Clerici, poſſint tam in diuinis, quàm in humanis, tam in publicis negotijs, quam in priuatis habere communicationem, vt refert & teſtatur D. Antoninus 3. parte titulo 25. cap. 2. Soto ſuprà quæſt. 1. art. 4. & alij, (licet in actis quæ nunc habemus ex Concil. Conſtantienſi tale decretum non habeatur) quod & vſu ſic eſſe receptum tradit Suares loco citato: idque obſeruandum dicit Mald. ob rationem quam paulo infra indicabimus: atque non eſt veriſimile, quod Eccleſia illos excommunicatos, cum quibus permittit, vt fideles omnimodam habeant communicationem, & proinde vt habeant etiam acceſſum ad illos pro iuſtitiæ complemento, ac pro alijs quæ ipſi ex officio publico gerunt, ſic priuet aut impediat ab vſu poteſtatis & iuriſdictionis, vt inualida ſint eorum acta: tunc enim non tam videretur Conſtitutio illa Eccleſiæ adferre commodum & ſubleuamen ſubditis, quàm adducere incommoda & inuoluere eos ſumptibus & difficultatibus, ſine effectu & fructu: quandoquidem cum multorum detrimento deberent omnia per tales acta reſcindi, aut potius declarari irrita & nulla fuiſſe. Quare dum Eccleſia, rigorem antiquorum Canonum circa communionẽ cum excommunicatis temperauit, exiſtimanda eſt, tacitè etiam ſuſtuliſſe ſuſpenſionem & impedimentũ antea iniectum, quo minus poterant excommunicati poteſtatem & iuriſdictionem, ſi quam haberent, validè exercere.

Et quidem ſicuti DD. paſſim omnes tenuerunt ac tenent, notoriè excommunicatos fuiſſe ſuſpenſos à valido exercitio ſuæ 56
poteſtatis, antequam Concilium Conſtantienſe illam moderationem feciſſet, ita quoque paſſim omnes apprehendunt ac docent illam ſuſpenſionem ſublatam, quoad eos, cum quibus habere communionem fuit conceſſum per moderationem à dicto Concil. adhibitam.

Quod itaque ſſ. 20. Concilij Baſilienſis verbis in ſe aliquantulum generalioribus dicitur de vitandis adhuc illis, qui ita notoriè excommunicati ſunt, vt excommunicatio, nullâ tergiuerſatione poſſit celari, aut aliquo modo, iuris ſuffragio excuſari, videtur Eccleſia quaſi tacitè explicuiſſe & determinaſſe ſeu reſtrinxiſſe vſu & communi ſenſu Doctorum, ad Excommunicatos propter ſacrilegam manuum iniectionem in Clericum,

quod hi ſcilicet ſint vitandi etiamſi non ſint nominatim denuntiati, quando factum non poſſit aliquâ tergiuerſatione celari, neque aliquo Iuris ſuffragio excuſari: idque conformiter ad Conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, quam D. Antoninus ſuprà: ſic refert: Saluo ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in Clericum, ſententiam latam à Canone, adeò notoriè conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliquâ tergiuerſatione celari, neque alio ſuffragio excuſari: nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri iuxta Canonicas ſanctiones. Et meritò ſic intellectũ fuit, quia alioquin parũ fuiſſet ſubuentũ cõſcientijs timoratis fidelium (quibus potiſſimùm ſubuenire Concilia prædicta voluerant, vt etiam ex Conc. Baſilienſi patet loco cit.) ſi id de omnibus excommunicatis generaliter intelligeretur, cum ſemper dubitari potuiſſet, vtrum hi excommunicati cum quibus haberent communionem, non tam notoriè incidiſſent in excommunicationis ſententiam, vt nec celari, nec excuſai poſſet.

Hoc interim obſeruandum eſt, partes excipere poſſe contra cuiuſcumque notoriè excommunicati iudicium, vt conſtat ex cap. Exceptionem, de exceptionibus: quod locum habet etiamſi alibi non ſit publica: vt colligitur ex eodem cap. adiuncta gloſſa ad verbum Publicè.

57 Neque obſtat Conſtitutio Concilij Conſtantienſis, quia Extrauagans ad Euitanda vbi refertur, dicit expreſsè, non ſubleuari eiuſmodi Conſtitutione ipſos excommunicatos: itaque poteſt contra eos excipi, ſicuti prius. Hinc quoque in Concluſione eſt additum, quamuis ipſe iudicando peccet: quãdoquidem enim Concil. non intendat in aliquo ſubleuare aut quomodolibet ſuffragari excommunicatis, fit quod ingerendo ſe in communionem cum alijs fidelibus, ipſi peccent, ſicuti ante iſtam Conſtitutionem.

58 Poſteriorem partem de Iudice nominatim excommunicato & denuntiato ac de notorio percuſſore Clerici, quod horum acta iudicialia ſint inualida & nulla, docent DD. communiter omnes illi qui tenẽt concluſionem tertiam antè poſitam, & nititur hæc pars iiſdem argumentis, quibus illa concluſio, quia Concilium Conſtantienſe & Extrauag. ad Euitanda nihil ſpeciale de his conſtituerunt, ſed reliquerunt tales ſub iure antiquo, nihil moderando circa prohibitionẽ, qua iuxta antiquos Canones, debent à fidelibus vitari tum in humanis, tum in diuinis, quare neque eſt ratio, ob quam poſſint acta ipſorum plus efficaciæ aut validitatis dici nunc habere, quam antea.

59 Neque id locum habet tantummodo in iudicibus eccleſiaſticis, ſed etiam in ſecularibus, vt communis habet ſententia, & colligi poteſt ex cap. Exceptionem ſup. citato vbi additur in fine: Excõmunicatus autem publicè, & ſi huiuſmodi exceptio non opponitur, nihilominus eſt officio iudicis repellendus; vbi in genere eſt ſermo de cuiuſvis iudicis officio, quemadmodum in verbis prioribus de officio actoris & aduocati: idẽ deducitur ex cap. Nos ſanctorũ, & alijs Canonibus ad tertiam concluſionem allegatis.

Confirmatur, quia in magno Concilio Lateranenſi ſtatuitur id ipſum expreſsè aduerſus Conſules & rectores Ciuitatum & alios, qui Eccleſias, & Eccleſiaſticos viros tallijs ſeu collectis & exactionibus alijs grauare nituntur, quos primum excommunicat: deinde ſubijcit: Quia verò nec ſic quorundam malitia contra Dei Eccleſiam conquieuit, adijcimus vt conſtitutiones & ſententię quę à talibus vel de ipſorum mandato fuerint promulgatę, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore valituræ. Ex quibus patet, quod Canones etiam ad iudices ſeculares ſe extendant: quamuis autẽ iſta pœna, vt diximus, ſolet eſſe communis omnibus notoriè excommunicatis, tamẽ hic ſpecialiter in iſtis criminibus exprimitur tum, ad maiorem terrorẽ, tum quia hæc potiſſimùm habent locum in ſuperioribus & iudicibus.

Petes, Quid ſi aliquis vno in loco nominatim denuntiatus ſe alio transferat, ibique agat iudicem vbi eius excommunicatio eſt incognita, an eius ſententiæ & acta erunt inualida? 60

Reſpondetur negatiuè: Ita hic docet Salonius quæſt. 67. art. 1. controuerſ. 3. concluſ. 4. Mald. ſuprà, & alij plures. Ratio reddi poteſt, quia hoc in loco eſt cenſendus excommunicatus occultus & ab Eccleſia toleratus. Huc accedit quod communi opinione populi habeãtur pro iudice legitimo & non impedito, quia communiter apud omnes ibi ignoratur impedimentum: ergo eius ſententiæ & acta cenſeri debent rata & valida: iuxta dicta tum hoc dubio circa primam concluſionen, tum dubio præcedenti.

DVBIVM IX.

Vtrum iudex in peccato mortali exiſtens iudicando peccet per vſurpationem iudicij, vel alio modo?

Reſpondetur, Talem ſimpliciter nõ peccare iudicij vſurpatione, ſed neque alio modo ſi abſque ſcandalo & cum congrua humilitate animi iudicet alium. 61

Prior pars eſt contra principia Ioannis Hus hæretici qui docuit, quolibet peccato mortali amitti ſuperioritatem & iuriſdictionem,

tem: vnde conſequens eſſet, quod iudex in peccato mortali exiſtens iudicando peccaret vſurpatione iudicij, quia ſcilicet arrogaret ſibi vſum poteſtatis, quã non haberet, ſed ſicut antecedens eſt hæreticum, ita & concluſio omninò falſa. Quare nullo modo dubitandum eſt de validitate actorum talis iudicis.

Poſterior pars colligitur ex Diuo Tho. hîc quæſt.60. art.2. ad Tertium, vbi dicit, ſi peccata (videlicet iudicis aut ſuperioris) non ſint publica, ſed occulta (ita vt periculum ſcandali abſit) & neceſſitas iudicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate & timore vel arguere, vel iudicare, & docet ita expreſsè ibidem Arrag. Caiet. eodem loco & opuſculo de vſu ſpiritualium, Malderus ſuprà Dub. 10. Tann. tom. 3. diſp.4. q.4. dub.1. Soto lib.3. de Iuſt. q.4. art.2. quamuis hi dicant quod peccet ſaltem venialiter. Probatur autem primò, quia talis iudex facit opus ſaltem moraliter bonum, quando iuſtè iudicat, & non apponit vitioſam circumſtantiam: quod poteſt fieri etiam ab illo qui eſt in peccato mortali, ergo non apparet fundamentum dicendi, quod in tali actu peccet, non magis quàm ſi quis in peccato mortali exiſtens ex commiſeratione naturali elargiatur eleemoſinam indigenti. Probatur ſecundò, quia vſus Iuriſdictionis neque certam aliquam conſecrationem in ſubiecto ſupponit, neque ad eam per ſe ordinatur: alia eſt ratio exercitii Ordinis, ad quod peculiaris conſecratio & gratia diuina conceditur.

62 Obijcitur autem illud Chriſti apud Ioan. cap.8. *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illã lapidem mittat*, vbi videtur Dominus arguere eos qui cũ ſint peccatores, alios iudicant.

Reſpondetur, Scribæ & Phariſæi tanquã legis & iuſtitię zelatores magni adducebant mulierem adulterã ad Chriſtum ab eo condemnandam: redarguit itaque Chriſtus non iudices, ſed eos qui ſimulatè præ ſe ferunt zelum iuſtitiæ & diuinæ legis circa alios puniendos, qui tamen ipſi maximè ſolent iuſtitiam & leges in ſe ipſis negligere & pręuaricari, prout Scribę & Phariſęi communiter faciebant. Vt autem modeſtè oſtẽdat eos tales eſſe, & conſcientias eorum perſtringat, vt de ſeipſis quales ſint, cogitent, dixit: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Agitur itaque de illis qui quaſi odio peccati, & amore iuſtitiæ ingerunt ſe ad procurandam punitionem aliorum, & ipſi interim præcipui ſunt legum præuaricatores, eoſque Chriſtus redarguit: quo ſenſu dixit D. Auguſtinus in eum locum: procuretur puniri peccatrix, ſed non à peccatoribus, ſcilicet hoc procuretur: impleatur, id eſt, impleri ab alijs procuretur lex, ſed non à præuaricatoribus legis, quia indecens eſt propria non corrigere, & oculatius in aliena intendere & ſeuerius velle puniri præſertim per alios, dum ipſi non ſunt iudices.

DVBIVM X.

Vtrùm poßit iudex condemnare eum qui ſecundum iuris ordinem probatus eſt reus, vel iniquam habere cauſam quem ipſe certò nouit innocentem vel iuſtam cauſam ſuſtinere?

RESPONDEO & DICO primò, In 63 cauſis ciuilibus & criminalibus leuioribus ſiue illæ ſæculares, ſiue Eccleſiaſticæ fuerint, vbi iudex pro negotij qualitate conatus fuit cõuenienti modo & ratione promouere iuſtitiam, & tamen non potuit, licebit illi ſecundum allegata & probata ferre ſententiam etiam contra ſcientiam propriã; criminales autem leuiores cauſæ hic intelliguntur vbi neque de vita, neque de mutilatione agitur. Eſt communis penè doctrina omnium, Diui Tho. hîc quæſt. 67 art. 2. Caietani, Salonij ibidem, Toleti libro 5. cap. 56. Adriani Quodlibeto 6. art.3. Petri Naurrra de reſtitutione libro 2. cap.3. num. 152. Dominici Soto libro 3. quæſt. 4. art. 5. Malderi dub. 13. & aliorum contra Angelum verbo Iudicare, quæſt. 7. & vt apparet contra Panorm. in capitulum Paſtoralis de officio iudicis delegati, & Calderinum.

Probatur primò, Quia habet Reſpublica poteſtatem diſponendi de fortunis ſubditorum, quando neceſſitas aut iuſta ratio id poſtulat; atqui in hoc caſu videtur id poſtulare rationabilis cauſa, ne videl. ordo iuris cũ graui incommodo & multorum ſcandalo peruertatur: quã etiam poteſtate vtitur in præſcriptione, ne rerum dominia cum incommodo Reipublicæ maneant incerta, & ne lites nimium multiplicentur.

Secundò, Quia non videntur ſubditi id meritò poſſe indignius ferre, aut propterea conqueri de iniuria illata à iudice, cum viderint ſe non potuiſſe ab eo iuuari, licet omnem diligentiam pro iuſtitiæ promotione adhibuerit, neque verè par eſſe vt tunc pro ipſorum commodo, ſubeat ipſe grauiora incommoda, vt quod officium deponat potius, quam ſententiam iuxta allegata & probata ferat, debeant meritò intelligere.

Tertiò, Quia licet iudex iſta bona abiudicet, tamen recuperabilia ſunt, neque ita 64 per ſententiam priuat, vt propterea alij dominium amittant, vt docent Aragonius quæſt. 60. art. 5. in fine, Soto & Malder.

ſuprà

ſupra cum alijs: non enim Reſpublica aut Iudex intendunt plus deferre actis iudicij quàm neceſſarium eſt pro pace publicâ inter conciues & pro fine litium: ad hoc autem ſatis eſt, quod alteri pro quo ſtant probationes licet falſæ, (quod detegi tamen non poteſt) concedatur poſſeſſio, etſi dominus vlterius non priuetur iure ſuo. Vnde ſequitur quod occultis modis ipſi liceat ea recuperare, quando ſine periculo & ſcandalo id fieri poſſet. Hoc tamen reſtringunt DD. ad bona pecuniaria, neque enim in beneficijs, vel officijs locum habet; quando enim hæc abiudicantur alicui per ſententiam legitimo iuris ordine latam, verè amittit is tunc dominium illorum, vt de beneficijs docet Soto ſuprà & Panorm. in capitulum 1. De conceſſione præbendæ, Innocent. in capitulum Plerique de immunitate Eccleſiæ, & de vtriſque tam officijs, quàm beneficijs. Mald. ſuprà: Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 10. num. 84. cum alijs: eſt enim amborum eadem ratio: quia ſcilicet in huiuſmodi bona, plus poteſtatis habet reſpectiuè Eccleſia & Reſpublica, quàm in particularia bona priuatorum, quare de eiuſmodi publicis liberius poteſt diſponere: Itaq; quando publica vtilitas poſtulat quod eiuſmodi bonorum etiam dominium amittatur, tunc meritò Reſpublica vel Eccleſia exiſtimanda eſt ſic ſtatuere: & ſanè expedit tùm Eccleſiæ, tùm Reipublicæ iuriſdictiones nõ eſſe dubias aut miniſtros incertos, ex quo plures perturbationes natæ ſunt ſequi. Quare exutus beneficio, poſtquam ſententia abijt in rem iudicatam, non audietur pro eius tanquam beneficij ſui recuperatione. Obſeruandum tamen, etſi ille qui ſic per ſententiam dimittere debet beneficium, amittat eius dominium, alterum tamen non acquirere illud in caſu, quo fuerit iniuſtitiæ conſcius. Vnde poſſet alius illud de nouo impetrare tanquam vacans, modò poſſit declarare tunc aduerſarium abſque titulo poſſidere.

65 Ex dictis colligunt etiam DD. quod poſſit iudex ex allegatis & probatis ſententiam ferre contrà ſcientiã propriam, tametſi parti innocenti, nota infamiæ inuratur, vt docet Mald. ſuprà, & facile concedent omnes illi, qui admittunt iudicem poſſe condemnare aliquem mortis in tali caſu, quos mox referemus. Et ratio redditur, quia fama ſcilicet eſt inter bona quæ ſunt in hominis dominio.

Adde quod fama iudicis facilè periclitaretur, niſi ſecundum acta iudicaret, non eſt autem æquum, quod reus velit vitare infamiam cum infamia iudicis, qui pro ipſius innocentia ſaluanda fecit quod potuit, vt ſupponitur: & vt vellet, non tenebitur tamen iudex pro conſeruanda eius fama, prodigere ſuam non ſeruando ordinem officij ſui, præſertim cùm hoc ipſo quo alter probatus eſt obnoxius crimini habenti infamiam coniunctam, ita vt probationem non poſſit refellere, videatur iam poſſeſſionem hanc amiſiſſe.

Dico ſecundò, In cauſis criminalibus grauioribus vbi de vita agitur, aut de mutilatione, certum eſt teneri iudicem adhibere eo caſu omnem diligentiam & induſtriã ac omnes modos & vias tentare ad liberandum innocentem v.g. cogendo quantum eſt in ipſo, vt accuſator ſiue pars aduerſa deſiſtat, vt teſtes à falſo teſtimonio impediantur ſiue diſtinendo eos alibi, ſi commodè poſſit, ſiue eos deterrendo per obteſtationem diuini iudicij, & pœnas falſi teſtimonij, item quò falſitas detegatur, ſæpiùs & per interſticia eos examinando, an in depoſitione non varient, protrahendo iudicium, aperiendo carcerem ſi abſque grauiori ſuo incommodo & ſcandalo publico poſſit fieri: ſi verò his & ſimilibus modis non queat eum iuuare, debebit ſi iudex inferior ſit, remittere ad ſuperioren, & depoſita perſona iudicis in illa cauſa aſſumere officium teſtis apud iudicem ſuperiorem ſi ſpes ſit hac ratione liberandi quem nouit innocentem, vt indicat D. Tho. hîc quæſt. 64. art. 6. ad Tertium, & docet Caiet. quæſt. 67. art. 2. & in illis videntur ſatis conuenire Doctores omnes. 66

Sed difficultas magna eſt, quid iudici ſit agendum ſi non potuerit talibus medijs ac modis innocentem liberare, & pars aduerſa inſtet & vrgeat ad illius condemnationem. 67

Diui Thomæ quidem ſententia eſt quæſt. 67. art. 2. Iudicem tunc poſſe talem condemnare ſecundum allegata & probata, quẽ ſequuntur ibidem Salonius, Aragonius, & plures Thomiſtæ: gloſſa in Capitulum primum De officio Iudicis ordinarij Couarruuias lib. 1. variar. c. 1. n. 4. & Toletus ſuprà lib. 5. c. 56. & alij.

Fundamentum principale huius opinionis eſt, quia iudex non dicit ſententiam vt perſona priuata, ſed vt perſona publica: ergò in iudicando ſequi non debet ſcientiam priuatam, ſed publicam: eſtque hæc opinio probabilis ſaltem propter auctoritatem Doctiſſimorum virorum qui eam tenuerunt, & tenent.

Dico nihilominus Tertiò: Longè eſt verius, Iudicem nullo modo poſſe aliquem ex falſo teſtimonio condemnare mortis, quem ipſe certo nouerit innocentem, ſed potiùs debere officium dimittere, aliaque damna ſuſtinere, imò & mortem ſubire. Ita docent Lyranus, Summa Angelica, Adrianus, Pet. Nauarra, Mald. locis ſuprà citatis, Bonacina tom. 2. diſput. 10. quæſt. 2. puncto 2. Sa V. Iudex: Leſſ. lib. 2. c. 29. dub. 10. 68

Hoſtien.

Digitized by Google

Hoſtien. Calderinus, & Panorm. in Cap. Paſtorali, De officio Delegati, & alij, quos pro hac ſententia allegat Couar. ſuprà.

Probatur autem, Primò ex Scripturis: Exodi 22. *Inſontem & iuſtum non occides*, vbi per inſontem intelligit Lyranus eum qui per falſos teſtes fuerit probatus nocens, de cuius innocentia conſtat, & per iuſtum qui apud homines non eſt probatus aut conuictus nocens: quæ confirmari poſſunt ex adiunctis; præmittitur enim in principio capitis: *Non ſuſcipies vocem mendacij*; & ſtatim poſt, *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies: pauperis quoque non miſereberis in iudicio* & tum poſt aliqua ſubiungitur: *Inſontem & iuſtum non occides* quæ proinde diriguntur ad Iudices ſicuti priora, atque ita prædicta diſtinctio ſatis videtur fundata.

Probari poteſt ſecundò ex Canonibus: cap. Cùm æterni, De ſententia & re iudicata in 6. inhibet Innocentius IV. Iudicibus condemnare eum quem æterni tribunal Iudicis reum non habet; ac ſimul monet illius imitari exemplum qui querelas populi, ingreſſus tabernaculum, ad dominum referebat, vt ſecundum eius imperium iudicaret; Cap. Tunc vltrà, cauſa 11. quæſt. 3. dicitur, tunc vera eſt abſolutio præſidentis, cùm interni ſequitur arbitrium Iudicis, & Cap. Qui ſcandalizauerit, de regulis iuris, dicitur, vtiliùs ſcandalum permitti, quam veritatem deſeri: quæ omnia ſi vnquam dicenda ſint habere locum in iudicio humano, puta quod ad æterni tribunal Iudicis, & ad arbitrium iudicis interni, tum Dei, tum conſcientiæ oporteat iudicem hominem attendere, & ſcandalum permittere magis, quàm veritatem deſerere, profectò vel maximè locum habebunt in caſu concluſionis poſitæ.

Probatur tertiò ratione, quia humana auctoritate ſiue priuatâ ſiue publicâ, directè & ex propoſito occidere innocentem ſiue eum
69 ſic morti tradere eſt omninò intrinſecè malum; quemadmodum intrinſecè malum eſt cognoſcere fœminam non ſuam: ergò ſicuti non licet debitum reddere illi quam quis certò nouit non eſſe vxorem ſuam, etſi iuridicè probetur eſſe ipſius, adeò vt potiùs debeat humiliter ſuſtinere etiam excommunicationis ſententiam, vt habetur Capitulo Inquiſitioni tuæ, ita non poterit iudex quâuis authoritate humanâ damnare ad mortem, quem certò nouit eſſe innocentem: non obſtantibus quibuſcumque probationibus: quia non reddunt illum culpabilem à parte rei, nec faciunt eum dignum pœnâ mortis.

Confirmatur Primò, Quia ſi Iudex id licitè poſſet, deberet facultatem illam à Republica pro bono ipſius Reipublicæ accepiſſe; non potuit autem à Republica accepiſſe, vtpote quę ipſa talem non habet, vt vel ex eo conſtat, quod non poſſit innocentem directè & ex propoſito tradere morti, etſi ageretur certiſſimè de totali excidio Reipublicæ, vt Communis habet Doctrina, quod longè maius malum eſt, quàm quod in caſu aliquo ſuperſedeatur à iudicando. Ratio autem quare Reſpublica id non poſſit, eſt quia vita hominis eſt ſoli Deo ſubiecta, qui habet dominium vitæ & mortis in omnes.

Confirmatur Secundò, Quia idcircò leges & iura volunt iudicem ſequi ſcientiam publicam, & iudicare ſecundum allegata & probata, partim quia ſupponunt iudicem qui de tam multis debet iudicare, non poſſe moraliter habere aliam omnium ſcientiam conuenientem, partim etiam ne ſcientiæ priuatæ vel aliorum ſuggeſtioni extra iudicium plus ſatis tribuendo, à vero aberret in iudicio. Vnde etiam Reſpublica quãtum fauere poteſt, in tantum fauet & vult vt ſecundum publicam ſcientiam ius dicatur, quemadmodum conſtat ex dictis circa primam concluſionem; quando tamen euidens eſt, iudicium in cauſa ſanguinis fore iniuſtum, ſi iudex ſequatur allegata & probata, non exiſtimandum erit, tunc mentem aut intentionem legum eſſe, quod innocentem ad mortem condemnet: quia quæ pro defenſione innocentum ſunt inſtituta, non debent contra cognitam innocentiam militare, eamque opprimere: atque adeò foret illa intentio omninò iniqua, cùm legiſlator poteſtatem nullam habeat in vitam innocentis: accedente etiam eo, quod vita ſemel ablata reſtitui non poſſit, quantumuis poſtmodum publicè quoque de innocentia conſtet, quemadmodum alia bona quæ diximus iudicem poſſe ſecundum allegata & probata abiudicare illi ad quem ipſe priuatim nouerit verè pertinere.

Ad fundamentum itaque oppoſitæ ſententiæ Reſpondetur: Iudicem, vt perſo- 70
nam publicam iudicare, quia ex authoritate publica quam habet, quatenus gerit perſonam Dei, aut Reipublicæ, vnde & debet ſequi ſcientiam publicam, quando non conſtat illi ſcientiam illam eſſe iniquum errorem ac calumniam: imò etiamſi conſtet, modò iudicium non verſetur in materia, cuius apud Rempublicam non eſt diſpoſitio, qualem diximus eſſe vitam innocentis; vnde in hâc non debet nec poteſt. Eodem itaque limitato ſenſu accipienda erunt quædam dicta Canonum, & legum, vt quæ habentur Cap. Quamuis 11. quæſt. 3. & l. Illicitas §. 2. D. de officio Præſidis.

Objicitur autem primò, Deuteronomij 71
17. dicitur expreſsè: *In ore duorum vel trium peribit qui interficietur*; & Matthæi 18. *In ore duorum*

duorum vel trium ſtabit omne verbum: Ergò videtur quod Iudex debeat condemnare eum qui per duos vel per tres teſtes fuerit probatus nocens & reus.

Repondetur Negando Conſequentiam: Quid enim Scriptura Deuteronomij 17. mãdet, planè conſtat ex eo quod ſubiungitur, nimirum: *Nemo occidatur vno contra ſe dicente teſtimonium*, vult igitur Scriptura ad condemnationem non ſufficere ſcientiam Iudicis, neque vnius teſtis depoſitionem; ſed in re tanti momenti, quando de contrario non conſtat, etiam opus eſſe teſtimonio duorum aut trium. Idem eſt ſenſus verborum Chriſti, vt ſignificat Alexander III. Capitulo Licet, de teſtibus: vbi ait, Mandamus quatenus non minus duorum, vel trium virorum qui ſint probatæ vitæ, & fidelis conuerſationis teſtimonium admittatis, iuxta illud dominicum: *In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*: quia (inquit) licet quædam ſint cauſæ quæ plures quàm duos exigant teſtes, nulla tamen eſt cauſa, quæ vnius teſtimonio, quamuis legitimo, terminetur.

72 Objicitur Secundò: Videtur doctrina hęc magnam præbere occaſionem, vt Iudices pecunijs corrumpantur, ne malefactores & mortis reos puniant ſub prætextu, quod priuatim nouerint eos eſſe innocentes: quod cedet in magnum malum Reipublicæ.

Reſpondetur: Antea iam diximus, Rempublicam neque pro paruo, neque pro magno malo ſuo vitando, poſſe directè & ex propoſito occidere aut morti tradere innocentem, & proinde quicquid de illo incommodo ſit, non tamen Rempublicam dare poſſe iudici poteſtatem, vt quem certò nouit innocentem, condemnet mortis, ad illud vel etiam maius malum Reipublicę vitandũ.

Addo, rariſſimè & vix vnquam futurum,
73 quod volet Iudex ſubire pericula & incommoda ſibi impendentia, ſi verè criminoſum, & qui iuridicè talis eſt probatus, ſub illo prætextu quod noſſet illum innocentem, liberaret vel liberari curaret: quæ ſunt eo maiora, quia tunc ſimul agitur de honore accuſatoris, & teſtium qui ſe contra iudicem ſtudebunt defendere, vnde Iudici ſatis graue fuerit etiam non condemnare quem certò nouit verè innocentem, quando ſecundum iuris ordinem eſt conuictus: quare non magnopere metuendum eſt, vt apparet de illo incommodo Reipublicæ quod prætenditur.

Accedit melius eſſe decem nocentes abſolui, vt communiter dicitur, quàm vnum innocentẽ condemnari. Deniq; huc accedit, quod non poſſit Iudex iudicialiter talem abſoluere, quamuis teneatur non condemnare: ſed poſſit eũ in carcere detinere, idq; dumtaxat, donec offert ſe occaſio ſine ſtrepitu dimittendi, aut certè remittere ad Superiorem, vt dictum fuit: quæ ſunt ipſi Iudici ſatis grauia, & proinde prȩſumendum, quod Reip. inde nullum aut exiguum immineat periculum aut incommodum.

DVBIVM XI.

Vtrùm poßit Iudex condemnare reum ex priuata ſcientia, aut ſi teſtiũ depoſitiones audierit, poßit eum condemnare non auditum, nec citatum?

RESPONDEO & DICO Primò: Iudex inferior neutrum iſtorum poteſt facere. Eſt communis & certa hæc cõcluſio. 74

Ratio eſt euidens, quia conſtat non poſſe inferiorem Iudicem diſpenſare in legibus quæ iuris ordinem præſcribunt? quarum inprimis duæ præcipuæ ſunt: Vna, vt nemo condemnetur ſine teſtibus, iuxta illud Deuteronomij ſuprà allegatum: *In ore duorum vel trium* &c.

Altera autem, vt nemo condemnetur inauditus; imò nec in alijs minoris momenti iuribus diſpenſare poteſt, etſi conſtet quod merè ſint iuris poſitiui, v. g. vt accuſatio fiat in ſcriptis, vt detur terminus reo ad reſpondendum: non enim poteſt inferior diſpenſare in legibus ſuperioris.

DICO Secundò, Ne ſupremus quidem Iudex poteſt condemnare reum aliquem ex ſola ſua ſcientia priuata. Videtur eſſe contra Couar. & alios nonnullos, ſed ita docent Caiet. Verbo homicidium. Nauarrus cap. 25. n. 9. Soto libro 5. quæſt. 1. art. 3. Arragonius quæſt. 67. art. 2. Pet. Nauarra libro 2. cap. 3. n. 197. Sylueſt. Verbo Iudex 1. quæſt 5. & indicat D. Tho. quæſt. 67. art. 3. ad 3. vbi dicit eundem hominem non poſſe ſimul eſſe Iudicem, accuſatorem, & teſtem, licet hoc Deo conueniat. 75

Probatur Primò, Quia ſecreta ſeu occulta, quæ per teſtes non poſſunt probari, ſubſtrahunt Canones paſſim à foro humano, & ſignificãt ſoli Deo cõpetere de talibus iudiciũ Cap. Conſuluiſti. 2. qu. 4. C. Erubeſcant D. 32. C. Tua nos de Symonia, ergo &c.

Probatur Secundò, Quia Iudex ſicuti ex poteſtate publicâ, ita ex ſcientiâ publica (ſi iudicare velit) iudicare tenetur; actus enim publicus debet à poteſtate, voluntate, & notitia publica tanquam cauſa & menſura ſibi commenſurata procedere, vt tradit Caiet. ſuprà.

Probatur Tertiò, Quia princeps etiam ſupremus non habet ampliorem poteſtatem, 76

quàm

quàm Reſpublica in illum tranſtulit: omnis enim poteſtas principis ſæcularis eſt à Republica: atqui nuſquam gentium dedit Reſpublica poteſtatem tam amplam principi, vt pro ſua priuata cognitione quam aſſerit ſe habere, poſſit vel probatos reos iuridicè abſoluere, tanquam innocentes, quamuis alijs modis poſſit & debeat conſulere vitæ innocentis, vt impediendo progreſſum iudicij, aut ſimili ratione, & ſic quaſi auctoritate priuatâ defendere magis, quàm abſoluere innocentem, vt antè dictum fuit: & multò minùs, vt poſſit alios non probatos reos (præſertim quorum crimen ne quidem probari poteſt) damnare tanquam nocentes, quare in illa lege quæ vetat aliquem damnari ſine duobus aut tribus teſtibus, non poteſt etiam ſupremus princeps diſpenſare; in quo tamen Couar. lib. 1. variarum cap. 1. n. 7. opinionem ſuam videtur principaliter fundare; quicquid interim ſit de illa quæſtione, Vtrùm lex hæc ſit non tantum iuris poſitiui, ſed etiã naturalis, ita vt eo nomine quidẽ Reſpublica tota poſſit principi tribuere eiuſmodi poteſtatem, vti docet Arrag. & verius apparet, ſaltem in cauſa capitis non poteſt, vt tradit Malderus Tract. 6. cap. 1. dub. 14. in aſſertione 7. quia ius Reipublicæ attributum ad tollendos ſontes ſiue malefactores è medio, videtur ab auctore naturæ cũ hac limitatione conceſſum, vt non poſſit illud niſi ad teſtimonium duorum aut trium exercere: & ſanè contrarium videtur multũ tendere ad tyrannidem, & maximam præbere licentiam graſſandi in vitas ſingulorũ, pro libidine eius qui Reipub. nomine præeſt.

77 Dicet aliquis: Scientia principis videtur æquiualere ſcientiæ publicæ, plus enim eſt tribuendum teſtimonio eius, quàm depoſitioni duorum vel trium priuatorum teſtiũ; ergò &c.

Reſpondetur, & ſi in multis alijs affirmatio principis poſſit æquiualere, ac etiam ſecundum iuris diſpoſitionem æquiualeat, vt in teſtamentis, & quibuſdam ſimilibus, tamen in ordine ad condemnandum aliquem ad mortem non ęquiualere propter rationes allegatas: habuit enim naturæ auctor prætioſiorem vitam hominis, quàm vt etiam ſub nomine culpę exponeretur exitio ad dictionem vnius.

78 Dico Tertiò: Quando non agitur de puniendo crimine, ſed de auertendo malo Reipublicæ, tunc poterit princeps ex priuata ſcientia, quando alia ratio auertendi mali non ſuppetit, iubere mali machinatorem è medio tolli. Arrag. & Mald. ſuprà cum alijs.

Ratio eſt, quia hic non agit princeps tanquam iudex damnans aut puniens, ſed tanquam fidus defenſor bonorum Reipublicæ & ſuorum, quemadmodum & priuatus aliquis, ſi obſeruet aliquem machinari malum Reipublicæ, nec poſſit illud impedire aut auertere niſi machinatorem ex tempore è medio tollat, poterit pro defenſione Reipublicæ, alium occidere.

Dico Quartò: Princeps quantumcumque ſit certus de crimine ac etiam deſuper teſtes audierit, non poteſt tamen ordinariè condemnare reum, niſi ipſe ſit citatus & auditus: ita tenent communiter Doctores. 79

Ratio autem eſt, quia aliter procedere ad condemnationem eſſet reo auferre media quibus iure ſe poteſt defendere quantum in ipſo eſt, puta negando ſeu celando crimen ſermone ambiguo, ſi exiſtimet eſſe occultum vel certè excuſando eo modo quo poterit, vnde quaſi iure gentiũ id ſemper & vbique videtur fuiſſe ſeruatum, & tanquam neceſſariò faciendum ab omnibus intellectum.

Hinc Feſtus Iudex Actorum 25. reſpondet Iudæis, *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores*, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, & idem apud Iudæos obtinuiſſe indicant illa verba Nicodemi Ioannis cap. 7. *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* quod etiam Schytis fuiſſe in more ſignificatur 2. Machab. cap. 4. & in Clementina Paſtoralis ſubfinem dicitur: de crimine graui delato, facultas defenſionis quæ à iure naturæ prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt: vbi tamen videtur Canon confundere ius naturale, & ius gentium prout ſatis frequenter leges & capitula confundere hæc duo ſolent.

Dixi, Ordinariè, quia quibuſdam in caſibus poterit iudex ſupremus hanc formam prætermittere: vt inprimis, ſi propter potentiam & magnas vires ipſius rei, vel aliam ob cauſam non poſſent teſtes publicè produci ſine euidenti periculo Reipublicę & magnis incommodis: tunc enim auditis priuatim teſtibus poterit iudex ad condemnationem procedere, ita Syluest. V. Homicidiũ 1. q. 3. Pet. Nauarra ſup. nu. 191. & 192. Arrag. hic q. 67. art. 2. Mald. ſup. dub. 14. & Nauarrus cap. 25. n. 10. qui rectè addit, quod debeat tunc iudex pro parte abſente curare cauſam diſcuti & allegari ac probari quæ pro eius defenſione poſſunt facere aut videri facere.

Similiter facere poterit, quando contrarium non tam agitur pro vindicta alicuius criminis, quàm vt impediatur periculum quod per ipſum imminet Reipublicæ aut innocentibus, ſi abſque incommodis grauioribus non poſſit vocari ad iudicium, vt modo diximus. 80

Tertiò, Si reus etiam citatus cognoſcatur non compariturus, vt habet Mald. ſup. dub. 14. quod magis locum habet ſi citatus fuerit & non compareat. Denique ſi coram idoneis

Digitized by Google

teſtibus ab ipſo iudice in flagrāti crimine ſit deprehenſus, vel crimē aliàs omninò ſit notorium & publicum, ex ipſo autem proceſſu iudiciali, vel longiori mora timeantur grauiora mala. Ita Nauar. Arrag. ſup. Caiet. V. Homicidiū, & alij. Ratio eſt, quia tunc reus non poteſt ſe iure defendere in iudicio, negando factum vel alia via licita, & ſic non admitur ei iuſta aliqua defenſio.

DVBIVM XII.

Quot modis Iudex procedat iuridicè aduerſus crimina & criminoſos?

81 OBſeruandum eſt, duplicē communiter diſtingui actionem ſiue proceſſum aut iudicium, ſcilicet ciuile, & criminale: varias autē eſſe DD. opiniones, quę actio, quodve iudicium ſit ciuile & quod criminale, vt refert Iul. Clarus lib. 5. §. practica criminalis q. 1. inter quas videtur hæc ſolidior & magis communiter recepta, quam ponit Gloſſa ad l. 3. ff. De ſepulchro violato, quod ſcilicet iudicium ſit ciuile, quando agitur tantum ad commodum priuatum ſiue actio deſcendat ex delicto, ſiue ex contractu: Illud autem criminale, in quo agitur ex delicto pro bono communi ſeu publico ad pœnam, ſiue ſit imponenda pœna corporalis ad publicam vindictam, ſiue ſit ponenda pœna ſeu mulcta pecuniaria applicanda fiſco. Hac occaſione notat Clarus ibidē duo eſſe genera delictorum: Vnum, per quod offenditur publica iuſtitia ſine iniuria alicuius particularis tertij, prout eſt hæreſis, beſtialitas, ſymonia. Alterū per quod non tantum offenditur publica iuſtitia, ſed etiā læditur ius tertij, prout eſt homicidium, incendium, furtum, & ſimilia: & hinc ex primo genere, vna tantum actio oritur, quæ eſt ad vindictam ob læſam publicam iuſtitiam: Ex ſecundo autem duplex oritur: vna quæ tendit ad publicam iuſtitiam tuendam: alia quæ tendit ad reſarciendum damnum, ſiue reparandum ius alterius: & poteſt offenſus tunc proponere vtramque actionem, vel etiam vnam tantum: quod ſi agat tantum ad reparationem ſui damni, erit actio merè ciuilis, vt omnes docent: ſi autē agatur ad publicam vindictam, vel pœnam applicandam fiſco, tunc plerique dicunt eſſe iudicium mixtum: vt teſtatur Boſſem. tit. De appellationibus n. 8. His præmiſſis

82 Reſpondetur: Tres modi communiter aſſignari ſolent, tum à Theologis, tum à Iuriſperitis, quibus legitimè iudex procedat aduerſus crimina, ſcilicet viā accuſationis, viā denuntiationis, & viā inquiſitionis: &

Colligitur ex Cap. Qualiter: 2. de accuſationibus. Proceditur autem accuſationis via quando aliquis eſt actor, ſiue pars offenſa, ſiue alius ad quem id iure ſpectare poteſt, qui crimen obijcit apud iudicē, & ſpondet ſe obiectum crimen probaturum: denuntiationis viā proceditur, quando aliquis crimen ad iudicem detulit qui tamen non vult ſuſcipere onus probandi: vnde patet quodnam ſit diſcrimen inter accuſatorem & denuntiatorem. Eſt autem duplex denuntiationis genus: Vnum eſt denuntiationis extraiudicialis, quę etiā dicitur Euangelica, & tendit tantum ad emendationē proximi, vt quando delictum aperitur ſuperiori tanquā patri, vt emendetur, & caueatur, ne iteretur: alterum eſt denuntiationis iudicialis, & ſpectat vel punitionem criminis propter bonum commune, aut tendit ad crimen impediendum & ad mala auertenda, & hæc fit ſuperiori tamquam iudici. Viā denique inquiſitionis proceditur propriè, quando iudex ex officio ad nullius accuſationem aut quærelam vel denuntiationem procedit ad purgandam prouinciam à malefactoribus, aut ad inueſtigandum alicuius criminis auctorem, vel ad reformandum quemuis locum ſuæ iuriſdictioni ſubiectum.

Prædictis autem tribus modis addunt aliqui modos procedendi per exceptionē, per notoriū, & per deprehenſionem in flagranti crimine, vt Iul. Clarus Sententiarum lib. 5. §. practica criminalis, q. 3. refert. Verùm ipſe quia multiplices illæ diſtinctiones potius intricent & obſcurent rem, quàm explicent, ſic vt ex omnium dictis vix poſſit haberi vna reſolutio, quę vel ad Regulas Iuris communis, vel ad communem practicam rectè poſſit accommodari (inquit) ideò dicit ipſe, quod in cauſis criminalibus, procedat iudex duobus modis, videlicet, vel ex officio, vel ad inſtantiam partis: neque alium dicit ſe inuenire modum ſiue in Iure Ciuili aut Canonico, ſiue in practica quæ ex conſuetudine cōmuniter obſeruatur. Ex officio autem tunc procedit iudex quando à ſeipſo, ratione officij aſſumit informationes, contra delinquentes, & contra eos procedit: ad inſtantiam partis verò procedit quando pars offenſa vel alius cui id de iure competit, alterum accuſat & accuſationem probare ſpondet, & iudex eā admiſsā ſecundum eius probationes procedit. Vide plura apud Iulium Clarum loco ſuprà citato. 83

Vbi rectè monet, procedere per viam inquiſitionis nō dicere formaliter tranſmiſſionem inquiſitionis ſiue libelli contra reum formati, ſed ſecundū communem loquendi modum & iuris etiam diſpoſitionem ſignificare primum actum iudicis, quo mediante iudex per viam officij incipit velle procedere contra aliquem & ſic rectè loquendo inquirere contra aliquem non eſt eum citare, aut libellum formatū mittere, ſed eſt vocare, & audire teſtes & informationes capere. 84

Sed

Sed dices, iudex numquam poteſt aliquem condemnare abſque accuſatore, vt tradit D. Th. q. 67. art. 3. ex S. Ambr. ergo apparet quod vnicus ſit modus quo iuridice poſſit iudex procedere, nimirum via accuſationis.

Reſpondetur, Iudicem non poſſe condemnare abſq; accuſatore: quod intelligunt DD. de accuſatore formali aut virtuali, id eſt de aliquo quod ſuppleat vices accuſatoris; ſupplent autem has vices, præcedens infamia, euidentia facti, aut iuridica denuntiatio de quibus videre licet Caiet. art. 3. ad citatam quæſtionem D. Thomæ.

85 Obſeruandum autem, quod ex prædictis duobus procedendi modis, iuxta ius commune, ordinarius ſit quo proceditur ad inſtantiam ſeu querelam partis: quo autem procedit iudex ex officio, habeatur extraordinarius, vt tradit Innocent. in Cap. Cum oporteat De accuſ. quem ſequuntur DD. communiter, vt refert Diaz Reg. 336. Fundamentum diuerſitatis eſt, quia de iure communi regulariter, quilibet admittitur ad accuſandum, & ideo iſte modus dicitur ordinarius: non poteſt autem de iure communi iudex regulariter procedere ex officio contra delinquentes per inquiſitionem, vt tradit Gloſſa ad l. 2. §. ſi publico in V. ſine accuſatore D. De adult. quam DD. communiter ſequuntur, & propterea dicitur modus extraordinarius. Ex quibus ſequitur notabilis effectus, quia cum iuxta communes iuris regulas, remedium ordinarium faciat ceſſare extraordinarium, ſiebat, quod pars volens accuſare, eſſet præferenda iudici inquirenti. An verò accuſatio ſuperueniens faciat ceſſare inquiſitionē cœptam, diſputant Iureconſulti, & fere reſpondent cum diſtinctione, quam ex Saliceto refert Clarus loco cit. n. 5. quod ſcilicet accuſator aut ſuperueniat ante receptas probationes, aut poſt; priori caſu aut poteſt imputari negligentia accuſatori quod permiſerit ſe præueniri, & ſi ita, tunc non ceſſat inquiſitio, ſed accuſator repellitur, vel non poteſt negligentia imputari, & tunc ſi proſequatur ſuam vel ſuorum iniuriam, auditur, & ceſſat inquiſitio: ſecus ſi nec ſuam nec ſuorum iniuriam proſequatur. Poſteriori autē caſu, quando ſcilicet accuſator ſuperuenit poſt receptas probationes, tunc vel delictum eſt probatum, & repellitur accuſator, aut non eſt probatum, & tunc admittitur.

Dixi diſcrimen illud de ordinario & extraordinario habere locū de iure communi: quia hiſce temporibus ex conſuetudine paſſim recepta, quæ iuri communi cenſetur derogaſſe, non tantum iudices Eccleſiaſtici, ſed etiam ſeculares procedunt regulariter ex officio & per inquiſitionem, vt teſtatur Clarus ſupra poſt multos alios n. 6. & ita practicari in Regno Caſtellæ tradit ex Ant. Gomez. cap. 1. Delictorum n. 49. & ex alijs, in Francia & Flandria. Quare hac conſuetudine attenta, modus procedendi ex officio, & per inquiſitionem tam cenſendus eſt ordinarius, quàm per inſtantiam aut querelam accuſatoris. Hinc itaque inferunt Iureconſulti quod licet de iure communi loquendo, accuſatio & inquiſitio non poſſint ſimul cumulari teſte Rom. in l. edita poſt nu. 138. C. de edendo, nihilominus attenta hac generali conſuetudine, vnum non faciat aliud ceſſare, ſed poſſint ſimul concurrere in principio, medio, & fine totius iudicij criminalis.

DVBIVM XIII.

Vtrùm quando procedit Iudex viâ inquiſitionis generalis debeat præcedere infamia perſonæ aut fama delicti?

OBſeruandum eſt, Triplicem communiter diſtingui inquiſitionem, ſcilicet generalem, ſpecialem, & mixtam. Nomine autem inquiſitionis hic ſignificatur informatio illa, quæ ante iudicium capitur auctoritate iudicis, qui videlicet ſit iudex vel perſonæ in quam inquiritur, vel loci in quo delictum eſt admiſſum: nam alius qui iudex non eſt, nec iudicis habet poteſtatem, non eſt qualificatus ad inquiſitionem inſtituendam: in ipſo autem inſtrumento inquiſitionis exprimi debent per quem facta ſit, quādo quo loco, cuius iuſſu, item ætates, iuramenta, nomina, cognomina, qualitates & domicilia teſtium & ſimiles circumſtantiæ, vt videre eſt apud Syl. Verbo inquiſitio 1. qu. 5. *Inquiſitio itaque generalis eſt, qua in genere inquiritur ſuper ſtatu prouinciæ vel oppidi aut alterius loci ſiue communitatis,* vt intelligitur ex Cap. Sicut olim De accuſationibus, & cap. 1. de officio iudicis ordinarij: hac autem vtuntur Prælati & Superiores in viſitatione prouinciæ & locorum ſibi ſubiectorum. *Specialis eſt, qua quæritur de certa perſona, & de certo crimine,* vt an Petrus commiſerit ſymoniam, an commiſerit homicidium &c. 86

Notat autem Nauarrus in Cap. Inter verba, cauſa 11. quæſt. 3. concluſione 6. n. 248. ad ſpecialem inquiſitionem non ſemper requiri expreſſionem perſonæ per nomen proprium; ſed etiam huiuſmodi dicendam eſſe ſpecialem, ſi iudex inquirat vtrum aliquis ex filijs Petri, v. g. quos plures habet, fecerit iſtud homicidium? Inquiſitio mixta denique eſt, quando vel de ſpeciali crimine tantum quæritur, aut in ſpecialem aliquam perſona tantum inquiritur, vt ſi quæratur quis commiſerit tale homicidium illo in loco & tempore perpetratum, vel ſi quæratur vtrum

Petrus ſit obnoxius grauioribus delictis? dico grauioribus, quia ſuper leuioribus non ſolet propriè dicta inquiſitio inſtitui. His præmiſſis

87 Respondeo & Dico Primò: Vt Iudex vel ſuperior inſtituat inquiſitionem omninò generalem, non eſt neceſſarium, quòd aliqua infamia perſonarum, vel fama delicti præceſſerit, quin etiam teneantur Prælati talem inquiſitionem ſuo tempore facere. Ita communiter DD. Molin. tom. 4. tract. 3. diſp. 47. Nauar. c. 18. n. 38. Soto lib. 5. qu. 6. art. 2. Bonac. tom. 2. diſp. 10. q. 2. puncto 5. nu. 7. cum alijs quos citat.

Probatur ex Capitulis ſup. citatis, & Cap. Cum venerabilis de cenſibus, Cap. Romana eodem titulo in 6. vbi dicitur, propoſito verbo Dei quærat de vita & conuerſatione miniſtrantium in Eccleſijs, item ex Capit. Placuit, cauſa 11. qu. 1. vbi etiam & forma generalis viſitationis deſcribitur.

Ratio autem eſt, quia talis inquiſitio videtur neceſſaria ad expurgandam cōmunitatem, & ad bonos mores conſeruandos ac ad malos reformandos: & dum de nullo inquiritur in particulari, nemo poteſt de iniuria conqueri.

88 Dico Secundò: In hac tamen inquiſitione, ſubditi interrogati nō debent manifeſtare criminoſos occultos, qui nulla infamia talis criminis laborant. Ita docet D. Th. hic q. 69. art. 2. ibidem Caiet. Dom. Soto. de tegendo ſecreto, membr. 2. q. 6. Nauar. in Cap. Inter verba ſup. citatum concluſ. 6. Clauis Regia lib. 12. c. 10. n. 13. & c. 11. n. 18. Azor. 3. p. lib. 13. c. 26. & alij communiter. Colligitur ex Capitulo Qualiter & Quando, de accuſationibus.

Ratio eſt: quia de quibus non eſt quis infamatus, cenſentur iuridicè occulta, quando viâ inquiſitionis proceditur, vt patet ex Capitulo citato: Vnde iudicis poteſtas ad ea ſe non extendit. Quo fit, vt etiamſi quis ſub iuramento ſit interrogatus de crimine alicuius de quo non eſt infamatus, non teneatur ad mentem iudicis reſpondere, vt communiter DD. omnes tradunt: quin imò debet ipſe inquirens monere rudiores interrogatos, præſertim quando ſub iuramento interrogantur, quod non debeant occulta patefacere, de quibus ipſe inquirendi non habet poteſtatem, vt colligi poteſt ex Cap. Qualiter & Quando ſup. citato, vbi in forma exigendi iuramenti expreſſè excipiuntur peccata occulta. Neque exiſtimo, quod aliquis contradiceret in hoc caſu generaliſſimę inquiſitionis, quando neque delictum aliquod eſt notorium, nec quiſquā laborat infamia veluti criminoſus: quia tunc non eſt periculum quod inquiſitor ſiue Iudex id faciendo, redderet ſe ſuſpectum corruptelæ vel fauoris in criminoſum, quandoquidem de nullo criminoſo, nec de aliquo crimine cōmiſſo [illegible] ſtet: & ita docet Pet. Nauarra lib. 2. c. [illegible] n. 174. Mald. Tract. 6. c. 1. dub. 18. & alij.

Petes Vtrùm ſi quis in huiuſmodi inquiſitione patefaceret ſuperiori criminoſum occultum, an talis peccaret contra iuſtitiam?

Reſpondeo Primò: Probabile eſt, quod non peccaret contra iuſtitiā, quando crimen in iudicio legitimè poſſet probare, etiamſi alter infamia illius criminis non laboraret. Ratio eſt, quia eo euentu quilibet videtur ius habere accuſandi aut denunciandi. Expedit enim publico bono, quod omnes [illegible] habeant poteſtatem, vt malefactores [illegible] cohibeantur: & delicta impediantur, [illegible] potiſſimùm generalis inquiſitio reſp[illegible] dirigitur.

Reſpondeo Secundò: Peccaret tamen contra charitatem, ſi talē patefaceret, quando non præceſſit infamia, in ordine ad ſolam eius punitionem, non ad cautelam vel emendationem eius. Ita docet Mald. Tract. 6. cap. 1. dub. 18. & à pluribus ita tenetur.

Excipiendum tamen cenſeo illum, cuius officio publico incumberet deferre vel agere contra criminoſos, quorū delicta poſſunt iuridicè probari: neque enim videtur dubitandum quin Reſpublica poſſit tales conſtituere, quod & communis praxis in [illegible] perſuadet, de qua teſtatur Clarus ſup. [illegible] & ratio videtur poſtulare, ne crimina [illegible] quantur impunita cum periculo [illegible] Reipublicæ, cum alioquin malefactores facilè inualeſcerēt ſperantes ſemper forē clam ſua delicta, neque ad cognitionem iudicum peruentura: ſi autem Reſpublica poſſit [illegible] conſtituere, non erit ratio, quare dicendi ſint hi peccare cōtra charitatem, exequendo officium ſuū, præſertim cū & conſtituentes & conſtituti præ oculis potiſſimum habeant conſeruationem tranquillitatis Reipub. [illegible] gis, quam pœnas.

Quando autem delictum eſſet ita occultum, vt non tantum non præceſſerit infamia, ſed nec per teſtes aut aliter [illegible] poſſit probari, tunc patefaciens etiam peccaret contra iuſtitiam, quia nullum [illegible] imò nec rationem patefaciendi in ordine ad punitionem: quia cum non poſſit [illegible] non poterit quoq; puniri, & proinde [illegible] manifeſtatione non poteſt ſequi, [illegible] proximi. Ita Leſſ. lib. 2. c. 29. dub. [illegible] derus dub. 18. & alij.

Excipiendus tamen eſt primò, ille qui patefaceret ſuperiori in ordine ad emendationem proximi priuatim procurandam, [illegible] quam exiſtimat eſſe neceſſarium, quod ſuperior informetur de vita eius. Deinde [illegible] ille qui id faceret ad impediendum [illegible] tenerum malum imminens [illegible] proximo, quod aliter auertere aut impedire non poteſt. Ita Bonac. ſup. n. 9. & 10.

Petes Secundò: Si quis generaliter ab inquiſitore interrogatus per imprudentiam detexiſſet crimen alterius quod quidem in iudicio probari poteſt, ſed cuius non laborabit alter infamia, vtrùm iudex poſſit inde procedere ad inſtituendam inquiſitionem ſpecialem contra criminoſum ſic patefactū.

Reſpondetur poſſe procedere, iuxta doctrinam Nauarri ad Cap. Inter verba, concluſione 6. nu. 250. & 281. quam ipſe dicit eſſe communem, vt refert Mald. ſuprà, & tenet D. Antoninus 3. parte tit. 9. cap. 7. §. 1. Leſſius dub. 16. n. 116.

Ratio reddi poteſt, quia iudici licet benè vti crimine vel peccato alterius, ad bonum publicum, ad quod ſpectat vt delicta puniantur.

Excipiendus tamen hic eſt caſus inprimis quo cognitio criminis habuiſſet quomodolibet ortum ex confeſſione ſacramentali, ne in odium deducatur Sacramentum pœnitentiæ, vt docet Dom. Soto de tegendo ſecreto membro 3. q. 1. concluſione vltima. Deinde caſus ille quo per iniuriam vel ſuam culpam iudex ſit cooperatus iſti inordinatæ reuelationi, vt habet Soto ibidem, & cum illo docet Mald. ſup. Notat etiam Nauarrus loco citato, quando iuramentum quod inquiſitor ab eo quē interrogat, exigit, apertè reſtringitur ad dicenda publica, de quibus ſit fama vel rumor, conſultum eſſe, vt tunc inquiſitor diſſimulet, quæ de occultis per imprudentiam reuelantur. Addit denique Soto ſup. membro 1. q. 6. concluſione 3. nec tunc poſſe procedere, quando contra non infamatum procedendo læderet ius naturæ: quod certiſſimum eſt, vt, v. g. ſi obſeruaret crimen nō poſſe iuridicè probari, quia tunc vlterior inquiſitio ſpecialis, tantum tenderet ad infamiam proximi abſque bono publico, quod eſt contra ius naturæ.

DVBIVM XIV.

Vtrùm quando delictum eſt publicum, ſed omnino ignoratur auctor, poſsit Iudex inquirere quiſnam fecerit?

CAiet. hic qu. 69. ad art. 1. & 2. Soto de ſecreto tegendo membro 2. q. 6. & alij nonnulli exiſtimant id iudici licitū nō eſſe, ſed contraria ſententia eſt verior pro quâ

DICO Primò: Iudex tunc poteſt in genere quærere, quis tale crimen commiſerit, non tamen de aliqua perſona in particulari, v. g. an Petrus fecerit, vel an Paulus fecerit, niſi de aliquo in paticulari paſſim rumor eſſet ſparſus, quaſi ille eſſet auctor. Ita Syl. V. Correptio n. 6. Nauar. ſup. ad C. Inter verba concl. 6. & in manuali cap. 18. n. 14. Angelus Verbo Denuntiatio §. vlt. Aragon. qu. 69. art. 1. & 2. Mald. dub. 21. Bonac. ſup. n. 14. Molina to. 3. tract. 3. diſp. 47. & paſſim alij.

Probari autem poteſt, quia niſi tales inquiſitiones fierent, nata eſſent ſequi grauia incommoda in Republica, vt inprimis quod populus valde offenderetur videns iudices non inquirere in auctores criminum, quæ publicè conſtarent, atque adeò non ſine periculo perturbationis, Reſp. apprehenderet Iudicem vel Magiſtratum fauere vel velle fouere maleficia in Republica. Deinde contingeret, quod ſpe impunitatis ſceleratiores homines inualeſcerent; nec quiſquā bonus penè futurus eſſet tutus, quandoquidem etiam quæ paſſim nota ſunt, vix deferantur, niſi deſuper inquiſitio fiat à ſuperioribus. Vnde communiter omnes præter malefactores, ſic fieri deſiderant: & obſeruatur in communi [illegible], tum Eccleſiaſticorum, tum [illegible], vt teſtatur Innocentius ad Cap. [illegible]: de electionibus: Item nota, inquit, quod ſic [illegible] mundus quod contingente maleficio [illegible] ſtatim inquirit iudex generaliter, [illegible] certam perſonam &c. Idem docet [illegible].

Opponunt autem alij quoſdam Canones, vt Capitulum Cum oporteat, & Capitulum Inquiſitionis negotium De accuſationibus: ſed manifeſtè agunt, hi Canones de inquiſitione ſpeciali quæ fieret contra certam perſonam, antequam laboret infamia criminum quæ obijciebantur ab aliquibus.

Dicet aliquis: Inquiſitio eiuſmodi videtur directè præbere occaſionem reuelandi 96
occultos criminoſos contra ordinem charitatis & iuſtitiæ. Confirmatur, quia hinc fit, vt interrogati neſcientes iura, nec aliter ſatis inſtructi exiſtiment ſe teneri etiam occultos criminoſos patefacere.

Reſpondetur Primò: Non eò tendere hanc inquiſitionem: quod ſi occulti criminoſi reuelentur, id non accidere ex intentione interrogantis, aut conditione interrogationis, ſed ex imperitia aut malitia eorum qui interrogantur, vnde propter tale incōmodum quod per accidens aliquando concurrit, non debet omitti illa inquiſitio tantopere quieti publicè neceſſaria, cum ipſa ex ſe talis ſit, vt nemini inferat iniuriam: quare meritò iudex poteſt ac debet eam facere, prout videbit neceſſariam eſſe ad Reipublicę tranquillitatem & pacem: & ſi contingat occultum auctorem criminis per accidens detegi; poterit etiam in particulari contra eum, inquiſitionem inſtituere, & contra illum procedere: quia quando auctor cognitus eſt, poteſt Iudex tunc vti iure ſuo & iuridicè procedere, vt ſuprà diximus dubio præcedenti cum Nauarro & alijs: indebita enim illa detectio, nec directè, nec indirectè cenſetur ipſi voluntaria:

ſed quia iudicis intentio, quando generalem inquiſitionem ſic inſtituit, eò reſpicit, vt ſi fortè auctor criminis perpetrati ſit paſſim notus in loco in quo accidit, vel alibi quem iudex ignorat, ipſe poſſit quoque in eius venire notitiam & pro meritis eum punire, vt tranquillitas cõmunitatis conſeruetur, Ita ferè DD. illi qui tenent interrogatos ab inquiſitore in hoc caſu nõ debere quoq; manifeſtare occultum criminoſum, etiamſi crimen commiſſum ſit notorium, niſi præceſſerit infamia, aut ſemiplena probatio.

96 Sed ſunt alij qui docent in eo caſu interrogatum teneri aperire veritatem & manifeſtare criminoſum, etiamſi infamia perſonæ non præceſſerit, quantumuis etiam ipſe ſolus nouerit, vt quidam volunt, prout refert Bonacina ſuprà nu.14. aut ſaltem quando duo vel tres nouerunt: pro hac ſententia citantur Azorius 3. p. lib.13. cap.15. diſp.4. Clauis Regia lib. 12. c.10. n.24. & 26. & Aragonius ſup. qu.69. ad art.1. & 2. & rationẽ reddit: nam cum iudex illos legitimè interrogat propter bonum commune conſeruandum, propter idem bonum erunt etiam ipſi aſtricti dicere veritatem, quamuis aliàs crimine occulto manente malefactorem nec accuſare, nec manifeſtare tenerentur. Hi itaque ad obiectionem poterunt reſpondere admittendo, quod iudex inquirendo det hìc interrogatis occaſionem reuelandi occultum criminoſum, ſed in hoc caſu quãdo crimen notorium eſt, & vergens in perturbationem publicæ quietis, non eſſe contra ordinem charitatis, aut iuſtitiæ aperire ipſum authorem: præualere enim debet publica quies, & bonum commune bono particulari iſtius malefactoris: præſertim cum ſine ſcandalo non poſſit intermitti iſta inquiſitio, neque etiam celari ab ijs qui ſciunt authorem, quando ab alijs intelligitur, quod aliqui authorem nouerint.

97 Verùm opinionem iſtorũ non ſequimur: Vnde DICO Secundò: Inquiſiti ſeu interrogati non tenentur manifeſtare, imò nec licitè poſſunt ſi author nulla laboret infamia, nec aliquis ſit de eo rumor, & nihil mali vlterius timeatur. Ita Caiet. & Soto ſup. Bonacina tom. 2. diſput.10. quæſt.2. puncto 5. n.9. & alij communiter. Colligitur manifeſtè ex Capitulis anteà tùm hoc dub. tum dub. præcedente citatis, &

Ratio reddi poteſt, quia talis inquiſitio non inſtituitur, vt occulti omninò malefactores patefiant aut puniantur, quod neque ingredi poteſt intentionem inquiſitoris, vt diximus, ſed vt Reipublicæ ſatisfiat, nec occaſionem habeat conquerendi contra iudices & magiſtratum, & ſimul vt malefactores, qui forſitan ſatis publicè noti ſunt, innoteſcant etiam iudici, qui eos vbi ſibi innotuerint puniat; hinc nec reus ſi forſitan interrogetur, tenebitur ſe ipſum manifeſtare; vt cum alijs notat Bonacina loco citato: quia non inquirit iudex de occultis, prout nec inquirendi ius habet, quare de illis non tenetur interrogatus reſpondere. Quid autem in generali illa inquiſitione iudex quærat & intendat, ac quęrere & intendere poſſit, iam explicuimus; & inde patet reſponſio ad alterum argumentum Caiet. & Dominici Soto.

Notandum tamen eſt: Si patefactio criminis ex parte rei eſſet neceſſaria ad ſatisfaciendum alteri obligationi præiacenti, qua in conſcientia ipſe teneatur, tunc ſuperiorem qui id nouit poſſe demandare illi vt ſe prodat quatenus opus eſt ad ſatisfaciendum illi obligationi, vt ſi quis per libellum famoſum abſtuliſſet alteri nomen & famam, quæ non poſſet reparare niſi ſe aperiendo, tenebitur ad illud faciendum, & poterit ſuperior ad hoc illum eatenus cogere etiam ſub cenſuris; qualis caſus videtur accidiſſe Diuo Gregorio, de quo ſcribit epiſtola 3. lib. 5. & refertur cauſa 5. quæſt.3. Capitulo Quidam, qua de re vide plura apud Mald. dubio 21.

Petes Primò: Quid ſi Iudici conſtaret non poſſe auctorem criminis prodi ſiue recognoſci ſine peccato, quia occultus ſit, vtrùm tunc poterit generalem inquiſitionem inſtituere?

Reſpondetur: Quod nihilominus poterit, pro fine autem tunc habebit non vt occultus ille auctor innoteſcat ſeu publicetur, ſed vt ipſe ſatisfaciat officio ſuo, idq́ue inprimis ne ſcandalum oriatur in populo: deinde, quia illa inquiſitio, etſi Iudex pro illa vice non ſperet recognoſcere auctorem, tamen incutit malis terrorem, quod eſt Reipublicæ vtile.

Petes Secundò: Quid ſi inquiſitor ſub iuramento interroget, & aliquis abſq; vlla reſtrictione iurauerit ſe patefacturum quicquid nouit de maleficio & auctore?

Reſpondetur: Interrogationi inquiſitoris de iure ineſt, vt intelligatùr tantum fieri de ijs quæ publicè nota ſunt, etiamſi hoc non ſemper ita expreſsè addat, vt poteſt conſtare ex Cap. Qualiter & Quando 1. & pluribus alijs De accuſationibus; vnde quando interrogatus iurat, quod dicet ea quæ nouit, intelligitur ſimiliter iuramentum illud cum hoc moderamine, quod dicet ea quæ nouit ſcientiâ communi & vulgatâ, non autem ea quæ priuatim ſeu ſecretò nouit, & proinde quoad hæc poterit dicere ſe non ſcire, ſcilicet eo modo quo Iudex inquirit, aut de iure inquirere poteſt, vtrùm illa ſciat.

DVBIVM

DVBIVM XV.

Vtrùm præcedere debeat infamia antequam poßit Iudex procedere ad inquiſitionem ſpecialem contra aliquem?

101 RESpondetur: Vt poſſit Iudex inquiſitionem ſpecialem inſtituere tendentem ad punitionẽ delicti, debet regulariter præcedere aliqua infamia eius, ſiue ſine clamoſa inſinuatio contra quem inquirere intendit. Ita D. Tho. 2. 2. qu. 69. a. 2. & DD. paſſim, quos licet videre citatos apud Bonac. ſup. n. 10.

Probari poteſt ex diuerſis Canonibus, vt ex Capitulo Inquiſitionis, De accuſationibus, vbi dicitur, ad hæc reſpondemus, nullum pro crimine ſuper quo aliqua non laborat infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio non præceſſit, eſſe puniendum, imò nec depoſitiones contra eum recipi debere, cum inquiſitio (inquit Pontifex) fieri debeat ſolummodo ſuper illis de quibus clamores aliqui præceſſerunt: ſimilia habentur ibidem Capitulo Qualiter & Quando 2. & Capitulo Licet Heli, de ſymonia. Quod & Pontifices colligunt ex Scriptura ſacra, Geneſis enim 18. legitur Dominus deſcendiſſe, poſtquam clamor Sodomorum & Gomorrhęorũ multiplicatus eſſet. Deſcendam & videbo (inquit Dominus) vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerunt, & Lucæ 16. Dicitur villicus fuiſſe diffamatus, antequam vocaretur, vt redderet rationem villicationis ſuæ.

Et ratio reddi poteſt: quia cum inquiſitio iudicialis ſit actus publicus, non debet præcedere niſi ex publicá notitia quæ tali actui ſit commenſurata. Quare Pontifex Capitulo Inquiſitionis iam citato, dicit quod ad petitionem eorum qui libellum infamationis porrigunt in occulto, non ſit procedendum ad inquiſitionem ſuper criminibus inibi cõtentis, vnde ex eo obſeruandum, quod paucorum dicta non debeant cenſeri facere famam, vt patet ex citato Capitulo Inquiſitionis, quodque debeat fama habere ortum à fide dignis non ab inimicis aut maleuolis, ſed à prouidis & honeſtis, vt apertè dicitur Capitulo Qualiter & Quando 2. ſup. citato.

102 Quæret aliquis: quanta ergo debeat eſſe infamia, vt iudex in particulari poſſit procedere?

Reſpondetur iuxta Dominicum Soto ſupra membro 2. quæſt. 6. §. tertium caſum: iuxta Caietanum hîc quæſt. 69. art. 2. Bonac. ſup. n. 11. quod & alij communiter tradunt, non ſufficere quod duo vel tres, vel etiam quatuor dicant, v. g. Petrum commiſiſſe tale delictum, vt homicidium, ſacrilegium, ſicuti etiam modò indicauimus, quia Cap. Inquiſitionis citato dicitur expreſsè, quod iudex propter dicta paucorum non debeat aliquem infamatum reputare, vndè infamia iudicialis dicitur frequens vox bonorum & proborum virorum quæ hominẽ de tali crimine rationabiliter ſuſpectũ reddit, vt cum multis alijs eam deſcribit Bonacina ſup. n. 4. Quare requiritur quod rumor, v. g. de Petro tanquam criminoſo ſparſus ſit per maiorem partẽ oppidi aut patriæ, vel communitatis in qua degit: quodque rumor ille quaſi publico clamore ad aures iudicis deferatur. Quare nec ſufficiunt ſola indicia etiam manifeſta, vt notat Bonac. ſup. n. 12. quia indicia ſunt minoris probationis, quàm duo vel tres homines omni exceptione maiores, qui conſcij ſunt auctoris & dicunt aut referunt, talem commiſiſſe eiuſmodi crimen, propter quorum tamen dictum aut relationem, etſi eum intelligat, non poteſt iudex inſtituere ſpecialem inquiſitionem in certa illam perſonam. Quin imò quando non conſtat notoriè crimen eſſe commiſſum quod fama Petro imponit, non debebit iudex ad ſpecialem inquiſitionem in ordine ad punitionem procedere, v. g. contra Petrum, niſi aures eius, eiuſmodi clamore ſæpius fuerint pulſatæ, vt ſignificatur Capitulo Qualiter & Quando 2. de excuſationibus ſuprà, vt v. g. licet iudex ſemel intelligeret famam volare de Petro quod eſſet adulter, vel quod eſſet ſacrilegus, & tamen non conſtaret publicè de violato thoro alterius, vel de aliquo notabili ſacrilegio commiſſo quod ei imponatur, non deberet iudex ſtatim proſilire ad ſpecialem inquiſitionem contra Petrum, imò requirunt aliqui quod tantus debeat eſſe clamor, vt generaretur ſcandalum, niſi iudex ſpecialem inquiſitionem deſuper inſtitueret, & fauent ſatis Capitula ſup. citata: quod tamẽ Iul. Clarus qu. 6. n. 21. reſtringit ad inquiſitionem ſpecialem contra Prælatum, quia qui præſunt magis ſubiacent obloquijs ſubditorum propter diſciplinam & correptionem, quam circa eos ex officio debent exercere.

Dixi: Quando non conſtat notorie crimen eſſe commiſſum, quia quando de illo conſtat & fama eſt de aliquo particulari, quã iudex intelligit, non debet tunc eſſe tardior ad inquiſitionem propter periculum ſcandali quod orietur.

Difficultas autem eſt, quomodo poſſit conſtare, aut ſufficienter probatum eſſe de fama. Omiſſis aliorum dictis, rectè videtur 103
docere Nauarrus ad Capitulum Non ſunt audiendi cauſa 11. quæſt. 3. eam ſufficienter probari, quando ſunt duo teſtes legitimi, qui deponant ſe maiorem illius communitatis

partem in qua infamatum probare volunt, audiuiſſe publicè tale quid de illa perſona dicentem, modò illa maior pars vt minimùm cōſtet decem perſonis; vnde difficulter probari poterit fama de aliquo in magno populo. Ex quibus colligitur non poſſe verè probari duas famas cōtrarias: quia non poteſt vtraq; habere maiorē partem communitatis ſic loquentis, licet poſt adductas probationes famæ, admittatur in iudicio probatio famæ contrariæ, vt patet Capitulo Cum in tua, de ſponſalibus, vt ſcilicet iudex diſcernat, an priores probationes fuerint legitimę.

804 Dixi in concluſione non poſſe ſine præuia infamiâ iudicem inſtituere ſpecialem inquiſitionem tendentem ad punitionē; quia licitè poterit, ſi tendat tantum ad eius qui deliquit emendationem, vt colligitur ex Capitulo Reprehenſibilis De appellationibus. Similiter poterit in ordine ad mala præcauenda, vt dum agitur de matrimonio contrahendo, vel de beneficijs aut officijs publicis conferendis, Bonacina ſuprà num. 15. licitum enim eſt ſuperiori inquirere de impedimentis, vel etiam de defectibus perſonarum de quarum promotione agitur, quàuis nulla ſit infamia præcedens, imò debet fieri, ſi aliqua ſubſit ſuſpicio vel adſint indicia. Colligitur ex Capitulo Nihil De electione, in eiuſmodi tamen inquiſitione tunc demum interrogatis licebit patefacere crimen occultum quando prometio eius, de quo agitur, cederet in notabile detrimentum Eccleſiæ vel Reipublicæ, aut putaretur crimen poſtea publicandum cum ſcandalo, vt ſæpiùs ſolet fieri, vt notat Malder. dub. 20. neque debent ſuperiores diuulgare quod tanquam occultum intellexerunt, ſed tacitè poſſunt eiuſmodi perſonas præterire.

805 Addidi etiā in concluſione Regulariter: Quia excipiunt DD. multos caſus quibus etiam in ordine ad punitionem licet procedere ſine præuia infamia perſonæ, vt in primis, ſi aliquis in iudicio ſit confeſſus crimen quamuis coram paucis, vt coram iudice & notario: nam illa confeſſio facit notorium iuris, & ita ſufficit ad ſpecialem inquiſitionem: Bonac. ſup. caſu 3. idq; dicit locum habere, etſi tantum incidenter id ſit confeſſus, dum de alio interrogaretur: non tamen ſufficeret ſi metu tormentorum tantū fuiſſet cōfeſſus & reuocaret, vel ſi tantum eſſet cōfeſſus extra iudicium etiamſi corā pluribus, niſi inde orta iam eſſet infamia, vt docet Nauarrus ad Rubricam De iudicijs num. 86.

Secundò: Quando iudici procedenti per inquiſitionē generalē eſt patefactus auctor, poteſt contra eum inſtituere inquiſitionem particularem, etiamſi priùs non laborauerit infamia talis criminis, vt contra Dom. Soto docet Nauarrus ſup. num. 87. Bonacina ſup. caſu 5. & videtur communis eſſe ſententia Iuriſconſultorum ad legem 2. §. [illegible] de adulterijs; quod verum erit, [illegible] qui patefecit, peccauerit patefaciendo, modò iudex non fuerit in culpa, iuxta [illegible] antę diximus. Aduerte tamen hos duos caſus non propriè eſſe exceptiones à regula concluſionis, quia concurrit in his [illegible] iuris vel facti quod æquiualet aut excedit infamiam, vnde ſi liceat præcedente infamia ſpecialiter inquirere, mirum non eſt, [illegible] dicatur licere quando ſic res eſt notoria.

Tertius caſus ſit, quando iuxta [illegible] ſtatuta inſtituitur viſitatio in aliqua communitate ſic vt inquirendum ſit in capu[t] & membra. Patet Capitulo 1. De officio iudicis ordinarij, & Capitulo Qualiter & Quando 1. De accuſationibus, non tamen [illegible] genda erunt crimina alicuius occulta, [illegible] particulari inquiratur de vita & [illegible] talis perſonæ, prout nec de illis [illegible] fieri inquiſitio, vt dictum eſt ſup.

Quartus: Quando agitur de delicto [illegible] miſſo in iudicio, vt de falſo teſtimonio [illegible] hibito, vel de calumnia innocenti illata [illegible] accuſatorem. Ita Nauarrus ſuprà num. 88. quamuis enim non præcedat infamia [illegible] hanc perſonam, ſi tamē ſit aliqua vehemens ſuſpicio, & adſint indicia quæ [illegible] referantur, poterit inquiſitionem [illegible]

Ratio redditur: Quia hæc crimina & eorum impunitas maximè ſunt noxia bono publico, cùm iudiciorum [illegible] dentur velle promouere auctores, [illegible] inuertant & innocentes opprimant.

Quintus: Quando inquiritur de [illegible] domini contra ſeruos eius, vt ſi dominus inueniatur occiſus, & ignoretur auctor, [illegible] legem 1. ff. Senatuſconſultum Sylanianum.

Similiter contra nautas [illegible] iuxta L. Quoties Codice de naufragijs, quia licet nulla ſit contra illos nautas [illegible] uos ſparſa infamia, tamen ſolet eſſe [illegible] quaſi cōmunis ſuſpicio de talibus, [illegible] plere videtur vices infamiæ vt cum alijs [illegible] dit Nauarrus ſuprà num. 95.

Sextus caſus eſt in crimine hæreſis [illegible] apoſtaſiæ, vbi etiam ſine præuia infamia poteſt iudex procedere, vt docet Nauarrus num. 93. Bonacina ſuprà num 15. §. pr[illegible] cum alijs quos citat, & colligitur ex Capitulo communicamus §. adijcimus [illegible] cis, & ex lege Apoſtatarum C. de apoſtatis.

Ratio eſt propter maximum periculum ſalutis animarum quod communitati [illegible] imminet, quia hæreticorum ſermo vt cancer ſerpit, iuxta Apoſtolum 2. ad Timoth. 2. Debet tamen præcedere ſuſpicio [illegible] non leuibus.

Septimus eſt in omni crimine [illegible] ſtatis humanæ. Conſtat per Extrauagantem Frederici Imperatoris, quæ incipit [illegible] mendum. Vide plura de his apud [illegible]

[illegible]

loco citato num.84.& ſequentibus.

107 Cæterùm ex eo, quod tam Canones, quã ius ciuile eximunt reſpectiuè quædam crimina vt hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis, ſuper quibus licet inquirere etiam ſpecialiter in perſonam quæ de illis non ſit infamata, ſed de qua habeatur ſuſpicio ex iuſtis indicijs, videtur ſatis probari atque adeò conſtare, non eſſe ſimpliciter iuris naturæ, quod non debeat inquiri contra non infamatum, quãdo accuſatorem propriè dictum non habet, qui onus probandi velit in ſe ſuſcipere: ſed quod ſolo iure humano, id verum eſſe putandum ſit, quod iudici contra eum qui in iudicio poſſit probari reus per duos teſtes idoneos, non liceat ex officio inſtituere particularem inquiſitionem quãdiu de crimine non fuerit infamatus: quod & indicat Nauarrus ad Capitulum Inter verba, Corollario 50.& ad rubricam de iudicijs num.89. quando docet Papam & Imperatorem iuſta cauſa poſſe inducere nouos caſus in quibus poſſit ſpecialiter inquiri ſine accuſatore vero aut ficto, qualis ſcil. reputatur infamia præcedens. Hoc autẽ bene notandũ eſſe dicit Mald. ſuprà dub.20. in fine, quia inde ſequitur, inquit, conſuetudine poſſe excuſari iudices qui ius illud poſitiuũ non obſeruant, vt puta quando ex denuntiatione officiati ad hoc conſtituti, vel ad querelam partis offenſæ, quæ tamen onus probandi non vult ſuſcipere, aut inuento cadauere, habitiſque iuſtis indicijs de aliquo vt criminis authore, procedunt ad inquiſitionem particularem contra delatum, quod multis in locis ex praxi recepta fieri teſtatur Bonacina ſuprà n.12. circa finem. Quod tamen intellige, hactenus eos tali conſuetudine poſſe excuſari, quatenus illa conſuetudo eſt rationabilis: ſic enim tum viâ præſcriptionis, tum viâ conniuentiæ poteſt præualere contra legem illam poſitiuam, ſicut & contra alias leges humanas, vt latiùs ſolet doceri in tractatu de legibus. Quod autem conniuentia hic adſit, poteſt inde colligi, quod talis praxis penè vbique ſit recepta, quod officiales ſint conſtituti qui legum tranſgreſſores & malefactores denuntient, præſertim per Italiam, vt notat Iulius Clarus quæſt. 3. neque tamen à ſummo Pontifice ſuis conſtitutionibus potiſſimùm fuit id vetitum, vel ab Epiſcopis reprehendatur.

108 Porrò conſuetudo illa ſatis poteſt videri rationabililis, quatenus verſatur circa crimina grauiora, quæ intelliguntur aut putantur ſerpere latenter ad plures alios, aut alijs anſam præbere ad ſimilia patranda cum periculo ſtatus Reipublicæ, aut eius magno dãno & infamia: tunc enim inquiſitio illa non fit principaliter ad punitionem huius perſonæ, ſed ad extirpationem criminum à Republica, quibus timetur ordo Reipubl. perturbandus, atque adeò leges & diſciplina omnis euertẽda: vnde non obſtat quod particularis perſona inde infametur, quia infamia particularis permitti poteſt ob commune bonum, vt tradit Bonacina ſuprà & ſumitur ex Pet. Nauarra lib.2. de Reſtit. cap.4. num.168. Azorio p.3. lib.13. cap.18.& alijs.

Confirmatur, Quia eiuſmodi inquirendi principia, præter infamiam publicam præcedentem, videntur neceſſariò admittenda ad propulſandas innocentium iniurias, aliaque maleficia præcauenda: quandoquidem enim pauci ſint qui velint abſolutè accuſare, tum quia inter homines odioſum habetur, tum quia admodum difficile eſt in iudicio partes accuſatoris ſuſtinere, & frequenter contingat quod ex delictis etiam magnis, non ſequatur criminoſi infamia, fieret quòd improbi ſine metu & reſpectu in bonos paſſim liberius graſſarentur, eoſque damnis & contumelijs afficerent, & alia multa committerent Reipublicæ noxia, niſi conſtituti eſſent aliqui publici officiati, qui iudicibus denuntiarent ea mala, quæ vident vel audiunt, ac indicarent ſimul eos, ex quibus poſſint iudices pleniorem accipere informationem, ſic vt ad huiuſmodi denuntiationem per officialem factam, vel etiam per partem læſam liceat Iudici ad inquiſitionem procedere, hæc enim res magnum incutit terrorem malefactoribus eoſque multùm coërcet: quamuis enim confidere poſſint eos, quibus iniurioſi ſunt, vel alios qui interfuerunt non ſuſcepturos partes accuſatoris, tamen valde metuunt, ne per eiuſmodi officiatum aut per alios ad Iudicem deferantur qui poſtea ex officio contra eos inquirat & procedat.

Obſeruandum autem hîc Primò: Iudicem numquam ex ſe ipſo poſſe incipere inquiſitionem, ſed ſemper debere præcedere aliquid quod inquiſitioni viam aperiat & ipſum quaſi cogat vt procedat ex officio, vt ſunt publica notitia criminis & authoris, infamia perſonæ de crimine, denuntiatio facta ab officiato, aut à parte læſa, alioquin totus proceſſus eſt ipſo iure nullus, vt docet Clarus quæſt. 5. num. 4. Hinc neque poteſt procedere iudex ex denuntiatione ſibi vt priuato, non vt iudici factâ, vel factâ ab authore incerto, ſeu nomine eius ſuppreſſo, etiamſi in ſchedula nominarentur illi, qui noſſent factum, vt idem docet ſuprà, & colligitur ex Capitulo Inquiſitionis negotium, De accuſationibus, quod meritò ita ſtatutũ eſt, tũ ne Iudices pro arbitrio poſſint impetere quos voluerint, tum etiã quia alioquin fieret quod idem eſſet accuſator & iudex. 109

Obſeruandum Secundò, Officialem publicum, aut quemcumque alium nihil debere denuntiare, niſi quod bonâ fide exiſtimat per teſtes vel indicia alia poſſe legitimè probari

bari. Similiter & Iudicem magnâ debere vti prudentiâ, & nihil temerè attentare donec videat rē iuridicè probari poſſe: atq; ita modeſtè debere informationes capere, vt quàm minime fama alterius lædatur, & ſi obſeruet probari non poſſe, ſtatim debet deſiſtere; quia vlterior progreſſus non poteſt prodeſſe publico bono, ſed tantum ſeruiret ad alterius infamiam, quam auferre aut periculo exponere non licet, niſi publicum bonum id poſtulet, & ad hoc cōducat id quod agitur.

Obſeruandum Tertiò, ea quæ iam dicta ſunt de licitâ inquiſitione ſine infamia præuia, locum habere potiſſimùm in iudicijs ſęcularibus, nec videri admittenda (vt notat Leſſius lib. 2. cap. 29. dubio 15. nu. 140.) in Iudice Eccleſiaſtico contra perſonas Eccleſiaſticas, tum quia Canones qui id vetant, agunt principaliter de huiuſmodi iudicijs & cauſis Eccleſiaſticorum, vt ex textibus ſatis conſtat, ita vt nonnulli exiſtiment illos nunquam in iudicijs ſæcularibus fuiſſe vſu receptos, neq; forſitā Pontifices in ordine ad iudices ſæculares, conſtituiſſe Canones illos, tū etiam quia eiuſmodi inquiſitio in Eccleſiaſticam perſonam quæ infamiâ non laborat, plus ſcandali apud populum ſolet inducere, quàm inducat ædificationis caſtigatio talis perſonæ.

Accedit quod fraterna correptione tales perſonæ ſolent faciliùs emendari.

Dixi quod conſuetudo ſic inquirendi, videri poſſit ſatis rationabilis, quatenus verſatur circa crimina grauiora, quæ putantur ſerpere latenter &c. quia quod inquireretur in perſonam non laborantem vlla infamiâ talis criminis, vbi neque auditur, neque æſtimetur quod alij illo exemplo inducantur aut inducendi ſint ad imitationem, vel ad ſimile flagitium committendum, non videretur id rationi conſonum: quia propter ſolam punitionem alicuius, quando ſine periculo Reipublicę poteſt illa omitti, procedere contra illum cum eius infamatione qui bonum nomen & famæ eſt, non videtur ſine iniuria eius fieri poſſe, cùm bonū publicū non requirat talem procedendi modum: quare conſuetudo, ſi quæ talis foret, non videretur dicenda rationabilis, & proinde nec licitè iuxta eam procedere iudex poteſt.

DVBIVM XVI.

Quando Iudex poßit reum adiudicare torturæ?

109 RESPONDEO & DICO Primò, non poteſt iudex reū adiudicare & ſubijcere torturæ ad criminis confeſſionē, quando de illo legitimè eſt conuictus, etiamſi non velit crimen fateri. Ita Nauarrus cap. [illegible] 59. Iulius Clarus quęſt. 64. num. 5. & 6. [illegible] tinus §. quod fama num. 94. M[illegible] 24. & alij communiter. Colligitur ex l. Quoties C. de quęſtionib. & l. edictum & l. [illegible] eodem tit. &

Ratio eſt, Quia tortura adhibetur tantum ob defectum aliarum probationū quæ ad condemnationem ſufficiant: ergo quando aliæ probationes ſufficientes adſunt, fruſtra infertur tantum malum, cum propter confeſſio non ſit neceſſaria ad condemnationem.

Refert autem Clarus loco cit. nu. 7. [illegible] plerumque iudices etiam poſt crimen plenè probatum, adhibeant torturam, quando Reus crimen non fatetur, idque vt [illegible] fateri, ne per appellationem id quod pronuntiatum fuerit, ſuſpendere contingat, videlicet in locis, vbi à tali ſententia admittitur appellatio: cuius praxis meminit quoque Nauarrus loco citato: ſed improbat praxim illam Clarus n. 8. ſequen. & dicit ex [illegible] Rub. C. de quæſtionibus, quod fatuus eſt iudex qui torqueret aliquem contra quem eſſet probatum plenè. ſimiliter eam improbat Nauarrus, & dicit eſſe contra [illegible] Theologorum & Iuriſperitorum ſententia[illegible] addit tamen hanc exceptionem, niſi [illegible] clare ſint conuicti, quod [illegible] neantur confiteri, & iudex [illegible] ob ſolam malitiam differendi [illegible] pernegare, ſcilicet per viā appellationis. Poteſt nihilominus reus plenè conuictus de [illegible] crimine, imò etiam condemnatus, interrogari quoq; per torturam de alijs criminibus, ac etiam de ſocijs, ſi iuſta de illis indicia [illegible] ſint quæ faciunt ſemiplenam probationem, aut talem quæ cenſetur quaſi æquipollens [illegible] vt tradit Clarus quæſt. 64. nu 8. In fine [illegible] tem addit. Debent etiam iudices, [illegible] reus ſuper ſocijs & alijs criminibus [illegible] tam torturam inferre, neque [illegible] nos excedere. Recte quoque [illegible] quod iudex aduertere [illegible] leat, [illegible] aliter, quam [illegible] plenè probari poſſit: nam regulariter ad torturam deueniri nō debet, niſi [illegible] quando ſcilicet aliæ probationes [illegible] poſſunt, & ita, inquit, cōcludunt [illegible]

DICO Secundò. Quando [illegible] [illegible] probatio, nec [illegible] habentur indicia [illegible] vrgentia, poteſt iudex [illegible] torturæ, modò reus [illegible] iure poſſit torqueri. Ita Nauar[illegible] Inter verba concluſione [illegible] Iudicijs num. 56. [illegible] quæſt. [illegible] communiter.

Ratio eſt, Quia ad [illegible]

torturæ, non requiritur plena probatio, imò eâ habitâ non poteſt ſubijci, vt dictum eſt: ergo admittendum eſt, quod ſufficiat ſemiplena probatio, aut alia quodāmodo æquivalens: niſi enim iudici concedatur poteſtas tunc veritatem eliciendi per torturam, grauiſſima quæque crimina paſſim puniri non poterunt, & proinde nec in futurum ſufficienter impediri non ſine maximo Reipublicę detrimento. Cenſetur autem eſſe ſemiplena probatio, quādo, v.g. teſtis aliquis hoc deponit contra quē nulla eſt exceptio, qui dicit ſe vidiſſe, v.g. Petrum committentem tale flagitium, vt docet Clarus ſuprà quæſt. 22. num. 3. & alij communiter. Vt autem cōtra teſtem nulla ſit exceptio, debet eſſe vir non minor 25. annis, boni nominis & famæ, non excommunicatus, nullam habens inimicitiam aut litem cum altero contra quem deponit, ſi autem ſubſit aliqua exceptio non facit eius depoſitio ſemiplenam probationem.

111 Petes: Quid ſi teſtis deponat ſe ex voce aut loquela nouiſſe perpetrantem flagitium, ſed non vidiſſe, vtrùm hoc ſufficiet ad torturam? Iulius Clarus quæſt. 21. cit. num. 3. refert aliquos qui in partem affirmatiuam inclinant, quorum ſententiam dicit limitandam, modò teſtis ita deponens habeat veriſimiliter adeò notam vocē Rei, vt decipi non poſſit: & addit interim tale indiciū vocis eſſe multū fallax & periculoſum: quia multos cognouit ita propriè imitantes vocem aliorum, vt omnes etiam familiariſſimos & domeſticos facilè deciperent: quare talis teſtis non videtur dare ſufficiens teſtimonium ad torturam.

Addidi, vel alia habeantur vrgentia valdè indicia; quia non tantum ſemiplena probatio propriè dicta, ſed etiam alia quædam probabilis notitia fundata in indicijs vrgentibus poterit ſufficere ad ſubmittendum aliquem torturæ. Debent tamen eſſe valdè magna & vrgentia, ne innocens pro incerto ſcelere, vt habet D. Aug. libro 19. de Ciuitate cap. 6. certiſſimas pœnas luat, id eſt, certiſſimos cruciatus ſuſtineat: quia tortura propriè pœna non eſt, vt ante ſignificauimus.

Porrò notandum hîc eſt, nomine indicij intelligi ſecundū Iureconſultos, omne illud ex quo poteſt aliquo modo colligi, quis ſit author criminis, vt fama, ſuſpicio publica, iactantia præcedens de crimine committendo, aut ſubſequens de commiſſo, odium contra illum, in quem crimen eſt commiſſum, teſtimonium alicuius, etiamſi non ſit omni exceptione maior, & ſimilia. Diſtinguunt autem indicia quidam in leuia, grauia & grauiſſima, vt Iulius Clarus ſuprà cap. 20. num. 1. alij in Remota & proxima maleficio, vt Bartolus in l. fin. num. 6. ff. De quæſtionibus: quibus aliqui addunt tertium membrum, in plena & proxima: & ſic videntur modi iſti diſtinguendi, verbis tantum differre. Leuia ſiue remota dicit Clarus ſufficere ad capturam iudicis arbitrio, conſideratâ tamen facti & perſonarum qualitate, vide Clarum quæſtione 28. num. 2. poſt medium, & ad aſſumendas informationes ſuper delicto, quia, inquit, ſufficit aliqua probabilis ſuſpicio, propter quam iudex rationabiliter credat delictum ab eo commiſſum fuiſſe contra quem inquirere intendit iuxta Salicet. in l. Ea quidem n. 41. C. De accuſation. Exempla ponuntur, vt ſi læſus moriens aſſerat ſe vulneratum à Petro, aut quia interceſſit grauis inimicitia, maximè quando ſimul fama aliqua concurrit: non tamen ſufficiunt ad tranſmittendam inquiſitionem contra illum, ſiue ad citandum eum pro delicto, quod imputatur, ita vt nomen eius recipiatur inter reos, quia iuxta omnes neceſſe eſt, quod præcedant legitima ſiue Iuris indicia: alioquin citatio, & proceſſus inde ſequutus eſt nullus, vt ſi non præceſſerit diffamatio, & ſuper eâ non ſint informationes captæ, vt habet Clarus loco citato.

Quænam verò ſint iſta indicia Iuris ſeu legitima, DD. in ſpecie non exprimunt: 112 ſed videntur coincidere cum indicijs grauibus ſeu proximis, de quibus communiter docetur, quod ſufficiant ad tranſmittendam inquiſitionem ſiue citationem in eum contra quem habentur, ſi abſit, & etiam ad eundem examinandum & ſubmittendum quæſtionibus ſiue torturæ ſi detineatur, vt habet Clarus quæſt. 20. num. 1.

Sed quænā in particulari ſint indicia leuia & quæ grauia, ſic vt ſufficiant reſpectiuè ad effectus præmemoratos à iudice exercēdos, nullâ poteſt certâ regulâ aut doctrinâ definiri iuxta omnes in materia indiciorum, vt refert Clarus quęſt. 20. ſuprà nu. 1. & repetit quæſt. 28. num. 2. poſt medium, ſed totum relinquitur iudicio probi & prudentis, ſcilicet iudicis, qui ſecundum qualitatem perſonæ & delicti, & demonſtrationum ſeu ſuſpicionum iudicabit indicium eſſe ſufficiens ad hoc vel illud decernendum, vel non.

Pro aliqua tamē inſtructione & directione Iudicū ſolent Iureconſulti qui de praxi criminali ſcribunt, Clarus quæſt. 21. Gomezius & alij apud eos citati, & ex illis Theologi, vt Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 17. & Malder. tract. 6. cap. 1. dub. 24. ponere varia indicia, quæ ordinariè cenſentur ſufficere ad reum examinandum & quæſtionibus ſubijciendum, & ſunt ferè huiuſmodi.

In primis, Si ſit fama probata de Petro, quod ſit author certi criminis quod conſtat eſſe commiſſum, & illa fama ſit ſuffulta, ſiue ſubnixa quibuſdam alijs indicijs, v.g.

quod

quod Petrus aliàs ſimile ſiue eiuſdem generis crimen commiſit, cuius notam nondum per diuturniorem bonam conuerſationem ſuperaſſet. Addo, & illa fama ſit ſubnixa alijs indicijs, quia dicit Clarus quæſt. 21. cit. num. 1. iuxta opinionem penè communem ex ſola fama neminem eſſe torturæ ſubijciendum, quia fama per ſe ſolam eſt ſignum remotum, & ſatis fallax.

Secundo loco poteſt poni confeſſio ipſius rei extra iudiciū, vt ſi apud aliquos ſaltē duos iactauerit ſe authorem talis facinoris, & iſti ſunt teſtes omni exceptione maiores qui deponant ſe id ab eo audiuiſſe. Idem dicunt DD. de confeſſione facta coram iudice incompetente, id eſt, qui non habet poteſtatem cognoſcendi in cauſa, modò tamen illa confeſſio non ſit metu tormentorum extorta.

Petes, Quid ſi Sacerdos, cui reus ſacramentaliter confeſſus eſt crimen, & reuelet eum fuiſſe confeſſum tale crimen, vtrùm ex illa confeſſione iudex poſſit aliquid contra reum agere? Reſpondetur, Iudicem nihil omninò ex tali confeſſione, & ex notitia inde orta, quamuis publica fieret, poſſe contra reum agere, ne quidem informationem capere aut incipere, vt docet Theologi & Canoniſtæ omnes, argumento Cap. Si Sacerdos 2. de officio ordinarij, & ſolent latiùs explicare Scholaſtici in tractatu de ſecreto ſigilli Confeſſionis.

Tertio loco ponitur aſſertio duorum vel trium ſociorum, qui id cum iuramento deponunt, vt tradit Clarus quæſt. 21. num. 9. niſi tamen ſubeſſent rationes, quare meritò putarentur ex maleuolentia id facere. Dictum verò vnius tantum ſocij non eſt ſufficiens indicium ad torturam, ne quidem in criminibus exceptis, niſi aliud indicium concurrat, vt quæſt. cit. num. 8. idem author docet ex opinione communi: ſufficit tamen ad capiendas informationes, ſed non ad tranſmittendas inquiſitiones ſeu libellum criminalem.

Quartum indicium ſit minæ, quæ ex graui inimicitia & odio præuijs factę ſunt prius ab illo qui minas, & mala propoſita ſolet exequi, concurrentibus ſimul quod cognoſcatur arma aut inſtrumenta paraſſe, & circa locum viſus ſit, vbi crimen eſt commiſſum, ita tradit Bartolus in l. fin. D. De quæſtionibus, & alij plures cum ipſo.

Quintum ponitur fuga ſtatim patrato crimine inita, antequam ſuper eius perſona fiat inquiſitio: ſumitur ex L. Cornelia D. ad Senatuſconſ. Sylanianum. Notatur tamen in additionibus ad quæſt. 21. Clari nu. 18. quod cum fuga debeat concurrere fama ſiue communis ſuſpicio, quod alioquin fuga ſola non ſit indicium ſufficiens ad torturam: imò ſi citatus compareat, per hoc delet ſuſpicionem quæ ex fuga oborta erat, vt docet Clarus loco cit. num. 23. & alij. Dixi, antequam ſuper eius perſona &c. quia ſi quis fugiat, quando intelligit de ſe fieri inquiſitionem, aut ſe citari ſuper crimine capitali, talis fuga non eſt ſufficiens quoq; indicium ad torturam, vt num. 23. docet Clarus, & citat alios qui dicunt eſſe opinionem communem, quia habet cauſam timendi, cum ſe peti videat, etiamſi ſit innocens, & meritò potiùs eligit abſens, quàm detentus ſe defendere.

Sextum ſit, Si quis viſus exire ex domo, aut loco, cum enſe ſtricto, vbi reperiebatur aliquis interfectus, & alius author non deprehendatur, vbi tamen circumſtantiæ enſis & vulnera ſimul erunt conferenda.

Petes: Quid ſi apud aliquem, qui fuit in rixa præſens, aut circa locum vbi aliquis eſt interfectus, reperiatur culter cruentatus, an ſit indicium ſufficiens ad torturam. Reſpondetur niſi concurrant aliæ circumſtantiæ, vt quod cum interfecto habuerit graues inimicitias, vel quod ſoleat cum alijs rixari, etiam vſque ad vulnerationem, non habendum pro indicio ſufficienti, quia ſatis frequenter per experientiam compertum eſt, quòd homicidæ cultros ſuos in ſaccum innocentis clanculum inijciant, aut imponant: vnde nō ſemel accidit innocentes poſtmodum vi tormentorum adactos fuiſſe, crimen fuiſſe confeſſos, & ſupplicio affectos, prout ipſi authores ex alijs cauſis apprehenſi ſæpiùs fuerunt poſtea confeſſi. 113

Solet quoque ſumi indicium ex titubatione & inconſtantia Rei, quando examinatur circa principalia cauſæ: ſed niſi alia ſigna concurrant, non ſunt indicium ſufficiens ad torturam, etiamſi quoque mendacium intercurreret: niſi enim perſona ſit conſtantis & animi impauidi, facilè contingit ſic turbari in illo examine, vt vix ſciat, quid petatur, & quid reſpondeat: vnde Clarus quæſt. 21. num. 39. dicit, Si eſſet iudex, quod ex iſtis vix reum poneret ad torturam, niſi aliquod aliud adminiculum concurreret. Vide plura apud Clarum quæſt. 21. & apud alios, qui in additionibus ad prædictam quæſt. in fine citantur, & apud eundem quæſt. 64. Cæterùm, quia tortura eſt graue malum, & ingentem infert cruciatum, debent iudices in hoc negotio cum magna circumſpectione & prudentia procedere, & diligenter conſiderare non tantum indicia, quæ contra faciunt, ſed examinare & perpendere quoque quæ pro ipſo faciunt & quæ indicia contraria elidunt aut valdè minuunt, nec ita facilè ad torturam proſilire, quod in multis Iudicibus reprehendunt DD. qui de praxi criminali ſcribunt, & præſertim, quando agitur contra aliquem, qui eouſque fuiſſet ſemper integri nominis

Digitized by Google

nominis & famæ, nec de ſimilibus, aut alijs grauioribus criminibus ſuſpectus: contra quem exiſtimarem talia & tanta debere inditia proferri ante torturam, vt quaſi communi iudicio populi cenſeretur Iudex velle conniuere facinoroſo cum detrimento publico, niſi ijs poſitis & legitimè iam probatis, adiudicaret eum torturæ.

114 Dixi, Quando reus eſt perſona quę torturæ poſſit ſubijci, quia multi iure prohibentur torqueri: idque vel ob ætatem minorem, vt impubes, id eſt, qui nondum quatuordecim annos impleuit, vel ob debilitatẽ, vt ſenes, vel propter periculum aborſus, vt mulier pregnans, vel propter priuilegium, vt viri illuſtres, & DD. eorumque liberi; vt tradunt Clarus q. 64. n. 15. Gomez. c. 13. n. 5. In crimine tamen læſæ maieſtatis, aut hæreſis, vel proditionis ciuitatis poſſunt ſubijci torturæ, qui aliàs propter priuilegium tantùm ab eâ ſunt exempti. Hoc quoque obſeruandum eſt, non poſſe aliquem torqueri quando agitur de crimine leuiori quod morte aut mutilatione non eſt puniendũ. Ita cum alijs Clarus q. 64. n. 4. Similiter neq; tunc quando nõ certò conſtat iudici, crimen eſſe commiſſum ſuper quo vult alterum examinare, adeò vt Clarus qu. 4. n. 1. doceat nec poſſe damnari illum qui in iudicio crimen eſt cõfeſſus, quod an verè admiſſum ſit, aliter non conſtiterit, modò tale ſit, vt poſt ſe relinquat veſtigiũ: Vt ſi quis in iudicio confeſſus fuerit ſe occidiſſe Petrum, qui neſcitur vbi remanſerit, nec conſtet aliundè Petrum eſſe occiſum, non poterit ille condemnari. Vide eundem quæſt. 55. & quæſt. 64.

115 Petes: An poſſit aliquis ſæpiùs torturæ ſubijci. Reſpondetur, Si in primis quæſtionibus torturæ nihil fuerit confeſſus, non poſſe ſæpiùs torqueri, niſi vel ſigna ſint grauiſſima (quam exceptionem ponit Clarus q. 64.) vel niſi indicia noua ſuperueniãt, quia alioquin per illam cõſtantiam videntur prima fuiſſe eliſa. Si quis verò crimẽ in tortura ſit confeſſus & poſtea non velit ratificare confeſſionem, ſed eam reuocet, verius eſt poſſe iterum torturæ ſubijci quod habet cõmunis praxis, etiamſi alia noua indicia non ſuperuenerint, nam alioquin totum hoc medium eliciendi veritatem eſſet ſine effectu; quia nullus facilè ratificaret confeſſionem ſi exiſtimaret ſe non poſſe quæſtionibus torturę ampliùs ſubijci. Accedit quod cõfeſſio facta in tortura ſit quoddam nouũ indiciũ.

Hoc interim DD. paſſim omnes monent, ne in re tam pœnali procedatur ſine termino, non poſſe in hoc caſu reum pluſquam ter ſubijci quæſtionibus torturæ. Itaq; ſi tertiò tortus & in tormentis confeſſus, tertiò etiam ductus ad ratificandam confeſſionem, reuocet, non poterit ille condemnari, imò debet abſolui, vt docet Gomeſ. c. 13. n. 271. & ex illo Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 17. n. 168.

Petes Secundò: Vtrùm ſufficiens ſit indicium ad aliquem apprehendendum & ſubijciendum torturæ, quod cadauer recenter occiſi per vulnus incipiat emittere ſanguinem ad præſentiam alicuius, & non ad præſentiam aliorum.

Reſpondetur negatiuè: ita cum Gomez. n. 15. docet Mald. Tract. 6. cap. 27. dub. 24. Leſſ. ſup. & alij communiter.: quia iſtud indicium eſt valdè incertũ, vtpote de quo non cõſtat ex quibus cauſis id proueniat; an forſitan operatione aliqua diuina in deteſtationem homicidij; an ex aliqua cauſa naturali, vt ex aliqua antipatia propter impreſſionẽ aliquam affectuum ſeu paſſionum animæ in ſanguinem & ſpiritũ quæ veluti ad pręſentiã rei inimicę ad repugnandum cõcitentur; an denique ex fraude aliqua diaboli, vel ex alijs cauſis: præſertim cum etiam ad præſentiam eorum de quibus ſatis cõſtat, quod ſceleris non ſint auctores, ſoleat fieri eiuſmodi effluxus ſanguinis. Idem ſentiendum eſt de probatione illa per aquam quâ iudices aliqui vti ſolent, inijciendo ſcilicet mulieres ſortilegij ſuſpectas certo modo ligatas in aquam, quę ſi mergãtur, abſoluuntur, ſi verò ſupernatent, nec mergi poſſint, ſubijciuntur torturæ; nam & res illa incerta eſt: ſi enim operâ dæmonis id faciat, vti fieri magis veriſimilè eſt, poterit ille facilè ſtruere etiam innocenti huiuſmodi calumniam. 116

DVBIVM XVII.

Vtrùm poſſit iudex reum infamem aut conuictum de vno crimine interrogare de alijs occultis, vel de ſocijs nullâ infamiâ laborantibus?

RESPONDEO & DICO Primò: Non poteſt iudex reũ de vno crimine infamatum aut conuictum interrogare de occultis alijs criminibus, per formã inquiſitionis. Eſt contra nonnullos qui exiſtimarunt non minus iudici licere contra publicũ criminoſum in vno, inquirere de occultis eius alijs delictis, quàm inquirere contra occultũ quando cõſtat de publico crimine. Sed cõcluſio noſtra eſt ferè communis. Ita docent Adrianus Quodlib. 11. q. 1. Caiet. hic q. 69. a. 2. & q. 70. a. 1. vbi dicit D. Th. idẽ ſenſiſſe, tum eo loco, tum in opuſculo 17. reſponſionũ. reſponſ. 5. ad 4. Salon. q. 69. citata art. 2. Pet. Nauarra lib. 2. c. 4. Soto De ſecreto tegendo memb. 2. q. 6. dub. 3. & lib. 5. De iuſtitia qu. 2. art. 2. Bonac. diſp. 10. pun. 5. prop. 3. Mal. du. 22. Clarus ſup. q. 64. n. 50. & alij. Neque eſt par ratio cum eo quod alij allegant, quod ſcilicet quando publicè conſtat de crimine cõmiſſo, 117

poſſit iudex inquirere de auctore: Id enim merito poteſt, ſi forſitan apud alios eſſet publicè notus, aut de eo infamatus, licet iudex id nondum intellexerit, ſic vt ab alijs licitè poſſit denuntiari; ſed etiamſi conſtet in caſu noſtræ concluſionis hunc eſſe in vno criminoſum, non ideo habet iudex fundamentum inquirendi de alijs criminibus, ſi de illis nulla ſit fama aut publicus rumor. Sumitur ex l. 1. D. De quæſtionibus, & probatur ex Cap. Inquiſitionis negotium, De accuſationibus: vbi ſimpliciter dicitur Inquiſitionem debere tantummodo fieri ſuper iis de quibus clamores aliqui præceſſerunt, & ibidem Cap. Cum oporteat, dicitur, Ad eorum tantummodò criminũ inquiſitionem eſſe procedendũ, ſuper quibus fama ipſius Rei læſa fuit: quod Mald. cum Pet. Nauarra, ita amplè intelligit, vt locum habeat etiam in crimine occulto eiuſdẽ ſpeciei cum eo, de quo conuictus eſt, niſi fortè diffamatus ſit tanquam qui ſæpius eiuſmodi crimen commiſerit, vt notat Bernardus Dias practicæ criminalis Canonicæ cap. 117.

Addunt aliqui, niſi etiam delictum tale ſit quod communiter exiſtimatur ſæpius fuiſſe admiſſũ ab illis, qui de illo ſemel perpetrato fuerint conuicti; quomodo per Italiam vt teſtatur Dias ſuprà, qui conuicti ſunt de vno furto, interrogantur etiam per torturam de alijs furtis: ſed conſuetudinem illam cum ipſo Dias ſentit improbandã Mald. dub. 22. niſi ſint indicia de frequẽtiori furto. A concluſione autem excipiunt caſum inprimis, quando crimen proditum fuerit indicium alterius occulti, quomodo ab adultero licebit interrogare de occiſo domi marito mulieris cum qua ipſe ſolet peccare. Deinde quando occultum eſt circumſtantia criminis quod ſolet adhærere illi de quo iam ſupponitur conſtare: quæ tamen propriè non ſunt exceptiones, quia iam habentur veluti indicia iſtorum, atque ita non cenſentur occulta.

118 DICO Secundò: Similiter in genere loquendo, non licet iudici reum interrogare de ſocijs non laborantibus infamia, præſertim in particulari. Ita docent Soto & Salonius ſup. controuerſia 8. Pet. Nauarra etiam ſuprà n. 172. Bonacina ſup. n. 17. & Mald. dub. 23. Probatur ex vtroq; iure. Cap. Cum monaſteriũ, De confeſſis dicitur: ſecundum vtriuſque iuris ſtatuta de ſe confeſſi ſuper alijs interrogari non debent: ſimilia habentur Cap. Veniens de teſtibus, & Cap. Nemini, cauſa 15. quæſt. 3. Item l. finali Cod. De accuſationibus: veteris iuris auctoritas de ſe confeſſos ne interrogari quidem de aliorum conſcientia ſinit: Nemo igitur, inquit lex, de proprio crimine confitentem ſuper conſcientia ſcrutetur alienâ. Itaque non tantum iudex peccaret interrogando, ſed etiam reus faceret iniuriam occultis ſuis complicibus, ſi eos pateſaceret qui nullâ laborarent infamiâ. Quando tamen ſuſpicio eſſet quod complices habeat, ex quibus pe- 119
riculum immineret Reipublicæ, aut proximo innocenti, poterit tunc iudex, imò tenebitur etiam citra infamiam de ſocijs interrogare, & tenebitur reus indicare ad mala illa, ſcilicet auertenda; vndè conſequens eſt, quando indicia iuſta adſunt, reum habere complices à quibus malum timeatur, poſſe etiam illum per torturam examinari ſuper illis, leuiùs vel grauiùs pro ratione periculi & inditiorum, vt illos pateſaciat: ſi autem non ſit ſuſpicio quod complices habeat etiã ſi caſu quo eſſent, & laterent ab eis foret metuendum, tamen non eſſet deſuper reus torquendus. Ex dictis etiam ſequitur, quod docet Adrianus ſuprà, ſcilicet reum poſſe prodere occultos complices, quos niſi pateſaciat, futurum eſt, quod alij innocentes de crimine infamabuntur, & fortè ſupplicio afficientur; tunc enim per formam defenſionis innocentum poterit occultos complices prodere, etſi nullâ laborent infamiâ.

Dixi in concluſione præſertim in ſpeciali: quia, quando crimen eſt tale, vt ſecum adducat ſuſpicionem de complicibus in genere, poteſt iudex reum conuictum interrogare, an ſolus commiſerit, Idque per modum cuiuſdam inquiſitionis generalis, vnde tenebitur tunc reus reuelare, ſi fortè ſufficienti laborent infamiâ illi quos habuit complices; ſecus autem ſi infamiâ non laborent, excepto ſemper caſu quo immineret ab illis Reipublicæ aut innocentibus malum: quod ſi crimen non adducat ſuſpicionem de complicibus nõ poterit de iis iudex interrogare. Ratio diuerſitatis eſt, quod priori caſu crimen quatenus complicis habeatur quaſi notum, ſed lateat auctor, vnde hic locum habent quæ ſup. dub. 14. De inquiſitione generali diximus: In poſteriori autem caſu crimen vt complicis eſt planè occultum, vnde hic nihil eſt quod iudici aperiat viam ad inquirendum de ſocijs etiam in genere. Vide Mald. ſup. dub. 23. Bonac. & alios antè cit.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm iudex peccet & ad reſtitutionem teneatur, ſi cõdemnet reum cuius criminis confeſſionem aut cognitionẽ præter iuris ordinem extorſit?

RESPONDEO & DICO Primò: Peccat, & ad reſtitutionem tenetur iudex ſi 120
condemnet nõ ſubditum, vel in crimine exempto in quo non eſt ſubditus. Eſt euidens & communis doctrina: facit enim manifeſtam ipſi iniuriam, tametſi enim hic dignus erat

Digitized by Google

erat pœnâ, iudex tamen ille non habebat auctoritatem puniendi qui eâ in parte erat inſtar hominis priuati: quare peccat,& cum ex iniuria illata naſcatur obligatio ſi damnum inde ſit ſecutum, conſequens eſt, quod etiam ad reſtitutionem teneatur.

121 DICO Secundò: Etiam iudex proprius peccat, & ad reſtitutionem tenetur, qui reũ condemnat vel ex priuata ſua ſcientia, vel ex cognitione per iniuriã extortâ. Ita communiter DD. Dom. Soto de tegẽdo ſecreto q.2. Nauar. c.18. n.59. Syl. V. Inquiſitio 1. quæſt. 3. Pet. Nauarra lib.2. cap.3. n.242. Et

Ratio eſt: quando enim ex priuata ſcientia iudex condemnat, infert reo iniuriam tamquã iudex minimè competens: quia non eſt ipſi data poteſtas condemnandi reum ex priuata cognitione, vt ſup. dictũ eſt: quando autem per iniuriam extorquet criminis cognitionem, dat ipſe tunc iniuſtè cauſam totius mali quod reo inde obuenit: vnde tenetur ad illius reparationẽ quod ex illa cognitione ſic per iniuriam acquiſitâ conſequitur: quemadmodum ſi quis crimen occultum alterius iniuſtè patefaceret, vnde illum condemnari contingeret, teneretur ille patefaciens ad reſtitutionem, quia iniuſtè cauſam damni dediſſet.

Quando itaque iudex ex ſe ipſo inchoat inquiſitionẽ ſine infamia, aut denuntiatione iuridica præcedenti, quæ viam inquiſitioni aperiat; quando per torturã aut per metum propinquum torturæ extorquet criminis confeſſionem, antequam habeat ſemiplenam probationem aut inditia aliàs ſufficientia ad torturam, imò etiamſi fortè tantùm per metum leuem, vt contra Soto docet Mald. dub. 25. cum Pet. Nauarra. Item quando fraude vel dolo elicit confeſſionem, vt ſub promiſſione impunitatis quã non poteſt concedere tenebitur iudex in iſtis caſibus ad reſtitutionem damnorum, quæ ex tali proceſſu & cognitione obuenient: cenſetur enim in iſtis & ſimilibus per iniuriã à ſe illatam, criminis cognitionem extorquere aut elicere, & proinde reus eſſe damnorum quę inde ſequuntur. Vide Iul. Clarum lib.5. qu.55. n.7. & ſeqq.

Quare vbi obſeruauerit iudex ſe reis fuiſſe iniurioſum in criminis cognitione eliciẽdâ, omni modo debet curare quantum in ipſo eſt, ne vlteriora mala inde reo inferantur.

Petet aliquis, quid ſi ſuperior iudex illa intelligens mandet omninò quatenus inferior ſuper inditijs quæ elicuit aut extorſit, quamuis iniquè,& nunc iudicialiter cognita ſunt, progrediatur contra reum, vtrùm obedire inferior poterit?

Reſpondetur, obedire poſſe; quia mandatum

122 ſuperioris iudicis iuſtum eſt: hoc ipſo enim quo crimen eſt patefactũ vel ſufficientia eius inditia iudicialiter innotuerint, etſi per iniuriam, poteſt iudex qui iniuriæ cauſa nõ eſt, progredi in iudicio, & vti cognitione tali, vt ſup. dictum fuit. Quare ſuperior iudex qui iniuriæ cauſam non dedit, poteſt eo caſu iuſtè curare ac iubere, vt vlterius contra reum procedatur, cui inferior obtemperare ſine peccato poterit: vt docet Leſſius ſuprà c.29, dub.18. n.175. & ſumitur ex Pet. Nauar. ſup. n.243, quia proceſſus vt à ſuperiori intentatur legitimus eſt: vnde huic cooperando non cenſetur inferior nouam iniuriã inferre, ſed iuſtitiam promouere, præſertim quia non ſua voluntate, ſed quadam neceſſitate id agit. Quod addo, quia ſi merè ſua ſponte vlterius procederet, iã videretur iniuriam inchoatam velle continuare, & multiplicare, non ſic quando aliqua iuſtâ neceſſitate ad progrediendum vrgetur cui poteſt ſatisfacere, quandoquidem crimen ad iudicium ſit deductum. Imò poteſt fieri vt propter ſcandalum auertendum teneatur iudex progredi quamuis per iniquam formam inquiſitionis fecerit crimen, quod verè commiſſum eſt, innoteſcere; vt indicat & ſupponit Mald. ſup. dub.25. cum Pet. Nauar. ſup.

Eiuſmodi tamen iudex ſiue propter mandatum ſuperioris, ſiue propter neceſſitatem 123
ad ſcandalum auertendũ progrediatur vlterius, obligabitur reo de omni damno, quod inde obueniet, eo quòd ipſe iniuſtè dedit cauſam iſti neceſſitati quâ nunc ad procedẽdum contra ipſum conſtringitur, & in eas anguſtias cõtra officium ſuum ſe,& reum iniquè conjecit, vt docet Soto, & Pet. Nauarra ſup. Si tamen erratum eſſet contra ordinem iuris in aliquo tantũ, in quo poſſit princeps diſpenſare, poterit tunc ille inferiori relaxare obligationem reſtituendi, quã alioquin reo tenebitur: quemadmodum nec tunc teneretur ſi iudici ſuppetebant aliæ rationes, quibus reum iuridicè & ſecundum iuris ordinem damnaturus erat, aut damnare poterat, quia tantum cenſetur iniuria commiſſa in modo inferendi malum, non autem in malo illato, quod aliâ viâ ipſe poterat iuſtè inferre, & ſic non videtur ad reparationem teneri, quia poſito quod reparaſſet, poſſet iterum idem inferre. Vide Mald. & Leſſ. locis ſuprà citatis.

DVBIVM XIX.

Vtrùm iudici licet munus aliquod accipere?

NOtat Bonac. diſp. 10. q.2. puncto 8. ad tria poſſe capita reduci, quæ contingit iudicem accipere: alia dicuntur ſtipendia pro officio: alia dicuntur expenſæ pro labore: alia dicuntur munera: inter quæ ponitur aliqua diſtinctio, nam quædam vocantur xenia aut xeniola, & ſunt eſculenta aut poculenta minoris momẽti quæ die vno aut al-

Digitized by Google

tero conſumi ſolent aut poſſunt: alia ſunt maiora, & alia ſimpliciter dicuntur dona aut munera. His præmiſſis

124 Respondeo & Dico Primò: Scriptura ſancta tum vetat, tum grauiter reprehendit frequentius iudices, qui munera à partibus accipiunt: vt Exodi 23. *nec accipies munera*, &c. Deuteronomij 16. & 17. 1. Regum 8. & 12. Iob. 15. Pſalmo 15. & 26. Prouerb. 17. & 22. Iſaiæ 1. & 33. Eccleſiaſtici 46. & alibi.

Rationem autē paſſim ſimul indicat: quia munera excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum; vnde fit quod accipientes munera peruertāt ſemitas iudicij, & vendant pauperes, vt loquitur ſcriptura. Hinc etiam Iura ſtatuerunt graues pœnas in iudices qui muneribus ſe ſinunt corrumpi: & quidem ſi in cauſa criminali, vt ſi ex corrupti iudicis ſententiâ fuerit innocens condemnatus capitis, ipſe iudex capite & proſcriptione bonorum mulctatur. In cauſis ciuilibus autem punitur redditione quadrupli ſupra principale eius quod acceperat. Vide Graffium lib. 2. cap. 123.

Dico Secundò: Non tamen vetitum eſt, quo minus iudices poſſint recipere & habere ordinaria ſua ſtipendia ſeu honoraria. Patet ex Cap. Militare, cauſa 23. qu. 1. Ratio eſt, quia obligatio & labor iudicandi, ſunt res pretio æſtimabiles, & operarius mercede dignus eſt: vnde à partibus ea accipere poſſint, niſi à Repub. vel aliunde eis ſtipendium ſit pro officio iudicandi attributum, vt monet Bonac. ſuprà n. 2. Deinde præter ordinaria poteſt laicus iudex delegatus accipere ſportulas, vt docent Azor. 3. p. li. 11. c. 23. §. Dubium. Syluеſter V. Iudex 1. qu. 10. Angelus eodem V. n. 16. Bonac. ſup. & alij. Non ita iuxta Canones iudex ordinarius, ſiue Laicus ſiue Eccleſiaſticus, imò nec delegatus Eccleſiaſticus, quando ipſorum ordinariũ ſtipendium aut prouiſio ſufficit, adeò vt eccleſiaſticus à reſtitutione eius quod accepit, excuſari non poſſit, etiamſi pars quæ dedit, remittat, Cap. Statutum §. ſi quid autem, de reſcriptis in 6. & Cap. Cum ab omni, de vita & honeſt. Clerici, & Syl. V. Iudex q. 8. qui tamen notat quod iudex ſecularis etiam ordinarius, quando cauſa excedit centum aureos, habeat ipſe duos in principio, & duos in fine, vide Authentic. De iudicibus.

125 Dico Tertiò: Permittitur etiam iudici accipere aliquid exigui munuſculi in eſculentis aut poculentis merâ liberalitate oblatum quod paucis diebus conſumi poteſt, & vt diximus, vocantur xenia aut xeniola. Ita DD. communiter, Azor. ſup. cap. 23. dub. 1. Caiet. V. Iudicis peccata, Syl. ſuprà, Bonac. ſup. n. 5. cum alijs quos citat. Tale munuſculum dici poterit vinum oblatũ in amphoris, non in dolijs, vt quidam notant. Vide cit. Cap. Statutum §. inſuper, & l. Solent, §. vlt. D. De officio proconſulis.

Rationem reddit Gloſſa, quia nõ putatur re tam modicâ animus iudicis mouendus. Rectè tamen lege citatâ monentur iudices, ne eiuſmodi xenia ſiue xeniola auidiùs captent, neve per auaritiam abutantur humanitatis iſtâ indulgentiâ; quia reuera humanus animus infirmus eſt, & etiam paruis, ſi non omninò mutetur, facilè ſaltem debilitatur & ſegnior redditur ad iuſtitiæ adminiſtrationem. Vnde omninò iudicibus qui ſincerè cupiunt officium exercere, ſuadendum eſt, vt etiam à talibus accipiendis abſtineant.

Dico Quartò: Permittitur quoq; iudici delegato, ſi propter cauſam ſibi commiſſam 126 cogatur extra domicilium foras proficiſci, & partes non ſint notabiliter pauperes, quod accipere poſſit moderatas expenſas æqualiter à partibus ſuppeditandas, patet ex cit. Cap. Statutum, cum Gloſſa in Cap. Cum ab omni, de vita & honeſtate Clericorum: hoc enim non pertinet ad lucrũ muneris, ſed ad cautelam indemnitatis: quod tamen DD. vt Angelus, Syl. Azor. ſup. citati reſtringunt ad iudicem delegatum ad vnam cauſam ſpecialem, ſecus ſi delegatus ſit ad vniuerſitatem cauſarum. Idem dicunt DD. permitti cuilibet iudici ſæculari, quando propter cauſam extra domum & domiciliũ foras proficiſcitur, Bonac. ſup. n. 6. & alij quos citat: non ſic autem, dicit, permitti iudici ordinario eccleſiaſtico, dum proficiſcitur extra domicilium ad locum ſuæ iuriſdictionis, nam habet beneficium pro officio (inquit) & fructus beneficij pro ſtipendio & expenſis accipit.

Excipiuntur tamen duo caſus: Vnus eſt, quando Epiſcopus proficiſcitur extra Diœceſim ad viſitandam prouinciam, vt patet Cap. Cum Apoſtoli, de cenſibus: Alter eſt, quando accedit ad conſecrandam Eccleſiã, Cap. Cũ ſit Romana, de Symon. Ratio huius conceſſionis poteſt eſſe extraordinarius labor, qui in Eccleſiæ cõſecratione adhibetur.

Dico Quintò: Poſt latam ſententiam, quæ iam abierit in rem iudicatam, non eſt 127 iudici prohibitũ admittere munus liberaliter oblatum ſine pacto expreſſo vel implicito præcedente: & modò abſit periculum ſcandali ſubſequentis. Ita Nauar. tom. 3. De datis & acceptis, notabili 9. num. 17. & 21. Bonac. ſup. §. incidens, n. 14. & paſſim alij. Addidi, & modo abſit periculum ſcandali ſubſequentis, quia ſolet etiam contra tales ſic accipientes, facilè præſumi corruptela, præſertim in foro externo, vt notat Graffius ſup. vide Capitulum Cum ſit Romana, de ſymonia. Porrò quemadmodũ iudicibus non licet munera accipere, ſic neque partibus licitum eſt ea iudici donare propter periculum ſubuertendi iuſtitiam, adeò vt quamuis exiſtiment ſe iuſtã habere cauſam,

non

non tamen poſſint iudicem ſollicitare vt pro ipſis ferat ſententiã, & qui fecerint puniuntur in foro externo: quod etiam aduertendum putat Graffius ſup. etiamſi certò pars ſciat ſe iuſtam habere cauſam; in foro tamen conſcientiæ non viderentur eo caſu damnandi ſi abeſſet ſcandalum & iuſta ſuffragaretur neceſſitas iuxta Mald. dub. 27. Eſt tamen periculoſum, quia facilè applaudit ſibi homo de euidenti iuſtitia cauſæ ſuæ, & dum ſollicitat animum iudicis muneribus vel alijs modis æquiualentibus, metuendum eſt, ne labefactet iuſtitiam & iudicium peruertat cum iniuria proximi.

Excuſant tamen DD. ſi partes donent munus per modum redimendæ vexationis, quia aliter iuſtitiam nequeunt obtinere, ſic vt tantum intendant iuſtitiæ adminiſtrationem promouere, in qua iudices ſæpius plus iuſto tardiores ſunt non ſollicitando iudicem pro ſe, ſed vt pro iuſtitia ſententiam pronuntiet: ita cum Graffio. Mald. ſuprà.

CAPVT SECVNDVM,

De Officio accuſatoris & teſtis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit accuſatio & quæ ad eã requirantur ſolemnitates?

1 RESPONDETVR: Accuſatio iuridica propriè eſt delatio alicuius criminis ab aliquo commiſſi ad vindictam publicã, legitimâ interueniente ſubſcriptione. Ita Bonac. ad 8. præceptum Decalogi diſp. 10. quæſt. 3. puncto 1. Azor. lib. 1. cap. 19. Clauis Regia l. 12. cap. 14. & ſic definiri communiter teſtatur Iulius Clarus pract. ſentent. quæſt. 112. Solemnitates autem multæ de iure ad eam requiruntur: Inprimis iurare debet accuſator quod non animo calumniandi, reum accuſet. Vide Clarum cap. 5. quæſt. 81.

Secundò, Debet accuſatio fieri in ſcriptis, vbi exprimi debent nomen accuſatoris & accuſati, ſpecies delicti, tempus & locus ſcilicet annus & menſis, quibus delictum fuit patratum, l. Libellorum D. De accuſationibus: non tamen eſt omninò neceſſe exprimere diem, modò non petatur apponi, quia reus velit ſe defendere & probare ſe alibi eo die fuiſſe.

Tertiò, Debet accuſator nomẽ ſuum ſubſcribere ſiue inſcribere per ſe aut per alium, ſi ſcribere neſciat; l. Libellorum D. iam cit.

Quartò, Debet hac inſcriptione ſe obligare ad probandum crimen ſub pœna talionis.

Quintò, Ne inutilis fiat talis obligatio, Accuſator, vbi reus iam carceri fuerit mancipatus, debet etiam ipſe (habitâ tamen dignitatis ſuæ ratione) ſeſe carceri committere vbi conſiſtat, donec liquidò conſtiterit de crimine, vt patet l. vlt. C. De accuſationibus: quamquam duæ iſtæ conditiones non videantur amplius eſſe in vſu, vt notat Bonac. loco cit. ex multis alijs.

Sextò, In crimine publico licet quilibet ciuis regulariter accuſare poſſit, nõ tamen ſic in crimine priuato; ſic enim is ſolus accuſat cuius intereſt, niſi fortè crimini ſit conſtituta pœna applicanda fiſco.

Publicum crimen autem hoc loco cenſetur, quod directè committitur in publicas perſonas, aut in publicam auctoritatem, vt in Deum, in Sanctos, in Eccleſiam, in Reges, in Magiſtratum, in Officialem publicum &c. De quibus videre licet inſtituta de publicis iudicijs: priuata autem ſunt reliqua: ex quibus tamen aliqua etiam iure ciuili habentur tanquam publica, vt crimen adulterij, veneficij, paricidij, & ſimilia: de quibus videre licet l. Non omnia D. De publicis iudicijs. Dico etiam iure ciuili, quia exiſtimant multi iure canonico omnia haberi, vt publica in hac materia accuſationis. Dixi regulariter quemlibet ciuem in crimine publico poſſe accuſare; quia aliqui repelluntur de iure, vt excommunicatus, infamis, præſertim infamiâ iuris, qui ipſe eſt accuſatus, & alij nonnulli. Vide plura de materia huius dubij apud Syluestrum V. Accuſatio quæſt. 1. & Mald. cap. 2. dub. 1. 2

DVBIVM II.

Vtrùm aliquis obligetur aliquando ad accuſandum?

PRoponit hoc dubium D. Th. q. 68. a. 1. & reſpondet, ſi crimen fuerit tale quod vergat in detrimentum Reip. caſu quo maneat impunitum, puta, quia vergit in multitudinis corruptelam corporalem ſeu ſpiritualem, vt ſunt hæreſis, conſpiratio contra Principem vel Remp. falſificatio monetæ, tenetur quis ad accuſandũ, dummodo poſſit ſufficienter probare: & ita quoq; docent Nauar. c. 25. n. 23. Clauis Regia lib. 14. c. 16. Banneſ. Arragon. Saloni, & alij hic art. 1. cit. 3

Probatur: quia tenetur quilibet impedire & auertere malum Reipublicæ, cuius eſt membrum: quando igitur crimen eſt tale, vt impunitas cauſaret incommodum com-

munitatis, tenetur quilibet, quantum in ipſo eſt curare, ne crimen maneat impunitum, & proinde obligatur ad accuſandum: probat idem D. Thom. ex illo Leuiticorum cap. 5. *Si peccauerit anima & audiuerit vocem iurantis, teſtiſq; fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.*

4 Poteſt tamen videri contrarium ſentire ſumma Angelica V. Accuſatio, vbi adducit gloſſam ad Cap. Quapropter, cauſa 2. qu. 7. quæ tamen parùm facit ad eius propoſitum: magis autem fauet gloſſa in Capit. Licet, de accuſationibus, quæ dicit neminem compelli ad accuſandum; & allegat Cap. Si quis, cauſa 2. quæſt. 3.

5 Pro huius difficultatis explicatione, & ſententiarum quæ in ſpecie repugnant, conciliatione, Notandum eſt primò, ex diuerſis capitibus naſci obligationes ad aliquid agẽdum, aliquando ex lege naturali, aliquando ex lege diuina, aliquando ex lege humana Eccleſiaſticâ aut Ciuili: Notandum ſecundò, nomen accuſationis aliquando ſumi omninò ſtrictè, prout hoc fuit explicatum Dubio præcedenti, vt diſtinguitur ſcilicet non tantum contra denuntiationem fraternam, ſeu euangelicam; ſed etiam contra denuntiationem iuridicam: aliquando autem ſumi latius, ſic vt propter affinitatem quandam comprehendat ſub ſe quoque denuntiationem iuridicam ſeu iudicialem, quę etiam habet bonum publicum pro ſcopo, tenditque ad punitionem eius qui peccat, qualis eſt illa, v. g. quæ fit apud inquiſitores hæreticæ prauitatis. His poſitis, poſſunt ſic conciliari, quæ à Summa Angelica proferuntur, & quæ docet hîc D. Thomas, quod ſcilicet Angelica & Cap. allegatum loquantur de obligatione ſeu compulſione, quæ inijciatur per ius humanum ſiue eccleſiaſticum ſiue ciuile, & inſuper agat de accuſatione ſtrictè accepta, quam nemo tenetur inſtituere, vt patet ex l. Vnica C. vt nemo inuitus accuſare vel agere teneatur: Sed D. Thomas doceat aliquando quempiam compelli ſeu obligari ad accuſandum iure naturali, idque loquendo de accuſatione latius acceptâ, prout denuntiationem iudicialem comprehendit, vt rectè notat Arragonius ad cit. art. 1. quæſt. 68. quam certum eſt aliquando in præcepto eſſe ex lege naturali: quod ratio D. Thomæ allegata ſatis probat: neque conuincit de accuſatione ſtrictè omninò accepta: quia per denuntiationem iudicialem regulariter bono communi ſufficienter prouideri ſolet, vt habet Arragonius, atque ita qui ſic denuntiat, cenſetur meritò obligationi ſuæ quâ Reipub. tenetur, ſatisfeciſſe, præſertim ſi quos nouit teſtes, ſimul iudici ſuppeditet aut ſuggerat: quandoquidem eiuſmodi denuntiatione factâ iudex poſſit ex officio per inquiſitionem contra denuntiatum vlterius procedere: quare non videtur ratio, cur dici debeat obligatus priuatus aliquis ad inſuper inſtituendam accuſationem iuridicam rigoroſè dictam.

Addit autem D. Thom. dummodo ſufficienter poſſit probare, quia hoc inprimis pertinet ad officium accuſatoris. Deinde neque licet crimen ſi occultum ſit, ita vt auctor de eo non ſit infamatus, denuntiare iudici, niſi poſſit in iudicio probari, vt ex ſupra dictis licet colligere. Ratio eſt, quia ſine vtilitate publica tunc alter diffamaretur, quandoquidem propter defectum probationis non poſſet ad aliorum exemplum & terrorem puniri. 6

Quando autem crimen tantùm noxium eſt priuato, cuius iniuriæ remittendæ ipſe habet poteſtatem, tunc liberum ipſi erit vel accuſationem inſtituere, vel eam prætermittere: quod etiam extendit Malderus ad caſum quo quidem vertitur cauſa communis, ſed damnum eſt exiguum, aut ſi aliquantulum ſit notabile, tamen accuſatori imminerent tam magna incommoda vel pericula ex accuſatione, vt habeatur à neceſſitate accuſandi excuſatus: non enim pro qualicumque incommodo aut periculo cõmuni tenetur ſemper priuatus ſubire maxima & grauiſſima incõmoda, vt puta, ſi malum quod Reipublicæ timetur ſit ſatis incertum, & non ita maximi momenti: aut ſi putetur alijs modis aut per alios auertendum: vide Malderum dubio 3. 7

DVBIVM III.

Vtrùm poſſit quis accuſare alterum antequam priuatim fuerit monitus?

De hac re diuerſi Doctores diuerſimodè loquuntur: ſed magis videntur differre in Verbis, quàm in re ipſa. Pro explicatione autem obſeruandum hic eſt, alium eſſe finem denuntiationis Euangelicæ, vt vocant, quæ ſuperiori tanquam patri fit: & alium eſſe finem accuſationis, vel etiam denuntiationis iuridicæ quæ ſuperiori fit, vt iudici: illius enim finis eſt emendatio fratris qui denuntiatur: huius autem finis eſt punitio publica ipſius Rei, non quidem vt eſt malum perſonæ; ſed quatenus eſt neceſſaria aut conducens ad bonum publicum, vt ſcilicet mala à multitudine extirpentur, & cohibeantur ſubditi à malefactis. His poſitis 8

Respondeo & Dico Primò: Quando crimen ſufficienter probari poteſt in iudicio, non tenetur accuſator ex iuſtitia præmittere monitionem ſecretam, ſed ſine iniuria poteſt accuſationem contra reum inſti- 9

Digitized by Google

inſtituere. Sumitur ex D.Thoma in 4. diſt. 19.quæſt.2.art.3. quæſtione 1.ad 4.quando dat ſecundam ſolutionem: Et docent ſic Azorius 3.p.lib.13.cap.19.dub.5. Angel. V.Accuſatio nu.1. Tabien.nu.3. Malderus Tract.6.c.3.dub.3. in fine, Bonac.diſp.10. quæſt. 3. puncto 1. propoſitione 4. Leſſius lib. 2. cap. 30. dub. 2. Colligitur ex Capit. Qualiter 2. De accuſationibus. Vbi dicitur, Sicut accuſationem legitimam debet præcedere inſcriptio, & ſic denuntiationem charitatiua monitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio præuenire. Ratio eſt, quia propter bonum publicum, tunc conceſſa eſt de iure accuſatio vel ſaltem denuntiatio iuridica, vt crimina ad terrorem aliorum puniantur, ſicque alij à malefaciendo cohibeantur. Confirmatur, quia ſyndicus poteſt eâ de cauſâ, accuſare ante ſecretam monitionem, cur igitur non etiam priuati abſque iniuria id poſſint? quandoquidem iura loquantur generaliter. Vnde nec obſtat, quòd qui denuntiatione euangelicâ fratrem vult denuntiare, prius debeat illum monere priuatim, ſi exiſtimet eum ſic emendandum, idque ex iuſtitia, vt multi docent: Alia enim eſt vtriuſque ratio, quæ ſumitur ex diuerſitate finis huius, & illius, quia qui euangelicè denuntiat, tantùm pro fine ſuo habet, vt proximum lucretur per ipſius emendationem: vnde quando putatur emendandus monitione ſecretâ, fruſtrà omninò, & ſine fructu deferretur peccatum eius ad ſuperiorem: Atque ita nulla eſt cauſa detegendi illud: & hinc detectio illa haberet rationem detractionis: ſed qui accuſat, habet pro fine punitionem publicam ad bonum communitatis, qui finis non ceſſat, etiamſi malefactor priuatim poſſet emendari.

10 DICO Secundò, Fieri tamen frequenter poteſt, quòd ex charitate quis teneatur proximum ſecretò monere, antequam accuſet, aut iuridicè denuntiet, vt puta quando exiſtimatur priuatâ admonitione emendandus, ac ad debitam ſatisfactionem inducendus, ſi ad aliquam teneatur, & de reliquo non immineat ab illo periculum communitati, nec punitio eius putatur neceſſaria ad ſcandala vel alia incommoda Reipublicæ auertenda. Et in hoc caſu & ſenſu obtinet locum ſententia aliorum, qui videntur docere ſimpliciter, quod ante accuſationem ſit præmittenda ſecreta monitio, non diſtinguendo, vtrùm ex iuſtitia, an ex charitate debeat præmitti: interim ex diſcurſu quem faciunt ſatis apparet quod loquantur tantũ de obligatione ex charitate. Vide Syluest. V.Accuſatio,qu.3 & Domin. Soto lib.5.de Iuſtitia & Iure quæſt. 5.art.1. Quòd ſi eiuſmodi ſubeſſent, iam ne quidem charitas obligabit, nec ſuadebit præmittere monitionem ſecretam, vt ab accuſatione vel denuntiatione iuridicâ abſtineatur.

DVBIVM IV.

Vtrùm accuſator poßit deſiſtere ab accuſatione inchoata?

11 RESpondetur, Aliquando poſſe, imò aliquando debere deſiſtere, aliquando autem non poſſe ſine vitio tergiuerſationis. Docet vtrumque D.Thom.quæſt.68.art.3. ad 3. & conſtat ex Capitulo Si quem pœnituerit, cauſa 2.quæſt.3.

12 Poterit itaque accuſator deſiſtere inprimis, imò & in conſcientia tenebitur, quando, licet bonâ fide, accuſationem inſtituit, poſtea tamen obſeruat ſe deceptum, dum exiſtimauit hunc fuiſſe authorem criminis, qui tamen non fuit. Ita D.Thom.ſuprà Arragon.Ibidem, Syluest.V.Accuſatio quæſt. 6. & res per ſe euidens eſt: quod etiam locum habet, quando res incipit ei eſſe dubia, ita vt poſt diligentem inquiſitionem, dubium perſeueret, vt notat Leſſ.ſup.dub.3.

13 Secundò: Deſiſtere poterit quando vera quidem crimina ſunt quæ obiecit, & de illis certus eſt, ſed teſtes per quos intendebat probare, deſerunt ipſum, vel quando fraude, aut malâ inſtructione aduocati exiſtimauit in iudicio poſſe ſufficienter probari, quod non poteſt. Ita Mald.ſup.dub.4.

14 Tertiò: Qui pro ſuo tantum intereſſe agebat poteſt deſiſtere à iuris ſui vſu in cauſa ciuili, tum per gratiam, tum per tranſactionem dum voluerit.

Si tamen actio ſit famoſa, qualis eſt actio furti, non poteſt in ea poſt litis conteſtationem tranſigere ſine authoritate iudicis, alioquin notatur infamia, vt habetur lege furti §. pactus ff. de his qui notantur infamia; ſimiliter in cauſa criminali ſimpliciter non eſt ei licitum deſiſtere poſt litem inchoatam, niſi interueniente authoritate iudicis: imò neque ſine conſenſu rei ſi fuerit ſubiectus torturæ, vel ex accuſatione ſit diffamatus. Quod ſi aliter deſtiterit, incurrit pœnam Senatuſconſulti Turpilliani. Vide l.1.Cod. ad Senatuſconſultum Turpillianum, & l. ſi quis D.eodem, & gloſſam ad Capitulum 1. De colluſione detegenda, cum Syluestro V. Accuſatio quæſt.7.

15 Quartò: Poteſt accuſator deſiſtere imperio ſiue auctoritate Principis, vt conſtat ex Cap.Si quem pænituerit, ſup.cit. Eadem eſt ratio ſi appellatur accuſatio à iudice, ſic vt non admittatur.

16 Vbi hoc aduertendum eſt, multum intereſſe hic inter Principem ſiue iudicem ſupremum, & inter iudicem inferiorem, nam princeps ſupremus ex plenitudine poteſtatis poteſt non tantum impedire accuſationem inchoandam, ſed etiam ſiſtere aut abolere

Digitized by Google

inchoatam, quando id iudicat ad publicum bonū ſpectare: vt ſi accuſetur perſona aliqua quam videt non poſſe ſine maxima perturbatione Reipublicæ ſupplicio affici, poterit tunc accuſationem ſiſtere, etiamſi quoque accuſator in priuatâ cauſa agat, vt ſuas iniurias perſequatur, prout hic docet Caietan. qu.68.a.3.& cum illo Arragonius ibid. quia Principis eſt primariò curam gerere boni communis & publicæ tranquillitatis, ad quę refertur bonum priuatorum. Iudex autem inferior ſolùm poteſt refellere ſiue non admittere accuſationem inſtituendam, idque non abſoluto iure, ſed per formam Epykiæ & ex quadam tacita Principis voluntate, non poteſt verò impedire ſemel admiſſam: ſi tamen exiſtimet multùm intereſſe Reipublicæ, poterit cauſam protrahere, & interim negotium ad principem referre. Imò ſi aduerteret Rempublicam certò perturbandam, ad ſeditionem commouendā propter conditionem perſonæ accuſatæ, aut aliquid ſimile, poterit etiam accuſationem inchoatam abolere authoritate quæ ſecundum rationem Epykiæ cenſetur in tali caſu conceſſa, quando aliter non poteſt vllo modo prouidere bono communi: vt notat Arragon. ſuprà.

17 Illud denique obſeruandum hic eſt: Regulare & ordinarium eſſe, quod dum præter abolitionem ſiue prohibitionem principis, deſiſtit accuſator; ipſum tunc fieri obnoxium pœnis conſtitutis per leges ante citatas; quare & in primis caſibus, quando diximus eum poſſe deſiſtere, aut etiam in conſcientia teneri ad deſiſtendum, oportet vt id fiat mediante Iudicis authoritate, vt in foro fori à pœnis eximatur.

DVBIVM V.

Vtrùm teneatur quis ſemper denuntiare authorem criminis, vel cōtra eum teſtari, Iudice mandante vel iuramentum deferente?

Reſpondetur: Multis caſibus haud dubiè tenetur ſubditus denuntiare, quādo iudex mandat, vt qui authorem criminis nouerit, eum deferat, & ſimiliter etiam teſtari poſito iudicis præcepto: Sumitur ex D.Thoma quæſt.70.art.1.ad 2.

18 Primus itaque caſus ſit: Quando author criminis laborat iam infamiâ talis criminis ab eo commiſſi. Secundus: Quando, licet non laboraret infamiâ, tamen ab eo immineret notabile damnum Reipublicæ in futurum, quod alia ratione auerti non poſſet: quo caſu etiam abſque præcepto iudicis teneretur denuntiare. Tertius: Si graue malum immineat alicui etiam priuato, quod aliter nequeat impediri: nam tunc etiam Charitas obligat ſiue ad denuntiandum, ſiue ad teſtandum, prout ſtatus negotij poſtulat. Quare ſi in his caſibus iudex ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præciperet denuntiationem faciendam aut teſtificationem, qui non obediret eiuſmodi mandato, incurreret ipſo facto cenſuram, quia obedire tenebatur, vt tradit Leſſius ſuprà dub.6.ex Nauarro cap.17.num.34.& 35.Item cap.25.num.46.& 47. Quartus: Si de authore delicti eſt ſemiplenè probatum, tenebitur teſtis delato ſibi iuramento iurare de veritate dicenda, ac ipſam veritatem, quam nouit, dicere: quia per ſemiplenam probationem in iudicio, incipit crimen eſſe publicum non minùs quam per hoc quod laboret author infamiâ criminis. Quintus: Si procedatur viâ accuſationis, & delictum plenè poſſit probari, tenetur quoque teſtis citatus teſtimonium dicere. Ita Bonac.tom. 2.diſp.10.quæſt.3.puncto 3.num.4. Et colligitur ex l.Inuiti ſect.19.D.De teſtibus, vbi explicatur, quinam non poſſint inuiti compelli ad teſtandum; vnde à contrario ſenſu colligitur reliquos poſſe. Vide Nauarrum ſuprà cap.25.num.47.

Ratio autē reddi poteſt, quia niſi eo euentu poſſit teſtis compelli, nullus ferò poſſet accuſare, quia probationem non poſſet perficere teſte tergiuerſante: hoc autem redundaret in publicum detrimentum: imò ſi quis accuſauit, aut iuridicè denuntiauit, quia in conſcientiâ ad hoc obligabatur, tenebitur tunc teſtis etiam ſpontè ſe offerre, vt docet Nauarrus loco iam citato: quod tamen intellige, ſi teſtimonium huius fuerit neceſſarium ad probationem perficiendam.

E contrario autem diuerſis in caſibus non obligatur quis denuntiare aut teſtari veritatem quam nouit, etiam iudice præcipiente: 19
Vt primò, ſi ex confeſſione Sacramentali eam nouerit, imò nulla tunc ratione poterit eam manifeſtare etiamſi ſalus Reipublicæ independeret, vt communis & certa habet doctrina. Secundò, ſi alicui ſub ſecreto ſit patefactum crimen, conſilij vel auxilij petendi cauſa pro ſalute animæ vel corporis delinquentis, vt ſi Aduocato, Doctori Theologo, Medico aut obſtetrici ſit ita manifeſtatū. Ita tenent DD. communiter. Vide Bonac. ſup.nu.6 cum multis quos citat. Rationem dant: quia miſero homini non debet obeſſe quod auxilij vel conſilij petendi gratia ſe alteri bonâ fide patefecerit, hoc enim nimirū videretur miſeros delinquentes ſiue qui deliquiſſent ab omni neceſſario ſubſidio ſecludere. Colligitur ex D.Thoma quæſt.70.art.1, ad 2. vbi ſcribit: quandoque ſunt

ſunt talia (ſcilicet quæ ſub ſecreto quis accepit) vt ea prodere non teneatur (ſcilicet ſtatim & per ſe, etiã non interpellatus (puta, quia non vergunt in publicum detrimentum, nec in malum alicuius perſonę priuatę) vnde obligari poteſt ex hoc quod ſibi ſub ſecreto committantur; & tunc, inquit, nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto ſuperioris: quia ſeruare fidem; ait, eſt præcepti naturalis, nihil autem præcipi poteſt, quod eſt contra id quod eſt de iure naturali.

20 Hinc plures doctrinam hanc extendunt etiam ad caſum quo auctor criminis laboraret infamiâ, vel de eo haberetur ſemiplena probatio, ita Corduba libro 1. quæſtionum, quæſt. 43. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 4. n. 222. Clauis Regia lib. 12. cap. 22. nu. 14. & alij quos citat.

Dices: Iudex tunc habet ius inquirendi quando ſubeſt infamia, vel habetur ſemiplena probatio: ergò alter tenebitur denuntiare aut teſtari, quando iudex hoc præceperit; alioquin iuri iudicis hic præiudicaretur. Reſpondetur, propter hoc argumentum Dom. Soto lib. 5. De iure & iuſtitia qu. 7. artic. 1. & De ſecreto tegendo membro 2. qu. 7. concluſione vltima, docuit contrariũ. Nihilominus verius apparet, quod ordinariè tunc non teneatur. Vnde ad argumentũ reſpondetur, negando conſequentiam: quia quamuis iudex legitimè inquirat generaliter vel etiam ſpecialiter, tamen ego qui tali modo id cognoui, ſic vt ſub ſecreto mihi ex talibus occaſionibus fuerit commiſſum, non teneor illud declarare propter rationes allegatas; quia concurrentibus duobus præceptis, quibus ſimul ſatisfacere non poſſumus, ſeruandum eſt id quod maius eſt: hic autem concurrunt ſic duo pręcepta, quorum vnum eſt de parendo iudici mandanti & legitimè interroganti, & alterum de ſeruando ſecreto ex prædictis cauſis nobis commiſſo: inter quæ maius eſt de ſeruando tali ſecreto, quod eſt iuris naturalis & maximè faciens pro fama, honore & bonis proximi, vnde hoc potius eſt ſeruandum, quàm præceptum iudicis mandantis, vt ad eius interrogata reſpondeamus. Excipiendus eſt tamen caſus quando declaratio tua eſſet neceſſaria ad auertendum damnum Reipublicæ vel proximi, vt etiam docet D. Tho. loco citato, & q. 68. art. 1. ad 3.

21 Tertiò, non tenebitur ad denuntiandum ſi auctor non laboret infamiâ, nec timeatur malum in futurum, vt ſi putetur priuatis admonitionibus emendandus: neque tenebitur quis contra eum teſtari, quando per inquiſitionem proceditur, quamuis ipſe cum duobus vel tribus alijs factum nouerit, vt docent Syl. V. Inquiſitio n. 7. & V. Correptio n. 6. Fumus verbo eodem, nu. 10. Pet. Nauar. ſup. n. 168. Clauis Reg. ſup. n. 18. Arragonius, Salonius, Caiet. 2. 2. qu. 70. art. 1. & alij plures: quia non poteſt iudex tunc inquirere, aut ſi admittatur, generaliter inquirere poſſe, id tamen non ex eo prouenire dicendum eſt, quod iuriſdictionem habeat in auctorem occulti criminis, vt de illo cognoſcat, ſed vt ſatisfaciat Reipublicæ quæ poſtulat, vt fiat diligens inquiſitio, ſaltem ad hoc. vt malefactores timeant; non autem poſtulat, vt eo in caſu pateſiant quando ſunt occulti, ſic vt non laborent infamia, nec de cętero timeatur ab eis malum.

Quartò: quando proceditur viâ accuſationis, ſi videat teſtis rem plenè probari non poſſe ex eo quod ipſe ſolus & accuſator ſciant, non tenebitur ſecundum aliquos teſtari, niſi fortè neceſſarium ſit ad impediendum malum: ita docent Syluester V. teſtis, quæſt. 8. Angelus num. 28. Leſſius ſup. dub. 6. num. 49. Contrarium tamen ſentiunt Dominicus Soto lib. 5. De Iure & Iuſtit. qu. 7. art. 1. Clauis Regia lib. 12. cap. 20. nu. 6. Bonacina ſuprà num. 5 & alij quos citat: nec apparet ſufficiens ratio, quâ excuſetur à teſtando, quia non incumbit illi probare, ſed tantum dicere quod nouit, quando iudex legitimè præcipit. Hoc interim admittunt omnes, quod poterit teſtari ſi velit, & efficiet ſemiplenam probationem, ſi teſtis ſit omni exceptione maior; vnde poterit tunc iudex ex officio contra reum procedere ſubijciendo illum quæſtionibus, quia via accuſationis, & via inquiſitionis non ſe mutuò impediunt, vt docent Iulius Clarus lib. 5. §. practica criminalis quęſt. 3. nu. 7. & Gomezius tomo 3. cap. 13. 22

Quintò, nõ tenetur quis pateſacere eum qui cum aliter iuſtum debitũ recuperare ab alio non poſſet, accepit rem illius clanculùm causâ compenſationis, quando ei conſtat non plus eum accepiſſe quam illi deberetur. Ita Nauar. c. 17. n. 105. Bonac. ſup. n. 7.

Ratio reddi poteſt, quia præceptum ſuperioris procedit ex præſumptione iniuſtitiæ commiſſæ quam ſcio non ſubeſſe.

Sextò, quando ex denuntiatione mihi aut meis immineret aliquod notabile incommodum: non enim tenetur quis cum notabili ſuo grauamine denuntiare aut teſtari, niſi forſitan hoc eſſet neceſſarium ad malum publicum auertendum. Ita D. Soto ſup. Nauarr. cap. 25. nu. 50. Bonac. ſup. n. 8. & alij quos citat.

Septimò, non tenebitur quando quis cognouit ſiue audiuit ab ijs tantum qui non ſunt fide digni: tunc enim ita ſe debet habere ac ſi neſciret, vt rectè Nauarrus ſuprà n. 46. neque etiam conuenit vt reuelet illos qui talia dixerunt ſi eos fide dignos non habeat, hoc enim eſſet exponere reum periculo iniuſtæ infamiæ aut iniquæ punitionis ſi ab iſtis

Digitized by Google

ab iſtis iudex inquireret. Denique quando quis ſolus omninò noſcet, ſic vt non poſſet probare, non teneretur denuntiare, etiamſi iudex præciperet, vt docet Nauarrus cap. 17. n. 136. quia inutilis eſſet denuntiatio ad commune bonum, niſi ageretur ad malum imminens impediendum. Si tamen agatur de teſtando, ſatis erit me ſcire, quia teſtis non tenetur ad probandum: quod etiam Leſſius tradit ſuprà num. 50. quamuis non ſatis conformiter ad illa quę habet num. 49. vt notat Bonacina.

DVBIVM VI.

Vtrùm tenetur aliquando teſtis ad reſtitutionem, ratione teſtimonij prohibiti, aut omiſſi?

23 RESPONDEO & DICO Primò, Si quis ſciens & prudens, aut ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixerit, ratione cuius proximus iniuſtum damnum ſuſtineat, tenebitur is ad reſtitutionem damni illati. Ita Dominicus Soto lib. 5. quæſt. 7. ar. 4. Syluester V. Teſtis, quęſt. 10. Bonacina ſuprà num. 15. & alij communiter. Similiter quoque tenebitur, etſi verum teſtimonium dixiſſet, modò ſcienter contra iuris ordinem animo alteri nocendi contra reum teſtatus ſit. Ita Sanchez lib. 3. in Decalogum cap. 6. num. 28. cum alijs quos citat. Ratio vtriuſque eadem eſt: Quia talis eſt iniqua cauſa efficax ipſius damni quod alter patitur: vnde tunc aliter ſe rem habere docent nonnulli, ſi reus iam per alios teſtes erat conuictus, & teſtimonium huius accedens nihil fuerit operatum: puta, quia nec pœna ideò ſit aucta, neque iudex magis fuerit firmatus animo ad condemnandum: quamuis enim iniurioſè cum reo egerit, non tamen videtur cauſaſſe damnum.

24 Obſeruandum verò eſt, quando quis ſic falſum teſtimonium dixiſſet, ratione cuius mors vel mutilatio alteri eſt inferenda, obligari eum ad retractandum ſuum teſtimonium, ſi alterum exiſtimet ſic liberandum, etiamſi ipſe ſimilis pœnæ periculum deberet ſubire, vt communiter tradunt DD. Bonacina diſput. 10 quæſt. 3. puncto 3. nu. 15. & alij quos citat: quia tenetur quiſque damnum quod alteri iniquè parauit, auertere etiam cum pari damno proprio, vt patet in reſtitutione pecuniæ, honoris, prout conſtat ex antedictis, quia in tali caſu melior eſt conditio innocentis.

Opponitur, quod quiſque videatur magis obligatus conſulere vitæ propriæ quàm alienæ: ergò non debet alteri ſuccurrere cum periculo vitæ propriæ.

Reſpondetur id verum eſſe in pari caſu innocentiæ, vt quando vita alterius ſine mea culpa verſatur in periculo, non obligor conſulere illi cum periculo vitæ meæ: ſecus ſi meâ culpâ alteri periculum hoc cauſauerim: quare etiam is qui induxiſſet alios ad falſum teſtimonium perhibendum, tenebitur ex iuſtitia, hos monere vt retractent: quod ſi noluerint, tenebitur ipſe iudici totam machinationem manifeſtare, vt innocens liberetur, quamuis inde certa mors ipſi immineret; vt docet Petrus Nauarra libro 2. cap. 3. nu. 253. Bonacina ſuprà, cum alijs: quod tamen intellige, quando per huiuſmodi manifeſtationem putatur innocens poſſe liberari; vt notant quoque Doctores.

25 DICO Secundò: Si quis falſum teſtimonium dixerit ex aliqua ignorantia aut inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione ſaltem non mortifera, non videbitur ad reſtitutionem obligari, etiamſi alter inde damnum paſſus fuerit. Ita hic docet Caiet. quæſt. 70. art. 4. Salonius ibidem concluſ. 5. Petrus Nauarra ſuprà, Malderus ſuprà dub. 9. Nauarrus cap. 25. num. 40. Bonacina ſup. num. 15. & alij.

Ratio reddi poteſt, quia neq; tenetur ratione rei acceptæ, neq; ratione iniuſtæ damnificationis: non priori modo, cum nihil alterius habeat: non etiam poſteriori modo vt apparet, quia non peccauit ſaltem mortiferè, vti ſupponimus: quare damnum illud poterit cenſeri quaſi fortuitò obueniſſe alteri. Hinc addit Caiet. eum qui ſic teſtimonium perhibuit non obligari cum periculo vitæ illud retractare: ſi autem ſine periculo poſſit, haud dubiè ad retractandum tenebitur.

Pari, imò & maiori ratione non tenebitur ad reſtitutionem, ſi quis præter iuris ordinem interrogatus, per imprudentiam de vero crimine ſit teſtatus exiſtimans ſe ad teſtandum & veritatem dicendam obligari. Vide Sanchez libro 3. in Decalogum capite 6. num. 28.

26 DICO Tertiò: Non tenetur quis ad reſtitutionem ex eo, quod ſe ſpontè non obtulerit ad teſtandum, etiamſi ſuo teſtimonio damnum huius vel illius partis potuiſſet auertere. Ita Bonacina ſuprà num. 11. & alij DD. communiter.

Ratio eſt, Quia non tenebatur ex iuſtitia offerre ſe ad teſtandum, licet ſubinde ad illud obligetur ex charitate, vt ſi ſuum teſtimonium videat eſſe neceſſarium ad liberandum innocentem, vel ad accuſatorem qui propter bonum publicum tenebatur accuſare, eripiendum ex periculo talionis, vt docet Nauarrus cap. 15. n. 17.

27 DICO Quartò: Non tenetur quoque teſtis ad reſtitutionem, ſi noluerit teſtari, quia graue inde damnum ipſi impenderet, non enim tenetur cum graui ſuo aut ſuorum

incommodo

Digitized by Google

incommodo teſtimonium dicere, niſi id poſtularet bonum commune: quare poteſt aut citatus non comparere, quatenu declinare valet, aut ſi compareat, ſe aliquo artificio à teſtando eximere, prætexendo aliquas cauſas ob quas minùs idoneus teſtis eſſe videretur: debet tamen cauere ſemper à mendacio, quod nunquam eſt licitum. Vide Dominicum Soto De ſecreto tegendo membro 2. quæſt. 3. dub. 3. Nauarr. cap. 25. num. 50. Bonacina ſuprà num. 8.

27 DICO Quintò: Qui ſe occultat aut ſe aliò retrahit, antequam legitimè ſit citatus ad teſtandum, quamuis in eo poſſit contra charitatem peccare, non tamen peccat contra iuſtitiam, neque obligabitur inde ad aliquam reſtitutionem. Quod talis contra charitatē grauius poſſit peccare, cōſtat ſatis ex concluſione tertiâ. Quod autem nō peccet contra iuſtitiam, docent Dominicus Soto libro 5. quæſt. 7. art. 1. Nauarrus cap. 24. num. 41. Malderus tractatu 6. capite 2. dub. 9. Bonacina ſuprà num. 12. Salon. 2. 2. quæſt. 70. art. 1. controuerſ. 3. Banneſ. ibidem dub. 3. & communiter alij.

Ratio eſt, quia mandatum iudicis ex quo videri poſſet naſci obligatio ex iuſtitia ad dicendum teſtimonium, necdum eſt illi debito modo propoſitum & inſinuatum: quare nec obligationem in eum induxit: quemadmodum, ſi inferior aliquis declinet conſpectum ſuperioris, ne ab eo mandatum ſibi imponatur, non obligatur iſto mandato, licet in eo peccare poſſit quod vtatur tali artificio ſiue iuſta cauſa.

28 DICO Sextò: Si quis legitimè citatus compareat in iudicio, quamuis inuitus, ad teſtimonium dicendum, & rogatus, reſpondendo celet veritatem, non tantùm peccabit contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ac tenebitur parti de damno quod ex illa celatione veritatis, ſiue ex eo quia veritatem non aperuit, obuenit. Colligitur ex Capitulo Cum dilecti De accuſationibus vbi æquiparantur iuratus teſtis celans veritatem, & teſtis deponens teſtimonium falſum: ergò ſicuti hic omnium iudicio peccat contra iuſtitiam & fit reſtitutioni obnoxius, ita & iſte.

Ratio reddi poteſt, quia hoc ipſo quo citatur & iubetur legitimè à poteſtate ſuperiori dicere teſtimonium, imponitur illi onus, & quaſi officium aſſiſtendi iudici ad iuſtitiam ritè adminiſtrandam: quod & ipſe cenſetur ſuſcipere, quamuis inuitus hoc ipſo quo comparet in iudicio, & interrogatus ſuper materia reſpondet: ergò ſi non aperiat veritatem, prout debet, peccabit contra iuſtitiam, quatenus deeſt officio ſuo cui ex iuſtitia obligatur ſatisfacere. Vide Dominic. Soto De ſecreto tegendo membro 2. quæſt. 7. & Malderum ſupra dub. 9.

DICO Septimò: Etiam qui legitimè per iudicem citatus non comparet in iudicio, ſed ſubducit ſe, aut ſi compareat, tamen iuſſus recuſat teſtimonium dicere, & per inobediētiam reluctatur, ſecundum veriorē ſententiam nō tantum ille contra obedientiam, ſed etiam contra iuſtitiam peccat, ac tenetur ad reſtitutionem: eſt contra Molinam diſputatione 83. & alios nonnullos, idque ex hoc fundamento quod exiſtiment teſtem non obligari ex iuſtitiâ ferre teſtimonium, etiamſi à iudice fuerit legitimè citatus & iuſſus dicere, quando ſaltem ipſe non promiſit aut acceptauit: ſed concluſio eſt Dominici Soto ſuprà, Malderi, & magis communiter tenetur. Poteſt autem inprimis colligi ex citato Cap. Cum dilecti. 29

Deinde probatur refellendo fundamentū ſententiæ oppoſitæ: non enim verum eſſe videtur, quod teſtis aliter nō teneatur ex iuſtitia ad teſtandum, niſi quia ipſe promiſerit vel acceptauerit: quia promiſſio illa vel acceptatio ſuppleri poteſt authoritate iudicis tale munus abſolutè imponentis: Reſpublica enim ratione alti dominij ſiue eminentis ſuæ poteſtatis quam habet in ſua membra & in functiones eorum ſibi neceſſarias, poteſt etiam ſubdito inuito imponere tale munus cum tali quaſi ſeruitute, vt ex iuſtitia obligetur illud adminiſtrare quando bonum publicum ita exigit: ſic poteſt princeps compellere & conſtringere aliquem vt tutorem pupillorum, curatorem pauperum agat, conſulatum gerat, etſi inuitus ſit & recuſet, idque ita vt ſi illo recuſante, princeps perſiſtat, ipſe teneatur pupillis, pauperibus, ciuibus reſpectiuè de damnis & incommodis, quæ ob non præſtitum officium, eis obueniunt, ſi illud præſtare negligat.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM,

De Officio Rei & Aduocati.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm reus à Iudice interrogatus teneatur contra ſeipſum dicere veritatem?

1 TRACTAT hoc dubium D. Tho. quæſt. 69. art. 1. Diuerſi autem diuerſimodè hac de re ſentiunt.

Quidam exiſtimant reum numquam obligari ad dicendam veritatem donec plenè contra ſe probatum fuerit, quantumcumq; iudex legitimè interroget: quod indicat Emanuel Sa Verbo De Reo, dum ait, Quod fortè nec tunc teneatur, quando eſt ſemiplenè probatum contra ipſum.

Alij nonnullli diſtinguunt, & dicunt reo licitum eſſe diſſimulare veritatem, ſiue eam non fateri, quando agitur de pœna temporali ſubeunda: non autem ſi tantùm agatur de pœna aliqua ſpirituali, vt de ſuſpenſione ab exercitio ordinum, aut ab ordinibus, vel de excommunicatione. Ita Panormitan. in Capitulum Cum ſuper, De confeſſis. Syl. Verbo Confeſſio delicti, quæſt. 1. Angelus eodem, & alij quidam.

Rationem diuerſitatis in eo videntur ponere, quod ſpiritualis pœna ſit medicinalis, & magis pro remedio ipſius Rei adhibeatur, quàm in eius malum aut afflictionem, & proinde reus non habeat ſic rationem ſubterfugiendi hanc, ſicuti ſubterfugiendi pœnam temporalem. Pro reſolutione & explicatione

2 RESPONDEO & DICO Primò: Reus non obligatur fateri veritatem, ſi iudex non interroget eum iuridicè, id eſt, ſeruato iuris ordine. Eſt Diui Thomæ loco citato, & communis ſententia aliorum. Colligitur ex Capitulo Qualiter & Quando: Capit. Cùm oporteт, & Capitulo Inquiſitiois, De Accuſationibus.

Obſeruandum tamen Primò: Etſi dicamus non obligari tunc reum ad fatendam veritatem, nihilominùs tamen non poſſe mentiri, cum mendacium ſit intrinſecè malum: quare ad veritatem celandã poterit vti aliqua æquiuocatione, vel alio artificio interrogationem declinare, aut eludere.

Obſeruandum Secundò: Tunc iudicem in interrogando non ſeruare iuris ordinem, quando de crimine occulto interrogat, de quo neque eſt fama contra reum, nec probatio ſemiplena, neque indicia alia competentia, vt tradit Bonacina diſput. 10. quæſt. 3. puncto 2. num. 2. & alij paſſim: non enim habet iudex auctoritatem inquirendi iuridicè ex reo veritatem, niſi crimen aliquo modo ſit deductum ad publicam notitiam.

DICO Secundò: Similiter non tenetur reus crimen fateri, quando dubitat vtrùm iudex eum iuridicè interroget. Ita Caiet. hic queſt. 69. art. 7. Dom. Soto De tegendo ſecreto, membro 2. quæſt. 7. Malderus cap. 3. dub. 1. circa finem, Azorius 3. p. libr. 13. cap. 28. & alij plures, quos videre licet apud Bonacinam ſuprà nu. 4. quamuis ipſe cum Sylueſtro oppoſitum putet probabilius.

Probari poteſt Primò: quia non tenetur quis parere ſuperiori cum graui ſuo incommodo, quando non conſtat eum legitimè præcipere & habere auctoritatem obligandi: deinde in dubio magis fauendum eſt reo. Vide dicta ſuprà De modo procedendi per inquiſitionem. Secus tamen cum Superiore agendum eſt, quando ex eius præcepto non imminet malum vel incommodum.

DICO Tertiò: Iuxta communiorem ſententiam, quando iudex legitimè interrogat, & de hoc ſufficienter conſtat reo, tenetur ipſe tunc veritatem fateri, etiamſi capite eſſet plectendus. Sumitur ex D. Tho. hic loco citato; & docent Caietan. ibidem: Henricus Quodlibeto 1. qu. 33. Paludan. in 4. diſtinctione 19. quæſt. 4. Nauarrus cap. 25. nu. 53. Couar. quæſtionum practicarum qu. 23. Gomezius tomo 3. c. 12. nu. 5. Bonac. ſuprà nu. 6. qui indiſtinctè dicunt reum legitimè à iudice interrogatum teneri ad veritatem dicendam. 3

Probari poteſt, Quia quiſque obligatur obedire ſuperiori legitimè præcipienti, præſertim quando conſtat eum legitimè præcipere, atqui quando iudex ſeruato iuris ordine procedit & interrogat, ac præcipit reo dicere veritatem, tunc mandatum iudicis videtur eſſe legitimum: ſicuti & interrogatio legitima eſt: ergò obligatur reus obtemperare, & veritatem fateri.

Secundò: Quia in tali caſu iudex habet ius eliciendi veritatem propter bonum publicum, etiam adhibendo quæſtiones torturæ: ergò ſi reus eam occultet, & non velit fateri, facit contra ius & auctoritatem ſuperioris. Vnde Soto & alij nonnulli colligunt reum non tantum teneri, quando iurauit, ſed etiam abſque iuramento ex vi ſolius præcepti ſuperioris.

Hoc interim notant DD. plerique, ſi iudex interroget de facto à reo commiſſo, ſed abſque

Digitized by Google

abſque peccato ſaltem mortali, non obligari tunc nec reum, neq; teſtem ad veritatẽ facti explicandã, etiamſi de illo fama ſufficienter ſit ſparſa, ſi videat quod non poſſet ſatis innocentiam ſuam probare, & à culpa ſe purgare ſi factum fateatur, v. g. quis alterum ſe inuadentem occidit ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur hic fateri ſe occidiſſe, etiamſi de homicidio illo ſit infamatus, caſu quo non poſſet factũ ſuum à culpa purgare apud iudicem, imò poſſet etiam iuramento affirmare, ſe non occidiſſe (inquit Mald. ſup.) intelligendo ſcil. de occiſione ad mentem iudicis, quod ſcilicet non occiderit culpabiliter ſiue cum crimine homicidij, de quo iudex cẽſetur inquirere: qui intellectus cum talibus circumſtantijs per ſe ineſt tali ſermocinationi. Vide Salon. hic. q. 69. a. 2. & Soto De ſecreto tegen. memb. 2. q. 7. dub. 2. Similiter qui crimen non commiſit, non tenetur illas circumſtantias fateri, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt, ipſum fuiſſe criminis auctorem: Ita Bonac. ſup. cum pluribus alijs quos citat: quoties enim iuſtâ de cauſâ, æquiuocatio adhibetur, vt quando alioquin id quod pro iuſtitia inſtituitur, vergeret in præiudicium innocentis, nihil fieri præſumitur contra rationabilem iudicis voluntatem.

4 Dico Quartò: Non tamen eſt improbabilis eorum opinio qui exiſtimant reum non obligari ad veritatem dicendam ſiue confitendam contra ſe in cauſa capitali, quamdiu ſpes eſt euadendi ſi nõ fateatur, vt quia non poſſit aliàs plenè probari, quantumuis iudex eum legitimè & ſeruato iuris ordine interroget: eſt Pet. Nauarra lib. 2. c. 4. n. 142. Sylueſter V. Confeſſio delicti quæſt. 1. Bonac. ſuprà nu. 7. cum alijs quos citat, & eorum quos in principio huius dubij citauimus qui & laxius adhuc loquuntur, vt ex ibi dictis conſtat.

Fundamentum huius concluſionis hoc ſtatui poteſt, quod iudex non omni caſu & ſemper poſſit reo validè præcipere, eumque ſuo præcepto obligare, vt veritatem fateatur & dicat quotieſcumque ſecundum iuris ordinem legitimè poteſt illum examinare & interrogare iuridicè ſuper crimine, ad veritatem eliciendam aut indagandam. Vnde licet, quando reus eſt de crimine infamatus, vel eſt ſemiplenè probatus fuiſſe auctor criminis, iudex poteſtatem & ius habeat eum examinandi & interrogandi de crimine etiam capitali, & ſi reus illud fateatur, poſſit ipſe ex eius confeſſione ſine iniuria ipſius rei, procedere ad condemnationem, quia ſic interrogando non fecit reo iniuriam, tamen non habet poteſtatem illi mandandi validè & cum obligatione vt veritatem fateatur: quare ſi reus interrogatus veritatem celet non in eo peccabit, & ſi iudex mandauerit, poterit exiſtimare ſe non obligari illo mandato, quia mandatum hoc excedit limites poteſtatis iudicis.

Probatur autem Primò: Quia tametſi ad infamiam ſufficienter probatam poſſit iudex reum interrogare iuridicè, vt communis habet doctrina, tamen ad eam ſolam non poteſt illi imponere iuramentum, quia ad hoc non pauciora requiruntur, quàm ad ſubijciendum torturæ, vt docet Couar. & alij communiter: iuramentum enim eſt ſpiritualis quædam tortura cum mentem non peſſimam vrgeat non minus quam tortura: ergò neque eo caſu poterit iudex per præceptum obligare reum ad veritatẽ dicendã: quia non minus videtur eſſe imponere reo talem obligationem ſaltem ſub mortali, quã imponere iurandi neceſſitatem: ergò non ſemper quando legitimè iudex reum poteſt interrogare iuridicè, poterit quoque ipſi imponere validum præceptum & obligationem ad veritatem confitendam.

Probatur Secundò: & amplius, quod nequidem id poſſit etiamſi alioquin adeſſent ſemiplenæ probationes quæ ad torturam poſſint ſufficere; quia ſicuti leges humanæ, ita etiam humana præcepta debent eſſe attemperata naturæ noſtræ, vt non imponant ſubditis aliquid, quod pro communi infirmitate cenſetur quaſi impoſſibile obſeruatu, vt colligitur ex doctrina D. Thomæ quam ex Iſidoro tradit 1. 2. q. 93. art. 3. videtur autem impoſſibile quod ſperare liceat paſſim ab hominibus imperfectis quales vt plurimum ſunt illi rei, actum huiuſmodi heroicum quo obtemperarent iudici confitendo veritatem in caput ſuum, quando aliter ſperarent vitam poſſe ſeruare.

Probatur Tertiò: leges non permittunt aliquem cogi ad teſtandum contra ſanguine iunctum, vt patet lege 4. D. De teſtibus, quia videlicet illa coniunctio adducat periculum inobedientiæ, mendacij & periurij, vel quia humanitas aliud poſtulat: quæ multò magis militant in cauſa proprij ſanguinis: non debet igitur hoc reo iniungi, vt quaſi teſtimonium perhibeat contra ſeipſum in cauſa capitali, quando non fatendo ſe ſaluare poteſt.

Probatur Quartò: Quia propter periculũ periurij nõ volunt Canones concubinarium compelli ad iurandum, quod deſeret concubinam, Cap. Clericos 3. de cohabitatione clericorum & mulierum: ergò propter periculum inobedientiæ non eſt quoque præcipiendum Reo, vt ille contra ſe & in caput ſuum confiteatur crimen, quod exiſtimat alias non poſſe ſufficienter probari. Deniq; ſummum ius proprię vitæ tuendę excludere videtur illam poteſtatem pręcipiendi: neque enim rationi videtur conſonum, quod alicui qui per ſe cuſtos eſt vitę ſuæ, nõ Reipublicę, poſſit

poſſit iniungi, vt liberè teneatur abſque externa coactione dicere, vnde certa mors ipſi imminet, idq; pro tam exiguo bono cõmunitatis, quod exẽplo punitionis eius publicę poteſt obuenire. Vnde multi docent, quod lex humana non poſſit obligare cum periculo mortis, niſi magnitudo negotij aliud poſtulet.

Obijcitur Primò, Videbitur iudicis illa poteſtas interrogandi reũ iuridicè eſſe nulla aut fruſtranea, ſi reus nõ ſit obligatus dicere aut fateri veritatem, neq; iudex poſſit hoc illi validè præcipere ſic vt teneatur, ergò &c.

5 Reſpondetur negando aſſumptum, inprimis enim non eſt illa poteſtas dicenda nulla; quia hoc prçſtat, quod iudex iuridicè examinando & interrogando non inferat reo iniuriã, neque id faciendo peccet, prout inferret & peccaret, ſi id faceret antequam ſecundũ iuris ordinem hoc ei cõcedatur: deinde non eſt etiam fruſtranea & ſine effectu, 1. Quia ſeruit ad demonſtrandum, quod iudices ſint intenti quieti & tranquillitati publicæ conſeruandæ, quando eã vtendo ſic examinant infamatos, atque ita malis incutitur timor & à bonis auertitur ſcandalum. 2. Quia tametſi rei ipſi non ſint obligati aperire, aut fateri veritatem ad iudicis interrogationem, tamen ſæpe contingit quod vel per ingenuitatem, vel per imprudentiam explicent veritatem, vel quod ex incõſtantia aut ex repugnantijs in ſuis verbis & reſponſis colligantur aliqua certiora iudicia de veritate, quãuis eam non abſolutè fateantur: quibus omnibus poſtmodum iudex legitimè poteſt vti abſque iniuria rei, quia ius habuit interrogandi & examinandi ipſum iuridicè, quãuis non obligandi vt teneretur confiteri veritatem: ſecus autem ſi iudex contra iuris ordinẽ ſic eum interrogaſſet & examinaſſet. Ex quibus patet quod poteſtas illa ſic legitimè interrogandi non ſit fruſtranea.

Obijcitur Secundò: Poſita ſemiplena probatione contra reum vel alijs iudicijs ſufficientibus habet iudex poteſtatem non tantum interrogandi & examinandi reum, ſed etiam compellendi per torturam ad confitendã veritatem iuxta dicta ſup. cap. 1. huius Tractatus 6. ergò etiam habet poteſtatem compellendi per obligationem mandati.

6 Reſpondetur poſitis illis, ſcilicet ſemiplena probatione, vel alijs indicijs ſufficientibus habet iudex poteſtatem non tantum interrogandi, ſed etiam compellendi, at verò per media oportuna ad veritatẽ extorquendam; non autem per media minus oportuna, & quæ habent alia grauiora incommoda adiuncta: nunc verò inflictio corporalis doloris moderatè adhibita, eſt medium commodum humanitùs loquendo, ad compellendum reum, vt veritatem fateatur; quia paſſim omnes vt præſentes dolores fugiant, facilè inducuntur, vt culpam & crimen ſi ſubſint, fateantur; & ideò poteſt iudex hoc medio vti iuxta dicta ſuprà: ſed per mandatum iniicere obligationem cõſcientijs quam homines imperfecti & criminoſi communiter non multum apprehendunt nec reformidant, non apparet medium opportunum ad extorquendã ab illis veritatem: vnde potius eſſet animabus iniicere laqueum, vt apparet, quàm conuenienter elicere veritatem pro publico bono: & hinc dici poteſt, iudices non habere poteſtatẽ obligandi per præceptum ad dicendam veritatem in cauſa capitis, quamuis habeant poteſtatem compellendi per torturam: eſtque hoc ſatis conformè Cap. Clericos citato, de cohabitatione clericorum & mulierũ, vbi dicitur Clericos qui concubinas tenent non eſſe compellendos ad eas abiurandas propter periculum periurij, ſed eſſe cenſuris cogendos.

Neque ex eo quod admittitur iudex poteſtatem habere ſic extorquendi veritatem, 7
ſequitur in reo extingui ius, vitam ſilentio tuendi quod ab auctore naturæ accepit, & commutandi mortem cum illis tormentis, quando per illa tolerata poteſt mortem euadere: poteſtas enim illa iudicis & hoc ius rei ſunt iura diuerſa, non autem aduerſa & repugnantia, quin ex diuerſis rationibus ſimul locum poſſint habere, puta iudice ex officio pro publico bono agente & tormenta adhibente, Reo autem ex naturali æquitate & iure pro vitæ propriæ conſeruatione citra confeſſionem criminis, illa ſuſtinente: cuiuſmodi diuerſa iura etiam in alijs cernuntur: nam habet reus ius fugiendi ex carcere, quando de capite agitur, neque per mandatum poteſt iudex illi hoc ius eripere, tametſi iudex habeat poteſtatem & ius illum in carcere detinendi, ac etiam per cõminationem plagarũ deterrendi eum à fuga: ſic etiam herus habet ius detinendi ſeruum bello captum, & comminatione verberum retrahendi à fuga, & interim ſeruus poteſtatem & ius habet fugiendi Si poſſit ſe ſubtrahere & ad ſuos redire.

Obijcitur Tertiò: Quando habetur ſemiplena probatio vel indicia æquiualentia quæ ſufficiunt ad torturam poteſt iudex à reo exigere iuramentum, vt colligitur ex lege 2. Cod. De iureiurando propter calumniam dando: atqui iuramentum non videtur medium magis oportunum ad veritatem extorquendam quam præceptum obligans ſub mortali, neq; videtur minora habere adiuncta pericula: ergò poterit iudex, tunc etiam validè præcipere ſic vt inducat obligationem.

Reſpondetur Primò, iuramentum poſſe 8
dici medium magis oportunum & efficacius ad veritatem extorquendam, quàm præceptum nudum, eò quod homini videatur innatus

natus

natus quaſi naturalis quidam horror ab eo, quòd inuocet Deum in teſtẽ falſitatis, ac in vindicem illius peccati: non autem tantus eſt horror, neque tantus apprehenditur circa tranſgreſſionem cuiuſlibet præcepti, quantumuis obligantis ſub mortali: idq; eo magis, quia frequentius Deus manifeſtè & ex incõtinenti iſta periuria publica ad aliorum exemplum & terrorem puniuit ac punit.

Reſpondetur Secundò, plures viros pios & doctos ſentire per iudicẽ non eſſe exigendum iuramentum à reo de dicenda veritate in cauſa capitali, quod expreſsè tenet Panor. in caſu ſaltem quo iudex procedit ex officio, ad Cap. Clericos ſuprà allegatum: & cum eo Mald. ſup. quando tamen proceditur via accuſationis, & pars inſtat, tunc videntur admittere iudicem poſſe exigere niſi lege eſſet prohibitum.

Quod autem expediret ſummum Pontificem, aut ſupremos Principes legẽ condere, ne iudex in cauſis inferentibus pœnam ſanguinis poſſet à reo exigere iuramentum de veritate dicendâ, tradit Gomezius tomo 3. cap. 12. n. 5. & in eandem ſententiam inclinat Mald. & alij plures, idq; ſcilicet propter euidentem occaſionẽ periurij, quę prębetur.

Cęterùm licebit & hoc negare quod poſſit iudex tunc exigere iuramentũ de dicenda ſimpliciter veritate, ſed ad ſummum poſſit exigere iuramentũ calumniæ, de quo lex allegata loquitur, quod ex parte ipſius Rei non plus videtur importare (quantũ ex ipſa lege licet colligere) quàm quod reus debeat iurare quod putans ſe bonâ inſtantiâ vti, ad reluctandum venerit, & quod causâ patrocinij, iudicibus nihil dederit aut promiſerit. Gloſſa tamẽ ad cap. 1. De iuramento calumniæ explicat plura in eo includi, ſed non eſt neceſſarium id admittere, præſertim quando exigitur in cauſa capitali ab ipſo reo. Quod verò exiſtimet ſe bonâ inſtantiâ vti, & ſic ad reluctandum veniat, poteſt in eo fundare, quod iuxta ſententiam iam explicatã habeat ius defendendi vitam per occultationem veritatis quamdiu ſupereſt illi ſpes eam ſaluandi, & quia hæc cenſetur probabilis, non debebit Confeſſarius reum vrgere ad veritatem in tali caſu confitendam ſeu aperiendam iudici.

Quæritur hic, Vtrùm mendacium quo fortè reus in eo caſu negaret iudici ſe crimen commiſiſſe quod verè commiſit, eſſet peccatum mortiferum.

9 Reſpondetur loquendo conſequenter ad opinionem eorũ, quam modo explicuimus, non fore mortale, ſed veniale tantum, quia inter officioſa pro defenſione vitæ numerabitur, quandoquidem aliàs non obligabatur ex alio iure veritatem fateri, vt ex iſta ſententia ſupponitur. Ita Mald. ſup. Quod à potiori cenſebitur etiam tenere Pet. Nauarra lib. 2. cap. 4. n. 428. vbi contra Caiet. qu. 62. art. 2. ad 2. docet reum citra peccatum mortale poſſe verum crimen negare, & dicere accuſatorem ſuũ ſi in accuſando contra iuris ordinem procedat, mentiri ac calumniari. Ratio eius poteſt eſſe, quia mendacium hic purgatur à ratione pernicioſi, quatenus adhibetur ad defenſionem vitę proprię contra iniquam impugnationem, quam facit accuſator, dum contra iuris ordinẽ procedendo, inducit alterum in periculum vitæ: quod ex eo amplius declarari poteſt, quia tali caſu liceret ambiguo ſermone ſic inuoluere reſponſionẽ, vt iudices & alij qui audiunt, verè apprehenſuri ſint & exiſtimaturi illum allegare mendacium accuſatoris, quod communiter teneri dicit Mald. ſuprà dub. 2. quod omnino ſignum eſt, propter læſionem accuſatoris quæ ex mẽdacio illo poteſt obuenire, non fieri ipſum mendacium mortale, quandoquidem nõ minor ſit lęſio in ſermone illo ambiguo vt ſupponitur, quàm ſi per mendacium diceret alterũ calumniari vel mentiri: quamuis autem in eiuſmodi defenſione, quando diceret accuſatorem calumniari aut mentiri, non nihil excederet reus, tamen exceſſus ille non videtur mortalis; ſicuti neque ſi quis armis inuaſus, aliquantulum, ſed modicè in ſua defenſione exceſſerit, dicitur peccare mortaliter. Vide Syl. V. reſtitutio 3. q. 3. Nauar. c. 18. n. 49. & Banneſ. hic q. 70. art. 3. vbi tamen excipit caſum quo magni conuitij loco apud aliquam gentem haberetur (prout apud multos) ſi alicui dicat mentiris, & defenſioni ſufficeret quod reus ſolum diceret accuſatorem opponere ſibi falſum, immodicè enim tunc excederet moderationem inculpatæ tutelæ.

Cęterùm notant DD. reum ita ſine mendacio poſſe accuſatori obijcere quod calum- 10
nietur aut mentiatur, quando de crimine occulto eum accuſat quod iuridicè probari nõ poteſt, quia qui de tali crimine alterum accuſat, calumniator præſumitur, vt docet Gloſſa in cap. 2. De calumniatoris: atq; adeò eſt quædam calumnia obijcere alicui crimen tanquam in iudicio probabile & publicum quod reuera tale non eſt, vnde & practicè dicitur eſſe mendacium, quia opponendo in iudicio & de eo accuſando quaſi dicit crimen illud eſſe publicum & in iudicio poſſe probari.

Dico Quintò: Iuxta aliquorum ſententiam extenditur quod in quarta concluſione diximus etiam ad caſum quo agitur de pœna mutilationis, de pœna triremium, aut confiſcationis omnium bonorum. Deſcendit tandem eo Pet. Nauarra ſup. num. 144. quamuis ab initio videretur tantum admittere quod reus in cauſa capitali non teneretur ad veritatem fatendam quamdiu eſſet ſpecies euadendi: inclinat etiam eo Mald.

Digitized by Google

& alij nonnulli, præſertim quos in principio huius dubij allegauimus. Quando autem de minoribus pœnis ſiue temporalibus, ſiue ſpiritualibus agitur, tunc communi quaſi ſententia obligatur reus fateri veritatẽ, quando legitime à iudice interrogatur. Similiter etiam quando non eſt ſpes euadendi per ſubterfugium celandæ veritatis, tenebitur eam fateri. Ita quoque docent DD. communiter, quia ceſſat ratio celandi, videlicet ſpes ſaluandi vitam, quæ ſola eſt cauſa operans, quare præceptum ſuperioris dicatur non poſſe in illam materiam cadere, neque efficaciter reum tunc obligare.

DVBIVM II.

Vtrùm reus vel eius Aduocatus poſſint licitè detegere occulta teſtium crimina, vt ſic eorum inualident teſtimonium?

11 RESPONDEO & DICO Primò: Si illa crimina ſeruiant ſecundum iuris diſpoſitionem ad repellendum aut infirmãdum teſtimonium, non faciet reus qui ſe iure defendit contra iuſtitiam, ea in iudicio manifeſtando, ſi non ſit commodus alius modus repellendi teſtes. Ita Soto lib. 5. q. 7. art. 3. Arrag. 2.2. q. 70. art. 3. Malderus ſup. dub. 3. Bonacina ſup. quæſt. 3. pun. 2. n. 10. cum alijs quos citat.

Ratio reddi poteſt, quia non tenetur reus cum tanto ſuo detrimento, crimina alterius tenere ſecreta. Deinde poteſt quiſq; ſeipſum cum iuſto moderamine tueri illo armorum genere quo oppugnatur.

Nec habebit alter occaſionem conquerendi de iniuria, cum ipſe ſit inuaſor, & hoc ipſo quo accuſat vel teſtatur, ſe ſponte exponit huic periculo.

Si tamen eſſent crimina quæ in ordine ad validitatem teſtimonij eſſent impertinentia, nullo modo liceret ea adducere & detegere; quia hoc non eſſet ſe defendere, ſed de altero ſe vindicare: vnde neque poſſet explicare etiam illa crimina quæ de iure quidem reddunt teſtem inhabilem ad teſtandum, quando non poſſet ea in tantum probare, vt propter illa, teſtis putaretur repellendus. Ratio eadem eſt, quia illa explicatio ſeu manifeſtatio nõ haberet rationem defenſionis, ſed magis vindictæ. Ita quoque DD. citati.

12 DICO Secundò: Fieri tamen poteſt, vt ſit contra charitatem patefacere etiam crimina quæ ſeruiunt ad teſtimoniũ repellendum, idque varijs caſibus:

Vt inprimis, ſi teſtis non ſe ſua ſponte ingeſſit, ſed coactus à iudice in iudicio compareat & teſtetur, ac crimen eius occultum ſit graue ſic vt propter illud capite eſſet plectendus, cauſa autem ipſius Rei non foret tanti momenti.

Secundò: Si aliâ ratione minus teſti noxiâ, poſſit reus illum repellere, vt v. g. allegando quod ſit conſanguineus accuſatoris, vel actoris, vel de eius familiaritate; aut quod ſecũ ſoleat habere inimicitias, aut quid ſimile. De quibus vide plura apud Syl. V. teſtis.

Imò ſi æquè commode poſſit repellere alio modo, videretur etiam peccare contra iuſtitiam defendendo ſe modo illo magis noxio teſti, quem niſi pro ſua defenſione adhibere non poteſt: quemadmodum qui inuaſorem armatum repellere poteſt tantummodo minitando, aut leuiter mutilando, nõ poteſt licitè ſub prætextu defenſionis, illum occidere.

Petet aliquis: An prima concluſio locum habeat tunc ſolum, quando cõtra iuris ordinem cõtra reum proceditur, an etiam quando proceditur iuris ordine ſeruato?

Reſpondet Mald. ſup. dub. 3. etiam locũ habere quando ſecundũ iuris ordinem proceditur, ac reo licere ſic excipere contra teſtes, prodendo occulta crimina quando in iudicio probari poſſunt: & ita docet etiam Bannez. hic qu. 70. art. 3. quia ius naturale quod quiſque habet ſe tuendi, præbet reo poteſtatem manifeſtandi vitium teſtimonij quod contra ſe deponitur: ſi tamen iſta repulſa huius teſtis putaretur inutilis ad defenſionẽ ſiue euaſionem, v. g. quia exiſtimatur quod alius veniet qui ſine exceptione deponere poteſt, tunc non licebit ſine peccato ſaltem contra charitatem patefacere occulta delicta teſtis. 13

DVBIVM III.

Vtrùm reus ſecundum allegata & probata condemnatus teneatur in conſcientia optemperare ſententiæ?

RESPONDEO & DICO Primò: Quando ſententia à parte rei eſt iniqua, vt quia innititur falſis præſumptionibus, aut falſis probationibus nõ obligat abſolutè condemnatum in conſcientia, quamuis ſecundũ ordinẽ iuris ſit lata. Ita cõmuniter pœnè DD. D. Tho. hic q. 69. art. 4. Soto lib. 5. De iuſt. quæſt. 6. art. 4. Mald. ſup. dub. 5. Bonac. ſup. nu. 22. & alij quos citat. 14

Probatur, quia iudicis ſententia eſt veluti quædam lex, atqui lex non obligat, quando ex eius obſeruatione ſequeretur id quod omnino eſt contrariũ fini legis: finis autem ſententiæ iuridicæ eſt, vt vnicuique tribuatur quod ſuum eſt: ergò quando contrarium omninò eueniret, non obligamur in conſcientiâ illam ſequi, eive ſatisfacere.

Hinc

Hinc colligitur eum qui per talem ſententiam re aliquâ priuatur, vt legato aliquo, aut hæreditate, vel in mulctam condemnatur; non teneri in conſcientia ad reſtituendum, aut ſoluendum, niſi tamen inde publicum ſcandalum aut aliud graue malum timeretur. Vide Couar. lib. 1. variarum cap. 2. n. 13. & ſequentibus.

15 Dico Secundò: Non tamen licet per vim ſe defendere cõtra iudicem aut iuſtitiæ miniſtros, ne exequantur talem ſententiam. Ita docent D. Thomas, Soto, Couar. ſup. & alij ferè communiter.

Probatur Primò: Quia habet iudex ius exequendi eiuſmodi ſententiã latam ſeruato iuris ordine, imò auctoritate Princip. & Reipublicæ ad hoc etiã tenetur & compellitur.

Secundò: Quia ex illa reſiſtentia ſunt nata ſequi magna ſcandala, & perturbationes in Republica: ergò eiuſmodi reſiſtentia nullo modo eſt admittenda.

Quod ſi tamen non tantùm ſententia in ſe eſſet iniuſta, ſed nec iudex proceſſiſſet ſecundum iuris ordinem, tunc poſſet reus ſe defendere etiam contra iudicem aut miniſtros, ſeruato moderamine inculpatę tutelę. Ratio eſt, quia iudex tunc non tantum materialiter, ſed etiam formaliter agit iniuſtè contra reum. Non poteſt tamen id facere, quando graue ſcandalum aut magna perturbatio in Republica inde naſceretur, quia publicum bonum eſt præferendum priuato. Colligitur ex D. Th. ſup. & ita docet Mald. ſuprà dub. 5. qui & hoc addit, quod ſi iudex aut iuſtitiæ miniſter ſciens innocentiã ipſius condemnati exequeretur ſententiam latam ſecundum allegata & probata, probabile eſſe, quod condemnatus poſſit eis reſiſtere ſecluſo ſcandalo & cõtra tales executores ſe defendere iuxta doctrinam Franciſci à Victoria, vt ipſe refert, & indicat Soto ſuprà lib. 5. q. 6. a. 4. quod tunc maximè poſſet habere locum, quando talis iudex ne quidem adhibuerit illa quæ ad Innocentem liberandum, adhibere debebat.

DVBIVM IV.

Vtrùm poßit reus licitè fugere è carcere ac etiam vincula aut carcerem perfringere?

16 Respondeo & Dico Primò: Ante ſententiã poteſt reus ex carcere fugere, niſi fortaſſe iuraſſet ſe non exiturum. Eſt cõmunis hæc doctrina, quam vſus omnium gentium confirmat: de quo videre licet Couar. lib. 1. variarum cap. 2. n. 15.

Probatur, quia non conijcitur in carcerẽ, vt ibi ſpontè maneat, ſed vt ibi detineatur, interim dum cauſa eius examinatur & diſcutitur.

Neque refert, quod inde forſitan commentarienſi ſiue carceris cuſtodi obueniat malum ſiue incommodum, quia id ſuæ negligentiæ debet ipſe imputare: in eo tamen caſu attendendum eſt, vtrùm ipſius Rei tam multum interſit fugam capeſcere, vt damnum illud proximi conſiderari non debeat, ſaltem ſecundum legem charitatis.

Dico Secundò: Etiam poſt ſententiam poteſt reus fugere ſi damnatus ſit ad mortem aut mutilationem. Ita docent Caiet. hic qu. 69. art. 4. Soto lib. 5. q. 6. art. 4 Couar. ſuprà, Mald. dub. 5. & alij plerique. 17

Ratio eſt, quia non poteſt iudex reo prę̨cipere validè cum obligatione, vt cum tanto vitæ aut corporis damno tali loco ſubſiſtat, quando fugiendi habet occaſionem: eiuſmodi enim præceptũ apparet difficilius, & quaſi nimiùm ſuperans humanas vires & affectum naturalẽ ad vitæ conſeruationem.

Confirmatur ex D. Th. q. 69. art. 4. ad 2. vbi docet quod nemo condemnari poſſit ad faciendum aliquid, vnde illi mors ſequatur: atqui manere in carcere in dicto caſu eſſet facere aliquid, vnde mors ſequatur, vt ibidem D. Tho. indicat: ergò non poteſt reus ad hoc condemnari aut obligari.

Vbi aduertendum Primò, D. Thomam quoque loqui de eo vnde indirectè & quaſi per accidens mors eſt ſecutura, ſed tamen ſatis propinquè & certò: Quare etſi quidem licitè quis aliquid tale facere poſſit, vt, v. g. manere in carcere quamuis ad mortem ſit condemnatus, præbere iugulum gladio tortoris, aſcendere ſchalas &c. tamen non poteſt quis abſolutè ad illud faciendum condemnari, ita vt in conſcientiã ſit obligatus id pręſtare, etiam in caſu quo offerretur ſpes ęuaſionis: vnde eã oblatã poterit reus etiam ſub patibulo, vel in loco ſupplicij exiſtens licitè fugere, & ſuſpendium, aut ictum gladij declinare ſi occaſio ſe offerat.

Aduertendum Secundò: Hęc tamen cum limitatione aliqua eſſe accipienda, niſi videlicet magnum bonum Reipublicæ aliud requireret, aut quis ſua ſponte ſe obligaſſet ad præſtanda talia pro maiori bono, ex quibus ſolet etiam ſatis propinquum periculum mortis inſtare. Hinc tenentur ex mandato ſuperioris ciues ſeruare ſtationes, quando hoſtes ingruunt etiamſi mors inde ſit ſecutura. Similiter & milites multò magis.

Dico Tertiò: Ex communi ſententia ſicuti poteſt reus ſic damnatus fugere, ita etiam poteſt licitè vincula rumpere & carceres effringere. Ita docent Caiet. & Soto ſup. Bannezius, Salonius, Arragonius hic quæſt. 69. art. 4. Driedo lib. 1. De libertate Chriſtiana folio 226. Nauarrus c. 17. n. 102. Mald. dub. 5. Bonacina diſp. 10. quæſt. 3. puncto 2. nu. 16. & alij plures ab eo citati, contra Henricum à Gandauo, Ioannem 18

Maiorem,

Digitized by Google

Maiorem, Couar. ſuprà n. 14. & alios quos ipſe citat. Idem eſt huius concluſionis ſtatuendum fundamentum, quod præcedentis, puta quod materia hæc nimis ſit ardua & difficilis reſpectu humanæ infirmitatis, quod ſcilicet cum periculo vitæ teneretur quis abſtinere ab effractione carceris & diſruptione vinculorum, quando occaſionem habet effringendi & ſic vitã ſaluandi, ideoque ſub præceptum humanum non cadat, vt ex doctrina D. Thomæ iam explicatã colligi poteſt, præſertim quandoquidem ea res non ſit tam neceſſaria ad bonum publicum, quin aliter poſſit ſufficienter huic incommodo conſuli ac prouideri.

19 Sed contra Obijcitur Primò: Leges ſtatuunt graues pœnas in effractores carcerum, nam l. 1. D. De effractoribus & expilatoribus ſtatuitur in eos pœna capitis. Neque reſponderi poteſt ſic legem ſtatuere propter præſumptam veritatem culpæ, dum carceres effringunt propter quam ſunt in carcerem coniecti, quia l. In eos D. De cuſtodia & exhibitione reorum, ſtatuitur, vt puniantur quamuis innocentes inueniantur ab illo crimine propter quod coniecti ſunt in carcerem: atqui leges illæ viderentur iniquæ, ſi reis licitum ſit vincula & carceres perfringere: ergò hoc admittendum non eſt.

Secundò: Carceribus tanquam cuſtodijs publicis ineſt ſuo modo quædam quaſi auctoritas publica ipſis communicata: atqui non licet poteſtati publicæ vim inferre, etiamſi in rebus vel ſuppoſitis illis inueniantur in quibus non primariò, ſed per modum communicationis reſidet: vnde ex cõmuni & certã doctrinã non poteſt reus inferre vim miniſtris iuſtitiæ: ergò neque licebit violentiã aliquã carceres pertundere & vincula diſrumpere.

Tertiò: Si reis liceret effringere carceres, non viderentur teneri de damno fracti carceris, neque ad illius reparationem obligarentur: atqui Caiet. Soto & alij admittunt eos teneri de damno iſto: ergò non licuit illis carceres rumpere. Ita fere Couar. pro ſua opinione, quæ propter eiuſmodi argumenta ſatis redditur probabilis.

20 Nihilominus pro ſententia magis recepta reſponderi poteſt ad argumenta allegata. Ad primum quidem, quandoquidem iudex habeat poteſtatem & ius includendi ac omni meliori modo detinendi reum in carcere, hinc quoque ipſi competere facultatem adhibendi omnia congrua media ad certiùs & ſecuriùs reum cuſtodiendũ: inter illa autem etiam illud tanquam bonum & conueniens mediũ poſſe numerari, quod eſt, pœnarum minis & decretis eum à fugã tentandã per carceris effractionem deterrere, & proinde potuiſſe Imperatores ſtatuere aliquas ſaltem moderatas pœnas in effractores carcerum, quamuis non per modum pœnæ omninò propriè dictæ, ſed iuſti terroris pro maiori ſecuritate, & quaſi munitione carceris: cum quo tamen ſtat, quod reus pro vitæ conſeruatione ius habeat fugiendi etiam mediante effractione carceris, cum illo tamen ſuo periculo ſubeundi pœnas decretas, ſi deprehenſus fuerit: quemadmodum dominus ſeruum bello captum poteſt à fuga coërcere ſimili aliquo terrore, quamuis fuga nihilominùs tali ſeruo ſit licita: & quemadmodum iudex poteſt reum ſemiconuictum ſubijcere torturæ, vt veritatem tali medio eliciat, etiamſi reus habeat ius tacendi & non manifeſtandi veritatem, quando ſpes eſt ſic mortem euadendi. Si autem Imperatores in effractores carcerum, pœnam capitis ſtatuerint, illud acerbius eſt, quàm vt probare poſſimus, inquit Mald. ſup. Neque ſimpliciter ea pœna eſt in omnes ſtatuta, ſed in eos qui conſpiratione factã effregerint; eiuſmodi enim conſpirationes poſſent vergere in magnam Reipublicæ perturbationem & in grauia incommoda.

Accedit quod leges videantur præſumere eo caſu etiam cuſtodibus vim inferri, quod ſine dubio illicitum eſt: vnde addunt, ſi per cuſtodum negligentiam euaſerint, vt tunc leuius puniantur.

Alias ſolutiones adhibet Arrag. ſup. qu. ſcilicet 69. art. 4. vt quod Conditores legum ciuilium non ſint iudices ſpiritualium, vt perpendere valeant culpas in foro conſcientiæ; vnde mirum non eſt (inquit) ſi putauerint culpam eſſe, vbi ea non eſt. Deinde addit, quod Iuriſperiti in illis legibus condendis poſſint dici ſequi opinionem aliam, quæ tenet non licere reo effringere carceres abſque culpa mortali.

Ad Secundum videntur plerique virtualiter reſpondere negando aſſumptum; quia dicunt poteſtatem publicam non eſſe in vinculis aut lapidibus, neque hæc iniuriæ eſſe capacia, vtpotè quæ ſint res irrationales & inanimes: plurimùm enim intereſt (inquit Arrag.) inter vim illatã rebus irrationabilibus & inter illã quæ infertur rationabilibus. 21

Nihilominùs tamen generaliter dici non poteſt, rebus irrationabilibus ſiue inanimatis non poſſe ſuo modo competere auctoritatem quandam quaſi publicæ poteſtatis: neque enim facilè quis dixerit, ſi aliqui liberi exiſtentes, ſiue non incluſi, deforis inuadant carceres, eoſque perfringant & reos liberent, quod tales in auctoritatem publicam non peccent, & non cenſeantur Principi ac Reipublicæ iniurioſi; vnde & Arrag. ante dixerat, Nolo dicere licitũ eſſe amicis concurrere ad carcerem, illumque frangere vt damnatum extrahant, hoc enim ſine graui iniuria fieri non poteſt: nam ſi non licet ire ad frangendam ſeram domus priuatæ,

Digitized by Google

priuatæ, multò minùs (inquit) domus publicæ, & plurimùm intereſt an ab intus incluſo, ſera carceris frangatur, an extrà à liberis: quia hoc eſt offendere (addit) publicam poteſtatem cuius eſt carcer. Similiter ſi quis litteras Principis ſigillo munitas continentes Principis mandatum laceret aut conculcet, dicetur violare publicam auctoritatem, etiamſi tantùm rebus inanimatis inferat vim aut contumeliam.

Quare ad argumentum videtur ſolidiùs poſſe reſponderi, quod licet eiuſmodi rebus, aut locis poſſit quoque ineſſe communicata quędam auctoritas, in genere loquẽdo, non tamen poſſe ſic carceribus & vinculis communicari, vt præiudicet iuri & poteſtati, quæ reis competunt in ordine ad conſeruandam vita. Vnde vis quæ à reis ibi detentis infertur ad vitam (mediante fugâ) ſaluandam non cenſetur publicæ poteſtati iniurioſa, neque moraliter loquendo publicæ poteſtati inferri: idque propter ius illud quod reus habet ad vitæ cõſeruationẽ.

Hinc ipſius iudicis, aut publicæ poteſtatis eſt, vt ſi in vinculis & carcere abſque aliâ cuſtodiâ velint confidere, ſatis ea ſecura & firma confici iubeant. Alia autem eſt ratio de illis qui liberè foris agunt: cum enim hi non agant pro vitæ ſuæ conſeruatione, non habent ius nec rationem vi aliquâ carceres inuadendi aut attingendi.

Similiter reis quoque non licet vim inferre cuſtodibus qui fugam impediunt, quia hoc eſt quaſi vltimum & extremum medium, quo poteſtas publica poſſit coërcere & continere malefactores in ordine ad punitionem: quare pro particulari bono etiam pro vitæ conſeruatione, non licet eis violare in iſtis publicam poteſtatem, quia alioquin nulla quaſi ſupereſſet ratio, quâ Reſpublica valeret ſeſe ſufficienter contra impetum malefactorum defendere.

22 Ad Tertium quod attinet, Negant aliqui eiuſmodi reparationem à reo faciendam, prout probabiliter Banneſium ſentire refert Malderus, & ſequitur à Valentia tomo 3. diſput. 5. quæſt. 13. puncto 4. Sed communior ſententia omninò admittit, vnde Arragon. qu. 69. art. 4. ſimpliciter dicit, quod damnum pretij vinculorum, aut ſerarum fugiens teneatur in conſcientia ſatisfacere: idem docet eodem loco Salonius, Soto lib. 5. quæſt. 6. art. 4. & alij, quos videre eſt apud Bonacin. ſuprà nu. 17. Quare negatur conſequentia; quia, inquiunt, ex quo ibi reus iuſtè detinebatur à iudice, hinc non potuiſſe carcerem deſtruere, niſi cum onere reparandi, idque quaſi ex implicito quodam contractu, vt nonnulli loquuntur: quamuis enim ius conſeruandi vitam, faciat alicui licitam rei alterius deſtructionem, tamen vt damnum directè datum reparetur, meritò cenſetur relinquere obligationem: quare iudici manet ius ſaluum, vt Reus teneatur illum ſeruare indemnem quoad vincula, & carceres, quæ per ſe & directè frẽgit & deſtruxit: ſecus eſt de damno obueniente forſitan ex euaſione aliorum captiuorum, vt addunt communiter Doctores: Bonacina ſuprà num. 18. & alij ab eo citati: quia illa euaſio per accidens & præter intentionem Rei concomitatur, dùm ipſe vtitur iure ſuo ad vitæ conſeruationem.

Dico Quartò: Damnatus ad pœnam carceris temporalis dumtaxat, non poteſt licitè fugere; eſt tamen probabile damnatum ad carceres perpetuos arctos & graues fugere poſſe, ſicut & illum qui damnatus tenetur in triremibus. 23

Prior pars eſt communis Doctorum, quia pœna carceris temporalis non eſt tam grauis, vt poſſit cenſeri ſupra humanam infirmitatem quaſi ſpontè talem ſubire: quare poteſt validè hoc ei demandari, & ad eam ſubeundam condemnari.

Poſterior pars eſt contra Caietan. quæſt. 69. art. 4. Couar. ſuprà num. 14. & alios nonnullos: ſed tamen videtur magis communiter teneri; ſic enim docent Salonius, Arragonius, Bonac. ſuprà num. 14. Clauis Regia lib. 12. cap. 18. num. 11. & plures alij quos hic citat: fundamentum eſt, quod malum hoc ſit grauius, quàm vt poſſit imponi, vt ſpontè etiam tunc ſubeatur, quando eſt occaſio ſeſe ab illo liberandi: quod Salonius ſuprà extendit etiam ad condemnatum ad ſeruitutem. Dixi eum qui condemnatus ad carceres graues & arctos, quia ſi quis eſſet etiam ad perpetuum carcerem, ſed laxum & facilem damnatus, non liceret ei fugere, vt docet Malderus dubio 6. & alij plerique cum ipſo. Ita obligabatur Semi ſe continere intra muros ciuitatis quam Salamon quaſi pro carcere illi aſſignauerat libro 3. Regum capite 2.

DVBIVM V.

Vtrùm licitè poſſit quis reo, cui fuga in conſcientia eſt licita, conſulere vt fugiat, & ad fugam præſtare auxilium?

Respondeo & Dico Primò: Miniſtris iuſtitiæ non licet præſtare reis incarceratis auxilium vel conſilium ad capeſcendam fugam. Ita tenent communiter Doctores omnes. Ratio eſt, quia illis ex officio incumbit hoc curare, vt rei in carcere detineantur & quantum in ipſis eſt, impedire, ne quouis modo effugiant: quare infideliter ac iniuſtè agerent ſi quouis modo 24

ſiue auxiliò, ſiue conſilio cooperarentur reis ad elabendum per fugam.

25 Dico Secundò: Non licet alijs quoque iuuare reum incarceratum cooperando & operam ſimul adhibendo in carcere effringendo aut vinculis diſrumpendis, vt ſic reus euadat, adeò vt mortaliter peccent & teneantur ad reſtitutionem damnorum quæ iudex aut pars inde patitur. Ita etiam ſentiunt communiter DD. dubio præcedenti citati, quamuis Emanuel Sa V. Reus, videri poſſit indicare contrarium, dum ſatis generaliter dicit, quod liceat reum ad fugam iuuare. Vide Soto ſuprà, vbi dicit in vtroque foro illud eſſe mortale.

Ratio reddi poteſt: quia quod reo admittatur fuga vt licita, & in ordine ad illam, etiam carceris & vinculorum effractio, eſt tantum propter ſummam inclinationem naturæ ac ius, quę vnicuique competunt ad vitam conſeruandam: vnde fit, quod rationabiliter quis condemnari non poſſit, vt ipſe faciat ea, vnde mors ſequatur, prout ex D. Thomà antè dictum eſt, puta quod maneat in carcere quando ſe poteſt ab illo eximere: alius autem quiſpiam, neque habet illam inclinationem naturæ, neque natura tribuit illi tale ius ad conſeruandam vitam alterius, præſertim illius qui ſecundum iuſtitiam meretur vitâ priuari: quare meritò negatur illi quoque licentia, ne poſſit adhibere illas operas ad eripiendum reum è carcere, quas ipſe reus adhibere poteſt, vt ſe ipſum à carcere & à morte liberet.

Accedit, quod alioquin nihil poſſet iudicibus eſſe ſatis firmum & tutum ad reorum cuſtodiam, ſi illis qui foris liberi exiſtunt, liceret in adiutorium reis venire ad perfringendos carceres & vincula, & ſic eos inde liberare: quod cederet haud dubiè in magnum Reipublicæ incommodum.

26 Dico Tertiò: Non licet etiam alijs, ſubminiſtrare reis detentis arma ſiue inſtrumenta quibus carceres aut ſeras perfringant aut vincula incidant. Eſt contra Caiet. 2. 2. quæſt. 69. artic. 4. Salonium ibidem, Leſſ. l. 2. cap. 31. dub. 6. Bonac. ſuprà n. 19. Sed tenetur à pluribus, ac in primis ita tenere cenſendi ſunt Couar. & alij qui docent ne reis ipſis quidem licitum eſſe carceres aut vincula perfringere, de quibus dictum eſt dubio pręcedenti. Idem docent Dom. Soto lib. 5. quęſt. 6. art. 4. ſup. Gregorius à Valentia, Graffius lib. 3. cap. 7. Toletus lib. 5. cap. 6. Syluester V. Fugere, & dicit Mald. eſſe probabile.

Probatur autem Primò: Quia ſubminiſtrare eiuſmodi inſtrumenta reis eſt magis cooperari iſtis violentijs, quàm ius quod Reſpublica ad reorum cuſtodiam & detentionem habet, permittere cenſendum eſt, quia eſt ipſius Rei manus armare & vires contra poteſtatem publicam præbere, quibus ipſa impediatur à fine officij ſui, qui eſt malefactores caſtigare & è medio tollere.

Probatur Secundò: Quia licet reo prohiberi non poſſit, ne fugiat, aut carcerem frangat, quando occultè poteſt, dum de capite eius agitur, ita vt in conſcientia obligetur, tamen admittunt etiam alij, vt videre eſt apud Bonacinam & Leſſium ſuprà, poſſe prohiberi externis validè ſiue cum obligatione in conſcientia, ne inſtrumenta reis ad effringendum ſuppeditent; quia ſcil. non habent hi tale ac tantum ius ad reorum vitę conſeruationem, quantum ipſi rei habent: vnde neque prohibitio huiuſmodi reſpectu horum debet aut poteſt cenſeri inhumana, & quaſi intolerabilis humanæ infirmitati, quemadmodum dicitur eſſe reſpectu reorum qui in carcere tenentur: atque prohibitio iſta videtur ſufficienter facta per lęges, quibus grauiſſimè puniuntur, qui talia inſtrumenta deprehenduntur ſubminiſtraſſe. Ergò &c.

Obijcies: Reo licet effringere carceres & vincula, ergò alijs licet inſtrumenta præbere, & in illa effractione illum iuuare.

Reſpondetur; Si argumentum hoc aliquid probaret, videretur etiam euertere ſecundam concluſionem, quæ tamen apud omnes habetur indubitatæ veritatis. Neganda itaque eſt conſequentia, & ratio poteſt colligi ex iam dictis, quia quod reo illud tanquam licitum concedatur, fit tantum, quia propter particulare ius à natura conceſſum ad vitæ conſeruationem, non poteſt illi validè demandari, vt ipſe agat; vel quaſi agat, vnde illi mors obueniat, ſicuti nec ad illud agendum poteſt condemnari iuxta D. Thomam ſuprà: alijs autem id non conceditur, quia non habent tantum iuris ad conſeruandam vitam alterius Rei quantum ipſe habet, vnde pro conſeruatione vitæ illius non poſſunt facere illa quæ licitè ipſe agit. 27

Admittit tamen Soto ſuprà & alij paſſim omnes, illis qui foris ſunt licitum eſſe conſulere fugã reo; quia nudum conſilium fugæ, ad quam reus ius habet, abſq; alio adiumẽto non videtur tanti momẽti, vt propter illud debeat conſulens dici contra publicam poteſtatem agere aut aliquid attentare.

DVBIVM VI.

Quinam munus Aduocati poſſint exercere?

RESPONDEO & Dico Primò: Munus Aduocati exercere non poſſunt quibus naturalis aliqua impotentia obſtat, aut quibus præiudicat decentia ſtatus. Ita D. Thomas hic quæſt. 71. art. 2. Hinc repelluntur 28

Digitized by Google

luntur ab iſto munere muti, ſurdi, furioſi, & adoleſcentes vſque ad annum decimum-octauum, eo quod rationis vſum & ſcientiã ad hoc munus ritè obeundum nondum nacti præſumantur.

Deinde à iure etiam repelluntur alię quędam perſonæ ob decentiam Status: ſic non admittuntur Religioſi, excepto caſu neceſſitatis Monaſterij, in quo cum Abbatis licentia poteſt Religioſus munus Aduocati obire in ciuilibus etiam coram iudice Laico cap. 1. & finali De poſtulando: Similiter non admittuntur Clerici ſacris Ordinibus initiati, vel etiam minoribus & habentes beneficium, conſtat ex cap. citatis. Vbi iterum excipitur cauſa Eccleſiæ propriæ, & cauſa etiam conſanguineorum, qui non habent Aduocatum æquè idoneum, & cauſa miſerabilium perſonarum. Non repelluntur autem Clerici initiati minoribus non habentes beneficium, nec in ciuilibus, nec in criminalibus, nam ſicuti poſſunt ad ſtatum Laicalem redire, ita etiam hoc munus exercere. Vide Syluest. V. Aduocatus quæſt. 7. Nauar. Cap. Non dicatis 12. quæſt. 1. Comment. 2. Clauem Reg. lib. 12. cap. 22. nu. 5. & ſeqq. Bonac. diſp. 10. q. 3. puncto 4. n. 1.

DVBIVM VII.

Vtrùm Aduocati teneantur gratis exhibere patrocinium pauperibus?

29 RESPONDEO & DICO Primò: In extrema neceſſitate pauperis, quando nemo alius putatur illi patrocinaturus, tenetur quiuis Aduocatus illi ſuccurrere, ac patrocinium exhibere etiam gratis. Ita hic docet D. Thom. qu. 71. art. 1. eſt & doctrina communis & certa: dicitur autem eſſe pauper in extrema neceſſitate, quando eſt probabile omnino periculum, quod niſi aliquis cauſæ eius adſiſtat, eamque inſtruat, perdet litem & iniquè à parte rei condemnabitur, ſiue capitis, ſiue mutilationis, ſiuę in amiſſionem ſuorum bonorum.

Probatur itaque concluſio, quia quiſque tenetur extremè indigenti illud impendere quo ipſe inſtructus eſt, & non ſimiliter eget, v. g. Si pauper egeat cibo debet is ſuccurrere qui cibum habet, non autem proximè is qui pecuniam habet, niſi exiſtimet pauperem non aliter poſſe cibum obtinere: Similiter ſi opera chyrurgi aut medici indigeat, tenentur hi operã gratis præſtare, vt docet D. Gregorius homil. 9. in Euangel. Habens (inquit) intellectum curet omninò ne taceat, habens rerum affluentiam, à miſericordiæ largitate non tepeſcat, habens artem qua regitur, vſum illius cum proximo partiatur, habens loquendi vſum, apud diuitem pro paupere intercedat, talentum quippe ab vnoquoque noſtrum venturus iudex exiget, quantum dedit. Idem docet D. Ambr. lib. 1. De officijs cap. 30. Grandis culpa (inquit) ſi te ſciente fidelis indigeat, ſi in cauſam ceciderit aut captiuitatis ſuorum aut calumnię & non adiuues. Vide eundem lib. 2. cap. 15.

DICO Secundò: Etiam in graui pau- 30
peris neceſſitate, puta quando ea talis eſt, vt niſi patrocinio Aduocati iuuetur, per iniquã ſententiam deuenturus ſit in grauem afflictionem, v. g. damnandus ſit ad publicam flagellationem, ad triremes, vel in amiſſionem tantæ partis bonorum, vt de cætero cogetur anguſtam & miſerabilem omninò vitam ducere, tunc obligatur Aduocatus ſuo patrocinio ſuccurrere tali, & quidem ſub culpa mortali. Ita docent Salo. Arragon. Banneſius hic quæſt. 71. artic. 1. Soto lib. 5. quæſt. 8. art. 2. Syluester V. Aduocatus q. 11. Malderus Tract. 6. cap. 3. dub. 8. & alij. Addunt tamen DD. modò præter operam quæ ſibi eſt neceſſaria ad intertenendum ſtatum familiæ ſuæ ſuperſit ei tempus, vt poſſit quoque cauſæ pauperis incumbere. Et colligi poteſt ex D. Th. ſup. citato.

Ratio autem reddi poteſt, quia illi qui quoquo modo ſuperfluum habent in aliquo genere, obligantur in graui neceſſitate proximi eidem ſuccurrere, vt ſuprà amplius eſt declaratum, & ſatis indicant D. Gregor. & Ambroſ. locis citatis. Vide dicta ſupr. qu. 31. art. 6. & Couar. lib. practicarum 44. c. 6. n. 4. vbi docet etiam in caſu poſſe Aduocatum à iudice compelli ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per annum vt gratis cauſæ pauperis patrocinetur.

DVBIVM VIII.

Quodnam ſtipendium Aduocatus exigere & recipere poſſit?

ADuocatum poſſe pecuniam ſeu pre- 31
tium accipere pro patrocinio ſuo docet D. Thomas quæſt. 71. art. 4. & alij cum ipſo: quia licet ſcientia iuris ſit aliquid ſpirituale, quatenus immateriale quid, non eſt tamen quid ſupernaturale, aut ſupernaturali ſic annexum, vt ratione eius prohibitum ſit, pro eius traditione aut vſu accipere aliquid temporale: quia labore naturali comparatur, & mediante labore corporali alijs communicatur, & applicatur vſus eius. Vide Arrag. ad 4. D. Th. citatam. His pręmiſſis,

RESPONDEO & DICO Primò: Aduocatum tantum poſſe exigere & accipere ſtipendium lege taxatum, vel rationabili conſuetudine approbatum. Ratio eſt, quia quilibet

Digitized by Google

quilibet tenetur legem iuſtè taxantem pretia rerum ſeruare, nec licet plus exigere vbi illa extat, alioquin peccat contra iuſtitiam: l. Si quis D. De poſtulationibus. Quando autem pretium non eſt iure, vel vſu taxatum, poterit Aduocatus recipere, quantum iudicio prudentum ac proborum æſtimatur iuſtum habitâ ratione laboris, & ſcientiæ Aduocati, & difficultatis cauſæ, vt ſignificat D. Thom. ſup. & tradunt Salonius, Banneſ. & Arragon. ibidem, & Clauis Regia lib. 12. cap. 23. nû. 29. Bonac. ſup. nu. 10 cum alijs quos citat: quia iſta præbent iuſtam rationem augendi ſtipendium.

32 Dico Secundò: Aduocatus non poteſt paciſci de concedenda ſibi certa parte eius pro quo litigatur, in caſu, quo litem vincat: patet ex l. Si quis C. De poſtulationibus & l. Sumptus D. De pactis. Ratio eſt, ne aditus aut feneſtra aperiatur Aduocatis incumbendi ad vincendas lites per dolos & fraudes, vt parte promiſsâ fruantur. Vide Clauem Reg. ſup. n. 30. Syluest. V. Aduocatus quæſt. 17. & Nauar. cap. 15. n. 30.

Poteſt tamen paciſci de aliquo certo ſtipendio ſibi perſoluendo, vt cauſam ad finem vſque proſequatur, quod percipiet ſiue pars eius vincat, ſiue ſuccumbat. Conſtat ex l. 1. D. mandati, & docent DD. citati: & quidem ſi ita ſit abſolutè conuentum, addit Bonacina, quod tenebitur Aduocatus non tantum in prima inſtantia, ſed etiam in ſecunda & tertia defendere cauſam ſi interponatur appellatio, vt pecuniam promiſſam poſſit exigere, quia cauſa ante non eſt finita: vbi tamen eſt attendendum ad mentem cōtrahentium. Addit vlterius, non illicitum videri, quod conueniat de certo aliquo præmio præter ſtipendium ſi victoria obtineatur, modò id moderatum ſit, nec ſpeciali lege alicubi prohibitum, quia hoc non eſt conuenire de certa quota litis. De qua re vide DD. alios ſuprà citatos, & Antoninum 3. p. tit. 6. cap. 2. §. 2.

DVBIVM IX.

Vtrùm Aduocatus poßit cauſam dubiam ſuſcipere defendendam?

33 Respondeo & Dico Primò: Si vtriuſque partis cauſa eſt quaſi æquè probabilis, poterit licitè Aduocatus ſuſcipere patrocinium ſiue ipſius Rei, ſiue ipſius actoris. Ita ſatis communiter tradunt DD. & quidem de cauſa rei non poteſt dubitari, quandoquidem etiam iudex tunc reo magis fauere debeat. Quod ad cauſam actoris attinet, neque hic tenetur in tali equilibrio cedere ius ſuum alteri: quare non apparet ratio cur Aduocatus nō poſſit ei adſiſtere in illius ſui iuris requiſitione.

Dico Secundò: Et ſi cauſa ipſius Rei ſit minus probabilis, modo tamen veram habeat probabilitatem, poteſt quoque Aduocatus illam ſuo patrocinio tueri. Ita Soto ſuprà art. 3. Mald. dub. 9. & alij mox citandi. Ratio reddi poteſt, quia cauſa rei ſemper habetur fauorabilior, ſicuti & poſſeſſoris quem & ipſe quodammódo ſuſtinet.

Difficultas autem eſt de cauſa actoris, quādo hęc eſt minus probabilis. Dom. Soto exiſtimat Aduocatum non poſſe tunc cauſam actoris ſuſcipere, eo quod putat forè contra charitatem. Etſi verò interdum id poſſit locum habere, puta quando parum commodi inde obuenturum eſſet actori & multum incommodi reo, tamen ordinariè quando cauſa eſt verè probabilis iuxta communiorem doctrinam poterit Aduocatus etiam cauſam actoris ſuſcipere licet minus probabilis ſit quam ipſius rei. Azor. tom. 3. lib. 13 cap. 29. dub. 3. Salon. ſup. quæſt. 71. art. 3. Reginal. lib. 25. n. 673. Bonac. ſuprà n. 8. & plures alij quos citat.

Ratio reddi poteſt, quia non ſemper id quod eſt probabilius, idcirco verius eſt, imò non rarò contrarium deprehendi ſolet, vnde tametſi Aduocato appareat cauſa Rei probabilior, poteſt tamen bona fide cauſam actoris ſuſcipere, quando verè eſt probabilis, & ſubmittere iudicis determinationi adductis illis quæ pro eâ faciunt.

Obſeruandum tamen Primò: Rectè quoſdam monere, quando cauſa parum haberet probabilitatis, vt vix moraliter ſit ſpes in ea obtinendi, eo quod iudices non ſoleant ad illa fundamenta probabilitatis attendere, aut ſecundum illa pronuntiare, tunc peccare Aduocatum ſuſcipiendo talem cauſam, partim quod talis ſoleat cenſeri defendere malas cauſas, partim quia damnum infert ſuo clienti, quatenus eſt cauſa inutilium ſumptuum quos liti impendit. 34

Obſeruandum Secundò: Etſi in alijs cauſis actoris minus probabilibus, concedatur Aduocatum poſſe patrocinari, tamen non videri licitum hoc ipſi, in cauſa ſanguinis contra reum qui euidenter habet cauſam probabiliorem, adeò vt Soto & Arrag. dicant illud eſſe ingens peccatum; Banneſius autem dicat eſſe contra charitatem, quamuis non contra iuſtitiam.

Sed contra dicta opponitur: non poteſt Princeps aliquis aut Reſpublica mouere ſeu inferre bellum quando cauſa illius eſt minus probabilis; ergò neque pars illa litem mouere, cuius cauſa minus probabilis eſt.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, & ratio eſt, quia per litem fit inquiſitio veritatis, vtrius partis cauſa ſit reipſa iuſta, ac deciſio

Digitized by Google

deciſio relinquitur iudici, cuius eſt vtriuſque partis rationes & momenta expendere, vbi illa fuerint propoſita & explicata in iudicio, ſed illatio belli eſt quaſi ſententię executio, ſententia autem ferri non poteſt in eius fauorem, cuius cauſa omnibus perpenſis deprehenditur minus probabilis; hic enim cenſetur minus iuris habere, quàm pars aduerſa, & proinde multò minus in eius fauorem poteſt fieri aut admitti executio ante ſententiam aliquam latam.

DVBIVM X.

Vtrùm & quando teneatur Aduocatus clienti aut parti ad reſtitutionem?

39 RESPONDEO & DICO Primò: Quando ex negligentia vel ex imperitia Aduocati cliens eius iuſtâ cauſâ excidit, tenetur ipſe clienti de damno, quod inde obuenit. Ita Clauis Regia lib. 12. cap. 23. nu. 10. Bonacina ſuprà nu. 3. & alij communiter.

Ratio eſt, quia lege iuſtitiæ obligatur clienti ſuo debitam exhibere diligentiam pro ipſius cauſę magnitudine & difficultate. Similiter ex officio debet eſſe competenti ſcientia inſtructus, cum pro idoneo Aduocato ſe exhibeat, & vt talis requirat ſtipendia.

Quanta autem negligentia vel imperitia hic concurrere debeat, vt naſcatur huiuſmodi obligatio, licebit colligere ex dictis ſuprà Tractatu 2. cap. 1. dub. 7. vbi diſputatur, qualis requiratur culpa, vt quis obligationem reſtituendi contrahat ratione damni dati.

Notant autem hic DD. Aduocatum Rei qui technis aut fraudibus hunc defendit contra fiſcum non teneri ad compenſanda emolumenta fiſco, quæ ex damnatione rei erant fiſco obuentura, niſi reus ſic fuiſſet defenſus: quemadmodum neque ipſe reus eo caſu tenetur de illis. Ita Salon. & Banneſ. quæſt. 71. art. 4. Clauis Regia n. 15. Bonac. ſup. n. 15. Mald. ſup. dub. 10. & alij.

Ratio eſt, quia pœna non eſt debita, niſi poſt ſententiam, & proinde neque eius debet prius fieri compenſatio: & quamuis eiuſmodi technis & fraudibus faciat iniuriam Aduocatus Reipublicę, quatenus publicum tribunal peruertit, ac iuſtitiam impedit, & proinde peccet, hanc tamen iniuriam docent non obligare ad reſtitutionem, quia non eſt contra iuſtitiam particularem ſiue vt particularis virtus eſt, ſed contra legalem.

Vtrùm verò Aduocatus ipſius fiſci ſi ſua negligentia contingat fiſcum excidere cauſâ, teneatur fiſco ad reſtitutionem mulctæ quam fuiſſet accepturus, diſputatur. Certum autem eſt teneri fiſco ad reſtitutionem ſumptuum factorum quos per illam negligentiam amittit; quod ad mulctam autem attinet probabiliter multi exiſtimant ipſum ad compenſationem eius non teneri, licet Michaël Salonius hic quæſt. 77. art. 3. contrarium ſentiat.

DICO Secundò: Quando Aduocatus defendit cauſam quam ipſe nouit eſſe iniquam, obligatur ad reſtitutionem omnium damnorum quæ parti aduerſæ ratione illius litis inde obueniunt, vt expenſarum quas facit, & bonorum ſi quæ inde amittat. Tenetur etiam clienti ſuo ſi hunc bona fide in cauſa ſua procedentem non monuerit de cauſæ iniuſtitia, ſi inde in ſumptus incidat. Ita DD. ante citati. 36

Obſeruandum tamen eſt, ſi clienti intentabatur actio criminoſa & ipſe ſic eum defendat, vt accuſator non potuerit eum conuincere; ideoque ipſe accuſator damnatus fuerit ad pœnam talionis, non teneri Aduocatum ad reparationem damni ex pœna prouenientis, neque eum effici irregularem, vt docet Salon. quæſt. 71. art. 3. & Couar. ad clementinam ſi furioſus parte 2. §. 5. contra Nauar. cap. 27. n. 209.

Ratio horum eſt, quia hoc per accidens & præter intentionem Aduocati obuenit accuſatori, quia ille tantummodo reum defendere intendebat: cauſam verò ipſius accuſatoris non tenebatur ipſe adiuuare.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS SEPTIMVS,

De Iuſtitia diſtributiua.

CAPVT PRIMVM,

De perſonarum acceptione in communi: & ſpeciatim, quatenus in officiorum ſæcularium diſtributione committitur.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit perſonarum acceptio? & quale peccatum?

EXPLICATIS Capitibus principalioribus quæ ad iuſtitiam commutatiuam pertinent, reſtat vt breuiter agamus quoque de officijs iuſtitiæ diſtributiuæ, & de defectibus huic oppoſitis. Verſatur autem diſtributiua iuſtitia potiſſimum in partitione & collatione officiorum publicorum, tum ſæcularium, tum ſpiritualium, & in communium onerum impoſitione, vt vectigalium, excubiarum, & ſimilium. Vnde potiſſimùm in Principibus & Magiſtratibus & Præfectis reſidet.

Vitium autem huic iuſtitiæ directè oppoſitum conſiſtit in perſonarum acceptione, vt tradit D.Thom. hic quæſt.63.art.1.

Quod verò ad definitionem ſeu rationem iuſtitię diſtributiuę & ad diſtinctionem eius à iuſtitia commutatiua attinet, explicuimus iſta ſup. latiùs Tractatu 1. cap. 1. dub. 4. quare iſtis hic prætermiſſis, ad explicationem vitij oppoſiti tranſimus. Vnde

1 RESPONDEO & DICO Primò: Perſonarum acceptio eſt peccatum iniuſtitiæ, quod committitur quando quis in bonorũ, vel onerum diſtributione, quam iuxta merita aut certas qualitates & conditiones eorum quibus fit diſtributio, facere tenetur, non reſpicit ad merita vel cauſam, & cauſæ quantitatem, ſed ad perſonam, id eſt, ad aliquam perſonæ conditionem non conſiderandam in diſtributione illa facienda. Colligitur ex D. Thomâ loco citato, Arrag. ibid D.Soto lib.3. De Iuſt.qu.6.a.1.& alijs.

Duo itaque ad perſonarum acceptionem requiruntur; vnum eſt vt is qui diſtribuit, ſit obligatus iſta bona inter tales perſonas iuxta proportionem meritorum, aut certarum qualitatum diſtribuere: ſiue iſta obligatio aliunde ipſi inijciatur, vt ab ipſo iure, ſiue naturæ, ſiue poſitiuo, diuino vel humano, vel etiam ex alicuius particularis diſpoſitione, ſiue ipſemet eam obligationem ſibi impoſuerit, v.g. Si quis ludos inſtitueret certis pręmijs propoſitis & promiſſis pro victoribus, & poſtea non diſtribueret præmia victoribus, ſed amicis, aut alijs non promerentibus, dicetur acceptor perſonarum.

Hinc intelligere eſt, quomodo apud Deum non ſit perſonarum acceptio, etiamſi dona ſua gratiæ, neque omnibus, neque æqualiter inter homines diſtribuat, quia ille nullo modo obligatus eſt hæc ſua dona inter homines diſtribuere, multò minùs cũ aliquâ inter eos proportione, cũ abſq; iniuſtitia & vitio poſſit illa omnibus denegare: quibus enim ea largitur, miſericorditer largitur, & abſque omni debito. Ita ex D.Auguſt. docet Adrian. Quodlib.5. Soto & Arrag. ſup. & alij. Vbi tamẽ nõ eſt ſermo de præmijs quæ promiſit operibus iuſtorum, ſed de gratijs præuenientibus & deducentibus ad iuſtitiam, ac alijs actualibus auxilijs, quibus homo in iuſtitia peculiariter conſeruatur aut promouetur: verùm de iſtis infrà latiùs.

Similiter perſonarum acceptionem non incurrit quis, ſi bona ſua abſque vlla obligatione velit inter pauperes diſtribuere & plus dare alicui minus indigenti, quàm alteri magis indigenti, aut dare his pauperibus & non alijs, etiamſi omnes eſſent eiuſdem conditionis, vt docet D. Thom. loco citato ad 3. quia ſcilicet non tenebatur, nec his nec illis diſtribuere, ſed ſua poterat ſibi reſeruare. Vnde ſi aliquis murmuret, poterit reſpondere cum Euangelico patrefamilias, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Alterum requiſitum eſt, vt dum diſtributio fit, non attendantur qualitates quæ in tali diſtributione conſiderari & attendi non debent, ſed illæ quæ hic ad rem faciant, & ob quas cenſeatur quis dignus aut magis dignus tali diſtributione. Hinc acceptionem perſonarum incurret Pręlatus aut Princeps, qui

Digitized by Google

qui dignioribus, & magis qualificatis prætermiſſis, confert beneficia aut officia indignis, aut minus dignis, eo quòd hi ſunt amici aut conſanguinei, aut quia munera præſentent, aut ſimili de cauſa.

2 Dico Secundò: Perſonarum acceptio ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Ita Dominicus Soto ſuprà, & alij paſſim. Ratio eſt, quia ius proximi violare ſecundum ſe aduerſatur iuſtitiæ: imò & charitati, quæ autem ſunt contra iuſtitiam vel charitatem ſunt ex genere ſuo peccata mortalia. Ratione tamen paruitatis materiæ, vt in alijs, ita & hic poteſt eſſe peccatum veniale tantùm. Vide D. Thomam quæſt. 59. art. 4. vbi docet ea quæ iuſtitiæ contrariantur etiam eſſe contra charitatem, & quia charitas eſt principium vitæ ſpiritualis, idcircò ex genere ſuo eſſe mortifera.

DVBIVM II.

In quorum diſtributione potiſſimum committatur perſonarum acceptio?

3 Diuus Thomas quæſt. 63. antè citatâ diſputat per tres articulos de triplici rerum genere, an in illis locum habeat peccatum acceptionis perſonarum, & locum in illis habere concludit: quibus duo alia addi poſſunt, vt ſic conſtituantur quaſi quinque genera.

Primi generis ſunt honor & reuerentia, in quorum exhibitione poteſt ac ſolet acceptio perſonarum committi, vt docet Diuus Thomas quæſt. citat. artic. 3. & poteſt colligi ex illo Iacobi cap. 2. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* IESV *Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclarâ* &c.

Obſeruandum igitur hic eſt, titulum ob quem alicui debetur honor aut reuerentia eſſe excellentiam naturæ rationali congruentem, quæ oritur ex virtute, aut ſapientiâ, aut poteſtate ſiue ſuperioritate, vel alterius perfectionis participatione. Hinc fit vt inprimis debeatur honos illis qui virtute & ſapientiâ ſunt præditi, quia in ijs conſiſtit prima & perfectiſſima excellentia naturæ rationalis ſeu intellectualis: deinde ijs qui poteſtate excellunt, vt Principibus & Magiſtratibus; quia ſunt participes quaſi diuini dominatus & poteſtatis; item parentibus, quia poſt Deum ſunt principium noſtri eſſe; item ſenibus, quia ſenium eſt ſignum prudentiæ & virtutis quæ exiſtimantur ipſi longâ experientiâ comparaſſe: diuitibus quoque ſuo modo, quatenus diuitiæ poſſunt eſſe inſtrumenta virtutum, & ſubſeruire bonis operibus, vt tradit D. Thomas quæſtione citatâ, artic. 3. non autem præciſe, quia diuites ſunt abſque reſpectu ad bona opera quibus faciendis ſunt idonei.

Poſſunt enim intelligi diuites honorari dupliciter, vno modo propter ipſas diuitias, quaſi diuitiæ in ſe eſſent aliquid honore dignum; & eo modo honorari non debent, niſi forſitan aliquo externo ſigno propter receptam conſuetudinem, abſque tamen interna æſtimatione aut reuerentia erga diuitias: quod docere videtur Diuus Thomas Quodlibeto 10. artic. 12. vbi ſic ſcribit: Et quia in terrenâ Republica diuites ſtatum obtinent altiorem, ciues ideò cæleſtis Hieruſalem quaſi in Babilonicâ peregrinantes, debent eis inter quos conuerſantur, morem gerere in his quæ non ſunt contra Deum, vt docet Diuus Auguſtinus De ciuitate Dei lib. 19. cap. 17. & ſic etiam diuites honorare (inquit) illis duntaxat honoribus, qui ad externum conuictum pertinent, licitum eſt: neque id aduerſatur doctrinæ Diui Iacobi, quia hic loquitur de honore qui ad Eccleſiaſticam communionem pertinet, agit enim de conuentu Eccleſiaſtico, vnde dicit, *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* IESV *Chriſti* &c. quaſi dicat, Nolite in ijs quæ ad fidem & religionem, vt ad Sacramentorum communionem pertinent, habere reſpectum ad diuites, vt pauperioribus in ijs bonis quæ ſunt Chriſtianæ religionis, præferantur. Altero modo poſſunt diuites honorari, vt indicauimus, non propter diuitias in ſe ſpectatas, ſed quatenus præbent materiam exercendi opera virtutum, vt miſericordiæ, pietatis ac liberalitatis &c. ad quæ diuites illis vti poſſunt, & ſub hac conſideratione poterunt etiam quædam interna reuerentia & reſpectus ſuo ordine illis deferri; nunquam tamen ita vt diuitiæ præferantur, aut exequentur ſapientiæ & virtutibus.

Secundum genus ſunt officia publica ſæcularia in quibus diſtribuendis ſeruari debet iuſtitia diſtributiua, & in quibus è contrà peccari ſolet perſonarum acceptione; vt ex mox dicendis amplius conſtabit. Huc 4 reuocari poſſunt bona relicta diſtribuenda per Magiſtratum loci, aut per Magiſtros pauperum, inter indigentes & pauperes.

Tertium genus ſunt onera publica, vt vectigalia & aliæ impoſitiones in quibus etiam frequenter perſonarũ acceptio committitur.

Quartum ſunt beneficia & dignitates Eccleſiaſticæ, de quibus agit D. Thom. hac quæſt. 63. artic. 2. Nos verò de iſtis poſtmodum agemus.

Quintum eſt ius ipſum dicendũ ſeu proferendum inter ipſas partes; nam & in iudicio ferendo aut exercendo contingit intercedere perſonarum acceptionem, vt docet D. Tho. qu. 63. citatâ art. 4. quamuis enim dicere ius ſit ſimpliciter actus iuſtitiæ commutatiuæ, quatenus iudex ex officio obligatur illud dicere, tamen quatenus inter duos collitigantes diiudicat, poteſt etiam hic concurrere iuſtitia diſtributiua: debet enim iudex conſiderare, quam proportionem partes, v. g. Ioannes & Petrus habeant in meritis cauſæ, & ius pronuntiando efficere, vt eandem proportionem obtineant in bono pro quo litigant.

Vnde ſi in illa pronuntiatione iudex aliud reſpiciat præter cauſarum merita, committit peccatum acceptionis perſonarum: quod in Scripturis ſacris ſæpius redarguitur & prohibetur: vnde Leuit. cap. 19. dicitur: *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis*, & Chriſtus apud Ioannem, *Nolite ſecundum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate.*

5 Neque tantùm in definitiua ſententia, ſed etiam in alijs poteſt iudex in hoc vitium incidere, vt dum citius cauſas diuitũ expedit, quàm cauſas pauperum, item quando in pari occaſione longiores terminos ad probandũ aut reſpondendum cõcedit vni quàm alteri: Dico in pari occaſione, quia poteſt ſubeſſe iuſta ratio, cur aliquando ita agat: vt v. g. ſi vna pars difficilius inuenire poſſit procuratorem & aduocatum propter ſuam paupertatem, vel aduerſarij potentiam, poterit tunc huic ampliorem terminum concedere, propter illam eius conditionẽ, nam & ipſa paupertas in tali occaſione quaſi tranſit in meritum cauſæ, vnde locum tunc habet illud Eccleſiaſtici cap. 4. *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater*: aliàs non concurrente aliquo ſimili habebit locum quod ante allegauimus, *Non conſideres perſonam pauperis* &c.

Dicet aliquis: Terminos partibus concedere relinquitur arbitrio iudicis ex ipſo iure, ſicuti & alia nonnulla, ergò in talibus non incurret vitiũ acceptionis perſonarum quocumque modo in illis ſeſe gerat.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, quia dicuntur illa relinqui iudicis arbitrio tantummodo, quia particulari lege non eſt præſcriptum, quales & quantos terminos poſſit aut debeat concedere, ſicuti nec alia quædam minutiora; non autem quia pro ſuo placito & quaſi libidine poſſit in illis diſponere, ſed ſecundum generalem rationem prudentiæ & iuſtitiæ committitur illi, vt cum diſcretione & æquabilitate erga partes in illis diſponat, quæ niſi obſeruet perſonarum acceptionem incurrere cenſebitur.

DVBIVM III.

Vtrùm illi peccent mortiferè acceptione perſonarum qui officia ſæcularia non diſtribuunt digniſſimis?

Notat Arragon. artic. 2. quæſt. 63. dignitatem in præſenti propoſito ſumendam eſſe per comparationem ad officia publica, ita vt ille dignior cenſendus ſit qui in ordine ad officium ad quod aliquis aſſumendus eſt, exiſtit aptior: & Dominicus Soto lib. 3. quæſt. 6. art. 4. concluſ. 3. dicit, quod perſonarum merita, quibus publicæ adminiſtrationes & munera demandantur, ſint æſtimanda reſpectu finis & functionis ad quam aſſumuntur, an ſcilicet ſint ad ſubditos accommodi, & ad Magiſtratum illum gerendum idonei. His poſitis 6

Respondeo & Dico Primò: Illi qui aſſumunt ad officia ſæcularia, v.g. ad gubernacula oppidi, vel arcis, ad officium Prætoris, Iudicis, Quæſtoris, Ærarij publici, Ducis belli &c. homines ineptos, aut qui putantur malè adminiſtraturi, delinquunt mortaliter, & tenentur Reipublicæ ad reſarcienda damna inde ſecuta. Ita Soto & communiter Doctores.

Probatur Primò: Quia qui hæc officia diſtribuunt ſeu conferunt, aut faciunt id ex debito ſui officij per ſe & proximè, vt Principes, vel ex commiſſione eorum faciunt, qui ex debito officij ſui conferre ſolent: ſi ex debito officij ſui iam tenentur lege iuſtitiæ procurare Reipublicæ idoneos miniſtros, ipſum enim officium obligat illos eâ lege erga Rempublicam, cum propter illud & alia ſimilia accipiant tributa aut ſtipendia: ſi ex commiſſione conferant, tenentur ſimiliter lege iuſtitiæ; quia qui ex commiſſione facit non minus obligatur, quàm qui commiſſionem dedit; hoc ipſo enim quo commiſſionem vel mandatum acceptat, obligat ſe ad debitè & ritè exequendum.

Probatur Secundò: Quia Principes tenentur rectè & ordinatè Rempublicam adminiſtrare, & quantum fieri poteſt, incommoda ab illa remouere: atqui hoc facere non poſſunt, niſi idoneis miniſtris & officiatis vtantur; cum pleraque negotia per hos ſint exequenda; ſi igitur inidoneos & ineptos

ineptos adhibeant, delinquunt contra iuſtitiam & debitum officij ſui, ac proinde ad damni ſecuti reparationem tenentur: qui enim cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. vt habet regula iuris.

7 Dico Secundò: Qui minus idoneos aſſumunt officiatos, prætermiſſis magis idoneis, etiam peccant, & quidem ſæpe mortaliter. Colligitur ex Dom. Soto lib. 3. De iure & iuſtitia q. 6. art. 4. & docet Arrag. ſup. vbi ſimpliciter dicit eos qui curam habent officia conferendi, obligari ſub mortali, vt eligant digniorem, quantum commodè potuerint ſecundum rationem iuſtitiæ diſtributiuæ. Idem quoque tradit Michaël Salonius ibidem: Malderus Tract. 9. cap. 1. dub. 5. & alij.

Probatur autem primò: Quia iniuriam aliquam facit digniori dum illi præfert minus dignum: potiori enim ratione debetur huic qui eſt aptior: hæc tamen iniuria non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, vnde non inducit obligationem ad reſtitutionem digniori faciendam qui ſtrictum ius iuſtitiæ ad officium non habebat, vt notat Soto, & alij.

Probatur Secundò: Quia conſtituendo miniſtros minus idoneos quando magis idonei ad manum ſunt, peccant illi contra fidelitatem quam Reipublicæ debent: obligantur enim ad minus ex fidelitate procurare miniſtros, quàm maximè idoneos quantum commodè fieri poteſt, illi quibus ex debito officij ſui, vel aliter incumbit Reipublicæ de miniſtris prouidere: quemadmodum œconomus ſi fideliter munus ſuum exequi velit, tenetur conducere miniſtros & operarios domino ſuo quàm maximè idoneos, maximeque vtiles futuros, quantum in ipſo eſt; quare ſicut œconomus grauiter peccaret contra fidelitatem domino debitam, ſi in conducendis miniſtris vel operarijs ſpectaret tantùm vt amicos promoueret relictis alijs, qui multò amplius domino eſſent profuturi, ita etiam illi qui officia Reipublicæ conferenda habent, grauiter peccant, ſi promoueant eos qui ſanguine vel amicitia ſibi iuncti ſunt, aut qui munera offerunt, prætermiſſis alijs magis idoneis, qui cum maiore vtilitate Reipublicæ officijs perfuncturi eſſent: præferunt enim proprios & priuatos affectus ac commoda, publicæ vtilitati contra fidem Reipublicæ datam.

8 Vnde aduertendum eſt, illum qui adminiſtrationem aliquam ſuſcipit, tacitè ſe ad hæc domino obligare: Primò ad ſolicitè agendum, vt ſuâ negligentiâ nullum obueniat damnum, & ad hoc ſe obligat lege iuſtitiæ, ſic vt ad reſtitutionem teneatur ſi id non præſtiterit.

Secundò, ad promouendum commoda eius, cui miniſtrat in omnibus, & per omnia, quantum commodè poterit, ſiue quod officium ſuum adminiſtrabit quàm optimè & cum maximo commodo eius cui miniſtrat: neque enim vellet quis acceptare œconomum aut miniſtrum quem exiſtimaret eam non habere mentem & intentionem: verùm hæc obligatio non videtur inducere debitum iuſtitiæ, ſic vt ad reſtitutionem obligetur, ſi non omnia cum maxima vtilitate domini fecerit, modò ſuâ negligentiâ cauſam damni non dederit, ſed ſolum inducere debitum ex fidelitate abſque onere reſtituendi; ſolet enim dici non ſatis fideliter domini negotium peregiſſe, qui aliqua domini commoda, quæ facilè potuiſſet, curare prætermiſit.

Probatur concluſio tertiò: quia niſi in officijs conferendis adhibeatur magna diligentia, vt dignioribus conferantur, contingit Rempublicam ſenſim repleri miniſtris imperitis, non intelligentibus, improbis, auaris, hæreticis, politicis qui ſuos & ſua dumtaxat promouere, & procurare ſatagunt; commune autem bonum negligunt, ſemper ad priuatas intentiones dirigentes negotia publica qui iuſtitiam, imò & religionem auro venalem habeant: quando enim ſuperiores, vel qui officia conferenda habent, exiſtimant ſe ſatisfacere dum vel tenuiter idoneos promouent ex affectu carnis aut ſanguinis vel auaritiæ, contingit ſæpius eos & in hoc ipſo falli, ſic vt in idoneos conſtituant: atque ita ex talibus agendi modis nihil niſi iuſtitiæ, religionis, ac totius ſtatus Reipublicæ euerſio expectari poteſt.

Itaque in re tanti momenti ac tanti periculi obligantur ſub mortali dare operam qui officia conferenda habent, vt ea potiſſimùm quæ maioris ſunt momenti, & à quibus multum Reſpublica dependet, conferantur digniſſimis & quàm maximè idoneis.

Quales verò eſſe debeant, vt habeantur idonei qui præficiantur & conſtituantur officiati in Republica, indicat paucis Ietro ſocer Moyſis Exodi 18. dum ita Moyſem inſtruit & monet: *Prouide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, timentes Deum in quibus ſit veritas & qui oderunt auaritiam & conſtitue ex illis centuriones, quinquagenarios, & decanos* &c. 9
Vbi inſinuantur quatuor conditiones quas principes præ oculis habere debent in conferendis officijs, & attendere, an reperiantur in viris illis quibus ea conferre cogitant.

Prima itaque eſt, vt ſint potentes, id eſt, ſapientiâ & induſtriâ & fortitudine animi pollentes, ita vt virtute valeant perrumpere iniquitatem, quod alibi Scriptura in præfectis requirit.

Secunda, Vt ſint timentes Deum; nihil enim ita vrget hominem iuſtè & fideliter in omni-

priuatum quæſtum, vt pretium ſolutum recuperent, vnde fit quod frequenter multa iniquè extorqueant, & ipſam iuſtitiam auro vendant. Denique (inquit Soto) loco citato, quando hæc omnia ceſſarent, hoc vnum eſt ſufficientiſſimum inconueniens, quod cum Princeps, inferioreſq; domini pro ſtipendijs quæ à populo recipiunt, eis gratis iuſtitiam adminiſtrare teneantur, non ſolum eam non adminiſtrant gratis, verùm nec contenti quod litigatorum contributiones pro miniſtris conferantur, nouum quoque lucrum ex adminiſtratione iuſtitiæ, ſcilicet ex officiorũ venditione, ſibi extorquẽt: quod regulariter culpa atque iniuſtitia, ait, vacare non poteſt.

12 Dico Quartò: Vt autem aliquando eiuſmodi venditio officiorũ fiat abſque peccato, requiruntur certæ conditiones & cauſæ: ex quibus prima ſit hæc, vt ſcilicet vendens habeat auctoritatẽ de illis diſponendi ſeu conferendi. Secunda, vt officium vendatur digniori quantùm fieri poteſt, nunquã autem indigno. Tertia, vt vendatur pretio moderato. Quarta, vt talis venditio cenſeatur neceſſaria ad ſubleuandas neceſſitates Reipublicæ. Ita ferè Arrag. ſup. & alij plures.

Quod ad primam attinet, aduertendum, quod Princeps ſupremus ſolus aut Reſpub. quæ ſui iuris eſt, habeat illam poteſtatem ſiue auctoritatẽ vendendi officia: inferiores verò non niſi ex conceſſione ſupremi; vnde ad reſtitutionẽ tenentur, ſi priuatâ auctoritate vendiderint. Quod autem ſecunda ſit neceſſaria, patet ex dictis dub. 3. quia omnia officia vt rectè conferantur, debent committi digniorbus, nunquam autẽ indignis: quare ſi Princeps indigno vendiderit, debet reſcindere contractũ & pretium reddere: damna autem ſecuta tenetur primo loco emptor reparare, cuius ignorantia aut ineptitudo proximã cauſam dedit damnis: & ſecundo loco Princeps, ſi emptor ſit in defectu reparandi. Neceſſitas tertiæ cõditionis inde patet, quia alioquin dabitur occaſio multis iniuſtitijs perpetrandis; quando enim emptor ſentiret ſe immodico pretio grauatũ, facilè captaret occaſionem multa iniquè vltra taxatum pretium aut ſtipendium exigendi. Vt autem officiatorum ſtipendium ſit determinatum & taxatum, debet vel maximè ad iſtud malum vitandum Princeps tunc curare, quando officia vendit, vt notat Arragonius.

Quod autem quarta conditio ſit etiam 13
neceſſaria, probatur indè, quia huiuſmodi officia non ſunt bona propria principis, quẽadmodum tributa, ſed ſunt quædam bona Reipublicæ ac ſubditis communia, quorum diſpenſationem ac diſpoſitionem Princeps habet ex conceſſione Reipublicæ ad communem vtilitatem dumtaxat: quandoquidẽ ergò Reſpublica non intendat, vt ex his officijs per venditionem Princeps faciat quæſtum ſuum, ſed vt perſonis maximè idoneis conferantur, non poterit ea Princeps vendere, niſi id neceſſarium aut multum expediens iudicaretur ad publicum bonum, vt ſi aliqua pecuniæ ſumma pro publicis neceſſitatibus eſſet conflanda, quę aliter commodè non poſſet haberi. Et hinc deſumendum eſt fundamentum, quare inferiores domini non poſſint officia publica vendere, quia ſcilicet venditio illa tantum proprijs ipſorum commodis ſeruiret, non autem bono Reipublicę, quod ſuis ſumptibus curare nõ ſolent, ſicuti Principes ſupremi. Verùm cũ venditio hęc officiorum tot incommodis & periculis ſit obnoxia, vt antè oſtendimus, melius eſſe apparet Reipublicæ, quãuis aliâ ratione pecuniam conquirere pro publicis neceſſitatibus, quàm ex officiorum venditione.

CAPVT SECVNDVM,

De impoſitione Tributorum & Vectigalium.

DVBIVM PRIMVM.

Quæ conditiones requirantur, vt tributum ſiue vectigal ſit licitum & iuſtum?

1 OBSERVANDVM hîc Primò, Nomina illa, tributum & vectigal aliquando ſumi ſtrictè ac propriè omninò, & ſic inter ſe diſtingui; aliquando generaliter atque ita pro iiſdem haberi. Tributũ ſtrictè ſumptum ſignificat penſionem quę ſubditis ſoluenda imponitur iuxta cuiuſcunq; media prędialia ſiue media in prædijs conſtituta, ad Principis dignitatem ſuſtentandam; Vectigal autem ſtrictè acceptum ſignificat penſionem quę ſoluitur pro rebus quæ exportantur vel importantur ad prouinciam aut ciuitates; idque ſolui ſolet in portibus, in finibus prouinciarum, in ingreſſu quarundã ciuitatum, vel pro tranſlatione mercium per pontes, pro tranſitu per viam, aut locum ratione cuſtodiæ, aut intertentionis viarum: item pro rebus venditis aut mutatis. Vtrumque verò generaliter acceptum ſignificat omne id quod Principi aut Reipublicę à priuatis ſolui ſolet ad Principis ſuſtentationem, & ad communia onera ferenda; & hoc latiori modo communiter ſolent hæc vocabula à Doctoribus vſurpari.

Digitized by Google

Obſeruandum Secundò: Præter huiuſmodi iura quæ Principi competunt, eſſe quædam alia onera quæ à Iureconſultis appellantur munera, quaſi quæ exhibenda ſint Principi recognitionis, aut obſequij gratiâ: & diuiduntur in realia, perſonalia, & mixta.

Munus reale vocant quod præſtatur per rem familiarem, vt dum Principi præſtatur obſequium, iumentis, curribus, aut canibus, vel re ſimili.

Perſonale eſt, quod per ipſam perſonam exhibetur, vt quando certis temporibus aliquis debet perſonaliter ſeruire Principi, vel ad hæc aut illa loca comitari.

Mixtum verò dicitur, quod vtroque modo exhibetur: vt ſi aliqui teneantur in perſona & cum equis & famulis comitari Principem, aut eum deducere ad deſtinata loca.

Cæterùm Tributum quod vocatur vectigal, prout ex diuerſa occaſione accipitur, ſic ſolet quoque ſortiri diuerſa vocabula; aliquod enim dicitur portitorium aut pedagium, quod ſcilicet ſoluitur pro rebus quæ inferuntur, efferuntur, aut tranſvehuntur: aliud dicitur guidagium quod ſoluitur pro ducatu aut pro protectione in tranſitu ſeu in vijs; gabella autem videtur idem eſſe quod vectigal ſtrictè acceptum, licet ſatis communiter ſoleat quoque generalius vſurpari. Vide de his Syluest. Verbo 1. Gabella. His præmiſſis

Reſpondetur, iuxta quatuor cauſarum
2 genera, quæ in tributis conſiderari poſſunt concurrere, requirunt DD. quatuor conditiones: ſcilicet vnam ex parte cuiuſlibet generis, ad hoc vt tributum ſit iuſtum.

Inprimis ex parte efficientis ſiue imponentis requiritur, quod ille qui imponit, habeat legitimam poteſtatem inſtituendi ac imponendi vectigalia, adeò vt ſi quis illâ auctoritate non præditus attentet imponere tributum aut vectigal, ſubijciatur ipſe excõmunicationi per bullam cœnę Domini, & Capitulum Innouamus de cenſibus. De qua videri poteſt Suarez De cenſuris diſp. 21. ſect. 2. n. 35. & Tolet. lib. 1. cap. 21.

Ex parte autem finis requiritur, quod ſit æqua & legitima cauſa imponendi: ſolet autem ea duplex aſſignari: Vna ſcilicet conueniens ſuſtentatio Principis ſecundum ſuã dignitatem & ſtatum: quandoquidem enim Princeps pro Republica laborat ſolicitè agendo, vt eam cum tranquillitate & in pace gubernet, & contra inuaſores defendat, poſtulat omninò iuſtitiæ ratio, vt Reſpublica viciſſim Principem pro dignitate ſua ſuſtentet; dignus eſt enim operarius mercede ſua; vnde Apoſtolus ad Rom. 13. dicit, *Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes &c.* Altera cauſa eſt neceſſitas Reipublicæ, cui aliter ſubueniri non poteſt, vt ſi miles ſit neceſſarius pro defenſione patriæ, aut ſi opera publica ſint inſtauranda, quibus carere ciues non poſſint. Huic addi ſolet, vel magna vtilitas publici boni, quamuis non ſit abſoluta neceſſitas; hæc intellige quando ordinaria media Reipublicæ benè adminiſtrata non ſufficiunt.

Tertiò, ex parte formæ neceſſarium eſt ad iuſtitiam tributi, vt debita proportione imponatur, ſcilicet pro ratione facultatum cuiuſque & quæſtuum quos quiſque facit, ne magis, aut æquè grauentur pauperes, ac diuites. Huc etiam ſpectat ne imponatur illis qui per Principem grauari non poſſunt.

Quartò, ex parte materiæ requirunt, vt non imponatur rebus illis quas quiſque ad vſus humanæ vitæ neceſſarios & familiæ ſuſtentandæ gratia ſibi comparare debet, ſed rebus alijs quæ negotiationis cauſa deferuntur. Ita ferè Caiet. in ſumma V. Vectigalia: Verũ de hac conditione, ſicut & de alijs, latius in particulari mox agemus. Addit & quintam conditionem Caiet. loco citato, nempe ex parte vſus, quod ſcilicet applicetur honeſtæ Principis ſuſtentationi aut neceſſitatibus Reipublicæ; non autem abſumatur in exorbitantes commeſſationes, in libidines, aut ſimilibus modis inutiliter prodigatur, ſed hæc ſatis includi videtur in ſecunda, quod ſcilicet ad neceſſarium finem aut ſaltem valdè vtilem Reipublicæ tributum indicatur.

DVBIVM II.

Quinam habeant poteſtatem imponendi tributa.

RESPONDEO & DICO Primò: Directè 3
& iure ordinario competit omnibus & ſolis illis auctoritas imponendi ſeu indicendi tributa, qui ſupremum tenent Reipublicę principatum, adeo vt ſuperiorem in temporali adminiſtratione non agnoſcant. Toletus in Summa lib. 1. cap. 21. Nauarr. cap. 27. n. 61. Vaſquez in Opuſc. cap. 6. §. 1. dub. 1. Malderus Tract. 5. cap. 6. dub. 3. Bonac. tom. 2. De reſtitutione diſp. 2. q. 9. p. 1. n. 1. & paſſim alij.

Ratio reddi poteſt, quia in ſummos hos Principes ſeu ſupremos Magiſtratus tranſtulit Reſpublica poteſtatem & curam regendi, defendendi, & conſeruandi ipſam: quam poteſtatem & curam illi acceptarunt, & acceptando ſe & omnia quæ à Republica eis obueniunt, quaſi dicarunt & aſtruxerunt vſibus publicis, ac fœlici regimini, & neceſſarijs defenſionibus ipſius Reipublicæ. Vnde & e contra Reſpublica ita in eos poteſtatem transferendo, & curam ac onus totius adminiſtrationis illis imponendo, cenſetur tacitè

Digitized by Google

tacitè ſe obligaſſe, tum ad eorum ſtatum condignè ſuſtentandum, tum ad ſuppeditanda illa omnia quæ pro tempore & loco erunt neceſſaria ad conſeruationem & defenſionem ipſius Reipublicæ, aut certè quæ erunt notabiliter vtilia ad commune omnium commodum & profectum.

Hinc itaq; meritò iudicatur ipſis attributa poteſtas indicendi tributa & vectigalia ſubditis ipſius Reipub. alijs ſcilicet cōditionibus antè poſitis ſimul cōcurrentibus & ſeruatis.

Secus eſt de dominis tēporalibus inferioribus qui dominia ſua & iuriſdictionē à Principibus ſuperioribus acceperūt: quia his nihil debet populus pro ipſorū ſuſtentatione, ſed potius ipſi Principes qui eos cōſtituunt: quēadmodū & è contra tales non exiſtimant ſua eſſe obligata, vt pro Republica ſic ea exponāt ſicuti ſupremi Principes: vnde hi quæ conquirunt, non cenſentur ea conquirere bono publico ad vtilitatem ſuorum ſubditorum, ſed ſibi & ſuis prolibus, ſicuti è contra omnia quę ſupremorum Principum ſunt dedicantur & ſeruiunt conſeruationi & defenſioni Reipublicæ.

Ex dictis itaque colligitur, quod in particulari loquendo, huiuſmodi poteſtas inprimis competat ſummo Pontifici directè & ordinario iure reſpectu iſtorum locorū quę in temporalibus ipſi ſunt ſubiecta, vt notat Malderus & alij: quare in ijs poteſt tributa imponere & exigere quando aliæ conditiones concurrunt: in locis autem alijs id non poteſt, niſi indirectè, quatenus poteſtatem in temporalibus obtinet indirectam in toto orbe Chriſtiano, in quantum videlicet hoc eſt neceſſarium ad defenſionem Eccleſiæ & ſpirituale regimen animarum: quia omnes Chriſtiani tenentur illi obtemperare, & ſuccurrere Eccleſiæ ad Reipublicæ ſpiritualis defenſionem, non minus quam Principi ſæculari ad defenſionem Reipublicę ſęcularis. Quod proinde etiam tribuitur œcumenico Concilio in quo Papa includitur. Sed de hac poteſtate alibi ex profeſſo tractari ſolet.

Secundò competit poteſtas Imperatori in locis omnibus imperio ſubiectis, niſi forſitan alij Principes aut Reſpublicæ hoc ius contra ipſum vſucapione præſcripſerint, vel hoc eis Imperator indulſerit.

Tertiò habent ius illud omnes pene Reges hiſce temporibus, & alij habentes poteſtatem quaſi Regalem, ſic vt in ſua adminiſtratione nullum ſuperiorem agnoſcant, vt ſunt multi Duces, quidam Comites, & diuerſæ Reſpublicæ quas vocant liberas: quibus ſcilicet omnibus à communitate fuit conceſſa ſuprema poteſtas regendi & adminiſtrandi. Syl. V. 3. Gabella: q. 1. Panorm. ad Cap. Super quibuſdam, Ioannes Andreas ibidem, Vaſquez in Opuſ. De reſtitutione c. 6. §. 1. dub. 1. & communiter alij.

Dico Secundò: Poſſunt aliqui iure quaſi extraordinario, etſi nō obtineāt ſupremum Principatum à Repub. ſibi conceſſum, habere poteſtatem indicendi tributa, puta titulo præſcriptionis à tempore immemoriali. Poteſt id colligi ex Capitulo Super quibuſdam de verborum ſignificatione, vbi ſic loquitur Pontifex Innocentius III. Auctoritate Apoſtolicâ duximus declarandum, illa eſſe pedagia, ſalinaria, guidagia interdicta quæ non apparent Imperatorum vel Regum, vel Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine (inquit) à tempore cuius non exſtat memoria introducta. Vbi indicat Pontifex poteſtatem ſaltem recipiendi tributa poſſe præſcribi, quin etiam poteſtatem indicendi; nam & illa dici poſſunt ex antiqua conſuetudine à tempore cuius non exſtat memoria introducta; quę ex poteſtate tanto tempore præſcripta imponuntur, ſic quædam ciuitates Principibus ſubiectæ dicuntur in Italia ius illud præſcripſiſſe, vt ſignificat Syl. loco citato, Ioannes Andreas, & alij. 4

Non videtur tamen ius indicendi tributa propriè accepta, vt contra Collectas quas vocant, diſtinguuntur, poſſe præſcribi, niſi ſimul vſucapiantur ius & auctoritas liberæ adminiſtrationis & ſupremi quaſi principatus; quia ius iſtud videtur ordinem quaſi eſſentialem importare ad ſupremam poteſtatem adminiſtrandi Rempublicam, quod etiam ſignificat Vaſquez ſup. n. 8. vbi dicit quod ad imponenda tributa ſit neceſſaria poteſtas meri imperij quaſi Regis, & proinde non poſſe præſcribi, niſi præſcribatur poteſtas quaſi Regis: & eo fortè ſenſu docuit à Caſtro lib. 1. De leg. pœnal. cap. 10. non poſſe poteſtatem imponendi tributa præſcribi etiam conſuetudine immemoriali. Poſſunt autem auctoritas & ſupremum ius adminiſtrandi etiam vſucapi tempore immemorabili, idque ſine titulo, vel tempore quadraginta annorum cum titulo, vt docet Couar. ad regulam poſſeſſor parte 2. §. 3. n. 3. atque ita poteſt eodem tempore vſucapi poteſtas indicendi tributa, vtpotè quæ ex iſtis ſequitur.

Dico Tertiò: Poſſunt ciuitates Principibus ſuperioribus ſubiectæ, ſuis ciuibus onera quædam inſtar vectigalium imponere quæ vocari ſolent collectæ ad communes neceſſitates ciuitatis ferendas: v. g. ad reparationem murorum ciuitatis, viarum, pontium, & ſimilium, quorum intertentio ad ciues ſpectat. Ita tradunt Caiet. in ſumma V. Iniqua vectigalia, Vaſquez ſuprà nu. 5. & communiter DD. Cauere tamen debent inprimis ne imponant exemptis, aut non ſubditis; deinde vt impoſitio illa non fiat contra voluntatem & conſenſum ciuium, vel eorum qui ad hoc à ciuibus fuerint de- 5

Digitized by Google

putati. Vide Vaſquez loco citato, & Mald. Tractatu 5.cap.6.dub. 3. vnde & Principis eſt attendere, ne forſitan nimium talibus oneribus grauentur ſubditi. Hinc ſolent etiam Principes hoc ſibi reſeruare, ne ciuitates aut communitates ſine ipſorum ſcitu & aſſenſu poſſint ſe aut ſuos ſubditos grauare. Vnde quod attinet ad ciuitates, quas Syl. refert Principibus ſubiectas præſcripſiſſe ius indicendi tributum, poſſunt intelligi præſcripſiſſe poteſtatem imponendi eiuſmodi collectas abſque Principis requiſitione, quæ tamen propriè tributa non dicuntur, niſi forſitan ſimul præſcripſerint partem aliquam ſupremæ adminiſtrationis ſui ipſius, cui adminiſtrationi illa tributa ſubſeruiant.

Quæret aliquis: Vtrùm Epiſcopi poteſtatem habeant indicendi Clero aut populo ſibi ſubiecto aliquas collectas.

6 Suppono, Epiſcopos in quantum tales, non poſſe imponere aut exigere tributa aut vectigalia à populo; quia hæc reſpiciunt per ſe temporalem poteſtatem & adminiſtrationem: recipiunt autem Prælati Eccleſiæ à populo decimas quæ ſeruiunt adminiſtrationi & functionibus Eccleſiæ. Quod verò ad Collectas attinet

Reſpondetur, Extra euidentem neceſſitatem non poſſe Epiſcopos facere exactiones aliquas inſolitas: patet Cap. Quia cognouimus, cauſa 10. quæſt. 3. Capit. Seruitium, cauſa 18. quæſt. 2. & Cap. Cum Apoſtolus, De cenſibus §. prohibemus: in neceſſitate tamen manifeſta, vt ibidem dicitur, poſſunt cum charitate Epiſcopi moderatum à ſubditis auxilium poſtulare: Imò vt addit ibi Panormitanus, & etiam cogere.

DVBIVM III.

Quæ cauſæ requirantur indicendi tributum, vt ſit iuſtum ex parte finis?

7 Diximus ſup. dub. 1. duplicem aſſignari cauſam ex ordine ad quam tanquam debitum finem poſſit ab habente poteſtatem indici tributum ſeu vectigal; Vnam ſcilicet, condecentem Principis ſuſtentationem iuxta ſuum ſtatum, vt quando propter temporum iniquitatē, vel ex alijs occaſionibus, ordinaria iura regalia non ſufficerēnt ſuſtentando ſtatui Principis pro ſua dignitate. Alteram autem eſſe publicam neceſſitatem, aut magnam vtilitatem Reipublicæ, quibus non poteſt commodè aliter reſpectiuè ſuccurri aut ſatisfieri, quàm impoſitione vectigalis.

Ratio autem eſt, quia obligantur ſubditi vt ex antè dictis ſatis intelligitur, præſtare Principi illa quæ ad decentem ſtatus eius intertentionem requiruntur, & ſimul ſuppeditare illa quæ neceſſaria ſunt, vt ipſe Rempublicam poſſit in tranquillitate & pace regere, ac eam eiuſque membra tutare ac defendere contra iniquè inuadentes aut aliter iniquè moleſtantes vel damnificantes. Ita tradunt DD. communiter Caiet. V. Vectigalia, Driedo lib. 2. De libertate Chriſtiana cap. 2. §. 9. Medina C. De reſtit. quæſt. 13. Sylueſter ſup. quæſt. 2. Malderus ſuprà dub. 3. & paſſim alij, quamuis aliqui vtramque cauſam aſſignatam in vnam redigant; nam & ſuſtentatio conueniens Principi, rectè ad publicam neceſſitatem, aut ſaltem vtilitatem reuocatur.

Quando verò Reges, aut Principes ad alium finem vel vſum exigunt aut conuertunt, tunc, quod ſuum non eſt, vſurpant, adeoque reſtituere obligantur: non enim ſicuti ſeruorum ſeu mancipiorum bona domini in ſua lucra iuſtè conuertunt, ita Principes exiſtimare debent ſubditorum bona eſſe ſua, vti ex communi ſententia benè oſtendit Driedo ſup. Vide Medina ſup. Antoninum p.2.cap.13.§.2.Gabr.in 4.diſt.15. quæſt 5.art.1.

Quatuor itaque circa hanc cauſam ſunt obſeruanda quando tributum imponitur de nouo.

Primum eſt, vt conſtet cauſam eſſe ſufficientem, ac iuſtam, aut ſi eâ de re diuerſæ 8
ſint opiniones, vt ſaltem Princeps habeat probabiles rationes ob quas poſſit prudenter reſoluere hic & nunc ſe poſſe propter talem cauſam indicere tributum. Colligitur ex Cap. Quamquam De cenſibus, & docet Sylueſt. V. Gabella 3. quæſt. 5. & Malderus ſup. dub. 4. quod ſi tales rationes non habeat aut non conſiderat, ſitne cauſa ſufficiens an non, ſed cæcâ quaſi mente progrediatur, & tributum imponat, omninò in eo peccabit, quia vel ius non habet, aut ſe habere neſcit, & tamen ſubditos grauat; vnde exigendo agit iniurioſè cum populo, & ad reſtitutionem tenetur: quia quod mala fide acquiſitum eſt, debet reſtitui, niſi poſtmodum conſtaret cauſam fuiſſe ſufficientem & iuſtam. Dixi, quando tributum de nouo imponitur, quia dicit Graſſius lib. 2. cap. 24. n. 6. quod Gabellæ antiquitùs præſtari ſolitæ, à principibus locorum impoſitæ, ſiue conſtet de cauſa, ſiue non, ex quo præſumitur cauſa in Principe Clement. vnica De probationibus, præſtari omni iure mandentur, pro quo citat Archid. in Capit. Si quis Romipetus, cauſa 14. quæſt. 3. Couar. ad Reg. peccatum, parte 2. §. 5. n. 4. Nauarr. c. 17. n. 200. & alios, & accedit Syluest. V. Gabella 3. q. 3. Quod tamen vt verum ſit, inquit Mald. ſup. dub. 4. accipiendum eſt de vectigali antiquo quod tranſijt aut tranſijſſe præſumitur quaſi in patrimonium principatus: in talibus enim locum

locum

Digitized by Google

locum habet præſcriptio, quando de illorum iniuſtitiâ, currente præſcriptione non fuit controuerſia aut probabile murmur: ſed in tributis quæ præter generale onus principatus adminiſtrandi videntur alteri cauſæ debere inniti, præſcriptio non ſupplet iuſtitiam illius cauſæ. Quare niſi naturam mutaſſe iudicentur, vt ipſorum inſtitutionis cauſa cenſeatur generale onus principatus, cui aliàs fortè non reſpondent ſufficientes prouentus, ſolâ antiquitate iuſtificari non poterunt: quod etiam docet Vaſquez De reſtitutione cap. 4 §. 3. dub. 5. n. 64.

Alterum eſt, vt vectigal non ſit maius quam ipſa cauſa, propter quam imponitur, poſtulat, qua parte enim excedit, erit iniquum.

Tertium eſt, ne inſumatur in vſus alienos, vt in prodigas largitiones, commeſſationes, vel in alias expenſas inutiles, ſiue publicas ſiue priuatas ad quas non tenetur populus contribuere, ita Caietan. ſup. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 255. & alij. Ratio per ſe euidens eſt.

Quartum, ne diutius continuetur quam cauſa ſubſiſtat, niſi fortè alia æqualis ſuperuenerit, ob quam potuiſſet iterum iuſtè imponi: tunc enim licet continuare, quia alia iuſta cauſa in locum prioris ſucceſſit. Similiter ſi tributum proximè ſit indictum, vt ſumptus neceſſarij habeantur ad auertenda vel impedienda damna aut incommoda quę quaſi perpetuò nata ſunt obuenire, non debet tributum illud ceſſare, etiamſi fortaſſis pro aliquo tempore non videatur præ foribus eſſe periculum iſtorum incommodorum: v. g. eſt impoſitum tributum ad vindicanda itinera à periculis latronum, aut mare à piratis, non debet illud tolli, etiamſi pro aliquo tempore non audiatur de latronibus, aut piratis; quia hoc ipſum veriſimiliter fit, quia ſcitur quod Reſpublica curet contra latrones perquiri & eos perſequi: ſecus autem dicendū ſi ex accidentaria & tranſeunte tantum occaſione fuerint pericula oborta, ad quibus occurrendum fuerit indictum vectigal; tunc enim vbi illa occaſio iſtorum periculorum tranſierit, cenſebitur cauſa ceſſare, & tributum debebit abrogari. Vide à Caſtro lib. 1. De legibus pœnalibus cap. 11.

Porrò ſi conditiones ſeruatę non fuerint, tenebitur Princeps ad reſtitutionem, & in eius defectu ipſi exactores: habebit enim tunc rationem fraudis & rapinæ, vt docet Caiet. V. Vectigalia iniqua.

Vbi tamen cum Caietano & Syluеſt. ſup.
9 quæſt. 3. Notandū eſt, ſi dubium ſit, vtrùm vectigal ſit iuſtum, an iniuſtum, alijs confirmantibus, & alijs negantibus, tunc exactorem qui eſt ſubditus Principis, & obedientiâ compulſus exigit, non peccare, nec ad reſtitutionem teneri, quemadmodum ſubditus qui à ſuo Principe compellitur ire ad bellum, de quo non conſtat ei eſſe iniuſtum etſi rationes non habeat ob quas putet eſſe iuſtum, excuſatur, & licitè ad bellum procedit iuxta doctrinam D. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum, & refertur cauſa 23. quæſt. 1. Capitulo quid culpatur: merito enim poteſt ſubditus tunc iudicium ſuum ſubmittere iudicio ſuperioris, & debitum obſequium non denegare: ſecus tamen ſi ſciret ſuperiorem ſuum practicè dubitare & cum dubio practico imperare; quia cum tali dubio non habet ſuperior ius imperandi. Quod ſi exactor non ſit ſubditus, aut ſi ſit quidem ſubditus, ſed tamen à ſuperiori non vrgetur, non poterit ſe ſpontè offerre ad dubia vectigalia exigenda, niſi fortaſſis nouiſſet tantam Principis probitatem & prudentiam, vt meritò in eius iudicio poſſit conquieſcere.

Petet aliquis: Quid ſi Princeps ſuâ culpâ exhauſerit theſaurum publicum, ludis aut profuſis largitionibus, aut exceſſiuis conuiuijs, vel ſimilibus modis illicitis, an poterit vrgente publica neceſſitate exigere noua tributa?

Reſpondetur, ſi nulla alia ratio ſuppetat 10
auertendi publica incommoda poterit nouum tributum imponere in quantum neceſſitas poſtulabit, quia tenentur ſubditi in hoc collaborare & ſumptus ſubminiſtrare, vt pericula & grauiora damna à Republica & communitate auertantur: ſed tenebitur tunc Princeps ſumptus omnes non neceſſarios reſcindere, & poſtmodum quando res meliori loco fuerint populo illud extra ordinarium grauamen quod ipſe ſua culpa cauſauit, reſarcire, puta diminuendo aliquid de ordinarijs tributis, quantum poteſt, etiam ſubtrahendo quædam de expenſis quas circa ſe & in aula facere ſolet & poterat. Addunt nonnulli & aliam iuſtam cauſam indicendi tributum, eſſe compenſationem ſumptuum & damnorum quæ Princeps iniurioſè ſuſtinuit à ſubditis, ac ſimul iuſtam vindictam culpæ à ſubditis commiſſæ, quomodo imponi ſolet ſubditis qui iniquè contra Principem ſuum rebellarunt, & rebellando ei cauſa ſumptuum & damnorum extiterunt. Similiter imponi poteſt externis hoſtibus deuictis qui iniuſtè damnum intulerunt, aut iniquum bellum mouerunt, idque ijſdem ſcilicet titulis tum damni reparandi, tum iuſtæ vindictæ. Ita docet Franciſcus à Victoria relectione 4. De iure belli num. 57. & ex illo Leſſius lib. 2. cap. 33. dub. 6.

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM IV.

Quæ ſit ſeruanda proportio in tributi impoſitione, vt iuſtum ſit ex parte formæ, & ſuper quibus rebus imponendum, vt iuſtum ſit ex parte materiæ?

11 Coniungimus ſimul has duas quæſtiones, quia quod ad materiam attinet ſuper qua tributum indicitur, non poteſt eſſe difficultas ex natura rei, niſi quatenus ex eo quod imponatur tributum his vel iſtis rebus, contingit violari formam neceſſariò obſeruandam, vt non peccetur contra iuſtitiam: Dico, non poteſt eſſe difficultas ex natura rei aliter, &c. quia propter conſtitutiones poſitiuas Canonum, & legum, poſſet eſſe particularis difficultas circa materiam, vt patebit ex ſequentibus. His præmiſſis

Respondeo & Dico Primò: Vt ex parte formæ tributum ſit iuſtum, debet in eo imponendo ſeruari huiuſmodi proportio, vt inter ſubditos quibus imponitur, plus contribuant ditiores, & qui maiores habent facultates, circumſtantijs cæteris paribus, quàm qui pauperiores ſunt & minus habent. Ita Caiet. Syluest. ſup. Angelus V. Pedagium n. 2. & 3. Vaſquez ſup. n. 29. Driedo lib. 2. De libertate Chriſtiana cap. 5. vbi dicit iniuſta eſſe vectigalia ſi ſic imponantur, vt plus grauentur qui iuſtâ ratione minus ſunt grauandi, vtpotè ſi magis indigentes grauentur plus aut æqualiter cum ditioribus minuſque egentibus.

12 Dico Secundò: Quando tamen cauſa tributi non proximè ſpectat ad ſtatum Principis aut bonum Reipublicę in ſuo corpore, ſed in membris ſic vt magis particulariter & propius ſpectat ad aliquod genus membrorum, quàm ad reliqua, non iniquum fuerit ſic onus tributi diſtribuere, vt ij plus pendant, quamuis pauperiores forſitan ſint, in quorum vtilitatem aut cōmodum propius & particularius cedit finis & cauſa tributi, modò etiam ſeruetur idem dum aliorum gratia magis particulariter inſtituitur: Malderus ſuprà dub. 5. Declaratur, quia ſi v. g. indicantur pedagia ſiue vectigalia pro vijs contra prædones tutandis, vt negotiatio ſit liberior, æquum omnino apparet, quòd plus conferant qui negotiationem gerunt & itinera frequentant, quàm qui negotiationem non exercent, neque merces per vias ducere ſolent; nam qui ſentiunt commodum præ alijs, meritò etiam præ alijs ſentiunt incommodum, vt habetur in regulis iuris in ſexto.

Dico Tertiò: Iniquæ ſunt quarundam perſonarum exemptiones, quando fiunt tantum pro arbitrio principis & ſine cauſa debita ac proportionata. Eſt per ſe euidens ex terminis ipſis. Ita Angelus V. Tallia. num. 6. Mald. Tract. 5. cap. 6. dub. 5. & alij plures. Addunt autem modò illæ exemptiones cedant in grauamen aliorum: ſecus ſi tanto minus exigatur à communitate. Verùm non apparet magna occaſio id addendi, quia tributum totum non poteſt moraliter excedere neceſſitatem publicam, vel exigentiam iuſtę cauſæ: hoc autem ſuppoſito, planè neceſſarium eſt, quod per iſtorum exemptionem magis grauentur cęteri, quia hi debebūt pendere totum quod pro neceſſitate communi requiritur, vbi pro parte ab alijs ſubleuarentur ſi ſimul contribuant: Si quis dixerit principem poſſe ex ſuo conferre tantumdem pro cōmunibus neceſſitatibus & ſic fieri, vt non grauentur alij magis. Reſpondetur, id quidem fieri poſſe, & tunc non fore iniquum: ſed eo poſito quod princeps ex ſuis velit ſuppeditare de quibus non tenebatur, tunc conſultius foret quod vniformiter tributum ſoluatur, & ipſe liberali dono afficiat eos ex ſuis bonis, quos alioquin deſiderabat exemptos. 13

Dixi, quando fiunt exemptiones tantùm pro arbitrio principis, & ſine debita ac proportionata cauſa: quia aliquando poſſunt eſſe perſonæ quæ talem exemptionem de ipſa communitate fuerint promeritæ: vnde ſi talibus concedatur, nulli cenſebitur fieri iniuria.

Dico Quartò: Legibus ciuilibus prohibitum eſt etiam ſub pœna capitis, ne exigatur vectigal ſuper rebus quæ inuehuntur proprij vſus cauſa; quemadmodum vt nec de illis quæ reuehuntur ruris exercendi aut ſeminandi gratia. Conſtat ex l. vniuerſi C. De vectigalibus: atque ita huiuſmodi pedagia aut vectigalia ſuper talibus rebus impoſita docent eſſe illicita & iniuſta, Caiet. ſup. Driedo lib. 2. De libertate Chriſtiana cap. 5. Toletus lib. 5. cap. 73. qui etiam dicunt eos qui iſta exigunt excōmunicari in bulla cœnæ Domini: quia ibi excommunicantur qui in terris ſuis pedagia prohibita exigunt: idem tradit Angelus V. Pedagium num. 3. permittunt autem iura imponi rebus alijs quæ negotiationis cauſa inferuntur aut efferuntur. 14

Fundamentū legis principale poteſt eſſe; quia quando imponitur tributum rebus illis quæ inuehuntur aut comparantur ad propriam conſumptionem vel vſum, contingit tunc recedi à debita proportione quam diximus eſſe ſeruandam, vt tributum ſit iuſtum ex parte formæ; nam ita ſit, quod pauperiores qui ſæpius maiorem habent familiam & numeroſiorem prolē æque vel magis

grauentur

grauentur quam ditiores & ditiſſimi; nam ſiue homines ſint pauperes, ſiue diuites indigent omnino rebus humanæ vitæ neceſſarijs, vt ſunt quæ ad communem victum requirũtur, vel contra frigus & iniuriam aëris ſunt neceſſaria: vnde ex iuſto motiuo prohibuerunt leges ne res illæ, quæ ad proprios vſus inuehuntur, vectigalibus onerentur.

15 Dico Quintò: Quando publica neceſſitas vrgeret, & tributa quæ aliunde poſſunt colligi, non ſufficerent, tunc non forè iniquum neque illicitum etiam huiuſmodi rebus aliquod moderatum vectigal imponere, præſertim in regnis & prouincijs quæ nullo modo ſunt ſubiecta Imperio. Ita docet D. Antoninus 3. parte tit. 1. cap. 13. § 9. Medina Cod. De reſtit. quæſt. 15. Syluest. V. gabella 3. quæſt. 5. Nauar. cap. 17. n. 202. Vaſquez ſup. De reſtit. cap. 6. dub. 2. nu. 30. & colligitur ex Mald. ſup. dub. 5 & alijs.

Declaratur, Quia membra tenentur pro conſeruatione Reipublicæ omnes fortunas & etiam vitam profundere, quando neceſſe foret: ergò multo magis ex rebus ad vitæ & familiæ ſuſtentatione neceſſarijs aliquid ſoluere, ſi aliter publicis neceſſitatibus ſufficienter ſubueniri non poſſit. Accedit quod vectigalia quæ imponuntur rebus dum negotiationis cauſa deferuntur, tandem etiam deriuentur in pauperes & mediocres, modo ſint res tales quæ paſſim omnibus ad familiæ intertentionem ſint neceſſariæ: quare hæc conſiderando ſecundum naturam rei non ita magna hic ſubeſt differentia, ſiue vectigalia imponantur dum negotiationis cauſa inuehuntur, ſiue dum ad proprios vſus comparantur, modo imponantur ijs quibus paſſim omnes indigent. Addidi, Præſertim in regnis & prouincijs quæ nullo modo ſunt ſubiecta imperio: quia in his Reges aut Principes nõ ſunt ita adſtricti legibus Imperatorijs; in alijs autem meritò deberet requiri licentia ab Imperatore propter legem ante allegatam, niſi eſſent tales imperij Principes qui contrarium præſcripſiſſent. Addo etiã, Quando tributa quæ aliunde poſſunt colligi non ſufficerent; quia ſupponi hic debet alijs rebus non ita omnibus promiſcuè neceſſarijs ad vitam, ſimul quoque ſua onera imponi quantum ſecundum rectæ rationis iudicium conuenienter fieri poteſt, v. g. agris, & fundis, ac mercibus quæ ad luxum vel oſtentationem, aut ad delitias potiſſimum ſeruiunt, vt pannis aureis, ſericis, holoſericis, vaſis, & monilibus argenteis, vinis & edulijs pretioſis ac ſimilibus: & quando eã non ſufficiunt quæ ex iſtis haberi & colligi poſſunt, tunc iniquum non eſt, aliquod moderatum grauamen etiam imponere rebus ad humanæ vitæ ſuſtentationem magis neceſſarijs. Hinc

16 Dico Sextò: Omiſſis vectigalibus ſuper rebus minus neceſſarijs ac ſuper agris & fundis, iiſque relictis liberis, omnino eſſe iniquum & vt apparet inexcuſabile, omnia onera quæ Reipublicæ obueniunt conijcere in res illas quæ omnibus promiſcuè pauperibus æquè ac ditioribus ad vitæ & familiæ ſuſtentationem ſunt neceſſariæ, ac omnes facere pro ijs æqualiter ſoluere. Colligitur ex doctrina Caietani, Toleti, Driedonis, Angeli, ſup. & à Caſtro lib. 1. De legibus pœnalibus cap. 5. Iniquum eſt, inquit Driedo, pauperem pro rebus quas vſu ſuo conſumendas defert tantummodo ad ſupportanda Reipublicę onera ſoluere, quantum diues ſoluit pro ſimilibus rebus æqualis ponderis ad ſuum vſum delatis. Similia habent Caiet. & à Caſtro.

Quod vel maximè eſt verum, quando diues in ſuis alijs bonis, aut rebus nullum ſoluit vectigal aut tributum pro eiſdem Reipublicæ neceſſitatibus ſubleuandis.

Ratio apparet euidens: quia omnes DD. ex parte formæ requirunt, vt ea ſeruetur proportio vt plus contribuant ditiores & qui maiora habent media ad Reipublicæ onera ferenda, quam qui pauperiores ſunt, & nullas habent facultates aut exiguas: hic autem manifeſtè grauabuntur iuxta eam imponendi formam æquè aut magis pauperes & mediocres, quam ditiores: ergò &c.

Vnde neque præſcriptione aut conſuetudine videtur id poſſe iuſtificari, quia nimis euidenter contrariatur principijs iuſtitiæ diſtributiuæ.

Neque excuſari poterit per hoc quod dici ſolet, moraliter impoſſibile eſſe, vt omnes exactè grauentur æqualiter ſecundum proportionem ſuarum facultatum qui de communitate ſunt, quando ſic communia tributa ſunt imponenda; quia tametſi id verum eſſe admittatur, non eſt tamen moraliter impoſſibile, quod magna ſaltem pars onerum imponatur rebus illis quibus diuites & potentiores magis vtuntur, & pars aliqua ſuper rebus in cõmuni vſu familiæ neceſſarijs, vt ſuper poculentis & eſculentis: & ſanè ſi illi qui in talibus officijs præſunt, & formam adinueniendi contributiones pro neceſſitatibus Reipublicæ præſcribunt, ſentirent ſe in tantum grauatos ſupra debitam proportionem in reſpectu ad pauperiores & mediocres, quantum in caſu cõcluſionis hi plus grauantur præ illis, non ita difficulter inuenirent modum redigendi iſta ad maiorem æqualitatem, ne amplius ſecundum proportionem grauarentur quam alij.

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM V.

Vtrùm Clerici à tributis ſint exempti?

17 RESPONDEO & Dico Primò: Certum eſt Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, ac res earum à tributis eſſe exemptas tam iure Ciuili quam Eccleſiaſtico. Ita Abbas ad Cap. Non minus De immunitate Eccleſiarum: Couar. l. 1. cap. 31. practic. qq. n. 9. Rodriquez 2. p. cap. 73. n. 11. Bonacina De reſtitutione in partic. diſp. 2. q. 9. punc. 2. n. & alij apud ipſum citati. Patet inprimis ex diuerſis Capitulis, vt ex Cap. Non minus, Capit. Aduerſus, & Capit. Eccleſia Beatæ Mariæ De immunitate Eccleſiarum, quæ ſunt deſumpta ex magno Concil. Lateranen. Item Cap. Quamquam, de cenſibus in 6. Vbi Bonifacius VIII. ſic loquitur: Cum igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, & res earum non ſolum iure humano, quin & diuino à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes &c. & infrà tunc excōmunicat particulares perſonas quæ vectigalia ab eccleſiaſticis exigunt, & communitates ſubijcit interdicto, à quibus pœnis non poſſunt abſolui niſi facta reſtitutione. Idem ſanxit Clemens V. in Concilio Vienneſi, Clementina, Præſertim De cenſibus, vbi etiam præcipitur Epiſcopis, vt eiuſmodi cenſuras publicent, & à ſuis publicari faciant. Similia inueniuntur & in conſtitutionibus Chriſtianorum Imperatorum; nam & antè Iuſtinianum liberi fuerunt Eccleſiaſtici à tributis capitis, quamuis nō ita à tributis rei, vt patet l. 1. & 3. Cod. De Epiſcopis & Clericis: immunitas autem à tributo rei acceſſit tempore Iuſtiniani, vt conſtat ex Nouella Item nulla De Eccleſiaſticis canonibus & priuilegijs.

18 Obſeruandum tamen eſt quibuſdam in caſibus Clericos non eſſe exemptos, ac inprimis, ſi negotiationē exerceant, tunc enim ex eo quod emunt, vendunt, aut deferunt negotiationis cauſa exigi poſſunt vectigalia, vt patet ex Capitulo Quamquam, de cenſibus ſuprà citato: quod Eccleſia ſic ſtatuit in odium negotiationis quæ à Clericis exercetur, quia eos maximè dedecet, vnde & ſeuerè illis prohibetur: & quidem ſi ter moniti non deſiſtant, perdūt priuilegium clericale quoad bona, vt conſtat ex Capitulo Ex litteris 16. De vita & honeſtate Clericorum.

Si tamen clericus vendat tantùm fructus, vt grana, vina, oleum &c. quæ percepit ex proprijs bonis ſiue eccleſiaſticis, ſiue patrimonialibus, non tenetur ſoluere vectigalia ſiue gabellas, quia hoc non eſt negotiari, vt notat Toletus lib. 1. cap. 38. Syluester V. Excommunicatio 9. n. 46. Bonacina ſuprà n. 2. & alij.

Petes, Quid faciendum ſi exactori vectigalium non conſtet, an quæ Clericus aduehit, aduehat negotiationis cauſâ, & an ipſius ſint, an alterius? Reſpondetur cum Bonacina ſuprà, & pluribus alijs apud eum citatis, ſtandum eſſe iuramento Clerici aut nuntiorum eius, niſi aliud ſuadeant circumſtantiæ.

Secundò, Quando agri aut fundi habent aliquod onus certum & inuariabile ſibi annexum, antequam ad Eccleſiam vel Eccleſiaſticas perſonas deuenerint, vt onus ſoluendi cenſum Principi, vel reparandi vias publicas vicinas &c. inquit Bonac. ſup. oportet etiam tunc illud perſoluere aut præſtare, poſtquam ad Eccleſiam aut Eccleſiaſticos deuenerint, vt docet Syluest. V. Immunitas 1. quæſt. 5. num. 3.

Excipitur tamen fundus in quo Eccleſia extructa eſt, cœmiterium, & quicquid in hoc eodem gradu ſacrum eſt, iuxta eundem Syluest. Vide capitulum 2. Canonicam cauſa 23. quæſt. vltima: imò non deſunt authores qui exiſtiment indiſtinctè prædia etiam tributis priùs impoſitis liberari eo ipſo quo ad Eccleſiam transferuntur, vt refert Mald. Tract. 5. cap. 6. dub. 9. Suarez autem libro 4. contra errores Anglicanos cap. 20. diſtinguit onera quæ priùs poſſint prædijs eſſe impoſita; nam alia ſunt quæ Principi ſoluuntur aut debentur in recognitionem alti dominij; alia autem poſſunt eſſe contracta ex aliqua conuentione proprietarij cum Principe aut cum alijs initâ, & quidem quoad prōpria docet ille bona ab eis liberari, quando ad Eccleſiam transferuntur; non autem à poſterioribus, & hoc certiſſimum eſt, ibi enim locum habet: quod res tranſit cum ſuo onere. Vide hanc difficultatem latiùs diſputatam apud Malderum loco citato.

Tertiò, Non ſunt liberi, ſed grauari poterunt Clerici quando Laicorum facultates non ſufficiunt ad ſubueniendum publicis neceſſitatibus; tunc enim & ab illis poterit aliqua contributio exigi: ad hoc tamen requiritur Superiorum Eccleſiæ conſenſus, & olim quidem ſufficiebat conſenſus Epiſcopi & Clericorū, vt colligitur ex Cap. Nō minus de immunitate Eccleſiarum, quod eſt Lucij Pontificis Tertij: nunc verò requiritur conſenſus Summi Pontificis, vt patet ex Bulla cœnæ Domini: quem conſenſum etiam voluit peti Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, vt habetur Capit. Aduerſus, De immunitate Eccleſiarum, niſi fortaſſis periculum eſſet in mora; tunc enim non deberet Pontificis conſenſus exſpectari, ſed ſufficeret conſenſus Epiſcopi cum Clero, vt notat Syluester ſuprà.

Addunt

Addunt aliqui quartum caſum, quando ſcilicet cauſa propter quam eſt facienda cōtributio, æquè primo concernit in particulari vtilitatem Clericorum ac Laicorum, v. g. ſi contributio ſit facienda pro reparatione aggerum ne fluuius inundet agros tam Clericorum quam Laicorum. Non licebit Laicis tamen in hoc caſu Clericos renuentes compellere, ſed debebunt auxilium ſuperioris Eccleſiaſtici implorare ſi neceſſe ſit, vt ipſe eos compellat. Ita Syluester V. Immunitas 1. nu. 20. cum alijs quos citat. Ad reparationem autem pontium, murorum, aut viarum publicarum & ſimilium quæ primo ad communitatem ſpectant, non tenentur Clerici contribuere, vt paſſim DD. Canonum & Theologiæ tradunt. Vide Syluest. loco citato, & Bonacina ſuprà puncto 2. n.3. niſi tamen incommoditas iſta quæ tributo eſt reſtauranda, ſpecialiter per Eccleſiaſticos cauſaretur, vt ſi plurimum detererent pontem aliquem, aut violarent & inuiam redderent viam aliquam curribus grauioribus & magis onuſtis quos aſſiduè per pontem aut viam ducerent. Vide Panorm. in Capitulum Non minus de immunitate Eccleſiarum.

DVBIVM VI.

Vtrùm Clerici non tantum iure humano, puta Ciuili & Canonico, ſed etiam diuino ſint à tributis exempti?

19 Respondeo & Dico Primò: Exemptio Clericorum à vectigalibus & tributis non eſt immediatè & proximè iuris diuini poſitiui. Sic tenent inprimis illi qui ſimpliciter docent eam eſſe iuris humani, vt à Victoria relectione 1. de poteſtate Eccleſiæ num. 2. Couarruuias lib. 1. practicarum quæſtionum cap. 31. Ioannes Medina Cod. De reſtitutione quæſt. 15. item Nauarrus cap. 17. num. 119. Dominicus Soto in 4. diſtinct. 25. quæſt. 2. articulo 2. Bellarminus libro De exemptione Clericorum: Malderus ſuprà dub. 7. & alij plures. Probatur, quia conſtitutiones legis antiquæ, vt quæ habetur Numerorum cap. 3. iam deſierunt vim habere: vnde per eas non poſſunt Clerici dici iure diuino poſitiuo eſſe immediatè exempti: in lege autem nouâ non reperitur talis exemptio immediatè à Chriſto Domino conceſſa, vtpotè de quâ, neque ex Scripturis, neque ex traditione, aut ſanctorum Patrum teſtimonijs ſufficienter conſtat: quin potius ex illis habeatur, quod ab initio Clerici antequam eximerentur, etiam debuerint ſæcularibus principibus ethnicis temporalia tributa, vt tradit Malderus ſuprà dubio 6. & 7. & Leſſius lib. 2. cap. 33. dub. 4. Et videtur indicare Apoſt. ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: Vbi etiam Clericos comprehendi ſignificat Gloſſa, quæ habet, cùm dicitur, Omnis anima, nullus excipitur: & clarius D. Chryſoſt. in illum locum, Oſtendens (inquit) iſta omnibus imperari & ſacerdotibus, & monachis, non ſolum ſenioribus, quando dicit, Omnis anima, &c. Ad quem locum ſcribit quoque Diuus Thomas exemptionem Eccleſiaſticorum à tributis habere æquitatem, non eſſe ex neceſſitate quaſi ſit de iure diuino.

Vnde Dico Secundò: Exemptio Clericorum à vectigalibus & tributis non eſt 20
quoque ſimpliciter iuris diuini naturalis. Ita Malderus & alij multi.

Probatur, quia quemadmodum Clericus non deſinit eſſe ciuis, & membrum Reipublicæ, ita non videtur eo ipſo, quo Clericus eſt, iure naturæ ſimpliciter & immediatè eſſe exemptus ab illis præſtandis Principi quæ ſine indecentiâ ſui ſtatus exhibere & præſtare poteſt: ergò &c.

Probatur Secundò, quia ante Iuſtinianum ſoluerunt Clerici tributa Imperatoribus etiam Chriſtianis: neque tunc de eo, vel tanquam iniquo grauamine Clerici fuerunt conquæſti, neque recipientes tributa deſuper ab Epiſcopis & ſuperioribus Eccleſiæ fuerunt redarguti, tanquam qui iniquè Eccleſiam, eiuſve miniſtros grauarent: quod haud dubiè fuiſſet factum ſi ſenſiſſet Eccleſia iniurioſè illa contra ius diuinum, ſiue poſitiuum, ſiue naturale exigi ac recipi, cum liberrimè Epiſcopi reprehenderint Principes ſæculares violantes ius Eccleſiæ in rebus ſpiritualibus, & cauſis Eccleſiaſticis, in quibus Eccleſia ſemper intellexit ſe iure diuino liberam ab omni poteſtate ſæculari, vt colligere licet ex Diuo Ambroſio Oratione de tradendis Baſilicis, & ex alijs Patribus.

Dico Tertiò: Poteſt tamen exem- 21
ptio iſta Clericorum à vectigalibus & tributis etiam ſuo modo dici iuris diuini. Ita Bellarminus & Malderus ſuprà, Azorius 1. parte lib. 5. cap. 12. quæſt. 2. qui etiam cum pleriſque Canoniſtis, ſimpliciter dicit eam eſſe iuris diuini. Declaratur propoſitio, quia Pontifices & Concilia ita loquuntur: Bonifacius VIII. Capitulo Quamquam de cenſibus in 6. Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ ac res ipſarum (inquit) non ſolum iure humano, quinimo & diuino à ſæcularium perſonarū exactionibus ſint immunes, & Cap. Non minus, de immunitate Eccleſiarum, dicitur tributi exactio facere

ſacerdotium deterioris conditionis quam fuerit ſub Pharaone,& in illo impleri illam Ieremiæ lamentationem ſuper oppreſſione: *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo:* Concil. quoque Trident. ſſ. 25. cap. 20. De reformatione dicit: Eccleſiæ & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus conſtitutam: ergò ſuo quodam modo exemptio clericorum à tributis, admitti debet eſſe iuris diuini, prout diximus plures Canoniſtas ſimpliciter docere, quos citat Couar. ſuprà.

Vnde addo, Quod inprimis dici poſſit hactenus eſſe iuris diuini naturalis,quatenus ſcilicet naturalis lex religionis, obſeruantiæ & gratitudinis ſuggerit & inclinat principes, imò obligat vt eximant eccleſiaſticos & eorum bona à vectigalibus & tributis,idque propter diuerſas cauſas, vt

Primò,Propter qualitatem ſtatus,ratione cuius eccleſiaſtici viri peculiari modò Deo & diuinis rebus ſunt dedicati & mancipati; indignum autem eſt, ea quæ Domino conſecrata ſunt tanquam prophana adhuc tractari; quare ab illa ſeruitute fuerunt clerici & eorum bona eximenda.

Secundò, Quia eccleſiaſtici ſunt Patres & Paſtores ſæcularium etiam Principum,ac Dei loco conſtituti ipſorum Iudices in cauſis ſummis quæ ad æternam vitam ſpectant.

Tertiò, Quia licet principes ab iniuria defendant clericos,& curent vt temporali fruantur ſæcuritate; tamen ècontrà clerici longè præſtantius officium principibus exhibent, dum ipſorum operâ aut miniſterio Chriſtiani fiunt, & doctrinam ſalutis accipiunt, item peccatorum remiſſionem,panē cœleſtē, ac tandem æternam ſalutē aſſequātur; ſi ex parte eorum non ſteterit. Inſuper ſacerdotum orationibus & ſacrificijs ſtabilitur regnum, auertuntur calamitates, & fœlix rerum ſtatus confirmatur: vnde etiam & gentiles iudicarunt Sacerdotes à tributis & vectigalibus eſſe eximendos, vt conſtat ex cap. 47. Geneſeos,& cap.7. libri primi Æſdræ; quare ſi lumen naturale dictauerit eiuſmodi Sacerdotes vt erant apud Ægyptios, eſſe eximendos, multò magis dictat vt Sacerdotes noui teſtamenti eximantur.

22 Addo vlterius, quod etiā duplici ratione poſſit exemptio illa dici iuris diuini poſitiui,

Primò, iuxta eum loquendi modum,quo Couar. loco ſuprà citato, teſtatur ſæpè dici ius diuinum, quod in vetuſtiſſimis vniuerſalis Eccleſiæ Concilijs ad imaginem & imitationem veteris Legis eſt ſtatutum, quia ſcilicet originem trahit ex iure diuino poſitiuo, quod licet iam deſierit vim ſuam habere, tamen propter conformitatem rationis, idem cum magna æquitate ab Eccleſia eſt conſtitutum: quomodo & Decimæ ſæpius dicuntur eſſe iuris diuini; ex qua conſideratione, ſimul iunctâ præcedenti ratione videntur Canones & Concilia potiſſimum ſic loqui, vt hanc exemptionem vocent exemptionem iuris diuini.

Deinde poteſt mediatè dici iuris diuini poſitiui hac ratione, quatenus non tantum per ipſos principes ſæculares inſiſtendo æquitati naturali ac ſatisfaciendo obligationibus iam explicatis, fuit conceſſa, ſed etiam per Summos Pontifices eſt conſtituta, & roborata auctoritate & poteſtate diuinitus eis data: quâ poſſunt etiam indirectè diſponere de temporalibus in quantum exigunt neceſſitas Eccleſiæ, & ſpirituale bonum animarum; quandoquidem itaque principes ſæculares, miniſtris Dei & Eccleſiæ tenebantur, ex titulis allegatis concedere illam exemptionem; atque adeò etiam generaliter conducebat ſaluti fidelium, vt illi qui populo deſeruiunt in ijs quæ ad Deum ſunt, pro maiori ipſorum reuerentia, & pleniori à negotijs ſæcularibus, ſegregatione, non ſubijcerentur in eiuſmodi ſeruitutibus, dominis temporalibus, meritò & iuſtiſſimè potuerunt Pontifices & Concilia auctoritate prædictâ exemptionem illam conſtituere, aut conſtitutam confirmare. Vide Couar. lib. 1. quæſtionum practicarum cap. 31. num. 3. & 4. & Mald. ſuprà Dub.7. vnde & hoc ſequitur quod notat Henriques libro 10. cap. 15. Etiamſi principes quando conceſſerunt hanc Immunitatem clericis, excepiſſent certos caſus quibus voluiſſent clericos contribuere, tamen exceptionem illam non valituram contra illimitatam exemptionem conſtitutam per Canones: & ſequitur ex eodem hoc fundamento quod principes ſæculares, & ſi vellent, non poſſint tamen nunc clericos ſubijcere oneribus ſoluendi Vectigalia & Tributa, quandoquidem per altiorem poteſtatem iam exiſtunt exempti. Ita Azorius ſuprà cap. 13. & Mald. Leſſius,Bonac. ſuprà, & DD. paſſim. Ad quod accedit, quod exemptio hæc à principibus conceſſa, ſit etiam quaſi dos aliqua Eccleſiæ facta, quæ proinde ad ipſorum arbitrium non eſt reuocabilis, quemadmodum qui Eccleſiæ donauerit agros, fundos, villas, non poteſt donationē ſuam reuocare quando voluerit.

Quæret aliquis? Qui ſub nomine Clericorum comprehendantur, quando hi dicuntur à Vectigalibus & Tributis exempti.

Reſpondetur: Inprimis omnes Clerici 23
ſacrorum ordinum, item Beneficiarij, Religioſi, & Religioſæ, idque præcipuo quodā iure, vt tradunt communiter DD. De quo videre licet Couar. ſup. & cap. 32. n.5. Deinde Clerici minorum ordinum ac primæ tonſuræ, ſi non ſint coniugati, etiam ſecundum Canones à tributis habentur immunes,

quamius

quamuis beneficiarij non ſint, vt tradit Couar. ſup. longâ tamen conſuetudine contrariâ iuxta eumdem videantur eandem exemptionem amiſiſſe.

Quod probabiliter dici poteſt fuiſſe factum Eccleſia tollerante & tacitè approbante; vt notat Mald. propter quæreſas principum diuerſis in locis contra multitudinem talium Clericorum, qui in clericatu ſolam immunitatem abſque voluntate in alijs ſeruiendi Eccleſiæ ſpectare videntur: ac ſimul propter grauamina quæ inde in alios deriuantur: alioquin enim conſuetudo non poteſt contra immunitatem Clericorum obtinere; vt notat Bonac. ſuprà puncto 2.nu.9. cum alijs quos citat: niſi ſic viâ conniuentiæ fiat: & patet ex authentica Caſſa Cod. De ſacro ſanctis Eccleſijs, & ex Capit. Clerici, De iudicijs, iunctâ ſimul Gloſsâ, & Capit. Cauſam, De præſcriptionibus.

Reſeruat tamen illis priuilegium fori Concil. Trident. ſſ. 23. cap. 6. Si clericalem habitum, & tonſuram deferentes ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiãt, vel in Clericorum Seminario, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad ordines ſuſcipiendos verſentur: & huiuſmodi crediderim etiam conſuetudine contraria non amiſiſſe libertatem à vectigalibus & tributis: vt ſignificat etiã Bonac. ſuprà nu. 1. Sunt denique ab iſtis oneribus omninò exemptæ Eccleſiæ ipſæ, ac earum bona, imò & Eccleſiarum nomine intelliguntur etiam exempta pia loca, & res deſtinatæ in eleemoſynas in ſuſtentationem pauperum, vel ad alia pia opera, vt cum Molina tradit Mald. dub. 8. & colligitur ex authentica. Item nulla communitas Cod. De Epiſcopis & Clericis; & ex Capitulo Non minus, de immunitate Eccleſiarum.

Quod ad Clericos coniugatos attinet, hi neque de iure communi, neque de conſuetudine ſunt exempti à vectigalibus vel tributis: gaudent tamen priuilegio fori Eccleſiaſtici, vt patet Capit. vnicum de Clericis coniugatis in 6. modo duxerint virginem, nec ſint bigami, & deferant tonſuram cum veſtibus clericalibus: requirit autem Conc. Trident. loco ſuprà citato, inſuper quod ſint ab Epiſcopo deputati miniſterio alicuius Eccleſiæ.

DVBIVM VII.

Vtrùm defraudantes vectigalia peccent mortiferè, & teneantur ad reſtitutionem?

24 RESPONDEO & DICO Primò: Quando conſtat vectigal iuſtè impoſitum, & in vſus debitos expendi, peccant mortaliter qui in ſumma notabili defraudant, & tenentur ad reſtitutionem. Eſt contra nonnullos, vt contra Angelum V. pedagium n.6. & Nauarrum cap.23.n.55. & 60.

Sed concluſio tenetur communiter, ita vt altera opinio non videatur nobis probabilis. Ita docent Syluest. V. gabella 3. q. 8. num.21. & 22. qui dicit hanc doctrinam eſſe communem excepto Angelo, Dominicus Soto lib.4.quæſt.6.artic.4. Banneſ. 2.2. quæſt.62. art. 3. Caiet. V. vectigalia iniqua §. iuſtorum autem vndique, Fumus V. vectigal 6. Ioannes Medina quæſt.13. Couar. ad regulam peccatum, parte 2. §.5. Malderus dub. 13. Toletus lib. 5. cap. 73. num. 3. Leſſius lib. 2. cap. 33. dub. 8. nu. 56. & alij recentiores.

Probatur ex Scripturis Matthæi 22. *Reddite ergo* (inquit Chriſtus) *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo,* vbi dominus tributum capitis quod Cæſari gentili ſoluebatur, eratque magis odioſum, quàm tributum rei, quod Principes Chriſtiani exigunt, ita probaſſe videtur, vt iudicauerit contra iuſtitiam peccari quæ cuique quod ſuum eſt tribuit, niſi illud reddatur: hoc enim indicat ipſum verbum Reddere, & id quod Dominus videtur ſupponere, ſcilicet illa eſſe Cæſaris, ad Rom. 13. *Ideo & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes: reddite ergo omnibus debita* (inquit Apoſtolus) *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*: vbi manifeſtè ſignificat Apoſtolus tributum principibus eſſe debitum.

Confirmatur, quia quemadmodum Princeps debet Reipublicę curam & vigilantiam pro illius conſeruatione & tranquillo regimine, ita Reſpublica debet illi congruam ſtatus ſuſtentationem, & ſubſidia neceſſaria ad præſtanda ea quæ pro ſalute Reipublicæ requiruntur: iſtiuſmodi autem ſubſidij præſtatio ac conueniens ſuſtentatio, legitimè eſt determinata ad talia vectigalia & tributa, vt ſupponit Concluſio: ergò &c.

Ex quibus ſequitur quod notabiliter defraudantes iuſtum vectigal nõ tantùm mortiferè peccent, ſed etiam ad reſtitutionem teneantur, quia non ſolum peccant contra obedientiam, ſed etiam contra iuſtitiam, vt benè ſcribit Caiet. loco cit. Iuſtorum autem vndique vectigalium (id eſt ex parte omniũ requiſitorum) fraus peccatum eſt mortale ex ſuo genere (inquit) vtpotè nocumentum inferens Reipublicæ, & ad furti vitium ſpectat, ita quod peccatum mortale interuenit in hac ſubſtractione, nõ ex inobedientia præcepti obligantis ad mortale, ſed ex natura debiti Reipublicæ non ſoluti, &c.

Notandum eſt, quod nõnulli diſtinguant inter defraudantes vectigalia iuſta pro mercibus impoſita, & inter defraudantes vectigalia impoſita pro vſualibus, & dicunt hos

 poſterio-

Digitized by Google

poſteriores probabiliter excuſari poſſe à peccato mortali & ab obligatione reſtituendi, vt videre eſt apud Bonac. De reſtitut. diſp. 2. quæſt. 9. puncto 1. nu. 5. quod quidem conſequenter loquendo, rectè admitterent illi, qui exiſtimant omnia vectigalia quæ imponuntur rebus ad vſum familiarem communiter neceſſarijs eſſe illicita, vt Caiet. V. Vectigalia iniqua, & qui eum ſequuntur, vt Driedo quoad pauperiores lib. 2. De libertate Chriſtiana cap. 5. Sed ſuppoſito, quod aliquando iuſtè & licitè imponantur, atque adeò ſic ſint de facto impoſita ſuper eiuſmodi rebus vſualibus (quod plerique omnes tenent fieri poſſe, quamuis rarò iuſtè & licitè fiat) nullum ſanè apparet tunc fundamentum ſufficiens ponendi prædictam diſtinctionem inter vtroſque illos defraudatores.

24 Dico Secundò, Quando ſubditi non habent probabiles rationes ob quas prudenter poſſint iudicare vectigal eſſe iniquum, ſeu iniquè impoſitum, tenentur illud ſoluere quamuis ipſis non conſtet manifeſtè de eius iuſtitia; ita Salas De legibus, diſp. 15. ſect. 10. nu. 118. Bonac. ſup. nu. 7. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. nu. 263. Mald. dub. 4. & alij plures contra quoſdam qui exiſtimāt ſaltem quoad noua tributa, vel antiquorum augmenta non eſſe hæc ſoluenda in conſcientia, niſi populo conſtet de iuſtitiâ; quos vide apud Bonac.

Probatur propoſitio, Quia ſubditus in dubio negatiuo, id eſt, quando ex ignorantia dubitat, quia pro neutra parte habet rationes, tenetur ſe conformare iudicio ſuperioris, de quo debet tunc meritò præſumere, quod cum ratione agat, quandoquidem nullum habet fundamentum aliter de actione Superioris ſentiendi.

Probatur Secundò, Quia vt princeps poſſit imponere vectigal aliquod, non eſt neceſſarium quod ſit omninò ſpeculatiuè certus de iuſtitiâ, ſed ſatis eſt, quod habeat cauſam probabilem, vnde faciat iudicium practicum certum, vt conſtat ex dictis ſup. ergò vt ſubditus teneatur ſoluere, non requiritur quod ipſi manifeſtè conſtet vectigal eſſe iuſtum; ſed ſatis erit quod non habeat probabiles rationes ob quas prudenter exiſtimet eſſe iniquum.

25 Dico itaq; Tertiò, Non tenentur ſubditi in cōſcientia ſoluere vectigal aut tributū quando ab initio dū imponitur, probabiles habent rationes propter quas iudicant illud iniuſtè imponi ſiue iniquū eſſe, ex quacumq; cauſa vel principio naſcatur illa iniuſtitia, ſiue ex defectu authoritatis, ſiue ex defectu formæ, ſiue ex defectu finis, ſiue aliundè: & proinde eo caſu poterunt abſque peccato defraudare, modò abſit ſcandalum: Ita communiter DD. Diuus Antoninus 2. parte, titulo 1. Pet. Nauarra ſup. Syl. Verbo Gabella 3. quæſt. 3. Fumus Verbo Gabella nu. 18. Bonac. ſup. nu. 7. Leſſ. dub. 8. nu. 64. & alij ſuprà citati, qui putant numquam eſſe peccatū mortale defraudare vectigalia: quod tamen reiecimus.

Ratio reddi poteſt; quia in praxi poteſt quis ſe conformare opinioni probabili. Deinde, quia in tali dubio melior eſt conditio poſſidentis. Neque obſtat quod princeps licitè quoq; potuerit illud indicere & exigere ſi probabiles etiam habeat rationes quibus prudenter iudicetur iuſtam cauſam ſubeſſe indicendi; quia vtraque pars hic vtitur iure ſuo dum probabiles ſequitur rationes, atque ita ſine iniuria exigit princeps, & ſubditi abſq; iniuſtitia non ſoluunt, quaſi bello exiſtente vtrimq; iuſto, ex occaſione ignorantię. Ita Pet. Nauarra ſup. nu. 267. & cum eo Mald. & alij. Cauendum tamen ſemper eſt ſcandalum, & maior Reipublicæ perturbatio: quare iudicium illud de probabilitate iniuſtitiæ non debet quilibet de plebe ſibi aſſumere, ſed ſi dubium interueniat, debet res meritò cùm viris prudentibus & probis conferri & examinari.

Quod ſi vectigal ſit antiquū, contra cuius iuſtitiam poſtmodum occurrant probabiles, 26
rationes illud nihilominus erit ſoluendū: in primis ſi tam ſit antiquum vt in dominium ſeu patrimonium principis tranſierit, aut tranſiſſe putetur: vide dicta ſup. dub. 3. Deinde quoque ſoluendum erit, etiamſi non tam ſit antiquum, ſed rationem vectigalis cognoſcatur obtinere, modo princeps fuerit in pacifica poſſeſſione illud exigendi & percipiendi, quia dum vtrimque ſunt rationes probabiles, melior eſt conditio poſſidentis. Ita Bonac. ſuprà cum Vaſquez §. 3. dub. 5. n. 8. Arragon. qu. 62. art. 3. Eman. Sa V. Gabella n. 4. & alijs. Si tamen contingeret quod modo iudicentur probabiliter cauſæ vel ceſſare, vel non eſſe tantæ vt ob illas poſſit iuſtè continuari indictum vectigal, de quibus conſtat quod ab initio impoſitionis fuerint ſufficientes, tum videtur quod ſubditi poterunt in conſcientia non ſoluere, quia eadem videtur ratio, ac ſi ageretur de vectigali de nouo impoſito aut imponendo.

Quæret aliquis: Vtrùm vectigalia oporteat ſoluere antequam exigantur?

Reſpondetur, Iuſta vectigalia omninò eſſe ſoluenda etiam antequam exigantur, niſi conſuetudo habeat quod non ſoleant ſolui niſi exacta. Ita Couar. ad regulam peccatum, 2. parte §. 5. Bonac. ſup. nu. 6. cum alijs quos citat.

Ratio patet, Quia non ideò debentur, quia exiguntur, ſed econtrà ideò exiguntur, quia debentur poſtquam indicta ſunt: debitum autem iuſtum eſt ſoluendum, etſi non exigatur.

Addo,

Addo, niſi cõſuetudo &c. quia per conſuetudinẽ fieri poteſt, vt non debeantur niſi exacta, vt cum Couar. docet Mald. dub. 14. poteſt enim hæc conſuetudo eſſe rationabilis, eò quod graue ſatis ſit communi populo exactiones illas vltro offerre & ſoluere. Non eſt tamen hæc ratio tanta vt valeat impedire quo minus conſuetudine ceſſante poſſit lex obligare ad vltroneam vectigalis ſolutionẽ.

Nihil autem fraudis debet hic interuenire per occultationem merciũ, aut ſimili modo, vnde fiat quod collectores non ſciant, & ſic non exigant, nam tunc & ſi conſuetudo haberet, quod non ſolueretur vectigal niſi exactum, non excuſaretur ille qui per fraudem eſſet cauſa, quod nõ exigatur. Neque poteſt eiuſmodi fraudulenta ratio agendi obtinere vnquam vim conſuetudinis, ſed tantum eſt quædam corruptela: ſupponendo tamen ſemper quod vectigal ſit legitimè indictum, & omni ex parte iuſtum.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ſi quis emerit à mercatore, quem ſciuit debitum vectigal fraudare, teneatur ipſe tunc ſoluere altero non ſoluente?

27 RESPONDEO & DICO Primò: Si vectigal quod debetur non ſit pars aliqua mercium, ſed certa pecuniæ ſumma non tenebitur emptor in conſcientia, illud ſoluere aut ſupplere quamuis nouerit venditorem defraudaſſe. Tenetur hoc communiter à Doctoribus.

Ratio autem eſt, quia tributum illud non eſt onus adhærens rei quod ſimul cũm re tranſeat in emptorem, ſed eſt onus perſonale venditoris, quamuis ex mercium adductione aut diſtractione contractum.

Obſeruandum tamen eſt, rem ipſam tacitè contraxiſſe obligationẽ hypothecæ, vt notat ex Leſſ. Bonac. & patet l. 1. Cod. quibus cauſis pignus vel hypotheca tacitè contrahatur: vnde fit quod cum hac obligationẽ ad emptorem, transferatur, ac proinde ſi defraudator vectigalis deprehenſus non ſit ſoluendo, aut effugerit, poterit fiſcus ſuper ea re facere executionẽ, ſi tamen à principali poſſit haberi quod debetur. Principi, non debet fieri executio ſuper ipſa re quãdo in alterius dominium ceſſit, vt colligitur ex authentica, Hoc ſi debitor. Co. De pignorib. & hypoth.

28 DICO Secundò: Etiamſi vectigal debitum ſit pars aliquã mercium, v.g. decima aut vigeſima, non obligabitur tamen emptor in conſcientia ad præſtationem vectigalis, quãuis ſciat venditorem non perſoluiſſe, modo defraudationis non fuerit ſimul cauſa Ita Mald. dub. 15. cũ Molina Tract. 2. diſp. 675. Bonac. ſup. n. 10. & alij nonnulli contra Syl. ueſt. V. gabella 3. n. 18. in fine.

Probatur, quia onus ſoluendi vectigalis non incumbit emptori per ſe, vt ſupponitur, ſed venditori qui merces tales adducit & vendit: hic enim iubetur decimam aut vigeſimam præſtare: neque onus hoc tributi illius ſoluendi eſt propriè reale quaſi res ipſa deberet, ſed perſonale, afficiens tantùm & obligans perſonam vendentis: ergò non tranſit onus in emptorem, nec ipſe tenetur ad eius præſtationem. Declaratur, quia illa pars decima aut vigeſima antequam ſit ſeparata & tradita non magis ad Principem pertinet, quam res vendita & nondum tradita ad ipſum emptorem: atqui ſi talis res ſecundo vendatur, huic de facto tradatur, acquirit hic eius dominium, & non tenetur priori emptori eam reſtituere, qui retinet actionem tantum in venditorem, vt patet l. quoties C. De rei vindicatione: ergò neque emptor huiuſmodi mercium tenebitur Principi.

Poteſt tamen onus illud dici impropriè reale quatenus ſolutio non pecuniâ, ſed aliquâ parte mercium præſtari debet: Verùm non ideò adhæret rei, vt cum illa tranſeat, ſed manet apud venditorem, ſic tamen vt res contraxerit obligationem hypothecæ, vt circa præcedentem concluſionem diximus.

DVBIVM IX.

Vtrùm ſi Princeps alicui debeat qui ab eo non poſſit aliter obtinere ſolutionem; an liceret huic defraudando vectigal ſibi ſatisfacere via cõpenſationis? 29

RESPONDEO & DICO Primò: Si vectigal non ſit alteri elocatum, ſed Princeps per ſuos miniſtros curet immediatè ſibi colligi, tunc compenſatio huiuſmodi erit licita ſeruatis regulis in eiuſmodi compenſationibus ſeruandis: de quibus ſuprà egimus.

DICO Secundò: Etiamſi vectigal alteri ſit elocatum qui certam pecuniæ ſummam Principi pendat, vt totum emolumentum vectigalis ipſe percipiat, nihilominus compenſatio ex multorum ſententia non eſt illicita, quando aliter ſolutio nõ poteſt haberi. Ita Sylueſt. V. gabella 3. quæſt. 9. Nauarrus lib. 3. Conſ. 1. n. 244. Mald. dub. 16. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 247. Vaſquez ſuprà §. 3. dub. 3. n. 37. Bonac. ſuprà n. 12. & alij apud ipſum citati.

Rr iij Proba-

Digitized by Google

Probari autem poteſt, quia totum ius quod conductor acquirit, pendet à iure principis, nihil enim videtur eſſe aliud quã facultas exequendi ius illud quod princeps per totum annum ſingulis occaſionibus habet: effectus autem aſſiduè ab aliqua cauſa dependens, nõ poteſt habere maiorem vim, quam habeat ipſa cauſa: ergò conductor non poteſt habere plus iuris ad exigendum à me vectigal, quàm princeps eo tempore in me habeat, neque ipſi conductori plus ſim obligatus quàm principi; quare cum ratione iuris quod ego viciſſim in principem habeo quaſi elidatur ius eius ſecundum rationem compenſationis: conſequens eſt, quod non poſſit aliquod ius exigendi à me vectigal, transferre in conductorem.

Huc poteſt accedere quod ob tales, aut ſimiles cauſas vel etiam fraudes ſoleant conductores minoris ordinariè conducere, quã vectigal valeret ſi exactiſſimè omnia ſoluerentur, vt notat Bonacina ſuprà: vnde non accipiunt inde damnum: non tamen ideò excuſantur defraudatores qui non habent iuſtã cauſam vectigalis retinendi, niſi aliunde vectigal eſſet iniquum: nam ſi ſoluerent omnes prout tenentur, iam pluris elocaretur, & plus principi valeret.

CAPVT TERTIVM,

De Beneficijs Eccleſiaſticis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum, & de eius diuiſionibus.

1 Observandvm eſt circà beneficium Eccleſiaſticũ poſſe quatuor conſiderari, quæ in illo aut cum illo ſolent concurrere. Vnum, eſt fructus aliquis temporalis qui percipitur ex bonis Eccleſiæ. Alterum eſt exercitiũ functionis alicuius ſpiritualis in aliqua Eccleſia. Tertium eſt, ius percipiendi fructum temporalem ex bonis Eccleſiaſticis. Quartum eſt; auctoritas ſeu poteſtas exercendi functionem ſeu miniſterium aliquod in Eccleſia ſimul cũ obligatione idem præſtandi.

His præmiſſis ſolet à multis ſtatui principalis quaſi ratio beneficij in iure illo percipiendi prouentum temporalem ex bonis Eccleſiaſticis; vnde per illud in recto, definiunt hoc aut ſimili modò, vt dicant eſſe ius perpetuum auctoritate Eccleſiæ conſtitutũ percipiendi certos fructus ad ſuſtentationem, habens ſibi annexum officium ſpirituale. Indicant Syluest. V. Beneficium 1. n. 1. Innoc. & Hoſius ad Cap. Relatum 9. De præb. & ſic penè in terminis deſcribunt Mald. tract. 9. cap. 2. dub. 1 & Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 1. Tolet. lib. 5. cap. 76. & Garcias in tract. De beneficijs. 1. p. c. 2. n. 2. Dicitur autẽ ius perpetuum duplici ratione:

Primò, Quia eſt inſtar cenſus perpetui qui cũ domino ſuo, aut quaſi domino non extinguitur, ſed poſt ipſum manet quaſi ſuperſtes penes Eccleſiam: quare licet Pontifex alicui daret ius ex certis Eccleſiæ bonis percipiendi fructus aliquos pro ſuſtentatione propter officium ſpirituale ad quod exhibendum eum obligaret, ſed inſtitueret tantùm ad vitam eius, non haberet ius illud tali competens, rationem beneficij.

Secundò, Dicitur etiã ius perpetuũ, quia ita eſt conſtitutum vt irreuocabiliter ſit illius cui confertur, ſic vt ad placitum conferentis non poſſit ab eo auferri: & hinc vicariæ manuales quæ ad voluntatem conferentis auferuntur, dicuntur non eſſe beneficia iuxta Nauarr. Conſil. 9. De officio ordinand. n. 27. De præb. apud Garc. tract. De benef. 1. p. c. 2. n. 76. Quamuis ſi officium ipſum eſſet perpetuum in Eccleſia, & haberet ius percipiendi fructum aliquem ſibi perpetuo annexum non viderentur multum à ratione beneficij deficere: vnde admittit Garcias quod poſſint habere rationẽ beneficij quando inſtituuntur auctoritate Epiſcopi. Et ideò prior iſta perpetuitas eſt magis de eſſẽtia beneficij, quã poſterior.

Dicitur Ius auctoritate Eccleſiæ conſtitutum: quia in primis ſeculares etiam principes non poſſunt cenſum ſeu ius percipiẽdi certos prouentus ex bonis Eccleſiaſticis inſtituere aut ordinare. Deinde quamuis ex bonis ſuis propter aliquod ſpirituale miniſterium velint conſtituere cenſum, non tamen ſortietur rationem beneficij, niſi auctoritate Eccleſiaſticâ confirmetur, vt deducunt DD. ex Capit. Ad hæc: De religioſis domibus: Capit. Cum Laici, & Capit. Nobis, De iure patronatus. Item Capitulo Nullus ſacerdos in Eccleſia, De conſecratione diſtinct. 1. Et ratio eſt, quia beneficium non tantum dicit ius percipiendi fructum temporalem cum reſpectu ad miniſterium ſpirituale, vt eſt in obligatione, cui debet ſatisfacere illius iuris poſſeſſor, ſed etiam cum reſpectu ad illud, vt habet rationem alicuius poteſtatis ſeu facultatis obeundi talem functionem in Eccleſia.

Et pro-

Et propterea ſimplices fundationes Miſſarum, tametſi fundator reditus perpetuos conſtituat, & velit Sacerdotem ſemel aſſumptum continuari ad vitam in Miſſis illis celebrandis, non ſunt tamen beneficia, quia ex eo non acquirit Sacerdos facultatem ſeu auctoritatem celebrandi, aut faciendi officium in Eccleſiâ, ſed debet hoc quaſi gratioſè à ſuperioribus concedi: ſecus quando eſt beneficium Eccleſiæ; iam verò nulli ſæculares per ſe poſſunt dare vel annectere quibuſcumque iuribus à ſe inſtitutis iſtam facultatem ſeu poteſtatem exercendi functionem ſpiritualem in Eccleſia.

Dicitur quoque, Ad ſuſtentationem, quia ius illud ad fructus temporales non datur propriè per modum mercedis pro officio quod exercet beneficiatus (mercedem enim propriè à Deo exſpectamus in cœlis) ſed datur in vitæ ſuſtentationem ſeruientibus Deo gratis ex animo, ſuamque operam certis Eccleſijs obligantibus.

2 Cæterùm, & ſi valdè communiter beneficium ſic deſcribatur, quaſi principaliter & in recto ſit tale ius percipiēdi fructus certos, tamen magis propriè & meliùs videretur mihi dici, quod ſit ipſum ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia habens annexum ius percipiendi fructum temporalem ex bonis Eccleſiæ ad ſuſtentationem.

Sic enim euidentiùs inprimis conſtat, quomodo collatio beneficij, aut inſtitutio in beneficium, nunquam poſſint competere laicis, neque conſuetudine, aut præſcriptione poſſint vnquam illud acquirere, vtpotè, cuius omnino exiſtunt incapaces: quia collatio iuris in ſe ſpiritualis, ſiue inſtitutio in tale ius, eſſentialiter eſt dependens à poteſtate ſpirituali quæ in laicos non cadit.

Secundò, quia ſic magis apparet quare nullus ſæcularis poſſit erigere aut inſtituere aliquod beneficium, niſi Eccleſia aut Eccleſiarum Prælati illud confirment & approbent.

Tertiò, quamuis genericum nomen beneficij videri poſſit magis ſonare ius percipiendi fructus, quatenus magis homines attendunt ad fructum temporalem tanquam bonum ſuum, quam ad poteſtatem ſpiritualem & officium, ideoque arbitrari videantur plus gratiæ ſibi præſtari ratione illius iuris ad prouentus, quàm ratione officij & poteſtatis: idque eo magis; quia etiam viri docti in hoc videntur tantum conſiderare obligationem, non autem ipſam facultatem & auctoritatem exercendi functionem ſpiritualem; tamen ipſa nomina beneficiorum ſpecifica, vt Epiſcopatus, Paſtoratus, Abbatia, Præpoſitura, & ſimilia important magis notionem & rationē officij quam iuris ad fructus temporales ex bonis Eccleſiæ.

Accedit denique quod ſic etiam manifeſtiùs à beneficij ratione remoueantur penſiones Eccleſiaſticæ, etiam illæ quæ inſtituerentur per modum iuris perpetui ſuper aliquo monaſterio, vel Eccleſia, aut alijs bonis Eccleſiæ, quæ defuncto vno penſionario, deferrentur alteri, etiamſi id quoq; cum aliquo onere ſpirituali feret: v.g. legendi ſeptē Pſalmos quotidie, aut legendi Roſarium. Quales penſiones videntur eſſe iura illa ad quoſdam fructus ex aliquibus bonis Eccleſiæ, quæ vocantur communiter Prœſtimonia ſeu Præſtimoniales portiones, quia ſcilicet eiuſmodi penſiones qualeſcumque non habent annexam poteſtatem exercendi officij aut miniſterij ſpiritualis in aliqua Eccleſia. Vnde Ioannes Medina De oratione quæſt. 7. Corduba in Summa q. 186. puncto 3. Rebuff. De pacificis poſſeſſionib. 105. & 106. aliàs 90. & 91. cum pluribus alijs, quos citat Garcias Tract. De beneficijs 1. p. cap. 2. n. 118. docent præſtimonia non eſſe beneficia, quamuis ipſe oppoſitum teneat, vnde addit quod in expectatiua ad beneficium ſimplex, aut ad beneficium cum cura vel ſine cura comprehenderetur de iure præſtimonium, niſi ex conſuetudine loci & modo ibi loquendi, nomine beneficij talis non ſoleat comprehendi præſtimonium, quando ſpecialiter non nuncupatur. Verùm ratio eius ob quam refert inter beneficia non videtur valde ſolida. Cæterùm vide Suarez tom. 1. De relig. lib. 4. cap. 24. vbi indicat ſic de notione & ratione beneficij ſentiendum, ſicuti nos eam modo explicuimus.

Quod ad diuiſiones attinet, diuiditur beneficium inprimis in beneficium ſæculare, 3 & in beneficium regulare. Ita tradunt DD. cōmun. Regulare dicitur, quod regularibus ſeu religioſis eſt adſtrictum, ſiue per fundationem, ſiue per ſuperiorum Eccleſiæ conſtitutionem, ſiue etiam per legitimam conſuetudinem & præſcriptionem: quæ abſoluitur quando per quadraginta annos beneficium aliquod tanquam regulare fuit bona fide poſſeſſum: per præſcriptionem enim poteſt ex ſæculari fieri regulare, ſicuti & è contra, vt tradit Gloſſa in Capitulum De beneficio; de præbendis in ſexto: quod & colligi poteſt ex eodem Capitulo citato.

Solent regularia aliquando commendari ſæcularibus, (vt loquuntur Canones) ſine propriæ conditionis mutatione: de cuiuſmodi commendis ſit mentio cauſa 21. quæſt. 1. Capitulo Qui plures: & de electione in ſexto Capitulo Nemo deinceps. Sæculare dicitur quod Clericis ſæcularibus cedit. Præſumitur autem beneficium in dubio eſſe ſæculare, vt tradit Rebuffus & ex eo Malderus Tractatu 9. cap. 2. dub. 1. Garcias Tractatu De beneficijs tom. 2. parte 7. cap. 10. & alij.

Quod ſi quis ſæculare habens beneficium emittat profeſſionem religioſam in ordine approbato, ſiue explicitè ſiue implicitè (quę validè fiebat ſtando in iure antiquo, etiam antè finitum annum probationis) hoc ipſo vacat beneficium, & alteri poteſt conferri. Imò, quando euidenter conſtat, quod quis religionem ingreſſus voluerit mutare abſolutè vitam, vt ſi voto ſe adſtrinxerit, quod amplectetur vitam monaſticam, hoc ipſo quoque iure Canonico poteſt beneficiũ eius alteri dari, etiam infrà annum probationis, tametſi neque explicitè, neq; implicitè fuerit adhuc profeſſus. Patent hæc ex Capitulo Beneficium, de regularibus & tranſeuntibus ad religionem in ſexto: quod etiam in hunc ſenſum exponit Suarez tomo 2. De virtute & ſtatu religionis libro 1. De eſſentia & honeſtate voti cap. 2. vbi ſic ſcribit: Igitur in eo caſu (quem ſcilicet iam poſuimus) voluit Pontifex, vt etiam antè profeſſionem & ſolemne votum, poſſet quis priuari beneficio. Non tamen quilibet religionem ingreſſus præſumitur ſic voluiſſe abſolutè mutare vitam, ſed potius experiri an ſibi conueniat; niſi clara probatione, vel competentibus inditijs oſtendatur, vt habetur Capitulo Non ſolum, tit. citato in ſexto.

Iure autem nouo Concil. Tridentini conſtitutum eſt, quod nulla ipſius nouitij renuntiatio, aut obligatio etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ facta valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, aut eius vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, vt conſtat ex ſſ. 25. De regularibus & monialibus cap. 16.

Quam conſtitutionem docent Maiolus De irregul. lib. 3. cap. 6. nu. 2. Flamin. Pariſienſis, & alij, etiam comprehendere renuntiationem ſeu reſignationem beneficiorum, ita ſcilicet quod Nouitius intra annum probationis non poſſit renuntiare beneficio, quinimo facta renuntiatio nõ teneat: quamuis Garcias De beneficijs tom. 2. p. 11. cap. 9. opinetur non extendi ad beneficia, ſed tantum prohiberi renuntiationem aut obligationem bonorum temporalium, ſed minus probabiliter vt apparet, quia ſermo Cõcilij eſt generalis dum dicit nulla renuntiatio, & ratio Conſtitutionis quam Concil. in fine Capitis indicat, videl. ne occaſione alicuius renuntiationis factæ, diſcedere non poſſet ob defectum mediorum quibus in ſęculo viueret, æquè militat in renuntiatione beneficij, atque in renuntione bonorum patrimonialium vel aliorum temporalium. Porrò ſi intra annum probationis non poſſit quis renuntiare beneficio, benè deducit itaque Suarez tomo 3. De religione, lib. 5. cap. 16. nu. 12. etiam nunc intrà annum Nouitiatus non vacare beneficium ingreſſi religionem, ſiue ipſius Nouitij, quantumcumq; conſtaret, quod voluiſſet mutare abſolutè vitam.

5 Quæret hac occaſione aliquis, Quid dicendum ſit de beneficijs Clericorum Societatis IESV ſi quæ habeant, quando emittũt in Societate vota tria ſimplicia, vtrùm per hoc vacent de facto? Poteſt enim videri quod non, quia Concil. non vult etiam ipſas reſignationes Nouitij ſortiri effectum, niſi ſecuta profeſſione, quandoquidem igitur iſti nondum fecerint profeſſionem, apparet quod non debeant dici priuari, aut excidiſſe beneficijs ſuis.

Reſpondetur, inprimis Ius illud nouum Concilij Tridentini De Nouitijs non afficere Clericos Societatis qui in ea emiſerunt 3. vota ſimplicia, idque ex pluribus cauſis.

Primò, Quia à ſtatu Nouitiorum tranſierunt in ordinem religioſorum, & per illam emiſſionem votorũ cum adiunctis, efficiuntur veri & propriè dicti religioſi, vt Gregorius XIII. in Bulla quadam quæ incipit Aſcendente Domino, declarauit. Vnde exiſtimo illam votorum emiſſionem cum obligatione qua ſe obſtringunt Societati, mereri & obtinere rationem veræ & propriæ dictæ profeſſionis religioſæ, licet non in gradu perfectiſſimo, quia in eadem Societate ſupereſt alia facienda, vbi abdicant dominium bonorum temporalium, & ipſa Societas quoque profeſſionem hanc facientibus (quę apud illos quaſi per anthonomaſiam ſimpliciter & abſolutè vocari ſolet profeſſio) ſeſe obſtringit. Concilium autem diſponit tantum de Nouitijs in aliqua religione, non de religioſis.

Secundò, Quia diſpoſitionis ratio in illis ceſſat, ex quo enim illi ſimul cum iſtorum votorum emiſſione, ſeſe ſimpliciter in perpetuum obligant Societati, ita vt habeantur & ſint Apoſtatæ ſi ſua voluntate illam deſerant, non habet incommodum, quod eis tollatur occaſio, quâ faciliùs abire & reſpicere retrò poſſent: quandoquidem nunc ampliùs eis non liceat recedere.

Tertiò, Quia ipſum Concilium ſatis declarat ſe ſub illa conſtitutione non comprehendere clericos Societatis, quando ſubiungit: Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere quin religio clericorum Societatis IESV iuxta pium eorum inſtitutum à ſancta Sede Apoſtòlica approbatum, Domino, & eius Eccleſiæ ſeruire poſſint.

Hinc addo, & Reſpondeo ſecundò, Quod in illis adhuc militat Conſtitutio Capituli Beneficium ſuprà citati, etiam quoad illam partem quâ diſponit beneficium eius qui religionem ingreſſus eſt, poſſe conferri alteri, quando conſtat quod voluerit mutare

mutare

mutare abſolutè vitam: quia in primis euidenter de ipſis conſtare quod abſolutè voluerint vitam mutare, inficiari nemo poteſt, cum totaliter ſeſe obligauerint, etiã profeſſionem vltimam ſiue abſolutam facere ad voluntatem Superiorum: ita vt ſuæ poteſtatis non ſint, vt non mutent vitam. Deinde ratio, ob quam Pontifex id ſtatuerit quod Beneficium talis poſſit conferri alteri, hæc eſt, ne ſcilicet illius occaſione fortaſſe negligeret aut præuaricaretur quam ſibi impoſuit obligationem dum ſic voluerit mutare abſolutè vitam: & de qua voluntate ſufficiẽter Eccleſiæ conſtat, vt ſupponitur, quæ vel maximè habet quoque locum in illis qui emittunt illa tria vota in Societate, vt per ſe euidens eſt.

Accedit alia, quod retinendo beneficia facerent præiudium Eccleſijs: quâ de re ſolicitus Pontifex in Capit.citato Beneficium, ſtatuit, vt ſi nouitius beneficium retineat, curetur officium per alium fieri, ſatis indicans non ſimul conſiſtere ſtatum aut quaſi ſtatum religionis, cum exercitio officij incumbentis beneficijs ſæcularibus.

6 Neque ex Titulo iam explicato ſolo poſſunt de facto beneficia eorum qui emittunt ſimplicia vota in Societate, alijs conferri, ſed etiam quia emittentes vota illa in Societate, eique ſeſe in perpetuum obligantes efficiuntur veri regulares ſeu religioſi; ſæcularia autem beneficia ſæcularibus, & regularibus regularia cedere & conferri debent iuxta Conc. Tridentinum ſſ. 14. c. 10. Ne veſtem lino, lanâque contextam (vt loquitur Concilium) induant, quod lege antiquâ in figurâ erat prohibitum: atque adeò vacant de facto, quia faciunt profeſſionem religioſam, vt antè indicauimus: & declaratur, quia ratio veri & propriè dicti religioſi, vt ipſi ſunt, eſſentialem videtur dicere ordinem ad profeſſionem religioſam tanquam formam efficientem qua fiat religioſus, quãuis non parem dicat ordinem ad ſolemnitatem votorum: iuxta Capitulũ autem Beneficium, poteſt beneficium eius alteri conferri qui ingreſſus religionem fecerit profeſſionem. Neque verò diſtingit Pontifex, an per vota ſolemnia, an per ſimplicia, quia militat eadem ratio, ſiue vno, ſiue alio modo ſint facti regulares ſeu religioſi, & hæc quidem ſecundum ius commune, tum nouum, tum antiquum ita videntur ſe habere.

Sed opponet aliquis, Quãuis iſta ſic ſe haberent de iure communi, tamen non videntur
7
militare in his Religioſis Societatis, quia etiam de iure communi nullus religioſorũ poteſt habere in particulari dominium alicuius rei temporalis, tamen certum eſt, quod huiuſmodi Religioſi Societatis per diſpenſationem ſuper iure communi, ſiue per particularem contrariam diſpoſitionem factam & confirmatam à Pontificibus, poſſint retinere dominium bonorum ſuorum patrimonialium ſeu temporalium; ergò apparet dicendum, quod poſſint etiam retinere beneficia ſæcularia.

Reſpondetur, Negando Conſeq. Quia cum ex alijs rationibus & iuribus regulares amittant dominium bonorum temporaliũ, & ex alijs contingat beneficia eorum ſæcularia vacare, non ſequitur ſi ſuper vno ſit aliter diſpoſitum in aliquibus, quod idcircò etiam ſuper alio debeat cenſeri aliter diſpoſitum eſſe: præſertim cum ex eo quod retineant dominium bonorum temporaliũ, nullum accedat incommodum Eccleſiæ, ex altero autem, quod apud eos manerent beneficia ſæcularia, ad plurimos frequenter annos, magna obuentura eſſent Eccleſiæ incommoda; quandoquidem Rectores beneficiorum alijs ſubiecti ad nutũ non poſſent debita miniſteria Eccleſijs exhibere.

Alio modo diuiduntur beneficia in beneficiam maiora, & in minora: cuius diſtinctionis fit mentio in Capit. Maioribus De præbendis, & in Capitulo Tua nobis, de verborum ſignificatione. 8

Maiora cenſentur Abbatiæ, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & omnia quæ his digniora ſunt, reliqua autem dici poſſunt minora: inter quæ tamen aliqua dicuntur dignitates, vt quę aliquam pręeminentiam habent cum iuriſdictione, vt ex Rebuffo notat Malderus ſuprà: quamuis aliqui dignitates extendant latiùs, ſcilicet ad omnia illa quæ in Eccleſia habent aliquam prærogatiuam, quamuis ſine iuriſdictione: verùm in talibus nominibus attendenda eſt Eccleſiearum conſuetudo, & modus loquendi aut æſtimandi; neque enim omnia eiuſdem quaſi rationis beneficia quæ in vna Eccleſia honorantur vt dignitates, cenſentur etiam dignitates in alijs Eccleſijs. Vide Sylu. V. Dignitas.

Tertia denique aſſignatur beneficiorum diuiſio, iuxta quam dicuntur quædam Patronata, alia non Patronata: iſta ſunt quæ habent patronum cuius ſit præſentare nouum Rectorem inſtituendum quando vacant: hæc verò ſunt illa quæ liberæ Collationis exiſtunt, neque patroni ius admittũt.

DVBIVM II.

Quid ſit Patronatus in hac materia, & quotuplex?

Reſpondetur, Patronatus hic eſt ius ſiue auctoritas præſentandi nouum Rectorem inſtituendum ad beneficium vacans, ita D. Thomas in 4. diſtinctione 25. quæſt. 3. art. 2. Sylu. V. Ius patronatus, nu. 1. & alij quos citat. Antoninus 3. par. tit. 12. cap. 12. dicitur 9

diciturad beneficium vacans; quia quamdiu non vacat non ſubſiſtit præſentatio, eſtque omnino irrita antè facta vt docet DD. communiter, quia eſt contra bonos mores quatenus præbet occaſionē captandæ mortis, vt colligitur ex Capitulo Nulli, de conceſſione præbendæ: vocatur autem hoc ius aliquando etiam ius aduocationis, vt patet ex Cap. citato, & ex Cap. Clerici, de iure patronatus.

Obſeruandum itaque hic eſt, quod plurimùm diſcriminis ſit inter hoc ius præſentandi ad beneficium, & inter ius conferendi beneficium, aut etiam inſtituendi in beneficio, aut in eo confirmandi, ſicuti etiam inter collationem ſiue inſtitutionem, & inter præſentationem: Collatio enim, & inſtitutio per ſe dant primariò & directè ius ad officium ſacrum ſiue ſpirituale in Eccleſia obeundū (quod ius communi nomine titulus appellari ſolet) ſecundariò & concomitanter tribuunt etiam ius ad certos prouentus temporales percipiendos, qui videlicet tali titulo officij ſpiritualis obligati & debiti ſunt. Beneficium enim Eccleſiaſticum in proprietate loquendo, non aliud eſt quàm ius perpetuum obeundi certum munus ſpirituale in Eccleſia, & recipiēdi annuos fructus pro miniſterio, ita vt inter illa duo, primum & principale ſit titulus; vti intelligi poteſt ex ijs quæ diximus dub. præcedenti n.2. & patet ex eo quod non diſtinguantur beneficia ex qualitate, aut quantitate, vel modo redituum, ſed ex titulis, quibus reditus ſunt affecti ſiue obligati: vt docet Suarez in Opere De virtute & ſtatu Religionis lib.4. cap.24. ex Cap.1. De Eccleſijs ædificandis, & ex Cap.1. cauſa 13. quæſt.1. Præſentatio verò ad beneficium (qui proprius actus eſt patronatus, vt habetur ex Conc. Trident. ſeſſ.25. cap.9.) parat tantùm viam ad beneficium, tribuendo ius aliquod ad rem: non autem confert ius in re: Azorius p.2.lib.6.cap.19. Syluest. V. Ius patronatus quæſt.5. Canoniſtæ Cap. Quanto D. Iudicijs, & plures apud Gomez in Reg. De Triennali poſſeſſione.

Ex quibus etiam ſequitur hoc diſcrimen; quod Inſtitutio, ſiue Confirmatio, & Collatio beneficij ſit actus per ſe ſpiritualis, & omnino dependens à poteſtate ſpirituali, quæ in ſolis Eccleſiæ præpoſitis principaliter & per ſe reſidet, vtpotè qui ſoli à Chriſto eam immediatè vel mediatè accipiunt, quia non poſſunt officia ſpiritualia Eccleſiæ ordinari, diſtribui, conferri, niſi ab ijs, quos poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Quæ autem ſit differentia inter Collationem, Inſtitutionem & Confirmationem conſtabit ex dicendis dub. ſequenti. Præſentatio autem non ſit actus ſpiritualis ex parte principij ſui, neque ex ſpirituali poteſtate proximè dependens. Hinc ius patronatus non eſt quoque ſecundum ſe ſimpliciter ſpirituale, ſed tum à Theologis, tum à Canoniſtis reponitur inter annexa ſpiritualibus: Capit. De iure, De iure patronatus, & Cap. De iudicijs, ibidemque Gloſſa.

Vnde etiam duplex ſtatuitur: aliud Laicale, & aliud Eccleſiaſticum. Vt patet ex Cap. vnico De iure patronatus in 6. & extra, Cap. Cum autem eodem tit. Laicale eſt, quod cadere poteſt in perſonam laicam etiam retinentem qualitatem perſonæ laicæ: quale acquiritur fundando Eccleſiam, vel eam dotando, vel beneficium erigendo ex ſuo patrimonio, vel quaſi patrimonio, ita Canonibus diſponentibus: aliquando etiam ex purâ & merâ liberali Eccleſiæ conceſſione, quâ Imperatoribus, Regibus, alijſque Principibus viris vult gratificari, vt eos ad Chriſtianam Religionem colendam, & propugnandam habeat arctiùs colligatos.

Hoc itaque ius patronatus laicalis non tantùm perſonis laicis, ſed etiam perſonis Eccleſiaſticis competere poteſt: quando vel ex ſuis patrimonialibus iſta præſtant, vel parētes illa fecerint à quibus in eos ius illud deriuatur, ſiue etiam, quia in cauſam alicuius horum ſucceſſerint.

Quod ſi donatione, teſtamento, vel alia ratione contingat hoc ius transferri in Eccleſiam, in Capitulum, in Monaſterium, vel annecti alicui dignitati Eccleſiaſticæ, aut Beneficio, v.g. Præpoſituræ, Decanatui &c. tunc efficitur patronus eccleſiaſticus. Vt docet Couarr. qq. practicarum cap.36. n.5. cum multis quos citat: & colligitur ex Capitulo vnico §. vltimo De iure patronatus in ſexto. Vnde ius præſentandi ad Eccleſiam quod habet, quis in qualitate præpoſiti, aut Abbatis, aut Epiſcopi eſt ius Eccleſiaſticum; tametſi Eccleſia ab origine eſſet fundata à viro ſæculari ex bonis patrimonialibus, vt tradit quoq; Gloſſa ad Clementinam 2. De iure patronatus, & alij communiter. Patronatus itaque Eccleſiaſticus eſt ius præſentandi quod competit alicui, vel ex eo quod ex bonis Eccleſiaſticis, ſiue ex pecunia ex bonis Eccleſiæ percepta fundauit aut extruxit Eccleſiam, vel quod habetur ratione dignitatis, aut beneficij Eccleſiaſtici.

Neutrum autem ius per ſe vendibile eſt, 10
ne Laicum quidem, propter ordinem ad rem ſpiritualem: vendi tamen hoc poterit venditione vniuerſitatis, vt loquuntur Iuriſperiti in qua comprehendatur, vt puta cum venditione hæreditatis, caſtri, aut prædij, quibus ius patronatus adhæret: non poteſt tamen propter ius illud pluris vendi ipſa vniuerſitas cum qua venditur.

Tranſit quoque hoc ius ad patroni hæredes: & titulo donationis poteſt in alium

transferri

transferri accedente tamen Epiſcopi approbatione ſi donatarius ſit ſæcularis ſeu laicus.

Differunt autem illa iura Primò, Quod habenti ius laicale currat tantùm quadrimeſtre quo poſſit præſentare; habenti autem eccleſiaſticum currat ſemeſtre: vt patet ex citato Capitulo vnico De iure patronatus in ſexto: Si tamen laicus haberet compatronũ eccleſiaſticum habebit tunc etiam ſemeſtre, vt docet Sylu. V. Ius patronatus n. 6. Ignoranti autem non currit hoc tempus quando eſt ignorantia probabilis, vt cum Sylueſtro tenent plerique alij; & colligi poteſt ex capitulo, Quia diuerſitatem De conceſſione præbendæ; meritò enim cenſeri hic debet eadem eſſe ratio quæ collationis.

Differunt Secundò, Quod patronus eccleſiaſticus ſi præſentet indignum, pro iſta vice excidat iure præſentandi, & collator poſſit liberè conferre, vt docet Gloſſa ad Capitulum Cum vos, §. Minus idoneæ De officio ordinand.

Laicus autem non excidat, ſed poſſit præſentare alterum ſiue ſecundũ: rurſum quod laicus præſentato iam vno digno poſſit etiam ſecundum præſentare cui Epiſcopus ſiue qui ius inſtituẽdi habet, poſſit priori prçterito, ſi velit beneficum conferre, vt colligitur ex Capit. Cum autem De iure patronatus: quod in patrono eccleſiaſtico non habet locum; quia qui prior eſt tempore, potior hic cenſetur iure, vt habetur Capitulo iam citato.

11 Poteſt tamen patronus eccleſiaſticus plures ad regendam Eccleſiam parochialem nominare coram deputatis examinatoribus, cum quibus nominatis poſſunt etiam alij ſe examini offerre, vt de cuiuſlibet ætate, moribus, & ſufficientia fiat diligens inquiſitio prout præſcribit Concil. Trident. ſſ. 24. c. 18. De reformatione; ſed iſta nominatio nõ habet rationem præſentationis, nam poſt examen demùm debet patronus quem ex iudicatis per examinatores idoneis, ipſe iudicauerit digniorem præſentare Epiſcopo inſtituendum, ſi ad Epiſcopum ſpectet inſtitutio, aut ſi ad alium inſtitutio ſpectet, debebit patronus eccleſiaſticus præſentare illum quem ipſe Epiſcopus ex idoneis repertis, iudicauerit digniorem, vt diſertè conſtituit Concilium Tridentinum loco citato: Quæ ſaluberrima Inſtituta cum magno malo eccleſiarum, & detrimento ſalutis animarum in multis locis nimis negliguntur.

DVBIVM III.

Vtrùm Pontifex poſſit derogare Iuri Patronatus, & conferre beneficia non præſentatis?

RESPONDEO & DICO Primò: Simpliciter agnoſcere oportet auctoritatem & poteſtatem Summi Pontificis in omnia Iura Patronatus cuiuſcumque generis ſint, etiam laicorum, ſic vt poſſit validè & iuſtè in caſu derogare. 12 Eſt communis Canoniſt. ſententia in c. 2. De præb. & dign. in 6. quos plures citat Couar. & ſequitur l. pract. qq. c. 36. & Azorius p. 2. l. 6. cap. 23. Eſtque conformis certiſſimo Theologorum principio, quo agnoſcitur Summus Pontifex tanquam Chriſti Vicarius & vniuerſalis Eccleſiæ Præpoſitus, habere poteſtatem ordinandi inferiora omnia conuenientibus modis in hominum beatitudinem & finem ſupernaturalem, Spiritualia quidem directè & ſimpliter, Temporalia autem indirectè, in quantum videlicet communis neceſſitas Eccleſiæ & ſalus animarum poſtulant, quod aliquam circa hæc adhibeat diſpoſitionem.

DICO Secundò: Non eadem tamen & 13 par omninò eſt hæc poteſtas circa omnia Iura Patronatus: ſed directam & abſolutam habet in ea quæ ſunt Patronatus eccleſiaſtici: non ita directam & abſolutam in ea quæ ſunt Patronatus laici, ſaltem quando nata ſunt ex fundatione, ædificatione aut dotatione Eccleſiæ à laicis, factis.

Ratio prioris partis eſt, Quia pendet Patronatus eccleſiaſticus ſemper ex aliquo titulo ſpirituali, ratione cuius tam ipſa perſona quæ eſt Patronus, quam Ius eius, pleniſſimè & directiſſimè ſubijciũtur iuriſdictioni & diſpoſitioni Summi Sacerdotis penes quem eſt vniuerſalis poteſtas adminiſtrandi Eccleſiam, & diſponendi de omnibus officijs & titulis eccleſiaſticis, & proinde de Iuribus quæ hiſce titulis ſunt annexa, ita vt poſſit ea ſeparare à talibus titulis, poſſit quoque tanquam vniuerſalis Adminiſtrator per ſe illa diſpenſare. C. Licet de præb. in 6. & in Clem. 1. ad finem vt lite pendente. Si enim Epiſcoporum omnium iuriſdictionẽ in ipſorum ſubditos poſſit extendere & reſtringere, quidni & alia iura & prærogatiuas titulis dignitatum eccleſiaſticarum annexa? Hinc poteſt Pontifex, atque adeò cenſetur derogare Iuri patroni eccleſiaſtici per ſimplicem Collationem beneficij quam facit nõ præuia præſentatione, etiam non addendo clauſulã derogatoriam, vt tradunt DD. ad Cap. 2. De præbendis.

Ratio poſterioris eſt, Quia Ius Patronatus laici non ſimiliter ex titulo ſpirituali dependet, ſed proprio quaſi dominio à perſonis ſæcularibus poſſidetur, & ex fine tantũ habet quod ſit ſpiritualibus annexũ, vt ſuprà notauimus: In huiuſmodi autem perſonarum iura & dominia non ita directè ſe extendit Pontificia poteſtas, ſicut in iura eccleſiaſticorum potiſſimum quæ titulo ſpirituali

cis com-

Digitized by Google

eis competunt. Colligitur ex Cap. Monaſterium 16. qu. 7. in quo dicitur Monaſteria vel Oratoria canonicè conſtructa à dominio Conſtructoris alienari non debere, quoad Ius videlicet quod Conſtructor de conſenſu Eccleſiæ, & quaſi ex pacto ſibi in illa reſeruauit: vbi benè notandum, dici, non debere alienari à dominio Cōſtructoris: hoc ipſo enim agnoſcitur Conſtructori aliquod ius & dominiū in Eccleſiā illam competere: & non ex fauore ſolo & gratia habere facultatem præſentandi: quia non dicitur, ipſum non debere illo fauore & gratiâ priuari. Cui conforme eſt quod ſcribit Driedo lib. 2. De Libert. Chriſtiana cap. 2. Potuerunt principes (inquit) dotando Eccleſiā, partem dominij retinere in huiuſmodi bonis, & eatenus debent eccleſiaſtici principibus rationem reddere, quatenus in illis donatis, poteſtatem ſibi retinuerunt. Zoto quoque De Iuſtit. & Iure lib.3. qu.6. ſatis innuit patronum qui de proprijs bonis Sacerdotium creat (vt ipſe loquitur) dominum eſſe iuris præſentandi ad illud, atque adeò liberiùs poſſe quemlibet, quem maluerit, præſentare, quam Pontifex poteſt beneficia cui voluerit conferre: Vnde ius illud hæreditaria ſucceſſione tranſit in poſteros & hæredes: Gloſſa in c. filijs. 16. qu. 7. Azorius p. 2. l. 6. c. 20. & Abbas in c. 1. De Iure Patronatus, ibidem Gloſſ. communi conſenſu approbata.

14 Vnde etiam ex eodem fundamento, ſcilicet quia patroni laici non titulo eccleſiaſtico, ſed quaſi proprio dominio & titulo oneroſo ius illud poſſident, procedere videtur quod quæcumque reſeruationes beneficiorum per Canones vel Regulas Cancellariæ à Summis Pontificibus factæ non cōprehendant beneficia quæ ex fundatione ad Patronorum laicorum præſentationem pertinent. Hinc non impeditur patronus à ſua prçſentatione etiamſi contingat beneficium vacare apud Sanctam Sedem: Ioannes Monachus & alij in Cap. Licet de præb. in 6. Cardin. in Cap. Præterea de iure patronatus. Felin. in Cap. Nihil de præſcrip. Falcon. de reſeruat. quæſt. 3. & Couarr. qq. pract. quæſt. 3. in princip.

Imò ne quidē comprehenderetur, etiamſi in litteris Apoſtolicis poneretur hæc aut ſimilis clauſula, ad cuiuſcumque patroni præſentationē pertineat vt ex Lambert. Tract. De Iure Patronatus l. 1. p. 3. quæſt. 9 art. 2. Couar. ſuprà cap. 36. & alijs, docet Azorius p. 2. l. 6. cap. 23. vbi dicit clauſulam illam Cuiuſcumque apponi, vt Papa ſignificet ſe cuiuſlibet Eccleſiaſtici patroni Iuri derogari; quia eccleſiaſtici patroni etiam multi ſunt & diuerſi ordinis. Quapropter etiam antiqui Canones cum minimo, quo fieri potuit, patronorum præiudicio, voluerunt emendari mala ſi quæ occaſione difficultatis inter patronos, contigiſſet Eccleſijs obuenire, non autem facilè ad priuationem aut derogationem iuris ipſorum volunt procedi. C. Quæcumq; Eccleſia, De Iure Patron. mandatur, vt Epiſcopus ab Eccleſia tollat reliquias, ſi patroni diſſideant, nec velint eam ſub vno presbitero procurari, & Cap. Si verò, eodem tit. conceditur Epiſcopo facultas inſtituendi perſonā idoneā quando patroni diſceptant, ita tamen quod poſtea repræſentetur ab eo qui ius euicerit.

Neque obſtat Cap. Quoniam De iure patronatus, quod ab aliquibus hic opponitur, quaſi ibi dicatur, quod tantùm per tollerantiam Eccleſiæ fiat, quod patroni laici præſentent, quia non habet cap. illud, Eccleſiam toleraſſe patronos in poteſtate ſuâ, ſed ſuſtinuiſſe, (id eſt) tenuiſſe, defendiſſe in ſua poteſtate: aut certè ſi quis de tolerantiâ velit accipere, oportebit tunc intelligere de tolerantiâ, quâ Eccleſia tolerauerat abuſum illius poteſtatis, cuius ibi fit mentio; Cui obuiando, præſcribit Canon remedium. Alioquin certum eſt, Eccleſiam non neceſſitate extortâ, ſed liberâ voluntate voluiſſe ita fundatoribus Eccleſiarum gratificari, & eiuſmodi iuris priuilegio quaſi ex contractu donare propter iuſtiſſimas rationes eam ad hoc mouentes.

Et hinc etiam fit, quod licet eiuſmodi 15
patronatus non poſſit laicis ſine Eccleſiæ voluntate & auctoritate, obtingere, tamen non pro arbitratu & citra neceſſitatem aut propter commune bonum Eccleſiæ, debeat ius illud auferre vel mutare aut circa illud diſponere in præiudicium patroni: quia quæ ex contractu aut quaſi contractu & præſertim oneroſo conceſſit, non poteſt nec debet Eccleſia citra neceſſitatem mutare: & contrarium facere eſſet contra grauitatem & conſtantiam Eccleſiæ atque adeo eſſet alienare fideles ab impendendis Eccleſię obſequijs, ſumptibus, & fauoribus. Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 9. Euerardi Conſil. 58. n. 15. & 16. Innocent. ad Cap. Innotuit de elect. mandoſ. ad 16. Regul. Cancell. q. 7. num. 6. & alij.

His addo, quod etiamſi in literis Collationis expreſsè addatur hæc clauſula derogatoria, Non obſtante quod beneficium ſit patronatus laici, tamen per hoc non cenſeatur derogari iuri patronatus Regum, Ducum, aut Marchionum, ſi forſitan tales ſint patroni illius beneficij, quia vt ipſis derogetur, debet id ipſum exprimi iuxta Regulam Cancell. 41.

Imò etiam in caſu, quo in literis deroga- 16
retur expreſsè iuri Imperatoris, Regis aut Principis ius Regale habentis (qualem Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. cum Regibus æquiparat) exiſtimari merito poſſet id per ſub & obreptio-

Digitized by Google

obreptionem à Sanctiſſimo extortum aut obtentum, quas non infrequenter primarij tum Eccleſiæ tū Reipub. Rectores & Principes multis grauioribus diſtracti, pati per ambientium artem & importunitatem ſolent.

Cuius rei argumentum eſſe in primis poteſt, quod hoc foret vti poteſtate abſolutâ, quia ſecundum ordinariam ſiue ſpectando Canones, ſiue Regulas Cancellariæ, ſiue ſtylum Curiæ non ſolet iuri talium perſonarum derogare, atqui non conſueuit nec debet Pontifex vti poteſtate abſolutâ in præiudicium talium perſonarum, niſi magna Eccleſiæ vniuerſalis neceſſitas, aut vtilitas id requireret: quæ proinde niſi ſimul exprimatur, videtur merito exiſtimandum, quod iſta derogatio ſit ſub & obreptitiè obtenta, vt v. g. forſitan Sanctiſſimo perſuadendo per interuentionem familiarium, quod ipſi obſequia patrono præſtiterint, quod ei ſint accepti &c. quodque haud dubiè Sanctiſſimus rem non ingratam patrono Principi præſtabit, ſi eis conferat: quodque patronus facilè ratam & gratam collationem habebit, & ſic per importunitatem & aſtutiam extorſerint, quod petebant.

17 Petes, An beneficia ad patronum Laicum ſpectantia ſi vacauerint apud Sedem Apoſtolicam, ita à Cap. Licet ſup. cit. eximantur, vt non ſolū patronus nominare ſeu præſentare ad ea Clericos poſſit, ſed etiam ius inſtituendi ad locorum ordinarios pertineat. Reſpondetur; Auctor Gloſſæ in Reg. 40. Cancell. dicit nominationem quidem eſſe patronorum Laicorum, ſed Inſtitutionem Romano Pontifici reſeruari: Quod tamen Couarr. lib. quæſt. practic. cap. 36. num. 5. cenſet tantum locum habere in Epiſcopatibus, Abbatijs, & cæteris dignitatibus quæ Pontifici reſeruantur per 2. & 3. Regul. Cancell. at in beneficijs minoribus ad patronos Laicos pertinentibus, & ius nominandi ad ipſos patronos ſpectare, & ius inſtituendi ad locorum ordinarios: quod etiam Azorius parte 2. lib. 6. cap. 36. quæſt. 9. dicit eſſe probabilius, & vſu receptum.

18 Cæterùm Epiſcopus ſiue Ordinarius non poteſt derogare Iuri Patroni, ſiue Laici ſiue Eccleſiaſtici, vt docet Garcias parte 5. cap. 9. num. 231. cum alijs, ex Capit. Decernimus cauſa 16. quæſt. 7. Vnde ſi ſpreto patrono conferat beneficium, & patronus intra tempus ſibi de iure competens præſentet, omnino collatio euaneſcit, & in irritum reſoluitur: ſi tamen intra tempus neminem præſentauerit, nec ſe oppoſuerit, collatio manebit valida, quia ius conferendi ad ordinarium deuolutum eſt. Garcias ſuprà num. 232. cum multis quos citat: & addit ex Pute, idem habere locum in beneficio electiuo, vt non eligentibus ſeu non contradicentibus electoribus intra ſex menſes, prouiſio ordinarij valeat: & ſic refert tenuiſſe Rotam in vna Trident. Ratio autem eſt, quia nullitas ſiue ineſficacia collationis talis eſt inducta in fauorem patroni, atque adeò ita demùm eſt nulla, quando ille præſentare voluerit & iure ſuo frui. Hinc infert cum alijs Garcias nu. 239. quod patronus poſſit Eccleſiam ſeu beneficium cuius eſt patronus, recipere ab ipſo Epiſcopo, licet ſeipſum præſentare non poſſit, & aliàs ad Epiſcopum tantùm pertineat inſtitutio, non collatio. Legatus verò de latere ſiue Nuntius cum poteſtate legati de latere, poteſt derogare patronatui Eccleſiaſtico, ſed non Laicali, vt conſtat ex Cap. Cum dilectus De iure patroni: & Cap. Dilectus De officio delegati. Et docent ibidem Interpretes.

DVBIVM IV.

Vtrùm ſicuti Laicis competere poteſt, atque adeo pluribus competit ius præſentandi ad Eccleſias & Eccleſiaſticas dignitates & beneficia, ſic quoque competere poſſit ius conferendi, aut inſtituendi?

RESPONDEO & DICO Primò: Laici neque ex ſeculari ſua qualicumque poteſtate; neque ex Iure Canonico, quouis colore habent vllum ius aut facultatem conferendi, aut inſtituendi in Eccleſiaſtica beneficia, quantumcumque etiam Eccleſiarum Fundatores & Dotatores extiterint: imò planè illius iuris ſunt incapaces, ſic vt in ipſis principaliter, & vt ita dicamus, auctoritatiuè reſidere nequeat. 19 Ita communiter Doctores ad Capitulum Tranſmiſſæ, & Capitulum Præterea De iure patron. ad Capitulum Quiſquis, & Capitulum Sacroſancta, De electione &. ad Capitulum Meſſana 16. quæſt. 7. & ibidem Capitulo Si quis Clericus: quod ſic habet: Si quis Clericus vel Monachus vel Canonicus per Laicos Eccleſiam obtinuerit ſecundum Apoſtolorum Canones, & Antiocheni Concilium Decretum excommunicationi ſubiaceat. Ratio autem eſt, quia ius conferendi aut inſtituendi, abſolutè ius, & poteſtas ſpiritualis eſt;

quia beneficium per ſe & in recto eſt titulus, ſiue poteſtas perpetua obeundi ſacrum munus in Eccleſia Chriſti: Cuius poteſtatis proinde collatio eſſentialiter eſt dependens ab auctoritate ſpirituali, quæ in ſolis Eccleſiæ præpoſitis tanquam principalibus reſidet: quibus ſolis Chriſtus immediatè, aut mediatè illam contulit, quia non poſſunt facultates obeundi ſacra officia in Eccleſia dari, diſtribui, ordinari niſi ab illis, quos poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: ideoque ius conferendi illas, omninò eſt ſpirituale: non ſic ius præſentandi, quia præſentatio parat tantùm viam ad obtinendum beneficium, non autem dat beneficium: vnde ex præſentatione non accipit præſentatus ius aut poteſtatem exercendi aliquod officium ſacrum in Eccleſia: Iuris autem ſpiritualis Laicos incapaces eſſe extra controuerſiam eſt.

20 DICO Secundò: Ex priuilegio tamen Apoſtolico Sæculares ſiue Laici poſſunt ſuo modo tum beneficia conferre, tum Epiſcopos & Archiepiſcopos inueſtire, imò & Summum Pontificem eligere. Driedo l. 2. De lib. Chriſtiana c. 2. §. vlt. Azor. parte 2. lib. 6. cap. 4. in fine, & conſtat ex Cap. Adrianus d. 63. vbi Adrianus Papa cū vniuerſa Synodo 153. Epiſcoporum narratur eiuſmodi poteſtatē conceſſiſſe Carolo Magno: cui priuilegio renuntiauit religiosè filius dicti Caroli Ludouicus, Cap. Ludouicus, eâdem Diſt. Simile quid pòſt conceſſit Leo Ottoni primo Regi Teuthonicorum, eiuſque ſucceſſoribus Regni Italiæ, Capit. In Synodo, ead. d. Sed tempore Henrici IV. abrogauit ex iuſtis cauſis Greg. VII. Addit & Azorius parte 2. lib. 5. cap. 2. Imò etiam fœmina, inquit, ratione dignitatis vel muneris quod habet, obtinet ius in Clericos ſibi ſubiectos ob Capellas vel Oratoria, quia ipſi dignitati ſubduntur, in quibus Capellis poteſt Clericos inſtituere, illis beneficia conferre, & citat Gloſſam & Abbatem De maioritate & obed.

21 Sed petet aliquis, quomodo igitur Laici dicti ſunt eiuſmodi iuris ſpiritualis incapaces, cum modò dicantur poſſe exercere actus iuris illius.

Reſpondetur, Quia etiam in caſu priuilegij prætacti non eſt in ipſis poteſtas aliqua ſpiritualis aut ſpirituale ius, propriè loquendo, ſed ſunt tantummodo veluti animata inſtrumenta, aût quaſi internuntij quibus committitur executio actuum illius poteſtatis, ita vt quæ faciunt, agant non in virtute quę ipſis inſit, ſed in virtute & poteſtate eius qui eis commiſit exercitium ſuæ poteſtatis, ſiue per ſingulare mandatum, ſiue per aliquam conſtitutionem generalem, & ſuam in omnibus adiungit auctoritatem, atque ita quaſi applicant illi poteſtatē alterius ad opus, non autem vtuntur poteſtate ſpirituali, quæ eis inſit aut competat.

Hinc itaque quia ius collationis ac inſtitutionis eſt omnino ſpirituale, cuius Laici ſunt incapaces, fit quod iuxta vnanimem omnium Doctorum ſententiam, nullâ præſcriptione, vel vſu, etiā longiſſimi temporis, de cuius initio non extat memoria, acquiri validè poſſit: ſed vt actus eius à Laicis licitè & validè exerceatur, debet auctoritas Sedis Apoſtolicæ per priuilegium illis quaſi aſſiſtens concurrere, vt inſtrumentaliter actum exequantur.

Et quidē ſi fama & opinio fuerit de eiuſmodi priuilegio Apoſtolico, tunc ipſa immemorialis conſuetudo, ſi quæ fuerit, ſufficiens quædam probatio eſt priuilegij in cuius virtute illa conſuetudo inchoata & continuata creditur, vt docet Suarez in opere de virtute & ſtatu Relig. lib. 1. c. 27. ex Felino ad Cap. Cauſam De præſcript. n. 3. cum Cardin. ibidem Syluest. V. Decima quæſt. 10. qui &, refert Ioannem Andream in cap. 1. De præſcript. in 6. & in Cap. Super quibuſdam De Verb. Signif. dicentem, quando conſuetudo illa immemorialis introducta eſt cū opinione & fama quod ex conceſſione legitima petuntur tales decimæ à Laico tali & ab anteceſſoribus eius, tunc præſumi probatum priuilegium vel inueſtituram feudi debitâ auctoritate factam, quam doctrinam pluribus Suarez explicat & confirmat. 22

DVBIVM V.

Quibus modis acquirantur beneficia?

RESpondetur: Quatuor potiſſimum modis acquiruntur beneficia Eccleſiaſtica per ſe loquendo. Vno modo per præuiam præſentationem factam à patrono & per ſubſequam inſtitutionem ab Epiſcopo, vel ab alio qui ius inſtituendi habet factam. Alio modo per electionem præuiam & ſubſequam confirmationem. Tertiò, Per præuiam poſtulationem & confirmationem ſubſequam: quemadmodum enim inſtitutio ſpecialiter accepta præſupponit præſentationem, ita vt fiat beneficij collatio ad præſentationem patroni, ſic confirmatio præſupponit electionem, aut poſtulationem. 23

Differunt autem electio & poſtulatio, quod tunc dicatur electio quando communitas deſignat & expetit vnum de corpore ſuo ad prælaturam aut dignitatem: tunc verò poſtulatio, quando aduocat aut aſſumit aliquem aliunde, ex alia communitate vel corpore:

corporę: vbi nota quod vt poſtulatio ſubſiſtat, debent in poſtulatum conſentire duæ, tertię ipſius communitatis. Quartò acquiritur beneficium liberâ collatione, quæ neque præſentationem, neque electionem aut poſtulationem pręrequirit aut pręſupponit.

24 Præſentatio per patronum facta, ſimiliter electio & poſtulatio, non dant ius in re ad beneficium, ſed tantum ius ad rem; acquiritur autem ius in re per inſtitutionem, confirmationem, vel per liberam collationem; vnde regula prima de regulis iuris in 6. habet quod nullum beneficium liberè obtineri poſſit ſine canonica inſtitutione, vbi nomen inſtitutionis generaliter & latè accipitur, vti & aliàs aliquando, ſic vt comprehendat non tantum inſtitutionem ſpecialiter dictam, ſed etiam confirmationem, & collationem quam diximus liberam, ita vt regula excludat præſentationem, electionem, aut poſtulationem, quod ſcilicet per iſta nullum beneficiũ obtineri poſſit plenè & liberè ſine canonica inſtitutione. Hæc autem ſic latè accepta tam eſt neceſſaria, vt ſi ſine illa capiat electus beneficij poſſeſſionẽ, aut immiſceat ſe adminiſtrationi bonorum, habeatur ipſe tanquam intruſus & amittat ius quod per Canonicam electionem erat conſecutus, vt patet Capitulò Auaritiæ De electione in ſexto: quare confirmatio ſecuta non valebit niſi antea ius amiſſum ei reſtituiſſet Pontifex, vt tradit Rebuf. De intromiſſione in poſſeſſionem n. 8. 9. & ſequentibus.

Dixi, ſi electus &c. quia non videtur id extendendum ad illum qui poſt præſentationem patroni ante inſtitutionem adminiſtraret, quia lex pœnalis nõ eſt extendenda. Vnde cum Canon loquatur tantum de electione, non debet extendi ad præſentationem: valent autem actus præſentationis, electionis, collationis, ſi illi qui præſentant, qui eligunt, aut qui conferunt reſpectiue ſint in pacifica poſſeſſione exercendi tales actus vt pręſumi poſſit de iure eis competere etiã ſi forſitan alteri reuera ius competeret: de valore præſentationis talis colligitur ex Capitulo Conſultatio de iure patronatus: de validitate electionis, ſimiliter ex Capitulo Quærela de electione & electi poteſtate, denique de validitate collationis talis conſtat ex Capitulo Cum olim de cauſa poſſeſſionis & proprietatis. Plura de modis iſtis, quibus de beneficijs prouidetur & beneficia acquiruntur, videre licebit apud Lambertin. De iure patronatus 1. p. lib. 2. quæſt. 1. Peckium in Reg. Beneficium lib. 6. n. 12. Rebuff. in praxi tit. Quibus modis beneficia acquirantur n. 17. & Canoniſtas ad cap. 1. De poſtul. præl. & ad tit. De electione in Decretal.

DVBIVM VI.

Vtrùm aliquando liceat beneficium conferre non idoneo & indigno?

NOtat Mald. Tract. 9. cap. 2. dub. 6. 25 communiter diſtingui inter idoneum & inter dignũ, quod ſcilicet dicatur is idoneus qui habet doctrinam, induſtriam & alias qualitates ad exercitium muneris beneficio incumbentis neceſſarias. Dignus autem potiſſimum reputetur ex morum honeſtate, & probitate. Porrò Arrag. hac parte 3. quæſt. 63. art. 2. docet generaliter loquendo requiri quatuor conditiones in aliquo, vt ſit idoneus & dignus.

Prima eſt, inquit, habilitas ſeu capacitas iuridica, v. g. ætas legitima, clericatus, & alię qualitates ſeu conditiones quas ius poſitiuũ conſtituit neceſſarias in ordine ad beneficium: vnde etiam nominatur capacitas iuridica. Reſpectu autem diuerſorum beneficiorum ſunt etiam diuerſæ qualitates nęceſſariæ: vt in Epiſcopo requiritur, quod habeat triginta annos completos, quod ſit Doctor aut Licentiatus in Theologia, aut in Iure, vel ſaltem approbatus per aliquam vniuerſitatem: In Parocho requiritur, quod attigerit 25. annum, & ſic de alijs de quibus infrà magis in particulari, tractabimus.

Altera conditio eſt honeſtas morum, vt ſcilicet non ſit diſſolutæ vitæ, aut inhoneſtę conuerſationis, aut deditus luſibus, vel alijs actionibus quæ Clericum dedecent, ſed potius ſit ornatus virtutibus quas commendat Apoſtolus ad Titum cap. 1. ſic ſcribens, *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundam doctrinam eſt, fidelem ſermonem* &c. & tales quidem non tantum oportet Epiſcopos, ſed & Paſtores, & Sacerdotes eſſe ac Clericos ſecundum Ordinem ſuum.

Tertia eſt, Vt competentem habeat doctrinam & ſcientiam, earum ſcilicet rerum quæ ad officium incumbens beneficio ſpectant, ita vt debitè & prudenter poſſit illud exequi.

Quarta eſt induſtria rerum agendarum, per quam intelligit Arrag. tum prudentiam, tum animi vigorem, tum ſolicitudinem & curam, vt omnia debitè peragantur iuxta beneficij rationem & exigentiam. His præmiſſis

Digitized by Google

26 RESPONDEO & DICO Primò: Quando idoneus & dignus haberi poteſt ſecundum exigentiam officij incumbentis beneficio abſolutè nullo modo licebit illud conferre abſq; peccato mortali alicui inidoneo, multò minus illi qui & inidoneus, & indignus eſt. Ita docent Caiet. hic quæſt. 63. art. 2. & in ſumma V. Electio. Dom. Soto lib. 3. De iure & iuſtitia, qu. 6. art. 2. Arrag. ſuprà dicit id eſſe certiſſimum de beneficijs curatis, & probabiliſſimũ quoque de alijs: & ita communiter docent omnes de tali collatione.

Probatur autem ex Capitulo Graue nimis, De præbendis, quod eſt Alexandri III. ex generali Concilio Lateranenſi: Graue nimis eſt, inquit, & abſurdum quod quidam Eccleſiarum Prælati cum poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere, aſſumere non vereantur indignos, quibus neque morum honeſtas, neque litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non rationis iudicium. Habet autem id locum etiamſi ille qui indignus aut inidoneus eſt, vocaretur alioquin per ſtatuta fundationis, vel alio modo ad tale beneficium, vt benè cum Soto ſup. docet Nauarrus Miſcellaneo 38. De oratione, & Malderus Tract. 9. cap. 2. dub. 6.

Ratio reddi poteſt, quia euidenter eſt contra rectum rationis ordinem & contra virtutem religionis facere & dare poteſtatẽ miniſterij ſpiritualis alicui, qui ad illud non eſt ſufficiens & idoneus, illique hoc committere, aut certè ſi aliquo modo ſufficiens ſeu idoneus ſit, tamen eſt talis qui non poſſit dignè & cum ædificatione ſacrũ miniſterium tractare ideoque indignus: oportet enim Sacerdotes & miniſtros ſacrorum eſſe Sanctos, quoniam Dominus cui ſeruiunt, Sanctus eſt. Accedit quod ſimul incurratur peccatum acceptionis perſonarum, quatenus præeminentiæ, & prouentus annexi non diſtribuuntur ijs qui meriti & digni ſunt: ſed diſtribuuntur indignis.

27 Meritò itaque ſumma ratio eſt habenda circa delectum perſonarum quibus Eccleſiaſtica beneficia conferuntur; quia omnes pœnè hæreſes & alia mala Eccleſiæ inde orta ſunt, aut maximum inde ſumpſerunt incrementum, quod beneficia tum maiora, tum minora ſic in indignos fuerint collata, vt indicat Concil. Lateranenſe Capitulo Graue nimis iam citato; vnde quanta Eccleſiæ (inquit) damna proueniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Et verè metuendum eſt, quod multi valdè, Patroni & Prælati etiamſi aliàs vitæ priuatæ ſatis probatæ ſunt, tamen tanquam diſpenſatores infideles ſuper bonis familiæ Chriſti qui plus carni & ſanguini aut proprio affectui indulgeant, quàm cibũ in tempore oportuno familiæ dare procurent, ſortientur portionem & partem cum hypocritis, vbi erit fletus & ſtridor dentium iuxta verbum Chriſti, eò quod tam ſine diſcretione non attendentes ad bonum animarum, ſed quibus libuit gratificari volentes, malè de beneficijs diſpoſuerint.

Dixi in concluſione, quando idoneus & dignus poteſt haberi, quia ſi nõ repetiatur talis in præſenti aut propinquo, poterit ex Pontificis diſpenſatione beneficiũ conferri alicui qui ſaltem dignus ſit ſecundum rationem vitæ & probitatis morum, etiamſi non propriè idoneus ſit, modo ſpes & apparentia affulgeant quod ſe idoneũ reddet ad miniſterium beneficij exercendum. Ita docet Mald. ſup. & alij cum ipſo. An autem poſſit Pontifex in caſu defectus aliorũ diſpenſare, vt conferatur indigno ſiue homini non probatæ vitæ qui tamẽ ſperetur futurus dignus, magis dubitatur. Addit Mald. probabile eſſe etiam hoc aliquando licere, quando ſcilicet alioquin alij magis indigni aut hoſtes fidei beneficium ſunt occupaturi, & ita quoque docet Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 12.

Petes Primò, An alijs deficientibus conferre liceret beneficium illi qui vitæ eſt probatæ, ſed tamen non putatur vnquam futurus idoneus ad officium incumbens.

Reſpondetur, Si exiſtimetur quod reperiendi nõ ſint digni & idonei pro toto tempore quo hic beneficium obtinebit, non videri fore contra ius naturæ, ſi ex diſpenſatione, beneficium tali conferatur illo caſu: quando enim probus eſt, ſaltem exemplo & aliqualiter per alios poterit gregi prouidere, & officium ſibi incumbens exequi; ſi tamen putarentur alij futuri poſt tempus aliquod digni & idonei, non liceret inſtituere alterum.

Petes Secundò: Vtrum in caſu prædicto 28
liceret etiam aliquando præficere hominem improbum deſperatæ correctionis, quando ſaltem ne in ſpe quidem alius habetur probus?

Reſpondetur id ſimpliciter non licere, ſiue de beneficijs curatis, ſiue de alijs ſit ſermo. Colligitur ex D. Thom. in 4. diſtinctione 29. quæſt. 1. art. 3. Rationem indicat eo quod ſit diſpenſator infidelis qui talem indignum promouet. Neque vult id poſſe propter neceſſitatem excuſari, quia Deus ſiquidem ita Eccleſiæ ſuæ prouidebit, vt non ſint defuturi idonei & digni miniſtri, ſi habeatur ratio & ſollicitudo, vt digni promoueantur, & indigni repellantur: contingit enim maximè idcirco idoneos & dignos aliquando non haberi, quia in promotione non habetur reſpectus ad qualitates bonas prout in beneficijs cõferendis haberi debet: inde enim fit quod pauciores laborẽt ſe idoneos & dignos reddere: ſed magis ſtudeant pecunijs & alijs indebitis modis fauores.

Præla-

Digitized by Google

Prælatorum acquirere, quos vident tantum ex affectu carnali beneficia conferre abſque reſpectu ad doctrinam & virtutes. Accedit melius eſſe, quod pauci ſint boni & probati miniſtri Eccleſiæ, quam adiunctis improbis, etiam hos à fructu impediri: ſcandaloſa enim Clericorum vita & conuerſatio faciunt homines à fide & ipſa religione alienari ſic, vt ne probi quidem miniſtri poſſint apud eos proficere, vnde B. Clemēs, vt refertur diſt. 23. Cap. Tales, benè monuit quatenus tales ad miniſteriū eligantur Clerici qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare, melius eſt enim domini Sacerdoti, inquit paucos habere miniſtros qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles qui onus graue ordinatori adducunt. Vide Turrecremata ad citatum iam Capitulum.

29 Dico Secundò: Vt collator in conſcientia ſit ſecurus, non tantum requiritur vt neſciat eum cui confert beneficium, eſſe indignum aut inidoneum, ſed etiam debet poſitiuè ſcire illum eſſe dignum & idoneum. Ita docet Adrianus in 4. Tract. De reſtitutione qu. De diſpenſatione beneficiorum, & cum illo Leſſius ſup. Et ratio eſt, quia ex officio obligatur curare quantum in ſe eſt, vt beneficia conferantur dignis: ergo debet eſſe informatus, vt poſſit poſitiue iudicare illum eſſe dignum cui beneficium confert, quod tamen intellige non de ſcientia abſolutè certa, ſed ſaltem de probabili iudicio quod pro magnitudine negotij magis aut minus certum eſſe debet.

Idem dicendum eſt de patronis qui ius habent præſentandi; grauiter enim delinquunt ſi prę́ſentauerint aliquē de cuius vitâ, doctrinâ & moribus nō ſatis ſunt informati, vt poſſint meritò exiſtimare eum idoneum & dignum, vt colligi poteſt ex Cap. Graue nimis ſup. allegato: quia tales patroni ſunt alioquin cauſa, quare beneficia conferantur indignis cum magno Eccleſiæ detrimento: nam collator ſiue qui inſtituendi ius habet; non poteſt præſentatum repellere, niſi quaſi euidens omnino ſit eum eſſe indignū, quod frequenter difficile eſt oſtendere. Patet ex Cap. Decernimus cauſa 16. q. 7. Cap. Paſtoralis De iure patronatus: & ex alijs Canonibus. Deinde contingit, quod qui inſtituere debent, nō audeant aliquando rem diligentius excutere, præſertim quando patroni ſunt Principes ſæculares, quamuis per hoc non excuſentur ſi de indignitate aut inidoneitate præſentati conſtet, aut facilè conſtare & oſtendi poſſit.

31 Petes, vtrùm collatio facta non idoneo ſit ipſo iure nulla? Reſpondetur, Abbas ad Cap. In cunctis & Cap. Super eo. n. 5. De electione docet collationem factam non idoneo ſcientiâ, moribus & ætate, v. g. homini criminoſo & infami eſſe ipſo iure nullam, & poteſtatem prouidendi illâ vice deuolui ad alium: quod etiam tradit ad Cap. Graue nimis De preb. & alij plures cum illo. Sed Garcias tom. 2. p. 7. c. 8. n. 63. dicit doctrinam illam non omnino eſſe veram: ſed tunc ſolum, quando electio, collatio, ſeu prouiſio facta eſt alicui qui infamis eſt crimine aliquo inducente irregularitatem, quia non eſt textus, inquit, qui conuinçat nullitatem dictæ prouiſionis: nam, eſto crimen in quo quis eſt conſtitutus, inducat priuationem beneficij ſiue per ſententiam ſiue etiam ipſo iure, & ideo non debeat ad alia admitti aut promoueri quibus iterum promoueretur, tamen non inde infertur (inquit Garcias) eſſe inhabilem ad obtinendum ſiue conſequendū, ita vt prouiſio ſit nulla. Vide hæc latiùs tractata apud Auctores citatos.

DVBIVM VII.

Vtrùm liceat beneficium digno conferre prætermiſſis dignioribus?

Loquimur hic iam de digno, non vt contra idoneum diſtinguitur, ſed vt complectitur tam ea quæ ad idoneitatem, quam ad dignitatem requiruntur: idque conformiter ſatis ad Capit. Cum in cunctis De electione, & ſic rationem digni ſpectando dixit, D. Tho. rectè quodlib. 6. art. 9. & poſt eum Couar. ad regulam peccatum 2. p. §. 7. n. 4. digniorem hic non eſſe qui ſimpliciter melior eſt & doctior, ſed cuius ſanctitas & doctrina vtilior eſt futura. 31

Respondeo itaque & Dico Primò: Præſentatores, eligentes, & collatores obligantur quantum in ipſis eſt curare, vt ad beneficia promoueantur digniſſimi, quatenus id reſpectiuè ſpectat ad liberam illorum diſpoſitionem. Ita tenent DD. communiter D. Thom. quæſt. 63. art. 2. ad 3. Vt electio, inquit, nō poſſit impugnari in foro iudiciali ſufficit quidem eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam, ſed ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt (inquit) eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: & eodem art. ad 1, dicit Prælatum cæteris paribus poſſe conferre beneficium conſanguineis, non autem ſi alij ſint magis idonei, idem docet quæſt. 185. artic. 3. & cum eo Ioannes Maior in 4. diſtinct. 24. quæſt. 3. Liranus ad illud Chriſti apud Ioannem 21. *Simon Ioannis diligis me plus his*. Antoninus parte 2. titulo 1. cap. 20. §. 1. Nauarrus in Capitulum Si quando De reſcriptis exceptione 16. nu. 10. Caiet. V. Acceptio

perſonarum: Adrianus ſup. Angelus V. Electio n. 20. & 21. Soto lib.3. quæſt.6. art.2. Vaſquez in Opuſc. De Beneficijs cap.2.§.3. dub.1. Accedunt & multi Iureconſulti quos refert & ſequitur Couar. loco antè citato.

Probatur autem Primò ex Capit. Vnico: Vt Eccleſiæ beneficia ſine diminutione cõferantur: vbi ſic loquitur Pontifex Innocentius III. Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officium in perſonam magis dignam diſpenſare.

Probatur Secundò, ex ſanctis Patribus, D. Hieronymus in caput 1. epiſtolæ ad Titum ſic ſcribit: Nunc cernimus plurimos hanc rem (ſcilicet electionem aut collationem) beneficium facere, vt non quærant eos qui poſſint plus Eccleſiæ Dei prodeſſe, ſed quos ipſi amant, vel quorum obſequijs ipſi ſunt deliniti: D. Chryſoſtomus lib.5. De ſacerdotio non longè antè medium: Equidẽ (inquit) non aliunde opinor tam multas in Eccleſia turbas naſci, quàm ex Epiſcoporum & antiſtitum electionibus caſu potius & temerè, quam diligenter & accuratè factis, nam Caput valentiſſimum eſſe oportet: D. Auguſt. epiſtola 25. non longè à fine: Quis ferat (inquit) diuitem ad honoris ſedem Eccleſiæ eligi contempto paupere, inſtructiore & ſanctiore. Idem docent D. Leo epiſtola 84. cap.9. & D. Bernardus lib.4. De conſideratione ad Eugenium, & in illud Euangelij, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Probari poteſt Tertiò ratione, quia beneficia ſunt primario inſtituta ad Dei cultum & Eccleſiæ vtilitatem ac populi ædificationem: atqui contra hos fines eſt digniores prætermittere, & humano aliquo affectu minus dignos aſſumere: ergò in eo delinquitur.

32 Dico Secundò: Præſentatores, electores, & collatores tenentur ſub peccato mortali, quantum in ipſis eſt, ad beneficia habentia curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Eccleſia promonere magis dignos, quatenus in eorum libera diſpoſitione id reſpectiuè ſitum eſt. Magis autem dignum hic intelligimus, qui vtcumque notabiliter aliũ excedit, nam ſi exiguus tantum aut dubius eſſet exceſſus, non erit peccatum mortale aliter facere.

Tenetur concluſio communiter, Gloſſa in cap. 2. Iacobi quæ ex epiſtola 29. Auguſtini eſt deſumpta. Dom. Soto loco ſup. cit. Arragonius 2.2. quæſt.63. art.2.§. Hoc conſtitutio. Mald. ſup. dub. 7. propoſitione 11. & ſignificant alij ſuprà citati.

Probari autem poteſt Primò ex graui reprehenſione, quã Sacri Canones & Patres iam allegati inuehuntur in eos qui digniores prætermittunt.

Idem docet ſatis clarè Concil. Trident. ſſ. 24. cap. 1. De reformatione, vbi monet omnes & ſingulos qui ad præficiendorum Paſtorum Eccleſiæ promotionem quodcumque ius habent, vt meminerint quantum Eccleſiæ interſit habere idoneos & dignos Paſtores, & addit, eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare niſi quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, non precibus vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint: & quamuis Concil. ibi loquatur potiſſimum de Epiſcopatibus, tamen ſimiliter ſentire quoque de parochijs colligitur ſatis ex cap.18. eiuſdem ſeſſionis, vbi tam ſolicitè etiam & grauiter præſcribit & præcipit ſeruandi modos in prouidendis Eccleſijs parochialibus de Paſtoribus inter alios dignioribus. Habent eadem quoque locum in alijs beneficijs maioris momenti, vt præter Epiſcopatum & Parochias, ſunt etiam Archidiaconatus, Decanatus, Præpoſitura cum iuriſdictione, Canonicatus affectus onere docendi, concionandi, vel confeſſiones audiendi: item Abbatia, Prioratus, & ſimilia.

Ratio autem videtur euidens, quia qui digniorem omittit, peccat contra fidelitatem quam Chriſto & Eccleſiæ ex officio debet iuxta illud Chriſti Lucæ cap.12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram*: idque in re magni admodum momenti, vt per ſe conſtat, & ſancti Patres multum exaggerant.

Quare locum habent ea quæ diximus, etiamſi præſentatores, electores, vel collatores quatenus liberè procedunt, ſint Principes ſæculares, Epiſcopi, aut ſummi Pontifices: non enim ſunt beneficiorum Domini, ſed diſpenſatores: vnde vt munus illa diſpenſandi, fideliter obeant in re tanti momenti, meritò cenſentur obligati ſub peccato mortali; quia totum pœnè Eccleſiæ bonum quoad fidem, & diſciplinam, & mores dependet ex ſincera & prudenti miniſtrorum electione & aſſumptione: niſi autem quiſque quantum ad ſe ſpectat, laboret promouere maximè dignos, periculum eſt, ne obrepant etiam qui idonei non ſunt: tam multa enim requiruntur in bono Paſtore, vt ſæpius etiam illi qui multùm videntur idonei, reperiantur parùm apti aut vtiles: ſtudioſiſſimè itaq; laborandum eſt, vt Eccleſiæ de maximè idoneis miniſtris prouideatur.

Dico Tertiò: Etiamſi functio beneficij 33
alicuius nõ ſit tam grauis mom̃eti in ordine ad Eccleſiæ regimen, tamen multi DD. non improbabiliter docent eſſe peccatum mortiferum, prætermittere digniorem qui ſe offert, & dare notabiliter minus digno, etſi ſuo modo dignus ſit. Ita Couar. ſup. Michaël Salonius quæſt. 63. artic. 2. & alij plures.

Probari

Digitized by Google

Probari poteſt, Quia omnes beneficiati ſunt Eccleſiæ miniſtri : nullum autem miniſterium Clericale Eccleſiæ eſt pro paruo habendum. Deinde, quia plurimum intereſt, vt Eccleſia habeat Sacerdotes, Canonicos, & alios ſuos miniſtros qui inſigniti ſint pietate, & doctrina inſtructi, quique populo præluceant vitæ exemplo, & tempori ac loco etiam verbo valeant inſtruere.

In his tamen ſine vitio acceptionis perſonarum poterit pauper Clericus dignus & idoneus præferri diuiti etſi magis qualificato, modò paupertatis ratio adæquet exceſſum illum dignitatis aut idonitatis in alijs qualitatibus. Ita Malderus ſup. dub.7. cum Lambertino lib.2.parte 3. De iure patronatus quæſt. 5. art. 2.

Ratio reddi poteſt, Quia beneficia ſunt etiam inſtituta ad ſuſtentationem Clericorum, qui dignè miniſtrant, quare paupertas ſiue indigentia huius tranſit quoque in partem cauſæ, quæ ſpectanda eſt in collatione beneficiorum, & ſic collatio iſta purgatur à vitio acceptionis perſonæ: hinc cæteris paribus Clericus indigens erit præferendus alteri, cui de honeſta ſuſtentatione ſufficienter eſt prouiſum: Addunt tamen aliqui, niſi forſitan promotio ditioris ſit Eccleſię futura magis vtilis, aut quaſi neceſſaria, quatenus putatur ſuis medijs Eccleſiam alioquin tenuiter dotatã, amplius dotaturus, vel onera ſeu debita Eccleſiæ exoluturus. Verùm contingit frequenter qui eo intuitu ditiores præferunt, ædificare ſuper arenam, non ſuper petram, cum ſatis ordinariè pauperiores ex patrimonio, poſtmodum melius faciant Eccleſiæ, quàm opulentiores.

34 Dixi in concluſione, Multos non improbabiliter ita ſentire; quia ſunt etiam qui dicunt beneficium ſimplex minoris momenti conferre digno, præterito digniori eſſe veniale tantum: quemadmodum enim in alijs materijs ex imperfectione actus, aut ex paruitate ipſius materiæ contingit dari peccatum veniale, ita etiam hîc fieri in tali collatione. Ita docet Mald. dub. 7. cum Salonio quæſt. 63. art. 2. controuerſia 3. Dom. Soto ſup. & Arragonio, qui addit, Quando ſaltem beneficium non confertur per concurſum.

Cæterùm præter illa quæ circa ſecundam concluſionem indicauimus eſſe habenda tanquam beneficia maioris momenti, inſuper reponit cum eis Nauarrus miſſellanio 38. De oratione, etiam hæc quæ habent annexum ius præſentandi ad beneficia curata, vel ea conferendi, vt ſunt aliquando præpoſituræ quamuis ſine iuriſdictione, vel habent ius ſuffragij in alijs Eccleſiæ miniſtris eligendis, quia hęc magni ponderis ſunt pro bono Eccleſiæ.

Dico Quartò : Collatio digno facta prætermiſſo digniori valida eſt, etſi illicitè fuerit facta: atque adeò ſic promotus non tenetur beneficium dimittere. Ita D. Thom. hic quæſt. 63. art. 2. ad 3. Arragon. ſup. & alij communiter, vt refert Mald.

Ratio in eo fundatur, quia quemadmodum pro bono & vtilitate Eccleſiæ eligendus & aſſumendus eſt maximè dignus, ita pro tranquillitate & pace eiuſdem meritò cenſetur acceptandus ille dignus qui eſt electus, etiamſi dignior fuerit prætermiſſus, eiuſque electio rata habenda eſt, quia alioquin omnia in Eccleſia nimis perturbanda forent contentionibus & litibus.

Accedit quod frequenter non ita ſit liquidum, quis Eccleſiæ huic vel illi ſit futurus vtilior & conuenientior. Nam dotes perſonarum aliquando multum latent, & magis adhuc incertum, quale ſit futurum eorum ſtudium & quanta diligentia, vtrùm ſuis commodis, an Eccleſiæ inuigilabunt magis? & ſi Eccleſiæ, an ſaluti animarum, an augendis Eccleſiæ bonis temporalibus: quales licet hoc tempore videantur ordinariè haberi tanquam primo loco digni, quando de promotione agitur, forſitan tamen diuino iudicio vix merebuntur habere ſecundum, maius enim Deo & Eccleſiæ præſtarent obſequium, ſi mediocri ſufficientiâ pro ſe & ſuis miniſtris aut ſucceſſoribus cõtenti, deſtribuerent ſuper excreſcentia in præſentes neceſſitates, puta in alendos pauperes, in veſtiendos nudos, in redimendos captiuos, quàm quod in augmentum peculij & prouentuum ſine termino ea conferant.

Addidi in concluſione prima & ſecunda 36
ante poſitis (quod etiam in tertia intelligitur) præſentatores, electores, collatores obligari &c. quatenus hoc in eorum libera poteſtate ſitum eſt: idque propter diuerſos caſus in quibus libertatem non habent.

Nam imprimis quod ad collatores attinet, qui tantum habent ius inſtituendi præſentatum, non peccant inſtituendo dignum, etiamſi nouerint præteritos eſſe digniores; cum enim ipſorum tantũ ſit inſtituere præſentatum, eodem modo ſe habent eo caſu ac ſi vnicus ille eſſet idoneus, quando vnus tantum eis præſentatur: quia illum inſtituere tenentur, & non alium. Eſt communis hæc doctrina Caietani V. Beneficium, Couarruuias loco citato, Vaſquez in Opuſc. De beneficijs cap. 2. §. 3. dub. 6. Malderi ſup. & aliorum, & colligitur ex Cap. Monaſterium 6. quæſt. 3.

Eadem erit ratio ſi v. g. tres ſint patroni eiuſdem beneficij concurrentes æquali iure ad præſentandum & vnus det ſuffragium alicui digniori, & alij duo dent vni digno tantum; iuſti tuendus enim erit dignus omiſſo digniori, vt poteſt colligi ex Capitulo Quoniam, De iure patronatus, adhibita

ſimul Gloſsâ. Excipiendam tamen hic volunt multi Eccleſiam parochialem propter conſtitutionem Concilij Tridentini ſſ. 24. cap. 18. ſuprà allegatam: verùm quandoquidem Concil. non committat facultatem inter examinatos & idoneos repertos eligendi digniorem collatori qui inſtituendi ius habet, ſed committit & mandat patrono vt quem ex omnibus iudicat digniorem, teneatur illum præſentare Epiſcopo, ſi hic ius inſtituendi habeat, aut mandat Epiſcopo, vt ipſe eligat digniorem, caſu quo alius ab Epiſcopo ius inſtituendi habet, quem patronus debeat præſentare inſtituendum ſi Eccleſiaſticus ſit, hinc non apparet quomodo collator ſiue qui ius inſtituendi habet, poſſit Eccleſiam conferre alteri, quàm illi quem patronus tanquam inter examinatos, habitum à ſe vel ab Epiſcopo digniorem, præſentat, quamuis collator forſitan alium iudicauerit digniorem.

Secundò, Contingit quædam beneficia ex ſua fundatione eſſe adſtricta oriundis ex certis familijs, aut oppidis: vnde non eſt in patroni aut collatoris libera poteſtate, quemcumque digniſſimum ad tale aliquod beneficium promouere: quare officio ſuo ſatisfacient ſi promoueant digniſſimum ex ex eis qui talis beneficij ſunt capaces iuxta fundationem, modò tamen verè dignus ſit, ita Conarr. ad regulam peccatum parte 2. §.7. Rebellus lib.3. qu. 4. & cum eo Mald. ſup. Vaſquez ſup. De beneficijs cap. 2. §.3. dub. 4. & alij. Indulget autem Eccleſia hoc aliquando vt ſic homines ſæculares magis ad augendum diuinum cultũ pro populi commoditate & ſalute excitentur, quia melius eſt quod habeantur plures miniſtri Eccleſiæ digni qui ſacrificijs & precibus pro populo apud Deum intercedant & cum quibus populus ſimul oret & ſacrificijs eorum interſit, licet non ſint digniſſimi, quàm quod Eccleſia illâ commoditate careat.

37 Dom. Soto tamen ſup. tenet beneficium curatum non poſſe ſic per fundationem adſtringi, quin ſimpliciter dignior ſit aſſumendus qui etiam aliundè ſe fortè obtulerit. Nihilominus probabile exiſtimo, ita in propoſito caſu, vt diximus, aliquando fieri poſſe etiam in beneficio curato: vt ſi v. g. patronus aliquis ex ſuis patrimonialibus fundet parochiam in loco vbi eſt notabilis populus qui eſt ſine Paſtore, aut tam longè diſtans à Paſtore, vt hic vix poſſit eis miniſtrare: nec appareant alia media aut ratio, quibus populo de Paſtore prouidebitur, non videtur iniquum aut omnino inordinatum, quod tum de conſenſu Superiorum, Eccleſiæ fundator adſtringat beneficium illud ad aliquẽ ex ſuis conciuibus aut ex ſua familia, quando aliquis verè & abſolutè idoneus & dignus inter eos reperitur, etiamſi aliundè poſſit haberi dignior; quia talis fundator & Eccleſię & populo rem ſimpliciter vtilem præſtat; eſtque his melius, quod ita ſit eis prouiſum de Paſtore digno ſaltem, quàm quod maneret populus Paſtore deſtitutus, licet interim perfectius opus charitatis patronus exerceret, ſi collatori poteſtatem relinqueret ſimpliciter digniſſimum promouendi.

Tertiò, Sunt antiqui Canones qui conſtituunt, vt vacantibus Eccleſijs eligatur ex Presbyteris, ſiue ex Clero Eccleſiæ vacantis optimus & digniſſimus, & ille ordinetur aut inſtituatur in Rectorem aut Paſtorem Eccleſiæ, vt Capitulo Metropolitano, diſt. 63. mandatur vt Metropolitano defuncto conueniant Prouinciales & ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ vel Diaconibus optimus ordinetur: Capitulo Nullus diſt. 61. dicitur, Nullus inuitis detur Epiſcopis, tunc alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clero cuius eſt Epiſcopus ordinandus (quod euenire non credimus) nullus dignus poterit reperiri; Primùm enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Eccleſijs meritò præferantur: habeat vnuſquiſque (inquit Canon ſuum fructum militiæ in Eccleſia in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: in aliena ſtipendia, alius non obrepat. Similia habentur Capitulo Obitum, citata diſtinct. 63.

Præter rationem autem quam indicat Capitulum Nullus, accedit etiam hæc ob quam ſic rectè videantur iſta conſtituta, puta quia illi qui ex eadem Eccleſiâ promouentur, ſoleant ordinariè communitati cleri, ac populi eſſe magis accepti, vnde ſit quod promptius eorum iuſſis obtemperent, aut directioni ſeſe accommodent: quod plurimùm facit ad tranquillum regimen, & pacem Eccleſiæ, ac ſimul ad ædificationem populi: quo nomine proinde contingit hos quoque frequenter eſſe vtiliores Eccleſijs quam extranei, etiamſi per ſe loquendo qualitatibus maioribus & perfectioribus eſſent dotati.

Notat tamen Malderus huiuſmodi Canones rigidiùs adſtringentes electores, aut 38 collatores ad aſſumendum aliquem ex Clericis eiuſdem Eccleſiæ hoc tempore, ex parte exoleuiſſe: & fundamentũ aliquod ſumi potuit ex Capitulo Ad decorem De inſtitutionibus, vbi Innocentius III. iniungit legato ſuo, vt moneat Patriarcham Conſtantinopolitanum, vt promoueat viros literatos, & aliàs idoneos, vndecumque originem duxerint; non enim conuenire (dicit Pontifex) quod Sanctuarium Dei videatur hereditario iure poſſideri.

Ratio reddi poteſt: Quandoquidem enim commoditatem ſiue vtilitatem iam explicatam quæ oritur ex eo quod quiſpiam ex clero

Digitized by Google

clero eiuſdem Eccleſiæ inſtituatur, non ra-rò contingat nunc ſuperari maiori idonei-tate & excellentioribus qualitatibus Clerici aut Presbiteri extranei, qui etiam de Eccle-ſia Dei in communi benè ſit meriti, ideò non immeritò res illa videtur hodie pru-dentum iudicio eſſe commiſſa & relicta. Monet interim rectè Dominic. Soto lib. 3. De iure & iuſtitia quæſt. 6. art. 2. oportere etiam nunc propriorum Eccleſiæ Clerico-rum rationem habere: vnde Mald. ſup. do-cet non eſſe peccatum promouere ad bene-ficium, ſaltem minus Epiſcopatu, aliquem ex eadem Eccleſiâ dignum, quamuis noueris ex alia digniorem poſſe haberi; quod exiſti-mo verum, niſi alter dignior forſitan æquè aut magis à Clero Eccleſiæ & populo loci expeteretur; quia viderentur tunc ceſſare rationes, quæ aliàs poſſent iuſtè inclinare collatorem in Clericum ſuæ Eccleſiæ.

Quartò, Contingit plures habere ius ſuf-fragij in electione, & pauciores inclinari ad eligendum digniſſimum; quoſdam autem inclinari indignum, vel in minimè dignum; quoſdam verò in mediocriter dignum, tunc ſi ſpes nulla adſit, quod meo ſuffragio potero iuuare digniſſimum, & periculum concurrat, ne indignus obtineat niſi alteri digniori dem ſuffragium, licebit prætermiſ-ſo tunc digniſſimo (vtpotè cuius promotio habetur tanquam impoſſibilis) conferre ſuf-fragium digniori ſeu mediocriter digno, vt hac ratione indignus excludatur, qui alio-quin eſſet præualiturus; imò non ſolum li-cet, ſed etiā ad hoc quis obligatur, eò quod vnicum quaſi medium ſit, quo in munere ſuo conſulere poſſit neceſſitati Eccleſiæ, vt indignus remoueatur. Ita Salon. hic qu. 63. art. 2. controuerſia 4. & de hoc caſu ita ſcri-bit Soto lib. 3. quæſt. 6. art. 2. Hoc conſilium (inquit) ſequi debeo, etiamſi iureiurando me adſtrinxerim eligere digniorem; intelli-gitur namque iuramentum (ait) inter poſſi-biles, & approbat Vaſquez ſup. dub. 3. n. 67. Arrag. quæſt. 63. art. 2. & Mald. ſup. indicat communiter ſic ſentire DD.

Habebit idem locum ſi ſit neceſſarium ad remouendum minus dignum, vt promouea-tur dignior quando promotio digniſſimi eſt mihi impoſſibilis, quod etiam Doctores in-dicant locis citatis: quamuis Vaſquez dicat, quod tum poſſit quis præterire licitè digniſ-ſimum, non tamen ſit obligatio.

39 Quæret aliquis, Quid ſi obſeruet aliquis variari ſuffragia eligentium inter duos tan-tum, quorum vnus eſt digniſſimus, & alter dignus, aut dignior poſt iſtum, & videat quod ſuffragium ſuum non proderit di-gniſſimo; an tunc licitè poſſit ſuffragium cum alijs conferre in iſtum dignum?

Reſpondetur: regulariter eſſe peccatum dare ſuffragium digno & prætermittere di-gniorem, etiamſi aliquis probabiliter aut certò nouit dignum præualiturum contra digniorem: Colligi poteſt ex Capitulo Li-cet: quæſt. 1. cauſa 8. & ex Capitulo Metro-politano, iam antè citato.

Ratio reddi poteſt, quia quod in præce-denti caſu quis poſſit præterire digniſſimū, hoc tantùm fit, vt dum quis optimum pro Eccleſia non poteſt aſſequi, ſaltem vt tunc impediat maius malum, & Eccleſiæ proui-deatur de digniori contra indignos aut mi-nus dignos.

Ponit tamē hîc quaſi exceptionem vnam Mald. Tract. 9. cap. 2, dub. 7. concl. 8. quan-do ſcilicet collatio ſuffragij mei (digniori omiſſo, quia eum efficaciter promouere non valeo) facta digno eſſet habitura hunc bonum fructum, quod putaretur ex occa-ſione concordis electionis, felicius & vti-lius recturus nouiter electus, quaſi hoc in-tuitu licitum foret ſe alijs conformare in ſuffragio qui minus dignum eligunt: ſed vi-detur id parùm poſſe ad facilius regimen conducere: quamuis bene conducat, quod electione peractâ, omnes etiam illi qui di-gniori ſuffragium dederunt, pacificè ac-quieſcant electioni de perſona digna factæ, & huic reuerentiam deferant, non minus quam ſi ipſi quoque elegiſſent.

Quod autem digniori deferantur ſuffra-gia à melioribus, & melius Eccleſiæ negotia ponderantibus, videtur ſemper magnam habere rationem, nec carere vtilitate, quia ita ſæpius mouentur alij & recogitant ſe non æquos fuiſſe electores, & ipſe quoque electus per hoc continetur magis intra limi-tes modeſtiæ, ac denique ab illis ſeruatur di-gniori honor ſuus: quare niſi aliud incom-modum timeatur, debet eligens ſemper con-ferre ſuffragium in maximè digno. Ita fe-rè Dom. Soto ſup. vnde quod de iuramento ante dixit, intelligendum venit habere locū tantùm in caſu de quo ibi agitur.

Petes Secundò: Quid dicendum ſit de illo qui beneficium ſuum digno reſignat 40
prætermiſſo digniori, vtrum ille peccet? Supponendum hic eſt, non licere reſignare in aliquem indignum, quod eſt extra omnem controuerſiam.

Reſpondetur, itaque qui digno reſignat & digniorem omittit iuxta probabilem ſen-tentiam in eo non peccat, ſi reſignatio ſe-cundum iuris diſpoſitionem fiat: indicat Caiet. V. Beneficia quibus conferenda, & ſimiliter, inquit, cum renuntiatur beneficiū in fauorem alicuius, ſufficit collatori quod ille ſit dignus, quoniam æquitas præfert illum alijs tunc pro ſic vacante beneficio, in cuius ſignum nullus conqueritur, ait, quando per viam renuntiationis digno con-fertur beneficium quantumcumq; digniori conferendum fuiſſet, ſi aliâ viâ vacaſſet. Ita

docet

Digitized by Google

docet Salonius ſup. controuerſia 3. Maldetus ſuprà Concluſ. 12. Sa V. Beneficium, Arrag. hîc quæſt. 63. artic. 2. qui dicit eſſe communem & conformem praxi receptæ: quod etiam verba Caietani indicant. Vaſquez ſup. dub. 7. dicit eſſe probabile, quamuis videatur cum Dom. Soto propendere in alteram partem.

Ratio aſſignatur, quia cum hic reſignans non ſit ex officio diſtributor beneficiorum, ſi de iure permittatur reſignare in fauorem, poterit reſignare digno cui voluerit: neque hoc caſu eſt locus omnibus ad concurrendum tanquam ad bonum commune ex illius qui communitatis curam habet auctoritate conferendum, ſed pars alteri parti hic ius ſuum transfert. Vnde & conſequenter docent etiam collatorem tunc non peccare acquieſcendo & cooperando tali reſignationi, quod expreſsè docuit Caietanus loco citato.

Quandò tamen eſſet beneficium habens curam animarum exiſtimarem debere in digniorem qui ſeſe offert aut facilè haberi poteſt, reſignari, & ad illud ſaltem ex charitate omnino exiſtere obligatum reſignantem: quia maius bonum ſpirituale proximi videtur hic præferendum cuicumque alteri rationi quæ mouere nos poſſet ad illud reſignandum alteri minus digno etſi dignus ſit: imò tradunt aliqui collatorem non poſſe admittere niſi reſignatarius in concurſu deſignetur maximè idoneus, aut ſaltem æquè idoneus, ac alius quiſpiam qui ſe offert: quod ex Concil. Trident. colligunt: videtur tamen Concil. potiſſimum agere de parochijs vacantibus per obitum & liberę ſunt diſpoſitionis.

Notandum autem hic eſt, reſignationem ſeu repoſitionẽ beneficij ſine promutatione in fauorem tertij cum clauſulis, non aliter neque aliàs, ſcilicet niſi iſti tertio conferatur, non poſſe in manibus cuiuſcumque prę-lati inferioris Papa fieri, nec poſſe collatorem cum illa reſtrictione, ſaltem quaſi ligante, acceptare reſignationem. Verùm difficultatem hanc ex profeſſo examinabimus infrà cap. 4. dubio 13. De Simonia.

Notandum præterea, rectè Dominicum Soto ſup. in fine articuli, monere valdè eſſe cauendum, ne pueris beneficia præbeantur: nam etſi contingat, vt optimâ ſint indole, tamen neque ius Canonicum, neque naturale reputat eos dignos etiamſi non ſint incapaces; dignitas enim non ſpem, inquit, ſed rem dicit: atqui plurimum vſu venit, vt qui de ſe exiſtentes pueri fecerunt bonam ſpem, quam etiam ad vberam frugem perducerent ſi abſque beneficijs remanerent, tamen quàm primùm ditantur, ſuperbire ac ferocire incipiunt. Ita ille.

Contra dicta poteſt opponi: ſi patroni & collatores obligentur promouere maximè dignum, ergò non poſſet aliquis ſe ad beneficium offerre, neque illud acceptare, quando alius concurreret, aut ſe offerret quem exiſtimaret ſe digniorem, quia videretur velle cooperari peccato aliorum, aut eos ad illud inducere.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia ferre iudicium de maximè digno inter concurrentes non eſt ipſorum cocurrentium, quin potius horum ſit humiliter & modeſtè de ſe ipſis ſentire: ideoque & ſi quis ſuo iudicio præferat ſibi alterum tanquam digniorem, poterit tamen ſimul ſe offerre, & iudicium diſcretionis inter omnes relinquere illis quibus ex officio incumbit diiudicarę, & aſſumere digniſſimum: & quidem ſi aſſumatur, poterit beneficium acceptare; iudicium quod de ſe habebat ſubmittendo iudicibus ad hoc conſtitutis. Cauere tamen debet ne dolis, muneribus, aut importunis ſollicitationibus patronos aut collatores trahat ad ſibi fauendum & beneficium deferendum.

DVBIVM VIII.

Vtrùm quando quis pro ſua libertate ad beneficium promouit aliquem dignum, prætermiſſo digniori teneatur, tam ipſe promouens, quam promotus ad aliquam reſtitutionem, ſiue Eccleſiæ, ſiue ipſi digniori prætermiſſo?

RESPONDEO & DICO Primò: 41
Patroni, collatores, electores, qui promouent indignam ad beneficium, tenentur Eccleſię ad reparationem damnorum & incommodorum quæ inde ſuſtinet. Ita Dom. Soto lib. 4. De iuſt. quæſt. 6. artic. 3. ad 6. Couarr. ad Reg. peccatum p. 2. §. 7. num. 3. Mald. Tract. 9. cap. 2. dub. 8. & eſt communis doctrina, quia ex iuſtitia commutatiua obligantur Eccleſiæ prouidere, non tantùm de qualicumque, ſed de miniſtro ſaltẽ digno & idoneo: ad hoc enim ex officio & quaſi ex implicito pacto cum Eccleſia tenentur ſtricto iure; quia ſic & non aliter cenſetur Eccleſia eis committere vices ſuas, aut facere poteſtatem, quod & ipſi officium acceptando, cenſentur ſimul acceptare. Hinc itaque de damnis tenentur, quia ſunt cauſa damnorum, vt patet ex Capitulo Graue nimis, De præbendis, & ex Capitulo Ita quotieſcumque quæſt. 1. cauſa 1. quod deſumptum

Digitized by Google

ptum eſt ex Diuo Hieronymo in Micheam Prophetam.

42 DICO Secundò: Similiter etiam tenetur ipſe promotus indignus Eccleſiæ damna quæ intulit reſarcire, & fructus beneficij reſtituere & quidẽ primo loco: atque beneficium dimittere. Ita Malderus ſuprà, Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 15. n. 74. in fine.

Ratio prioris partis eſt, quia non præſtat officium debitum: hoc ipſo enim quo indignus eſt, non valet Eccleſiæ ſatisfacere, & proinde ad reparationem damnorum tenetur.

Poſterioris autem ratio redditur, quia collatio fuit irrita, vt colligitur ex Capitulo Nihil De electione, & ex Capitulo Tantis. Diſt. 81. vbi Pontifex Celeſtinus inter alia dicit, facilius eſt vt hanc dignitatem tali (ſcilicet indigno) dando ipſe amiſerit ordinator, quam obtineat eam ordinatus, id eſt, ipſe inſtitutus.

43 DICO Tertiò: Etſi Eccleſiæ de damnis tenentur promouentes indignum, & ipſe indignus promotus, nec hi tamen nec illi tenentur digniori præterito ſi extra oppoſitionem, vt multi loquuntur, ſiue ſi abſque indicto concurſu, beneficium ſit collatum: quod & magis habet locum, quando dignus aliquis eſt aſſumptus prætermiſſo digniori. Eſt contra Paludanum in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. 2. concluſione 4. Petrum Nauarra lib. 2. cap. 2. nu. 144. Caietanum hîc quæſt. 62. art. 2. & alios quoſdam.

Sed concluſionem tenent Adrianus in 4. De reſtitutione in quęſt. de beneficijs §. pro deciſione, Dominicus Soto lib. 4. De iuſtitia & iure qu. 6. art. 3. ad ſextum concluſione priori & poſteriori. Nauarrus cap. 17. n. 72. & 73. Couar. ad regulam peccatum 2. parte §. 7. num. 6. Salonius hîc quæſt. 63. artic. 4. controuerſia 3. Mald. ſup. & alij plures.

Ratio redditur, quia nihil ſtricto iure debebatur digniori qui prætermiſſus eſt, vtpotè qui non habebat ius vllum iuſtitiæ cõmutatiuę ad beneficium, ſed tantũ aliquod ius ſecundum formã iuſtitiæ merè diſtributiuæ, quod aliqui ius remiſſum vocant.

Neque ſufficiens eſt, vt inducat in alio obligationem alicuius reſtitutionis.

Sed contra opponet aliquis: D. Thom. hîc quæſt. 62. art. 1. ad 3. ſignificat etiam ex iniqua diſtributione teneri diſtributorem, ergò &c.

Reſpondetur: non dicit D. Thom. quod talis diſtributor teneatur ſemper, neque quod præcisè teneatur ratione diſtributionis talis, quin ſatis indicet id demum contingere, quando per iniquam diſtributionem ſimul læditur ius alicuius quod ei competit ſecundum iuſtitiam commutatiuam: quod non fit hic in diſtributione beneficiorum extra ſaltem concurſum: quia in ea non agitur ex propoſito vt bene ſit partibus ex bonis communitatis ſecundum proportionem & virtutem cuiuſque. Quemadmodum fit quando Imperatoris iuſſu diſtribuuntur donatiua præmia militibus: tunc enim cuilibet debetur præmium ſuæ virtuti correſpondens idque ex iuſtitia commutatiua: ſed in beneficiorum diſtributione hoc agitur, vt per membra Eccleſię benè ſeruiatur Deo & populo, vt ſcilicet habeatur Clericus aliquis qui exhibeat tale miniſterium cum maximo decore & fructu; vnde hic non interuenit caſus iuſtitiæ alicuius commutatiuæ in ordine ad illos ex quorum numero aſſumitur miniſter.

Dices, Eccleſia vult etiam vt in beneficiorum collatione habeatur ratio meritorum ac miniſteriorum ante præſtitorũ, & vt beneficia aliquo modo cedant in pręmium virtutis & meritorum, vt ex dictis dub. pręcedenti, & Capitulis ibidem allegatis, ſatis eſt colligere; ęrgò videtur quod digniores habeant aliquod ius etiam commutatiuæ iuſtitiæ ad beneficium, & proinde debeatur eis aliqua reſtitutio.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: 44
Etſi enim Eccleſia admittatur ſecundariò id etiam intendere, tamen hoc ipſum, iterum ſic fieri deſiderat propter reſpectum ad publicam vtilitatem, non per ſe propter ipſos miniſtros, quatenus videlicet, dum magis dignis & amplius promeritis prouidetur de bonis & honoribus in Eccleſia, fit quod plures animentur ad virtutẽ & ſcientiam; atque adeo ad omnes bonas qualitates ſibi comparandas quæ conueniunt, vt quam digniſſimè & cum maximo fructu Eccleſiæ; poſſint miniſtrare.

Hinc ergò contingit quod ſecundaria iſta intentio non transferat ius dignioris ad aliam ſpeciem iuſtitiæ, licet illud augeat in eadem ſpecie iuſtitiæ diſtributiuæ, quia tanquam acceſſoria transfertur ad naturam principalis intentionis, ad quam quaſi ſubordinatur ſolum, vnde de illis iudicandum eſt quaſi vna tantum eſſet intentio: propter hoc tamen argumentum videtur altera ſententia mihi ſatis probabilis.

DICO Quartò: Ad beneficium quod per concurſum ex vi alicuius legis, ſtatuti, aut fundationis confertur, ſi quis etiam dignum promoueat, prætermiſſo digniori tenebitur de hoc ipſi digniori. Ita Lopez priori parte cap. 127. Salonius hîc qu. 63. art. 2. controuerſia 3. Mald. ſup. cum alijs pluribus. Contrarium tamen indicat Nauarrus cap. 17. n. 74. vbi docet collatores aut ſuffragatores teneri quidem ad reſtitutionem ſi conferant alicui extra oppoſitionem ſeu concurſum qui ſe non obtulerit; non autem ſi vni digno ex concurrentibus, quamuis non digniſſimo.

Sed

Digitized by Google

Sed probatur concluſio: Quia hoc ipſo quo illi qui legitimam habent poteſtatem, ſic ordinarunt, & inſtituerunt, vt quando beneficium vacare contigerit, debeat indici concurſus, & per concurſum conferri, cenſentur inire implicitè pactum cum futuris concurrentibus & ſpondere beneficium digniſſimo qui ſe offerret, & conuocare concurrentes vt tali exſpectatione, & quaſi lege ſe ſiſtant, qui alioquin forſitan non erant compárituri: ergò cenſendum eſt quod eo caſu beneficium ſtricto iure ſit debitum digniſſimo inter concurrentes: & ipſi quoque collatores, aut ſuffragatores quando munus acceptant, cenſentur acceptare cum tali obligatione, vt digniſſimo conferant. Neque Eccleſia quæ talem concurſum inſtituit aut approbauit, cenſenda eſt illis ſuas vices aliter committere: ergò ſi beneficium non deferant digniſſimo, faciunt ei iniuriam propriè dictam defraudantes eū iure acquiſito, & per conſequens tenentur ei ad reſtitutionem.

Confirmatur, quia iuxta Nauarr. ſi extra numerum concurrentiū conferatur beneficium alteri non ſiſtenti ſe, debetur reſtitutio dignis concurrentibus, idque ideo ait, quia ſtatutum reſtringit ad concurrentes, vt ſcil. vni ex illis, & non alteri conferatur; atqui vt hic ſupponimus, idem ſtatutum reſtringere quoque ad digniſſimum ex concurrentibus: ergò tametſi conferatur digno alicui concurrenti, debebitur nihilominus reſtitutio digniori ex concurrentibus.

Neque enim vlla probabilis videtur poſſe adferri ratio, quare dicatur iniuria fieri digniſſimo concurrenti ſi ei præferatur aliquis non concurrens forſitan ipſo dignior, & nō fiat ei iniuria ſi præferatur aliquis quem ipſe in certamine ſuperauit.

Neque hæc tantum habent locum, quando ſic ex lege, ſtatuto, vel fundatione indicitur concurſus, ſed quotieſcumque publicatur ſimpliciter & abſolutè: ſemper enim cenſetur tunc adeſſe implicitum aut virtuale pactum prædictum cum offerentibus ſe ad concurſum, niſi expreſsè contrarium ſignificetur, quod ſcilicet collator libertatem ſibi ſeruet conferendi vni digno ex omnibus quem elegerit, vt ex Rebello docet Malderus ſuprà.

45 DICO Quintò: Non tenetur collator ne Eccleſiæ quidem qui promouit dignum, prætetito digniori. Ita Dom. Soto ſuprà, Malderus, Pet. Nauarra lib. 2. ſupra n. 175.

Rationem reddunt, quia licet Eccleſia intendat meritò habere digniorem, non tamen cenſetur ſtricto iure obligaſſe collatorem, ſed tantum ex fidelitate ad aſſumendum maximè dignum.

46 DICO Sextò: Dignus ad beneficium promotus extra formam concurſus, poſtpoſito digniori, non tenetur ad aliquam reſtitutionem, niſi vi, fraude, vel dolo impedierit digniorem. Ita Adrianus ſup. Soto lib. 4. quæſt. 6. art. 3. ad 6. Conar. ſup. n. 7. Mald. ſup. Leſſius dub. 15. n. 72. contra Caiet. hîc quæſt. 63. art. 2. dub. 3.

Probatur, quia neque Eccleſiæ tenetur, neque alteri digniori: ergò &c. Non Eccleſiæ, quia hoc ipſo quo dignus eſt, obtinet Eccleſia, quod quantum ad perſonam miniſtri attinet, illi de iure debetur, nam eo ipſo perſona miniſtri eſt par & ſufficiens præſtando officio. Vnde Eccleſiæ habere videtur, quod de ſtricto iure illi procurandum eſt: non etiam tenetur digniori, quia iuxta tertiam concluſionem, dignior non habebat aliquod ſtrictum ius iuſtitiæ ad beneficium, & proinde non eſt in iure ſuo læſus, vnde naſci poſſet obligatio reſtitutionis.

Addo, extra formam concurſus promotus; quia ſi in concurſu obtinuiſſet, tunc per iniquum iudicium ei eſſet adiudicatū, quod alteri de iure debebatur. Vnde & ſubreptitia cenſetur eius promotio per Concil. Trident. ſſ. 24. cap. 18. quare tunc digniori tenebitur. Addit Mald. digniorem præteritum poſſe appellare, & admittendam eſſe eius appellationem ad Summum Pontificem aut Metropolitanum, vel ſi primus collator ſit Metropolitanus ad Epiſcopum antiquiorem, quod ex Bulla quadam Pij V. refert docere Serola V. Parochia; ſed tamen non obſtante appellatione, prouiſionem interim eſſe mandandam executioni. Idem bis fuit declaratum in congregatione Card. vt refertur in declarationibus ad Cap. 18. Concil. ſeſſ. 24.

Obſeruandum autem quod dignus in concurſu promotus quamuis ipſe iudicaret alium ſe digniorem, qui in concurſu eſſet præteritus, non continuò obligari ad beneficium dimittendum: poterit enim retinere ſi probabiliter poſſit ſibi perſuadere collatorem, vel electores ab iniuſtitia excuſari propter aliquas rationes vel circumſtantias ipſis notas, propter quas iudicauerint eum Eccleſiæ futurum vtiliorem. Vide Azorium hac de re tom. 2. lib. 6. cap. 15.

Addidi etiam, Niſi vi, fraude, vel dolo fuerit promotus, & impedierit digniorem, quia tunc ex maleficio tenetur de damno alteri dato, ſiue de probabili illius damni æſtimatione iuxta ſpeciem & apparentiam quę ſuberant, quod dignior fuiſſet alioquin beneficium conſecuturus.

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM IX.

Vtrùm debeat quis eſſe legitimo thoro natus vt beneficij ſit capax?

47 RESPONDEO & DICO Primò: Quicumque illegitimo natus eſt thoro incapax eſt, non tantū Epiſcopatus & cuiuſuis alterius beneficij curam animarum habentis annexam, ſed etiam beneficij ſimplicis, niſi ſuper defectu natalium fuerit cum illo diſpenſatum. Eſt communis doctrina, vt videre eſt apud Garciam 7. parte cap. 2.

Prior pars conſtat ex Capitulo Per venerabilem: qui filij ſint legitimi, ex Capitulo Cum in cunctis, De electione, & Capitulo Nimis tua, De filijs presbyterorum.

Poſterior autem deducitur ex Capitulo Litteras, De filijs presbyterorum: ad quod accedit quod illegitimi prohibeantur ordinari Clerici Capitulo Vt filij, tit. eodem De filijs presbyterorum, & ſic indirectè ſaltem arcentur à quibuſlibet beneficijs.

Obſeruandum autem eſt, ſolum Pontificem diſpenſare cum illegitimo in ordine ad Epiſcopatum, aut curam animarum, vel ad dignitatem, vt perſonatum etiamſi iuriſdictionem non habeat annexam. Conſtat ex Cap. 1. De filijs presbyt. in 6. & Cap. fin. De filijs presbyt. extra. Ita vt Epiſcopus diſpenſare non poſſit etiam ſubexiſtente magna cauſa vtilitatis ſeu neceſſitatis Eccleſiæ ſecundum aliquos: quamuis etiam ſint qui tunc aliter ſentiant, vt videre eſt apud Garciam ſup. cap. 2. n. 51. & 52. In ordine autem ad beneficium ſimplex poteſt diſpenſare Epiſopus, vt patet ex 1. Cap. iam citato. Sub nomine autem beneficij ſimplicis indubitatè comprehēduntur hic etiā præbendæ Eccleſiarū collegiatarū. An verò poſſit diſpenſare Epiſcopus in ordine ad Canonicatū Eccleſ. cathedralis, nō ita certū eſt, affirmat Gloſſa ad Capitulum primū, De filijs preſbyterorum iam citatum cum Archidiacono, & multis alijs quos citat Garcias ſup. n. 57. Rebuffus è contra in praxi beneficiorum §. de diſpenſatione ſuper defectu natalitium, negat, & dicit ſtylum curiæ Romanæ ita ſeruare, quod omnino videtur rectius dici poſt Concil. ſaltem Tridentinum, in quo ſtatuitur, vt omnibus canonicatibus Eccleſię cathedralis ſit annexus ordo ſacer, ad quem non poteſt Epiſcopus habilitare illegitimum, vt patet ex allegato Capitulo 1. & fauet Capitulum Ad extirpandas, De filijs presbyterorum: & hanc ſententiam approbat Garcias cum Maiolo, & alijs quos citat num. 66. & ſequentibus.

DICO Secundò: Non poteſt tamen ex Epiſcopi diſpenſatione, illegitimus habere 48
beneficiūm etiam ſimplex vllum in Eccleſia vbi pater eſt præfectus, v. g. Epiſcopus, Decanus, Parochus. Conſtat ex Capitulo Ad præſentiam, Capitulo Cum decorum, & Capitulo ad abolendam, De filijs presbyterorum.

His addit Concil Trident. ſſ. 25. cap. 15. de reformatione quod illegitimi nō poſſint habere beneficium in illis Eccleſijs vbi parentes habent vel aliquando habuerunt qualecumque beneficium, ſiue magnum ſiue paruum, neque poſſint penſiones habere ſuper fructibus beneficiorum quæ parentes tenent, vel aliquando poſſederunt.

Item ſtatuit ibidē Conc. ne reciprocè reſignationes ſi fiant, vllę modo eis proſint.

Hæc autem ſtatuerunt Canones & Concilia, tum quia alioquin multa beneficia ad eiuſmodi illegitimam ſobolem, induſtriâ parentum transferrentur, tum quia fœdum eſt in eadem Eccleſiâ parentem & filium nothum reſidere, totique mundo incontinentiam paternam oſtentari, & quidem quaſi renumeratam in prole.

DICO Tertiò: Legitimi presbyterorum filij, v. g. quando parens ante Ordinem ſa- 49
crum ex legitimo matrimonio filios procreauit, poſſunt hi beneficium habere in Eccleſijs vbi parentes reſident, neque vlla indigent diſpenſatione: non tamen habere poſſunt illud ipſum, quod parens proximè habuit.

Prior pars habetur Capitulo Ad hæc, De filijs presbyterorum.

Poſterior patet ex Capitulo ex tranſmiſſa, & Capitulo Concurrente eodem, De filijs presbyterorum.

Ratio huius eſt, ne beneficia ſucceſſione hæreditaria videantur tranſmitti, quam ſpeciem ſucceſſionis in beneficijs habuerunt Canones ſemper exoſam, vt patet ex Conc. Trident. Seſſ. 25. cap. 7.

Dixi, non poſſe habere quod proximè habuit parens: quia ſi alius interceſſerit cenſebitur ſpecies illa hæreditariæ ſucceſſionis iam abſterſa, & proinde filius legitimus poterit illud habere. Similiter nihil vetat quo minus parens habere poſſit beneficium filij, quia hic quoque non militat apparentia hæreditariæ ſucceſſionis.

DVBIVM X.

Vtrùm requiratur Ordo aut Clericatus, vt quis obtinere poſſit beneficium?

RESPONDEO & DICO Primò: Iure Canonico nullus eſt habilis ad 50

beneficium Eccleſiaſticum, niſi ſit Clericus, ſiue tonſura Clericali inſignitus. Patet ex Capitulo Cum adeò, De reſcriptis, & ex Capitulo Secundo, De inſtitutionibus.

Obſeruandum autem eſt, tonſuram hanc conferri debere à proprio Epiſcopo, adeò vt ſi quis ab alio ſine litteris dimiſſorijs, vel Pontificis diſpenſatione tonſuram acceperit, non ſit beneficij capax, vt tradit Rebuffus ſuprà §. formula dimiſſoriarum, & colligitur ex Capitulo Illud, & Capitulo Si quis, diſtinctione 71. vbi dicitur ſi quis alienum ſine conſenſu proprij Epiſcopi ordinauerit, irrita ſit ordinatio: quod intellige quoad vſum & priuilegium ordinis ſuſcepti, non tamen quoad poteſtatem & caracterem.

Petes: Quid facto opus vt talis ſic tonſuratus reddatur capax beneficij? Reſpondetur, Gloſſa ad citatum Capitulum Illud, tradit ſufficere quod proprius Epiſcopus poſtea ratum habeat factum. Idem tenet Decius & alij nonnulli in Capitulum primum, De tempore ordinandorum in ſexto. Rebuffus autem loco ſuprà citato exiſtimat neceſſariam eſſe diſpenſationem Pontificis cum litteris quæ vocantur, Perinde valere. Diſputat verò Azorius tomo 1. lib. 8. cap. 2. vtrùm alicui qui cras eſt certò futurus Clericus, poſſit hodie beneficium conferri? Reſoluit autem rectè, & oſtendit non valituram collationem ſi non ſit de facto Clericus ille cui ſit collatio, & conſtat ſatis apertè ex Capitulo Ex litteris, De tranſactionibus.

Vnde notandum cum Panormitano ad Capitulum Cum in cunctis, De electione §. inferiora, inter qualitates quæ ad beneficium aut dignitatem obtinendam, requiruntur, aliquas requiri tantùm ſecundum aptitudinem: ſicuti presbyteratus ad paſtoratum; aliquas verò ſecundum actum, ſicuti Subdiaconatus ad Epiſcopatum, niſi ſcilicet intercedat diſpenſatio: quæ verò qualitates ſecundum aptitudinem tantum cenſeri debent requiri, & quæ ſecundum actum, intelligere oportet ex ipſis conſtitutionibus Pontificum aut Conciliorum quæ illas requirunt. Clericatus interim & ex verbis Canonum, & ex communi ſenſu Doctorum ſatis intelligitur requiri ſecundùm actum in ordine ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Imò & præſentatio de Laico facta in ordine ad beneficium, eſt nulla, quantumuis etiam proximè eſſet Clericandus, vt cum Lambert. & alijs docet Garcias tomo 2. parte 7. cap. 1. num. 35. & 31. Addit tamen, quod valitura ſit præſentatio, etiamſi præſentatus non eſſet Clericus quando litteræ præſentationis ſcribebantur, modò ſit Clericus antequam præſentatio fiat ſeu exhibeatur ordinario.

Petes: Quomodo probetur Clericatus? 51
Reſpondetur, Inprimis optimè probari litteris teſtimonialibus Epiſcopi, qui tonſurâ inſigniuit. Deinde etiam probari ſufficienter poteſt: vt ſumitur ex Capitulo 1. & 2. De Clerico peregrinante. Tertiò etiam per communem reputationem & famam, vt tradit cum multis Garcias ſuprà cap. 1. nu. 140. iuxta deciſionem Rotæ 4. & 14. De probation. in antiquis. Quartò probatur Clericatus etiam vnico teſte Bal. & Fel. in Capit. Licet vniuerſis, De teſtibus, & cum illis Garcias num. 154. & alij: rationem reddunt, quia iſte actus de ſe & ſui natura nemini principaliter præiudicat. Vnde, inquit Garcias, iſta probatio ſufficeret etiam in iudicio, quando lis eſſet ſuper beneficio: quia attenditur in eius probatione, initium & tempus ſuſceptæ tonſuræ, non beneficium de quo pòſt per accidens litigatur. Quintò iuxta Garciam & plurimos quos citat ad probationem Clericatus & minorũ ordinũ ſatis eſt probare & oſtendere litteras Ordinum maiorum, & dicit Bernard. Diaz cap. 24. litt. A. ſe non dubitare hanc opinionem eſſe communiter receptam. Solent tamen Prælati ordinariè requirere litteras Clericatus quando de conferendo beneficio agitur etiam ab ijs, de quibus ſatis conſtat quod ſint Sacerdotes.

Dico Secundò: Epiſcopatum adeptus 52
debet intra tres menſes Epiſcopus conſecrari, alioquin ad fructuum perceptorum reſtitutionem obligatur. Computatur autem trimeſtre hoc à die Confirmationis, vt tradit Syluest. V. Conſecratio 1. num. 3. cum Gloſſa ad Capitulum Quoniam quidam, Diſt. 75. & cum illis Mald. dub. 10. Si verò poſtmodum ad alios tres menſes ſe conſecrari non curauerit, Epiſcopatu priuatur ipſo iure. Statuit hæc Conc. Trident. Seſſ. 23. cap. 2. De reformatione: & vtinam tam accuratè obſeruaretur, quàm eſt rectè conſtitutum. Non tamen currit hoc tempus Prælato impedito, etiamſi per accuſationem, denunciationem, aut inquiſitionem contra illum inſtitutam injciatur impedimentum, vt docet Serola V. Conſecratio.

Dico Tertiò: Eccleſiam Parochialem adeptus tenetur ſuſcipere ordinem Sacerdotij intra annum: quod ſi intra hoc tempus non ſuſceperit, ipſo iure, nullâ etiam monitione præuiâ exiſtit priuatus Eccleſiâ quam obtinuerat. Conſtat ex Capitulo Licet Canon, & Capitulo Commiſſa, De electione in ſexto. Quod autem dicitur de Eccleſia Parochiali, hoc idem intelligunt Doctores locum habere in vicariâ perpetuâ alicuius Parochialis.

Obſeruan-

Digitized by Google

Obſeruandum hic Primò: inchoari annum hunc à tempore quo prouiſus pacificam poſſeſſionem habere cœpit, aut habere potuit, niſi per illum ſtetiſſet: patet, citato Capitulo commiſſa.

53 Obſeruandum Secundò, hunc annum non currere pro tempore quo iuſtum intercedit impedimentum: ſi enim ægrotauerit, vel Epiſcopus abſens fuerit vt ordinari non potuerit, vel ſi abſque ſua culpa inciderit in aliquam irregularitatem, ſuper quâ non potuit tam cito obtinere diſpenſationem, non cenſebitur priuatus, etiamſi intra dictum tempus non fuerit Sacerdos ordinatus. Colligitur ex citato Capitulo Commiſſa. Ratio autem reddi poteſt, quia hæc priuatio conſtituta eſt in pœnam negligentiæ, quia neglexit ſe qualificare ad munus ſuum obeundum, pœna autem locum non habet quando non ſubeſt culpa.

54 Obſeruandum Tertiò, tandem Eccleſiam ſi eâ priuatus tali ratione fuerit, non poſſe pro illa vice iteratò eidem conferri: ſic enim expreſsè ſtatuitur Cap. citato Commiſſa: idque ne diſpoſitio Canonis tali modo fruſtretur effectu.

Obſeruandum Quartò, non teneri tamen illum, qui ſic Eccleſiâ exciderit, reſtituere fructus ſi quos pro primo anno receperit, modò dum curam ſuſciperet, habuerit intentionem ſuſcipiendi ſacerdotium intra annum, etiamſi poſtea ex negligentia, vel aliâ de cauſâ non ſuſceperit.

Ratio eſt, quia beneficium toto illo anno fuit ipſius: ſecus ſi ab initio animum non habuerit ſuſcipiendi Sacerdotium: tunc enim ab initio collatio fuit nulla, quæ tamen ratificatur ſi animo mutato intra annum Sacerdos ordinetur, vt clarè poteſt colligi ex Capitulo aliquoties citato Commiſſa.

Obſeruandum Quintò, collatorem poſ-
55 ſe conferre Eccleſiam ſic vacantem propter neglectum Sacerdotium alicui alteri, non tamen poſſe priorem poſſeſſorem exturbare ex ſua poſſeſſione, niſi audiatur & condemnetur: ipſe nihilominus in conſcientia tenetur dimittere etiam poſſeſſionem, ante ſententiam, ſi non habuerit legitimum impedimentum, quandoquidem Canones expreſsè dicãt quod nulla etiam monitione præuia exiſtat Eccleſiâ priuatus.

Ratio autem eſt, quia licet per collationem & poſſeſſionem captam fuerit beneficium abſolutè ipſius, tamen hoc ipſo quo intra annum non eſt Sacerdos ordinatus, reſoluitur collatio ex vi conditionis quæ ab initio ex iuris diſpoſitione cenſetur fuiſſe appoſita: atque ita definit omnino & per omnia eſſe ipſius: poteſt enim quis in alium transferre rem ſuam, vt abſolutè ipſius fiat, ſic tamen, vt ſi tale quid euenerit, concidat contractus tranſlationis & res definat hoc ipſo eſſe ipſius, & propterea tenebitur talis in conſcientia reſtituere etiam ante ſententiam. Vide Nauarrum cap. 25. num. 118. vbi idem docet, quamuis aliquantulum aliter rationem explicet.

Dico Quarto: Qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas aut quælibet alia beneficia obtinent in Eccleſia cathedrali, vel collegiata ſæculari, aut regulari quibus reſpectiuè varia onera ſunt annexa (v. g. vt alij Miſſam, alij Euangelium, alij Epiſtolam legant aut decantent) obligantur intra annum iuſto impedimento ceſſante; ſuſcipere Ordinem officio ſuo competentem. Ita expreſsè ſtatuit Tridentinum Seſſ. 22. cap. 4. De reformatione. 56

Obſeruandum tamen eſt, eos non priuari beneficijs ſuis etiamſi neglexerint intra annum ſuſcipere ordinem competentem, ſed incurrere alias pœnas vt quod non habeant vocem in Capitulo non tantum paſſiuam, ſed nec actiuam etiamſi ab alijs hoc ipſis fuerit conceſſum. Vnde qui talium ſuffragijs foret electus, non eſſet electio eius valida ſi illis ſecluſis, alius eum ſuperaret pluralitate ſuffragiorum. Vide Concil. Tridentinum loco citato, vbi etiam innouat alias pœnas conſtitutas per Clementinam Vt ij qui De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum: inter quas eſt vna, quod debeat illis ſubtrahi media pars fructuum. Cæterùm grauiter peccant qui negligunt, & vt apparet, mortiferè, quia violant Eccleſiæ præceptum in re tam graui, quæ tantopere ſpectat ad diuinum cultum promouendum, & decentem Eccleſiæ & Eccleſiaſticarum perſonarum ſtatum & ordinem ſeruandum.

DVBIVM XI.

Quæ requiratur ætas ad beneficia ſingula?

Respondeo & Dico Primò: Promouendus ad Epiſcopatum debet ætate eſſe maior triginta annis, ita vt annum trigeſimum iam compleuerit. Patet ex Capitulo Cum in cunctis, De electione, quod deſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. idem habetur, Capitulo Epiſcopus, diſtinctione 77. ex Concil. Agatenſi: quod approbat Concil. Trident. Seſſ. 22. cap. 2. & addit quod inſuper, etiam in ſacro Ordine antea ſaltem ſex menſium ſpatio fuerit conſtitutus. 57

Dico Secundò: Ad Eccleſiaſticam dignitatem inferiorem Epiſcopatu quæ tamen annexam habeat curam animarum, re-

quiritur ætas 25. annorum, ſaltem inchoatorum. Conſtat ex citato Capitulo Cum in cunctis §. inferiora, & ex Tridentino ſſ. 24. cap. 12. tales dignitates ſunt Abbatiæ, Prioratus, Conuentuales, Decanatus, Archidiaconatus, & ſimilia.

Obſeruandum verò eſt hic ſub nomine dignitatis Eccleſiaſticæ non comprehendi munus Abbatiſſæ, vel cuiuſcumq; præfectę, monialium, quia non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, de quibus hic tantum loquimur.

Quod verò ad ætatem iſtarum attinet, Concil. Trident. ſſ. 25. cap. 7. De regularibus, requirit vt præficienda non ſit minor quadraginta annis, & vt annis 8. poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit: quod ſi his qualitatibus dotata non reperiatur aliqua in eodem monaſterio, vult ex alio eiuſdem ordinis, talem aſſumi: quod ſi tamen ſuperiori qui electioni præeſt videatur incommodum, poterit ex ijs quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum ætatis exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, conſentiente Epiſcopo aut alio ſuperiore, vna aliqua eligi.

58 Dico Tertiò: Ad alias dignitates, vel perſonatus quibus non eſt annexa cura animarum requiritur, vt quis non ſit minor viginti duobus annis. Ita conſtituit Tridentinum Seſſ. 24. cap. 12. ille autem cenſetur non eſſe minor viginti duobus annis iuxta Mald. dub. 11. & alios communiter, qui vigeſimum ſecundum annum attigerit.

Dico Quartò: Ad beneficium parochiale requiritur 25. annus ſaltem inchoatus. Patet ex Capitulo Cum in cunctis ſuprà De electione, & ex Capitulo Licet Canon De electione in ſexto, vbi etiam declaratur collatio aliter facta eſſe nulla: quod etiam indicatur Capitulo Si eo tempore: De reſcriptis, & docet Garcias ſup. cap. 4. nu. 41. cum Nauarro cap. 25. nu. 116. & Conſil. 4. De ætate & qualitate, & alijs quos citat. Quod autem de Eccleſia parochiali dicitur, tam quoad ætatem, quam etiam quoad ſuſceptionem Sacerdotij declaratur Clementina vnica de officio vicarij, locum quoque habere in vicarijs perpetuis.

Neque poteſt Epiſcopus in ea ætate diſpenſare, vt colligitur ex Capitulo Permittimus De electione in ſexto; poterit tamen quis ſubſeruire Paſtori etiamſi ætatem illam nondum attigiſſet, vt ſi quis per diſpenſationem ante legitimam ætatem eſſet ordinatus Sacerdos, vt ex Azorio tomo 2. lib. 6. cap. 5. tradit Mald. ſup. quia in tali non requirunt iura certam ætatem ad ſubſeruituram.

Dico Quintò: Ad alia beneficia quibus eſt annexus ordo ſacer, requiritur illa ætas vt beneficiatus intra annum poſſit ſuſcipere ordinem competentem. Patet Capit. Ei cui, De præb. in 6. Addit Garcias ſuprà nu. 49. quod aliàs prouiſio ſit nulla, etiam ex cauſa permutationis facta. Itaque cum per Concil. Trident. omnibus præbendis Eccleſiæ Cathedralis annexus ſit ordo ſacer Seſſ. 24. cap. 12. hinc conferri non poſſunt, niſi ijs qui ad minus vigeſimum primum annum inchoauerint: ſi tamen eſſent diaconales aut ſacerdotales, iam maiorem requirerent ætatem.

Ad reliqua verò qualiacumque beneficia requiritur annus decimus quartus, ſic vt ante illum, nullus poſſit beneficium Eccleſiaſticum obtinere. Sic ſtatuit Tridentinum ſſ. 23. cap. 6. Circa quod notat 1. Garcias ſup. nu. 11. & ſequentibus: quod ſufficiat annum 14. attigiſſe licet non ſit expletus. Notat ſecundò n. 9. quod ſi ex fundatione alicuius beneficij, ſufficeret minor ętas, quod tunc Decretum Concilij non procederet, quia non eſt tali fundationi derogatum. Docet tertiò Garcias Tract. De beneficijs 1. parte cap. 5. num. 127. & ſequentibus, eandem requiri etiam ætatem ad obtinendam penſionem, & dicit Sacram Congregationem ſic declaraſſe: quod etiam refert Sa V. Beneficium n. 30. Porrò ætas connumeranda eſt à Natiuitate, non à die Conceptionis, vt contra Gloſſam Regulæ 17. Cancellariæ docent rectè Couarr. in 4. 2. parte cap. 8. §. 2. n. 3. Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 35. num. 4. Garcias parte 7. cap. 4. num. 89. & alij.

DVBIVM XII.

Vtrùm ad beneficium requiratur cælibatus?

Respondeo & Dico Primò: Collatio beneficij facta alicui matrimonio iuncto eſt irrita & nulla. Ita communiter DD. & patet ex Capitulo 1. & ſequentibus De Clericis coniugatis. Si qui autem ſint antiquiores Canones qui contrarium ſignificent, vt Capit. Si qui verò, diſtinctione 32. & Capitulo Quia cauſa 12. quæſt. 1. iam poſteriori iure cenſentur abrogati. 59

Obſeruandum tamen eſt, eum qui virginem duxit, ſi conſentiente vxore voueret caſtitatem, poſſe ad beneficium admitti, vt dicitur Capitulo 2. De Clericis coniugatis: eo tamen caſu, vxor ſi eſſet iunior, deberet prius ingredi religionem, ſi autem prouectioris ætatis, deberet ſaltem caſtitatem vouere in ſæculo, vt notat ibidem Gloſſa ex Capitulo Cum his, & ex Capitulo Ad Apoſtolos De conuerſione coniugatorum.

Dico

Digitized by Google

Dico Secundò: Si Clericus nondum ordinibus ſacris initiatus habens beneficium ducat vxorem ipſo iure illud amittit. Ita communiter DD. ad Capitulum 1. De Clericis coniugatis.

Ratio eſt, quia amplectitur ſtatum iuxta Canones incompatibilem cum miniſterio beneficio correſpondente, vnde quando beneficium confertur, fit collatio ſolùm quaſi ad talem vſque terminum.

Neque obſtat quod Cap. 1. citato, dicatur eos qui matrimonio cōiunguntur eſſe compellendos vt beneficia relinquant, & Cap. 3. eodem titulo dicatur debere eos beneficio ſpoliari & eſſe priuādos, quia, vt rectè notat Gloſſa loquunturCanones non de priuatione iuris, quam ex nunc incurrerunt, ſed de priuatione poſſeſſionis, eiuſque ſpoliatione ſeu exutione.

Quando autem ibidem Cap. 5. dicitur coniugatum ſpoliari nō poſſe beneficio per eum qui illud contulit, ſed per ſuperiorem, tunc ſermo eſt de coniugato, cui in matrimonio exiſtenti prçſumpſerit collator beneficium conferre, quem iubet Canon priuari per ſuperiorē, declarando ſcilicet nullitatē collationis, & exuendo eum poſſeſſione.

Ex his licet colligere quod neque poſſit beneficium retinere ac poſſidere beneficium vt ſuum aliquis qui matrimonium contraxit etiamſi nondum matrimonio conſumato vxor moriatur vel ingrediatur religionem, vt docet Rebuffus in regulis de publicandis reſignationibus n. 40. Garcias p. 11. c. 8. n. 3. & ab alijs tenetur communiter.

Petet aliquis quid ſi beneficiatus attenta-
60 uerit matrimonium contrahere, ſed propter impedimentum aliquod dirimens quid intercedebat, contraxit inualidè, an amiſerit talis ſuum beneficium? Reſpondetur: multi tenent partem affirmatiuam inter quos eſt Panorm. in Cap. 1. De Clericis coniug. & alij quos citat Garcias ſup. c. 8. n. 4. E contra quoque, multi tenent partem negatiuam tanquam veriorem, vt Cardin. in Clem. ent. Gratiæ De reſcrip. n. 10. Butrius & Imola in Cap. 1. De Clericis coniugatis: Iulius Clarus lib. 5. Recep. Sentent. §. 1. q. 73. n. 5. Thomas Sanchez lib. 7. De matr. diſp. 43. qui dicit id verum eſſe, quomodocumque & ex quacumque cauſa matrimonium ſit irritum: & alij quos citat Garcias ſup. n. 5. & ſequentib. Et fauet his ratio: quia Canones, quando de matrimonio inito agunt, loquuntur de matrimonio valido: quod & ratio ab alijs allegata indicat; ideo enim talem Clericum volunt amittere beneficium, quia non poteſt quis vxori & carnis voluptatibus operam dare, & diuinis vacare officijs: qui autem inualidè contraxit, non poteſt vxori & carnis voluptatibus operam dare. Vnde colligitur ſi Clericus ſacris ordinibus initiatus matrimonium contrahat, non amittere ipſo facto beneficium, ſed eſſe priuandum, vt colligitur ex citato Cap. 1. niſi tamen deſuper cum eo diſpenſetur, quod non niſi poſt longam pœnitētiam & vitam laudabiliter tranſactā fieri debet iuxta Cap. Sanè, tit. eodem De Clericis coniugatis, in pœnam ſcilicet delicti, ſiue propter Eccleſiaſticæ honeſtatis violationē, vt indicatur Capitulo Quiſquis, diſtinctione 83.

Quia interim compellendus eſt manere in ordine ſuſcepto, oportet meritò eius habere rationem, ne cogatur mendicare videlicet vel poſt pœnitentiam diſpenſando ſuper retentione beneficij, vel aliquid ex fructibus ad tenuem ſaltem eius ſuſtentationē aſſignando: ſi verò habuiſſet is diſpenſationem ad matrimonium contrahendum, tunc contrahendo excidiſſet beneficio, ſicuti Clerici non initiati ſacris, quia valide contraxiſſet.

Dico Tertiò: Clericus qui contrahit tantum ſponſalia non amittit ipſo iure beneficium: quia non tranſiuit ad ſtatum incompatibilem, licet ingrediatur viam ad illum, vnde meritò poſſet lege ſtatui quod talis beneficio eſſet priuandus, quia animo & & externâ ſignificatione repudiauit miniſterium Eccleſiæ: pertinet autem ad grauitatem & decorem Eccleſiæ exauthorare tales miniſtros: eiuſmodi tamen legem aut Canonem nō exſtare dicit Sanchez de matrimonio lib. 7. diſput. 42. vnde putat neque poſſe talem priuari beneficio.

Petes, Vtrùm Clericus non initiatus ſacris, qui matrimonium contrahit de præ- 61
ſenti, ſed inualidè propter aliquod impedimentum dirimens, ſit ſaltem priuandus beneficio, quamuis defendatur non eſſe de facto priuatus? Reſpondetur cum Garcia ſup. n. 8. Quod talis Clericus qui bonâ fide ignorans impedimentū contrahit, vti non amittit ipſo facto beneficium, ita neque ſit per ſententiam priuandus: quia non facit actum à parte rei contrariū clericatui, quia nullum contrahitur matrimonium, & ceſſat in eo ratio delicti, quia bonâ fide proceſſit, neque putauit iniuriā inferre Sacramento. De illo autem qui ſciens impedimentum, contrahit, ſentit Garcias quod ipſo facto amittat beneficium: ſed conſequenter loquendo, videtur potius dicendum, quod talis merito priuandus ſit beneficio, Arg. Cap. Cum qui, De præbend. in 6. non autem ſit ipſo facto priuatus, quandoquidem dicat matrimoniū nulliter contractum non eſſe actum contrarium clericatui, quando bonâ fide contrahitur: neque ſit ratio, cur dicatur contrariati, quando malâ fide ſic contrahitur, quin potius poſſit videri tunc minùs contrariari, quia hîc ne quidem videtur eſſe conſenſus in actū contrariū clericatui, ſicuti in altero.

Digitized by Google

DVBIVM XIII.

Quomodo requiratur morum probitas ad beneficium capeſcendum?

62 RESPONDEO & DICO Primò: Criminoſus, vt in iure ſumitur, id eſt, qui ob crimina eſt infamis, excommunicatus, irregularis, aut ſimili cenſura irretitus, nullo modo eſt ad beneficium Eccleſiaſticum promouendus, quin potius depoſitionem mereatur ſi promotus ſit. Colligitur ex Capitulo Inter dilectos, De exceſſibus Prælatorum, & tradunt Gloſſa in Capitulum Vnicum diſtinctione 25. Azorius tomo 2. lib. 6. cap. 7. Nauarrus De oratione, Miſſellanio 34. Mald. dub. 13. & ex ratione naturali conſtat, quia qui miniſterio Dei & Eccleſiæ applicantur & peculiariter dedicantur, neceſſum eſt vt omni virtutum genere ſint ornati, quandoquidem ex officio debeant exemplo, ſalutaribus monitis, precibus & ſacrificijs aliorum ſalutem curare & promouere: Hinc & Apoſtolus docet Epiſcopum debere eſſe irreprehenſibilem & teſtimonium habere bonum quod & in Diaconis requirit.

DICO Secundò; Quando crimen eſt tale vt ipſo iure inducat irregularitatem, vel aliam ſpecialem inhabilitatem, tunc collatio non tantum eſt illicita, ſed omnino inualida. Ita Nauarrus ſuprà, & Enchiridij cap. 24. n. 51. & alij communiter. Eiuſmodi crimina ſunt hæreſis, ſymonia, periurium, homicidium, quod ſi voluntarium ſit, non poterit deſuper diſpenſare, niſi ſolus Pontifex: ſi autem habeatur caſuale, poteſt Epiſcopus diſpenſare in ordine ad beneficia quæcumque & dignitates, etiam ſacrorum ordinum & altaris miniſterium, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. cauſâ ſcilicet prius cognitâ, & probatis ijs quæ exponuntur. Concubinarij verò poſt tertiam monitionem priuandi ſunt beneficijs & reddendi inhabiles ad quæcumque alia, prout ſtatuit Conc. Trident. ſeſſ. vltima, c. 14. Quare ſi illis factis ſeu præmiſſis conferretur concubinario alterum beneficium, collatio foret nulla.

63 Quæritur autem de grauioribus alijs criminibus, quibus de iure non eſt impoſita pœna depoſitionis, ſed tamen talia ſunt vt ratione infamiæ aut publici ſcandali poſſit quis arbitrio iudicis propter illa deponi aut beneficijs priuari, vtrùm ſi collatio alicui obnoxio iſtis delictis fiat, ſit habenda ſaltem valida? quamuis illicita.

Reſpondetur probabiliter eiuſmodi collationem eſſe inualidam. Ita docet Panorm. ad Cap. Super De elect. vbi dicit quod collatio facta notariè infami non teneat, & ad Cap. Inter dilectos De Exceſſibus Prælat. n. 6. dicit quod collatio facta Clerico aleatori ſit nulla, ſi de eo antè conſtabat, tanquam facta vili & indigno. Nauarr. ſuprà, Syluest. V. Infamia n. 15. Suarez De relig. tom. 2. Tract. 5. lib. 3. c. vlt. n. 4. & 5. & 17. Malderus Tract. 9. cap. 2. dub. 13. & plures alij quos citat Garcias parte 7. cap. 8. n. 39. & fundari poteſt in Cap. Cum in cunctis De electione, vbi pariformiter requiritur (vt apparet) quod promouendus ad Epiſcopatum vel aliam inferiorem dignitatem ſit vitâ & ſcientiâ commendabilis, perinde ac vt præſcriptam habeat ætatem, & de thoro legitimo natus ſit: conſtat autem his deficientibus, collationem eſſe nullam: vnde & illa videtur nulla vbi promouendus non eſt vitâ commendabilis. Non deſunt tamen qui oppoſitum tenent, quando crimen non inducit irregularitatem vel aliam inhabilitatem ad beneficia, quos videre licet apud Garciam loco cit. n. 47. In quibus autem caſibus quis ipſo iure priuatur beneficijs, & in quibus venit priuandus; vide apud Felinum ad Cap. Querelam De iureiurand. & Azorium 2. parte lib. 7. cap. 17. & 18.

DVBIVM XIV.

Qua requiratur ſcientia ad beneficium obtinendum?

RESPONDEO & DICO Primò: Qui penitus eſt illiteratus non poteſt ad beneficium promoueri, & ſi promoueatur collatio eſt irrita. Colligitur ex Capitulo Illiteratos, diſtinctione 36. & ex Capitulo Finali De temporibus ordinandorum in 6. & ſic cum Panormit. docent communiter DD. in Capitulum Dudum De electione, & Innocentius in Capitulum Cum in cunctis, eodem titulo: quod latè oſtendit Nauarrus in Capitulum Si quando De reſcriptis. 64

Sed controuertitur quis debeat hic cenſeri omnino illiteratus: Nauarrus loco citato exceptione 13. num. 8. putat ſaltem de conſuetudine eum non cenſeri omnino illiteratum, ſic vt collatio ei facta ſit inualida, qui nouit Latinè legere & ſcribere, & ſi neſciat loqui aut intelligere: Verũ Canonibus conformiùs eſt, illum eſſe habendum in hac materia pænitus illiteratum qui non aliquo modo nouit idioma quo celebratur iuxta Eccleſiarum conſuetudinem & leges, officium diuinum: quare in Eccleſia latina requiritur, vt quis nouerit mediocri ſaltem modo ipſam linguam latinam: & hanc ſententiam

tentiam fatetur etiam Nauarrus cum iure ſcripto magis conuenire, & tradit Gloſſa ad Clementinam vnicam de conceſſione præbendæ.

Petes, Quid ſi aliquis actu ſit omnino ignarus, ſed applicatus eſt ſcholis, & ſperatur quod litteratus euadet, vtrùm collatio tali facta ſit inualida?

65 Reſpondetur verius eſſe, quod inualida ſit: & colligi poteſt ex Tridentino ſſ. 22. cap. 4. vbi in fine habet, nec alijs impoſterum fiat prouiſio niſi ijs qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit prouiſio: poſſet tamen Pontifex eâ in re diſpenſare, ſic vt valida efficiatur collatio, quin & conſuetudine ſic introduci poſſe indicat Mald. dub. 14. & tunc inquit obtineret opinio Nauarri.

Hoc verò obſeruandum hîc eſt, Concil. Trident. ſſ. 7. cap. 13. ſtatuiſſe, quod præſentati ſeu electi, vel nominati à quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ nuntijs ad quæuis beneficia Eccleſiaſtica non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur etiam prætextu cuiuſuis priuilegij niſi fuerint prius à locorum ordinarijs examinati & idonei reperti: exceptis tamen præſentatis, electis, ſeu nominatis ab vniuerſitatibus ſeu collegijs generalium ſtudiorum.

66 Dico Secundò: Non ſufficit ſemper cognitio linguæ qua officium in Eccleſijs celebratur, ſed ea requiritur reſpectiuè ad quodlibet beneficium ſcientia, quæ ad munus annexum ritè obeundum eſt neceſſaria. Concluſio ex terminis ipſis ſatis eſt euidens, & ita requirit Concil. Trident. diuerſis locis Seſſ. 22. cap. 2. de illo qui ad Epiſcopatum eſt aſſumendus ſic ſcribit: Scientiâ verò præter hæc (ſcilicet præter ordinem, debitam ætatem, & legitima natalia) polleat eiuſmodi, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere.

Ad quod requirunt Canones inprimis, vt cognitionem habeat veteris & noui Teſtamenti: Capitulo Epiſcopus, diſtinct. 23. Capitulo Omnes, diſtinct. 38. & tradit idem Panorm. ad Capitulum Cùm in cunctis, De electione. Vide Sylueſt. V. Epiſcopus, quæſt. 4.

Deinde, vt etiam iuris Canonici ſiue Canonum habeat notitiam, Capitulo Statuimus diſtinctione 61. ex Leone Papa. Hinc Concil. Trid. loco citato conſtituit, vt aſſumendus ad Epiſcopatum, antea in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur: quod ſi regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ religionis ſimilem fidem habeat.

De inferioribus autem dignitatibus ita ſcribit & ordinat ſſ. 24. cap. 12. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem vigeſimumquintum ætatis annum attigerit, doctrinâ ad ſuum munus exequendum neceſſariâ ac morum integritate commendetur. Vbi de Archidiaconis addit, Et vbi fieri poterit, vt ſint Magiſtri in Theologia ſeu DD. aut Licentiati in iure Canonico.

Vnde & hîc notandum quod Conc. Trident. Archidiaconos manifeſtè numeret inter illos qui habent dignitatem cum cura animarum, prout etiam Capitulum Cum in cunctis De electione: idque contra nonnullos qui exiſtimant Archidiaconatum non eſſe dignitatem cum cura animarum.

Quæritur hîc, Vtrùm ſicuti collatio cuiuſcumque beneficij facta penitus illiterato eſt nulla, ita quoque nulla ſit collatio altioris beneficij facta illi qui non habet ſcientiam requiſitam ad tale beneficium, licet linguæ Latinæ peritus exiſtat? 67

Reſpondetur, Collationem eiuſmodi videri quoque nullam de iure, etſi quoque ſpes prætendatur, quod ſucceſſu temporis ad ſcientiam ſufficientem proficiet. Colligitur primò ex Capitulo Cum in cunctis De electione: vbi ſicuti diximus dub. præcedenti, æquiparari videntur defectus in ætate, in natalibus, in moribus, & in ſcientiâ: & ita docet ibidem Panorm. §. vltimo nu. 6. Deinde idem confirmari poteſt ex Tridentino ſſ. 22. cap. 4. vbi in fine requirit, vt promouendus habeat ætatem & alias habilitates integrè, alioquin ſit irrita, inquit, collatio. Nihilominùs Garcias parte 7. cap. 11. n. 21. contrarium ſignificat, vbi ſcribit, Quod qui non habet ſcientiam competentem beneficio, quamuis collatio valuerit, teneatur addiſcere, quàm primùm commodè poteſt, & aliàs debeat illud dimittere. De collatoribus autem addit, quod qui conferunt beneficium ijs qui non habent ſcientiam competentem, non ſolum peccent mortaliter, ſed etiam teneantur Eccleſiæ de damno & intereſſe: quod etiam ex ſuprà dictis conſtat.

Rectè autem diſtinguit Azorius tomo 2. lib. 6. cap. 6. triplicem ſcientiam; vnam vocat eminentem, quam habere cenſetur is qui per ſe etiam difficiliora circa ſtatum & munus ſuum occurrentia valet promptè reſoluere: alteram appellat mediocrem, quam habere dicitur ille qui communiter, & frequentius occurrentia in officio, poteſt per ſe expeditè reſoluere, etiamſi in difficilioribus debeat libros aut Doctores conſulere: tertiam nominat ſufficientem, quam habet qui libros legendo aut Viros doctos conſulendo, poteſt muneri ſatisfacere, quamuis ne in 68

ordinarijs quidem ſit ſatis expeditus abſque præuio ſtudio aut examine, & conferentia cum alijs intelligentioribus. Deſumpta eſt prædicta diſtinctio ex Innocentio ad Capitulũ Cum incunctis ſup. citatum: ſuffecerit itaque vt quis ſaltem ſcientiam tertij generis habeat, vt poſſit ad beneficium promoueri ſi alij deficiant.

DVBIVM XV.

Vtrùm ex parte corporis requiratur aliqua diſpoſitio in ordine ad beneficium obtinendum?

69 RESpondetur: Ex parte corporis requiritur illa diſpoſitio quæ neceſſaria eſt ad decenter præſtandum officium incumbens beneficio. Vnde Garcias parte 7. cap. 12. nu. 3. ſic concludit: Reſolutiuè dicendum eſt, quod non ſolùm, non ad ſacros Ordines & beneficia quæ Ordinem ſacrum requirunt, ſed nec ad minores & primam tonſuram, & conſequenter nec ad vllum beneficium promouere poſſunt, qui corpore inſigniter deformati ſunt, ita vt ſine notabili horrore aut ſcandalo miniſtri Eccleſiaſtici eſſe non poſſint. Et ita tenent DD. communiter; vt etiam notat Malderus ſup. dub. 15. Vide Couar. in Clement. ſi furioſus 1. parte circa initium, Rebuff. in praxi tit. De diſpenſatione cum corpore vitiatis: Lambert. lib. 2. parte 1. qu. 7. art. 10. & 12. Nauar. cap. 27. nu. 198. & nu. 249. Sumitur ex Cap. 1. & ſequentibus De corpore vitiatis: ex Cap. 2. De Clerico ægrotante: & ex Cap. 1. diſtinct. 36. & ex Cap. Qui in aliquo diſt. 51.

Notandum tamen, ſi aliqua debilitas ſuperueniat, quâ efficiatur quis ineptus ad officium, non ideò eum priuari beneficio prius obtento, ſed poſſe frui: ſi habeat autem curam animarum debet prouidere, vt per idoneum vicarium adminiſtretur. Cæterum quomodo per cenſuras aut alias inhabilitates quis impediatur à beneficij cõſequutione licebit colligere ex dicendis infrà Cap. 4. De ſimonia: & ex doctrina de cenſuris earumque effectibus tradi ſolita in tertia parte Diui Thomæ. Licebit quoque videre dicta ſuprà quæſt. 11. art. 3. De pœnis quas incurrunt hæretici, eorumque fautores aut aſſeclæ.

DVBIVM XVI.

Quali intentione oporteat acceptare beneficiũ Eccleſiaſticũ?

RESPONDEO & DICO Primò: Ad omne beneficium Eccleſiaſticum, vt debitè acceptetur, requiritur determinata intentio ſtatus Eccleſiaſtici amplectendi & ordinis muneri ſuo neceſſarij ſuſcipiendi, ſic ſaltem vt bonâ fide proponat ab eo non recedere, niſi forſitan magna aliqua & iuſta cauſa recedendi incideret. Ita communiter DD. omnes; non enim æquum eſt, vt Eccleſiaſtica beneficia concedantur ijs qui necdum ſtatuerunt ſe miniſterio Eccleſiæ mancipare, quodque illi prouentibus & bonis Eccleſiæ gaudeant. Additur niſi forſitan aliqua magna & iuſta cauſa recedendi incideret, v. g. vt niſi frater primogenitus moriatur, vbi cõuenit familiam pro bono Reipublicæ conſeruari, aut niſi forſitan matrimonium ad graues lites ſopiendas iudicaretur neceſſarium. Vide Nauarrum cap. 25. num. 118. 70

DICO Secundò: Qui accipit beneficium Eccleſiaſticum eo ſolo animo, vt fructibus eius gaudeat, donec occaſio ſe offerat tranſeundi ad ſtatum ſæcularem cum intentione tunc deſerendi, delinquit mortiferè, neque poteſt beneficium retinere. Ita quoque DD. communiter, Nauarrus libro 3. Conſilio 16. De præbendis, Miſſellanio 44. De oratione. Soto lib. 10. De iuſtitia & iure, quæſt. 5. art. 6. Panorm. ad Capitulum Relatum De Clericis non reſidentibus, Toletus lib. 3. ſumm. cap. 18. n. 4. & lib. 5. cap. 5. & alij plures. Sanchez tamen lib. 7. De matrimonio, diſputatione 45. n. 28. putat non peccare mortaliter, quando functio incumbens beneficio non requirit ordinem ſacrum, & ille qui ſic acceptat, intendit pro tempore quo beneficium detinebit ſatisfacere officio quod beneficio incumbit, eò quod iura nõ videantur determinare quod acceptans tale beneficium teneatur habere animũ perſeuerandi in miniſterio Eccleſiæ. 71

Verùm tametſi iura id in particulari non expreſsè determinent, nihilominùs communis videtur fuiſſe ſemper Doctorum & fidelium ſenſus ac apprehenſio, quod beneficium acceptans debeat eſſe reſolutus ad Eccleſiaſticum ſtatum amplectendum, quod & Eccleſia videtur intendere quando beneficium veluit eſſe ius perpetuum: vnde in re tam graui non videtur tutum recedere à ſententia communi. Vide Nauarrum Miſſellanio citato, vbi etiam in hoc particulari caſu docet peccari mortaliter, & explicat alia quædam loca vbi poterat videri aliter docuiſſe.

Obſer-

Obſeruandum tamen eſt, iuxta Dom. Soto loco citato & etiam Nauarrum ac alios quoſdam, non obligari illum ad reſtitutionem fructuum ſi muneri ſuo ſatisfecerit: vnde & hoc cõſequens eſt, quod ſi animum mutet ac velit in clericali ſtatu perſeuerare, poſſit beneficium retinere; nam hoc ipſo quo DD. abſoluunt illum ab obligatione reſtituendi fructus, ſupponunt eum validè beneficium acceptaſſe ac verè eſſe ipſius quamuis illicitè teneat: & cum eo concordat quod Syluest. V. Beneficium 3. n. 29. in fine dicit Hoſtienſem docere quod peccatum illud per ſolam pœnitentiam poſſit deleri.

72 Dico Tertiò: Qui beneficium parochiale accipit animo non reſidendi, ſed tantum animo permutandi peccat quidem, tamen acceptatio non eſt inualida, neque ad fructuum reſtitutionem tenebitur, ſi cætera requiſita adſint.

Probatur prior pars: quia talis Eccleſiam decipit, quæ in iſtis requirit animum reſidendi & miniſtrandi populo, neque enim ipſi conferret niſi exiſtimaret illum velle reſidere & officium obire.

Poſterior pars confirmari poteſt, quia tametſi iura requirant vt intra annum talis ſuſcipiat ſacerdotium ſub pæna priuationis beneficij, habeaturque animus ab initio intra tempus illud, ſuſcipiendi Sacerdotium idq; etiam ſub pæna reſtitutionis fructuum, Cap. Commiſſa De elect. in 6. non tamen hoc ſtatuunt in eum qui non habuerit animum reſidendi. Vide dicta ſup. dub. 8. vbi latius ſunt explicata quæ requiruntur ad beneficium parochiale capeſcendum.

DVBIVM XVII.

Vtrùm licitum ſit vni habere plura beneficia ſimul?

73 RESoluitur hæc quæſtio clarè à Concil. Tridentino ſſ. 24. c. 17. vbi ita decernit: Cum Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſijs conſcribi: verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſeipſos, non Deum, decipientes ea quæ conſtituta ſunt varijs artibus eludere & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt, ſancta Synodus debitam regendis Eccleſijs, diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis quocumque titulo etiam cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari, ſtatuit vt inpoſterum vnum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur: quod quidem ſi ad vitam eius cui confertur honeſtè ſuſtentandum non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri: & hæc non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſæcularia, quam regularia, etiam commendata vult Concilium pertinere, cuiuſcumque tituli aut qualitatis, inquit, exiſtant.

Ex quibus euidenter ſatis conſtat, nunquam iuxta Canones & conciliorum conſtitutiones licitũ eſſe plura ſimul habere Eccleſiaſtica beneficia qualiacumque: vnico tantum caſu excepto quem hic ponit concilium, puta quando vnum non eſt ſufficiens ab vitam obtinentis, honeſtè ſuſtentandam: quare tunc poterit ſimul habere vel duo ſimplicia, quorum neutrum aut ſaltem alterum non requirit reſidentiam perſonalem, ſiue id proueniat ex fundatione, ſiue ex conſuetudine legitimè præſcripta, vel etiam habere poterit præbendam Cathedralem, aut Eccleſiam parochialem vel dignitatem, ſi hæc non ſit ſufficiens ad honeſtum vitæ ſtatum & aliud ſimplex beneficium non requirens reſidentiam.

Sed difficultas hic oritur in determinanda 74
ſufficientia ad vitam eius, cui beneficium confertur, honeſtè intertenendam: quæ eo maior eſt, quia non vnius eiuſdemque quantitatis menſura eſt æqua omnibus Clericis, nec enim quæ vni ſufficiens eſt, debet cenſeri ſufficiens quibuſlibet alijs; nam pro conditione ſplendoris familiæ, pro ratione doctrinæ, pro gradu miniſterij in Eccleſia, & pro ſimilibus circumſtantijs merito cenſetur plus aut minus requiri pro honeſta ſuſtentatione talis miniſtri Eccleſiæ, vt tradit Graſſius lib. 2. Deciſionum cap. 99. num. 28. ex Cap. De multa in fine De præbendis, & Extrauag. Execrabilis. Vnde inquit Malderus dub. 17. vix certiorem poſſe ſtatui regulam, quàm vt illud beneficium dicatur ſufficiens quod ſatis eſt vt Clericus ſe & ſuos queat conuenienter ſuſtentare prout communiter boni & timorati Clerici alij ſolent ſe & ſuos intertenere.

Dico ſe & ſuos, quia Gloſſa in Capitulum Cum adeò de reſcriptis, ita docet & colligit ex Capitulo Studeat, diſtinctione 50. vbi etiam Clerico homicidij reo, ſed iam pænitenti indulgetur beneficium, quo poſſit ſuos quoque ſufficienter ſuſtentare.

Per ſuos autem intelligunt Interpretes & Doctores, famulos, parentes, fratres, conſanguineos indigentes, quando ſcilicet hi aliter ſe ſuſtentare non poſſunt, neque alij ſint qui magis obligentur & iuuare velint: addunt etiam filios ſpurios. Graſſ. lib. 2. cap. 99. n. 26. & ſeqq. Abbas ad Cap. Coniugatus n. 6. De coniugator. & ad Cap. Peruenit De arb. & Gloſſ. cum textu Capit. Omnino confitemur Diſt. 31. Syl. V. Clericus 4.

Digitized by Google

cus 4. quæſt. 15. Malderus ſuprà dub. 17. cum Azorio, & alij paſſim. His adiungi poſſunt & illi, quos ex pietate, aut ex honeſtate Clericus quaſi cogitur hoſpitio excipere; hoſpitalitas enim tam in Canonibus quàm apud Sanctos Patres commendatur. Vnde Capitulo De Monachis ſtatuitur, vt etiam vicario perpetuo ab illis qui ei ſuſtentationem debent, tribuatur vnde hoſpitalitatem exerceat, Nauarrus autem de Oratione, Miſſellanio 62. præfatus multa de huius ſufficientiæ perplexitate, tandem hæc magis particulariter ſic determinat, ac inprimis dicit, vt beneficium cenſeatur ſufficiens alicui Clerico quantumlibet & ſano ſeu benè valenti, requiri, vt valeat ad minus tantum quantum eſt neceſſarium ad mediocriter & honeſtè ſe & vnum coquum & miniſtrum, & ad conducendam ſibi neceſſariam habitationem: vt autem dicatur ſufficiens nobili etiam inferioris gradus, & magiſtro Theologiæ, & Doctori iuris mediocris literaturæ, oportere vt ſuppeditet duos miniſtros, vnā æquitaturam & coquum, & domum competentem: nobiliori autem ſiue natalibus, ſiue literaturâ, duos inſuper adijcit miniſtros, & ſic in alijs proportionabiliter. Et hæc quidem in æſtimatione ſufficientiæ faciendâ poſſunt ſeruire: debet tamen ſimul haberi ſemper ratio conſuetudinis & moris patriæ, ac pretij communis annonæ in talibus, ac talibus locis. Propter multa itaque & diuerſa quæ hic conſideranda veniunt, rectè tradunt Doctores plerique, ſufficientiam iſtam relinquendam eſſe arbitrio prudentū in foro conſcientiæ, & arbitrio Iudicis in foro externo.

DVBIVM XVIII.

De incompatibilitate beneficiorum.

75 QVamuis beneficium quodcumque ad honeſtā vitæ ſuſtentationem ſufficiens, non admittat licitè iuxta Canones & leges Eccleſiæ alterum ſecundum, non tamen ſemper eadem inter omnia militat incompatibilitas; quædam enim ſic incompatibilia ſunt, vt dum acceptatur ſecundum, & pacificè poſſidetur, vacet hoc ipſo primum de iure: quomodo inprimis ſunt incompatibiles duo Epiſcopatus, etiamſi alter vel vterque tantum ſit datus in commendam. Patet Capitulo De multâ prouidentiâ, De præbendis & dignitatibus, & ex Tridentino ſſ. 7. cap. 2. Imò eo ipſo quo Epiſcopus eſt electus & confirmatus, habueritque bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, vel effluxerit tempus præfixum ad petendam confirmationem, vacant eius beneficia alia, vt conſtat ex Capitulo Cum in cunctis, De electione. Similiter incompatibilia ſunt beneficia plura curata, dignitates, perſonatus & officia: conſtat ex citato Capitulo De multa, & extrauagante Exſecrabilis eodem titulo, de præbendis. Imò qui obtento aliquo tali, non ſtatim reſignat alterum ſi quod habeat, perdit vtrumque iuxta conſtitutionem prædictæ Extrauagantis: cum hoc tamen diſcrimine quod in conſcientia teneatur prius dimittere etiam ante omnem ſententiam Iudicis, adeoque ſi fructus inde percipiat, obligetur eos reſtituere, quia in Extrauagante allegatâ dicitur, quod primum vacet & poſſit ſtatim alteri conferri ſine vllâ ſententiâ: poſterius autem non obligatur in conſcientia relinquere, niſi per ſententiam iudicis illo exuatur.

Ratio diuerſitatis eſt, quia priuatio prioris non eſt pæna, ſed ſimplex & nuda quaſi annullatio ſiue reſolutio, vt DD. loquuntur primæ collationis: quâ ſimpliciter deſinit eſſe ipſius perindè ac ſi nunquam ei fuiſſet collatum: priuatio autem poſterioris eſt pæna delicti, eo quod primum non dimiſit prout iuxta Canones tenebatur; quæ autem in pænam ſunt conſtituta, non debet reus mandare executioni niſi mediantè operâ Iudicis: redduntur inſuper qui talia beneficia plura retinent inhabiles ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & ad quodcumque Eccleſiaſticum beneficium obtinendum: ipſa autem illa beneficia Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruantur: quæ omnia expreſsè habentur in Extrauagante citata.

Sic autem dicta intellige, quod non tantum, eo modo ſint incompatibilia duo beneficia curata inter ſe, vel duæ dignitates inter ſe &c. ſed quod etiam beneficium curatum & dignitas, aut perſonatus, licet abſque cura, ſint tali modo incompatibilia, quod etiam verum eſt, tametſi vnum ex illis non eſſet ſufficiens ad vitam eius cui confertur honeſtè ſuſtentandam, quia loquuntur de illis Canones ſine exceptione, & Concil. Trident. eo caſu tantum concedit adiungi ſimplex beneficium non requirens reſidentiam. Tertio ſic incompatibilia ſunt quæcumque beneficia vniformia ſub eodem tecto, ſiue in eadem Eccleſia, vt duo Canonicatus, aut duæ Sacellaniæ in eadem Eccleſia: Garcias infrà, §. 2. num. 182. & nu. 228. iuxta deciſiones Rotæ. Quando enim acceptaretur ſecundum eiuſque haberetur pacifica poſſeſſio, tunc vacaret primum. 76

Vbi nota tunc demum aliquem cenſeri debere, quod habeat pacificam poſſeſſionem ſecundi, quando non ſolum pacificè poſſidet titulum, & functionem, ſed etiam incipit pacificè fructus percipere: vt docet Garcias p. 11. cap. 5. §. 1. n. 105. & n. 123. & paſſim

Digitized by Google

paſſim alij. Quare ſi fructus ſecundi forſitan alteri ad tempus ſint reſeruati, prout in diuerſis Eccleſijs auctoritate Apoſtolica reſeruantur aliquando fabricæ ad aliquot annos, tunc prius beneficium non cenſebitur vacare, donec aduenerit tempus pro quo percipiat fructus ſecundi, ſic enim ſtatuitur Capitulo Si tibi conceſſo, De præbendis in 6. vbi Pontifex declarat prius curatum beneficium non vacare, quia fructus alterius reſeruabantur ad ſoluenda debita Eccleſiæ, & idem dicendum eſt de beneficijs alicuius promoti ad Epiſcopatum: Garcias ſuprà nu. 124. neque determinatio Capit. Si tibi conceſſo eſt correcta per Extrauag. Execrabilis vt oſtendit n. 125. Si tamen huiuſmodi reſeruatio fructuum in vtilitatem alterius non ſit facta auctoritate Apoſtolica, vel non procedat ex conſuetudine approbatâ aut legitimè præſcripta, veriſimiliter iudicaretur prius vacare, non obſtante quod propter talem qualem reſeruationem impediretur à perceptione fructuũ ſecundi. Conformiter docet Garcias ſuprà parte vndecima cap. 6. nu. 24. non vacare beneficia promotorum ad Epiſcopatus in terris infidelium exiſtentes ſiue titulares, eo quod non poſſint aſſequi poſſeſſionem, idque per eos non ſtet, & proinde nec poſſint ex iſtis Epiſcopatibus percipere fructus: pro quo citat plurimos Doctores: vnde rectè Leſſius lib. 2. de Iure & Iuſt. cap. 34. dub. 17. n. 139. dicit Canonem Cum in cunctis, De electione non loqui de Epiſcopo titulari non habente adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum.

77 Alia verò ſunt beneficia quę non ſe compatiuntur licitè, ſed tamen validè ſimul retinentur, ſic vt prius de iure non vacet per obtentionem ſecundi: aliquando tamen qui illa ſimul habet, venit ijs priuandus: eiuſmodi ſunt iuxta Nauarrum lib. 3. conſ. 24. & 25. De præbendis, dignitas in vna Eccleſia, & Canonicatus etiam reſidentiam requirens in alia: neque obſtat Concil. Trident. ſſ. 7. cap. 4. De reformatione, vbi priuatur ipſo facto qui plura curata, vel alias incompatibilia beneficia recipere & retinere præſumpſerit: quia loquitur expreſsè de illis incompatibilibus quæ talia eſſe declarantur per Capitulum De multa prouidentia, ſuprà citato, vbi dignitas & canonicatus in diuerſis Eccleſijs inter illa non numerantur.

Multi tamen inter quos eſt Azorius, vt Malderus refert, ex illo loco Concilij Tridentini colligunt omnia beneficia quæ non ſunt ex fundatione aut conſuetudine libera à perſonali reſidentia, eſſe incompatibilia primi omnino generis, quando prius eſt ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, pro quibus facit quod Cardinalium congregatio referatur declaraſſe, vacare beneficium ſimplex eius qui obtinuit Parochiam, eo quod iſta duo beneficia ſint incompatibilia, ſi vtrumque reſidentiam poſtulet; ad hoc autem reſpondet Nauarrus lib. 3. conſilio 24. non conſtare ſatis de illa declaratione eiuſque approbatione per Pontificem facta; de quibus ſi conſtaret, omnino ſic forè tenendum ait. Interim Garcias p. 11. cap. 5. n. 84. adducit plures eiuſmodi declarationes Cardinalium, & aliquot deciſiones Rotæ in Confirmatione ad iſtas declarationes, & multos DD. qui ita tenent, ſcilicet quod illa, quæ Cap. De multa ſtatuit, De curatis, dignitatibus & perſonatibus, extendantur per ipſum Concil. Trident. ad quæcumque beneficia incompatibilia: quos ipſe ſequitur, & n. 92. addit, quod iſta ſententia videatur iam recepta in practica: qui etiam cum Nauarro ex communi ferè doctrina tradit nu. 69. ſaltem eum excidere à Iure ſuo qui habet ius ad rem ad aliquod beneficium, ſi obtineat aliud incompatibile, quod ſimul retinere non poteſt, etiamſi non ſit beneficium curatum, nec dignitas aut perſonatus: quod ſimiliter locum habere, docet n. 85. & §. 1. n. 107. ſi anteà habeat beneficium litigioſum: Rationem reddit, quia tales cenſentur iuri ſuo renuntiare per aſſecutionem alterius beneficij.

Sæpius verò dignitas & canonicatus ſe 78
compatiuntur ſub eodẽ tecto, quia in multis Eccleſijs non eliguntur aut aſſumuntur ad diuerſas dignitates, niſi Canonici eiuſdem Eccleſiæ qui ſimul canonicatum retinent, vt Decani, Archidiaconi; quod credendum eſt fieri conceſſione Pontificis vel conſuetudine legitimè præſcriptâ. Vide Garciam ſup. cap. 5. §. 2. nu. 231. & ſequentibus: & n. 246. vbi id per deciſiones Rotæ declarat: & ſimul oſtendit eiuſmodi conſuetudini non eſſe derogatum per Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 17. ex declaratione congregationis Cardinal.

Ratio autem eſſe poteſt, quia ſunt beneficia difformia, & poteſt vnus vtriuſque officio ſatisfacere: ad quod accedit, hoc ipſum videri expedire Eccleſijs, quia qui diutius in aliqua Eccleſia miniſtrarunt, ſolent meliùs & exactiùs perficere quæ ad dignitatem pertinent.

Non ita ſimul admitti ſolent ſub eodem tecto Canonicatus & Cappellania, quia videntur eſſe magis beneficia vniformia, licet enim vnum ſit altioris gradus quàm alterum, tamen vtraque potiſſimum ſunt deſtinata ad eaſdem functiones, videl. ad cantũ & miniſteriũ Chori: nihilominus communiter haberi videntur tanquam difformia, quorum proinde prius non vacaret de iure per pacificam poſſeſſionem ſecundi, licet niſi reſignetur, eo ſit priuandus de iure qui vtrũque obtinet. Aliquando autem non licitè detinentur

detinentur ſimul duo aliqua beneficia, quã-uis interim neutrum de iure vacet, neque etiam de iure priuari debeat vtroque vel altero qui illa habet, licet in conſcientiâ teneatur vnũ dimittere: talia poſſunt eſſe duo ſimplicia in diuerſis Eccleſijs, quorum primum eſt inſufficiens, & ſecundum ſufficiens: & non requirunt ambo perſonalem reſidentiam.

DVBIVM XIX.

Vtrùm aliquando licita ſit diſpenſatio ſuper pluralitate beneficiorum etiam requirentium reſidentiam?

79 Reſpondetur: Aliquando licitè ſuper tali pluralitate per Pontificem diſpenſari poteſt: quando ſcilicet iuſta ſubeſt cauſa. Ita docet D. Tho. Quodlibeto 9. art. 15. & alij DD. communiter. Cauſam verò iuſtam ſic diſpenſandi ponit D. Thom. loco citato, Eccleſiæ neceſſitatem: cui adde, aut magnam eius vtilitatem, ad quas reducuntur aliæ rationes quæ à Doctoribus allegantur. Sic D. Gregorius, vt conſtat lib. 2. Epiſtolarum cap. 52. ob certam Eccleſiæ neceſſitatem, voluit quendam Epiſcopum nomine Agnellum habere duos Epiſcopatus. Similiter Sanctus Maternus legitur præfuiſſe pluribus cathedris, & diuerſi Sancti Abbates pluribus præfuerunt monaſterijs, non quidem ipſis ambientibus, ſed à ſuperioribus ad hoc requiſitis, vel potius compulſis: idque vel ideo quod alij idonei deeſſent, vel quod hi propter ſingularem doctrinam, ſanctitatem, vigilantiam, rerum ſæcularium contemptum, & propter alias virtutes iudicarentur vtilius poſſe adminiſtrare plures eiuſmodi curas, quàm ſi ſingulis eſſet prouiſum de vno aliquo Paſtore proprio.

80 Sic & his temporibus conferuntur aliquando principibus viris plures Epiſcopatus, quia putantur deeſſe alij Catholici ſatis potentes qui Eccleſiam aduerſus hæreticos defendant.

Poteſt autem hæc doctrina confirmari ex Diuo Bernardo, qui Epiſtola 271. ad Comitem Theobaldum ita ſcribit: Honores & dignitates Eccleſiaſticas non ignoro deberi his qui eas dignè, & ſecundum Deum adminiſtrare poſſunt, & velint: porrò acquiri paruulo filio veſtro precibus meis aut veſtris nec vobis iuſtum, nec mihi tutum eſſe noueritis: nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Eccleſijs habere licet, niſi, inquit, diſpenſatoriè quidem ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonæ vtilitatem: puta, quia talis perſona iudicatur ſingulariter futura vtilis Eccleſiæ, ſicuti iam ante de aliquibus Sanctis diximus.

Huc itaque ſpectat, quod in Capitulo De multa prouidentia, De præbendis, dicitur Pontifex poſſe diſpenſare circa ſublimes & litteratas perſonas, quæ beneficijs maioribus ſunt honorandæ: quia ſcilicet ad Eccleſiæ vtilitatem & profectum videbatur id ſpectare: quod tamen Conc. Trident. ſup. ſſ.24. cap. 17. non videtur, approbare; forſitan quia propter exemplum & ſequelam obſeruauit plura incommoda inde Eccleſiæ obuenire, quàm commoda. 81

Dixi, licitè diſpenſari poſſe quando iuſta ſubeſt cauſa: nam ſi hæc non ſubſit, tunc & diſpenſans grauiter delinquit, & ille qui diſpenſationem petit & accipit, ſimiliter peccat, neque tutus eſt in conſcientia per eiuſmodi diſpenſationem, ſed tenetur alterum reſignare. Ita docet D. Thom. ſuprà, Quodlibeto 9. artic. 15. Adrianus in 4. de pluralitate præbendarum. Caiet. V. Beneficiorum multiplicatio. Soto lib. 3. quæſt. 6. art. 3. Toletus lib. 5. cap. 71. Ioannes Maior in 4. diſtinctione 24. quæſt. 4. & alij Doctores communiter.

Ratio inprimis eſt, quia nequidem Pontifex eſt dominus beneficiorum, ſed diſpenſator; non poteſt autem diſpenſator pro ſuo arbitrio diſtribuere bona ſuæ fidei & prouidentiæ relicta diſpenſanda ſeu eroganda; ſed iuxta æquam rationem & voluntatem eorũ qui illa diſpenſanda reliquerũt aut cõmiſerũt, obligatur ea diſpẽſare & diſtribuere.

Secundò, Quia minuitur diuinus cultus quando vnus plura beneficia poſſidet & Eccleſia deſtituitur ſuis miniſtris: vnus enim non plures legit Horas Canonicas, neque in diuerſis Eccleſijs miniſtrat: fruſtrantur & alij ſæpius indigentes Clerici fortè magis idonei, magiſque vtiles Eccleſiæ, quàm qui plura detinent.

Hinc iuxta Caiet. loco citato eſt contra ius diuinum naturale, quod vnus plura beneficia poſſideat quæ ſingula ſuum poſſunt ſuſtentare miniſtrum.

Cæterùm notat Mald. non eſſe iuſtam cauſam diſpenſandi ſuper pluralitate beneficiorum, vt qui ea obtinere intendit, aut poſſidet, fructus eroget in pios vſus: quod etiam DD. communiter tradunt, teſte Nauarro in Commentario de pluralitate beneficiorum, quamuis ipſe quoad retentionem videatur aliter ſentire: ſed ratio videtur euidens, quia diſpenſatio requirit cauſam extra ordinariam: quod autem fructus ſuperflui erogentur in pios vſus non eſt quid extraordinarium. Deinde propter bonum aliquem finem rei per accidens, non debent inuerti leges & ſtatuta quæ ſeruiunt ad bonum finem 82

Digitized by Google

finē ipſius rei per ſe multò: vnde minus debet eâ de cauſâ omitti finis per ſe; per accidēs autē eſt beneficijs, quod fructus impendantur in alios pios vſus, quàm in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, quatenus ſcilicet contingit beneficium habere plures fructus quàm miniſter indigeat, per ſe autem beneficijs conuenit quod inde alantur miniſtri Eccleſiæ, & hi iuxta eorum numerum multiplicentur quantum fieri poteſt: ergò &c.

DVBIVM XX.

Quæ beneficia requirant reſidentiam, & qualem?

83 RESPONDEO & DICO Primò: Quæcumque dignitates quibus animarum cura incumbit, & quæcumque alia beneficia curatá requirunt iure diuino reſidentiam perſonalem.

Probatur ex Conc. Trident. ſſ. 23, cap. 1. Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, inquit, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offere, Verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam gerere, quæ omnia nequaquam ab illis præſtari poſſunt qui gregi ſuo non inuigilant neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores &c. quibus Concil. ſatis manifeſtè declarat aut potius ſupponit, eos quibus cura animarum incumbit, iure diuino ad reſidentiam obligari: quod & ex varijs Scripturæ locis deduci poteſt: 1. Petri cap. 5. Actorum, cap. 20. Ioannis, c. 10. & 21. & ita hîc docet Caiet. q. 185. a. 3. & in ſum. V. Beneficium Eccleſiaſticum, Soto lib. 10. qu. 3. art. 1. Garcias p. 3. cap. 2 n. 16 Nauar, cap. 25. n. 121. Mald. dub. 19. & alij. Neque tantùm iure diuino poſitiuo, ſed etiam naturali dicunt hanc reſidentiam requiri; quod ſufficienter videtur demonſtrari ex illis, quæ Concil. Trid. declarat de paſtoribus & cura animarum habentibus, ex officio incumbere.

Vnde neque per diſpenſationē poteſt quis ab hoc onere reſidendi abſolui, niſi in caſu cauſæ talis, propter quam iudicetur hic & nunc ius iſtud naturale quaſi ad tempus cedere, vt ſi neceſſitas magna Eccleſiæ vniuerſalis requirat ad tempus aſio in loco præſentiam huius perſonæ quæ hoc in loco curam animarū habet: tunc autem diſpenſatio ſeruiet ne peccetur contra leges Canonicas.

84 DICO Secundò: Epiſcopi poſſunt continuè vel diſcontinuè quotannis abeſſe tribus menſibus non petitâ à ſuperiori licentiâ, neque cauſâ abſentiæ apud eum explicatâ abſque eo quod pœnam aut mulctā temporalem incurrant, ſed non vltrà. Ita permittit hoc Epiſcopis Cōc. Trid. loco cit. Quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi etiam ſine cauſâ licitè tāto tēpore quotannis abſq; peccato abeſſe poſſint, ſed quia ſolent moraliter occurrere ſingulis penè annis aliquæ neceſſitates, quæ Epiſcopi abſentiā ad tempus requirant, hinc ne Epiſcopis videretur imponi conditio durior, ſi omni occaſione deberent cauſas illas ſuperiori explicare & veniā abſentiæ accipere, ideo illud committitur ipſorū iudicio & conſcientiæ, quòd ex cauſis poſſint abſque illo recurſu ad ſuperiores abeſſe tanto tempore. Quare ſi abſq; iuſtâ ratione, etiam tempore illo ſolum abfuerint, erunt coram Deo peccati rei: quod Concil. ibidem manifeſtè ſignificat, quando dicit in illis abſentijs debere rationem haberi, vt æquâ ex cauſâ fiant, & abſque vllo gregis detrimento, quod an ita ſit, abſentantium conſcientiæ relinquit.

Neque his obſtat quod Conc. paulò antè 85
præmiſerit: quoniam autem qui aliquantiſper tantū abſunt ex veterum Canonū ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, non enim hoc allegat quaſi abſentia duorū vel trium menſiū reputari poſſit quaſi pro nulla, atque ita Epiſcopis liceret abſque peccato, tanto tempore abeſſe citra iuſtā cauſam, vt ex iam allegatis ſatis patet: ſed ad hoc adducit vt intelligatur talis abſentia poſſe cōſiſtere cum retentione Epiſcopatus, nec ideò debere ab officio amoueri, vel ipſe teneatur dimittere, poſſitq; etiam diſcretioni eius & conſcientiæ id cōmitti; cum è contra quādo abſentia deberet eſſe quaſi perpetua, tunc ſecundū ius diuinū naturale videretur obligari ad Epiſcopalem curam dimittendā, aut ſi quoq; notabiliter frequens & longa ſit futura quod tū mereatur examen ſuperioris. Hinc Conc. ibidem ſtatuit, vt dum cauſæ aliquæ nonnunquam aliquos diutius abeſſe poſtulabunt, quatenus eas Pontifici, aut Metropolitano, vel hoc abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidenti exponant in ſcriptis approbandas.

Niſi tamen quando abſentia incideret propter aliquod munus & Reip. officium Epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniā cauſæ notoriæ ſunt, & interdum repentinæ, nec eas quidē ſignificari Metropolitano neceſſe erit, inquit Conc. Si quis autē Epiſcopus contra has Concilij diſpoſitiones abfuerit, ſtatuit idē Conc. præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas & innouatas ſcilicet ſſ. 6. cap. 1. De reformat. ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro ratâ temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, (aliâ etiam declaratione non ſequutâ,) illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri per ſe, aut ipſo ceſſante ſeu non exequente, per ſuperiorem Eccleſiaſticum fabricæ

Digitized by Google

fabricæ Eccleſiarũ aut pauperibus loci erogare:ita Conc.ſſ.23.cap.1. de reformatione, vbi & prohibet quamcumque cõuentionem vel compoſitionem quæ pro fructibus malè perceptis aliquando admittitur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs.

86 Dico Tertiò: Eadẽ omninò tam quoad culpam, quàm quoad amiſſionem fructuum & pænas declarauit & ſtatuit idem Concil. loco citato de curatis inferioribus & alijs quibuſcumque qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent: vbi & hoc addit, ita tamen vt quandocumque eos cauſa prius per Epiſcopum cognita & probata abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquãt: Diſcedendi autẽ licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa non obtineant.

Vbi quæritur, vtrùm abſque licentia Superioris poſſint parochi continuè aut interruptè ad duos menſes ex iuſta cauſa abeſſe quamadmodũ id Epiſcopis Conc. concedit vt ad bimeſtre, vel trimeſtre abeſſe poſſint.

Nauarrus cap.25.n.121. putat probabiliter poſſe quando iuſtam cauſam habent, & alij plures quos citat Garcias p. 3. c.2. n.19. in quam ſententiam videtur inclinari etiam Mald. dub.19. quando ſic ſcribit: alij curam animarum habentes inferiores (ſcilicet Epiſcopis) non poſſunt abeſſe vltra duos menſes etiam cum cauſa ſine conſenſu Epiſcopi, qui non conſentit ſine graui cauſa & in ſcriptis, ſcilicet iuxta diſpoſitionẽ concilij, vbi ſupponere videtur, quod ex cauſa abeſſe poſſint. ad duos menſes abſque petitâ licentiâ. Neq; putat Nauarr. obſtare quod concilium dicit, vt non obtineant licentiam ab ordinario, niſi ad bimeſtre tempus, quia hoc dicit poſſe intelligi de alio bimeſtri.

Verius nihilominus videtur, quod concilij mens ſit, vt non abſint vel vno bimeſtri abſque facultate Epiſcopi: dicit enim vt quandocumque cauſà prius per Epiſcopum cognitâ & probatâ abeſſe contigerit, Vicarium idoneum &c. quo indicat cauſam ſemper prius ab Epiſcopo eſſe probandam, & tenet Garcias loco cit. cum multis quos citat. Contrarium tamen videtur praxis in his prouincijs magis obtinere, præſertim in abſentia diſcontinua.

87 Dico Quartò: Qui in Eccleſijs cathedralibus vel collegiatis obtinent dignitates, canonicatus, præbendas vel portiones nõ poſſunt quolibet anno abeſſe vltra tres menſes, alioquin primo anno debent priuari mediâ parte fructuum quas ratione præbendæ ac reſidentiæ fecerunt ſuos; quod ſi iterum eâ vſi fuerint negligentiâ, debent priuari omnibus quos eodẽ anno vt antè, fecerant ſuos. Ita ordinat Conc. Trid. ſſ.24. cap.12. Creſcente autem contumaciâ debet contra tales procedi iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones dicit idem Concilium.

Notandum hîc primò, per Conc. reuocari ibidem omnes conſuetudines & ſtatuta, quibus antea permiſsũ fuerat (per Cap. Scilicet indulgentiam) diutiùs abeſſe abſq; fructuum perditione aliqua. Dicitur enim: Non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti aut conſuetudinis vltra tres menſes abeſſe: quare locũ non habet ſaltẽ in prouincijs vbi concilium debitè eſt publicatum (eſto quod non ſit receptum: non enim à ſubditorum receptione pendet obligatio legis Concilij generalis aut Pontificiæ, imò nec ſupremi Principis ſæcularis, vt late oſtendi 1. 2. q.96. dub.5. per totum: vnde immeritò affingit nobis Diana in p. 4. Tract.4. Reſol.127. in fine, quod oppoſitũ doceam, cum ea opinio ſemper mihi diſplicuerit) illud quod Nauar. ſcribit c.25. n. 121. conſuetudinem ſcilicet excuſare longiorem abſentiam. E contra tamen, ſi aliquarũ Eccleſiarum ſtatuta requirant maiorem reſidentiam ita vt ne quidem abſentiam trium menſium permittant, ea vult concilium manere in ſuo robore & obſeruari.

Notandum Secundò: Non reuocari priuilegia à iure communi ſeu Sede Apoſtolica cõceſſa, vnde diutius à reſidentia licebit abeſſe etiam cum perceptione fructuũ ex cauſis propter quas iura concedunt licentiam abeſſendi. Sic inprimis qui Theologiam docent in locis vbi florent ſtudia, excuſantur à reſidentia quãtumuis longo tempore. Patet ex Capitulo Super ſpecula, ſiue Capit. finali, De magiſtris. Addo in locis vbi ſtudia florent, quia ſic reſtringitur iſta facultas, Capitulo Tuæ fraternitatis, De Clericis non reſidentibus. 88

Excuſantur Secundò, pro quinquennio, illi qui Theologiam audiunt, ſic ſcilicet vt nec hi nec iſti indigeant peculiari licentia Epiſcopi aut Superioris pro tali abſentia. Conſtat idem ex citato Cap. finali. Confirmari vtrumque poteſt ex Concil. Trid. ſſ.5. cap.1. de reformatione in fine: vbi dicitur: Docentes verò ipſam ſacram Scripturam dum publicè in ſcholis docuerint & Scholares qui in ipſis ſcholis ſtudent, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, præbendarum & beneficiorum ſuorum in abſentia à iure communi gaudeant & fruantur.

Controuertitur tamen, vtrùm nunc ſtante Concilio Tridenſ. prædictum priuilegium quoque procedat in parochialibus & in curatis beneficijs, ita vt huiuſmodi beneficiati legentes Theologiam aut in ea ſtudentes in Vniuerſitate, excuſentur à reſidentia? Ratio dubitandi ſumitur tum ex Cap. 2. Concil. Trident. Seſſ. 6. vbi dum agitur de beneficijs Eccleſiaſticis perſonalem reſidentiam requirentibus, dicitur, nulliquc priuilegia

legia ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis, ſuffragentur : quod etiam arctius videtur ſignificari Seſſ. 23. cap. 1. De reformatione circa finem, quoad illos qui habent beneficia curata. Nihilominus multi tenent eos excuſari, vt Sa V. Reſidentia num. 8. & alij quos citat Garcias 3. parte cap. 2. num. 74. quia vbi derogatur ſimpliciter priuilegijs, in dubio non intelligitur de inſertis in iure, quod in præſenti vel maximè locum habet, quandoquidem idem Concilium iam priùs iſtud priuilegium ratificauerat : & addit Garcias quod ſciat ita aliquando fuiſſe ſeruatum in aliquot Cathedraticis Profeſſoribus in Vniuerſitate Salmantina : finaliter tamen videtur propendere in oppoſitam ſententiam propter diuerſas declarationes Sacræ Congreg. Cardinalium, niſi ſaltem acceſſerit licentia obtenta à Superiore. De qua re licebit apud illum plura videre loco citato.

Extendunt autem Panorm. ad dictum Capitulum, & Archidiaconus in Capitulum ſecundum, De priuileg. & plerique alij, idem priuilegium reſpectiuè ad illos qui docent vel audiunt ius Canonicum in locis, vbi tale ſtudium viget.

Vt verò poſſit quis abeſſe causâ ſtudendi Humanioribus aut Philoſophiæ, requiritur licentia Epiſcopi aut Superioris: Colligitur ex Capitulo Relatum, De Clericis non reſidentibus. Fundamentum autem prætacti priuilegij eſt, quia qui ſtudij causâ abſunt, cenſentur abeſſe pro vtilitate Eccleſiæ vniuerſalis quæ ad ſui regimen maximè indiget litteratis ſeu doctis Viris, vt ſignificatur Capitulo Cum ex eo, De electione in ſexto, vbi loco quinquennij indulgetur pro Theologico ſtudio ſeptennium.

Excuſari tertiò poſſunt duo Canonici ſi abſint propter obſequium Epiſcopi pro Eccleſiæ vtilitate, vt habetur Capitulo De cætero, & Capitulo Ad audientiam, De Clericis non reſidentibus.

Excuſantur quartò, qui ſunt in obſequio Pontificis ad Eccleſiæ vtilitatem, Capitulo Cum dilectus, De Clericis non reſidentibus.

Excuſantur quintò, qui infirmitate impediuntur Capitulo Primo, De Clerico ægrotante.

Excuſantur ſextò, qui legitimam obtinuerunt licentiam ex iuſta aliqua cauſa, vt qui religioſę peregrinationis gratiâ cum venia ſuperioris abſunt, qui propter pericula ſibi ab aduerſarijs in eo loco imminentia ſe abſentant, quando ipſi eis non dant cauſam, aut propter ſimiles aliquas rationes à ſuperioribus approbatas.

Obſeruandum Tertiò: Eos qui ſic ex pri-
89 uilegio abſunt non recipere victualia, vt loquitur Cap. Ad audientiam, ſiue non lucrari diſtributiones, quas Concil. Trident. vult ijs ſolis dari qui horis ſtatutis interfuerint quâuis colluſione & remiſſione excluſis, præter illos tamẽ qui omnino inuoluntariè abſunt, vt propter morbum, Cap. 1. De Clerico ægrotante, propter captiuitatem, propter excommunicationem iniuſtã &c. aut niſi quis abſit ad curanda Eccleſiæ negotia ex commiſſione Capituli.

Dico Quintò: Vt prædicti beneficiati 90
qui præbendas habẽt liberas ſine alio officio, v. g. docendi, concionandi, audiendi confeſſiones, aut ſimili onere non grauatas, ritè peragant ſuam reſidentiam, non ſufficit quòd in die interſint ſemel officio Chori, etiamſi forſitan ex cõſuetudine Eccleſię permittantur tales gaudere prouentibus cum alijs, ſed debent intereſſe diuinis officijs omnibus, ita vt à peccato mortali non videantur excuſandi illi, qui iuſtâ ceſſante causâ abſentant ſe ordinariè, ab vno aut pluribus officijs.

Probatur, quia ordo Canonicorum maximè non cathedralium, eſt in Eccleſia principaliter inſtitutus, vt ipſi horis nocturnis & diurnis Deum in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus laudent, pro beneficijs gratias agant, iram Domini precibus & interceſſione ſua à populo auertant: & exequantur illud Prophetę Ioëlia c. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo ſuo, & ne des hæreditatem ſuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes*: quo nomine liberalem paſſim ex bonis Eccleſię obtinent ſuſtentationem. Vnde ex officio ſuo & ex feriâ Eccleſiæ voluntate obligantur iſta ſedulo curare & præſtare. Quàm autẽ magnopere & ſeriò Eccleſia ab iſtis hoc requirat, ſatis euadit manifeſtum inde, quòd paſſim in Concilijs ſtudioſiſſimè allaboret quibuſcũque modis oportunis curare, vt omnes ſic reſideant & omnibus diuinis officijs interſint. Sic nouiſſimè Concil. Trident. ſſ. 21. cap. 3. inſtituit, vt tertia pars fructuum tam dignitatum & officiorum, quàm Canonicatuum conuertatur in diſtributiones, vt ita magis incitentur omnes, ſi non puro illo affectu pietatis & religionis quo conueniret, ſaltem metu aliquo perditionis alicuius de rebus temporalibus inducantur; atqui notabilis negligentia in officio diuino & in miniſterio Eccleſiæ tanti momenti, & quod tam ſeriò ipſa vult ab omnibus diligenter expleri, non videtur poſſe à graui peccato & mortali excuſari: ergò &c.

Confirmatur, quia ex communi ſententia DD. peccant mortaliter in ſacris conſtituti & beneficiati qui negligunt lectionem vnius horæ, quanto igitur magis Canonici & qui ex munere ſuo debent intereſſe diuinis officijs ad fines præmemoratos, cenſendi ſunt

Digitized by Google

peccare mortaliter qui ceſſante etiam legitimâ cauſâ, faciunt quaſi conſuetudinem ſemper ſe abſentandi, niſi quod ſemel in die interſint officio, vt cum cæteris gaudere poſſint: prouentibus ſuæ præbendæ, quibus indigni ſunt.

91 Dixi, Qui habent præbendas liberas, quia in his qui habent alio onere grauatas, Eccleſia quaſi commutauit officium Chori in aliud munus ſibi & populo magis neceſſarium, aut magis vtile: quare hi meritò cenſentur ab officio Chori excuſati, prout & iura eos habere excuſatos qui Theologiã docent, antè oſtendimus: & tradit Nauar. cap. 25. n. 120.

Dixi etiam, qui ordinariè, vel quaſi ex conſuetudine ſe abſentant, & qui ſine legitimâ causâ id faciunt, quia ſi tantùm aliquando per occaſionem, id quis faciat, non exiſtimo eſſe periculum peccati mortalis. Similiter quoque ſi forſitan frequentiùs ſe abſentent, ſed ex iuſtis cauſis, (quales à Concilio Tridentino Seſſ. 23. cap. 1. De reformatione declarantur eſſe Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ neceſſitas) poterunt quoque à peccato excuſari.

Ex dictis colligere licet, primò grauiſſimè delinquere illos qui diuina officia negligunt, vt vacent compotationibus, ludis chartarum, vel alearum, choreis, venationibus, & ſimilibus vitijs aut exercitijs quæ ſpecialiter per Canones Clericis omnibus ſunt interdicta quouis tempore.

Secundò licet colligere, conceſſionem ſeu permiſſionem abſentiæ ad tres menſes, quam admittit Concil. non ſic eſſe accipiendam, quaſi Canonici liberè & licitè abeſſe poſſint à Choro ſingulis annis tanto tempore pro mero libito, ſed hoc ſenſu quod ex honeſtis cauſis abeſſe poſſint illo tempore abſque particulari licentia ſuperiorum, ſicuti diximus antè de Epiſcopis: Inter cauſas autem honeſtas pro illo tempore, poteſt etiam cenſeri honeſta recreatio pro meliori corporis valetudine, & aliqua animi relaxatione; item vacatio ad propria aliqua negotia etiam temporalia, & ſimilia quædam, quæ tamen non reputarentur ſatis iuſtæ ad alias longiores abſentias.

Dico Sextò: In ſimplicibus quibuſdam beneficijs non requiritur reſidentia perſonalis: quod euidentius habet locum in illis quorum fundatio id ipſum adfert & exprimit. Imò ex generali conſuetudine non videntur modò beneficia ſimplicia reſidentiam requirere, vt poſt multos tradit Garcias parte 3. cap. 2. num. 3. quod ex diuerſis Deciſionibus Rotæ confirmat. Quando tamen eſſet de aliquo dubium, vtrùm per conſuetudinem obtinuiſſet libertatem à reſidentia perſonali, nec ſatis conſtaret de bonæ fidei præſcriptione ſaltem quadraginta annorum, inquit Malderus, tunc præſumitur beneficium requirere reſidentiam, nam vt docet Gloſſa ad Capitulum Si fortè, De electione in ſexto, intrinſeca & originalis qualitas præſumitur ineſſe, niſi probetur contrarium: quia etiam omnia beneficia ſimplicia de Iure requirunt reſidentiam, vt habet Gloſſa cum alijs ad Capitulum Finale, De reſcriptis in 6. 92

CAPVT QVARTVM,

De Simonia.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Simonia?

1 Simonia nomen deſumptum eſt à Simone Mago, qui Actorum cap. 8. obtulit Apoſtolis pecuniam, vt illi darent poteſtatem illam, vt quibuſcumque imponeret manus, acciperent Spiritum Sanctum, idque eo fine, vt hac poteſtate acceptâ ipſe vteretur ad quæſtum temporalem, & venderet Spiritum Sanctum, vt Diuus Gregorius docet Homilia 4. in Euangelia, & Homilia 60. ad populum, D. Auguſtinus in Pſalmum 130. & Tractatu 1. in Ioannem, & D. Tho. hac parte, quæſt. 100. artic. 1. & alij Doctores paſſim.

Non tamen hic fuit primus, qui peccatum illud commiſit, ſed & in lege veteri fuerunt aliqui eo infecti, vt Balaam Numer. cap. 22. & 23. & Giezi, miniſter Eliſei, qui pro mundatione leproſi diuinâ virtute per Eliſeum factâ, pretium accepit, 4. Regum cap. 5.

Nihilominùs à Simone Mago peccatum hoc nomen accepit potius, quàm ab alijs, tum quod hic apertius in Scriptura Noui Teſtamenti cum anathemate arguatur huius delicti, quando à Diuo Petro illi dictum eſt, Actorum 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſidere*: tum etiam, quòd hic rem ſacratiorem voluit, & pretio compa-

comparare, & vendere, quàm cæteri qui illius vitij prius notantur: voluit enim emere & vendere ipſum Spiritum Sanctum, alij autem verſati ſunt circa rem aliquam creatam ſpiritualem.

2 His præmiſſis definitur ſimonia communiter eſſe ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, aut aliquid ſpirituali annexum. Ita Gloſſa ad Capitulum Qui ſtudent cauſa 1. quæſt. 1. Cui tamen Doctores addere ſolent, Pro pretio temporali, quaſi maioris explicationis gratiâ. Sub nomine voluntatis comprehenditur quoque opus à tali voluntate procedens. Dicitur tamen eſſe voluntas, vt intelligatur non tantum externum opus hominem conſtituere ſimoniacum, ſed quod etiam ſola voluntas id poſſit efficere, vt patet Capitulo Conſulere, De ſimonia: vbi dicitur, quod qui voluerint per pecuniam obtinere Eccleſiaſticam adminiſtrationem cum Simone percellantur. Additur, Studioſa, id eſt, deliberata iuxta Syluestrum, & alios: & hinc voluntatis motus non plenè deliberati non faciunt hominem ſimoniacum, vt nec illi qui procedunt ex ignorantia inculpata. Dicitur, emendi vel vendendi, quibus verbis ſignificatur omnis contractus oneroſus, quo ſcilicet aliquid datur aut accipitur non gratis, ſed quaſi pretio temporali interueniente.

Vbi tam ex parte contractus oneroſi, quàm ex parte eius quod inſtar pretij conſideratur, eſt magna latitudo: ad ſimoniam enim ſufficit quicumque contractus non gratuitus quo detur vel accipiatur res ſpiritualis pro aliquo tanquam pretio, id eſt, pro eo quod pecunia æſtimari ſolet; imò ſufficit voluntas ſic dandi aut accipiendi, vnde ſub his nominibus emendi aut vendendi comprehenduntur etiam contractus innominati, v. g. do vt des, do vt facias, facio vt des &c. Syluest. V. Simonia num. 1. Azor. 3. parte lib. 12. cap. 1. Bonac. tom. 1. Tract. De ſimonia, quæſt. 1. n. 3. cum pluribus quos citat. In qua generalitate nomen venditionis etiam in iure Ciuili aliquando capitur, vt l. Sicut §. venditionis: D. Quibus modis pignus.

Si quis tamen pretium dare promitteret pro re ſpirituali ſine voluntate dandi, ſed tantum decipiendi, non eſſet verè ſimoniacus, etſi intuitu huius promiſſionis rem ſpiritualem eſſet conſecutus, vt docet Soto lib. 9. De Inſt. quæſt. 8. art. 1. Toletus lib. 5. cap. 90. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 1. n. 11. Caietanus Opuſculo, De ſimonia quæſt. 2. Peauſius de ſimonia qu. 1. & ex illis Mald. Tractatu 9. cap. 3. dub. 1. vnde neque ſimoniæ pœnas ſeu cenſuras incurret, vt addit Malderus. & Bonac. ex Suarez.

Non tamen excuſatur talis à peccato mortali, quia inprimis in foro conſcientiæ eſt reus ſimoniæ alterius partis quam participat & ad quam quaſi efficaciter concurrit: vt notat Nauarr. cap. 23. num. 106. & Bonac. ſuprà num. 5. Secundò, propter ſcandalum aliorum, qui exiſtimant eum ſimoniacum & eius exemplo forſitan inducuntur ad res ſpirituales emendas & vendendas. Denique, quia etiam quædam eſt irreuerentia rei ſpiritualis quod vel externâ ſimulatione ita quiſpiam eam cum pretio temporali comparat.

Porrò ſolent DD. diſtinguere triplex quaſi genus huiuſmodi temporalis pretij, 3
cuius actione vel datione pro re ſpirituali committitur ſimonia: idque ſumunt ex Capitulo Saluator cauſa 1. quæſt. 3. vnum vocant pretium muneris, vt, v. g. pecunia, torques, bos, equus, & alia conſueta vendi. Alterū vocant pretium linguæ, vt, v. g. laudatio alicuius, aut vituperatio, patrocinium Aduocati & ſimilia. Tertium denique vocant pretium obſequij, vt miniſterium in rebus temporalibus, v. g. ſeruitium famuli, officium œconomi, vel quid ſimile.

Dicitur in definitione quoque, emendi vel vendendi aliquid ſpirituale aut ſpirituali annexum, quia vt docet D. Thom. turpitudo ſimoniæ in hoc conſiſtit, quòd res ſpiritualis vilipendatur, & contra reuerentiam illi debitam agatur: idque inprimis quia temporali pretio æſtimatur, quodque veluti ei æquiparatur, dum talis æſtimatio fit. Deinde, quia vſurpatur quaſi eſſet in dominio venditoris, aut futura in dominio emptoris, cum tamen ſola diſpenſatio illius ſit hominibus concredita.

Et hinc res merè temporales non ſunt materia ſimoniæ: quando enim illæ quomodolibet inter ſe commutantur, non fit iniuria inde rebus ſacris, nec irreuerentia infertur.

Vnde ex eodem principio colligunt Doctores non committi ſimoniam, quando res ſpirituales inter ſe conferuntur & permutantur, ſi nullum interueniat temporale, ratione cuius hæc permutatio procedat. Ita Franciſcus à Victoria de ſimonia relectione 1. Soto lib. 9. quæſt. 5. art. 2. Mald. ſuprà, Bonac. ſup. num. 6. Arrag. hîc quæſt. 100. ad art. 1. & alij plures. Quare non eſt ſimoniacus contractus ſi aliqui paciſcantur mutuas preces, mutua ſacrificia, mutuam operam in audiendis confeſſionibus, vt ait Soto contra Richard. in 4. diſt. 25. quæſt. 3. quia nulla apparet irreuerentia rei ſacræ ſi cum alia re ſacra componatur.

Quando itaque dicitur tunc ſimoniam eſſe, dum accipitur aut datur res ſpiritualis 4
contractu oneroſo ſiue non gratuito, tunc nomine talis contractus intelligitur ille qui adfert onus dandi aliquid ſcilicet temporale cuiuſcumque generis antè explicati pro re ſpirituali.

ſpirituali. Vnde ſimiliter neque ſimonia eſt, aut illicitum beneficia & titulos inter ſe permutare, ſtando in iure naturali & diuino, & abſtrahendo ab Eccleſiæ conſtitutione. Ita docet Arrag. ſup. Addo autem abſtrahendo ab Eccleſiæ &c. quia modò, vt licitè fiat eiuſmodi permutatio, debet Superiorum intercedere auctoritas, quia hoc ita Iura ſtatuunt; Imò permutationem aliter factam arguunt quaſi ſimoniacam, Cap. Quæſitum, De rerum permutatione: verùm id vel intelligendum eſt, de ſimoniâ latè ac minus propriè dictâ, quatenus aliqua irreuerentia videtur fieri rei ſacræ hoc ipſo quo aliter commutatur, quàm leges Eccleſiaſticæ permittunt, nō de ſimoniâ propriè dictâ, quandoquidem ſupponatur nullum temporale pretium in illa commutatione interuenire; aut certè intelligendum eſt id dici ſecundum præſumptionem, quia ſcilicet præſumitur ſiniſtra aliqua intentio, & reſpectus ad temporale pretium concurrere, quando clanculum ſine ſuperioris auctoritate permutationes illæ fiunt, & quia id magis natum eſt fieri in illis ſpiritualibus, quę habent talia temporalia annexa. Sed hac de re latiùs infra agemus.

5 Res autem ſpiritualis, vt in propoſito de eâ eſt ſermo, definitur à Toleto lib. 5. c. 85. eſſe illa, quæ à Deo vt Auctore gratiæ procedit, vel ad illum vt eſt gratiæ auctor ordinatur. Sunt itaque quædam ſic eſſentialiter res ſpirituales, vt ſupernaturales virtutes, dona Spiritus Sancti, auxilia gratiæ, & ſimilia; quędam autem dicuntur tales quaſi cauſaliter, vt Sacramenta, quò etiam referri poſſunt gratiæ gratis datæ, quatenus ſunt quaſi virtutes operandi aliqua ſupra naturam: quædam verò tanquam effectus virtutum ſupernaturalium, vt ſunt v. g. ipſæ operationes quæ ſequuntur ex gratijs gratis datis, vt ſunt vaticinia Prophetarum, curatio ægrorum miraculoſa, & ſimilia.

Spirituali autem annexum eſt quippiam quod cum re ſpirituali habet coniunctionē: eſtque aliquando antecedenter annexum, puta quia ordinatur ad aliquod ſpirituale: ſic ius patronatus Laici antecedenter annexum eſt, quia ordinatur ad inſtitutionem alicuius in titulo ſeu officio ſpirituali; aliquando autem conſequenter, vt ius, v. g. percipiendi prouentus ex bonis Eccleſiæ quod ſequitur ex titulo, ſeu officio ſpirituali, quod in Eccleſia quis habet; aliquando autem poteſt etiam aliquid vtroque modo eſſe annexum ſpirituali, vt v. g. ius patronatus Eccleſiaſtici quod alicui competit ratione tituli ſpiritualis, vt ratione Epiſcopatus, aut ratione Abbatiæ, vel alterius dignitatis aut beneficij Eccleſiaſtici: eatenus enim annexum eſt conſequenter: vt autem ordinatur ad collationem aut inſtitutionem ſic antecedenter annexum eſt.

Obſeruandum verò eſt, quando ſic temporale & ſpirituale connexa ſunt, aliquando ipſum mixtum participare plus de ſpirituali, vt loquitur Toletus libro citato cap. 87. aliquando verò plus participare de temporali. 6

Prioris generis exempla ponit Sacramenta in quibus materia intercedit temporalis ſeu corporalis, ſimiliter beneficia Eccleſiaſtica, & quæ talia ſunt, ſimpliciter non licet emere aut vendere.

Poſterioris autem generis exempla ponit vaſa ſacra, templorum loca, Item muſicorum & cantorum officia (de quibus tamen dubitari poteſt propter Capitulum Saluator cauſa 1. quæſt. 3. vbi alia officia quæ minus de ſpirituali communicant vti apparet, prohibentur emi aut vendi) ſed tale quid rectè etiam ponitur, villa, vel caſtrum habens annexum ius patronatus ſeu ius præſentandi ad beneficium: ac in talibus eſt licitum emere & vendere id quod temporale eſt, cum quo tranſit ſpirituale, ſic tamen vt in pretij æſtimatione, prorſus nulla habeatur iſtius ſpiritualis ratio, neque propter eius annextionem pluris vendatur ipſum temporale, aut aliquid amplius offeratur.

Porrò in illis diſcernendis attendere oportet ad commune iudicium Eccleſiæ & Doctorum, ac obſeruare, in quibus ipſi ſentiant ipſum ſpirituale principaliter conſiderari, & in quibus contrà iudicent ipſum ſcilicet temporale potiſſimùm venire in conſiderationem cui ſpirituale ſit quaſi acceſſorium.

Vnde non inuenio fundamentum ſatis ſolidum, illa annexa in quibus cenſetur prędominari ſpirituale, vel è contra, vniuerſaliter diſtinguendi per certam aliquam regulam, ſi non quod iſta dici poſſint eſſe talia vt ſpirituale in illis præualeat, quæ Eccleſia propter eorum ordinem & coniunctionem cum ſpirituali, ſpecialiter vetuit vendi aut emi, in alijs verò præualere cenſeatur temporale, quæ ſcilicet iuſtis ex cauſis non obſtante aliquo ordine ad ſpirituale, permiſit aut tolerat emi aut vendi, modo ratione illius ordinis aut connextionis ad ſpirituale, non pluris ſeu maiori pretio temporali æſtimentur & vendantur.

D. Tho. quidem citata quæſt. 100. art. 4. in Corpore, indicare videtur ea, quæ antecedenter ſunt annexa, quia non præſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt, ideò poſſe aliquo modo vendi, & ita ferè alij DD. loquuntur, ſed neque hoc perpetuo verum eſt, vt patet in Iure patronatus Laici per ſe conſiderato, quod quidem ſimpliciter non eſt ſpirituale, vt ex eo conſtat quod à Laicis teneri & poſſideri licite poſſit, ſed annexum antecedenter ſpirituali, & tamen vendi non poteſt: ſimiliter contingit in pluribus officijs de quibus

Digitized by Google

quibus agitur citato Capitulo Saluator. Neque aliam certiorem regulam apud Doctores traditam inueni.

DVBIVM II.

Vtrùm omnis ſimonia ſit contra ius naturale & diuinum, an verò detur etiam aliqua quæ ſit tantum iuris humani?

7 SVppono hic, venditionem omnem ſeu permutationem rei ſpiritualis aut ſpirituali annexæ, cuiuſcumque fuerit generis, pro pretio temporali, ſi in illa permutatione habeatur ratio benedictionis ſiue conſecrationis, vel illius reſpectus aut ordinis ad ſpirituale, ſic vt hoc nomine maiori pretio temporali æſtimetur aut vendatur, eſſe ſimonaim iure naturali & diuino prohibitam, vt cõmm. DD. omnes ſentiunt: quia cõtra naturalem rationem, ac omninò inordinatum eſt, ea quæ naturæ indebita gratioſè nobis à Deo cõceduntur ad finem ſupernaturalem, ſcilicet ad noſtram & proximorum ſalutem, redigere in ordinem rerum naturalium ac temporalium, & in illis mercimonia agere ad lucrum temporale faciendum: eſtque contra reuerentiam rebus talibus iure naturæ debitam, ac ſimul contra præceptum Chriſti Domini Matt. 10. *Gratis accepiſtis gratis date*, id eſt, ſine pretio temporalis mercedis, aut quæſtũ, vt ex ſequentibus poteſt colligi: additur enim, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* His præmiſſis

8 RESPONDEO & DICO Primò: Præter hanc ſimoniam contra ius naturale & diuinum eſt alia quædam vera & propriè dicta ſimonia quæ iuris tantum eſt humani. Eſt contra Durandum in 4. diſtinctione 25. quæſt. vltima, & contra Pezantium, vt refert Mald. & contra Arrag. qu. 100. art. 1. Sed concluſionem communiter tenent alij DD. Palud. in 4. diſtinct. 25. quæſt. 4. art. 2. Soto lib. 9. quæſt. 5. art. 2. Suarez Tom. 1. De relig. lib. 4. De ſimonia, cap. 7. Mald. Tract. 9. cap. 3. dub. 3. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 4. & magis communiter, tum Theologi, tum Canoniſtæ ad Capitulum Quæſitum, & Capitulum Olim, De rerum permutatione, & Gloſſ. ad Capitulum Ex parte, De officio delegat.

Fundamentum autem huius eſt, quia Eccleſia poteſt ſolâ ſuâ ordinatione, ſiue lege efficere, vt illud quod naturâ ſuâ quatenus quid temporale eſt, non erat inuendibile ſeu vendi illicitum, fiat inuendibile, ac inhabile ad venditionem propter partem ſpiritualem, ſiue ob reuerentiam rei ſpiritualis cui illud temporale connexum eſt, ergò ſi quis tunc rem talem etiam quâ parte temporalis eſt, pretio temporali æſtimare & vendere attentet, committet veram ſimoniam, violando ſanctitatem rei ſpiritualis per prophanum contractum. Confirmatur à ſimili, quia poteſt Eccleſia locum ſacrum reddere immunem à poteſtate ſæculari, ita vt Iudex non poſſit indè abſtrahere reum, adeò vt ſi id facere præſumat, peccet non tantùm contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem religionis: ergò poteſt quoque rem temporalem ſpirituali connexam reddere immunem & liberam ſeu exemptam à ſæcularibus mercimonijs propter reſpectum rei ſacræ cui connectitur, ita vt ſi temporali pretio vendatur, peccetur non tantum contra obedientiam, ſed quoque contra reuerentiam rebus ſacris debitam, v. g. ſi quis vellet titulum beneficij gratis alteri reſignare, & prætenderet vendere ſolum ius ad percipiendos fructus, peccabit non tantum contra obedientiam, ſed & contra virtutem religionis: ſimiliter ſi prohibuiſſet Eccleſia veſtes & vaſa conſecrata etiam quoad ſuum materiale vendi, quia Dèo dicata ſunt, & aliquis nihilominus pretio venderet, peccaret talis contra virtutem religionis.

Et probari poteſt primò ex Concil. Trident. ſſ. 24. cap. 18. vbi de Examinatoribus in concurſu ad parochiales Eccleſias ita ſtatuit: Caueant ne quicquam prorſus occaſione huius examinis, nec antè nec poſt accipiant, alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes incurrant. 9

Vbi notandum, quod Concil. non dicat incurrant pænam ſimoniæ, ſed incurrant vitium: nam antè talem Eccleſiæ conſtitutionem, videtur fieri potuiſſe quod abſque ſimoniæ vitio examinator aliquis poſt examen & ſuffragia completa & reliqua quæ indè dependent, acciperet aliquid gratuitò planè oblatum occaſione ſeu intuitu illius examinis, quando nulla eius præuia petitio præceſſiſſet, vti ſatis intelligere licet ex Cap. Quàm pio, & Cap. Sicut Epiſcopum, cauſa 1. quæſt. 2. ergo quod talis nunc vitium ſimoniæ incurrat, eſt ex iure humano.

Verùm contra opponit Durandus: circa illud quod ſolùm ideo malum eſt, quia lege poſitiua prohibitum eſt, poteſt tantum eſſe peccatum in generali ratione inobedientiæ: non autem in particulari ſpecie alicuius vitij, v. g. irreligioſitatis, vt eſt ſimonia. Deinde Eccleſia non poteſt, vt apparet, ſuâ prohibitione ſola facere ſpirituale aut ſacrum quod non eſt tale: non videtur ergo quod poſſit eſſe ſimonia iuris humani: ſed hæc ex modo dictis facilè ſoluuntur.

Reſpondetur itaque ad primũ negando antecedens, & ratio eſt, quia quando aliquid

quid præcipitur aut prohibetur ex motiuo alicuius determinatæ virtutis, tunc hoc ipſum induit rationem materiæ talis virtutis, vnde qui legem illam tranſgreditur, committit peccatum, non tantum contra obedientiam, vt diximus, ſed etiam contra talem virtutem, ex qua præceptum manauit, vt conſtat in pluribus.

Nam, v.g. qui contra legem Eccleſiæ in die ieiunij veſcitur carnibus, non tantum eſt inobediens, ſed etiam intemperans; nam lege illâ poſitâ oritur circumſtantia ratione cuius non poteſt niſi intemper anter cibus ille tunc ſumi; nam intemperantia eſt comedere cum circumſtantijs cum quibus non oportet: ſic ex impedimento ab Eccleſia poſito in tertio & quarto gradu conſanguinitatis fit, vt ſi tales congrediantur, non committant ſimplicem fornicationem, ſed peccatum incœſtus.

Quādo itaq; prohibet Eccleſia rem aliquā temporalem ſubijci mercimonijs propter reuerentiam rei ſacræ ad quam habet ordinem & connexionem, tunc qui contrafecerit, non tantum inobediens erit dicendus, ſed etiam ſanctitatem rerum ſacrarum per contractum ſæcularem violare, & proinde ſimoniacus erit habendus.

Ad ſecundum reſpondetur, quamuis Eccleſia per ſuam prohibitionem ex re temporali non faciat ſacram, ſicuti facit per ſuā benedictionem & conſecrationem, tamen efficit vt res illa propter ordinem quem habet ad ſacra & ſpiritualia, non debeat temporali pretio permutari: & hoc ad ſimoniæ peccatum ſatis eſt.

DICO Secundò: Simonia iuris humani
10 primò, & principaliter locum videtur habere in venditione aut emptione beneficiorum, quatenus ſpectantur ſecundum partem ſuam temporalem: quòd ſi attendatur titulus ſiue officium Eccleſiaſticum, iam haud dubiè erit ſimonia iuris diuini.

Poſterior pars eſt certa & ſatis clara. Declaratur prior, quia omnium iudicio non tantum iniuſtitiam committeret qui gratis alteri titulum beneficij reſignaret, & tunc venderet eidem ius ad percipiendos temporales prouentus, ſed etiam ſimoniam: quæ tamen non eſſet ſimonia iuris diuini, vt apparet, quia ius illud ad prouentus temporales in ſe, eſt quid temporale, ſed annexum rei ſpirituali, ſcilicet titulo ſpirituali, propter cuius reſpectum eſt inuendibile per Eccleſiæ conſtitutiones.

11 Neque obſtat quod Theologi ſatis communiter dicere ſoleant beneficia iure diuino eſſe inuendibilia, quia ius percipiendorum fructuum eſt ſpirituale, vt à Victoria, De ſimon. n.42. Soto lib.9. quæſt.7.art 1. [illegible] Opuſculorum Tractatu 9. [illegible] & al[illegible] quia ibi conſiderant ius illud vt à parte rei creatur & dependens eſt ex titulo ſpirituali ſiue Eccleſiaſtico officio, atque adeò vt in ſe titulum illum tanquam fundamentum inuoluit; & eo ſenſu id quoque verum eſſe admittemus; imò addo, quia nullus Pontifice inferior diuidere poteſt titulum ſpiritualem ab illo iure, aut ius iſtud ab illo titulo (vt conſtat ex toto titulo vt beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur) inde etiam fit; quod tametſi quis dicat ac proteſtetur, & in animo quoque ſic ſentiat ſe reſignare omnino gratis titulum, ſed petere pecuniam tantùm pro mero iure fructuum temporalium, tamen præſumatur ſimoniacus etiam contra ius diuinum, & cenſeatur exigere pecuniam pro titulo ſpirituali, quatenus non poteſt hunc transferre niſi ſimul transferendo illud ius ad fructus temporales, neque poteſt hoc ius transferre niſi medianté tranſlatione tituli.

Sed tamen non videtur neceſſe idcirco, quod in re ipſa ſit ſimonia iuris diuini, quia tametſi non potuit titulo reſignato, ſibi ius fructuum reſeruare, tamen potuit tentare id facilè, & ſic pro eo exigere pretium, conſiderando illud quaſi ſeparatum à titulo, atque ita non videtur illa ſimonia formaliter & à parte rei eſſe iuris diuini, quamuis ob rationem allegatam præſumatur talis.

His ſatis cōforme eſt, quod ſcribit Adria- 12
nus Quodlibeto 9. ad 5. principale, beneficia ratione iuris fructuum, vendi poſſe, ſi Papa intendat vendere ius fructuum non medianté aliquo officiō ſpirituali; quia ſcilicet ipſe cauſâ ſubexiſtente non tenetur prohibitione Canonū quâ ius illud fructuū eſt factum inuendibile, & poteſtatem ipſe habet transferendi illud independenter à titulo, eſto quod ſimul aliâ gratuitâ collatione titulum addat: ſic & Nauarrus cap. 23. nu. 108. docet beneficia quoad partem pecuniariam & temporalem vendi poſſe à Summo Pontifice, ſicuti vaſa ſacra venduntur, quæ, quia vendi prohibita non ſunt. Hinc ratione materiæ quando benedictionis in pretio non habetur ratio, ſine ſimonia vendi poſſunt: ſecus autem, inquit Adrianus, ſi mediante titulo ſpirituali Papa intenderet vendere ius fructuum, quia ſcilicet iam ipſe titulus veniret in venditionem ſeu negotiationem.

DICO Tertiò: Habet locum inſuper 13
ſimonia iuris humani, & quidem communi iudicio eorum qui hanc admittunt, in venditione aut emptione quorundam quaſi officiorum quæ iure Canonico vendi prohibita ſunt propter aliquem ordinem ad res Eccleſiæ, aut ad res ſacrarum perſonarum, & ſi illæ res aliquando in ſe ſpirituales aut ſacræ non ſint. Patet ex Capitulo Saluator quæſt. 3. cauſa 1. & ibidem quæſt. 1. Capitulo Si quis Epiſcopus, vbi dicitur eſſe ſimonia

Digitized by Google

ſimonia vendere officium OEconimi, Vicedomini, Aduocati, Sacriſtæ: vbi nomine OEconimi Interpretes intelligunt eum qui res Eccleſiæ & Canonicorum gubernabat: nomine Vicedomini OEconimũ Epiſcopi, nomine Aduocati, eum qui cauſis Eccleſiæ tractandis, eiuſque iuribus præerat, Sacriſtæ autem, qui præeſt ſupellectili Sacræ.

14 Dico Quartò: Ad ſimoniam iuris humani reuocatur etiam illa quam aliqui Canones ſignificant interuenire in permutatione Eccleſiaſticorum beneficiorum factâ abſque auctoritate Superiorum, vt Capitulum Quæſitum, & Capitulum Cum olim, De rerum permutatione: de quorum ſenſu & intellectu diximus plura dubio præcedenti: & infrà plura adhuc erunt dicenda.

DVBIVM III.

Quomodo ſimonia diuiditur?

15 OMittimus hic diuiſionem ſimoniæ in eam quæ eſt iuris diuini, & in eam quę eſt iuris humani de quâ modò egimus. Vnde Reſpondeo, quòd alio modo ſimonia communiter diuidatur in ſimoniam mentalem, conuentionalem, & in realem.

Nomine mentalis ſimoniæ in hac diuiſione non intelligunt DD. voluntatem merè internam emendi aut vendendi rem ſpiritualem pro pretio, quantumuis etiam plenè deliberata ſit: ſed intelligunt exteriorem aliquem actum qui dumtaxat ex mente & intentione exercentis inficitur ſimoniâ, etiamſi exteriùs nihil fiat, aut oſtendatur quouis modo, quod ſimoniacum eſt; non quidem ideo quod iſta voluntas merè interna careat vitio & reatu ſimoniæ; ſed quia communiter de ſimonia agunt in ordine ad pœnas conſtitutas contra ſimoniacos, quæ ad illam voluntatem merè internam ſeſe citra controuerſiam non extendunt.

Vocant itaque ſimoniam mentalem, v. g. propoſitum internum, quo quis dum alteri confert aliquid ſpirituale, intendit illum tali collatione obligare ad reddendum temporale, ſiue illam collationem rei ſpiritualis cum tali propoſito & intentione. Similiter & donationem aut exhibitionem alicuius rei temporalis cum intentione obligandi ad reddendum aliquid ſpirituale, cuius tamen intentionis exteriùs nulla datur ſignificatio: vt, v. g. ſi Epiſcopus miniſtro conferat beneficium intendens illum ſic quaſi pretio obligare ad ſibi ſeruiendum, nec foris illud indicet: ſimiliter ſi quis ſeruiat Epiſcopo hac intentione, vt in mercedem recipiat beneficium. Soto lib. 9. quæſt. 8. art. 1. Nauar. cap. 23. num. 102. Azorius parte 3. lib. 12. cap. 1. & 2. Bonac. ſup. quæſt. 2. n. 2. & alij quos citat.

Quomodo autem ex beneuolentia alterius poſſit exſpectari aliquod beneficium, non intendendo aliquam imponere obligationem, facilè erit colligere ex dictis ſuprà Tract. 5. cap. 6. dub. 5. in ſimili pene caſu de vſuris.

Simonia conuentionalis dicitur, quando non ſolùm concurrit ſic internum propoſitum obligandi, ſed etiam proceditur ad externam conuentionem abſque tamen executione conuentionis vtrimque præſtitâ. 16

Notandum autem hic eſt, quod huiuſmodi conuentio non tantum verbis expreſſis & directis, ſed etiam indirectis & obliquis vel alijs ſignis fieri poſſit, vt, v.g. pretij oblatione per modum donationis, ſic tamen vt ex circumſtantijs ſatis aduerti queat, quidnam intendatur: quando itaque cõuentio neutrâ ex parte eſt impleta, tunc vocatur conuentionalis purè: quando autem ab vna parte eſt completa, vt ſi vnus reſignauerit beneficium, & alter nondum numerauerit pretium, nec partem illius, aut è contra, tunc dicitur conuentionalis mixta, ſiue etiam realis incompleta, quia pro parte eſt jam realis, vt habet Bonacina ſup. quæſt. 2. n. 5.

Ad hoc autem membrum poſterius reuocatur ſimonia, quæ dicitur confidentiæ: quæ tunc incurritur quando quis conuentionem facit cum eo cui confert aut reſignat beneficium, vt illud ſibi vel alicui alteri poſtmodum reſignet, aut vt ſibi vel alteri partem aliquam fructuum retribuat, v. g. vt poſtea transferat in fratrem aut nepotem collatoris, qui modò ætatem aut debitas qualitates non habet. Vnde ſimonia confidentiæ eſt quoque externa & ſortitur inde nomen, quòd ex pacto quis fidat, & exſpectat beneficium à ſe collatum aut reſignatum poſtmodum transferendum in alium, aut aliquam partem fructuum eius ſibi vel alteri tribuendam.

Realis denique ſimonia dicitur, quando pactio ſeu conuentio vtrimque eſt mandata executioni ſaltem inchoatiuè, vt ſi beneficij collatio aut reſignatio ſit facta, & pretium totum, aut ſaltem ex aliqua parte ſit numeratum: vbi etiam pactum implicitum modò ſit aliqua ratione foris proditum, poteſt ſufficere, ſicuti diximus de ſimonia conuentionali. Vide Caiet. V. Simonia, Nauarrum cap. 23. n. 102. & Toletum lib. 5. cap 86. Obſeruandæ autem ſunt prædictæ diſtinctiones ſimoniæ, vt intelligatur quandonam incurrantur pœnæ latæ contrà ſimoniacos, de quibus infrà agetur. 17

DVB.

DVBIVM IV.

Quale peccatum ſit ſimonia?

18 Reſpondetur breuiter: Simonia eſt peccatum contra virtutem Religionis, & ex genere ſub mortale. Sumitur ex D. Tho. quæſt.100. art.1, & eſt communis doctrina. Conſtat, quia turpitudo & malitia ſimoniæ conſiſtit potiſſimum in eo, quòd vilipendatur res ſacra, quando temporali pretio æſtimatur: item quando vſurpatur tanquam eſſet ſub hominis dominio dum venditur & emitur, cum tamen ſola diſpenſatio eius à Deo ſit homini concredita, vt ante diximus ex D.Thom. atqui illa aduerſantur virtuti religionis: ergò &c.

19 Obſeruandum autem hîc eſt, antiquos Patres & quoque Canones vocare ſimoniam aliquando hæreſin, non quod formaliter ſit error aut vitium intellectus contra fidem, ſed quaſi concomitanter, quia ſcilicet Simon à quo nomen accepit, etiam hæreticus fuit in illa ipſa materia, in qua ſimoniæ peccatum verſatur, vt ſignificat D.Tho. art. cit. ad 1. exiſtimauit enim magicæ artis conſuetudine deprauatus, licitum eſſe emere & vendere Spiritum Sanctum, vt dicitur Capitulo Petrus cauſa 1. quæſt. 1. quod & Scriptura indicat Actorum cap. 8. his verbis, *Quia exiſtimaſti donum Dei pecuniâ poßideri.*

Deinde, quia Simon ille non tantum in peccato voluntatis, ſed etiam in errore iſto videtur habuiſſe aliquos ſucceſſores, vt ſignificat D. Gregorius lib. 4. epiſtola 95. & lib.7. epiſtola 100. de quibuſdam in Gallijs: quod enim ſenſerint hi ſimoniam eſſe licitam, inde apparet, quia publicè ſine vllo pudore illam exercebant, adeò vt D. Gregorius coëgerit concilium, vt contra tales decerneretur ſimonia illicita, vt colligitur ex citata epiſtola centeſima.

Tertiò, Simoniaci dicuntur etiam hæretici quaſi ex præſumptione; quando enim deprehenduntur exterius negotiari in ſpiritualibus, ſicuti hæretici fecerunt; tunc etiam in ipſis, error facilè præſumitur. Rectè autem dixit Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis parte 1. cap. 2. ſimoniacus & ipſe hæreticus eſt, ſi non fide, tamen opere.

20 Porrò grande peccatũ eſt ſimonia, quod magnoperè antiqui Patres ſemper fuerunt abominati, vt patet ex multis Canonibus: ſic Capitulo Sicut, De ſimonia dicitur, ſimoniaca peſtis ſui magnitudine alios morbos vincere, non quidem quod ſit peccatum omnium grauiſſimum (grauiora enim ſunt peccata contra virtutes Theologicas, & præſertim odium Dei) ſed vincere dicitur alios morbos, id eſt, peccata contra virtutes morales quæ circa paſſiones & morbos animi verſantur: ſimilia plura cum magna exaggeratione habentur cauſa 1. quæſt. vltima, cap. vltimo: & quæſt. 1. Capitulo Eos, item Capitulo Citò ibidem.

DVBIVM V.

Vtrùm Pontifex incurrere poßit crimen ſimoniæ?

Respondeo & Dico Primò: Poteſt Pontifex incurrere crimen ſimoniæ quæ eſt iuris diuini: vt, v. g. ſi Sacerdotium vendat, ſi pro diſpenſatione in iuramento, aut votis pecuniam tanquam pretium illius ſui actus accipiat. Eſt D. Thomæ ſup. ad vlt. & communis doctrina, vt videre eſt apud Bonac. ſup. quæſt. 5. num. 1. Ratio eſt, quia ille quoque ſubiectus eſt legi naturali & diuinæ, neque eſt impeccabilis. 21

Dico Secundò: Etſi Pontifex quando iuſtam habet cauſam licitè poſſit vendere quæ ſolo iure Eccleſiaſtico vendi ſunt prohibita propter aliquam connexionem aut reſpectum ad ſpirituale, ſi tamen abſque causâ id faciat, veriſimilius eſt, ipſum tunc quoque contrahere culpam & reatum ſimoniæ iuris humani. Ita à Victoria Relect. De ſimonia, n.39. Leſſ. lib.2, c.45. dub.5. n.33. Et probatur, quia Princeps tenetur quoque ſeruare legem ſuam, vt doceri ſolet 1. 2. quæſt. 96. artic. 5. quæ obligatio non oritur immediatè ex poteſtate & voluntate ipſius Principis ſe volentis obligare, ſed oritur quaſi ex ipſa rei natura, quatenus ius naturale dictat Principem debere pati legem quam ſubditis imponit; vt habetur lege 1. D. quod quiſque iuris, & Capitulo Cum omnes, De conſtitutionibus: quando ſcilicet ratio legis æqualiter in Principe & in ſubditis militat: & ideo non poteſt pro arbitrio ſuo à lege ſe eximere, quandoquidem iure naturali obligetur ſe conformare ſubditis: quare ſi contrafecerit, peccabit pro conditione materiæ & virtutis præceptæ, vt ſi non ieiunet tempore quadrageſimæ vel in diebus indictis ab Eccleſia, peccabit contra temperantiam, ſi non obſeruet dies feſtos, peccabit contra religionem: ergò ſimiliter, ſi Pontifex vendat officia Eccleſiæ tametſi ſolo iure Eccleſiaſtico vendi prohibita, committet peccatum ſimoniæ, ſi vendendi iuſtam cauſam non habeat; obligatio enim illa, quâ in legibus eodem modo Principem & ſubditos ſpectantibus, tenetur legiſlator ſe conformare ſubditis eſt generalis, cuius proindè tranſgreſſio inducit ſpeciem peccati ſecundum rationem materiæ & virtutum, ad quas ſubditi obligantur.

Quando

Digitized by Google

Quando verò Pontifex iuſtâ habet cauſam, tunc quidam dicunt eum poſſe ſecum diſpenſare; ſed quandoquidem in iure naturali, ex quo diximus eius naſci obligationem, propriè diſpenſatio locum non habeat, melius dicetur ipſum nō indigere tunc diſpenſatione, quia ius naturale eo caſu per ſe ceſſat: quemadmodum enim non tenetur ſe conformare legi cuius materia tantum ad ſubditos ſpectat, ita quoque ſi ratio ſuperueniat, quare contrarium facere ipſi conueniebat, ceſſabit quoque ius aliàs dictans, quod ſe conformare debeat.

Neque dictis obſtat quod Pontifex validè ea vendere poſſet, non obſtante legis Eccleſiaſticæ prohibitione & irritatione (cui pro eâ parte ſine dubio poteſt derogare) quia malitia ſimoniæ non conſiſtit in eo, quod quis inualidè emat aut vēdat ſacra, ſed quod illicitè & indignè ea in mercimonijs tractet, ſiue interim actus ſit validus ſiue inualidus. Vnde non ſatis ſolidè quidam ex hoc capite exiſtimare videntur peccatum ſimoniæ iuris humani non poſſe in Pontificem cadere. Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 4. de ſimonia cap. 52. n. 4. dicit quod Pontifex Summus poſſit facilè vitare ſimoniæ vitium etiamſi venditiones vel contractus faciat circa res ſpirituales, qui iure tantum Eccleſiaſtico ſimoniaci effecti ſunt, Bonacina autem q. 5. n. 5. dicit quod poſſit Pontifex culpam ſimoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere ſi rei naturam præciſè ſpectemus: vlterius verò ſignificat, quod tamen de facto nunquam contrahat; in quod etiam inclinari videtur Suarez. Fundamentum horum eſt duplex, puta quod Pontifex præſumatur ſecum diſpenſare, quando facit tales contractus: ſed ex dictis vtcumque conſtat, hoc fundamentum non ſatisfacere. quod etiam Suarez vtcumque admittit n. 8. In altero itaque magis videtur cōquieſcere, quod materiæ illæ iſtorum Canonum non æquè concernant Pontificem & inferiores Prælatos ac fidels: quod certe, vniuerſaliter non videtur verum: non enim apparet, quare materia quæ cadit ſub prohibitionem, de non vendendis beneficijs & ſpiritualibus officijs, non æquè concernat Summum Pontificem, quando neceſſitas aut vtilitas Eccleſiæ id non requirit, ac inferiores Prælatos: imò videretur multo magis ipſum concernere, quandoquidem habeat longe plura, & quæ maioris ſunt momenti conferenda, & ex quorum ſanâ diſtributione magis pendet commune bonum Eccleſiæ. Neque ad rem facit quod habet Bonac. quod nullus ſupremus Reipubl. Princeps prohibeatur vendere officia vendibilia ſuæ Reip. quia etſi id verum eſſet, ſepoſitâ omni prohibitione poſitiuâ, ſi tamen ipſe cum Senatu Regni iudicaſſet, eſſe contra bonum Regni talia vendere, & ſic vniuerſalem prohibitionem feciſſet, teneretur ipſe quoque lege illâ vt directiuâ, & delinqueret ſi abſque rationabili cauſa, contrarium faceret, quemadmodum in alijs legibus equè Principem & Subditos concernentibus.

DICO Tertiò: Nunquam tamen incur- 22
rit Pontifex pænas iure Eccleſiaſtico conſtitutas contra ſimoniacos, vt excommunicationem, ſuſpenſionem, inhabilitates &c. Ita docent communiter Doctores.

Ratio reddi poteſt, quia pænæ illæ nō incurruntur, niſi quatenus auctoritate ſuperioris ſiue per ſententiam, ſiue per Canones in aliquem decernuntur ac infliguntur; non eſt autem aliquis hic ſuperior in Eccleſia, qui dici poſſit iuriſdictionem hanc in Pontificē exercere: alioquin ſi quædam eſſent pænæ ordinatæ aut conſtitutæ quas per modum pœnitentiæ aut ſatisfactionis pro delicto tenerentur tranſgreſſores ſubire, negandum non foret quin & Pontifex eo iure quo in alijs obligatur ſe ſubditis conformare, teneretur quoque huiuſmodi pænas aſſumere, modo æquè ipſi ac ſubditis poſſint conuenire.

Addunt hic aliqui, nec eos ſimoniæ pœ-
nas conſtitutas incurrere qui ſimonicè cum 23
ipſo Pontifice contrahunt, idque ideò, quod hoc ipſo quo Pontifex cupit aliquem ita ſecum contrahere, cenſeatur illum eximere à legibus contra tale factum latis. Ita ſentiunt Palud. in 4. diſt. 25. quæſt. 4. Syl. V. Simonia quæſt. 4. Soto lib. 9. quæſt. 5. art. 2. Couar. ad regulam peccatum, parte 2. §. 8. n. 9. eſtq; opinio probabilis propter authoritatem eorum qui ſic tenent, alioquin dubitari poteſt, vtrùm illa præſūptio de tali voluntate Pontificis ſit ſatis fundata, quandoquidem auaris & cupidis cura principalis ſit, vt ſibi bona conquirant, nec multùm eis cordi eſſe ſoleat libertas aut vtilitas aliorum: vnde Adrianus Quodlibeto. 9. contrarium docet cum alijs nonnullis quos citat.

DVBIVM VI.

Vtrùm ſemper illicitum ſit pro ſacramentis dare pecuniam?

DIſputat hoc D. Tho. qu. 100. art. 2.
RESPONDEO & DICO Primò: 24
Semper illicitum eſt pro quocumque Sacramento dare pecunias tanquam pretium, & ſimiliter quoque illas ſic accipere. Eſt D. Thomæ & communis & certa doctrina. Neque poteſt vllâ conſuetudine id excuſari, quia hæc præiudicare non poteſt iuri naturali vel diuino, inquit D. Tho.

Addit tamen accipere aliqua ad ſuſtentationem eorum qui Sacramenta Chriſti miniſtrant,

Digitized by Google

miniſtrant, ſecundum ordinationem Eccleſiæ & conſuetudines approbatas, non eſſe ſimoniam, neque peccatum: quod etiam conſtat ex Capitulo Ad Apoſtolicam, De ſimonia, vbi Innocentius III. ſic ſtatuit: *Prauas exactiones, inquit, fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſeruari, ſtatuentes vt liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta: ſed per Epiſcopum compeſcantur qui conantur laudabilem conſuetudinem immutare.* Loquitur autem de conſuetudine, quâ datur ſuſtentatio miniſtris.

25 Dico Secundò: Si Sacerdos non vult adminiſtrare Sacramentum baptiſmi, aut alia niſi pro pecunia, licebit illi offerre & dare pecuniam, vt deponat & mutet prauam illam voluntatem, & vt dignè ac debito modo Sacramenta conferat. Ita Adrianus Quodlibeto 9. artic. 3. Bonac. De ſimonia diſp.1. qu.4. §.1. n. 3. Gabriel in 4. diſt.25. quæſt.2. art. 3. Suarez tom. 1. De religione lib.4.cap.12.n.13. Leſſ.lib.2.cap.35.dub.7. & alij recentiores.

Probatur, quia hoc non eſt Sacramenta emere, aut temporali pretio æſtimare, ſed tantum eſt ſacrilegum Sacerdotem auocare à malignitate ſua, & inducere ad virtutem, vt mutatâ malâ voluntate, ſanctè & dignè adminiſtret; quemadmodum enim poteſt quis inducere alterum pecunijs, vt ab alijs peccatis abſtineat, v.g. à furto, ab homicidio, ſic nihil obſtare videtur, quo minus quis poſſit ſic quoque Sacerdotem, qui ſolet velle vendere Sacramenta, inducere pecunijs, vt ab eo abſtineat, & ceſſet ab indigna Sacramentorum tractatione.

26 Dico Tertiò: Quando itaque infans non baptiſatus verſatur in periculo moriendi, & Sacerdos baptiſare recuſat, niſi dentur illi pecuniæ, neque haberi poteſt alia aliqua perſona, quæ valet & ſciret eum baptiſare, probabile eſt tunc forè licitum pecuniam dare, non quaſi pretium baptiſmi, ſed tantùm ad animum eius inducendum vt faciat quod ex iuſtitia aut ex charitate tenetur facere & impendere iſti infanti, ſiue vt alij loquuntur, ad redimendam vexationem qua recuſat facere quod debet. Ita ſentiunt DD. citati, & indicat Altiſidior: 3. parte ſummæ. quæſt. 3. de ſimonia, Gerſon tractatu de ſimonia ad ſextam rationem. Panorm. in Capitulum Cum in Eccleſiæ corpore, De ſimonia. Caiet. hîc quæſt. 100. art. 2. Soto lib. 9. quæſt. 6. art. 1. Henriquez libro 2. cap. 23. Mald. tractatu 9. cap. 3 & plures alij recentiores.

27 Probatur, quia offerens aut dans pecuniam, eo caſu non cenſetur irreuerentiam inferre Sacramento, ſed potius reuerentiam, quandoquidem ſuo facto teſtetur ſeſe cognoſcere illius vtilitatem & neceſſitatem; neque enim pecuniam offert aut dat tanquam pretium Sacramenti quaſi hoc vellet eſſe commenſuratum, aut comparandum cum rebus temporalibus, prout ſupponimus illum expreſſâ ſaltem intentione non facere: neque argui poteſt quaſi interpretatiuè velle cenſeri debeat, quando ſic pecuniam offert vt animũ alterius in melius mutet, vt ſcil. depoſitâ illâ malitiâ & iniquâ vexatione, faciat quod facere tenetur, quia etiamſi aliàs forſitan interpretatiuè cenſeretur velle pecuniam dare pro Sacramento, tamen præſens neceſſitas cauſat, vt minimè cenſeatur interpretatiuè id velle, ſed vt cenſeatur tantum velle amouere impedimentum baptiſmi infantis, quod ſitum eſt in Sacerdotis auaritia, quod proinde remoueri natum eſt per pecuniæ oblationem, etſi non offeratur vt pretium Sacramenti.

Ita & in alijs multis caſibus neceſſitas aut iuſta cauſa liberat actum ab interpretatiuâ voluntate, quæ alioquin cenſeretur ineſſe aut comitari. Sic ſi laicus ſine neceſſitate ſumpſiſſet panes propoſitionis in veteri Teſtamento, cenſeretur contempſiſſe ſanctitatem illorum, tamen quando Dauid in neceſſitate conſtitutus eos accepit, non peccauit. Similiter ſi quis ex turri ſe dimittat, quando à tergo ignis ipſum proſequitur, neque aliud eſt effugium, nõ cenſetur voluiſſe ſe occidere, ſed voluiſſe fugere mortem: quod ſi abſque vllâ neceſſitate feciſſet, omnino cenſeretur interpretatiuè voluiſſe ſe occidere, qualemcumque alioquin intentionem haberet.

Et ideo in concluſione addidi, neque ad adeſt aliqua alia perſona quæ valet & ſciret baptizare, quia ſi alius adſit, etiamſi fæmina eſſet quæ baptizare ſciat, potius infans ab ea baptizandus erit, quàm pecunia alteri offerenda etiam ad talem vexationem modo dicto redimendam.

Quod de infante in tali caſu neceſſitatis diximus, hoc multi ex DD. allegatis contra Caiet. extendunt etiam probabiliter ad adultum, qui aliàs baptiſmo eſſet cariturus. Ita Henriquez, Suarez, Mald. ſup. & inſuper expreſſe Albert. in 4. diſt. 5. art. 1. idque magis conſequenter dicitur, inquit Suarez ſup. nu. 14. tum quia nulla ſufficiens ratio differentiæ datur: quod oſtendit ipſe prius eodem cap. 12. n. 4. tum etiam quia illa datio pecuniæ poteſt per intentionem dantis denudari omninò à ratione emptionis, quando datur in ordine ad impetrandum baptiſmum adulto qui eſt in periculo mortis, ſicuti dum datur pro infante.

Petet aliquis: Vtrùm aliquo caſu liceat emere Sacramentum? v. g. ſi improbus 28
quis, in extrema neceſſitate infantis non tantùm exigat pecunias antequam velit baptizare, ſed velit ſibi dari pecunias tanquam pretium

Digitized by Google

pretium ipſius Sacramenti, atque adeo velit te declarare & iurare, quod des vt pretium Sacramenti?

Reſpondet inprimis Suarez ſup. cap. 12. n. 15. quando talis non amplius vrgeret, ſed ſimpliciter peteret vt ſibi detur pretium Sacramenti, non per hoc cogi alterum, qui pecuniam dat, dare iuxta intentionem petentis, ſed poſſe dare in ſuſtentationem, vel ad tollendum impedimentum baptiſmi.

Quod ſi autem iniquus ille velit, vt dans profiteatur & iuret ſe dare pecuniam illam in pretium Sacramenti, tunc quidem ſi ille id faciat in contemptum Sacramenti & Religionis Catholicæ, prout hoc natum eſt intelligi, cum vix occurrat ratio alia, qua id aliàs ſic peteret, tunc, inquam, ex communi omnium DD. ſententiâ nullo modo obſequendum eſt eius petitioni, ne extrinſecùs quidem, ſed potius permittendum, quod infans ſine baptiſmo moriatur, quia tunc à datione pecuniæ eſt inſeparabilis iniuria Religionis, quæ eſt intrinſecè mala, vnde nec cōmitti poteſt pro ſpirituali ſalute proximi.

Si verò ponamus aut fingamus, quod non petat iſtam declarationem & iuramentum fieri in contemptum Religionis, ſed ob aliquam cauſam priuatam aut extrinſecam, in tali caſu vult Soto lib. 9. de Iuſt. q. 6. art. 1. licitum eſſe dare pecuniam in pretium, & affirmare cum iuramento hac intentione dari. Fundamentum eius eſt, quod exiſtimet emere Sacramentum, non perinde eſſe intrinſecè malum, ſicuti ipſum vendere, vnde putat extremam infantis neceſſitatem poſſe emptionem eius facere licitam.

29 Sed hæc opinio tanquam omninò improbabilis à Suarez ſup. n. 16. & alijs reijcitur, quia inprimis iſta profeſſio eiuſmodi dationis, eſt valdè iniurioſa rebus diuinis & Sacramentis, neque eſt talis iniuria ſeparabilis, etiamſi ab iniquo exactore non formaliter intendatur. Deinde fundamentum etiam omnino falſum eſt, quod ſcilicet emptio Sacramenti non ſit intrinſecè mala: quod vel ex eo colligitur, quod clarè D. Th. quæſt. 100. artic. 2. ad 1. dicat, quod nullo modo deberet quis pretium pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo decedere, quod ſaltem formaliter intellectum debet cenſeri verè à D. Thoma dictum, quod ſcilicet nullo modo liceat per modum emptionis dare pecunias pro baptiſmo tanquam pretium eius: vnde etiam Doctores paſſim omnes ſupponunt antè omnia, remouendam ſemper eſſe intentionem emendi Sacramentum, vel dandi pretium pro Sacramento: quod ſi non poſſit haberi intentio illa, non poterit quoque exteriùs dicere aut iurare, quod illam habeat; nam ſi iuret, committet periurium: ſi abſque iuramento profiteatur ſe dare tanquam pretium Sacramenti, erit mendacium pernitioſum, & ſacrilegium contra reuerentiam debitam Sacramento, inquit Suarez: & ita in ſpecie ſic vrgendo caſum hunc docuit Ioannes Maior in 4. diſt. 5. ad 3 & ex modernis Vgolin. tab. 1. c. 6. n. 5. & 8. neque ſatis video, quomodo eiuſmodi declaratio in talibus terminis facta, vel iuramētū ipſū iuſtificari poſſit per amphibologias aut reſtrictiones mentales, prout videtur Bonac. Tract. De ſimonia, diſp. 1. qu. 4. §. 1. n. 4. innuere. In illo itaque caſu, addit Suarez, omittendum erit ipſum Sacramentum.

Obſeruandum autem eſt, ſpecialiter illicitum eſſe, 30 pecuniam offerre illi qui Sacramentum ordinis iniquè recuſat: nam Capitulo Ex tuæ fraternitatis, De ſimonia punitus eſt, qui in obtinendo ordine Sacerdotij vexationem redemerat.

Ratio poteſt eſſe, tum quia non eſt Sacramentum neceſſitatis, tum etiam ſi quid præiudicij inde patiatur, poſſit de eo apud ſuperiorem conqueri, & agere ad reparationem.

DVBIVM VII.

Vtrùm pro functionibus ſpiritualibus, quibus labor aliquis eſt coniunctus, liceat pecuniā dare vel accipere?

TAngit hanc difficultatem D. Thom. 31 quæſt. antè citata art. 3. ſicut & alias nonnullas, de quibus in ſequentibus agemus.

Obſeruandum itaque eſt, in eiuſmodi functionibus ſiue circa illas, v. g. in Sacramentorū adminiſtratione, in concionibus, in precibus horarijs cantandis, in Miſſis, & in ſimilibus, quinque poſſe in conſiderationem venire.

Nam poteſt inprimis conſiderari actus in ſe ſecundum ſuam rationem quà ſpiritualis, non attendendo ad laborem, vel moleſtiam, aut incommodum quomodolibet coniunctum.

Secundò conſiderari poteſt labor ipſi functioni intrinſecus, v.g. labor eloquutionis in catechizando, in concionando, in offerendo ſacrificio.

Tertiò, labor extrinſecus qui aliquando acceſſorius eſt, & per accidens ſe habet ad functionem ſpiritualem, vt qui eam antecedit, aut ſubſequitur, vt ſi quis vocetur ad celebrandam Miſſam, vel ad habendam concionem in loco longiùs diſtante, vnde Sacerdos conficere debet iter aliquod moleſtius eundo & redeundo.

Digitized by Google

Quartò : Conueniens ſuſtentatio miniſtri exercentis functiones ſacras.

Quintò : Obligatio quâ adſtringit ſe aliquando ad certum locum & ad certum tempus, vt ibi & tunc officium ſacrum peragat: & quidem prętermiſſo ſubinde alio loco, vbi commodiorem potuiſſet habere rationem victus & habitationis. His præmiſſis

32 Respondeo & Dico Primò: Omnino eſt illicitum accipere vel dare aliquid temporale tanquam pretium functionis ſpiritualis ſecundum eam rationem qua ſpiritualis eſt. Vnde grauiſſimè delinquerēt qui quo adminiſtrarent ſacramenta ſacratiora, eo plus pro illis acciperent aut exigerent, ſicut & ipſi qui darent.

Eſt Diui Thomæ loco citato, ac communis & certa. Conſtat ſatis ex antedictis, quia hoc eſt directè ſanctitatem actionis, aut ſalutares eius effectus comparare & æſtimare pretio temporali quod eſt euidentiſſimè ſimoniacum.

33 Dico Secundò: Eſt quoque illicitum accipere vel dare aliquid temporale tanquā pretium pro labore intrinſeco functionibus ſacramentalibus. Ita docent D. Tho. in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. Durandus ibidem qu. 3. Caiet. hîc q. 100. a. 2. à Victoria Relectione De ſimonia, 2. p. n. 19. Soto lib. 9. q. 6. art. 1. à Valentia tom. 3. diſput. 6. qu. 16. puncto. 2. Suarez tom. 1. de relig. lib. De ſimonia c. 21. Syl. V. Simonia q. 9: n. 3. Toletus lib. 5. c. 88. Mald. ſup. dub. 6. & alij plures, quamuis Adrian. Quodlib. 9. art. 1. & quidam alij putentur contrarium ſentire: vt videre eſt apud Suarez loco citato.

Probari autem poteſt primò: Quia hic labor ita ex natura rei cōiunctus eſt functioni ſacræ, vt ea abſque illo fieri nullo modo poſſit, adeò vt non videatur eſſe aliud quam ipſamet ſpiritualis functio: eſt enim quaſi ipſa materialis actio cui formaliter ſpiritualitas inhæret, quatenus ſcilicet ex ſpirituali principio procedit, & per ſe ad finem ſupernaturalem tendit: ergò non poteſt, moraliter ſaltē loquendo, ęſtimari pretio temporali abſque iniuria ſanctitatis intimè coniunctę.

Secundò, Quia hic labor nullā habet æſtimationem inter homines niſi ex ſanctitate aut ſpirituali fructu; labor enim qui obitur à Sacerdote in functionibus illis, non æſtimatur niſi ob ſpiritualem fructum cōiunctum, aut inde manantem: vnde ſpiritualis vtilitas concurrit hic ad æſtimationem laboris illius intrinſeci quaſi propria eius forma, & vt finis ipſius operis, ac proinde ſi quis hunc laborem pretio temporali æſtimare præſumat, iam eius ſanctitatem aut ſpiritualem fructū pretio temporali æſtimare conuincetur: ergò &c. Vnde & in hoc labore, potius quàm in labore extrinſeco habet locum illud Paſcalis Papæ, Cap. Si quis obiecerit, cauſa 1. quæſt. 1. ſi quis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum relinquit.

Tertiò, quia iuxta doctrinam Chriſti oportet functiones ſpirituales & ſpiritualia officia gratis exhibere: dixit enim ille *Gratis accepiſtis, gratis date*: atqui non cenſebitur quis miniſtrare gratis ſi pro labore qui miniſterio eſt intrinſecus & ab eo inſeparabilis exigit pretium: ergò &c.

Dico Tertiò: Poſſunt tamen licitè & abſque ſimonia, miniſtri functionum ſpiritualium accipere neceſſaria vitæ, ſiue vitæ ſuſtentationem ab illis quibus miniſtrant, imò poſſunt ea exigere iuxta conſtitutiones Eccleſiæ, vel laudabiles conſuetudines approbatas: & hinc alij non tantum licitè poſſunt iſta dare, ſed etiam obligantur pręſtare. Eſt D. Th. loco cit. & cōmunis Doctorum. 34

Probatur autem Primò ex Scripturis, Matthæi 10. quando Chriſtus Apoſtolos mittebat ad prædicandum Regnum Dei, dixit eis: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum* &c. *dignus enim eſt operarius*, inquit, *cibo ſuo*: & Lucæ 10. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua*: quibus Chriſtus planè ſignificat Apoſtolos non tantū potuiſſe vitæ ſuſtentationem accipere ab illis quibus Regnum Dei annunciabant, ſed etiā hos fuiſſe obligatos ad illam præſtandam, quandoquidē eos comparat cum operarijs qui mercede digni ſunt: atque adeo quibus ſua merces debetur. Vnde D. Greg. tractans illa Chriſti verba Homilia 17. in Euangelia dicit, mercedē de labore prædicationis hîc inchoari, quæ in futuro ſęculo perficiatur veritatis viſione. Similiter Apoſtolus 1. ad Cor. 9. ſcribit: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi*, ſcilicet apud illos quibus Euangeliū annunciabat, quaſi diceret, omnino habemus: quod deinceps pluribus argumētis confirmat, tum ex naturali ratione petitis, tum ex antiquæ legis conſtitutione: vt inquit, *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & paulò infrà, *An & lex hoc non dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi: non alligabis os boui trituranti*: & rurſum, *Neſcitis qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt cum altari participant? ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.*

Ratio autem aſſignari poteſt, quia qui miniſterijs ſpiritualibus incumbunt & occupantur, priuant ſe libertate & facultate vacandi negotijs ſæcularibus & laboribus temporalibus, ex quibus vt alij homines, lucrum facere & ſe ſuſtentare poſſent: idque in gratiam & commodum ſpirituale ipſorum quibus miniſtrant: meritò igitur debent hi ſubminiſtrare illis neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem.

Confir-

Digitized by Google

Confirmatur Primò:quia dum quis exhibet gratis operam ſuam vel obſequiũ alteri ad eius commoditatem,dictat ratio omnino, vt hic eum ſuſtentet, & ea ſuppeditet quæ neceſſaria ſunt, vt poſſit in opera & ſeruitio gratis præſtandis pergere & continuare; nõ poteſt autem decenter quis ſpiritualia adminiſtrare, niſi conuenientem habeat ſuſtentationem; debent igitur eam exhibere quibus illa gratis adminiſtrantur: liciteque poteſt miniſter ea accipere,nõ vt pretium ſpiritualium quæ ſeminant,ſed tanquam adminiculum ex natura rei neceſſarium ad ſpiritualiũ adminiſtrationem præſtandam. Hinc rectè D. Gregorius loco cit. adiungit: ergò quiſque prædicator non ideò prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat, ſed ideò mercedẽ recipere vt prędicare ſubſiſtat.

Non itaque ſpirituale miniſterium hic ingreditur in aliquam conuentionẽ,vt aliquid temporale tanquam pretium illius reddatur, ne quidem vt ipſa ſuſtentatio præbeatur;ſed miniſterium eſt ſolum quaſi cauſa ſeu conditio ſine quâ non, huic perſonæ debetur illa temporalis ſuſtentatio,idque propter rationem prius explicatam.

35 Dixi in concluſione,etiã miniſtrum poſſe exigere, iuxta Canones vel conſuetudines approbatas, & alios obligari ad illa prę ſtãda ſecundum illam formam, quia vtrique parti ſeruanda lex eſt aut conſuetudo approbata: Clerico enim non licet excedere & populo quoque fas non eſt deficere,vt patet exCap. prec.dub.allegato,ad Apoſtolicã de ſimonia.

36 Quæret aliquis,Vtrùm miniſtris ſacrarum functionem paciſci liceat de certo ſtipendio ſuſtẽtationis:v.g.pro Miſſis,pro catechiſmo, pro concionibus,& ſimilibus? D.Th.q.100. a.3. ad 2. videtur ſimpliciter negare, & cum illo Syl.V.Simonia,q.9. & alij quidã. Caiet. autem ſup. a. 3. exiſtimat id licitum eſſe miniſtris pauperioribus quidem, non autẽ alijs qui aliundè ſe poſſunt ſuſtentare.Sed verius eſſe videtur id ex natura rei & per ſe nõ eſſe ſimoniacum, ſiue miniſtri ſint diuites ſiue pauperes,ſaluâ rectâ intentione: & ſic magis communiter tenent DD. hoc tempore.Nauar.c.23.n.106. Soto lib.9.q.6.a.2. Suarez ſup.c.46.n.4.Mald.dub.6.Bonac.tom.1.de ſimonia,diſp.1.q.4.p.2.n.2.& Gloſ.ad Cap. Significatum, De præbendis,& ibi Panorm. n.8.& ad Cap.Suam,De ſimonia,n.12.quia debetur miniſtris ſacrorum ſuſtentatio, idq; qualiſcumque conditionis ſiue opulentioris, ſiue tenuioris fuerint, vt ſatis indicat Apoſtolus loco ſup. citato, quando allegat quod nemo ſuis ſtipendijs militet vnquã, & quod Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere:ergò non eſt per ſe illicitum neq; ſimonia eum de ſuſtentatione, eiuſque menſurâ conuenienti paciſci, qualiſcumque fuerit ille miniſter.

Confirmatur primò, Quia pactum illud cadit ſupra ſtipendium formaliter vt eſt ad ſuſtentationem perſonæ, non vt pretium functionis ſacræ vt ſupponitur, ergò non obſtante pacto, retinet ſuam rationem ſuſtentationis quod datur,& non induit rationem pretij rei ſacræ, ergò &c.

Cõfirmatur Secundò, quia ſtipendiũ ſiue ſuppeditatio ſuſtẽtationis debetur miniſtris ex naturali iuſtitiâ vt diſertè demonſtrat Apoſtolus loco cit.ad Corinth.vnde per pactum non additur aliquid, nec augetur obligatio intenſiuè vt loquitur Suarez: ſed exprimitur quod ineſt ex naturâ rei: verùm quia quantitas ſtipendij ad ſuſtentationem nõ eſt ex naturâ rei determinata,nec ſemper lege taxata, ideò per pactũ & conuentionẽ partium determinatur, quod per ſe malum non eſt: Imò frequenter quaſi neceſſariò fit.

Accedit, quod Eccleſia poſſit certam ſuſtentationem ſiue certum ſtipendium ſuſtentationis taxare pro miniſtris, quod obligentur præſtare, vt D. Thomas & omnes admittunt, & quidem Caiet. etiam docet diuites tunc illud poſſe exigere, ergò non eſt ex naturâ rei,& per ſe ſimoniacum aut illicitum contra ius diuinum, obligare illos quibus ſpiritualia ſeminantur aut præſtantur, ad determinatũ ſtipendium ſuſtentationis dandum illis qui ſpiritualia exhibent: quod ſi hoc poſſit fieri, & factum ſit in multis per publicam authoritatem Eccleſiæ,cur non etiam per priuatam, vbi Eccleſia non determinauit, & ſciens & volens permittit priuatis conuentionibus determinari: neque idcircò deſinunt miniſtri præſtare gratis ſpiritualia,quia qui petit tantum ſuſtentationem, is petit tantum neceſſaria vt poſſit gratis laborare.

Obſeruandũ tamen, iure antiquo videri 37 fuiſſe prohibitũ, priuata pacta aut conuentiones facere, ſiue miniſtrans eſſet pauper ſiue diues: colligi poteſt ex capit. Tua nos, de ſimonia, & ex capitulo Finali de pactis, & capitulo Quæſitũ de rerum permutatione: quare tunc in eiuſmodi pactis latebat quædam ſimonia iuris humani.

Sed per contrariam conſuetudinem in diuerſis functionibus, nunc iuri iſti eſt derogatum,vt docet Soto libro 9.quæſt.6.art. 1. & indicat Mald. ſup. dubio 9. eò quod paſſim talis ſit vſus & conſuetudo, prælatis ſcientibus & conniuentibus, nam vſu receptiſſimum eſt, inquit Mald. vt Eccleſiæ donet quis certam ſummam in ſuſtentationem miniſtrorum pro anniuerſario, quam dum Eccleſia ſub illo onere acceptat, indubiè pactum init. Imò addit, ſæpè talia per modum contractus inter viuos abſoluuntur,& nemo in eo ſcrupulum cognoſcit.

Cauendum tamen eſt, ne adſit intentio venditionis & emptionis ſiue commuta-

Digitized by Google

tionis officij ſpiritualis pro pretio: vnde in Reſponſione dixi, modò recta intentione fiat, & hinc Caiet. ſup. vult eos qui contrahunt, debere indicare ſe non paciſci de pretio pro functionibus ſacris, ſed tantum de ſuſtentatione, vt poſſint rebus ſpiritualibus vacare, ne imperiti ex tali facto offendātur.

Cauendum hic inſuper, vt dum agitur de officijs præſtari ſolitis, non exigatur ab inuitis per ſubſtractionem ſpiritualium quæ exhibenda ſunt: v.g. ne Paſtor deſiſtat à ſolitis officijs, vt ab anniuerſarijs, ab officio funerali, ab adminiſtratione alicuius Sacramenti: hoc enim præſeferret quandam ſpeciem venditionis, vt monet D.Th. q. 100. a.3. in corpore: ſed gratis prius miniſterijs ſpiritualibus exhibitis, licitè, inquit, poſſunt ſtatutæ & conſuetæ oblationes & quicumque alij prouentus exigi à nolentibus & valentibus ſoluere, auctoritate ſuperioris interueniente.

38 Dices, ſi Clerici poſſunt exigere ſuſtentationis ſtipendium tanquam debitum: ergò non videntur gratis ſpiritualia miniſteria exhibere.

Reſpondetur Neg. Conſ. gratis enim illa exhibent, quia nihil pretij pro ipſis petunt aut accipiunt, illa enim tanquam altioris ordinis & ſupra omne pretium, gratis præſtant: quod vel ex eo declarari poteſt, quia non quo illa ſacratiora & ſpiritualiter vtiliora ſunt, plus exigunt aut accipiunt, ſed tantùm vt poſſint ſine pretio miniſtrare iſta ſpiritualia, debetur eis ſuſtentatio conueniens, quam proinde meritò exigere poſſunt iuxta prius dicta.

Optandum tamen foret, vt pactiones præſertim circa ſingulares ſiue indiuiduas aliquas functiones pro vnâ aut alterâ vice tantum exhibendas, omninò tollerētur propter nimiam ſpeciem negotiationis quam oſtentant. Vnde & Conc. Trid. mandat Epiſcopis, vt eas è medio tollere ellaborent, ſpeciatim quoad miſſas: ſic enim loquitur ſ.22. in decreto de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ.

Decernit Sancta Synodus, vt ordinarij locorum Epiſcopi ea omnino prohibere atque è medio tollere curent ſedulò ac teneātur, quæ vel auaritia, quæ idolorum eſt ſeruitus, vel irreuerentia quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio veræ pietatis falſa imitatrix induxit; atque vt multa paucis comprehendantur: inprimis quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Miſſis nouis celebrandis datur; nec non importunas ac illiberales eleemoſynarum exactiones potius quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi quæ à ſimoniacâ labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omnino prohibeant.

39 Dico Quartò: Pro laboribus extrinſecè & per accidens ſe habentibus antecedenter aut cōſequenter ad functionem ſpiritualem, qui non ex ratione aut vi miniſterij ſpiritualis per ſe requiruntur, non eſt illicitum accipere vel dare aliquid temporale. Ita Soto ſup. à Victoria relectione de ſimonia p.2. n.19. Toletus lib.5. c.88. Bonac. de ſimonia diſp.1.q.4.p.3.n.2. Suarez ſup. c.21. n.15. Mald. ſup. & alij communiter.

Probatur, quia iſti labores ſunt quid temporale per ſe æſtimabile pretio, vtpotè cui ipſa ſanctitas non ineſt aut adhæret, & qui per ſe nō habent neceſſariam connexionem cum re ſpirituali: cum neque obiectum, neq; finis per ſe eiuſmodi laboris & operis ſit quid ſpirituale, quāuis per accidens ex intentione operantis, ſuo modo ordinentur ad huius vel illius ſpiritualis functionis exercitium.

Quare pro moleſtâ & longiori profectione ſubeunda, functionis ſpiritualis exercēdę causâ, licebit temporalem mercedē accipere.

Dico Quintò: Licitum quoque eſt aliquid accipere ratione obligationis quâ miniſter aliquando ſe aſtringit ad miniſtrandū certo loco & tempore. Ita docent Caiet. V. Simonia regula 5. Soto, Toletus, Mald. Suarez, Bonac. ſup. cum pluribus alijs. 40

Ratio reddi poteſt, quia iſta obligatio quatenus homini tollit facultatem aliarum actionū vtilium, quas alibi exercere potuiſſet, cenſetur pretio æſtimabilis, etiamſi miniſterium ipſum pretio æſtimari non poſſit: quemadmodum obligatio ad dandum mutuò quotieſcumque alter exiget, eſt pretio æſtimabilis, & ſi datio mutui pretio æſtimari non debeat. Hinc v. g. dum obligat ſe quiſpiam quod beneficio vel officio ſpirituali ad certum tempus deſeruiet, poteſt is libertatē & facultatem quibus ſe priuat ęſtimare & de illis paciſci: quod & conſuetudo Eccleſiæ ſatis videtur probare, nam paſſim vicarij prælatorum aut parochorum petunt & ſępe paciſcuntur de ſtipendio pro obligatione quâ ſe ad officia præſtāda aſtringunt ad annū aut ad mēſes: quāuis etiā poſſit cēſeri hoc pactū fieri ſuper quotâ dandâ pro ſuſtentatione.

Difficultas eſt, de cantu Eccleſiaſtici officij, vtrùm pro eo poſſit aliquid temporale accipi. Quidam affirmant, idque ratione ſcil. laboris quem ipſi æſtimant quaſi extrinſecū officio diuino, quia nimirum poſſet officium legi ſine cantu, aut quia ille cantus videtur reponendus inter ſpiritualia illa mixta, in quibus temporale prædominetur ſiue quæ plus habēt de temporali: in quibus licet ſimpliciter vendere quod temporale eſt, modò non habeatur ratio ſpiritualitatis. Indicat hoc de cantu Toletus lib.5. cap.86. Suarez tom.1. de relig. lib.4. cap.21. n.15. 41

Verùm quandoquidem cantus ille ex munere clericali aut ordine, ſiue ex officio ſpirituali adhibeatur in Dei cultum, omnino dicen-

dicendum videtur, nihil pretij pro eo poſſe dari aut accipi: idque non tantum ſi Clerici aut Sacerdotes, ſiue ex officio ſuo per ſe canant, ſed etiam quando Vicarij nomine, & vice iſtorum canunt: quia actus planè ſpiritualis eſt, & ex ſua ratione poſtulans quod virtute religionis informetur, vt legitimè fiat.

Neque refert quod officium legi poſſit ſine cantu, quia vt vendibilis non ſit, ſatis eſt, quod ipſe talis cantus per ſe exigat vt religioſè exerceatur & quòd ex ſpirituali principio procedat aut pendeat.

Neque conuenienter dici videtur quod in cantu Eccleſiaſtici officij prædominetur temporale, ſicuti dici ſolet de Calice conſecrato, cum principaliter ipſe cantus adhibeatur & æſtimetur idcirco, quia in eo laudatur Deus, non propter aliud temporale: quare dicetur melius quod vicarij non pro cantu officij diuini, ſed pro ſua ſuſtentatione accipiant ſtipendium: ipſa tamen ſpecialis ars cantandi & ſingularis vocis ſuauitas fortitan poſſent pretio temporali æſtimari: Quamuis contrarium appareat probabilius, quia nec grata elocutio Concionatoris, neque ars eius bene dicendi, imò nec prærequiſitum ſtudium poſſunt pretio temporali æſtimari & vendi, vt de ſtudio expreſsè docet Suarez loco citato. Sed nō ſatis pla-
42 cet quod ſignificat ibidem, nimirum quod Cantores muſici cōducti,& qui inſtrumentis muſicis ludunt, tantùm adhibeantur ad ornandum diuinum officium ſuis vocibus aut inſtrumentis, & reuera per ſe non exerceant actionem ſpiritualem, neque officium diuinum recitent, aut peragant: quia inprimis actus illi & inſtrumenta ſunt idonea & cōuenientia ad laudandum Deum, & diuinas laudes celebrandas: vt ex Scripturâ cōſtat,quę ſępius nos hortatur, vt laudemus Deum in hymnis & canticis,in ſono tubę,in organis & cymbalis bene ſonantibus:quidni igitur quando in Eccleſijs, & Oratorijs, ad quæ populus Religionis cauſâ conuocatur & conuenit, dicenda erunt adhiberi, vt in illis religioſum officium exerceatur. Sanè ſi tantum adhibeantur ad demulcendas curioſorum aures, non id ſine vanitate, & culpa fieri poſſe in tali loco & in tali conuentu exiſtimarem. Accedit quòd totum officium, vt Laudes, Veſperæ & aliæ preces decantari poſſint per tales conductos muſicos & muſicalia inſtrumenta: vnde ſi illi non exerceant actionem ſpiritualem, nec officium diuinum peragant, conſequens videtur, quod populus potius cenſebitur vocari ad Comœdos audiendos quàm ad audiendum & intereſſendum diuinis officijs. Quare monēdi ſūt eiuſmodi Cātores vt accipiāt temporale titulo ſuſtentationis, aut gratis religionis cauſâ faciāt, vel abſtineant.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Eccleſiæ Prælati aliquid poßint accipere pro diſpenſatione in iuramentis, in votis, in impedimentis matrimonij aut in alijs conſtitutionibus ſeu legibus Eccleſiaſticis?

Reſpondetur: Non poteſt licitè pro
quacumq; diſpenſatione Prælatus ali- 43
quid accipere. Ita in terminis. D.Th.q.100. cit. art.3.ad 3. quod videtur ipſe intelligere, ſic vt non tantum non liceat per modum pretij, ſed etiam vt ne quidem per modum ſuſtentationis.

Et quidem quod non per modum pretij ſatis ex dictis conſtat, quia vſus poteſtatis ſpiritualis vendi aut emi non poteſt, quemadmodum neque vſus gratiarum gratis datarum, vt v.g. vſus doni prophetiæ, vſus doni linguarum, vſus doni curationum, quia in illa venditione aut emptione euidentiſſimè apparet ſimonia.

Quod autem non per modum ſuſtentationis aliquid poſſit pro diſpenſatione accipi, in eo videtur ſignificare D. Thom. quia dicit, eum cui ſpiritualis poteſtas commiſſa eſt, pro ſua ſuſtentatione habere ſtatuta ſtipendia ex reditibus Eccleſię: & ideo, inquit, ſi aliquid acciperet pro vſu ſpiritualis poteſtatis non intelligeretur operas ſuas locare quas ex debito ſuſcepti officij debet impendere, ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum. Hunc accedit quod Conc. Trid. ſſ.25.cap.18. expreſsè mandat, ne quicquam accipiant illi ad quos diſpenſandi officium ſpectat: ſi vrgens, inquit, iuſtaque ratio & maior vtilitas quandoq; poſtulauerint cum aliquibus diſpenſandū eſſe, id cauſâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atq; gratis à quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.

Obſeruandum tamen eſt, Epiſcopos poſſe 44
imponere onus largiendi eleemoſynam aliquam pauperibus, aut monaſterijs, vel ad aliā piā cauſam, vt notat Suarez tom.1.De relig. lib.4. c.20. non ita longe à fine: tantūmodo enim prohibet Cōc. ne ipſe diſpēſās inde cōmodū reportet, ſcil. ſiue pro ſe, ſiue pro ſuis.

Hoc idem multò magis poteſt facere Summus Pontifex; idque tam ab Epiſcopis quàm ab ipſo conuenienter admodum fieri poteſt, vt ſcilicet onus hoc ſit quaſi compenſatio ſubleuaminis quod percipiunt diſpenſati, ac ipſius receſſus à lege communi, quaſi quædam correctio. Expedit enim huiuſmodi oneribus ſiue eleemoſynarum

Digitized by Google

largitione ſiue peregrinatione, ſiue ieiunijs homines veluti quibuſdam repagulis intra communes leges coërceri, ne nimis procliues fiant, vt ſub varijs prætextibus ſæpè parùm iuſtis curent ac conentur ſe à communi lege eximere.

Cæterùm poteſt Pontifex eiuſmodi Pecuniam, non tantum alijs pijs cauſis, ſed etiam ſuis neceſſitatibus aut ſuorum officiatorum ſuſtentationi applicare quando iuſta ſubeſt ratio. Ita docet Suarez De ſim. c. 20. & latè Rodoanus De ſim. 1. p. cap. 21. nu. 4. & ſequentibus. Ratio eſt, quia dum ſoluitur non eſt alicui debita, niſi cui voluerit Pontifex eam eſſe attributam; conſtitutionibus autem Canonum vel Concilij ipſe non ligatur. Vnde idem poſſent Epiſcopi niſi ipſis iure poſitiuo eſſet prohibitum.

An verò contraria conſuetudo quæ videtur quibuſdam in locis adhuc vigere, poſſit eos excuſare, qui concilium non obſeruant, dubitari poteſt.

45 Reſpondetur: Quando iuſta ſubeſſet ratio quæ vſum illum valeret à corruptelæ vitio vindicare, tum veriſimiliter eos excuſari poſſe, ſi lapſu temporis fuerit conſuetudo legitimè præſcripta: indicat Suarez ſup. & poteſt colligi ex generalibus principijs ſecundum quæ, conſuetudo aliquando præualet contra legem. Vt, v. g. ſi prouentus menſę Epiſcopalis eſſent tam tenues vt debitæ & competenti ſuſtentationi ipſius Epiſcopi & officiatorum qui ad munia Epiſcopalia neceſſarij ſunt, non ſufficerent: aliàs conſuetudo illa tanquam irrationabilis reijcienda erit, ita vt facientes iuxta eam neque excuſari poſſint, neque contra legem præſcribere valeant.

Obſeruandum autem eſt, fideles qui ex legitimis cauſis petunt & obtinent eiuſmodi diſpenſationes, & prælatis aut miniſtris eorum exigentibus, pecuniã aliquam ſoluunt, poſſe excuſari à ſimonia & peccato, tum quod ſæpius prohibitiones illas inculpabiliter poſſint ignorare, vtpotè quæ principalius concernunt ipſos prælatos ne exigant aut accipiant; tum potiſſimùm quia intelliguntur dare in eleemoſynas, aut in vſum alterius piæ cauſæ, ſub cuius titulo ſolent exigi, quamuis interim applicentur ad commodum Prælati ſeu Epiſcopi aut Miniſtrorum eius.

DVBIVM IX.

Vtrùm Epiſcopi aut eorum Miniſtri poſſint aliquid exigere vel accipere pro litteris ordinis ſuſcepti, vel pro dimiſſorialibus, aut pro ſigillo?

Reſpondetur: Neque Epiſcopi, neque eorum Miniſtri (exceptis Notarijs in certo caſu) poſſunt quicquam etiam ſpontè oblatum pro his accipere, ita expreſsè ſtatuit Concil. Trident. ſſ. 21. cap. 1. De reformatione, vbi ſic loquitur: Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu accipiant: notarij verò in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſorijs aut teſtimonialibus decimam tantum vnius aurei partem accipere poſſunt, dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: ſimilia habentur in Concil. Bracaren. 2. cap. 3. 46

Neque his ſuffragari poteſt cõtraria taxa, ſtatutum, aut conſuetudo etiam immemorialis, quam Concil. dicit eſſe corruptelam & abuſum prauitati ſimoniæ ſuffragantem: & tum addit: Qui ſecus fecerint tam dantes quam accipientes vltra diuinam vltionem, pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant. Vide Capitulum Placuit cauſa 1. quæſt. 1. & Capitulum Sicut Epiſcopum ibidem quæſt. 2. vbi inter alia dicitur, ſicut non decet Epiſcopum, manum quam imponit vendere, ita miniſter vel notarius non debet in eius ordinatione vocem ſuam & calamum venundare.

Notant autem hic aliqui inter quos Leſſ. lib. 2. cap. 35. dub. 10. quòd in locis illis vbi 47
plus exigitur, nec aliter litterę haberi queãt, videantur dantes eſſe excuſandi: eò quòd cenſeri poſſint, dare non in pretium, ſed ad ſuſtentationem miniſtrorum, vel ad redemptionem vexæ, eo quod aliter ſuo iure vti non poſſint: quod videtur probabile; neque enim mens concilij videtur fuiſſe quod talibus in locis cogerentur omnes paſſim litteris ſuis non ſine graui incommodo carere.

Si tamen ſpes affulgeret quod ad tempus carendo, prælati vrgeri poſſint, vt nihil præter conſtitutionem concilij exigerent, exiſtimarẽ quod nihil ſoluere poſſent aliud, quàm quod Concil. permiſit.

Vtrùm verò accipientes excuſari poſſint per ſuam conſuetudinem contrariam dubitari potuiſſet, niſi iam Concil. eam tanquam corruptelam & abuſum prauitati ſimoniæ ſuffragantem condemnaſſet: ſi tamen notabiliter iuſtæ rationes ſubeſſent, vtpotè propter magnam tenuitatem dotis Epiſcopalis & miniſtrorum, ad quas Concil. putaretur non attendiſſe, forſitan poſſet tum conſuetudo illa vti à corruptelæ vitio excuſari, ita etiam legitimè præſcribi, modo accipiatur ad neceſſariam tantùm aut conuenientem ſuſtentationem.

Obſeruandum

Digitized by Google

48 Obſeruandum denique Prælatos qui ſufficientes habent reditus, obligari etiam lege iuſtitiæ ſuis officiatis conuenientia ſtipendia aſſignare & ſoluere, ne pro eiuſmodi miniſterijs dictis cogantur à populo exigere ſub titulo ſuæ ſuſtentationis, vt docet Dom. Soto lib.9. quæſt. 6. artic. 1. quia tanti prouentus non ſunt ab Eccleſia illis aſſignati, vt ipſi ſoli inde viuant, ſed etiam vt miniſtros qui ad Epiſcopalia munia eis ſunt neceſſarij, indè ſuſtentent, niſi forſitan alia pro miniſtris ſtipendia ſint inſtituta.

DVBIVM X.

Vtrùm liceat aliquid dare aut accipere pro ingreſſu religionis?

49 OBſeruandum hîc eſt, duplicem eſſe Religionis ingreſſum: vnum per ſuſceptionem habitus ad probationem: alium per profeſſionē ſeu vota, quibus verus Religioſus quis conſtituitur: qui duo ingreſſus licet in multis differant, vt alibi explicari ſolet, tamen quoad præſentem quæſtionē, cenſentur quaſi eiuſdē rationis: tum quia vterque ingreſſus ordinatur ad ſpiritualem profectum animæ in charitate, & ad diuinum cultum, & per poteſtatem ſpiritualem admittitur: tum quia illa duo ſe habent tanquam via & terminus: vnde iura in hac materia indifferenter de vtroque loquuntur, vt benè notauit Nauar. Conſil.86. De ſimonia: & patet ex Cap. Nullus cauſa 1. q.2. & Cap. Non ſatis, & Cap. Audiuimus, De ſimonia. His præmiſſis

50 RESPONDEO & DICO Primò: Simoniacum eſt aliquid accipere aut dare pro ipſo ingreſſu Religionis tanquam pretium. Indicat D. Tho. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & ita communiter tenent Doctores omnes.

Ratio eſt euidens: quia ingreſſus ille ſiue receptio eſt indubiè actio ſpiritualis, & ipſe Religioſus ſtatus eſt omnino ſpiritualis, tum ratione principij ſcilicet virtutis Religionis, & præſertim Spiritus S. à quibus naſcitur & inſpiratur eius affectus & deſiderium, ſi vera & recta ſunt, tum propter ipſam ſuam ſubſtantiam & finem, vt conſtabit ex dicendis infrà De ſtatu Religionis. Vnde id ipſum multis Canonibus vetitum eſt, vt Capitulo Quam pio, cauſa 1. quæſt. 2. quod allegat D. Tho. vbi Pontifex generatim pro omni Eccleſiaſtica ſuſceptione, munus interdicit, & ibidem Cap. Nullus Abbas, item Capitulo non ſatis, Capitulo Veniens ad nos, & Capitulo Quoniam, De ſimonia: ac iterum in Extrauagante Sanè, eodem titulo: vbi Pontifex Bonifacius VIII. ſub pœna excommunicationis Papalis prohibet ne à volentibus ingredi religionem directè vel indirectè petantur, vel exigantur antè vel poſt, vel etiam in ipſo ingreſſus actu, prandia, cænæ, iocalia aut res aliæ etiam ad vſum Eccleſiaſticum, ſeu quemuis pium vſum deputata; ſed illa ſola recipiantur quæ ingredientes purè & ſpontè & plenâ libertate omnique pactione ceſſante dare vel offerre voluerint.

DICO Secundò: Si monaſterium ſit ſatis opulentum ac ſufficiens ad ſupplicantem 51
pro admiſſione, conuenienter ſuſtentandum ac intertenendum cum alijs qui ibidem agunt, non licebit quoque exigere quicquam pro ipſius ſuſtentatione. Ita D. Thomas ſuprà, & in 4. diſtinct. 25. quæſt. 3. artic. 2. vbi dicit, ſi ſine grauamine monaſterij poſſit recipi nouitius, ſimoniacum eſſe aliquid exigere: Adrianus Quodlibeto 4. Franc. A Victoria relectione de ſinomia parte 2. n. 12. Caiet. ad q. 100. Suarez De ſimonia c. 17. n.9. & alij plures.

Colligitur ex capitulo quoniam de ſimonia, vbi Pontifex ſimiliter dicit: prohibemus igitur ne ab his qui ad religionem tranſire volunt, aliqua pecunia exigatur ſiue requiratur, item ex alijs Capitulis ante citatis: quæ non tantum prohibere intendunt, ne ingreſſus religionis aut ad eam admiſſio vendatur pretio, ſed ſimpliciter ne pecunia aut aliæ res temporales ab ingredi cupientibus exigantur: quod proinde vel maximè tunc locum habere exiſtimandum eſt, quando ſuſtentationi eorum ſufficiunt monaſterij prouentus,

Vnde ratio addi poteſt, quia Ius viuendi 52
de monaſterij bonis ſic eſt annexum profeſſioni religionis, ſicut ſuo modo præbenda canonicatui ſiue officio Eccleſiaſtico; ergo quemadmodum pro præbenda non poteſt quicqnam exigi ab eo, cui datur officium ſeu titulus, ita neque ab eo, qui ad religionem admittitur, poterit aliquid exigi pro ſuſtentatione quando monaſterij bona ſufficiunt. Quidam tamen exiſtimant, hic non eſſe veram ſimoniam, quando pecunia exigitur tantum pro ſuſtentatione, ſed præſumi ſolùm in foro externo. Ita indicat Syl. verbo ſimonia quæſt. 15. Toletus ſup. cap. 89. & alij nonnulli. Veruntamen inprimis ex ratione iam adducta ſatis conuincitur fieri non poſſe ſine iniuſtitiâ, ſicuti collator nō poteſt ſine iniuſtitia exigere prouētus beneficij, ſibi ſeruare quando concedit titulū. Deinde nihil hic deeſt, quo minus dicatur interuenire etiam ſimonia Iuris ſaltem humani, vt iterum ex exemplo iam adducta poteſt conſtare, quia Eccleſia prohibuit illam exactionem non tantum propter iniuſtitiam, ſed maximè intuitu religionis, ne Status ille ſimul videretur in mercimonium tēporale, trahi vt docet Suarez de ſim. c.17.

Difficultas alia eſt, vtrùm quando monaſterium non eſt ſufficiens ad alendum ſupplicantem, vel non ſufficienter eſt dotatum an poſſit tunc ab ingredientibus pecunia exigi: & de certa aliqua ſumma ſoluenda conuentio fieri. Roſella Verbo Simonia 5. docet nunquam licere inire pactum de ſoluendo aliquo pretio pro ſuſtentatione conuerſi, etſi monaſterium quoque ſit pauper: in eandem ſententiam inclinat Panorm: in Capitulum Non ſatis, de ſimonia: quamuis enim permittat vt dum monaſterium indiget, quod via proteſtationis & inſinuationis dicatur volenti intrare, vt ſecũ adferat quo poſſit viuere, non tamen permittit vt hoc ipſum ducatur in pactum, quod etiam ſentit Gloſſa ad Capitulum Quoniam de ſimonia & fauet idem Capitulum, quia ibi ſimoniæ damnantur moniales quæ paupertatis prætextu ab illis quas ſorores recipiebant, pecunias exigebant.

Pro reſolutione difficultatis huius

53 Dico Tertiò: Stando in iure naturali non apparet ſimoniacum aut illicitum, quod monaſterium pauper & ad ſuſtentationem ſupplicantis pro habitu inſufficiens, exigat ab eo, vt neceſſaria ad ſuam ſuſtentationẽ ſecum inferat & deſuper quoq; fiat cõuentio. Colligitur ex D. Thom. quæſt. 100. cit. art. 3. ad 4. vbi ſic ſcribit: Licet tamen ſi monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum monaſterij exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in monaſtrio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant monaſterij opes. Vide eundum in 4. diſtinctione 25. idem docent Syluest. Verbo Simonia quæſt. 15. Victoria Relectione de ſimonia parte 2. n. 12. Nauarrus de reditibus Eccleſiaſticis in fine quæſt. 1. Toletus libro 5. Cap. 89. Palud. in 4. diſt. 25. quæſt. 5. Mald. dub. 7. Suarez loco cit. & alij.

Ratio reddi poteſt; quia nihil venditur ſpirituale, aut ſpirituali annexum, quia dant ſpirituale ſcilicet ipſum ingreſſum & participationem ſpiritualis inſtructionis, directionis, ac diſciplinæ gratis: neque venditur annexum ſpirituali, puta ius ad ſuſtentationem ex bonis monaſterij, quia ſupponitur monaſterium non habere bona, vnde illum poſſit ſuſtentare, niſi ipſe ſecum adferat: eſt igitur tantum pactio indemnitatis in gratuita conceſſione rei ſpiritualis, ſeu prudens prouidentia qua tempeſtiuè cauetur cupienti ingredi contra indigentiam, ne poſtquam eſt ingreſſus, cogatur forſitan vagari extra monaſterium, vt ſibi neceſſaria comparet: non enim eſt æquum vt alijs neceſſaria ſubtrahantur, & nouis aduenientibus attribuantur. Quondo autem pro ſua ſuſtentatione intulit & facta eſt bonorum commixtio, naturaliter tum ſequitur quod tunc ſimul in communi ius habeat cum alijs viuendi ex bonis illis.

Confirmatur: Quia refert D. Hieronymus, vt habetur Capitulo Nunquam, De conſecratione diſtinct. 5. Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenuiſſe, vt nullum abſque operis labore ſuſciperent & quamuis eos hoc feciſſe dicat non tam propter victus neceſſitatem quàm propter animæ ſalutem, ne in periculoſo otio viuerent, erat tamen quaſi ſtipulatio de temporali ac ſimul etiam intendebatur vt inde viuerent; ergò &c.

Dixi, ſtando in iure naturali, quamuis plerique DD. citati abſque eiuſmodi limitatione loquantur: quia Capitulo Quoniam iam citato expreſsè ſic ſtatuitur; quoniam ſimoniaca labes adeò pleraſque moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant ſorores, paupertatis prætextu volentes huiuſmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, & deinde adijcitur pœna, vt tam recipiens quàm recepta ſi contra fiat, de ſuo monaſterio expellatur in locum arctioris regulæ ad agendam pœnitentiam. Vnde eiuſmodi exactionem ſimpliciter eſſe prohibitam iure Eccleſiaſtico ſentiunt Archidiac. cauſa 1. quæſt. 2. in principio, Vgolin. De ſimonia Tab. 1. cap. 4. §. 1. num. 6. 54

Reſpondent verò nonnulli eos ibi redargui, qui accipiebant pretiũ pro ipſo ingreſſu & id prohiberi; ſed dum additur paupertatis prætextu volentes &c. ſatis inſinuatur quod illud accipere prætenderent titulo ſuſtentationis. Vnde alij reſpondent, quod arguantur quia prætextu paupertatis acciperent, cum non eſſent pauperes: quæ reſponſio tolerabilior eſt. Ex vtráque autem videtur Suarez loco ſup. cit. velle conficere vnam.

Verumtamen videtur nihilominus ſimpliciter generalis prohibitio ex prohibentis intentione, vt vel ſic tollatur occaſio illius falſi prætextus, & in extirpabilis ſimoniæ, quæ in iſtis exactionibus ordinariè committitur, quia vel fingitur paupertas quæ non eſt, vel plus exigitur, quàm ad ſupplicantis perſonæ ſuſtentationẽ requiritur: atque ita voluit Pontifex ponere ſecurim ad radicem, & prohibendo abſolutè omnem exactionem, præſcindere omnem occaſionem.

Accedit quod Pontifex Bonifacius VIII. Capitulo Pernitioſo, De ſtatu regularium, in ſexto, prohibuit in monaſterijs ordinum non mendicantium plures recipi, quam poſſint abſque penuria de ipſorum monaſteriorum bonis ſuſtentari, & Conc. Trident. ſſ. 25. cap. 3. de reformatione Regularium, ſtatuit vt in monaſterijs & domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus is

tantum

tantùm numerus conſtituatur ac inpoſterum conſeruetur qui vel ex reditibus proprijs monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſinis commodè poſſit ſuſtentari: ex quibus apparet conſequens quod etiam tenuiora monaſteria & ad alendum ſupplicantem inſufficientia nō poſſint aliquid exigere pro ſuſtentatione eius, quandoquidem illis non liceat, præſertim conſtituto ſemel numero per ſuperiores iuxta Concilij Tridentini decretum, plures aſſumere quàm ex ſuis bonis poſſint commodè alere.

Quare ſi Contraueniant cum res verſetur in materia religionis, non tantum peccabunt contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem religionis, pro cuius illuſtriori decore Canones id ſtatuerunt, ac vitiū quoque ſimoniæ iuris humani incurrent ad minus ſecundum præſumptionē; quia quando contra conſtitutionem Canonum admittunt plures & interuenit tractatio de pecunia danda, præſumitur omnino pretium illud malè exigi.

Eſt quidem verum, quod capitulo Pernitioſo, potiſſimùm prohibeatur ne admittant plures, eâ de cauſâ vt religioſi & præſertim moniales non cogantur poſtmodùm extra conuentum vagari ad conquirenda ſibi neceſſaria: Cui malo dicunt aliqui prouideri per hoc quod ab ingredientibus exigatur, vt ſecū ſuſtentationē ſuā inferant, tamen non videtur id eſſe ex mente Pontificis qui alioquin vel id facere ſub diſiūctione adiecíſſet. Deinde Conc. Trid. nō allegatâ illâ ratione ſtatuit ſimpliciter ea quæ diximus: & quidē veriſimiliter etiā hac de cauſa, ne monaſteria haberent occaſionem ab ingredientibus exigendi pecunias ſub titulo ſuſtentationis, quia ſub illo prætextu committuntur multę & magnæ ſimoniæ, quas per eiuſmodi conſtitutionem probabiliter voluerit excludere & præcauere.

55 Ex quibus etiam patet non eſſe fundatam coniecturam quam facit Suarez cap. 17. cit. n.8. quod veriſimile non ſit Eccleſiam voluiſſe viam ad religionem tot perſonis præcludere, cum clarè dicat Concil. Trident. is tantum numerus conſtituatur, & in poſterū conſeruetur &c. Imò nō præcluditur ſed ratio præſcribitur, vt ordinatè ad eā perueniatur: quin in praxi alterius ſententiæ contingit nō paucis viā propter paupertatē aut inſufficientiā ad tantas exactiones ſoluendas præcludi. Neq; vllam habet probabilitatis ſpeciē Commentarius ille, quem aliqui faciunt ſuper verbis Concilij, quod dum dicitur, vel ex conſuetis eleemoſinis, ibi ſub conſuetis eleemoſinis comprehendi dotes quas vocant inferendas à Nouitijs. Quomodo enim illæ ſunt eleemoſinæ, quæ ad tam certam ſummam ſolemni ſtipulatione ſeu pactione determinantur, & quomodo illæ poſſunt dici conſuetæ eleemoſinæ, cum per accidens & quaſi extra ordinem accedant. Mirum ſanè eſt, quod viri boni & doctiſſimi in tanta luce ſibi tenebras offundant: Clariſſimus enim eſt textus & ſenſus: Iam enim præmiſerat Concil. Trident. quod quædam monaſteria permitterentur habere bona immobilia quæ ex proprijs viuerent reditibus, quamuis aliqua ſimul quoque mendicarent: quædam nulla immobilia poſſent habere aut poſſidere, ſed ex eleemoſinis viuerent: quando igitur Concil. addit, aut ex conſuetis eleemoſinis, euidentiſſimum eſt, quod loquatur de eleemoſinis, ex quibus fratres tales mendicantes viuunt ordinariè & communiter, ſicut alij Religioſi ex ſuis reditibus.

Quare præcipuum præſidium, quod obtendi poſſet, pro vſu illo in diuerſis monaſte- 56
rijs præſertim monialium frequentato, videtur eſſe conſuetudo, quæ ſcientibus & videntibus ſuperioribus dicitur tollerari ab Eccleſia. Vt autem hæc poſſit forſitan ſuffragari ijs quæ verè pauperiores ſunt, ita vt non ſufficiant alendo qui pro admiſſione ſupplicat, tamen intollerabilis videtur corruptela quod in monaſterijs etiam ſatis opulentis, vel vbi iuxta Concil. Trid. numerus eorum qui ex bonis monaſterij commodè poſſunt ali, iam eſt conſtitutus, aut Superiores conſtituere debuiſſent, nihilominùs præfectæ aut conuentus non recipiant vnquam alias ſorores in locum defunctarum niſi pactâ certâ pecuniâ, ſiue pro earum ſuſtētatione ſiue titulo paupertatis monaſterij, aut titulo eleemoſinæ: hoc enim eſt illud ipſum quod Capitulum Quoniam, tam grauiter reprehendit & prohibet ſub tam ſæueris pænis: & quandoquidem nulla ratio ſuffragetur iſti vſui aut potius abuſui, hinc non poteſt vnquam conſuetudinis rationalis fauorem & authoritatem obtinere, vt contra legem aliquando præſcribere queat.

Cæterùm foret omnino conſultiſſimum & ſaluberrimum vt monet Nauarrus ſupra, quod vbique abſtineretur ab illis exactionibus & pactis, nec admitterentur plures quā ſine penuria ac commodè poſſint ex prouentibus monaſterij ſuſtentari, quodque in hoc conformiter & conſtanter ſuperiores incumberent & laborarent iuxta Concilij Tridetini placitum & decretum; idque propter incommoda quæ ex plurium aſſumptione obueniunt (& qui neglexerint ferent iudicium ſuum) hoc enim artificio inprimis fit, quod ab omnibus quotquot admittuntur, exigatur pretium ſuſtentationis, quia cum habeant ſemper numerum pluſquam plenum, contingit quod apud ſingulos ſupplicantes obtendant plenitudinem aut exceſſum numeri, eoque nomine petant pro ſuſtentatione, etſi iam plures aut pleræque omnes neceſſaria pro ſua ſuſtentatione,

Digitized by Google

tione intulerint, quod ſimoniæ vitio non caret.

57 Deinde, quod paſſim non ſolum exigant quantum poſſit ſufficere alimentationi perſonæ ſupplicantis, nec ſint contentæ etiamſi ipſa aut parentes offerant honeſtam penſionem vitalem, qua poſſit filia commodè ſuſtentari, ſed neſcio, quo titulo niſi verè ſimoniaco, exigunt monaſteria ſatis communiter à ſupplicantibus tantum quantum eis lubet, ita vt ſingulæ quæ intrant, debeant facilè inferre reditum aut æſtimationem eius quo in perpetuum poſſit vna ali, niſi placuerit aliquando gratioſè magis cum aliqua agere. Qualem abuſum etiam damnat Suarez cap. 17. cit. n. 14. quando cum Nauarr. Conſil. 80. De ſimonia, & in Tract. de Reditib. Eccleſiaſt. q. 1. monit. vlt. docet, quod nihil ex pacto poſſit recipi, niſi quod alendæ vni perſonæ eſt neceſſarium, & ſi quid vltra petatur, id illicitè fieri: nam quando plus exigitur, non apparet qua ratione, aut quo titulo honeſtari poſſit: etiamſi enim fiat prætextu paupertatis, titulus eſt coloratus (inquit) non verus: & hoc, ait, videtur reprobatum in Cap. Quoniam: vbi quod dicit Suares, etiamſi prætextu paupertatis fiat, titulus eſt coloratus, non verus, non id dicit, quia non ſubſit vera paupertas, ſed quia etiam vera paupertas Conuentus, v.g. quia ære alieno eſt obſtrictus, aut villæ dirutæ, non eſt tamen iuſtus ſiue debitus titultus qui à ſimonia excuſat exactionem & receptionem pecuniarum, quæ fit vltra ſuſtentationem ſupplicantis: non magis enim poteſt monaſterium ex contractu facere quæſtum ex admiſſione & receptione ad nouitiatum aut profeſſionem, quã montes pietatis poſſint facere quæſtum vllum ex mutuo, quantumuis eſſent indigentes & in poſterioribus: eaq; fundantur non in prohibitione humana, ſed in Iure diuino. Vnde rectè Vgol. in lo. ci. n. 4. addit quod concluſio eius locum habebit etiamſi conſuetudo contraria adſit: ſimiliter etiamſi datum, acceptumue in pium vſum vertatur.

Tertiò: Quod monaſteria etiam ſatis dotata idem imitentur, etiamſi poſſint quoque numerum longè maiorem quàm habeant commodè alere: Imò quo ſunt opulentiora, eo non rarò faciunt exactiones maiores quod ſapit ſimoniam intollerabilem.

Quartò: Quia hac ratione fit, quod magis idoneæ & quæ verè habent religionis ſpiritum, communiter non poſſint obtinere ingreſſum propter tenuitatem mediorum, vnde tantos ſumptus facere & tantum inferre non valent quantum exigi & præſtari ſolet; è contra autem admittantur aut ſæpiùs intrudantur minus idoneæ aut ineptæ quæ ſunt ſine ſpiritu & ſpirituali affectu, quia prima ratio in admittendis habetur eius quantum inferre poſſit & parata ſit. Vnde contingit quod in multis monaſterijs aliquando vix vna aut altera reperiatur veræ vitæ religioſæ ac perfectionis ſtudioſa. Deniq; ſequuntur æmulationes, inuidiæ & exprobationes, ſi vna aliquid amplius inferre debuerit quã altera, & ſimilia alia mala.

In quibuſdam tamen caſibus poſſet videri aliquarum cum dotibus ſuis admiſſio 58
eſſe rationabilis, ſi ita Eccleſia iudicaret, vt primò, ſi numerus qui ex bonis monaſterij poteſt interteneri, non eſſet ſufficiens ad obeunda & explenda officia quæ ex regula vel ſtatutis incumbunt: vt enim tunc aliqui cupientes admitti, aſſumantur cum conditione quod neceſſaria ad ſuam ſuſtentationem inferant, valdè videtur in ratione fundatum.

Secundò: quando aliquis pro ſua libertate & pietate cupit fundare locum pro vno religioſo & aſſignare reditus perpetuos pro vnius ſuſtentatione, & ipſe ſupplicaret pro loco illo, ſic tamen quod inpoſterum maneret numerus in tantum auctus.

DVBIVM XI.

An ſit ſimoniacum pro doctrina alicuius ſcientiæ ſaltem theologiæ exigere & paciſci de ſtipendio pretij temporalis?

RESPONDEO & DICO Primò: Exigere, aut etiam paciſci de pretio pro 59
doctrina alicuius ſcientiæ omninò naturalis, vt phyſices, mathematices, medicinæ, nullum habet periculum ſimoniæ. Patet, quia neque ſcientia talis, neque actus eam docendi eſt quid ſpirituale, ad ſenſum quo ſimonia dicitur eſſe ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi aliquid ſpirituale.

Quare neque ſuberit ſimonia, etiamſi non tantum ex labore qui in ſtudendo ponitur, æſtimetur pretium, ſed etiam ex ſublimitate rei, & veritatis ad cuius cõprehenſionem eleuat mentem alterius, eòque amplius exigatur.

Quod & de doctrina theologiæ naturalis, ſiue de profeſſione metaphyſices dici poteſt, quia eſt quoq; tãtummodò naturalis actus intellectus voce explicatus adducens alterum ad cognitionem rerum diuinarum quatenus hæc lumine naturali poteſt comparari ex principijs naturalibus.

Obſeruandum tamen eſt, quod tametſi in 60
tali æſtimatione non tantum laboris, ſed etiam ipſius ſcientiæ & veritatis non ſubſit periculum ſimoniæ, tamen non videatur iſta apprætiatio carere omni inordinatione & deformitate: quandoquidem etiam cognitio veritatis naturalis ſpeculatiua, quæ per ſe ad

Digitized by Google

ſe ad vtilitatem temporalem non ordinatur, ſit aliquid excellentius quàm vt temporali pretio apud homines debeat æſtimari: quod & indicat D. Thomas quæſt. citata, art. 3. ad 3. vbi ſic ſcribit, Ille qui habet ſcientiam & non ſuſcepit officium ex quo obligetur alijs vſum ſcientiæ impendere, licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ vel conſilij accipere, non quaſi veritatem aut ſcientiã vendẽs, ſed quaſi operas ſuas locãs: ſi autẽ ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipſam vendere veritatem, vnde grauiter peccaret, inquit. Puto tamen illam grauitatem de qua D. Tho. magis ponderandã ex eo, quod ille contra iuſtitiã grauaret auditores, accipiendo ab eis pretium pro eo quod tenetur ex officio impendere, quàm ex eo quod cenſeatur naturalem cognitionem veritatis pretio æſtimare, quamuis & in eo vt diximus, inſit ſua deformitas & inordinatio.

Neque his obſtat quod profeſſionibus ſublimioribus maiora ſtipendia aut honoraria ſolent aſſignari, quia id fieri poteſt, partim, quia quo perſonæ honorabiliores ſunt, eo ampliori ſuſtentatione ſunt dignæ: quanto autem ſublimioribus ſcientijs perſona prædita eſt, tantò honorabilior eſt. Deinde ſublimiores ſcientiæ prærequirunt diuturniores & maiores labores vt comparentur, & ſimiliter quoque multâ indigent meditatione vt aptè proponantur, & animis audientium ingenerentur; quare iſtis titulis meritò aſſignantur profeſſionibus ſcientiarum magis ſublimium maiora ſtipendia, etſi non ipſa cognitio veritatis ſublimioris deducatur in æſtimationem cum pretio temporali.

Quod verò attinet ad theologiam quæ habet principia non cognita naturaliter, ſed diuinitùs reuelata. Notant DD. diuerſimodè de illa poſſe eſſe ſermonem. Hinc

61 Dico Secũdò: Quomodocũq; de theologia loquamur, nõ dubiũ eſt quin pro doctrina ſeu explicatione illius poſſit abſq; ſimonia accipi, ac etiam exigi aliquid temporale pro conuenienti ſuſtentatione docentis. Eſt ſententia communis, & ſatis conſtat ex dictis ſup. dub. 7. vbi idem de varijs functionibus ſpiritualibus oſtendimus ex ſcripturis & ratione.

Dico Tertiò: Aliquid exigere vel accipere tanquam pretium pro ſimplici inſtructione catechiſtica ſiue in ijs quæ Eccleſia proponit credenda & fideles credunt, eſt planè ſimoniacum. Patet, quia actus ille eſt ſpiritualis, & per ſe diſponens ad finem ſupernaturalem, quia ex ſua ratione eſt ordinatus vt audientes concipiant vel exerceant fidem ſupernaturalem in ordine ad ſalutem æternam, ſicuti & ſacræ conciones.

62 Dico Quartò: Similiter ſi theologia ſumatur pro cognitione miſteriorum fidei & ſcripturarum diuinitus infuſâ, qualis erat in Apoſtolis, erit ſimoniacum aliquid exigere aut accipere vt pretium pro eius vſu ſiue pro inſtructione quæ inde deriuatur in alios.

Sequitur ex antè dictis, quia illa theologia ſimpliciter eſt gratia gratis data, qualis neque naturæ viribus poteſt haberi; per eam namque perfectius ac certius penetrantur ſenſus ſcripturarum & miſteria fidei, quàm quis vllo ſtudio humano poſſit aſſequi & ad finem ſupernaturalem datur: ſupra autem diximus licitum non eſſe pretio vendere vſum gratiarum gratis datarum. Vnde Giezi puer Eliſei arguitur ſimoniæ quia temporalia accepit pro curatione quã Propheta ex gratia gratis datâ præſtiterat.

Principalis itaque difficultas eſt de theologia vt accipitur pro ſcientia quæ ex principijs fidei per induſtriam rationis naturalis deducit concluſiones, vel etiam pro ſcientia interpretandi ſcripturas, quatenus hæc diligenti lectiône eorum qui illas benè & dignè fuerunt interpretati, ac ſcripturarum inter ſe accuratâ collatione comparatur: vtrùm pro illius traditione & doctrinâ, ſiue pro intrinſeco labore qui eiuſmodi doctrinæ ſeu actui docẽdi ineſt, poſſit accipi pretium temporale?

Palud. in 4. diſtinctione 25. quæſt. 5. 63
Syl. Verbo ſimonia, quæſt. 1. Hoſtienſis in Capitulum Quia nonnullus, De magiſtris docent ſimoniacum eſſe pro pretio temporali theologiam docere non minus, quàm exacto pretio concionari. Addit tamen Syl. quando ex officio magiſterij docetur, ad quos accedit ſatis Arag. hic quæſt. 100. art. 1. quando ſentit eſſe ſimoniacum, docere puram theologiã pretio ſine humanis ſcientijs admixtis, quamuis exiſtimet non eſſe ſimoniacum, docere ſcolaſticam pretio prout paſſim docetur vbi plura ex phyſica & metaphyſica admiſcentur.

Econtra autem à Victoria Relectione de ſimonia, parte 1. n. 6. Durãdus in 4. diſt. 25. quæſt. 3. Adrianus Quodlibeto 9. Caiet. hic quæſt. 100. articulo 3. à Valentia diſp. 6. quæſt. 16. puncto 2. Soto. ſup. & plerique recentiores tenent ſimpliciter ſimoniacum non eſſe, theologiam illam pro pretio temporali docere & tradere. Pro reſolutione

Dico Quintò: Inordinatum & ſordidum eſt tradere ſcientiam theologicam pro pretio temporali, ſic vt ipſa veritatis cognitio quæ ab alijs inde percipitur, veniat in comparationem & æſtimationem cum tali pretio. Patet ſufficienter ex dictis antè circa primam concluſionem, vbi oſtendimus non carere deformitate, vendere pretio tẽporali cuiuſcumq; ſcientiæ ſpeculatiuæ cognitionem: quod etiã docent Altiſidorienſis lib. 3. 64

tract.

tractatu 21. Alexander Alenſis 2. parte, quæſt. 185. & Gloſſa ad capitulum Non licet, cauſa 11. quæſt. 2.

Et confirmari poteſt ſpecialiter de theologia, ex illo Prouerbiorum cap. 3. vbi Sapientia dicitur prætioſior cunctis opibus, & quod omnia quæ deſiderantur huic non valeant comparari. Hinc neque ipſe internus labor doctrinæ talis abſque inordinatione poteſt temporali pretio quaſi vendi, quia iſte æſtimabilis non eſt, niſi ratione ſcientiæ quam generat; quare ſi ille temporali pretio æſtimetur, cenſebitur & ipſa ſcientia pretio temporali æquiparari.

65 DICO Sextò: Non quomodolibet inordinatum eſt, ſed etiam verè ſimoniacum eſſe apparet, docere theologiam pro pretio temporali. Ita ſentiunt DD. antè pro priori ſententia citati.

Probatur, quia theologia tam ex parte ſuorũ principiorum, quàm ex parte ſui finis per ſe, eſt ſimpliciter & abſolutè ſpiritualis iuxta eum ſenſum, quo ſpirituale ſumitur in definitione ſimoniæ; ergò &c.

Probatur antecedens, quia principia theologiæ ſunt veritates diuinitùs & ſupernaturaliter cognitæ, vt per ſe conſtat, quæ planè ſpirituales ſunt, vt in definitione ſumitur ſpirituale: finis autẽ per ſe huius ſcientiæ eſt idem qui principiorum eius: conſtat autem quod principia illa ſint diuinitùs tradita ad finem ſupernaturalem: quare & finis per ſe huius ſcientiæ eſt ſupernaturalis & ſpiritualis.

Confirmatur, quia non niſi abuſiuè aliò poteſt ex principali intentione docentis referri theologia, quàm vt ea quæ fidei ſunt, illuſtrentur, contra inpugnantes, propugnentur ac roborentur, & vt virtutes ſupernaturales rectè dirigantur.

Hinc de illa loquens D. Aug. ſcribit: Hæc eſt quâ fides ſaluberrima gignitur, defenditur, roboratur: & per conſequens eo referenda eſt, vt ſeruiat ad animarum ſalutem, ſicuti & ipſa fides: ergò finis eius per ſe eſt ſimpliciter & abſolutè ſpiritualis: ſimoniacum igitur erit temporali pretio eam docere & vendere, ſicuti ſimoniacum eſt pretio docere fidem Chriſtianam.

Probatur cõſequentia, quia docere ſcientiam aliquam non eſt tantum oſtendere deductionem concluſionum ex principijs, ſed eſt quoque tradere ipſa principia: ergò docere theologiam includit docere veritates reuelatas, & quidem vt tales, quia ſub hac tãtum ratione habent robur principiorũ; & per conſequens theologiæ inſtructio pro eâ parte eſt actus ſpiritualis, ſicuti catechizare: eatenus enim tantùm eſt differentia, quod Doctor omnes aut plùrimas veritates ex ſuo munere tradat & explicet: Catechiſta autem pauciores, ſcilicet eas quæ magis creditu ſũt neceſſariæ actu explicitò.

Rurſus, ſimoniacum eſt temporali pretio æſtimare actum cuius finis per ſe eſt ſupernaturalis, vt conſtat de catechizatione, de concione, & de ſimilibus: quare cum finis per ſe ipſius theologiæ ſit ſpiritualis & ſupernaturalis, erit ſimoniacum pretio illam vendere.

Dicet aliquis: Licet principia theologiæ fuerint diuinitus reuelata, ipſa tamen theologica ſcientia magno ſtudio ac labore cõparatur; neque qui eam tradit aut diſcit, habet rationem eius, quod fidem ſupernaturalem illuſtret aut gignat, vel contra impugnantes eam tueatur, ac virtutes ſupernaturales in ſuis functionibus dirigat, ſed ſolum quod intellectũ in cognitionẽ abdituſſimarum rerum deducat, quæ ſine magno conatu & ſudore obtineri nequit: quodque illâ iam obtentâ oblectamentum, honores, & commoda pariat ac conciliet: ob has igitur conſiderationes poterit Doctor aliquid exigere in pretium ſuæ doctrinæ, æſtimando etiam pluris operas ſuas, quia in ſublimiori materia verſantur.

Reſpondetur ad primam partem antecedentis, quando actus, aut res ex ſuis principijs & ex fine ſuo proprio ac per ſe, eſt ſpiritualis, impertinens eſt, quod ipſa labore comparetur, ſiue non abſque labore, ad hoc vt pretio temporali poſſit vendi, vt notat Arag. loco citato: nam v.g. non ſine magno quoque labore acquiritur notitia omnium veritatum fidei quæ ſunt reuelatæ, tum in ordine ad praxim, tum in ordine ad inſtructionẽ intellectus, & tamen non ideò licebit notitiã illam alijs pro pretio vendere aut tradere, etiamſi quoque ſupponatur quod docens & diſcens non reſpiciant ad finem ſupernaturalem, puta ad Dei cultum & ſalutem animarum, ſed tantùm ad oblectamenta, aut ad honores vel cõmoda temporalia, quæ ex accurata illorum cognitione poſſint exſpectare; imò tales dupliciter potiùs contra dignitatem rei ſpiritualis peccabunt, tum ſcilicet quòd abuſiuè vtantur veritatibus fidei & earum cognitione, tum quod cognitionem illam vili pretio temporali æſtiment: quare licet ſcientia Theologica labore ſit comparanda, non inde efficitur, quòd ſit pretio vendibilis; quemadmodum non ideò poteſt cõcionator ſcientiam quam auditoribus cupit ingenerare, pretio vendere, quia illam non infuſam accepit, ſed labore & ſtudio eam comparauit, prout & ab auditoribus eſſet comparanda. 66

Ad alteram partem reſpondetur, quod natura ſcientiæ non ſit æſtimanda ex intentione operantis ſiue docentis, ſiue diſcentis, ſed ex fine per ſe ipſius ſcientiæ: vndè ſi docens & diſcens Theologiam non attendant, neque eam referant ad fines illos ſpirituales 67

quos

quos conformiter cum ſuis principijs reſpicit ex ſe, ſed attendant principaliter ad alios iſtos fines in obiectione allegatos, eoque nomine putent illam pretio vendibilem, dupliciter quoque peccare videbuntur, contra ſacram (prout communiter appellatur) doctrinam, quia ſcilicet eâ abutuntur dum ad fines proprios non referunt: deinde, quia eius dignitatem quaſi vilipendentes comparant eam cum pretio aliquo temporali.

68 Dico Septimò: Non videtur ſatis fundata diſtinctio quam ponit Arragon. inter docere veram & puram Theologiam, & inter docere Scholaſticam prout nunc communiter traditur, quaſi iſto modo docere pro pretio temporali ſit tantum ſimoniacum, non autem eam pro pretio docere hoc modo. Declaratur breuiter: quia quæ nunc in ſcholis admiſcentur ex Logica aut Metaphyſica, vel ex alijs ſcientijs, non mutant principia Theologiæ, neque eius finem per ſe, ſed tantum adducuntur pro faciliori vel pleniori appræheſione ſcientię Theologicę, neque illa per ſe hic conſiderantur: quare non poteſt propter iſtam admixtionem fieri vendibilis, ſi alioquin pura Theologia abſque ſimoniâ non poſſit pretio æſtimari & doceri, prout idem Arragon. expreſsè tenet.

69 Porrò ſicuti qui benè pręſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt iuxta Apoſtolum, ſic quoque Doctores qui benè docent & inſtruunt, præſertim ſi non tantum verbo, ſed & vitæ exemplo idem præſtent, dicendi meritò ſunt digni duplici honore, ſeu amplioribus ſuſtentationis ſubſidijs, ad quæ Apoſtolus reſpicit: idque tum ratione eminentioris doctrinæ quam tradunt, cum ratione multorum laborum quos ipſi & in diſcendo, & in docendo alios, inſumunt: non autẽ abſque deformitate poterunt ſcientiam Theologicam (vti apparet) pro pretio temporali alijs communicare.

70 Quæret aliquis: quandò cenſeatur temporale dari tanquam pretium? multis enim modis dari poteſt non tanquam pretium, vt per ſe euidens eſt. Reſpondetur, tunc dari tanquam pretium, quando datur pro ipſa re ſiue actione & in commutationem eius. Ita Suarez tom. 1. De relig. lib. De ſimonia, cap. 37. cum Nauarro cap. 23. n. 100. Verb. Quarto & Archidiacono ad Cap. Iudices, cauſa 1. qu. 1. & ibidem Præpoſ. n. 5. & ſic auctores hi dicunt intelligendos Canones vtentes illâ expoſitione pro ad explicandã labem ſimoniæ: quod etiam ſatis ſignificat D. Th. q. 100. art. 5. Requiritur itaque ad labem ſimoniæ propriè dictæ intentio taliter dandi, non tamen expreſſa & formalis, ſed poteſt ſufficere implicita quædam & virtualis, quando ſcilicet datio ita fit, vt morali iudicio cenſeatur temporale dari, pro & in commutationem rei ſpiritualis: vt ferè contingit, quandò nulla alia cauſa aut ſpecialis titulus concurrit aut ſubeſt faciendi talem dationem. Eadem eſt ratio de acceptione. Et committitur tunc ſimonia non tantum ſecundum præſumptionem fori externi, ſed etiam in foro conſcientiæ: quamuis alioquin aliàs in multis caſibus in foro externo præſumatur, & iudicetur ſubeſſe ſimonia, vbi poteſt à parte rei verum crimen ſimoniæ non ſubeſſe.

DVBIVM XII.

Vtrùm & Quando interueniat ſimonia in collatione beneficiorum, in electione, in confirmatione, in inueſtitura & præſentatione ad illa?

Respondeo & Dico Primò: Simoniacum eſt dare vel accipere pretium pro præſentatione ad beneficium, pro electione, confirmatione, pro inueſtitura, aut collatione, eſt doctrina communis. Colligitur ex Capitulo Matthæus, De ſimonia, vbi non excuſatur à ſimonia, qui cum electus eſſet à maiori parte Capituli, paucis contradicentibus, conſenſit vt per amicum ſuum daretur munus illi qui anteſignanus videbatur diſcordiæ. Neque refert quod immeritò contradicat, modò contradicens habeat ius ſuffragij, vt docet Syl. V. Simonia, quæſt. 13. excuſaretur tamen ſi dediſſet munus illis qui de facto abſque iure ſuffragij contradicunt electioni iam factæ tamquam ſtudentes impedire effectum eius: hoc enim pertinebit ad redemptionem iniquæ vexationis, vt habet Panorm. ad citatum Capitulum: qui tamen addit, ante electionẽ iure nondum quæſito, non etiam licere illi pecuniam dare, qui tantum de facto eſt contradicturus etſi nullũ ius ſuffragij habeat. 71

Hinc inferunt DD. non eſſe licitum dare munus ei qui præſentatori, electori, aut collatori gratus eſt, vt deſinat alium commendare, & ſic tuæ promotioni officere. Neque tantùm dans pretium, ſed etiam promittens cum voluntate explendi, aut promittens beneficium pro re temporali incurrit crimen ſimoniæ, vt patet ex Cap. Cum eſſet, citato titulo De ſimonia: & eadem eſt ratio ſponſionis per modum certaminis, ſi enim quis certet deponendo, v.g. centum aureos, quod Epiſcopus aut Prælatus non conferet ipſi aut filio beneficiũ, vel quod qui ius ſuffragij habet non ſit ei ſuffragium ſuum datur, ſimoniam committit, vt docet Nauar. cap. 23. n. 105. Mald. dub. 9. & alij paſſim.

Ratio omnium iſtorum, quia actus illi 72 Collationis beneficiorum, Electionis ad illa, Confirmationis, inueſtituræ in illis, præſentationis ad illa, etiam quæ à patrono Laico fit, ſunt omnes actus ſpirituales: & proinde inuendibiles pretio, quia à poteſtate ſpirituali procedunt, & ad finem ſpiritualem per ſe ordinati ſunt, vt ſcilicet mediantibus illis conferantur Eccleſiæ miniſtris tituli & facultates exercendi ſacras functiones Eccleſiaſticas, ſiue cum iuriſdictione, ſiue abſque iuriſdictione, quod etiam in præſentatione à patrono Laico facta locum habet: quæ omnia ex ante dictis ſufficienter conſtant.

73 De iſtis autem quæ in pluribus Eccleſijs ſolent exigi ac ſolui in receptione noui beneficiati, vel in eius admiſſione ad quotidianas diſtributiones, aut ad aliquam aliam certam portionem prouentuum beneficij, & vocantur ab aliquibus, Turnorum lucra, licebit videre Concil. Trident. Seſſ. 24. cap. 14. vbi dicit, Synodum iſta deteſtari, & mandat Epiſcopis, vt quæcumque eiuſmodi in pios vſus non conuertuntur, atque ingreſſus illos qui ſimoniacæ labis aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant: datque poteſtatem vt de illis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati cognoſcant.

74 Porrò ſub nomine pretij hic non tantum intelligitur pecunia vel ſubſtantia aliqua pretio æſtimabilis, ſed etiam ſeruitia vel obſequia quæ pretio æſtimari ſolent, vt quæ dicuntur munera à manu, munera ab obſequio, & munera à lingua: vnde ſi quis ex pacto, pro huiuſmodi ſeruitijs vel officijs dat aut exigit beneficium Eccleſiaſticum, ſimoniam committit, vt docet D. Thomas quæſt. 100. citata, art. 5. & conſtat ex Capitulo Saluator, cauſa 1. quæſt. 3. vbi dicitur quiſquis res Eccleſiaſticas non ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel obſequij, vel pecuniæ largitur aut adipiſcitur, ſimoniacus eſt. De muneribus autem iſtis vide dicta ſuprà, de vſuris.

DVBIVM XIII.

Vtrùm & quando interueniat ſimonia in renuntiatione beneficij in fauorem tertij?

75 NOtandum, quod renuntiatio beneficij dicatur voluntaria abdicatio, quâ quis liberè exuit ſe beneficio, illudque dimittit: huiuſmodi autem renuntiatio aliquando fit cauſa permutationis: de qua agemus dubio ſequenti: aliquando autem abſque ordine ad permutationem, vel aliud beneficium conſequendum, & vocatur renuntiatio ſimplex, de cuius ratione eſt, vt valida eſſe poſſit, quod fiat in manibus Prælati, qui eam acceptet & iuxta Capitul: Admonet, & Capitul: Quod in dubijs, De renuntiatione. Hæc verò quatuor modis poteſt fieri: Primò, purè & abſolutè, id eſt, ſine onere penſionis, & ſine deſignatione perſonæ cui erit conferendum. Secundò, purè, verùm non abſolutè ſed ſub conditione, v. g. quod conferetur Ioanni. Tertiò, abſolutè, & non purè, ſed ſub onere penſionis. Quartò, nec abſolutè, nec purè: ſed vt detur tali cum tali penſione. De primo modo nulla eſt difficultas, cum neque per ſe malus ſit, neque prohibitus: & poteſt fieri iſta renuntiatio non tantum in manibus Pontificis, ſed etiam Prælatorum inferiorum. De tertio agemus mox in ſequentibus: ex quibus, & ex nunc dicendis conſtabit de quarto. Hic itaque quæſtio eſt de ſecundo, vtrùm renuntiatio beneficij in fauorem tertij, ſiue vt certæ perſonæ alteri conferatur, contineat ſimoniam?

Notandum Secundò, conditionem talem renuntiationi iſti appoſitam poſſe duplicem habere ſenſum: vnus eſt, vt retineat rigoroſam naturam conditionis, quæ eſt actum ſuſpendere: quia qui ſic renuntiat, non abſolutè ſe exuit, nec renuntiatio conſequitur effectum, donec conditio impleatur, & ad hunc ſenſum ſignificandum ſolent addere, Non aliter nec aliàs. Alius ſenſus eſt, vt conditio ſit tantùm modus qui non ſuſpendit effectum actionis, ſed tantùm quaſi rationem ſeu formam ſeruandam in noua collatione beneficij poſt renuntiationem factam indicat: idque ex intentione renuntiantis aliquando poteſt fieri quaſi per modum obligationis, aliquando per modum inductionis Prælati, aut commendationis tertiæ perſonæ. His præmiſſis

Respondeo & Dico Primò: Quando additur conditio dicta in poſteriori ſenſu, tunc inprimis renuntiatio illa ſi à Prælato acceptetur, ſtatim valida eſt, & habet effectum. Id per ſe euidens eſt, quia ſimpliciter abſoluta eſt: atque adeò poteſt Prælatus illam acceptare ſine culpa, & cum animo vtendi modo appoſito, ſi iudicauerit expedire, vel non vtendi ſi non fuerit expediens. Ita Suarez ſup. cap. 35. nu. 15. nulla enim in hoc apparet deformitas ex natura rei, nec inuenitur aliquo iure prohibitum. Vnde & in eo caſu poteſt, & ipſe renuntians non peccare ſtando in iure communi. Dixi poſſe non peccare, quia ſi adijciendo illum modum intendat obligare Prælatum, vt 76

omninò

Digitized by Google

omninò teneatur dare iſti, tunc errat & in eo delinquit quod tentet imponere obligationem, quam nec validè nec licitè poteſt imponere: ſecùs autem ſi tantum intendat inducere Prælatum, vt tali conferat, quaſi per modum commendationis, modo perſona ſit idonea: nam communior & verior ſententia habet poſſe factâ renuntiatione purâ & abſolutâ rogare Prælatum; vt det beneficium tali perſonæ, vt conſtat ex Nauarr. cap. 23. nu. 107. Redoan. 1. parte cap. 25. & Suarez ſup. num. 16. dummodo pactum non interceſſerit, nec rigoroſa conditio fuerit adhibita. Addit tamen Suarez ſtando in iure antiquo: quia propter quendam motum proprium Pij V. qui incipit Quanta Eccleſiæ Dei, &c. exiſtimat modò prohibitum, quod renuntians quomodocumque declaret intentionem aut ſpem ſuam eſſe, quod conferetur beneficium vni tali, quia in Bulla dicitur, quatenus de futuro ſucceſſore aſſumendo inter reſignantem & Prælatum acceptantem nulla promiſſio aut intentiò qualiſcumque intercedat. Verùm poſſunt verba Bullę ſic accipi, vt intelligatur iſtis prohiberi, ne mutua interueniat inter illos intentio ſiue mutuus intellectus, etiamſi nulla ſit promiſſio, vt illud verbum, Intercedat referatur ad inter eos tam quando reſpicit intentionem, quàm dum promiſſionem, quia poſt vtrumque ſequitur tam videlicet poſt intentionem quàm promiſſionem ſequitur: non autem intelligatur prohiberi talis intentio ex parte ſolius reſignãtis, nec etiam eius ſignificatio poſt reſignationem factam.

Ex quibus iam ſequitur, quod renuntiatio beneficij cum conditione de qua eſt ſermo acceptâ in poſteriori ſenſu ſuprà explicato fieri poſſit, non tantum in manibus Papæ, ſed etiam in manibus inferiorum Prælatorum abſque omni vitio ſimoniæ: quandoquidem neque ex natura rei in eâ poſſit oſtendi ineſſe aut turpitudo aut deformitas: neque decretis ſcriptis & iuri inſertis reperiatur prohibita: motus autem proprius Pij V. poſſit conuenienter explicari, vt huic non contrarietur.

77 Dico Secundò: Renuntiatio beneficij in fauorem tertij, cum conditione in priori ſenſu acceptâ ſiue rigoroſâ, & cum clauſula Non aliter, nec aliàs, quando ſic fit in manibus Epiſcopi, aut Prælati inferioris Papa, præcedente aut intercedente promiſſione Prælati de conferendo illi tertiò, eſt illicita & ſimoniaca. Videtur eſſe doctrina communis, quam nec Dom. Soto, neque Couarr. negarent. Ita tenet Gloſſ. in Cap. Ex parte 1. De officijs deleg. V. Dimittere, quam ibi ſequitur Panorm. & alij. Item Gloſſ. in Cap. Dilecto, De præbendis, item Panormit. in Cap. Non ſatis, De ſimonia: Angelus V. Simonia 3. n. 39. Syluest V. Permutatio, q. 6. dub. 2. Antonin. 2. parte, tit. 1. cap. 5. §. 11. Nauar. cap. 23. n. 107. Rebuff. in pract. tit. De renuntiat. Condit. n. 1. & alij. Probatur, quia omnis pactio in ſpiritualibus per Canones paſſim eſt prohibita, vt ſumi poteſt ex Cap. Finali, De pactis, & in pluribus alijs Canonibus id ipſum ſatis ſignificatur. Accedit Bulla Pij V. de qua ſuprà, quæque inſerta eſt in ſeptimo Decret. De reſign. cap. 3. vbi dicitur: Caueant Epiſcopi & alij prædicti, itemque omnes Electores, præſentationes & patroni, tam Eccleſiaſtici quàm Laici quicumque ſint ne verbo quidem aut nutu futuri in huiuſmodi beneficijs & officijs ſucceſſores, ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione vel hortatu deſignentur, (videl. antequam renuntiatio & acceptatio beneficij ſit facta) aut de his promiſſio inter eos aut intentio qualiſcumque intercedat; ex quibus ſatis conſtat renuntiationem in fauorem tertij, vbi intercedit promiſſio Prælati acceptantis de conferendo iſti tertio eſſe omninò prohibitam; pactio autem ſuper ſpiritualibus prohibita contrahit vitium ſimoniæ.

Dico Tertiò: Non tantùm quando ad prædictam renuntiationem cum conditione rigoroſa facta in manibus Prælati inferioris Papa accedit, promiſſio eſt prohibita, ſed etiã quæ ſic fit abſque interueniente pacto ſiue promiſſione: nec poteſt Prælatus illam admittere ſiue acceptare. Hæc concluſio videtur contra Dom. Soto lib. 9. De Iure & Iuſt. quæſt. 7. art. 2. & Couar. lib. 1. variarum, cap. 5. num. 3. 5. & 6. Sed ita ſentiunt Auctores pro præcedenti concluſione citati: item Azorius 2. parte, lib. 7. cap. 21. Flamin. lib. 2. De Reſignatione benefic. q. 3. & lib. 5. quæſt. 6. qui teſtatur ſic omninò habere ſtylum Romanum. 78

Probatur primò: Quia vt dictum, de iure prohibita eſt omnis pactio in ſpiritualibus: quamuis autem hic non adſit pactum explicitum, tamen forma illa reſignandi videtur inferre pactum implicitum, & inde fortaſſis factum quod auctores citati paſſim non tantum dicant eiuſmodi reſignationes illicitas, ſed etiam ſimoniacas, ſicuti & Rota aliquando eas ſimoniæ condemnauit. Accedit quod in allegata Bulla Pij V. omninò prohibeatur ne à reſignantibus deſignentur futuri ſucceſſores; ergò &c.

Opponet aliquis: Etſi forma iſta reſignationis præ ſe ferat implicitum pactum, tamen poteſt reuera fieri abſque pacto: quia poteſt Prælatus acceptare reſignationem, & reijcere conditionẽ quam reſignans temerè apponit: non videntur autem reſignationes conditionatæ prohibitæ per Canones quando abſque pacto fiunt; ergò &c. Ita videntur argumentari Soto & Couarr.

Yy ij vnde

Digitized by Google

vnde inferunt Prælatum poſſe acceptare reſignationem, dummodo conditionē non approbet: & addit Couar. Prælatum poſſe licitè & validè dare beneficium perſonæ deſignatæ, modò non det tanquam ex conditione appoſita, aut alio pacto obligatus: ac proinde etiam poſſe alteri conferre.

Reſpondetur, Eſto quod reſignatio iſta
79 poſſit fieri abſque pacto, etiam implicito: quia nō ſimpliciter illud includit, ac eſto ſimul quod non reperiatur ſic in iure antiquo ſcripto prohibita, tamen iam ſatis oſtendimus iure nouo prohibitam. Deinde etſi non inueniatur in iure ſcripto expreſſè prohibita, tamen perpetuus Eccleſiæ ſenſus & vſus, quem auctores citati referunt, habet, quod eiuſmodi reſignationes in manibus Prælatorum inferiorū Papa, fieri non poſſint, nec ab eis poſſint admitti, tanquā quę ſic fieri & admitti ſint prohibitę: ex quibus ſufficienter colligitur Pontificem etiam ab antiquo ſibi eiuſmodi renuntiationes reſeruaſſe propter periculum ſimoniarum quæ poſſint cum eis commiſceri. Vnde prouiſio ſecundum talem renuntiationem, ſicuti & acceptatio renuntiationis talis eſt Papæ reſeruata, & aliàs videntur actus ex vtraque parte inualidi: quare Prælatus inferior, ſi eam acceptet, malè agit, nec poterit ipſe beneficium validè conferre ſiue perſonæ deſignatæ, ſiue alteri, prout paſſim omnes tenent.

Petes, Vtrùm ſaltem ibi concurreret ſimonia, ſi taliter fieret in manibus alicuius inferioris Prælati, & ille acceptaret ſine omni pacto explicito & implicito?

Reſpondetur, quod non videatur concurrere propriè dicta, quia non commutatur res aliqua ſpiritualis, pro temporali, neque pactio aut contractus ſuper ſpiritualibus illicitus & prohibitus, qui ad minus videtur requiri, vt actus ſint propriè ſimoniaci: quandoquidem tamen ſunt actus prohibiti, & ſpeciem aliquam contractus circa ſpiritualia habent, & ſimul propter periculum pactionum quæ facilè interuenirent, ſi promiſcue permitterentur fieri, ideo à pluribus etiam tanquam ſimoniaci reijciuntur.

DICO Quartò: Renuntiatio benefi-
80 cij in fauorem tertij cum conditione rigoroſè accepta ac clauſulis, Non aliter, neque aliàs, licitè fieri poteſt in manibus Pontificis, & ab eodem cum tali conditione, & clauſulis admitti & acceptari. Eſt doctrina communis omnium, & conſtat ex quotidiana praxi. Ratio eſt, quia non continet ſimoniam contra ius diuinum, vt Dominicus Soto, & Couarr. ſuprà, Sylueſt. V. Renuntiatio, quæſt. 6. & V. Simonia, quæſt. 13. num. 6. Anton. ſuprà, & paſſim omnes tenent & docent: neque etiam intrinſece mala eſt; ergò &c.

Declaratur vtrumque, quia inprimis in iſta renuntiatione non datur ſpirituale pro temporali, imò ſpirituale purè reponitur, vt detur gratis alteri, ſed perſonæ deſignatæ: hoc autem non eſt contra illud Chriſti, *Gratis accepiſtis, gratis date*: neque enim prohibuit Chriſtus potius dare vni quàm alteri, ſed ſolum iniunxit, vt cui ſpirituale quod accepimus, communicamus, hoc ei gratis conferamus. Deinde non eſt etiam per ſe mala, quia non poteſt oſtendi, quod includat in ſe aliquam deformitatem: poteſt autem renuntiās habere honeſta motiua, quare cupiat illud cōferri abſolutè huic perſonę, vt puta quia nouit eſſe dignā & valdè qualificatā de qua ſit quaſi certus quod laudabiliter deſeruiet, aut quia præter bonam qualificationem, inſuper ſit futurus gratus Clero aut communitati, & alia ſimilia: vnde nullus etiam ex tali facto poteſt offendi aut ſcandalizari; ergò nec eſt cōtra ius diuinum, nec per ſe mala. Reſtat igitur, quod eiuſmodi renuntiatio in manibus Prælati Papâ inferioris ſit illicita, quia per Eccleſiam cenſetur prohibita: quæ prohibitio ſeſe in ordine ad Pontificem non extendit, ſed tantum in ordine ad Prælatos inferiores, vt Doctores omnes intelligunt. Et vt eſſet vniuerſalior, tamen non ita ligatur Pontifex eiuſmodi conſtitutionibus, quin ex iuſtis rationibus poſſit ipſe licitè aliter agere.

DICO Quintò: Quæ hactenus diximus de reſignatione in fauorem tertij cum conditione rigoroſè accepta, ſiue cum clauſulis, Non aliter nec aliàs, etiam locum habent in reſignationibus quas vocant reciprocas: vt, v.g. Reſigno nepoti tuo meum beneficium, vt tu reſignes mihi vel meo cognato tuum: ſimiliter & de triangularibus ſentiendum eſt, vt erit illa, ſi quis dicat: Ego reſigno meum beneficium Petro, vt Petrus ſuum reſignet Paulo, & Paulus reſignet ſuum mihi: tales enim, & ſimiles reſignationes fieri non poſſunt coram ordinario, vel ab eo admitti, ſed ſi faciendæ ſint, in manibus Summi Pontificis fieri debent: reprobat autem prædictas reſignationes reciprocas & triangulares aliter factas tanquam ſimoniacas, Nauarrus cap. 23. num. 100. vbi Syluestrum, & alios pro eadem ſententia citat, & in Capitulum Si quando, De reſcriptis, exceptione 4. num. 1. & lib. 5. Concilio 22. titulo de ſimonia, vbi dicit etiam illas inducere pœnas iuris, ſi compleantur.

DVB.

DVBIVM XIV.

Vtrùm, & quomodo fieri licitè poſſit beneficioꝝ permutatio ſine vitio ſimoniæ?

81 Reſpondetur: Beneficiorum permutationes fieri licitè poſſunt interueniente Epiſcopi auctoritate: quæ autem attentantur priuatâ auctoritate ipſorum permutantium abſque legitima auctoritate Superioris, ſunt illicitæ, & damnari ſolent tanquã ſimoniacæ: Ita communiter tenent D D. omnes: & clarè cõſtat ex diuerſis Capitulis, vt Cap. Ad quæſtiones, & Cap. Quæſitum, De rerum permutatione, in quo dicitur: Generaliter teneas quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſâ quæ circa ſpiritualia, & connexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ, ſi autem Epiſcopus cauſſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de vno loco ad alterum transferre perſonas: item ex Capit. Cum olim, eodem titulo, vbi ſuis beneficijs priuantur qui propriâ auctoritate permutauerunt. Similia habentur Cap. Inter cętera, De prębend. & Cap. Vnico, De rerum permutatione in 6.

Ratio eſt, quia tales permutationes poſſunt aliquando eſſe neceſſariæ aut vtiles Eccleſijs, vel etiam poſſunt iuſtæ rationes occurrere, quare id concedatur beneficiatis, & ideò non debuerunt omninò prohiberi: fuit autem expediens, quod hoc non committeretur aut fieret proprio arbitrio priuatorum propter periculum abuſus, ideoque merito conſtitutum, quod abſque interueniente legitimâ auctoritate Superiorum id fieri non poſſet.

82 Quæritur itaque primò: Quinam hic nomine Superiorum veniant intelligendi? Reſpondetur cum Azorio ſup. lib. 7. cap. 29. cum Panormitano & Innocẽtio ad citatum Cap. Quæſitum, & cum Gloſſa in Clementinam vnicam, eodem titulo, Sarabell. ibidem Superiorum nomine hic intelligi Epiſcopũ, ſiue ordinarium, vt conſtat ex Cap. Quæſitum ſup. adeoque & Pontificem: addunt etiam Prælatum Epiſcopo inferiorem comprehendi qui habeat ius Epiſcopale, talis enim exercere ſolet omnia Epiſcopalia quæ non ſunt ordinis, ſed merę iuriſdictionis, vt ſunt Capitulũ Sede vacante, Abbas exercens in omnibus iuriſdictionem Epiſcopalẽ, vt indicat Gloſſ. citata: & ſi qui ſunt qui habeant præſcriptam iuriſdictionem dandi auctoritatem permutationibus, vt ex Rebuffo notat Suarez lib. de ſimonia, cap. 32. quia vt tradit Azor. ſup. Ius illud approbandi permutationes, ab alijs quoque poteſt præſcribi.

Notat autem Gloſſa ſup. eorum quoque eſſe conſentire quorum eſt conferre, vel eligere, quia per dicta Cap. Non priuantur iure ſuo, vnde conſequens eſt, patroni etiam cõſenſum requiri: quod tamen ſic intellige, vt non ideò tam ſit irrita permutatio aliter facta, quàm irritanda, quia conſtat ſufficere, quod poſteà conſenſus patroni accedat, imò ſi non reclamet, perſtabit permutatio, vt notat Malderus dub. 10. ex quadam deciſione rotæ.

Angel. autẽ V. Permutatio, n. 5. & Syluest. eodem 2. qu. 2. exiſtimant Superiorẽ ſufficientem ad permutationem non eſſe Epiſcopum ſolum, vel qui Epiſcopalem iuriſdictionem habet, ſed quando ad illos non ſpectat talium beneficiorum collatio, tunc ſufficere poſſe etiam Prælatum inferiorem ad quem collatio aut inſtitutio ſpectat, quod & D. Soto lib. 9. quæſt. 5. art. 2. & qu. 7. art. 2. videtur ſupponere, vbi ſub disiunctione loquitur de Epiſcopo, vel eo ad quem collatio ſpectat, quamuis ex profeſſo hoc non diſputet: & videtur poſſe colligi ex Cap. vnico, De rerum permutat. in 6. in quo dicitur, illos tamen qui ſecundum formam iuris ſua beneficia in eadem Diœceſi ad tuam collationem ſpectantia permutare volentes &c. vbi vrgeri poteſt illud, Ad tuam collationem ſpectantia, quia videtur indicare permutationes beneficiorum quæ non ſpectant ad collationẽ Epiſcopi, ad eum non pertinere. Eſt quidem iſta opinio contra communem: vbi tamen eſt in longa praxi, & quaſi præſcripta poterit ſeruari, quamuis non foret ſatis tutum vbi non eſt in vſu, eam introducere. 83

Quæritur Secundò: Vtrùm beneficiarij abſque ſimonia poſſint inter ſe de permutatione pertractare, acceſſurâ tamẽ ſuperioris auctoritate. Negat Gloſſa ad Capitulum Vniuerſorum, De rerum permutatione, & Innocent. ad Capit. Quæſitum, eodem tit. & inclinat Hoſtien. ibidẽ, quibus fauere videntur idem Capitulum, & Capitulum Olim, item Capitulum Vniuerſorum, ibidem de rerum permutatione.

Pro explicatione obſeruandum eſt, quatuor modis poſſe pactum permutationis inter beneficiarios inſtitui: Primò abſolutè inter priuatos abſque dependentia ab auctoritate & voluntate ſuperioris: quod tam in foro conſcientiæ quam in foro fori eſt illicitum, iuxta prius dicta, etiamſi quoque partes intenderent poſteà petere confirmationem, ſicuti coram Magiſtratu ſolent innouari priuati contractus, & ab eo confirmari. 84

Secundò: Poteſt is qui cogitat permutare, hoc ipſum indicare ſuperiori, in genere, aut in ſpecie deſignatis hinc inde beneficijs. & hunc modum nullus videtur improbare, atque adeo etiam Hoſtienſis admittit.

Digitized by Google

Tertiò, Poteſt res tota ab initio vſque ad finem coram ſuperiore tractari abſque vllo præuio molimine priuato, & hic quoque modus probatiſſimus eſt.

Quartò, Poteſt priuatim inſtitui permutatio, ſed ſub conditione, ſi ita placeat ſuperiori cuius intereſt, idque vel tacitè tantum intellectâ hac conditione, vel eâ diſertè expreſſa.

Priori modo ſi fiat, quicquid ſit de foro conſcientiæ, tamen in foro fori præſumetur ſimoniacum, vt docet Sylueſt. infrà.

Vtrùm autem poſteriori modo liceat tractare, controuerſia eſt quoad vtrumque forum: & quamuis Authores citati cum nonnullis alijs hoc reprobent, vt diximus, communis tamen ſententia habet licitum eſſe partibus pertractare de futura permutatione, & concludere quantum in ipſis præbendo ſuum conſenſum, ſub conditione expreſſa, ſi ſuperior conſentiat. Ita Sylueſt. V. Permutatio, 2. quæſt. 13. Rebuffus in practic. De permutationibus, nu. 52. & 53. Gloſſa ad Clementinam vnicam De rerum permutatione, Cardin. ad Cap. Quæſitum, quæſt. 39. n. 23. Suarez ſup. cap. 32. De ſimonia, & alij. Confirmari poteſt (inquit Mald.) ex praxi totius orbis Chriſtiani.

Ratio autem reddi poteſt, quia eiuſmodi contractus planè reſoluuntur in conditionem appoſitam, adeoque in conſenſum ſuperioris: quod eo magis fundatum eſt, quia non exſpectatur hic, vt aliqua extraordinaria diſpenſatio aut voluntas Principis accedat, quando huiuſmodi conditio interponitur, qualis habetur aliquando de iure quaſi impoſſibilis: ſed exſpectatur ordinaria quædam auctoritatis ſuperioris impertitio, & actus validatio.

Accedit, quod eiuſmodi præambula ſint quaſi moraliter neceſſaria, vt ad permutationem perueniatur, admiſſo autem fine cenſeatur etiam media conceſſa, quando adhibentur ſub conditione ad finem requiſita.

85 Ad Capitula autem, quibus alij innituntur, Reſponderi poteſt, ea loqui de tractatu & pacto abſoluto præmiſſo, quod ex caſu Capituli Cum olim, ſatis patet, quia ex vtraque parte iam permutatio erat executioni demandata, & in caſu Capituli Vniuerſorum erat ex vna parte completa: non præmittitur autem pactum abſolutum, quando ſuſpenditur donec ſuperior conſentiat appoſitâ tali conditione. Imò extendit hæc Rebuffus, vt liceat partibus conficere inſtrumentum quo obligentur perficere permutationem coram ſuperiore, & conſenſum eius curare, quantū ſcilicet in ipſis eſt: quod etiam Suarez docet loco cit. nu. 7. & 8. vbi plures alios citat. Fundamentum huius eſſe poteſt, quia ex iuſtis cauſis, & præſertim intuitu communis boni, vt mox dicemus, debent eiuſmodi permutationes inchoari & fieri, ac proindè, non videtur à ratione alienum quod partes ſe obligare poſſint ad illud perficiendū, quod pro bono communi cœperunt inter ſe pertractare.

Quæritur itaque Tertiò, Vtrùm ad permutationem beneficiorum requiratur aliqua iuſta cauſa. 86 Reſpondetur, canones ſatis indicare, quod iuſta debeat ſubeſſe cauſa permutationis faciendæ, qualis inprimis eſt neceſſitas aliqua Eccleſiæ, vt ſi alicuius perſonæ quæ alibi habet reſidentiam, præſentia iudicetur in hoc loco neceſſaria: deindè etiam notabilis vtilitas, quod indicat Pontifex in fine Capituli Quæſitum; exprimens iuſtum finem permutationis, his verbis: Vt alibi vtilius ſe valeant perſonæ exercere: quod rectè intelligi poteſt, ſiue in ordine ad bonum commune, & ſalutem aliorum, ſiue etiam in ordine ad ſalutem propriam: vnde ſufficiens erit cauſa, ſi permutans altero loco commodius propriam ſalutem ſit operaturus, vt indicat D. Th. in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 3. ad 8. vt, v.g. ſi in loco vbi reſidet, frequentes haberet inimicitias aut lites cum certis perſonis. Admittit etiam Azorius p. 2. lib. 7. c. 30. qu. 4. cauſam eſſe iuſtam ſi quis incommodū patiatur in valetudine propter aëris intemperiem. Imò etiam ſufficiens & iuſta cauſa poterit eſſe, ſi quis ex ſuo beneficio non habens congruam ſuſtentationem permutat cum alio, quia magis ſufficiens eſt, & alter ſine fraude conſentit ob aliam cauſam, vt quia non indiget tantâ ſuſtentatione, vel aliundè eam ſufficientem habet: Ita Malderus Tractatu 9. cap. 3. dub. 10. quia hoc quoque ſpectat ad decorem domus Dei, quod in eâ miniſtri non ſint indigentes.

Cæterùm, aliæ alioquin permutationes beneficiorum quæ tantum fiunt pro aliquo commodo temporali, ſunt illicitæ: quia inordinatum eſt, quod in ſpiritualibus fiant eiuſmodi contrectationes, & mutationes in ordine tantum ad commoda temporalia: non videtur tamen hoc ſpeciali aliquo Canone aut lege Eccleſiaſtica prohibitum: vnde quando fierent abſque omni detrimento Eccleſiarum, & ſine ſcandalo, & Superiorum auctoritas interueniret, non videretur eſſe peccatum mortale: vt ſi aliqui permutent beneficia, quia vnius eſt in loco vicino reſidentiæ alterius, & è contra huius in loco vicino reſidentiæ illius, atque ita permutatio vtrique commoda, quia commodius poterunt recipere prouentus beneficiorum, non videretur in tali permutatione peccatū mortale committi, ſecluſis detrimento Eccleſiarum & ſcandalo, neque ſimonia aliqua propriè dicta, vt habet Suarez lib. De ſimonia, c. 34. n. 5. in fine. Imò, inquit, etiam in foro interiori, licet quis occaſionē permutationis

Digitized by Google

tationis ex temporali commodo ſumat, & ab illo vita moueatur ad volendum permutare, vt ſine illo non eſſet permutaturus, non ideò eſt coram Deo ſimoniacus. Vnde quãuis Doctores dicãt permutationes quæ pro cõmodo temporali fiunt, eſſe illicitas, tamen docent eas validas, vt notat Malderus loco mox citato: quare quod Sylueſt. ex D. Thoma in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 3. ad 8. refert, quod ſi pro aliquo terreno cõmodo vtriuſque vel alterius partis fiat permutatio, eſt ſimonia, intelligi poteſt dictum, quia eſt quædam inordinatio in permutandis ſpiritualibus, & ſic ad ſimoniam referibilis.

87 Quæritur Quartò, Quænam beneficia, quis poſſit permutare?

Reſpondetur inprimis, vt poſſit quis permutare beneficium aliquod, debet in illud habere ius & poteſtatem de eo diſponendi: colligitur ex Capitulo Venerabilis, De exceptionibus: vnde peccant qui fictum aliquod beneficium ſimulant ſe permutare, vt collatori claudatur manus, etiamſi alter permutans ſciat, & in hoc conſentiat: ſic etiam permutari non poteſt beneficium ſimoniacè obtentum, & proindè inualidè acquiſitum, quia reuera illius non eſt, qui ſic illud poſſidet, neque ſi permutet, acquiret vllum ius in alterum beneficium quod ei ex permutatione obuenit: quod & in priori caſu locum habet, quia collatio non fit ſimpliciter, ſed tantum in vim permutationis, quæ inanis eſt, & nullius roboris. Ita Syl. V. Permutatio 2. quæſt. 13. n. 6. Azorius ſup. quæſt. 19. & alij communiter, vt refert Mald.

Non poteſt quoque permutare quis beneficium, quod ratione delicti debet dimittere, ſi ſententia lata ſit, aut ſaltem deſuper lis pendeat, quia ius diſpoſitionis nunc ei eſt ablatum, aut ſaltem ſuſpenſum.

88 Similiter quidam docent litigioſum beneficium permutari non poſſe, eo quod res litigioſa, pendente lite, non poſſit alienari aut dari pignori, iuxta iuris ciuilis conſtitutiones: pro qua ſententia citat Azorius ſup. quæſt. 5. quandam deciſionem rotæ Romanæ. Rebuffus tamen ſup. aliter opinatur.

Denique non ſufficit quod quis habeat in beneficium ius ad rem, vt poſſit illud permutare, ſed debet habere ius in re: quare non poteſt quis permutare beneficium ad quod eſt tantum præſentatus, aut electus: multò minus poterit quis gratiam expectatiuam permutare cum beneficio, imò neque gratiæ expectatiuæ poſſunt inter ſe permutari, quia hæ omninò ſunt perſonales; neque excedunt caſum expreſſum, vnde nec excedunt perſonam cui conceduntur: ita Panorm. in Capitulum Cum olim, De rerum permutatione, & probari poteſt ex cap. Cui de non ſacerdotali, De præbendis in ſexto, vbi dicitur mandata de prouidendo ſeu gratias exſpectatiuas non debere extendi vltra caſus expreſſos.

DVBIVM XV.

Vtrùm reſignanti beneficium ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis, liceat reſeruare penſionem abſque vitio ſimoniæ?

RESPONDEO & DICO Primò: 89
Reſignans beneficium ſiue ſimpliciter ſiue ex cauſa permutationis non poteſt priuatâ authoritate ſibi penſionẽ aliquã reſeruare, neque reſignatarius in eam conſentire abſq; ſimoniæ vitio. Eſt cõmunis doctrina: & ſumitur ex capitulo Cum pridem, De pactis, & ex capit. Vnico, De rerum permutatione, & alijs Canonibus qui vetant omnem pactionem priuatam in beneficialibus, quæ Superiorum authoritati non ſubijcitur, & ab eis non approbatur.

DICO Secundò: Poſſunt tamen licitè fieri reſeruationes penſionis tum in cauſa ſimplicis reſignationis, tum in cauſa permutationis interueniente legitima authoritate Superioris, quâ admittantur & approbentur ex iuſtis cauſis. Eſt quoque communis doctrina, & conſtat ex praxi quotidianâ. Colligitur ex capitulo Ad quæſtionem, De rerum permutatione.

Ratio reddi poteſt, quia de ſuprema authoritate loquendo, ſicuti poteſt Pontifex eidem titulo plures fructus annectere, ita etiam poteſt aliquam partem fructuum ſubſtrahere, & alteri ius ad illos concedere, aut onus ſoluendi certam quotam ex fructibus beneficiato imponere, idque etiam ad vitam reſignantis, ſic vt ad quẽ contigerit forſitan tranſire beneficium, ad eundem tranſeat onus ſoluendæ penſionis.

Sed prima difficultas hic mouetur: vtrùm etiam Epiſcopi poteſtatem habeant creandi ſeu reſeruandi penſiones ſuper beneficijs?

Reſpondetur: Satis communiter admittitur Epiſcopum certis in caſibus poſſe penſionem conſtituere ac reſeruare. Ita Gigas quæſt. 6. qui citat Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocent. & alios plures. Idem docet Azor. p. 2. lib 8. cap. 6. Suarez de ſim. cap. 24. n. 36. & 37. Gambar. de officio & poteſtate legati, lib. 6. cap. 77. Primus caſus poteſt poni, quando parochus propter ſenium aut infirmitatem non valet ampliùs obire officium Paſtoris: tunc ſi renuntiare voluerit, poteſt Epiſcopus illi conſignare penſionem ſuper Eccleſiâ, vt inde alatur: idque in hoc caſu ad vitam renuntiantis, vt indicat Suarez loco citato, n. 37.

Digitized by Google

Secundò, idem poteſt facere cauſâ tranſactionis in lite ſuper beneficio, vt ſatis colligitur ex Capitulo Niſi, De prębendis, & Capitulo Audiuimus, De colluſione detegendâ.

Tertiò, Admittitur id quoque poſſe in cauſâ permutationis ob inęqualitatem fructuum compenſandam: pro quo ſumi poteſt argumentum ex Capit. Ad quęſtiones 6. De rerum permutatione: & ita docet Nauar. Conſil. 22. de ſimonia, n. 4. vbi dicit ordinarium poſſe creare penſionem citra fraudem ex cauſa iuſta, ne reſignans nimium fraudetur. Idem docet Serola, parte 2. V. Penſio, & ſequitur Mald. dub. 10.

90 Hæc tamen in illis eſt differentia, quod nō poſſint Epiſcopi creare penſionem quę duret vltra vitam beneficiati, vt tradit Gigas ex Oldrado, & Anchorano, Felino, quos alij ſequuntur. Vnde dicit Azorius, parte 2. lib. 8. cap. 6. quod Epiſcopus non poſſit quidem grauare beneficium, ſed poſſit bene grauare beneficiatum: quod ſatis conforme eſt Capitulo Niſi, De prębendis, vbi Pontifex penſionem ab inferiori Iudice conſtitutam, cauſâ terminandæ litis approbat his verbis: Nos cum hoc adhibito moderamine toleramus, vt iā præſtationem 4. librarum non dignitas prioratus, ſed perſona prioris maneat onerata, ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta ſectio Prioratus: ita quod ipſo Priore defuncto ſucceſſor ipſius ad præſtationem 4. librarum minimè teneatur: quam præſtationem D. Soto, lib. 9. quæſt. 7. art. 2. interpretatur penſionem. Nihil tamen videtur vetare quo minus dicatur quod Epiſcopus in caſibus dictis poſſit grauare etiam beneficium, ſed tantum pro tempore, quo Reſignatarius gaudebit beneficio & fructibus eius: non vltrà.

Dicet aliquis: Canones ſtatuunt, ne beneficia conferantur cum diminutione: atqui Epiſcopi non ſunt ſupra Canones, ſicuti Pontifex: ergò non poſſunt reſeruare penſiones, quia ſic viderentur conferre beneficium cum diminutione.

Reſpondetur Flamin. De reſignationibus beneficiorum, qu. 2. n. 3. dicit Canones illos hoc tantum prohibere velle, ne collatores ſibi aliquid applicent aut reſeruent ex ipſis beneficiorum prouentibus: vel cum alijs reſponderi poteſt Canones tantum ſtatuere legem ordinario collatori vt tali, quā huic non liceat in permutationibus aut reſignationibus diminutionem aliquam facere ſiue penſionem pro altero reſeruare, non autem ibi aliquid ſtatui contra ordinariam poteſtatem Epiſcopi vt talis. Reſponſio tamen Flaminij videtur magis ad mentem Canonum, quamuis poſterior ſit ſubtilior.

Cęterùm, aliàs in reſignationibus ſimpliciter factis extra caſus ſcilicet iam dictos, communis videtur paſſim omnium ſententia, quod non poſſit Epiſcopus penſionem aliquam reſignanti creare.

Dixi in concluſione, quod licitę ſint illæ reſeruationes coram Superioribus factæ, quando ex iuſtis cauſis fiunt: hæ enim ex omnium iudicio requiruntur ad hoc vt ſine peccato, penſio ſuper beneficijs conſtituatur.

Eiuſmodi autem cauſæ communiter habentur illæ, ex quibus diximus Epiſcopum poſſe penſionem reſeruare.

Notandum tamen eſt, aliquando à Pon- 91
tifice creari penſionem quam vocant lucratiuam, qualem Epiſcopi creare non poſſunt: quando ſcilicet ſuper beneficio iam vacante quod ad liberam eſt collatoris diſpoſitionem conſtituitur, ſic, vt v.g. beneficiū conferatur Petro, & deſuper reſeruetur penſio Ioanni. Pro iuſtitia autem ſeu legitima cauſa huiuſmodi penſionis, faciunt bona merita perſonæ de Eccleſia, vitæ & morum probitas, indigentia pro ratione ſtatus, aut ſimilia.

Petet aliquis: quæ debeat eſſe proportio penſionis ad prouentus beneficij.

Reſpondetur: Penſionem regulariter non poſſe excedere tertiam partem fructuum. Ita ex communi ſententia docet Rebuffus de reſeruationibus n. 17. In fructibus autem cenſetur eſſe quod ſupereſt deductis oneribus realibus, ita vt etiam diſtributiones in fructibus poſſint computari, licet præſentiam perſonalem requirant: debet tamen id in conſtitutione penſionis exprimi vt cenſeantur comprehenſi: Romæ autem in vſu eſſe dicitur, vt ſufficiat penſionem non excedere medietatem, quando eſt ex cauſa penſionario ſiue ei qui penſionem percipit onerosâ, vt puta, quia reſignauit beneficium alteri quod pēſione grauatur: ita tradit Flamin. lib. 6. De reſignationibus beneficiorum q. 2. n. 26. & n. 144. vbi etiā docet, quando penſio excedit, non ideò illam annullari, ſed debere reduci ad quantitatem minorem vt non excedat.

Obſeruandum autem eſt Eccleſias cathedrales quæ non excedunt ſummam ducatorum mille, & Eccleſias Parochiales quæ non excedunt ſummam ducatorum ſecundum verum annuum valorem, nullis penſionibus aut reſeruationibus fructuum poſſe grauari, iuxta decretum Concilij Tridentini ſſ. 24. cap. 13. Super quo tamen ſatis ordinariè videtur Pontifex diſpenſare, quia Romæ paſſim creantur penſiones ſuper cathedralibus & Parochialibus longè inferioris valoris.

Secunda difficultas hic mouetur: Vtrùm penſiones redimere, ſit ſimoniacum?

Inprimis certum hic eſt, poſſe penſionem 92
extingui gratuitâ remiſſione penſionarij

abſque

Digitized by Google

abſque accedente ſuperioris auctoritate: ita docet Flamineus ſup. n. 123. & alij communiter: quamuis enim beneficium efficaciter dimitti non poſſit ſine conſenſu ſuperioris, quia Eccleſiæ intereſt, vt beneficia ſuos habeant Rectores, poteſt tamen penſio remitti, quia penſio dimiſſa iam non vacat, ſed extinguitur, cumque ſit in fauorem beneficij eam extingui, hinc etiam cenſetur illud Eccleſiæ eſſe fauorabilius.

Secundò, certum eſt, poſſe abſque licentia ſuperioris redimi penſiones quas vocant temporales ſeu ſæculares, quæ ſcilicet perſonæ ſęculari ſunt conceſſę propter aliquod temporale ſeruitium præſtitum aut præſtandum Eccleſiæ, v. g. quæ Principi aut viro illuſtri dantur, qui Eccleſiam armis defendit contra gentiles aut hæreticos. Ita docent à Victoria relectione de ſimonia, p. 1. nu. 54. Soto lib. 9. quæſt. 7. art. 2. & cum illis Toletus lib. 5. cap. 92. qui etiam addunt eiuſmodi penſiones vendi poſſe alijs.

Ratio reddi poteſt, quia neque in ſpirituali officio fundantur, neque ad ſpiritualem functionem referuntur. Non poſſunt autem creari aut concedi, niſi à Summo Pontifice, qui poteſtate abſolutâ poteſt prouentus pro parte, vel etiam integros pro tempore, vel etiam in perpetuum ſeparare à titulo, quem etiam extinguere poteſt.

Tertiò, certum quoque eſt, penſiones quaſvis poſſe redimi accedente conſenſu Summi Pontificis cuius ſuprema eſt in beneficialibus poteſtas.

Denique certum eſt, non licere beneficium reſignare cum pacto de penſione redimendâ. Ita Toletus ſup. & alij communiter omnes.

93 Vtrùm verò poſt creatam penſionem partibus vtrimque conſentientibus, non poſſit redimi & extingui penſio Clericalis abſque Pontificis conſenſu controuertitur. Flamineus ſup. nu. 128. Nauarrus Conſilio 63. de ſimonia, & Azorius 2. parte lib. 8. cap. 10. quæſt. 1. vt refert Mald. ſup. dub. 13. docent ſimpliciter penſionem ſine conſenſu Romani Pontificis redimi non poſſe, eò quod ſit ius ſpirituale: quodque ita obſeruet curia Romana pro vitandâ omni ſpecie ſimoniæ. Dom. Soto autem ſuprà, & cum eo Toletus, docent id non vniuerſaliter, ſed de illis tantùm penſionibus quæ habent quaſi ſpeciem beneficiorum, quales ſunt illæ quæ conceduntur coadiutoribus ſenum Paſtorum vel Epiſcoporum, quia dantur propter officium ſpirituale, & in eo fundantur, nec videtur eis aliud deeſſe ad rationem beneficij, niſi quod non ſint perpetuæ. Idem dicit Soto de penſionibus quæ dantur ipſi Paſtori ſeni, vel Epiſcopo quando Eccleſijs renuntiant.

Cęterùm quod attinet ad penſiones quæ dantur ob reſignationem alicuius beneficij quæ communiſſimæ ſunt, dicunt eas abſque ſimonia poſſe redimi etiam ſine facultate alia accedente &c. Rationē aliqui addunt; quia redimere talem penſionem eſt tantum extinguere omne temporale, ſcilicet debitum ſoluendi quotannis tantam ſummam: quod ſi modò cum facultate fiat redemptio, eſt ad maiorem ſecuritatem, inquit Toletus, ne alter negare poſſit factam eſſe redemptionem.

Eadem autem videtur ratio iſtarum quoque penſionum quæ creantur in beneficiorum permutatione ob inæqualitatem fructuum, vel in difficultatibus ad componendam litem, & ita videtur vſus habere; ſolent enim, inquit Toletus, quinque annatis redimi, nunc verò ſex aut ſeptem.

Exiſtimo tamen meritò ſemper interponendam eſſe authoritatem ſuperioris, ſaltem ordinarij, tum ad aſſequendam ſecuritatem de qua Toletus, tum etiam ad vitandam omnem ſimoniæ ſpeciem, quę valdè nata eſt ſe immiſcere in pactis aut conuentionibus priuatis circa iura beneficialia, ſiue ad prouentus aliquos capiendos titulo clericali ex beneficijs.

Quando autem penſio fuerit creata ordinarij authoritate, dubium eſſe non poteſt quin ſufficiat eiuſdem authoritatem interuenire vt extinguatur.

Generaliter verò docet Toletus nullas penſiones clericales poſſe vendi aut emi: & rectè contra à Victoria, qui contrarium videtur ſentire, quando officium ſpirituale aliquod non eſt impoſitum: quamuis enim (inquit Toletus) non Canone, tamē conſuetudine prohibitum eſt, & Romæ tanquam Simoniacum puniretur, qui eas abſque facultate venderet, quam Pontifex ſolus inquit, poteſt concedere: porrò tametſi Flamineus cum alijs citatis dicant ſimpliciter penſiones ſine conſenſu Romani Pontificis redimi non poſſe, addunt tamen ſi quis contra faciat, quod non incurrat pœnas ſimoniacis conſtitutas.

DVBIVM XVI.

Vtrùm penſiones poſſint permutari cum beneficijs?

RESPONDEO & DICO Primò: Si penſio in beneficium ſit erecta, poterit permutari cum beneficio, etiam in manibus Epiſcopi. Ita Ioannes Andr. in Cap. Vnic. de Rerum permut. Senenſis in tract. De benefic. permutan. quæſt. 14. & cum illis Suarez lib. De ſimonia, cap. 33. contra aliquos quos citat. Sed ratio videtur clara: quia talis penſio reuera eſt beneficium. 94

DICO Secundò: Penſio ſpiritualis ſeu clericalis

Clericalis poteſt quoque permutari cum beneficio authoritate Papæ: nō verò auctoritate Prælati inferioris. Ita Suarez ſup.

Probatur prior pars, quia permutare ſpirituale cum ſpirituali, vbi vtrumq; eſt purè ſpirituale, vel vbi temporale adiunctum eſt vtrobiq, ſpirituali antecedēter, vel vtrobiq; annexum ſpirituali conſequenter, non eſt ſimoniacum contra ius diuinum, neque ex natura rei illicitum, vt docet Suarez ſup. cap. 30. atqui penſio Clericalis, & beneficium ex ea parte ſunt eiuſdem ordinis: ergò authoritate Papæ poſſunt inter ſe permutari. v. g. Petrus habet beneficium de quo ſoluit penſionem Paulo, poteſt fieri permutatio, vt Paulus accipiat beneficium, & Pertus recipiat penſionem, quando auctoritas Pontificis accedit, qui permutationem talem approbet.

Declaratur poſterius, quia admittere & approbare permutationē beneficij cum aliquo ſpirituali alterius ſpeciei, vt cū pēſione, quamuis temporalia annexa ſub eadem ratione cenſeantur ſpiritualia, nullo iure videtur Epiſcopis conceſſum, quia iſta permutatio eſt actus extraordinarius, & ſic videtur poteſtatē ordinarij excedere, neque conſuetudo aut praxis videntur id obtinere. Deinde intercedit hic reſignatio beneficij in fauorem tertij, cum clauſulis non aliter, nec alias, quàm Epiſcopus non poteſt acceptare extra caſum permutationis beneficiorum.

Aliqui tamen tenent etiam in manibus Epiſcopi talem permutationem poſſe fieri, vt refert Suarez lo. cit. n. 4. quia penſio ſpiritualis licet in rigore beneficium non ſit, videtur tamen venire nomine beneficij amplè loquendo & in ordine ad fauores: permutatio autem beneficiorū cenſetur fauorabilis, vt tradit De Senis ſup. quæſt. 18. cum Gloſſ. ad Cap. Vnicum de rerum permut. in 6. Iſtorum nihilominùs opinionem reijcit Suarez: rationes licebit apud eum videre.

95 DICO Tertiò: Penſio merè temporalis non poteſt cum beneficio permutari abſq; ſimonia contra ius diuinum: vnde nec auctoritate Summi Pontificis poteſt fieri per modum permutationis. Ita Immola in Clement. 1. §. eadem, De ſuppl. neglig. Prælatorum, Sazabelt. ibidem, quæſt. 8. Suarez ſup. n. 9. & alij Doctores communiter. Declaratur, quià in tali permutatione venditur beneficium pro re temporali, quia talis penſio eſt merè res temporalis, ſiue ius merè temporale, vnde eſt pretio æſtimabile, & quantū eſt ex ſe vendibile, quamuis poſſit eſſe aſtrictū certę perſonę ex voluntate concedentis, vt in aliū nō poſſit illud transferre, & proinde nec vēdere: vnde habebit rationē pretij temporalis in tali permutatione: atqui hoc contra ius diuinum eſt; ergò &c.

Dixi, quod ideò nec Pontifex poſſit admittere per modum permutationis, quia alia ratione poteſt cauſare parem effectū, qualis ex permutatione haberetur: quia poteſt acceptare renuntiationem beneficij ſimpliciter abſque pacto & conditione de conſequenda penſione alterius, & tunc illud alteri conferre, & viciſſim etiam acceptare renuntiationem penſionis ſimpliciter, quam poterit reſignanti beneficium, attribuere in ſuſtentationē, vel ob alium honeſtū titulū.

DVBIVM XVII.

Vtrùm abſque vitio ſimoniæ fieri poſint reſignationes, & prouiſiones beneficiorum in confidentiam, vt loquuntur Canoniſtæ?

Senſus eſt: Vtrùm quis poſſit alicui de beneficio prouidere, puta eligendo, poſtulando, præſentando, conferendo, inſtituendo, aut commendando; vel in fauorem reſignando, cum pacto, vt is qui accepturus eſt beneficium, illud idem poſtmodum ei qui aliquid prædictorum præſtiterit, vel alteri quem deſignauerit, reſignabit, vel vt penſionem ex eo ſoluat. His præmiſſis 96

Reſpondetur collationes aut quaſi collationes, præſentationes, commendationes, reſignationes beneficiorum in confidentiam factæ, & ſimiliter eorum acceptationes ita factæ ſunt ſimpliciter ſimoniacæ: & vocatur hæc Simonia ſpecialiter confidentialis. Ita docent communiter Doctores omnes. Et conſtat ex Bullis Pontificum Pij IV. & Pij V. ad quas etiam acceſſit Sixti V. qui iuſſit in Gallijs quoque ſeruari illa prędeceſſorum ſuorum decreta, vbi non obſeruabantur.

Porrò ex Bulla Pij IV. facilè intelligi poteſt, etiam illum incidere in hanc ſimoniam confidentialem qui ſic aliquo modo prædicto cōcurrit ad beneficij diſpoſitonem cum pacto, vt ſibi aliqua penſio ſeu fructus aliqui ex beneficio ſoluantur, quia id ibi expreſſè ponitur; Pius V. autem, quamuis id non expreſſè dicat, tamen quia diſponit de eâdem confidentia de qua Pius IV. vt ex proemio & contextu patet, hinc non eſt cenſendus coarctare; ſed æquè latè intelligere. Ita Suarez lib. De ſimon. cap. 43. n. 3. contra Nauar. Conſil. 23. n. 4. & Conſ. 76. De ſimonia, n. 6. & alios quoſdam, licet in Bulla Pij V. tantum fiat mentio de illo qui curat penſionem ſolui alteri.

Extat iſtis affinis conſtitutio in Concil. Trident. ſſ. 25. cap. 7. De reformatione, quâ 97 Synodus mandat nulli omninò acceſſum

aut

aut regreſſum ad beneficium Eccleſiaſticum cuiuſcumq; qualitatis concedi. Acceſſum autem ad beneficiũ dicitur quis habere, quando Prælatus deſiderans prouidere alicui qui propter ætatis defectum, vel alia de cauſa, nondum eſt capax, confert beneficium alteri, conceſſo interim huic pro nunc incapaci iure ac poteſtate, vt quamprimùm ætatem habuerit, vel aliam qualitatem requiſitam, poſſit authoritate propriâ ad illud beneficium accedere ſiue illud apprehendere: regreſſum verò videtur habere qui beneficium à ſe poſſeſſum reſignat alteri, reſeruato ſibi iure regrediendi ad illud beneficium, caſu quo reſignatarius naturaliter aut ciuiliter præmoriatur, vel fiat Epiſcopus, aut quid ſimile accidat, vnde beneficia contingit vacare: vel qui beneficium reſignat ſub penſione cũ obligatione, vt caſu quo alter penſionem non ſoluerit, poſſit reſignans immediatè ad beneficium redire.

Cæterùm, quia acceſſus iſti & regreſſus ſunt tantùm ſimoniaci, quia iure Eccleſiaſtico prohibiti, non autem ex natura rei contra ius diuinum, vt habet Suarez ſuprà cap. 43. n. 1. Hinc auctoritate Summi Pontificis, qui eſt ſupra omnia iura Canonica, & cui etiam pleraque non cenſentur poſita, accedente & approbante fieri poſſunt & reſeruari: ſicuti & poſtremus ille regreſſus videtur iterum Romæ reduci ad praxim.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm ſimoniacum ſit paciſci de pecunia danda, ac ipſam dare ad redimendã vexam quam patitur quis in ſpiritualibus poſſidendis vel obtinendis?

TRactabimus hanc difficultatem hoc loco potiſſimùm in ordine ad beneficia Eccleſiaſtica, & ea quæ ſimilis ſunt rationis: quia quid circa merè-ſpiritualia, vt circa vſum Sacramentorum & ſimilia fieri poſſit, explicari conſueuit in 3. parte D. Thomæ in tractatu de Sacramentis, & de cenſuris.

98 Pro difficultatis itaque expeditionẽ communiter duæ aſſignantur Regulæ: Prior eſt, poſt acquiſitum ius, ſiue beneficium obtentum, aut ſimilem gratiam ſeu donum ſpirituale, non eſt ſimoniacum nec illicitum paciſci & dare pecuniã ad redimendam vexationem quæ iniuſtè infertur, aut probabiliter timetur. Ita D. Thom. hîc quæſt. 100. ar. 2. ad 5. ibidem Commentatores eius: & alij Scholaſtici in 4. diſt. 25. Gloſſa in Cap. Nullus Epiſcopus 1. cauſa 124. quæſt. 1. & in Cap. Quæſitum 1. cauſa 1. quæſt. 3. Item Gloſſa in Cap. Dilectus, De ſimonia, vbi hæc eſt communis ſententia Interpretum. Probatur ex cit. iam Cap. Dilectus, vbi dum iubetur ille qui pecuniam acceperat, reſtituere alteri qui eam ad vexationem redimẽdam dederat, ſatis ſignificatur non fuiſſe culpam aut turpitudinem ex parte dantis, vt rectè obſeruant Gloſſa & Panorm. ibidem, alioquin & ille, pecuniæ priuatione veniſſet mulctandus. Huc etiam facit Cap. Quæſitum ante cit. vbi Religioſi quidam redimentes vexationem quã in quibuſdam ſuis Eccleſijs patiebantur, nihil peccaſſe ſupponuntur, vt ibi Doctores notant.

Et probari poteſt ratione: qui enim plenum ius iam acquiſiuit, & non niſi iniquè in illo ſuo iure impeditur, poteſt ius illud tueri cum iactura boni alicuius ſui temporalis: quemadmodum Eccleſiæ, inquit, Mald. ſoluebant quondam tributa tyrannis, ne impedirentur in cultu diuino, quod abſque ſimonia & ſine culpa fecerunt: idque poteſt fieri non tantùm, quoad electionem & confirmationem, vel quoad præſentationem & inſtitutionem aut collationem, quæ iam facta præceſſerunt, tuenda contra iniuſtos perturbatores, ſiue liberanda ab iniquis vexationibus: ſed etiam quoad poſſeſſionem capiendam quam nondum habet, vt docet Suarez De ſim. cap. 50. Cardin in Cap. Ad aures, De Simonia: Alexander De Neap. in additionibus ad Abbatem, in Cap. Dilectus, Mald. tract. 9. cap. 23 nu. 17. & plures alij, quamuis Dom. Soto lib. 9. qu. 6. art. 1. ad 5. de eo dubitet, an poſſit vexationem redimere ab illo cuius eſt introducere in poſſeſſionem: quod etiã multi negant, Vt Gloſ. in Cap. Decimas 2. cauſa 16. qu. 7. Abbas in Cap. Ad aures, De ſimonia cum Innoc. ibidem, & alij. Fundamentum horum eſt, quia videretur talis ſibi viam ſternere pretio ad rem ſpiritualem ſcilicet beneficij poſſeſſionem.

Neque caret difficultate iſta ratio: Reſpondent autem aliqui, poſſeſſionem non addere ſpiritualitatem titulo qui nunc pleno iure habetur, vt ſupponitur, ſed ex ſe eſſe quid indifferens, & ex coniunctione cum titulo tantum accipere eſſe ſpirituale. Ita Suarez, De Sim. cap. 50. n. 33. & Leſſ. lib. 1. cap. 35. dub. 18. 99

Verùm contrà poteſt opponi, quod poſſeſſio detur non tantùm bonorum temporalium, ſed etiam officij ſpiritualis, idque ex poteſtate ſpirituali, adeoque ipſa immiſſio in poſſeſſionem beneficij ſit actus ſpiritualis: vnde qui pro pecuniâ traderet poſſeſſionem beneficij, ſine dubio foret ſimoniacus, vt cum Syluestro V. Simonia, quęſt. 13. docet Malderus ſuprà tract. 9. cap. 3. dub. 17. Quare

Digitized by Google

17. Quare melius pro alterâ ſententiâ: Reſpondere videntur alij, quod licet huiuſmodi poſſeſſio ſuam ſpiritualitatem conſideretur habere, tamen poſſit hic etiam iniqua vexatio redimi, eo quod pleno iam iure ad rem & in re acquiſito, ac obtento, poſſeſſionem negare, eiuſdem quaſi ordinis ac rationis ſit, atque poſſeſſionem ipſam obtentam turbare, vt habet Arrag. ad quæſt. 100. articulo 5. ad 2. in quâ dum quis iniuſtè turbatur, poterit vexationem illam pecunia redimere, vt docet Gloſſa in Cap. Dilectus, De ſimonia. Felinus ibidem, & alij. Accedit quod ſic pleno iure in beneficio acquiſito facilè ab omnibus appræhendatur, tantum eſſe vexam iniquam ſi debito tempore non admittatur quis ad poſſeſſionem quæ claro iure debetur, atque ita pecuniam quæ datur, non dari pro ipſa poſſeſſione, ſed pro tollendo ſeu immutando animo eius qui iniuſtè negat, quod debet: ideòq; redẽptio illius vexæ non eſt tam ſuſpecta in iure & apud DD. vnde eam minus reprobant quàm alias redemptiones quæ tendunt ad amonenda obſtacula quæ ponuntur contra iuris adhuc acquiſitionem.

Hoc interim indubitatè tenendum eſt, ſi quis pretium aut pecuniam dare intenderet pro ipſa immiſſione formali in poſſeſſionem quod reuera ſimoniam committeret, vnde & aſſertio antè poſita reſtringitur à Doctoribus ad illum qui nullo modo dubitat quin electio eius & confirmatio, vel præſentatio & inſtitutio, aut ipſa collatio abſolutè & ſimpliciter ſint legitimè omninò peracta: alioquin ſi de illis ſupereſſet difficultas, cenſeretur redimere iuris incertitudinem, adeòque ex parte emere ipſumius ſpirituale. Vide Syl. V. Simonia, quæſt. 3. regula 4.

100 Porrò antequam quis ius in re ad beneficium fuerit conſequutus, non poterit vexationem redimere apud eos qui non tantum de facto, ſed etiam iure obeſſe aut prodeſſe poſſunt, vt DD. communiter omnes tradunt, & conſtat euidenter ex capitulo Matthæus, de ſimonia: cuius caſum ſup. explicuimus. Idem probari poteſt ex Capitulo Sicuti tuis ſub finem, De ſimonia, & Cap. De hoc, eodem tit. Declaratur, v. g. eſt quis legitimè electus ad Decanatum vel Epiſcopatum, nihilominus aliqui ex illis qui ius eligendi habent, conantur iniquè impedire confirmationem, non licebit eis pecuniam dare vt ceſſent, prout ex citato Capitulo conſtat. Similiter neque ipſi licebit dare pecunias ad quem confirmatio ſpectat, etiamſi iniquè differat aut tergiuerſetur cõfirmationem præſtare: quandoquidem enim tales ex iure ſunt qualificati vt proponant exceptiones, vel eas audiant contra electionem, vel eligentes, vel contra electum, hinc ſi eis pecunia tribuatur, vt deſiſtant, vel vt ſuperior confirmationem expediat, præſumetur dari vt ſuperſedeatur ab opponendo impedimento legitimo, quo electus à conſequutione beneficij aut dignitatis impediri poterat, & ſic cenſebitur per pecuniam ſibi aditum ſternere ad beneficium, in quo nondum plenum ius habet.

Dicitur non ſic poſſe vexationem redimi 101
apud eos qui etiam iure obeſſe aut prodeſſe poſſunt, quia apud illos qui tantum de facto obeſſe poſſunt & obſunt, plures Doctores admittunt & docent redimi poſſe vexam iniquam, v.g. aliqui qui nullam habent diſpoſitionem vel quicquam iuris circa beneficij diſpoſitionem, detinent me iniquè vt non poſſim me ſiſtere ad concurſum pro aliquo beneficio, aut ad petendam confirmationem aut inſtitutionem, & interea periculum eſt, ne alius intrudatur: Rurſum aliqui effingunt contra me falſum crimen vt diffament, & ſic impediant me à promotione, potero vexationes illas pecuniâ redimere. Vt docet Soto lib. 9. quæſt. 6. art. 1. ad 5. Suarez ſup. cap. 50. nu. 23. qui dicit eſſe communem ſententiam recentiorum theolog. Vgolin. Tabul. 1. cap. 9. §. 8. nu. 3. & alij.

Probatur, quia redemptio iniuſtæ vexationis non eſt ex natura rei mala & illicita, neque contra ius diuinum aut naturale: vnde etiam in merè ſpiritualibus, vt in caſu baptiſmi pertinaciter negati admittitur ex cõmuni ſententia in neceſſitate redemptio iniquæ vexationis tanquam licita: hoc enim non eſt emere rem ſpiritualem, ſed eſt emere liberationem à tali violentia, vel iniuria, aut emere ſiue pecuniâ inducere ad depoſitionem malignæ voluntatis. Neque etiam eſt illicita in noſtro caſu, quia iure Eccleſiaſtico prohibita: quia nullus allegatur Canon, qui eam in hoc caſu prohibeat: nam Capitulo Matthæus, & Cap. De hoc, quæ forſitan aliquis poſſet opponere, manifeſtè agunt contra illos qui dederant pecunias electoribus, & ſic ijs qui non tantùm obeſſe poterant, vt ante explicatum eſt.

Sed proponit Suarez ſup. num. 24. aliud 102
exemplum huius caſus præter ſupra poſita: Si v. g. quis corrumpat electores pretio aut importunis precibus, cũ ipſe elector non ſit, ſed ſubornatur, an liceat illi dare pecuniã vt deſiſtat, & vexationem illã ſic redimere? negat D. Soto ſup. quia per ſolum ambitum non infertur iniuria: & Turrecremata in Cap. Quæſitum 1. ſup. cit. q. 3. n. 3. & quidam alij. Suarez tamen abſolutè dicit, ſi redemptio ſiſtat in illa negatione, vt alter non corrumpat electores, ſiue vt per iniquã ſubornationem non mihi adferat detrimentũ, tunc nullam in ea inueniri ſimoniam: quia inde electores non corrumpuntur, nec per hoc, quòd alter à ſua iniquitate deſiſtit, voluntas eorum inclinatur aut mouetur in hunc:

Digitized by Google

hunc cum nihil circa eos operetur iſta ceſſatio. Neq; contra hoc extat aliqua prohibitio, magis quã contra alia exempla: & ratio communis poteſt eſſe, quia in his non ſic apparet periculum aut ſpecies ſimoniæ, ſicuti dum apud eos redimeretur vexa, qui etiam prodeſſe poſſunt: & propterea non tam ſollicitè prohibuit Eccleſia redemptioné vexæ apud iſtos, quàm apud hos. Nemo enim iſtud apprehendit tanquam eſſet pecuniâ ſibi parare viam ad beneficium, ſed quilibet facilè iudicat quod tantum ſit tollere iniquũ obſtaculum & amouere iniquas machinationes, quibus homines improbi, ad quos nihil ſpectat beneficij diſpoſitio, me conantur à iuſta eius conſequutione impedire. Cæterùm, ſi quis alterum pecuniâ induceret, vt electores inclinaret in ſui fauorẽ, iam nõ erit redemptio vexæ aut non ſola, ſed etiam emptio electionis, & ſic ſimoniaca, & hoc forſitan tantum voluit Soto: alioquin ad rationem eius poteſt reſponderi, quod etiam per infamationem non inferatur vis, quam tamen ipſe admittit poſſe redimi, vnde nõn tantum vexas illas licet redimere, quæ abſolutam vim inferunt: neque rurſum ſi vnus aliquis per pecuniam curat ſibi fauores apud electores aut collatores quod vergit in tuum præiudicium, idcirco licebit tibi ſimiliter per pecunias te per alios curare commendari: non enim quia alter malè agit, ideò actio tua eiuſdem rationis redditur bona, aut à malitia purgatur: vnde neque familiaribus, aut priuatis amicis Prælatorum licet pecunias dare, vt tibi beneficium obtineant, neq; licet illis eam accipere: nam vt refert Suarez c.53. cõmuniter DD. eiuſmodi negotiationẽ, vt ſimoniacã damnant.

DVBIVM XIX.

Quas pœnas inducat ſimonia inprimis circa ordinum collationes commiſſa?

QVia deteſtabile ſcelus ſimoniacæ prauitatis tam Scripturarum, quàm ſacrorum Canonum auctoritas plurimum abhorret, vt loquitur Papa Paulus II. in Extrauag. Cum deteſtabile, De ſimonia inter communes: & quia plures ſolet pœnarum grauitas, quàm Dei timor arcere à peccando: hinc per varios Canones conſtitutæ ſunt multæ & graues pœnæ in ſimoniacos, vt peſtiferum hoc vitium ex hominum animis, ſaltem propter pœnarum metum, euellatur.

103 Porrò ſimoniam in triplici materiâ commiſſam non tantum cenſuris & pœnis infligendis per Iudicem, ſed etiam ipſo facto incurrendis mulctarunt ſacri Canones, puta commiſſam circa collationem aut ſuſceptionem ordinũ, circa beneficia, & circa ingreſſum religionis: quoad ſimonias in alijs materijs perpetratas non inducunt pœnas aliquas iuris de facto, vt docent Nauar. c. 23. n. 111. & Syl. V. Simonia, q. 19. Suarez lib. De ſimonia c. 54. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Qui ad ordinem aliquem ſimoniacè promouetur, incurrit inprimis ipſo facto pœnam excommunicationis. Ita ſtatuit Paulus II. in Extrauagante ſuprà citata.

Secundò, qui ſic promouetur, eſt ipſo facto ſuſpenſus ab executione ſuorum ordinũ. Patet ex eadem Extrauag. vbi dicitur, quod omnes qui ſimoniacè ordinati fuerint, à ſuorum ſunt ordinũ executione ſuſpenſi. Neq; refert, an crimen hoc ſimoniæ ſit publicũ an occultum, vt ex eadem Extrauag. conſtat.

Sed quæritur primò: Vtrùm tantũ ſit ſuſpenſus ab ordine illo quem ſimoniacè ſuſcepit, an etiam ab alijs prius ſine crimine ſuſceptis? Mald. dub. 18. dicit probabile eſſe, tantum ſuſpenſũ eſſe ab ordine ſimoniacè ſuſcepto, nihilominus ſententiam appoſitam, quia communis eſt, habere plus ſecuritatis: & meritò, quia vix reperitur auctor qui doceat tantum ſuſpendi ab illo ordine: ſed cõmuniter omnes docẽt eum ſuſpendi ab executione omniũ ordinum: dicitur pluraliter enim in Extrauag. cit. Declaramus quod omnes illi qui ſimoniacè ordinati fuerint à ſuorũ ſint ordinũ executione ſuſpenſi. Vide Syl. V. Suſpenſio q. 7. Angel. V. Simonia 6. & Dias in pract. criminali Canonica V. Simoniaci: imò ſuſpenſionis cenſuram quoq; incurrit qui ſcienter ordinatur ab Epiſcopo ſimoniaco, quamuis ipſe ſimoniam aliam non committat. Patet ex Capitulo Si qui à ſimoniacis, cauſa 1. quæſt. 1.

Quæritur ſecundò: Vtrùm ſuſpenſionis pœnã incurret ille, cuius amicus ipſo inſcio induxit Epiſcopũ pecuniâ, vt eũ ordinaret?

Reſpondetur, non incurrere ſi ipſe bonâ fide id ignoret: cõſtat ex Cap. De ſimoniacè, De ſim. vbi dicitur: quidam licet ſecundum quandam ſpeciẽ ſimoniæ, vtpotè ipſis ignorantibus ſimoniacè ordinentur, poſſunt, quia ſimoniaci nõ ſunt, in ſuis ordinibus remanere: & ratio eſt, quia hæc ſuſpenſio requirit culpam ex parte ordinati, quia pœnalis eſt. Vide Suarez in 3. parte tom. 5. De cenſuris, diſp. 5. ſect. 4. n. 31. & ſeqq.

Tertia pœna ſimoniacè ordinati eſt, quod ſi in cenſuris illis exiſtens præſumpſerit miniſtrare, efficitur irregularis, vtpote qui cenſuram violat. Vide Nauar. cap. 25. n. 68.

DICO Secundò: Similiter qui ſimoniacè confert ordines inprimis incurrit quoq; excommunicationem. Conſtat ex citata Extrauagante Cum deteſtabile. Secundò, is ſuſpenſus eſt per trienniũ à collatione ordinũ, vt habetur Cap. pen. De ſim. vbi dicitur, Si pactum fiat quod ordinatus non petat debitam prouiſionem ab ordinante, quòd ordi- 104

nans per triennium ſit ſuſpenſus, ordinatus autem donec cum eo fuerit diſpenſatum.

Per Bullam verò Sixti V. quæ incipit: Cæterum ſi quis antiſtes, edita in malè promouentes, & promotos, ſuſpenditur ſimoniacè ordinans generaliter à collatione ordinũ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, vt à conſecratione templorum, veſtiũ ſacrarum, Abbatum, virginum, & inſuper interdicitur ei ingreſſus Eccleſiæ: quod ſi verò contra hæc fecerit, ſuſpenditur tum etiã ab adminiſtratione ſuę Eccleſię & perceptione fructuum omnium beneficiorum: ex quibus poteſt colligi, quod per ſimoniam cõmiſſam in ordine non incurrat ordinans ipſo facto ſuſpenſionẽ à beneficijs & perceptione fructuũ vel adminiſtratione Eccleſię ſuæ, ſicuti nec ipſe ſimoniacè ordinatus, ſed tantũ ſuſpenſionem ab executione ordinum, vt rectè cõtra nonnullos docet Suarez De ſim. c. 56. nu. 18. Ratione tamen excommunicationis impedirentur ab iſtis, quamdiu in illa manerent: & quamuis hęc Bulla in cęteris punctis redacta ſit ad terminos iuris communis, per Clement. VIII. tamen in hoc de promouentibus & promotis ſimoniacè relicta eſt in ſuo vigore, expreſsè enim addit Clemens, Præterquàm contra ſimoniacè ordinantes & ordinatos inflictas.

Denique nullus poteſt abſoluere ab illis cenſuris, præter Romanum Pont. vt conſtat ex citata Extrauag. & ſimiliter ex Bulla Sixti allegatâ. Quando tamẽ caſus eſſet occultus, neque ad forum externũ deductus, videtur quod Epiſcopus poſſit abſoluere ab eiuſmodi cenſuris, & diſpenſare quoque in irregularitate incurſa ſi qui miniſtraſſent exiſtentes in cenſuris, idque vigore poteſtatis conceſſæ Epiſcopis à Conc. Trid. ſſ. 24. c. 6. eo quod Conc. ſit poſterius citata Extrauagante, quæ reſeruat abſolutionem Pontificis etiamſi crimen ſit occultum. Extenditur etiã pœna excõmunicationis per dictam Extrauagantẽ ad eos qui quocumq; modo ad eiuſmodi ſimoniã mediatores aut procuratores extiterint.

DVBIVM XX.

Quas pœnas inducat ſimonia cõmiſſa circa beneficiorum impetrationem aut prouiſionem?

105 RESPONDEO & DICO Primò: Qui per ſimoniam alteri beneficium cõfert aut procurat, eligẽdo, præſentando, inſtituendo aut confirmando, eſt ipſo facto excommunicatus. Ita quoque ſtatuitur in citata Extrauagante Cum deteſtabile, vide Nauar. c. 23. n. 111. vbi ſub nomine beneficij cõprehendimus etiam Abbatias & Prioratus, quia reputantur inter beneficia regularia, vt tradit Nauar. & cõſtat ex dictis ſup. imò Pontifex expreſsè hic in Extrauagante dicit, quod etiam in monaſterijs careant eiuſmodi electiones aut quęuis prouiſiones viribus: vnde meritò extenditur quoque ad prælaturas alias regularũ quæ non in commiſſione nuda ad nutum reuocabili, ſed in munere aliquo ordinario, quamuis nõ perpetuo conſiſtunt, & habent iuriſdictionẽ ſpiritualem ordinariã, vt eſt prouincialatus, guardianatus, rectoratus, quia eadẽ apparet ratio, nec minora ſequuntur incõmoda ex eiuſmodi ſimoniacis competentijs & prouiſionibus quã ex alijs, & dicit Suarez c. 57. n. 47. certiſſimum eſſe iſta officia religionum comprehendi in dicta Extrauagante quoad per dictam nullitatem, & etiam quoad excommunicationẽ de qua iam dicemus: & ſatis ex verbis textus, & ratione allegatis probatur. Vide etiam Caiet. V. Excommunicatio, c. 72. & Armill. c. 59.

DICO Secundò: Similiter qui per ſimoniã beneficiũ acquirit, incurrit in primis ipſo facto quoq; excõmunicationẽ. Patet ex citata Extrauag. Cũ deteſtabile, vnde & ſuſpẽditur talis quatenus ſuſpenſio includitur in excõmunicatione ab omni officio, beneficio & ordine, adeoq; ſit irregularis ſi celebret non abſolutus ab excommunicatione, vt notat Mald. dub. 18. Secundò, omnis collatio & prouiſio taliter factâ eſt ſimpliciter nulla: neque ius vllum tribuit. Ita D. Tho. q. 100. a. 6. ad 3. cõmentatores eius ibidem & Scholaſtici alij in 4. d. 15. & 25. & communiter quoque Canoniſtæ. Ratio eſt, quia expreſsè annullatur in iure, vt patet ex cit. Extrauag. De ſim. vbi diſtinctis clauſulis irritantur collationes, prouiſiones, electiones &c. & confirmat Pius V. in 5. conſtitutione diſtinctè illam explicans in dignitatibus & beneficijs. Vnde prouiſi tales tenentur dimittere beneficium ſimoniacè collatum vel acquiſitum cum omnibus fructibus perceptis, aut ſuâ culpâ neglectis: vt notant D. Th. loco cit. & dicunt paſſim omnes. Vide Nauar. Conſ. 90. De ſim, Suarez ſup. c. 57. n. 25. Ratio eſt euidens, quia nullus poteſt retinere rem alienã ſiue non ſuam, in qua nullum habet ius: neq; ex ea poteſt facere fructus ſuos, quod & declaratur in prædicta Extrauagante: vnde in conſcientia obligantur iſta facere, etiamſi crimen quoque ſit occultũ, vt latiùs in particulari explicantur iſta omnia in citata Extrauag. Cum deteſtabile. Idem locum habet in illo qui ipſe ſimoniam non fecit, ſed alius pro eo, ſi ſciuerit, & non cõtradixerit. Patet ex Cap. Nobis fuit, tit. de ſim. iunctâ Gloſſâ, & Cap. Sicut tuis litteris: Et ratio eſt, quia ille ſciens ſimoniacam interuentionem debebat reſiſtere, vnde non reſiſtendo, tacitè conſentit: idque facilè omnes videntur admittere.

Si autem ab alijs, prouiſo ignorante, ſit 106
commiſſa ſimonia, tunc quidem caret ille

culpa,

Digitized by Google

culpa,ſed tamē collatio eſt inualida & nulla: quod eſt contra Nauar. Conſ. 95. De ſim. vbi ſuſtinet eam non eſſe irritam,ſed irritandam, quem ſequitur Vgol.Tab.4.cap.7. ſed quod diximus,cōmuniter tenetur à Theologis cum D.Th.ſup.& ſumitur ex Canoniſtis ſuper Capitulis cit. vt ex Abbate ſuper Cap. pen. De ſim. Gomezio apud Nauar. ſup. & alijs:idq; latè docet Suarez lib.De ſim.c.57.

Probatur Primò ex cit. Extrauag. Cum deteſtabile,ex verbis illis,Per electiones &c. quas contigerit ſimoniacâ labe fieri: & infrà dicitur, vt per eas cuiquā ius nullatenus acquiratur, non diſtinguendo inter ſcientē & ignorantem: collatio autem de qua agimus, eſt ſimoniacè facta; ergò &c. Nec debet ab eo aliquid excipi, niſi quod de iure eſt exceptum: adeò vt Suarez dicat n. 40. id etiam locū habere etiamſi ipſe collator ignoraret, vt ſi eius familiares & mediatores pecuniâ fuiſſent inducti, vt alteri beneficium procurarent, ſiue ab ipſo prouiſo,ſiue ab eius amicis, ipſo ignorante.

Probatur Secundò efficaciter à poſteriori ab effectibus eius paſſim ab omnibus admiſſis: Primus ſit:quia talis ignorans, quàm primū ſciuerit in collatione ſibi facta, ſimoniam commiſſam tenetur in conſcientia ſtatim beneficium relinquere, nullâ expectatâ condemnatione vel ſententiâ, aut debet ad ſuperiorem legitimū recurrere,vt prouideat illi de remedio: idq; ſup. docet D. Th. ſatis aperte,& ſequuntur Caiet.ibidem,Soto ſup. qu. 6. & alij Theologi: quod etiam docuit Nauar. Conſ.97.De ſim. & fatetur Vgolin. c.7.ſup. cit. §.1.& ſumitur ex Cap. Ex inſinuatione, vbi id etiā notant Gloſſ. & Abbas cum alijs: item ex Cap.cit.Sicut tuis, vbi dicitur expreſsè,quod paruuli qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt conſecuti, ſecundum Canonum cōſtitutionem, teneantur eas dimittere: hic autem effectus non poteſt aliunde prouenire, niſi quia beneficia non ſunt ipſorum: quod autem non ſint ipſorum, fit, quia collatio eis facta fuit inualida & nulla; ergò &c.

Secundus effectus ex quo colligitur, eſt, quia obligatur talis omnes fructus reſtituere non tantū à tempore vitij cogniti,ſed omnes quos etiam ab initio percepit ante cognitū vitium, hos tamen ſolū quatenus extant aut ex illis factus eſt ditior, quia fuit tunc bonæ fidei poſſeſſor: alios autē ſimpliciter:& hunc effectū admittunt omnes quoq; cum D.Th. etiam Couar.ad Regulam peccatū p. 2. §.8. n.7. & ſeqq.Nauar.Conſ.90. De ſim.Vgol. ſup. c.7. §.2. atqui iſta obligatio reſtituendi etiam fructus perceptos ante vitium cognitum, non poteſt naſci aliunde, quàm ex eo quòd licet poſſidens naturaliter illos bonâ fide receperit, tamē à parte rei acceperit ex re non ſua,& ideo non fecit illos ſuos:neque enim aliud fundamentum iſtius obligationis aſſignari poteſt. Signum igitur manifeſtum, quod collatio ei facta ab initio fuit irrita & nulla.

Tertius effectus ex quo idē probatur, eſt, quia non obſtante ignorantiâ eius,cui ſimoniacè prouiſum eſt de beneficio, remanet tamen ipſe inhabilis ad idem beneficiū aſſequendum,ita vt pro illa vice abſque diſpenſatione Pontificis,ſi fuerit prælatura,aut beneficium curatum,vel abſque diſpenſatione Epiſcopi,ſi fuerit beneficium ſimplex, non poſſit ei conferri de nouo, vt cōſtat ex Cap. penult.De elect.in 6.& Cap.Nobis fuit,De ſim: qui effectus iterum ſatis ſignificat collationem primam multo magis ab initio fuiſſe nullam. Sunt iſta ſic conſtituta in pœnam eorū qui ſimoniacè beneficia alijs procurāt, ac ſimul in deteſtationem talis criminis.

Obſeruandum tamen,ſi inimicus tuus dediſſet pecunias pro collatione tibi facta, vt 107 ſic tibi noceret, nō obligari te eo caſu ad beneficium dimittendum. Ita docet D. Tho. q.100.a.6. & alij communiter: & patet Capitulo Nobis fuit, iam citato.

Similiter neque ſi amicus, modò tu quia metuebas ne forſitan aliquid ſimile fieret, quia noueras collatorem pecuniā affectare, expreſsè contradixiſti,& tamen nō obſtante tua contradictione,& te ignorante, pecunia fuerit data: interim tu bonâ fide collationem acceptaſti poſt contradictionē præmiſſam & nihil de pecunia data ſciēs: tunc enim ex particulari diſpoſitione iuris,Cap. Nobis fuit, iam cit. collatio fuerit valida, vt cōſtat cit.Cap. Sicut tuis,De ſim. Ita Suarez ſuprà c.57. n.29. vbi dicit illum eſſe proprium caſum Cap.Sicut tuis iam allegati: ſecus ſi quis ſciat, non obſtante ſua contradictione, collatorem fuiſſe pecuniâ corruptum aut inductum,& nihilominùs hoc ſciens collationem acceptat,vt tradit ibidē Suarez, quia tunc in ſimoniam illam conſentire,atque adeo acceptando ſimul ſimoniam cōmittere cenſetur cooperando executioni ſimoniæ aliorum.

Petes,quid ſi ille qui cōtradixit, & ignorabat pecuniam datam, recedat à contradictione? Reſpondetur, ſi ante collationem ſibi factam,quis recedat tunc dicendū,quod collatio ſit inualida, ſicuti in caſu præcedenti: ſi verò poſt contradictionē præmiſſam,& beneficiū bona fide acceptatum cum ignorantia ſimoniæ aliorum poſtea intelligens ſimoniam commiſſam, approbet illam,haud dubiè contrahit culpam ſimoniæ:non tamen per hoc irritatur, aut redditur nulla collatio antè validè facta, vt docet Suarez ſup. 32. argumento Capituli Si quis, De ſententia excōmunicationis in 6. vnde quod in textu Cap. Sicut tuis additur, niſi poſtea conſenſeris, pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam, ſignificat tantum nouā

culpam ſimoniæ tunc committi, quæ in tali facto præſumitur, niſi clarè probetur oppoſitum, vt ſentit Nauar. Conſil. 10. De ſim. Alioquin dicit Suarez, Si quis animo liberali, & ne alius patiatur illud detrimentũ, redderet ſolutum, nõ intendens factum probare, quod talis non foret ſimoniacus. Quod verò quiſpiã poſſit reſtituere, non approbando tamen factũ, declarari poteſt, quaſi à ſimili, quia parens aliquando reddit pecunias illi, qui mutuò eas dedit filio prodigo quas inutiliter conſumpſit, non tamen reddendo approbat mutuam dationem prius factam, nec eam ideò gratam habet. Ita ſentit Adrianus Quodlibeto 9. q. 3. §. Circa prædicta.

108 Porrò quoad effectus illos ſeu pœnas, quas diximus ſequi ad collationem beneficij ſimoniacè factã, ignorante ipſo prouiſo, certiſſimum quod illę ſequantur quoq; potiori iure & ratione ſimoniam commiſſam ſciente prouiſo, ſiue per ipſum ſiue per alios, prout etiam in anterioribus ſignificauimus: & quidem quod fiat inhabilis ad idem beneficium ad quod habuit ſimoniacum ingreſſum, eſt apud omnes indubitatum. Sed diſputatur, Vtrùm etiam efficiatur inhabilis ad alia obtinenda? Nauar. Conſ. 91. de ſim. n. 5. & Conſ. 92. etiam n. 5. defendit partem negatiuã, & exiſtimat illum ne quidem per Bullam Pij V. reddi ad alia inhabilẽ. Verùm Suarez c. 58. n. 10. ſatis clarè oſtẽdit ex verbis Bullę, quod ſecundum rigorẽ illius iuris reddatur quoq; ad alia inhabilis: addit tamen, quia Nauar. dicit illam pœnã quoad hunc vſum non eſſe receptam, quod ſibi quoque eſt veriſimile, idcirco illo poſito, nõ incurri illam pœnam, quo ad iſtum effectum ante ſententiam declaratoriam: vnde conſequenter dicit ſe exiſtimare poſſe in praxi ſeruari tuta conſcientia ſententiam Nauar. & non eſſe neceſſariã diſpenſationem ad alia beneficia obtinenda.

Alia denique pœna ſimoniæ beneficialis eſt, quod ſimoniacè ingreſſis ad beneficium quodcumque non proſit regula de triennali poſſeſſione, ſicuti neque intruſis, vt habetur in ipſa regula de triennali poſſeſſione: quã de re licet videre Gomez. q. 12. ad prædictã regulam. Sed hic quæritur de legitimè electo aut præſentato, ſed ſimoniacè confirmato vel inſtituto, vtrùm exciderit talis iure acquiſito per electionem vel præſentationẽ? quidam exiſtimant excidere ipſo facto, vt Vgolin. tab. 4. cap. 6. & electionem aut præſentationem fieri nullam.

Suarez tamen lib. De ſim. cap. 58. n. 7. & Mald. ſup. dub. 18. & alij nonnulli, verius putant non excidere ipſo facto, & fauet Cap. Si confirmationem in 6. vbi electio dicitur non infirmari, etiamſi confirmatio propter omiſſam aliquam ſolennitatem iuris, vel propter defectum poteſtatis in eo qui cõfirmauit, fuerit irrita: & concurrit ſimul ratio, nõ enim ſi poſterior actus ſit irritus, ideò etiam prior debet cenſeri nullus, quando de eo non reperitur expreſſus Canon, prout de caſu propoſito non reperitur.

Nihilominùs tamen verum eſt, quod talis ſit priuandus omni iure, quod ad beneficium habet iuxta Cap. Inſinuatum, De ſimonia: vbi ſic debere fieri generatim conſtituitur contra omnes qui ad beneficia habent ingreſſum per ſimoniam.

Deniq; obſeruandum hic eſt, quod Examinatores Diocœſani, qui ab examinandis pro Eccleſijs parochialibus accipiunt occaſione illius examinis aliquid ante vel poſt, dicantur à Conc. Trid. ſſ. 24. c. 18. vitium ſimoniæ incurrere, à qua abſolui non poſſint, niſi dimiſſis beneficijs quæ quomodolibet etiam antea obtinebant, ac inſuper ad alia impoſterũ reddantur inhabiles. Vide Serol. V. Parochia, §. 2. dub. 11. Farinac. Conſil. 75. n. 3. & 48. & Pet. Soar. De relig. lib. 4. De ſimonia, cap. 59. n. 2.

DVBIVM XXI.

Quas inducat pœnas ſimonia commiſſa circa ingreſſum religionis?

Reſpondetur: Inprimis particulares perſonæ quę circa religionis ingreſſum ſimoniacè agunt, ſiue dando, ſiue accipiendo; 109
incurrunt ipſo facto cenſuram excommunicationis: conuentus autem ipſe, ſi in eo ſimoniam committat, incurrit ſuſpenſionem, ſcil. ab officio Capitulari ad iuriſdictionem vel adminiſtrationẽ pertinente. Vtrumque conſtituitur Extrauagante Sanè ne in vinea Domini, inter cõmunes de ſimonia. Deinde qui ſimoniacũ habuerunt ingreſſum, priuantur loco ſuo, & ad ſolitudinem vel ad arctius monaſterium relegantur, Cap. Quoniam, De ſimonia, vbi dicitur, quod ſimoniacè recipientes, & receptæ, ſiue ſit ſubdita, ſiue prælata, ſine ſpecie reſtitutionis de ſuo monaſterio ſint expellendæ ad locum arctioris regulæ: quod & habetur Capitulo De regularibus, De ſimonia.

De illis verò qui ignoranter, vel antè ſynodale ſtatutum, Cap. Quoniam, idem commiſerunt, dicitur, quod collocandi ſint in alijs monaſterijs eiuſdem ordinis, vel ſi locus propter multitudinem non reperiatur, ne damnabiliter in ſæculo euagẽtur, quod poſſint in ijſdem monaſterijs diſpenſatiuè de nouo recipi, mutatis prioribus locis & inferioribus aſſignatis.

Vbi circa illa verba, Ne damnabiliter in ſæculo euagentur, benè obſeruat Panorm. & cum illo Mald. dub. 18. quod ſimonia non impediat monachatum & validitatem profeſſionis, quemadmodum impedit, & nullam facit collationem beneficij. Inte-

110 Interim tamen qui ſimoniacè ad monaſterium eſt ingreſſus, non acquirit ius præbendæ ſeu portionis regularis, neque vocis actiuæ aut paſſiuæ, vt notat Nauarr. Commentario 4. De regularibus: non enim in monaſterio illo acquirit ius loci: poterit tamen ſic receptus, vt quidam notant, manere in monaſterio, & gaudere ſua ſuſtentatione, donec per ſuperiorem compellatur aliud ingredi, quia cum per profeſſionem obligetur ad onera & officia ordinis ea quæ cum alijs hic ſubeat, nimis videretur inhumanum obligare eum, vt ſeipſum teneatur commoditate ſuſtentationis priuare: dignus enim eſt operarius cibo ſuo.

Denique ſimoniaci, tum circa ordines aut beneficia, tum circa religionis ingreſſum incurrunt perpetuam infamiam, quod de duobus prioribus expreſsè declaratur Capitulo Sanè, cauſa 15. quæſt. 3. & Cap. vlt. cauſa 1. quæſt. 3. Gloſſ. in Cap. Ex diligenti, De ſimonia: V. Infamia, ibidem Panorm. Angel. V. Simon. 6. n. 8. Mald. dub. 18. & alij. Notat autem rectè Suarez cap. 56. n. 21. ex allegatis Capitulis ſecundum communem Doctorum ſententiam non incurri hanc infamiam Canonicam ipſo facto, ſed per ſolam Iudicis condemnationem: vnde non inducit irregularitatem, niſi poſt condemnationem. Item poſſunt ſimoniaci accuſari à quocumque, à ſeruis & quibuſcumque criminoſis, etiam à meretrice, vt expreſsè habetur Capitulo Tanta, De ſimonia.

DVBIVM XXII.

Vtrùm quæuis ſimoniæ culpa circa ordines aut beneficia, vel circa religionis ingreſſum cõmiſſa inducat reſpectiuè pœnas explicatas, & quando?

111 RESPONDEO & DICO Primò: Peccatum ſimoniæ ſolâ internâ voluntate commiſſum abſque omni opere externo interueniente aut accedente non inducit pœnas præfatas. Eſt communis Doctorum, & certa, qui etiam ordinariè tenent Eccleſiam non poſſe legẽ ferre in actus merè internos.

Similiter neque eas inducit ſimonia illa quæ vocatur mentalis, quia ſcilicet quis affectu ſimoniaco, nullatenus tamẽ foris prodito, exercet opus aliquod externum capax ſimoniæ, ſed illam ex ſe non includens, imò quod in ſe alioquin poteſt eſſe opus bonum aut indifferens. Ita quoq; DD. cõmuniter: & colligi poteſt ex Cap. Cogitationis, De pœnitentia, diſt. 1. & ex Cap. finali, De ſimonia, quod manifeſtè loquitur, non tantum de interno peccato ſimoniæ, ſed etiam de mentali ſimonia, vt eam hic & ſup. dub. 3. diſtinximus à peccato merè interno ſimoniæ.

Ratio reddi poteſt, quia hęc ſimonia quoque eſt quodammodo interna, cum affectus ille nullo ſigno prodatur, & ipſum externũ opus, talem affectum non importet aut declaret, vtpotè quod propter ſuam indifferẽtiam alijs diuerſis intentionibus fieri poſſit.

DICO Secundò: Simonia purè conuentionalis non inducit quoque ipſo facto pœnas iuris, imò neq; cõuentionalis mixta illa, vbi pretium eſt datũ, ſed res ſpirituales nondum eſt tradita. Excipiendo tamen eam quę vocatur confidentiæ, de qua mox dicemus. 112

Prior pars de ſimonia purè cõuentionali, eſt communis ſententia Theologorum & Iuriſtarum, inquit Suarez c. 55. n. 12. quam ibidem latè probat contra Gloſſ. in Cap. Tua nos, V. Culpabiles & Tornaed. ibidem: quia iura punientia ſimoniam non vtuntur verbis ſignificantibus conuentiones ſimoniacas ſolas, ſed dationes aut receptiones ex talibus conuentionibus procedentes. Declaratur ex Extrauag. Cum deteſtabile, vbi ſimonia in Ordine quæ punitur exprimitur hoc modo, Qui ſimoniacè ordinati fuerint &c. quãuis autẽ quis ante cõuenerit de temporali dando vt ordinetur, tamen necdum eſt de numero illorum, qui ſimoniacè ordinati fuerint: de illâ quæ cõmittitur in beneficijs, & punitur, dicitur per electionem, poſtulationem, confirmationẽ &c. & infrà, qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint: & ſimiliter in Extrauag. 1. circa ingreſſum Religionis, prius prohibentur actiones exigendi vel petendi aliquid pro ingreſſu, & ſubditur: Sed eas potius cum omni pietate recipiat, & poſtea ſequitur: Qui ſecùs egerit &c. donec igitur fit receptio non gratuita, nõ fit completus actus contra legem illã, vt pœnæ de facto incurrãtur. Similiter loquuntur Canones, cauſa. 1. q. 1. Cap. Presbyter: Cap. Si per pecuniam Eccleſiam obtinuerit: Can. Quiſquis per pecuniam ordinatur &c. & Can. Quos conſtiterit, & alij plures eâdẽ qu. & in ſeqq. decretis: & ſic quoque in decretalibus, Capitula loquuntur quæ pœnas imponunt, vt Cap. Non ſatis, Cap. Inſinuatum; ergò &c.

Notandũ tamen eſt, quod Iudex Eccleſiaſticus punire poſſit conuentionẽ ſimoniacã, ſiue ſimoniam conuentionalem purã, ſi publica ſit, vel ad eum deferatur & probetur, etiã antequã executioni demandetur, iuxta Cap. 1. De officio ordinarij, quia eſt graue delictum, & contrarium bonis moribus Eccleſiæ: non poterit tamen imponere pœnas ordinarias ſimoniacorũ, ſed alias arbitrarias.

Poſteriorem partem docent Caiet. V. Simonia, Soto lib. 9. quæſt. 8. art. 5. Toletus lib. 5. cap. 43. Pet. Nauarra lib. 2. cap. 2. nu. 428. Nauarrus cap. 23. nu. 104. & ad Ca-

 pitulum

Digitized by Google

pitulum Finale de ſimonia, Suarez ſup. nu.16.& cap.56.nu.23. qui addit, in hoc non eſſe controuerſiam. Ratio eſt, cum quia iſta ſimonia ſolet quoque cenſeri ſimpliciter conentionalis: quod Canones qui pœnas imponũt,requirãt ſemper traditionẽ rei ſpiritualis pro pecunia, vt ex allegatis conſtat.

Dixi, neque mixta conuentionalis illa vbi pretium eſt datum,ſed res ſpiritualis non eſt tradita: quia quod ad alterã attinet, vbi res ſpiritualis eſt tradita,quamuis pretiũ non ſit numeratum, maior eſt diſputatio: nam hæc inducit ex multorũ opinione pœnas iuris,ita enim ſentiunt Caiet.Soto. P.Nauar. & Toletus locis iam citatis: & Suarez c.56. n.26. Nihilominùs è contrà tenent generaliter etiam de hac mixta, quod pœnas iuris non inducat Nauarrus locis allegatis, Gomezius in Regul.Cancell. de triennali poſſeſſ. & Caſſiodorus in deciſion. 5. De conſtit. quos idem citat, Couarr. in Clementinam Si furioſus, parte 1.§.1.nu.7. & parte 2.§.3. nu.4. Mald. tract.9.cap.3. dub.18.& plerique recentiores, vt etiam Toletus indicat: atque ita obſeruat ſtylus Curiæ Romanæ, vt refert Nauarrus, quamuis Toletus oppoſitum ſignificet.

Probari autem poteſt eadem ratione quâ Caiet.& alij conuentionalem puram & eam mixtam vbi tantum eſt pretium datum, eximunt à pœnis iuris,quamuis ſecundum rigorem verborum,Canones videantur etiã illas inuoluere, quia ſcilicet pœnæ grauiores,& præſertim quæ ipſo facto incurruntur, ſunt reſtringendæ, ac proindè quæ conſtituuntur in illos ipſo facto incurrendæ, qui ſpiritualia emunt aut vendunt, limitandæ meritò ſunt ad emptionem & venditionem completam quãuis ad horum contractuum ſubſtantiam præciſè conſideratam videatur ſufficere conuentio de mercede & pretio. Ratio eſt, quia lex puniens actum aliquem, poteſt bonâ ratione cenſeri tantum punire actum omnino completum, niſi expreſsè contrarium dicat: atqui ſicuti emptio aut venditio non eſt omnino completa quando merces non ſunt traditæ, vt ponit Caiet. cum alijs, ita quoque, non eſt omninò completa quando pretium non eſt numeratum: ergò pari ratione, quâ mixta vna dicitur non inducere pænas iuris, admitendum eſt, alteram quoque non inducere.

Confirmatur, quia Pontifex in Extrauagante Cum deteſtabile ſupra allegata non magis complectitur caſum ſimoniæ conuentionalis mixtæ quo tradita eſt res ſpiritualis, quam alterum quo è contrà pretium eſt ſolutum & res ſpiritualis nondum tradita, quin potius poſſit videri magis agere de caſu poſteriori;quia pœnæ ibi ſtatuuntur in eos qui dando vel accipiendo pretium in ordine vel beneficijs ſimoniam commiſerint: ergò quandoquidem omnium pænè ſententiâ,eximitur vna à pœnis illis propter actus imperfectionem, ita & altera ſimonia videtur eximenda.

Objicitur: collatio, v.g. beneficij facta poſt conuentionalem ſimoniam ante pretium traditum, vel eſt ab initio rata aut irrita, neque enim eiuſmodi collationes ſolent hærere ſuſpenſæ, ſi rata, quomodo igitur eiuſmodi beneficiarij dicuntur ab initio collationis fuiſſe excommunicati, caſu quo poſtea fuerit numeratum pretium; ſi autem dicatur fuiſſe irrita: ergò iam talis ſimonia mixta, nõ poteſt dici exempta à pœnis iuris. 113

Reſpondetur, verè tunc demum eſſe irritam quando ſuccedit pretij ſolutio, ſed fictione iuris ſi ſuccedat pretij ſolutio, cenſeri ab initio irritam, idque in grauiorem pœnam delicti, vnde Nauar. cap. 23. nu. 104. & in Commentario Capituli finalis, De ſimonia,non male dixit collationem ſimoniacam factam ante pretium ſolutum, nec validam, nec inualidam eſſe, ſed pendentem ex futuro euentu, quem multi recentiores ſequuntur: & ideò locis cit. probabiliter addit, & alij cum ipſo ad Cap. fin. quòd ſi Sacerdos illo intermedio tempore ſacrum celebraſſet, non idcirco eum futurum irregularem tanquam qui celebrauerit in vera ſuſpenſione, eamque violauerit, quia à parte rei in excommunicationem nondum inciderat, ſed incidit demum quando pretium numerauit, non violatur autem cenſura antequam ſubſiſtat. Pari ratione in conſcientia non tenetur relinquere beneficium quod ſub promiſſione dandæ pecuniæ accepit, quamdiu nondum pecuniam numerauit, nec etiam reſtituere fructus ſi quos ante percepit. Ita conſequenter dicendum eſſe iuxta ſententiam Nauarri docet Suarez cap. 57. n. 55. poſtquam tamen ſoluiſſet promiſſam pecuniam, tenebitur in cõſcientia dimittere beneficium etiam ante omnem ſententiam condemnatoriam, vt dicunt omnes, quia tunc commiſſa eſt completa ſimonia realis: cauſat tamen iſta retroꝛactio alios effectus, vt ſi interim tali ſimoniaco aliud beneficium fuerit collatũ, quod collatio cenſeatur irrita quaſi excõmunicato & inhabili facta: ſimiliter quod tum etiam teneretur, reſtituere fructus ante perceptos.

Ratio diuerſitatis reddi poteſt, quia plus requiritur vt alicui nouum malum infligatur, quàm vt à nouo lucro captando dumtaxat impediatur, vt colligitur ex l.Iuris ignorantia, & aliquot ſequentibus D. De iuris & facti ignorantia, quæ dicitur ibi excuſare diuerſis in caſibus ad vitandam pœnam, non ad captandum lucrum; irregularitas autem illa pertineret ad nouum malum; acquiſitio autem beneficij ad lucrum captandum.

Hinc

Digitized by Google

Hinc & collatio beneficij facta excommunicato, ignoranti ſuam excommunicationem eſt inualida, vt tradit Gloſſa ad Capitulum Apoſtolicæ, de Clerico excommunicato, & Couar in Capitulum Alma, parte 1. §. 7. nu. 3. & alij ſuprà citati: ſic tamen in celebrando non efficitur irregularis.

Imò Henriquez De excommunicatione, cap. 19. Leſſius cap. 35. dub. 27. & Mald. cap. 3. dub. 18. exiſtimant prædictam retro-tractionem non operari aliquem effectum, qui teneat in foro conſcientiæ, ſed tantum in foro externo, quare ſentiunt non teneri eum ad reſtitutionem fructuum perceptorum ante pretium, ſimiliter neque ad dimittenda beneficia, quæ intermedio tempore legitimè acquiſiuit, in quam opinionem etiam inclinat Suarez cap. 57. nu. 56. præſuppoſito quod ab initio collatio non fuerit irrita & nulla, prout Nauar. & alij docent. Verùm oppoſitum magis videtur habere communis ſenſus Doctorum, magiſque conforme eſt ſtylo Curiæ, & ſeruit Canonum robori & fini, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

114 DICO Tertiò: Simonia realis circa ordines, beneficia, aut circa ingreſſum religionis, quæ ſcilicet poſt conuentionem explicitam aut implicitam eſt vtrimque completa in totum, aut ſaltē vtrimque ex aliqua parte, inducit reſpectiuè pœnas iuris ſuprà mentionatas, & ſingulis ex illis reſpectiuè conſtitutas. Eſt communis DD. ſententia.

Dico in totum vel pro parte, ſatis enim eſt ad pœnas incurrendas, quòd res ſpiritualis ſuper qua eſt conuentum pro aliqua parte ſit tradita, & pretium ſimiliter pro aliqua parte ſit numeratum, etiamſi nō vtrimque in totum ſint omnia tradita de quibus conuentum eſt, vt docet Nauarrus ſup. c. 23. n. 105. & alij.

Probatur autem concluſio, quia Pontifices & Canones ſupra allegati, conſtituunt pœnas præfatas ipſo facto incurrendas ab illis qui dando vel recipiendo ſimoniacè ordines, beneficia aut ingreſſum ad monaſterium conſequuntur, aut reſpectiuè conferunt vel in eis cooperantur: ergò tunc ſaltem cenſeri debent pœnæ illæ incurri quando eò ventum eſt quod actualiter & realiter hinc inde partes ſimoniam complent, ſic vt vnus cœperit pretium ſoluere, & alter rem ſpiritualem pro pretio tradere, neque enim magis anguſtè poſſunt leges illæ intelligi.

115 DICO Quartò: Simonia conuentionalis quæ eſt confidentiæ, vt loquuntur DD. quando ex vna parte eſt realiter completa, puta quando beneficium eſt collatum aut alteri reſignatum in confidentiam, prout hoc ſup. dub. 17. explicuimus, Inducit quoque indubitatè ipſo facto varias pœnas iuris etiam antequam is qui beneficium in confidentiam accipit, illud reſignet in tertium, vel in collatorem.

Eſt communis omnium doctrina, & ſatis conſtat ex Bullis Pii IV. & Pij V. contra hoc genus ſimoniæ editis, quæ habentur in 7. decretalium Petri Matthæi. Prior incipit: Omnes & ſingulas: poſterior autem frequentibus inprimis.

Itaq; tales ſimoniaci ſi Cardinales aut Epiſcopi aut Prælati fuerint, incurrunt pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; alij autem non Prælati incurrunt ipſo iure excommunicationem Papalem ſiue Pontifici reſeruatam.

Recepta autem ſic beneficia ab initio vacant ipſo iure, & reſeruantur collationi Pontificis: fructus autem ſi qui ceſſerint, reſeruantur Cameræ Apoſtolicæ, ſic vt in vtroque foro reſtitui debeant tum ab ipſis ſimoniacis, tum ab illorum hæredibus, ſi iſti reſtituere neglexerint.

Præterea incurrunt priuationem reliquorum beneficiorum quæ prius obtinuerunt, ac etiam penſionum.

Circa hanc verò pœnam notat Suarez 116 lib. De ſim. cap. 43. n. 13. quod non cenſeatur ſic ipſo facto incurri, vt quis teneatur ſeipsū ſpoliare beneficijs prius legitimè obtentis, donec condemnetur ſaltem per ſententiam declaratoriam criminis, quia iuxta regulam generalem & communiter receptā, quando iura in pœnam priuant aliquem re ſua, non obligatur ad executionem, ante ſententiam, quia ſic Epikia ſolent iura explicari in fauorem humanæ infirmitatis. Secus, inprimis eſt de beneficijs per ſimoniam obtentis, quia ex quo ſunt nulliter obtenta, & ſic nō ſint eius qui obtinuit, hinc obligatur in conſcientia ſtatim illa dimittere ante omnem ſententiam, vel monitionem, vt ex ante dictis ſatis conſtat. Deinde aliter ſe res habet quoque quoad pœnas cenſurarum, quia iſtæ ſtatim incipiunt habere effectum ſuum: nam licet (inquit Suarez) fortaſſe idem ſit verbum legis, vt puta, ipſo iure aut ipſo facto, tamen accommodatur pœnæ ſecundum capacitatem.

Denique inhabilitatem incurrit, tum ad illud, tum ad quæuis alia: conſtat hoc ex Bullis allegatis.

Dixi, quando vna ex parte eſt completa, quia ſi tantum contractus eſſet initus de conferendo beneficio aut de præſentando ad illud cum onere quod is cui fiet collatio, vel cui præſentatio dabitur, poſtea illud reſignabit alteri, & præſentatio nondum ſit data, non efficientur cōtrahentes prædictis pœnis obnoxij, vt indicat Nauarrus libro 5. Conſilio 10. de ſimonia, & docet Suarez cap. 43. nu. 14. quod ex ipſis Pontificum verbis ſatis poteſt intelligi, vtpotè qui loquuntur de illis, qui reſignauerint vel contulerint

tulerint beneficia in confidentiam, non autem de illis qui tantum fecerint contractum de taliter reſignando aut conferendo.

DVBIVM XXIII.

Vtrùm ſimoniacè acquiſita debeant reſtitui aut dimitti?

117 RESPONDEO & DICO Primò: Qui ab aliquo accipit pretium pro re ſpirituali quam ex iuſtitia tenebatur illi gratis conferre aut miniſtrare, is iure naturali & diuino obligatur ad illius pretij reſtitutionem. Eſt doctrina communis, & per ſe clara, quia ille exigendo pretium non tantum contra virtutem religionis, cui ſimonia aduerſatur, peccauit, ſed etiam iuſtitiam commutatiuam violauit, vti per ſe conſtat.

Hinc Epiſcopi & Parochi quibus aſſignata eſt congrua ſuſtentatio, tenentur ad reſtitutionem ſi pro Sacramentorum adminiſtratione mercedem aliquam contra Eccleſiæ conſuetudinem, exigant & accipiant.

Neque videntur hi alio iure poſitiuo ſeu Canonum aliàs peculiariter ad reſtitutionem conſtringi aut obligari.

Similiter Prçlati Eccleſię qui vendunt beneficia aut officia ſpiritualia, quorũ non ſunt domini, ſed diſpenſatores: quia qui vendit rem nõ ſuã contra voluntatem domini, iure diuino & naturali obligatur ad reſtitutionẽ. Sicuti œconomus qui habet certa bona domini ſui gratis diſpenſanda indigentibus, teneretur ad reſtitutionẽ ſi pro illis acciperet pretium, ſimiliter ſi haberet poteſtatem dandi gratis aliqua officia inferiora ad ſeruitium domini, peccaret contra iuſtitiam & teneretur ad reſtitutionem ſi pretium pro iſtis acciperet. Ita Suarez cap. 59. n. 13. & cap 60. nu. 3. addit pecuniam acceptam pro venditione beneficij eſſe reſtituendam ante omnem ſententiam.

Quæret aliquis, Quid ſi Sacerdos non Parochus, aut Epiſcopus non proprius acceperit pretiũ pro Sacramentis aut Sacramentalibus ab eo cui non tenebatur ex officio adminiſtrare, vtrùm talis ad pretij reſtitutionem obligabitur?

Reſpondetur affirmatiuè, quatenus accepit pro ſpirituali vti tali, quia tametſi ex officio non teneatur huic adminiſtrare, tamen ius non habet pro adminiſtratione ſpiritualium exigendi pretium aliquod, & ideò quia ſine iure pretium extorquet, hinc naturaliter ad reſtitutionem obligatur: hoc enim omnibus Eccleſiæ miniſtris eſt commune, quod pro altaris deſeruitura, tantum iure poſſint ex altari viuere, ſiue illa exigere, & accipere quæ requiruntur ad ipſorum ſuſtentationem: & tanquam talia accipere.

Dixi, quatenus accipit pro ſpirituali vt tali: quia non improbabiliter exiſtimat Suarez ſup. nu. 15. quod ſi quis venderet ſiue de pretio conueniret, & acciperet pro eiuſmodi actione, non amplius quã materialis eius labor valeret abſtractus à ſpiritualitate, & conſideratus ac ſi eſſet merum corporale ſeruitium, quod talis ad reſtitutionem illius pretij non teneretur, quamuis illa venditio ſimpliciter eſſet ſimoniaca: quia in facto interuenit æqualitas inter actionem illam materialiter ſpectatam, & inter pretium quod pro illa datum eſt. Nam licet actio illa etiam materialiter non poſſit vendi propter ſpiritualitatem adiunctam, tamen retinet ſuam materialitatem, ipſaque non amittit quoque ſuam æſtimationem, quamuis actio illa non poſſit ſimpliciter in æſtimationẽ venire, non quod fieret iniuſtitia, ſed quia peccaretur contra Religionem.

DICO Secundò: Qui ſimoniacè beneficium eſt conſequutus, tenetur illud dimittere iure ſaltẽ poſitiuo Eccleſiaſtico. Similiter qui ad monaſterium habuit ſimoniacum ingreſſum, compellitur ab eo egredi, & qui ſimoniacè conſequutus eſt ordines, etiam quodammodo debet illos dimittere, quatenus de iure ſuſpenditur ab eorum exercitio. Conſtant hæc ex dictis ſup. dub. 19. 26. & 21. ex quibus etiam plenius poterunt omnia illa intelligi. 118

DICO Tertiò: Qui pretium acceperunt pro beneficio quod in alterum reſignarunt, vel alteri contulerunt, aut pro ingreſſu religionis, tenentur ſimiliter ad pretij reſtitutionem.

De pretio accepto pro beneficijs, colligitur ex Capitulo De hoc autem, de ſimonia, vbi Pontifex ſcribit Archiepiſcopo Toletano, quod debeat etiam Regem & Principes inducere, vt ſi quæ receperint ab Epiſcopo Exonienſi vt eius electioni præſtarent aſſenſum, ea ſine diminutione reſtituant Eccleſiæ Exonienſi, cum illa ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint, item ex Capitulo Audiuimus, eodem titulo. V. Epiſcopi qui referebantur, non permittere inſtitui nouos Rectores in Eccleſijs, quarum Rectores deceſſerant, donec illis certa pecuniæ ſumma perſolueretur, iubentur exacta reſtituere duplicata. Similiter Capitulo *Si quis dator*, cauſa 1. quæſt. 3, dicuntur illi qui beneficia vendiderint rationis vigore, cogi reſtituere quod iniuſtè receperunt.

Quod autem reſtitui debeat, quod pro ingreſſu religionis fuerit acceptum, patet ex Capitulo Veniens ad nos, De ſimonia, vbi Abbas & Fratres iubentur reſtituere 30. ſolidos quos acceperant, vt quendam ad habitum Religionis admitterent. Idem conſtat ex citato Capit. Audiuimus, eodem titulo.

Et qui-

Et quidem inter omnes Doctores ſatis conuenit, quod prædictæ reſtitutiones debent fieri. Sed inter eos controuertitur tam de pretio accepto, quàm de beneficijs acquiſitis, vtrùm iure etiam naturali & diuino hæc debeant dimitti, & iſtud reſtitui, an iure Eccleſiaſtico tantum?

Priorem partem tenent Adrianus Quod-
119 libeto 9. art. 3. Caiet. quæſt. 100. art. 6. & videtur ibidem fauere D. Thomas: Dom. Soto lib. 9. De iure & iuſtitia, quæſt. 8. art. 1. Ioannes Medina Codice de vſurarum reſtitutione, quæſt. 4. §. ideò videtur, cum alijs nonnullis.

Alteram verò partem docent Nauarrus cap. 23. num. 103. & 104. Toletus lib. 5. cap. 93. Victoria. 2. parte Relectionis, de ſimonia, n. 4. Couar. ad regulam Peccatum, parte 2. §. 8. Siueſt. de ſimonia, quæſt. 20. & alij plures.

In quâ difficultate, hoc inprimis dicendum videtur, quod vitium ſimoniæ per ſe præcisè non inducat neceſſitatem reſtitutionis, quia non aduerſatur iuſtitiæ propriè loquendo, ſed religioni: oritur autem obligatio reſtitutionis tantum ex violatâ, aut violandâ alioquin iuſtitiâ.

Neque ad pretij reſtituendi obligationem inducendam ſatis eſt, quod res ſpiritualis quæ venditur, dicatur non eſſe pretio æſtimabilis, quia hoc non dicitur quaſi nullius ſit valoris, ſed quia ſublimioris valoris eſt, ita vt propter ſuam excellentiam ſuperet omne temporale pretium, neque abſque eius vilipendio poſſit quaſi æquiparari eiuſmodi pretio.

Vnde, quia eminenter continet valorem pretij, hinc non oritur inæqualitas iuſtitiæ, ex eo præcisè, quod pretium recipiatur pro re tali, quemadmodũ licet fama & vita hominis liberi dicantur nõ æſtimabilia pretio, tamen quando pretio compenſantur, non naſcitur iniuſtitia.

Hinc conſequenter dicendum videtur, quod qui beneficium poſſidebat, & illud pro pecunia reſignauit, non teneatur iure naturali ad pretij reſtitutionem: non enim in eo apparet læſio iuſtitiæ, cum & titulus ſit ſupra pretium & ius ad fructus nudè ſpectatum ſit pretio æſtimabile, & vtrumque ad ipſum reſignantem pertinebat. Ad quod accedit quod patiatur ex reſignatione temporale incommodum, cuius compenſationem etiam ex contractu exigere, non repugnat naturaliter iuſtitiæ.

Idem videtur dicendum de Abbate & conuentu: quando pro pretio dant alicui habitum, & ius monaſterij, quatenus ſaltem penes illos eſt dominium bonorum monaſterij, quorum faciunt eum participem quem ita recipiunt.

Quod verò attinet ad collatores beneficiorum ſatis apparet probabile, quod illi iure naturali & diuino teneantur ad reſtitutionem pretij, ſi aliquod pro beneficijs acceperint, ſicuti etiam iam paulò ante diximus. Quia non ſunt domini beneficiorum, neque quaſi domini, ſed tantum diſpenſatores, vt ea conferendo idoneis perſonis, prouideant benè Eccleſijs de bonis & dignis miniſtris, & ordinariè ſatis amplam habeant ſuſtentationem ratione muneris Eccleſiaſtici cui collationes ſunt annexæ, ſic vt non appareat hic iuſtus aliquis titulus, quo poſſint exigere, & accipere aliquid pro beneficijs quæ conferunt.

Quod denique attinet ad ipſa beneficia ſimoniacè acquiſita, non videntur illa ex iure 120
naturali debere dimitti, quia abſtrahendo à iure Eccleſiaſtico, apparent etiam illæ collationes omni ex parte validæ: nam in collatore fuit poteſtas, & voluntas conferendi beneficium, v. g. Petro ſi tantùm pecuniæ dederit, & Petrus eſt capax quantum eſt de iure naturali ac habuit voluntatem acceptandi: ergò verè acquiſiuit dominium, aut quaſi dominium ipſius beneficij, & proindè iure naturali non obligabitur illud à ſe abdicare.

Neque refert quod interceſſerit modus aliquis conferendi iure diuino prohibitus, quod ſcilicet non gratis ſit collatum, quia propter illius neglectum, non apparet collatio irrita: quemadmodum ſi dominus aliquis diſpenſatori ſuo committeret bona diſtribuenda gratis in perſonas dignas, non ideò foret irrita donatio alicui facta, quia diſpenſator exegiſſet munus aut pretium aliquod, quodque hic perſoluiſſet, modò alioquin qualitates haberet debitas & conuenictes: licet ipſe talis œconomus obligaretur ad reſtitutionem pretij quod accepiſſet, ſicuti iam antè diximus, quia quaſi vendidiſſet rem non ſuam, quam ex voluntate domini, debebat gratis dare.

DVBIVM XXIV.

Cui fieri debeat reſtitutio pretij ſimoniacè accepti.

RESPONDEO & DICO Primò: Si quis pretium acceperit pro benefi- 121
cio, vel alia re ſpirituali conferendâ, vel adminiſtrandâ, & tamen non contulit ei vel non adminiſtrauit, tenetur iure naturæ illud reſtituere ei à quo accepit. Ita docent Caiet. V. Simonia, Soto lib. 9. q. 8. art. 1. à Victoria relectione, De ſimonia, parte 2. & plerique alij recentiores. Colligitur ex Capitulo Dilectus, De ſimonia, vbi Archidiaconus iubetur reſtituere pretiũ illi à quo acceperat, propter pollicitationem ſimoniacam, quam non

non fuerat exequutus, Couar. tamen ad Regulam Peccatum, parte 2.§.2. nu.7. putat eſſe erogandum in pios vſus, ſed argumenta eius non videntur amplius oſtendere quàm quod qui dedit non haberet actionem repetendi in foro externo.

122 Dico Secundò: Si beneficium vel res ſpiritualis ſit quoque tradita, ſic vt vtrimque completa ſit ſimonia, tunc pretium eſt reſtituendum Eccleſiæ, ſi quæ ex illa ſimonia ſit paſſa diſpendium, aut erogandum in pios vſus alios etiam ante ſententiam Iudicis. Colligitur ex Diuo Thoma ſupra q. 32. art. 7. vbi docet pretium ſimoniacum non eſſe reſtituendum danti, ſed erogandum in eleemoſinas, quod & habet q.62.art.5.ad 2. Syl. Verbo Simonia quæſt.2. Caiet. V. Simonia, à Victoria, parte 2. Relect. De Simonia num. 6. Nauarr. cap. 17. num. 36. Couarr. ſup. & alij communiter contra Soto ſup.7. quæſt.8.art. 1. quoad poſteriorem partem, qui putat pretium ante ſententiam Iudicis eſſe reſtituendum danti, ſed poſt ſententiam illi cui Iudex adiudicauerit, ſed aliorum opinio probabilior eſt, & Canonibus conformior: nam Capitulo De hoc autem, de ſimonia monetur Archiepiſcopus, vt inducat Regem & Principes ad reſtituenda Eccleſiæ Exonienſi ea quæ ſimoniacè forſitan receperant, ſimiliter Capitulo Audiuimus eodem titulo, iubet Pontifex duplicata reſtitui quę ſimoniacè erant accepta: idque in vtilitatem (addit) aliorum in quorum fuerint ſoluta diſpendium.

Ratio reddi poteſt, quia quando Eccleſia venditorem rei ſacræ facit incapacem pretij ſeu dominij eius, & mandat vt reſtituat, non intendit vllo modo per hoc ſubleuare emptorem qui beneficium eſt conſequutus, aut illi prodeſſe, quod fieret tamẽ ſi ante ſententiam oporteret illi reſtituere, quare id dicendum non eſt.

Neque refert, quod forſitan apud emptorem qui pecuniam dedit, remanſerit dominium, vt Soto prætendit, quia hoc ipſo quo venditor illam in pias cauſas iuxta Eccleſiæ conſtitutionem erogat, cenſetur illo iure per Eccleſiam priuari iuſtis ex cauſis, vti conſtat.

Suarez tamen cap. 68. nu. 8. negat ius ſiue dominium pretij manere penes emptorem, quia dans voluntatem habuit & habere debuit abdicandi à ſe dominium illius ex vi contractus, & transferendi illud in alium: Eccleſia autem licet impediuerit dominij conſecutionem in recipiente, non tamen reſtitit abdicationi alterius: ſed potius acceptauit illam in pœnam eius, & applicauit ius illius, Eccleſiæ quæ eſt paſſa detrimentum ſiue Eccleſiæ in qua eſt beneficium circa quod ſimonia eſt commiſſa, vt ſumitur ex D. Thoma, quæſt. 100. art. 6. ad 3. & approbat Suarez ſup. & alij communiter.

Dico Tertiò: Fructus percepti ex beneficio ſimoniacè acquiſito, ſunt reſtituendi etiam ante ſententiam Iudicis, vtpotè ex re non ſua percepti malâ fide, vt ſupra latiùs oſtendimus. Debent autem reſtitui vel ærario cameræ Apoſtolicæ, vnde ſuper illis cum Pontifice poteſt fieri compoſitio, vel debẽt reſtitui Eccleſiæ aut conuerti in pios vſus, vt docet D. Thom. quæſtione centeſima, articulo 6. ad 4. 123

TRACTATVS VIII.

DE RELIGIONE.

1 Poſtquam egit D. Thom. de ijs quæ ad iuſtitiam propriè & ſpecialiter dictam pertinent, pergit tractare de quibuſdam virtutibus iuſtitiæ annexis, quas vocat eius partes potentiales, & tales quæſt. 80. enumerat octo, ſcilicet, Religionem, Pietatem, Obſeruantiam, Veritatem, Gratiam, Vindicationem, Liberalitatem, & Amicitiam, ſeu affabilitatem.

Docet autem eas iuſtitiæ annexas, quia illæ virtutes dicuntur alicui principali adiungi ſeu annecti, quæ cũ principali in aliquo conueniunt, & tamen ex altera parte deficiunt in aliquo ab eâ, ſiue à perfectâ eius ratione: Enumeratæ autem quandam habeat cum iuſtitia communicationem, quatenus ſcil. omnes illæ ſuo modo ſunt ad alterum: Religio enim eſt ad Deum, pietas ad parentes, & ſanguine iunctos, obſeruantia ad illos qui virtute ſunt præſtantes, veritas ad alterum eſſe dicitur, quatenus hæc præſtat, vt quis in verbis & factis ſe erga proximum exhibeat talem, qualis intùs eſt: gratia autem & vindicatio ſunt ad alterum, quatenus recompenſant alicui

alicui ſecundum ea quæ fecit, ſiue in bonis, ſiue in malis: Similiter quoque liberalitas & affabilitas circa alios exerceri ſolent.

Non obtinent tamen perfectam iuſtitiæ rationem, nam tres priores ab illâ deficiunt, quia non ponunt perfectam æqualitatem inter rationem debiti & eius præſtationem ſeu ſolutionem, quia Deo, parentibus, & virtuti non exhibetur tantum, quantum merentur, aut eis debetur, vt D. Thom. citato loco oſtendit: reliquæ autem quinque deficiunt, quia non ſupponunt ſtrictam iuris obligationem erga eos ad quos dicunt ordinem, ſed obligatio reddendi naſcitur ex generali dictamine rationis, quæ dictat actus illos de neceſſitate, aut ſaltem de conuenienti circa eos eſſe exercendos: v. g. non obligor ſtricto iure iuſtitiæ, huic homini vt in dictis & factis me illi exhibeã talem qualis ſum, quod eſt officiũ veritatis, ſed obligor per præceptum quo prohibeor mentiri aut falſum ſimulare, & ſic de cæteris.

CAPVT PRIMVM.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Religio?

2 RELIGIONIS rationem inueſtigat D. Tho. quæſt. 81. per quinque potiſſimum articulos: explicat autem art. 1. ante omnia diuerſas huius nominis Ethymologicas rationes.

Primò itaque refert religionem ſecundum quoſdam deriuari à relegendo, eò quod illa quæ ad Dei cultum pertinent animo ſint ſæpe reuoluenda & quaſi relegenda: iuxta illud Prouer. cap. 3. *In omnibus vijs tuis cogita illum*, ſcilicet Deum, & pro hac explicatione citat Iſidorum libro 16. Ethymologicarum cap. 17. qui eam ex Cicerone libro 2. de natura Deorum accepit.

Iuxta alios verò dicit nomen Religionis deriuatum à reeligendo, quia per Religionem, Deum reeligimus quem per peccatum abiecimus; quam nominis rationem indicat D. Aug. libro 10. de ciuitate cap. 4.

Secundum alios denique deriuatur à religando, quia ſcilicet nos Deo alliget & aſtringat. Ita exponit Lactantius libro 4. diuinarum Inſtitutionum, cap. 28. & D. Hieronymus in caput 9. Amos, & conſonat quod D. Tho. allegat ex D. Auguſtino, De vera religione, religet nos religio vni omnipotenti Deo: & hæc nominis deriuatio videtur pluribus placere.

Ex omnibus autem concludit D. Tho. art. 1. religionem dicere ordinem ad alterum, ſcilicet Deum, ſiue interim inquit, religio dicatur à frequenti relectione eorum quæ Dei ſunt, ſiue ab iteratâ electione eius, ſiue à religatione: Omnes enim iſtæ ethymologicæ rationes important propriè ordinem ad Deum vt per ſe patet.

Definit itaque religionem D. Aug. libro 83. qq. quæſt. 31. ex Cicerone, quod ea ſit virtus quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ quam diuinam vocant; cultum cæremoniãque adfert.

Planius autem definitur à Scholaſticis, quod ſit virtus quæ debitum cultum Deo tanquam primo principio creationis & gubernationis omnis creaturæ exhibet: ſiue quæ voluntatem ad cultum illum Deo exhibendum inclinat. Poteſt colligi ex illis quæ D. Tho. quinque articulis primis quæſtionis citatæ diſputat & reſoluit, & ex dicendis magis conſtabit. 3.

Loco generis ponitur virtus, quia religio benè ſubiectum ſuum in ordine ad operandum diſponit; & opus eius in quantum ab illa procedit, eſt bonum & laudabile: in quibus virtutis ratio conſiſtit. Declaratur, quia bonum & laude dignum eſt Deum colere, ad quam operationẽ religio hominem diſponit: vnde Suarez tom. 1. lib. 3. De Religione, dicit certum eſſe quod eſſentialiter ſit virtus, & docet D. Tho. quæſt. 81. art. 2. quem alij ſequuntur: reliqua per modum differentiæ in deſcriptione Religionis adijciuntur.

Dicitur autem quæ cultũ exhibet, id eſt, quæ inclinat habentem ad exhibendum cultum: vbi cultus idem eſt quod honor cum quadam noſtri ſubmiſſione exhibitus: addo cum quadã noſtri ſubmiſſione, quia id cultus ſiue colere amplius includit, quã honorare: vnde licet Deus dicatur quoq; honorare Sanctos ſuos, iuxta illud Chriſti Ioannis cap. 12. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus*, non tamen dicitur eos colere, quia nullo modo ſe illis ſubmittit.

Additur Deo debitus, quia cum Deus infinitæ, ſit excellentiæ ſecundum omne genus perfectionis, & eâ ratione ſit primum principium à quo res omnes creatæ habent eſſe, moueri, viuere, intelligere reſpectiuè, atque adeò principium omnis boni quod in eis eſt, ſiue naturale ſit, ſiue ſupernaturale, hinc inprimis ipſe peculiari honore præ omnibus

omnibus creaturis dignus eſt: & inde in creaturâ rationali quæ id apprehendere & conſiderare valet, naſcitur quoddam debitum, vt eximium iſtum honorem, quo Deus præ omnibus dignus eſt, illi deferat, & in ipſo Deo inde eſt ius quoddam, eum à creaturâ rationali exigendi.

Quemadmodum enim Principi propter eminentiam principatus ſui à quo dependent quodammodo tranquillitas & fœlix Reipublicæ ſtatus, debetur quoddam honorarium tributum, quo ſubditi eius dignitatem ac beneficientiam, & ſuam ſubiectionem profiteantur, ita Deo propter infinitam ſuam excellentiam à quo omnia noſtra dependent bona naturalia & ſupernaturalia, debetur à nobis, ſingularis quidam cultus veluti honorarius cenſus, quo hoc ipſum cum profunda noſtri ſubmiſſione conteſtemur.

In hoc itaque quod dicitur, debitum Deo tanquam primo principio &c. indicatur quare cultus ille Deo à creatura debitus ſit: naſcitur enim hæc obligatio ex omnimodâ dependentiâ ipſius à Deo. Addunt aliqui, quod infinitæ excellentiæ eſt, vt ſignificetur, quare talis & tantus cultus debitus ſit: verùm ipſa ratio primi principij creaturæ omnis, ſufficienter importat, & declarat ipſum eſſe excellentiæ infinitæ.

4 Hoc interim obſeruandum hic eſt primò, Deum in ſe ipſo dignum eſſe omni honore quem religio defert, etiam per conſiderationem præueniendo rationē actualis principij creaturę, ac beneficientiam eius, quâ ſe actu creaturis communicat, earumque curā habet, eaſq; gubernat, quia honor ille reſpicit infinitam excellentiam diuinæ maieſtatis, quæ noſtro intelligendi modo quaſi coaleſcit ex omnibus diuinis attributis ſeu perfectionibus eius intrinſecis: cultum tamen ſeruitutis noſtræ quo agnoſcamus eum Dominum & nos ſeruos eius, & ſic eum non tantum honoramus, ſed & colimus, tunc demū illi exhiberi, quando cōſideratur vt actu principium creationis & gubernationis rerū creatarum: quod ſumitur ex D. Thom. hic quæſt. 81. art. 3. ad 2. Vnde Suarez tom. 1. De Relig. lib. 1. cap. 6. docet, Quod Deus non tantum ratione ſuæ excellentiæ vt in potentiâ, eſt ad communicandum ſe per productionem creaturæ, ſed vt ſimul de facto ſe communicat & actu eſt principium creaturæ & omnis boni eius, ſit fundamentum Religionis: quia per omnes actus religionis proteſtatur homo & diuinam excellentiam & ſuam ſeruitutem.

5 Obſeruandum Secundò: In exercitio religionis poſſe quatuor actus ſpectari. 1. eſt conſideratio infinitæ maieſtatis diuinæ à qua omnia pendent, quæq; produxit omnia & hominem poſt lapſum mirabiliter, & miſericorditer reparauit: 2. Actus eſt conſideratio noſtræ paruitatis ac vilitatis aut potius noſtri nihili, quod nihil à nobis ſimus, nihil à nobis habemus præter culpam, ſed omnia à Deo. 3. eſt profunda hominis ſubmiſſio & inclinatio coram & ſub Deo. 4. eſt eiuſdem ſubmiſſionis exterior proteſtatio quæ diuerſis modis poteſt fieri, vt verbis, geſtu corporis, muneris oblatione, beneficiorum petitione, aut ſimili ratione. Primus & ſecundus actus non ſunt propriè actus religionis, ſed ſupponuntur tanquam fundamentum aliquod: tertius eſt actus religionis interior, qui etiam in Angelis reperiatur, & includit quodammodo duos actus, vnū voluntatis qui eſt affectus reuerentiæ & cultus diuini, quo honoraria ſubmiſſio eſt volita, & hic eſt actus proprius & immediatè elicitus à virtute religionis, alterū intellectus quo eadem honoraria inclinatio ac ſubmiſſio pręſtatur, & quaſi executioni mentaliter mandatur: qualis actus dici poteſt fuiſſe illa inclinatio Seraphin apud Iſaiam cap. 6. quâ alter ad alterum deſcribitur clamare velando faciem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabath, plena eſt omnis terra* &c. Quartus denique actus, videlicet exterior illa ſubmiſſio eſt proximè ſignum internæ ſubmiſſionis; nam vt ait D. Aug. lib. 10. de Ciuitate cap. 5. Viſibile Sacrificium inuiſibilis ſacrificij eſt Sacramentum, id eſt ſacrum ſignum: remotè verò etiam eſt ſignum & proteſtatio diuinæ excellentiæ & noſtræ ab ipſo dependentiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm religio ſit virtus & vna?

RESPONDEO & DICO Primò: Religio propriè & ſpecialiter dicta, vti eam nunc deſcripſimus, eſt virtus vna. 6
Ita docet D. Tho. quæſt. 81. art. 3. Sed difficultas mouetur, vtrùm ſit virtus ſimplex & vna ſecundum ſpeciem infimam, an verò tantum vna genere, vel tantùm ſecundum quandam compoſitionem, & coordinationem plurium in ordine ad vnum. Suarez in 3. partem tomo 4. diſputatione 7. Sectione 2. n. 5. Sentit religionem non eſſe vnum aliquem habitum, neque aliter dici poſſe vnam virtutem, niſi intelligendo vnam genere, aut vnam ſolùm per collectionem plurium habituum inter ſe habentium quandā affinitatem in ordine ad honorem Dei integrè & ex omni parte ſeruandum, & debitum cultum ei deferendum. Quemadmodum iuxta multorum ſententiam phyſica aut metaphyſica dicitur eſſe vna ſcientia.

Verùm D. Thom. ſupra, aſſerit ſimpliciter eſſe

ter eſſe vnã virtutem: & probat, quia vnum habet obiectum formale, quod eſt cultus debitus Deo, vt principio primo creationis & gubernationis rerum creatarũ, iuxta illud Malachiæ cap. 1. *Si ego Pater veſter, vbi honor meus*: patris enim (inquit D. Th.) eſt producere & gubernare. Neque refert quòd in Deo ſint diuerſæ rationes attributorũ, quia etiam hæ, inquit D. Th. concurrunt ad rationem primi principij: Deus enim producit omnia, & omnia gubernat ſapientiã, voluntate & potentiã bonitatis ſuæ, vt habet ibidẽ D. Th. atq; adeò omnes illæ rationes ſimul quaſi complent infinitam excellentiã diuinę maieſtatis, cui cultus religionis defertur.

7 Ex quibus ſatis liquet religionem ex mente D. Thomæ eſſe habitum ſimplicem & ſpeciem infimam quandam in genere virtutum: & ita D. Thomam intelligunt, & ſequuntur Caiet. Atragon. à Valentia, Tannerus, tomo 3. diſput. 5. De religione, qu. 1. dub. 2. n. 35. & plures recentiores.

Neque obſtat, quod multi & diuerſi ſint actus religionis, vt honorare, ſeruire, vouere & reddere, ſacrificare, orare, gratias agere. Nam inprimis vno eodemque actu honorat quis Deum, & ſeruit illi, quia ſuam dependentiã ab eo recognoſcendo Deũ honorat, & ſuam agnoſcit ſeruitutem, ad iſta autem duo pertinent alij omnes actus qui religioni attribuuntur, inquit D. Thomas art. citato ad 2. quia per omnes proteſtatur homo diuinam excellentiam, & ſubiectionem ſuam ad Deum, vel exhibendo aliquid ipſi in recognitionem, vel ab eo petendo & accipiendo quod ſibi eſt neceſſarium.

Quamuis ergò actus aliqui religionis dici poſſent ſpecie diſtingui ſecundum particulares quaſdam rationes ſeu modos, tamen non ideò neceſſum eſt admittere plures & diſtinctos habitus religionis; quia vnus idemque habitus poteſt voluntatem inclinare in omnes illos ſub vna ſpecifica formali ratione, ſcilicet ſub eâ quâ ſunt cultus debitus aut conueniens Deo tanquam primo principio infinitæ excellentiæ, à quo ſunt & dependent omnia creata in fieri & in conſeruar: quæ ratio eſt quaſi vltima forma omnium iſtorum actuum, vt propriè & ſpecialiter ſunt actus religionis.

Hinc Suarez tomo 1. De religione, lib. 3. cap. 8. penitius iſta conſiderans, & quia ſine neceſſitate non ſunt habitus multiplicandi, ſatis in hanc ſententiam inclinat & docet probabiliter defendi poſſe religionem eſſe vnam & ſimpliciſſimam virtutem quæ omnes illos actus exercet: quod certè de virtute per ſe infuſa faciliùs, inquit, defendi ac credi poteſt, quia non acquiritur per actus, neque tantum dat facilitatem operandi: ſed eſt quaſi potentia, quæ faciliùs admittit ſpecificam aliquam diſtinctionẽ in ſuis actibus. Vnde conſequenter rem magis explicat & addit: infunditur autem hæc virtus per ſe primò ad dignè, & cum debita reuerentia tractanda omnia quæ ad exhibendam Deo ſeruitutem illi debitam ratione ſuæ excellentiæ & ſupremi dominij pertinent, in quo obiecto & fine videtur eſſe ſufficiens vnitas vt virtus ipſa, vna ſit, maximè quia tota illa varietas quæ eſt in actibus huius virtutis habet connexionem quandam ratione vnitatis diuinæ excellentiæ, quæ tota in quolibet illorum actuum ſemper attenditur.

Hinc neque obſtat, quod cõſiderari poſſit alia ratio debiti quod oritur ex beneficio accepto, alia ratio debiti quod naſcitur ex promiſſo vel voto, alia deniq; ratio debiti quod per ſe oritur ex ratione ſupremæ excellentiæ; nam etiam quando Deo gratiæ aguntur ex religione, habetur ratio diuinæ excellentię, & cauſâ illius intelligitur ei ſingulari modò eſſe debita animi gratitudo. Vnde ſi ſolã honeſtatem grati animi quis ibi ſpectare vellit, non oportebit ad aliam virtutem recurrere quàm ad communem rationem gratitudinis: ergò vt eleuetur reſpectu Dei, neceſſariò debet attendi infinita excellentia eius qui beneficium contulit: atque ita naſcitur quædam gratitudo reddens honorem Deo, & reuerentiam diuinę eius excellentię, & ſic iam operatur ibi religio. Idem cum proportione dici poteſt, quando redduntur Deo promiſſa, quod & tunc attendatur infinita excellentia eius, cui promiſſio facta eſt; alioquin quoque actus illi non viderentur requirere aliam virtutem quàm communem virtutem fidelitatis. 8

DVBIVM III.

Vtrùm Religio ſit virtus ab alijs diſtincta?

RESPONDEO & DICO Primò: Hęc virtus religionis, eſt virtus diſtincta ab alijs virtutibus. Ita docet D. Th. q. cit. art. 4. & 5. quem ſequuntur Commentatores: & alij Scholaſtici in 3. diſt. 9. idẽ quaſi ſupponunt. 9

Declaratur, quia à virtutibus quæ rectè diſponunt hominem tantummodò in ſe ipſo, vt, v. g. à temperantia, & fortitudine differt religio, quod hæc rectè componat hominem ad functiones quæ in alterũ tendunt, videlicet in Deum, ad reddendũ ſcilicet illi debitum honorẽ & cultum, ſicuti iam explicatum eſt: vndè & in eo differt ab illis quæ rectè diſponunt hominem in ordine ad proximũ, vt à iuſtitia ſtrictè accepta, & à miſericordia, quatenus intelligitur eſſe particularis virtus, quòd ſcilicet hæ diſponant ſuppoſitũ ſuum benè in ordine ad alterum hominem, illa autem in ordine ad Deum.

Diſtinguitur quoque à virtutibus tribus Theologicis fide, ſpe, & charitate, vt habetur ex

Digitized by Google

tur ex doctrina D.Thomæ quam tradit art. 4. & 5. & ita tenent communiter Scholaſtici in 3.diſt.9.&cum illis Suarez ſup.lib.3. De relig.cap.2.& alij recentiores.

10 Declarari poteſt, quia obiectum formale proximum religionis eſt diſtinctum ab obiectis formalibus iſtarum virtutum à quibus habituū ſpecifica diuerſitas ſumi ſolet; quia tametſi conſiderari poſſint omnes ſuo modo tendere, vel ordinem habere ad Deum, tamē omninò diuerſimodè Deum reſpiciunt.

Religio namq; reſpicit Deum quatenus propter excellentiam ſupremam, & rationē primi principij rerum creatarum, debetur ei ſupremus honor, & cultus à nobis, tenditque in cultum illum vt obiectum quod volitum: & in Deum vt obiectum cui.

Fides autem imprimis ſpectando illam ſecundum principaliorem habitum, qui eſt in intellectu, attingit proximè Deum in ſe ſub ratione primæ veritatis tum credendo illi, tum credendo illam.

Quod verò attinet ad habitū quem fides requirit in voluntate, etiā ab illo diſtinguitur religio: quamuis enim in aliquibus conueniant, vtpotè in eodem ſubiecto proximo, item in eo quòd tam habitus ille, quā religio attingant aliquo modo Deū tanquā obiectū cui, ac rursū quòd ambo proximè verſentur circa aliquam materiā creatam, ſeu circa aliquem actum humanū, (vnde nec habitus ille voluntatis per ſe eſt virtus Theologica) tamē etiam ſimpliciter in ſe formali ratione differunt, quia pia illa voluntatis inclinatio ſeu affectio quę mouet, & determinat intellectū ad credendū, non reſpicit per ſe in illo actu credēdi, quod in eo ſit honor aut cultus Dei, ſed attendit veritatem infallibilē Dei: quod intelligi poteſt ex iudicio antecedente illam voluntatem quæ intellectum mouet: iudicat enim priùs homo credendum eſſe Deo dicenti, non quia dignus honore & cultu, ſed quia eſt prima veritas, & ipſa ſic teſtificatur.

Vnde etiam in humanis, aliud eſt eſſe fide dignum, quod poteſt competere infimo de plebe, ac poteſt quis velle illi credere, quia verax eſt, etiamſi non cupiat aut debeat illū honorare; aliud verò eſt eſſe dignum honore & cultu ſeu obſeruantia.

11 A virtute ſpei quoque diſtinguitur, quia hæc in Deum tendit tanquā obiectum quod, ſub ratione ſummi boni noſtri, quo plenè ſumus beandi, nō vt ratione excellentię & primi principij, ipſum debitè honoret & colat.

Denique & à charitate, quia hæc in illum mouetur ſub ratione ſummi boni, in ſe ipſo, & ſummè amabilis propter ſe, quæ rationes diuerſæ ſunt ab illa quàm attendit religio.

Dicet aliquis, charitas per amorem quo in Deum tendit, vult illi omne bonū, non tantū ea quæ ipſi intrinſeca & eſſentialia ſunt, ſed etiam externa, quæ maximè conſiſtunt in honore & cultu, adoratione, gratiarum actione, & in ſimilibus: atqui affectus ſeu voluntas exhibendi Deo talia ſpectat ad religionē: ergò nomine religionis non videtur ſignificari virtus diſtincta à charitate, ſed ipſa charitas ſub aliquo inadæquato charitatis cōceptu, quatenus ſcil. hæc eſt quędam beneficentia ad Deum, quemadmodū beneficentia erga proximum non eſt virtus diſtincta ab amicitia, ſed ſignificat hanc vt inclinat hominem ad benefaciendum amico.

Reſpondetur Neg. Conſ. & ratio declarari poteſt perſiſtendo in exemplis allegatis, & in cōparatione cum virtutibus humanis: nam eſto quod amicitia humana vel charitas erga proximum ſit benefactiua, velitque bonum proximo, hoc tamen non impedit quo minus iuſtitia aut gratitudo quibus mouemur etiam ad bonum aliquod tribuendum aut impendendum proximo ſint virtutes diſtinctæ à charitate proximi ſeu ab beneficentia in illū: nam amicitia ſiue charitas per ſe primo vult bonum aliquod perſonæ formaliter ac præciſè propter bonum eius, iuſtitia verò intendit proximo reddere ius ſuum: quod quidē licet re ipſa cedat in bonum vel commodū eius cui fit ſolutio, iuſtitia tamen non attendit formaliter hoc bonū vel commodum ſub ea ratione, quia proximo bonum eſt, ſed attendit honeſtatē quæ reperitur in cōſtitutione ęqualitatis, vt quiſque habeat tantum quantum debet habere.

Quandoquidem ergò charitas & religio ſic comparentur ad Deum, ſicuti amicitia & 12
iuſtitia ad proximum, hinc charitas quoque diſtinguitur à religione in dictis actibus in quibus videntur circa eandem aut ſimilem materiam verſari, ſicuti amicitia proximi, & iuſtitia ad ilium: nam quando charitas amat diuini nominis gloriam & honorem, & hæc illi exoptat, hoc procedit ex amicitia & beneuolentia erga Deum, & attenditur honeſtas quæ in eo eſt ſita, quod quis dilecto quē propter ſe eiuſq; amabilitatem diligit, optet & curet bonum illi gratum: Religio autē in Deo honorādo, & in eius cultu promouēdo reſpicit ad diuinam excellentiā, & ad debitū quod inde naſcitur in omni creatura ad reddendum illi honorem & cultum, & proinde hæc attendit honeſtatem ſitam in eo quod Deo tanquam primo principio & infinitæ excellentiæ reddatur quod illi debitum eſt.

Sed contra dicta obijcitur: D. Iacobus cap. 1. dicit, *Religio munda & immaculata apud Deum & patrē hæc eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum cuſtodire ſe ab hoc ſeculo.* D. Auguſt. quoque Enchyridij c.2. & 3. docet à nobis Deum coli fide, ſpe, & charitate: ergò non videtur religio eſſe virtus particularis ab alijs diſtincta, ſed generaliter tantum dicere omnem virtutem & actum bonum, qui Deo gratus ſit.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur Negando Conſequentiam, & ad locum D. Iacobi reſpondet D. Thom. quæſt. 81. citata, art. 1. ad 1. quòd religio duplices habeat actus, alios ſcilicet quos ipſa elicit, alios quos imperat: illos autem quos commemorat D. Iacobus dici religionem, quia religionis ſunt per imperium, quia illos imperat, cum alioquin viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum ſit actus procedens à miſericordia, & ſe cuſtodire immaculatum ab hoc ſæculo ſit actus elicitus temperantiæ, aut alicuius virtutis eiuſmodi: etiamſi verò diſtinctio illa D. Thomæ ſubſiſtat, tamen conformius ad textum poterit dici, quòd nomen religionis aliquando generaliùs accipiatur, quàm vt dicit ſpecialem virtutem: Diuum Iacobum itaque nomine religionis vti generaliùs, prout dicit ſtatum & profeſſionem vitæ Chriſtianæ, ſiue ea quæ ad vitam Chriſtianam ſpectant; quod antecedentia videntur ſatis indicare: præcedit enim, Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio: ibi enim Religioſus non poteſt intelligi à ſola virtute religionis dici, vt ex eo conſtat, quia non refrænare linguam, non eſt contra ſpecialem hanc virtutem, ſed contra religionem vt complectitur omnē virtutem quam profeſſio Chriſtiana poſtulat, vt ſenſus Diui Iacobi ſit, non eſt verus ac bonus Chriſtianus qui in vaniloquia, & obtrectationes diffluit, & opera miſericordiæ negligit: ſed hic verè Religioſus eſt ſecundum religionem ſeu profeſſionem vitæ Chriſtianæ; qui ab illis vitijs ſe continet, & hæc miſericordiæ opera exercet.

Ad verba Diui Auguſtini reſpondet D. Tho. hîc art. 5. ad 1. ideò Auguſtinum dicere Fide, Spe, & Charitate Deum à nobis coli, quia illæ virtutes cauſant in nobis religionem, quæ operatur cultum Dei: cauſant, inquam, tum illuminando, tum etiam imperando actus religionis, non autem quod ſint actus quomodolibet ipſius virtutis religionis, ita vt ſermo Diui Auguſtini ſit cauſalis.

13 In 3. tamen diſtinct. 9. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 3. aliter D. Thomas ad illa verba reſpondet, & dicit Deum actibus fidei, ſpei, & charitatis coli, tanquam actibus quibus religio vtitur ſeu quos imperat ad colendum Deum; quod etiam docet ex communi ſententia veterum Scholaſticorū Vaſquez lib. 1. De adorat. c. 2. nu. 109. & plures alij: poteſt enim etiam virtus inferior aliquando excitare, & applicare virtutem ſuperiorem ad finem ſuum quando ad hunc poteſt ſeruire: virtutes autem illæ in ſe quaſi connaturalē ſibi cultū Dei continent, quas ideò religio ex intentione diuini cultus excitat & applicat. Quod eſt contra Bonauenturam in 3. diſt. 9. art. 2. quæſt. 2. ad 1. & 2. qui exiſtimat actus iſtarum virtutum Theologicarum de ſe non eſſe idoneos, vt ſint cultus quem religio exhibeat Deo, quia non videntur continere notam ſubiectionis ex parte ipſius colentis, neque ſignificationem ac recognitionem diuinæ excellentiæ.

Verùm in eo vt apparet, fallitur Bonauentura, nam omninò eis ineſt ſufficiens fundamentum ex quo poſſint eſſe notæ & teſtificationes, tum noſtræ ſubmiſſionis erga Deum, tum infinitæ eius excellentiæ: quod indicat D. Thomas, quæſt. 81. art. 8. dum tribuit Sanctitati vniuerſaliter poſſe imperare actus omnium virtutum: Sanctitatem autem docet idem eſſe cum religione: & Caiet. ibidē expreſsè id docet de virtutibus Theologicis quod à religione imperari poſſint, & ſequuntur eum Suarez, tom. 1. lib. 3. De religione, cap. 2. n. 11. & à Valent. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 1. parte 2. hoc ipſo enim quo ſic Deo credimus, vt eius auctoritatem omnibus alijs rationibus præponamus, ac intellectum noſtrum ex lege fidei ſub auctoritate eius captiuamus, ſatis fundamenti in actu fidei reperitur, vt per religionem adhibeatur in Dei cultum quo eius excellentiam & noſtram ſubmiſſionem proteſtemur. Smiliter quando ſpes præ omnibus bonis exoptat & exſpectat Deum, tanquam ſummum hominis bonum, accommodata omninò eſt ad eadem præſtanda: idem locum habet in charitate, quando Deum ſuper omnia, & præ omnibus diligit tanquam ſummè amabilem, & digniſſimum omni amore: quare conſtat, neque ex doctrina Diui Iacobi, neque Auguſtini conſequens eſſe religionem ſpecialiter acceptam non eſſe, virtutem vnam diſtinctam, tum ab alijs virtutibus moralibus, tum à Theologicis.

Sed diſputatur: Vtrùm à pietate, obſeruantia, & gratitudine erga Deum religio debeat dici diſtincta? 14

Reſpondetur, à pietate, & obſeruantiâ erga Deum propriè non diſtinguitur. Ita Tannerus tomo 3. diſput. 5. De religione, quæſt. 1. dub. 2. Malderus tractatu 10. De religione, cap. 1. dub. 1. non longè à fine, Leſſius lib. 2. cap. 36. dub. 2. num. 15. & colligitur id ex D. Thoma hîc, quæſt. 106. art. 1. ad 1. vbi dicit religionem eſſe quandam ſuperexcellentem pietatem, item ex quæſt. 101. artic. 1. & quæſt. 162. artic. 1. ad 1.

Declaratur, quia pietas propriè & formaliter eſt virtus quæ reddit debitum cultum parentibus, Deus autem parentis rationem excellentiſſimo modo obtinet, idque etiam ſub ratione principij: non eſt igitur pietas circa Deum virtus à religione diſtin-

cta. Eadē eſt ratio obſeruantiæ circa Deum, quia obſeruantia propriè & formaliter eſt virtus quæ perſonis in dignitate conſtitutis cultum debitum exhibet: quare cum religio cultum exhibeat Deo tanquam infinitæ excellentiæ, non apparet fundamentum, quare obſeruantia erga Deum debeat poni virtus diſtincta à religione.

Quin potiùs ipſa religio dicenda erit eminenter continere pietatem & obſeruantiam quatenus hæ tanquam particulares virtutes verſantur circa parentes & viros eminentes; quemadmodum obiectum ſeu fundamentum religionis continet eminenter rationes iſtarum virtutum.

Quod ad gratitudinem attinet, tametſi D. Thomas, quæſt. 106. loco citato, etiam ſignificet religionem eſſe ſuper excellentem gratitudinem, tamen probabilius eſt, hanc eſſe virtutem à religione diſtinctam. Ita Tann. ſup. n. 40. Malderus loco cit. Ratio eſt, quia formaliter reſpicit debitum quatenus ortum ex accepto beneficio; religio autem non videtur hoc reſpicere, vt obiectum formale, ſed tantum vt conditionem aliquam impulſiuam ad actum ſeu cultum deferendum Deo, ſed reſpicit formaliter debitum ex alio fundamento natum, vt ex dicendis magis conſtabit.

DVBIVM IV.

Vtrùm religio ſit conſtituenda quarta virtus Theologica, an verò ſit dicenda virtus moralis?

15 DEmonſtratum eſt dubio præcedenti, quomodo religio non ſit vna ex tribus Theologicis virtutibus agnitis & receptis apud omnes: ſed dubitari adhuc poteſt, an non ſit ipſa ponenda quarta virtus Theologica, vt cum iſtis collocetur proximè ſub eodem genere Theologicæ virtutis.

Ratio dubitandi inde naſcitur, quia quēadmodum iſtæ tres, ſic & religio videtur tanquam immediatum obiectum ſaltem formale reſpicere Deum, ſeu diuinam perfectionē; à quo reſpectu, ſeu ordine ad Deum virtutes habent, quod ſint Theologicæ: ſicuti enim fides reſpicit Deum vt veracem, atque adeo vt primam veritatē, ſpes eundem tanquam noſtrum ſummum bonū in quod conſequendū tendit, & charitas vt ſummè in ſe bonum & ſummè dignum amore, ita religio verſatur circa illum vt eſt infinitæ excellētiæ in ſe, & vt principiū omnis creaturę. Accedit quod ſit etiam obiectum cui, nam actus religionis deferuntur ipſi Deo, ille enim eſt qui colitur actibus religionis.

16 His tamen non obſtantibus reſpondetur religionem non eſſe ponendam vel agnoſcendam quartam virtutem Theologicam. Ita docet D. Thomas hîc, quæſt. 81. art. 5. ex propoſito: ibidem Caiet. & alij eius commentatores, & ſcholaſtici in 3. diſtinct. 9. quæ doctrina inprimis ſumi poteſt ex communi ſenſu Eccleſiæ, quæ hactenus non ſolet niſi tres virtutes Theologicas, ſcilicet Fidem, Spem & Charitatem agnoſcere & enumerare: de quibus peculiariter dixit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.*

Rationem verò multi conantur deſumere, inquit Suarez tom. 1. De religione lib. 3. cap. 3. ex ſola ratione formali obiecti, quæ debeat eſſe Deus ſub aliqua ratione formali increatâ. Sed hæc non ſatisfacit ipſi Suarez, idque propter priorem rationem dubitandi ante allegatam, quia religio etiam habet pro obiecto formali Deum ipſum, inquit, id eſt, diuinam & increatam excellentiam, quare ſi illud ſufficeret, nihil religioni deeſſe videretur ad rationem virtutis Theologicę. Hinc pleniorem ipſe reddit rationem, qua & ad argumentum reſpondet, & ſimul concluſionem confirmat: Dicit itaque; quamuis eiuſmodi formale obiectum ſit neceſſarium ad virtutem Theologicam, non tamen ſolum ſufficere: ſed oportere, vt etiam immediatè attingat Deum tanquam obiectum quod, quia vt perfectè, & ſimpliciter ſit virtus diuina ſeu Theologica, neceſſe eſt vt vtroque modo Deum attingat: id eſt, inquit, quod in illo nitatur vt obiecto formali, & nos immediatè contingat Deo fini vltimo & primo principio: quod nō conuenit religioni, quemadmodum conuenit Fidei, Spei & Charitati. Declaratur, nā excellentia diuina ita eſt obiectiua formalis ratio religionis, vt tamen non ſit obiectum, quod religio immediatè vult; neque enim ipſa virtus religionis vult illam Deo, neque alteri; quamuis enim homo illam velit Deo, hoc tamen non vult ex virtute religionis propriè dictæ, ſed ex virtute charitatis quæ Deo vult omne bonum, & illi de omni eius bono quaſi congaudet: non vult quoque religio illam alteri alicui, quia increatam excellentiam velle alteri eſſet cōtra omnem rationē & virtutem.

Secus ſe res habet in virtutibus tribus Theologicis: nam inprimis fides quę eſt virtus intellectus, ſic credit primæ veritati, vt etiam credat primam veritatem, & Deum eſſe; charitas quoque ſic innititur diuinæ bonitati in amando tanquam ratione amandi, vt quoque illam bonitatem amet, & velit Deo, atque adeò per ſe primo amet & diligat Deum tanquam obiectum quod: ſimiliter & ſpes circa Deum verſatur, nam diuina bonitas vt hæc nobis bona, ſic eſt ratio ſperandi, vt primo & principaliter ſperemus ac nobis deſideremus ipſum Deum tanquam ſummum

ſummum

Digitized by Google

ſummum quoddam bonum noſtrum , qui ipſum ſperamus. Ex quibus videri poteſt differentia inter religionem, & tres virtutes Theologicas , quoad rationem quâ circa Deum vt obiectum verſantur.

17 Poſſet & alio modo non improbabiliter ad dictam dubitandi rationem reſponderi, quod ſcilicet Deus non tantum non ſit obiectum materiale ſeu obiectum quod , ſed quod neque ipſe , neque aliquod eius attributum ſit obiectum formale , ſiue ſub quo immediatum & proximum : obiectum enim quod, ſiue materiale ſunt actus illi quibus colitur Deus: vnde dicit D.Th.art.5. quòd cultus ſe habet per modũ materiæ & obiecti ad religionem: quia illud eſt obiectum virtutis in quod immediatè ipſa tendit, religio autem tendit immediatè, non in Deũ (non enim facit nos Deum, aut aliquod diuinum attributum velle , vt diximus) ſed tantùm inclinat in Dei cultũ : actus enim religionis elicitus eſt affectus voluntatis ad diuinum cultum quo quis hunc amat & vult: idque proximè ſub hac ratione , quâ ille Deo à creatura rationali eſt debitus: hinc Tann. tom.3. diſp.5.q.1.dub.2. n.16. dicit, quod formalis ratio quam religio in cultu diuino reſpicit, prout hic eſt obiectum eius propriũ & immediatum, ſit ratio debiti cuiuſdam legalis: quod videlicet in nobis naſcitur erga Deũ ex diuina excellentia , & ex ratione primi principij omnis creaturæ: quemadmodum obiectum quod, ſeu materiale iuſtitiæ erga hominem eſt res quam alteri reddimus; ratio autem formalis proxima ſub qua, eſt ipſa ratio debiti , quia inclinat iuſtitia, vt alteri reddamus rem hanc vel illam ſub hâc ratione, quâ ipſius eſt, ſiue quia illi debetur.

Diuina itaque excellentia & ratio primi principij eſt quaſi extrinſeca & remota formalis ratio obiecti religionis, ſeu fundamentum ex quo oritur formalis ratio proxima, videlicet ratio talis debiti. Quemadmodum titulus iuris quod proximus habet in re vel ad rem eſt formalis ratio remota ſeu fundamentum formalis rationis obiecti iuſtitiæ, quæ eſt eſſe debitum alteri.

Neq; refert quod cultus deferatur Deo: non enim ideo ipſe eſt obiectum religionis ſimpliciter & abſolutè loquendo (quamuis idcirco multi dicant ipſum eſſe obiectum remotum , vel obiectum cui , ſub qua conſideratione dicit Tannerus ſup. n. 17. formalem eius rationem eſſe infinitam excellentiam.) Sicuti neque proximus eſt obiectum iuſtitiæ, quia res debita redditur illi.

Et declaratur ratione, quia nulla naſcitur mutatio in actu iuſtitiæ, qualiſcumque demum fuerit ille cui ſuũ redditur , ſiue æqualis, ſiue ſuperior, ſiue inferior, quando debitum in nobis naſcitur ex eodem iure ſiue ex iure eiuſdem rationis omninò.

Quod addo, quia ſecundum diuerſitatem illius iuris, accidere poteſt aliqua variatio in actibus iuſtitiæ , ſaltem quoad ſtrictiorem aliquam obligationem , vt quod debetur ex contractu ex quo creditor nihil lucri captauit, v.g. ex puro mutuo, apprehendunt homines ſtrictius debitum oriri , quàm ex alio contractu in quo creditor fecit quoque ſuũ lucrum: ſimiliter quod debetur in recognitionem dominij fundi , aut perſonæ , dici poteſt eſſe debitum ſtrictius obligans, quàm quædam alia : atque ita etiam actus religionis differunt ab actibus iuſtitiæ particulariter acceptæ , vt ſup. diximus , quia ratio debiti in nobis naſcitur ex ratione ſupereminentiſſimi & excellentiſſimi iuris quod Deo competit in nos , & noſtra omnia.

Interim præciſè ex qualitate perſonæ cui iuſtitia reddit quod ſuum eſt , non oritur mutatio in iuſtitiæ actibus: quod ſignum eſt perſonam cui ſuum redditur , non ingredi rationem obiecti ſimpliciter & abſolutè.

Vnde neque Deus cui debitus cultus defertur, debet dici proximum obiectum religionis, vt ab eo ſortiatur rationem virtutis Theologicæ.

Quinimò , neque actus quibus Deus colitur , attingunt ipſum , prout expreſsè hic art.5.quæſt.81. tradit D. Thom. quemadmodum per actus fidei , ſpei, & charitatis credendo , ſperando & amando attingimus Deum : per actus enim illos inhæremus ei tanquã obiecto eorundem , vt iam breuiter ſupra oſtenſum eſt , ſed Deus actibus religionis colitur, quatenus in reuerentiam eius fiunt , vt habet ibidem D. Tho. vnde & infert, manifeſtum eſſe, quod Deus non comparatur ad virtutem religionis, ſicut materia vel obiectum. Poteſt tamen hic cultus aliquando dici attingere Deum , quemadmodum ſcil. ſignum attingit ſignatum, vt etiam habet Tann. ſup. dub. 2. nu.36. quatenus illi actus ſunt ſigna & teſtificationes diuinæ excellentiæ , aut etiam quemadmodum donatio liberalis attingit eum cui res donatur , qui ſine dubio non eſt obiectum liberalitatis, neque etiam ipſius donationis quæ illi fit , ſic vt ab eo ſortiatur ſpeciem.

Sed contra dicta opponet aliquis: non videtur quod ratio debiti poſſit dici pertinere ad formale obiectum religionis , quandoquidem religio non tantum Deo reddat cultum debitum, ſed etiam multos, vt apparet indebitos , nam colit quis Deum non ſolum ſoluendo promiſſa ſeu vota quæ debet quis reddere Deo, ſed etiam colit vouendo opera alioquin libera, quę promiſſio non erat debita ; rurſum orare non tantum procedit à virtute religionis quando oratio debet fieri , ſed etiam quando ſpontaneè & abſque obligatione fit: ergò ratio debiti non

cadit formaliter in materiam ſeu obiectum religionis, ſed materialiter dumtaxat, & per accidens, quemadmodum cadit in materiam temperantiæ, quæ non minus exercet abſtinentiam voluntariam, quam debitam ſeu præceptam.

18 Reſpondetur negando aſſumptum, nam vt dicit Suarez ſup. lib. 1. cap. 9. communis omnium vox eſt, reddere Deo debitum cultum eſſe proprium & adæquatum munus religionis: id inprimis ſignificat D. Thomas hîc quæſt. 81. in pluribus articulis, vt art. 1. ad 3. vbi illud vocat ſpecialem ſeruitutem ad Deum, conſtat autem ſeruitutem includere debitum, & ad 4. dicit ſpecialem rationem honoris & cultus deberi Deo, cui attendit religio, & art. 2. ait ad religionem pertinere reddere honorem debitum Deo: vbi notat Caiet. hunc eſſe adæquatum actum, ſeu materiam proximam religionis, quod ibidem docet Arrag. & alij paſſim.

Declaratur ratione, quia religio eſt pars poteſtatiua ſeu potentialis iuſtitiæ, vt docet D. Tho. quæſt. 80. munus autem iuſtitiæ eſt reddere debitum. Accedit quod nihil poſſit homo dici reddere Deo per modum liberalitatis, quia cum ſit ſeruus, & omnia quæ ſeruus habet vel operatur, ſint magis domini quàm ipſius, hinc liberalitatem circa Deum exercere homo dici nec debet, nec poteſt: quicquid ergò facit in obſequium eius, hoc per modum debiti accipiendum eſt fieri: nam inter donationem, ſeu officium liberale, & inter debitum non videtur dari propriè aliquod medium: & hinc nulla ponitur virtus hominis ad Deum quæ in modo conferendi, aut præſtandi aliquid, intendat liberalitatem exercere in Deum, ſicuti liberalitas ponitur virtus hominis ad hominem.

Ad argumentum itaque obiectum reſpondent aliqui, diſtinguendo debitum, prout illud diſtinguit D. Tho. quæſt. 80. art. vnico, ſcilicet in legale quod iure debetur, & ad quod leges Reipublicæ maximè attendunt, & in morale quod ex præcepto, vel ex ratione tantum debetur: quod rurſum ponitur duplex, vnum quod debetur ex neceſſitate, quia præceptum aut ratio ſimpliciter obligat ad præſtandum; alterum quod debetur tantum de conuenienti & ad melius eſſe, cuiuſmodi debitum docet D. Thomas, loco ſuprà citato eſſe debitum gratiæ, vel amicitiæ aut liberalitatis: dicunt itaque illi debitum quod religio reſpicit non eſſe ſimpliciter legale, ſed morale, quod aliquando poteſt eſſe abſolutè neceſſarium ad honeſtatem morum, aliquando verò tantum ad melius eſſe & de conuenienti, quale concurrit in actibus illis de quibus mouetur difficultas: atque ita conantur ſaluare rationem debiti in omni obiecto religionis.

Sed quamuis debitum ſoleat ſatis communiter ita diſtingui, tamen applicatio diſtinctionis ad præſens propoſitum minus rectè ſic adhibetur; eſt enim apertè contra doctrinam D. Thomæ, quæſt. citata, vbi ipſe diſtinguit inter religionem, pietatem, & obſeruantiam ex vna parte, & inter gratiam, amicitiam, & liberalitatem ex altera, quod iſtæ importent debitum legale, & tale quidem, vt non ſufficiat homo ad reddendum illi æquiualens: hæ verò importent tantum debitum morale, quod docet etiam Caiet. hac parte quæſt. 57. art. 4. & communiter alij. Accedit quod communis ſenſus omnium qui loquuntur de reddendo Deo cultu debito, habeat, quod cultum illum iure ſuo Deus exigere poſſit: quare non ſufficienter explicari videtur ratio cultus debiti quam diximus cõſtituere formale obiectum religionis, per hoc quòd omnis cultus qui exhibetur, ſit modo dicto moraliter aliquatenus debitus.

Reſpondet itaque aliter Suarez ſuprà tomo 1. lib. 1. De religione, cap. 9. n. 7. inprimis quod religio reddat cultum debitum Deo, & illum formaliter reſpiciat, quia licet debitum nõ ſemper ſit tale, vt ex eo naſcatur obligatio pręcepti, tamen eſt eiuſmodi, vt per ſingulos religionis actus cenſeatur pro aliqua parte ſolui & expleri, idque ſatis eſſe, vt religio dicatur reſpicere cultum debitum: quemadmodum debitum reddere dicitur ille qui creditori ſatisfacit anticipatè, quando nondum vrget obligatio præcepti iuſtitiæ. 19

Vel inquit, alio modo poteſt hoc debitum religionis explicari, vt non tam intelligatur eſſe in exercitio actus, quàm in ſpecificatione illius; id eſt, quod cultus ille dicatur debitus non ideo quod ſemper vrgeat obligatio exercendi illum quando exhibetur, ſed quia perſona, v. g. Deus ratione ſuæ infinitæ excellentiæ poſtulat iure ſuo talem cultum, qui tametſi non ſemper ſit neceſſarius, tamen aliquando neceſſarius eſt aut eſſe poteſt, & nunquam licet contrà operari: ſic ferè ille.

Succinctius autem & clarius videtur poſſe reſponderi, quod religio dicatur verſari formaliter circa cultum Deo debitum: Namque Deus eſt increatum, & primum principium à quo habemus eſſe & operari, & omnia noſtra, hinc iure meritò omnia illi dici & quoque eſſe debita, quæcumque præſtare aut operari ad eius obſequium aut cultũ valemus, prout & eſſent etiãſi millies amplius poſſemus, iuxta illud D. Thomæ in Sequentia de Venerabili Sacramento, Quantum potes, tantũ aude, quia maior omni laude, nec laudare ſufficis: quamuis igitur pro ſua benignitate & quaſi liberalitate non requirit ſub obligatione præcepti omnem cultum & obſequiũ à nobis quę iure optimo 20

exigere

exigere poſſet, non ideò deſinunt illa ei eſſe debita, quemadmodum etſi dominus à ſeruo requirat tantùm quaſi certum penſum operarũ per diem, non ideò reliquum quod forſitan ſeruus præſtat, deſinet dici eſſe debitum, neque quis dixerit quod ſeruus liberaliter aut vltra debitum præſtiterit domino, quamuis vltra præſcriptum penſum laborauerit: quod multò potiori ratione locum habet in homine reſpectu Dei, qui proinde licet cultum aliquem, vltra præceptum Domini, exhibeat, non poteſt tamen idcircò dici præſtare aliquid Deo liberaliter aut vltra debitum.

DVBIVM V.

Quotuplices ſint actus, quos Religionis virtus ad colendum Deum, ſolet aut poteſt adhibere ad eius cultum?

21 NOtandum hic eſt, quod Religio, vt aliquoties indicauimus ex communi omnium ſententia ſit virtus voluntatis ſiue quæ voluntatem habeat pro ſubiecto, & proinde actum eius proprium immediatè ab eâ elicitum eſſe actum voluntatis: qui non eſt aliud quàm amor ſiue affectio, & volitio diuini cultus, quæ ſi perfecta & efficax fuerit, mouet cæteras potentias ad exercendos actus quibus Deus colitur, vt v.g. quòd cum recognitione ſupremi dominij offeratur ſacrificiũ, quòd cum recognitione primę & infallibilis veritatis ſub diuino nomine præſtetur iuramentum, quòd cum recognitione quod omnia bona à Deo pendeant & procedant, ipſum oremus: voluntates enim illæ quibus intellectus & aliæ potentiæ ſic mouentur ad exercitium talis cultus Dei, ſunt actus proximè eliciti à virtute religionis. His premiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Actus illi qui in cultũ diuinũ adhibentur per motionẽ religioſę voluntatis rectè diſtingui ſolẽt in ſpirituales (quos aliqui vocant internos) & in corporales, quos vocant externos: quamuis & iſti ſpirituales aliquando dicantur etiam externi actus religionis, quatenus contra elicitos immediatè ab habitu religionis diſtinguuntur. De quibus dub. 6. ſequenti agemus.

Spirituales itaque hic vocantur qui ab intellectu aut à voluntate proximè procedunt, imperante religionis virtute: ſicuti quando colitur Deus contemplatione, & æſtimatione infinitæ ipſius excellentiæ, infinitæ ſapientiæ &c. Vt ſit quando religioſa voluntas intellectum ad tales actus mouet, vt Deo ſic cultus deferatur. Item ſicuti ſit quando colitur dilectione charitatis, religioſâ voluntate mouente ad eliciendum amorem, vt per eum honoretur Deus.

Sed hic quæret aliquis, quomodo rectè nunc dicamus, Deum coli conſideratione & æſtimatione excellentiæ eius, quandoquidem ſup. dub. 1. dictũ ſit, conſiderationẽ diuinæ maieſtatis & magnitudinis eius eſſe actum intellectus præuium qui non ſit propriè actus religionis, ſed quaſi fundamentum eius?

Reſpondetur: Poſſe hic accommodari illud Diui Iacobi, cap. 2. *Quid proderit, ſi quis dicat fidem ſe habere, & opera non habeat*: ſic 22
enim etiam dicimus ad officium religionis non ſufficere apprehenſionem diuinæ excellentiæ, & de illâ habere magnam æſtimationem abſque actu voluntatis; quia ſic obiectiuè & materialiter tantum pertinet ad cultum religionis, & ſecundum illam rationem diximus eſſe actum præuium qui præcedat exercitium religionis: formaliter autẽ rationem cultus diuini induit, quando ex intentione honorandi & colendi Deum, intellectus applicatur per religioſam voluntatem ad ſic inhærendum contemplationi diuinarum perfectionum: & ideò addidi, vt ſit quando religioſa voluntas mouet intellectum. Vnde Tann. diſp. 5. quæſt. 1. dub. 2. num. 27. non malè dicit, quod Dei cultus ex vtroque, ſcil. ex priori illo voluntatis actu ſiue affectu colendi Deum, & actu qui adhibetur quaſi materia ad colendum Deum, coaleſcat.

Corporales autem dicuntur illi qui per corpus exercentur, vt ſunt genuflectio, oblatio ſacrificij, vocalis oratio, & alij ſimiles. Huc etiam reducendi ſunt actus illi qui licet propriè cultus non ſunt, tamen ordinantur ad actum corporalem alium principaliorẽ qui propriè & formaliter cultus eſt: v.g. mundare vaſa & lintea ſacra, conſtruere altaria & templa, quæ remotè ad obiectum Religionis pertinent, ſicuti & ipſæ res materiales quarum vſus eſt in actu principali quo Deus colitur, vt cerei, libri cantuales, calices, & ſimilia.

DICO Secundò: Poſſunt rurſum vtriq; 23
diſtingui in eos qui per ſe ſunt virtutis religionis, & in eos qui ſunt quaſi per accidens actus religionis. Declaratur: per ſe ſunt hi religionis, qui aliundè nõ habent honeſtatẽ aut rationem virtutis, quàm ab ipſa religione, vtpotè qui principaliter ordinati ſunt ad Deum colendum; per accidens autẽ ſunt religionis actus illi qui habent per ſe alium vſum magis principalem, & propriam honeſtatem, quam aliundè quàm à religione trahunt, vt ſunt actus aliarum virtutum, v.g. fidei, charitatis, miſericordiæ, & ſimiles, quos religio aliquando aſſumit & ordinat ad finem ſuum: vt in illis honoretur

Digitized by Google

Deus:quos ſup. oſtendimus etiam ſuam habere proportionem ad teſtandam diuinam excellentiam, ſic vt adhiberi poſſint ad diuinum cultum: & hi non ſolent ſimpliciter dici actus religionis niſi cum illâ particulâ, quòd ſint religionis aliquando tanquam imperantis.

DVBIVM VI.

Vtrùm ipſe elicitus actus religionis quem diximus eſſe amorem ſiue affectum voluntatis erga Dei cultum, ſiue ad promptè faciẽda ea quæ ſunt diuini cultus, ſit ipſe quoque Dei cultus?

24 Reſpõdetur: Prout ſimpliciter & ſolitariè actus ille conſideratur, non eſt propriè diuinus cultus, neque internus, neque externus. Ita docet Suarez tomo 1. De Relig. lib. 2. cap. 2. nu. 2. ſed ab eo diſtinguitur tanquam actus à materiali obiecto ſuo: vnde hinc patet, quod actus internus religionis, & cultus internus, ſiue actus internus qui in cultum adhibetur, non conuertantur, ſed latiùs pateat internus actus Religionis, quàm internus ſeu ſpiritualis cultus, qui omnis eſt actus religionis, ſed non ſolus.

Dubitari verò adhuc poteſt: An ille ipſe affectus Deum colendi non poſſit etiam induere rationem cultus, & conſequenter, an idem actus qui proximè elicitur à virtute religionis, non poſſit quoque eſſe materia & obiectum illius qui proximè ſic elicitur?

Reſpondetur, vnum & eundem actum ſeorſim & ſolitariè ſumptum non poſſe induere duas illas rationes ſimul, ſed per reflexionem vnius eliciti ſupra alterũ eliciendum, ſic fieri poſſe quod poſterior habeat rationem cultus. Ita etiam Suarez ſup. n.3.

Prior pars declaratur, quia duæ illæ denominationes includunt conditiones oppoſitas, & inuoluentes contradictionem: Vna enim requirit quod actus ſit materia & obiectum voluntatis religioſæ, & ſic mediante affectu aliquo religionis procedat à virtute religionis. Altera autem requirit vt actus tantum ſit effectus voluntatis & religionis.

Neque refert quod actus à voluntate elicitus per ſeipſum dici poſſit intrinſecè voluntarius, quia non ideò per ſeipſum eſt obiectiuè volitus, ſiue non ideò eſt per ſeipſum volitus tanquam obiectum iſtius volitionis, quamuis dicatur per ſeipſum volitus tanquam effectus voluntarius ipſius potentiæ: quod iuxta Suarez ſupra ſatis non eſt, vt in præſenti propoſito talis actus dicatur eſſe cultus.

Pars poſterior patet, quia poteſt quis ex generali affectu & deſiderio colendi Deum, qui quando non habet oportunitatem exhibendi determinatum cultum quem exhibere deſiderat, v.g. offerendi ſacrificium, intereſſendi officio Miſſæ, exhibere tunc Deo in cultum voluntatem & affectum exhibendi tales determinatos cultus, quæ voluntas quatenus ſic exhibetur ex generali affectu colendi Deum, poterit ipſa ſortiri rationem cultus.

25 Pro pleniori intellectu horum, Obſeruandum ex D. Thoma, quæſt. 81. artic. 3. ad 2. & quæſt. 89. In corpore, actus illos in quibus conſiſtit diuinus cultus, eſſe propriè obiectum quod immediatum, tum virtutis religionis, tum actus proximè ab eà eliciti, & quidem obiectum formale ſub ratione cultus Deo debiti: nam religio verſatur circa illos exercendos commenſuratè quaſi ad ius perſonæ, cui debeantur, ſcilicet Dei: quemadmodum iuſtitia verſatur circa redditionem eius quod debetur alteri homini commenſuratè ad ipſius ius. Virtutis enim moralis quæ eſt ad alterum, & circa operationes verſatur, adeoque actus eius ab ea proximè eliciti materia & actus eius exteriores idem ſunt, vt tradit Suarez libro 2. cap. 2. & lib. 1. cap. 3. nu. 2. & c. 3. n. 2. ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 60. art. 2. & tantum ſub diuerſis reſpectibus, nunc materia, nunc actus virtutis talis vocantur: materia quatenus ſubijciuntur virtuti quæ eas commẽſuratè ad ius alterius perficit in ordine ad alterum: actus autem quatenus ab illa efficiuntur per imperiũ. Ex quibus poteſt plenius intelligi quomodo religio non ſit virtus theologica, prout ſup. dub. 4. diximus; quia ſimpliciter circa rem ſeu actum creatum proximè verſatur tanquam materiam & obiectum proprium, & quidem ſub ratione debiti quæ illi adhæret: virtus verò theologica actu ſuo elicito inhæret proximè Deo, nam actus fidei non eſt velle credere Deo, ſic vt proximus & immediatus fidei actus verſetur circa ipſum credere, ſed actus eius eſt credere Deo, & Deum eſſe, quamuis velle credere Deo ſit actus proprius illius habitus quem fides ſimul in voluntate requirit, qui idcirco per ſe & ſolitariè conſideratus nõ eſt quoque propriè virtus theologica. Similiter actus charitatis non eſt propriè velle amare Deum, quaſi amor ille eſſet materia circa quam habitus vel actus charitatis verſatur, ſed actus eius eſt, amare Deum, ſic vt actus proprius & proximè elicitus attingat immediatè Deum tanquam obiectum circa quod verſatur, & quidem propter rationem illi intrinſecam, ſcil. propter increatam eius bonitatem.

Digitized by Google

DVBIVM VII.

Vtrùm cultus Sanctorum procedat à virtute religionis tanquã proprio ſuo principio?

26 PRo quæſtionis pleniori intellectu obſeruandum eſt, Sanctos duplici ex capite poſſe coli. Primò propter intrinſecam excellentiam & perfectionem quam habent à Deo ſibi communicatam, vt propter gratiã ſanctificantem, & viſionem beatificam, & alias perfectiones ipſis inexiſtentes.

Secundò, propter excellentiam Dei increatam extrinſecus illis ſuo modo applicatam, quatenus ad eam particularem aliquem habent ordinem & reſpectum: hoc autem intelligi poteſt fieri tribus modis, quemadmodum tribus modis apprehendi poſſunt honorari imagines ratione prototypi.

Primò, quia ad præſentiam imaginis incurrit memoria perſonæ repræſentatæ, eiuſque dignitatis & excellentię, vnde fit quod tunc mens intuentis moueatur in admirationem ac venerationem perſonæ repręſentatæ, dirigendo tantum venerationis actum ad exemplar repræſentatum tanquam obiectum totale cui, nullo modo extendendo illum ad imaginem: ita enim etiam Sancti tanquam quædam tabernacula ac templa Dei aut Spiritus Sancti, dum memoriæ occurrunt, poſſunt nobis eſſe occaſio colendi & adorandi, Deum qui in eis ſpeciali modo pręſens eſt, & inhabitat.

Secundò, dirigendo venerationem tum ad exemplar repræſentatum, tum ad imaginem, apprehendendo vtrumque ſimul tanquam vnum obiectum adæquatum ad quod terminetur adoratio ex intentione adorantis, ſic tamen vt primario quidem moueatur in exemplar, concomitanter autem in imaginem, vt v. g. quando deoſculatur quis imaginem Chriſti, poteſt intendere ſic venerari Chriſtum & imaginem tanquam vnum totale obiectum iſtius actus, ſic tamẽ vt primo illud honoris & affectus ſignũ exhibere intendat Chriſto, ſed quia dirigitur ad Chriſtum cum aliquo ordine ad imaginẽ, vt ſcil. hic in imagine repręſentatiuè exiſtentem ſiue vt in ea repræſentatum, idcirco concomitanter illud honoris ſignum quoque afficit imaginem idque etiam ex intentione deoſculantis, quamuis non propter ſe, ſed propter exemplar: quemadmodum qui caput aperit ante imaginem Regis, vel qui oſculatur veſtem Regis: primo defert honorem Regi, & concomitanter etiam ipſi imagini, & ipſi veſti; quia Regis ſunt imago & veſtis. Quod ſicuti in iſtis, itâ etiam in Sanctis poteſt habere locum, quatenus Deum ſuo modo tanquam habitacula & templa eius repræſentant.

Tertiò, dirigendo venerationem tantum ad imaginem expreſsè & directè tanquam ad terminum venerationis, ad exemplar verò ſolum, tanquam ad ipſam rationem venerandi imaginem: ſunt enim diuerſa, venerari aliquid per ſe, ſeu in ſe, & venerari illud propter ſe. De hoc autem tertio modo venerationis etiamſi apud nonnullos dubitetur, an imaginibus deferri poſſit, tamen certum eſt quod Sancti poſſint ſic coli etiam propter diuinam excellentiam illis quaſi extrinſecus applicatam, ita vt ipſi ſint totalis terminus, ſiue obiectum illius cultus ex directa intentione, quamuis indirectè ac implicitè etiam in Deum tendat, vt infra declarabimus: quandoquidem enim ſunt naturæ intellectualis, hinc capaces exiſtunt, vt ipſis cultus etiam propriè & formaliter acceptus, deferri poſſit.

Hoc itaque modo coli cenſentur, quando eos veneramur tanquem amicos & domeſticos Dei, tanquam filios Dei, quia ſub eâ conſideratione dignitas eorum oritur ex ordine quem habent ad ipſum Deum, quod ſcilicet illi tanquam amici, tanquam domeſtici, & filij ſint coniuncti. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Quando coluntur Sancti propter diuinam excellentiam ipſis applicatam quoquo modo ex tribus prædictis, pertinet tunc cultus ille ad virtutem religionis, & ab ea procedit tanquã proprio principio. Ita docet Suarez lib. 3. de Relig. cap. 5. nu. 8. Tanner. qu. 1. dub. 2. nu. 19. D. Thomas 3. p. qu. 25. art. 3. ad 3. Caiet. ibidem, Alenſ. 3. parte, qu. 30. memb. 3. art. 2. Vaſquez De adoratione diſp. 1. cap. 3. & alij communiter. 27

Et quidem res ſatis euidenter declaratur, quando tantum primo aut ſecundo modo ratione diuinæ excellentiæ coluntur: quia formaliter ac principaliter per ſe tendit cultus ille in ipſum Deum, vt ex dictis ſatis conſtat. Vnde actus illi ſunt veri actus latriæ.

De tertio modo probatur, quia etiam in illo cultu tota ratio eſt excellentia Dei increata quatenus illa Sanctis ſuo modo communicata eſt, quatenus ſcil. habent certam coniunctionem & ordinem cum ipſo Deo, vti diximus: ergò etiam hic cultus procedit à virtute religionis, quæ diuinam excellentiam tanquam fundamentum & quaſi formalem obiectiuam rationem cultus à ſe procedentis reſpicit, omnis enim virtus reſpiciens aliquã formalem rationem extendit ſe ad omne illud cui ratio illa cõmunicatur aut coniungitur: Sic quando proximus diligitur propter Deum, procedit illa dilectio proximi

proximi ab habitu charitatis, quia eius motiuum eſt bonitas diuina certis modis applicata proximo.

Hic tamen Sanctorum cultus quatenus ſic ad ipſos tanquam ad terminum totalem dirigitur, licet à virtute religionis procedat, non eſt tamen latria, ſed cultus quidam longè inferior qui ad duliam reuocari poteſt: non enim ſubmittimus nos ſanctis tanquam Dijs, ſed tanquam Dei amicis, magna apud eum gratiâ & authoritate pollentibus, quia licet eadem ſit ratio motiua, non tamen eodem modo eſt illa ſanctis applicata ſicuti Deo.

Obſeruandum autem eſt, quod etiam hic cultus quamuis non ita explicitè & directè ad Deum terminetur, vt ante indicauimus, tamen interpretatiuè, & ſecundũ moralem æſtimationem redundet in Deum, quia tota ratio honorandi ſic ſanctos eſt Deus cum quo habent coniunctionem, & finaliter eò tendit vt in ſanctis glorificatur Deus; quare etiam in hoc cultu continetur tacita quædã latria quæ non terminatur ad ſanctos, ſed ad Deum, quemadmodũ, ſi quis honoraret ſacerdotem Iouis propter reſpectum ad Ìouẽ committeret tacitam idololatriã: quia interpretatiuè magis cenſetur honorare Iouem quàm ipſum eius ſacerdotem.

28 Dico Secundò: Quando coluntur ſancti propter creatam excellentiam, & intrinſecas reales ſuas perfectiones, vt propter gratiam ſanctificantem, viſionem beatificã &c, tunc cultus ille non procedit à virtute religionis propriè dicta, ſed ab alia virtute quæ dulia vocatur. Ita Tann. ſup. nu. 20. & addit ſic ex communi docere D. Thom. quæſt. 81. art. 4. ad 3. vbi dicit, quod religio qua honoratur Deus, diſtinguatur à virtutibus quibus proximus honoratur.

Ratio reddi poteſt, quia religio tantùm ſpectat debitũ ratione excellentiæ increatæ. Dicitur nihilominùs etiam hic ſanctorum cultus religioſus: primò, quia non eſt cultus aliquis ciuilis, qualis defertur principibus, aut viris præeminentibus in republica propter humanam excellentiam: ſed ſupernaturalis eſt qui defertur propter ſanctitatẽ & virtutes ac perfectiones ſupernaturales, quibus excellunt.

Deinde, quia implicitè honor ſanctorũ etiam qui propter huiuſmodi excellentiam defertur, peculiari modo ſemper in Dei honorem reſultat, quia valdè Deo honorificũ eſt, quod miniſtri eius in quibus tantùm relucet quidam quaſi radius aut ſcintilla excellentiæ ipſius, tantopere honorentur: vnde virtus à quâ procedit hic cultus, videtur originem ducere à virtute religionis cui valdè eſt affinis. Vide plura de his dicta à nobis in 3. p. circa art. 2. & 3. quæſt. 25. vbi ex profeſſo tractauimus de cultu Imaginum & Sanctorum.

DVBIVM VIII.

Vtrùm religio præſtantior ſit omnibus virtutibus moralibus?

TRactat hanc difficultatem D. Thomas, quæſt. 81. citata, art. 6. & ſimpliciter reſpondet affirmatiuè: & ſic Tann. ſuprà, dub. 2. nu. 46. Suarez lib. 3. de Relig. cap. 9. vbi latè hac de re tractat, & plerq; alij DD. cum D. Thoma ſentiunt. 29

Supponere autem videtur D. Tho. religionem eſſe inferiorẽ virtutibus theologicis, nec immeritò: ita enim paſſim omnes Theologi docẽt: & fauet Apoſtolus 1. ad Cor. 13. vbi tribus illis quaſi per antonomaſiam tribuit excellentiam, & eminentiam virtutis: in quibus etiam principaliter ſimul cum gratia (ſi hæc à charitate ſit habitus diſtinctus) conſiſtit ſupernaturalis ſtatus hominis Iuſti.

Probari autem poſſunt reſponſio & prædicta ſuppoſitio vnâ eâdemque ratione, quã indicat D. Tho. quia virtutis perfectio ſita eſt in eo, quod coniungat & vniat hominem Deo, ergò illæ virtutes quæ immediatiùs & perfectiùs mentem hominis Deo coniungunt, ſunt perfectiores cæteris quæ remotius hominem ad Deum ordinant; atqui virtutes theologales vicinius & perfectius vniunt mentem noſtram Deo, viciniuſque illum attingunt, quàm religio, vt ex hactenus dictis ſatis poteſt intelligi; ergò Theologicis eſt inferior. Propiùs tamen accedit & attingit religio Deum, quàm aliæ virtutes morales.

Quod inprimis manifeſtum eſt de virtutibus illis quæ verſantur circa paſſiones moderandas, vt de temperantia, & de fortitudine, & de virtutibus illis connexis, quia Deus neque in recto, neque in obliquo ingreditur obiectum illarum virtutum, neque enim eſt obiectum materiale aut formale, neque obiectum quod, nec cui, licet quaſi extrinſecùs ordinari poſſint in Deum, vt finẽ. Eadem eſt ratio de iuſtitiâ propriè dictâ, quæ ordinem dicit ad alterum hominem: Religio autem quamuis Deum non habeat tanquam obiectum proximum materiale vel formale, vti explicuimus, tamen habet ordinem ad ipſum proximè tanquam ad ſuppoſitum cui deferat cultũ debitum: vnde facit mentem quaſi continuò verſari cum Deo tanquam cum illo cui debet honorem & obſequium ob infinitam eius perfectionẽ, & à quo noſtrum eſſe, & omnia bona accepimus, & à quo continuo dependent; quod eſt magnæ præſtantiæ & dignitatis: ergò &c.

Opponet

Opponet aliquis, quod D. Tho. ſupra quæſt. 58. art. 12. dicat ſimpliciter iuſtitiam legalem eſſe præclariorem inter omnes virtutes morales: vnde videtur etiam præferri & præferenda religioni.

30 Reſpondetur, ita ſentit Caiet. qu. 81. a. 6. ſed minus rectè: quia D. Tho. ibi comparat iuſtitiam legalem cum virtutibus moralibus de quibus ſupponebat certò conſtare eſſe morales; non cum religione, de quâ putabat adhuc diſputandum, vtrùm eſſet virtus moralis, an theologica? quod fecit quæſt. 81. vel dicendum cum alijs, quod comparat cum illis moralibus quæ nullatenus attingunt Deum vt obiectum qualecúque, ſed tantum verſantur circa illa quæ in Deum tanquam in finem diriguntur.

Neque verum eſt, quod iuſtitia legalis peculiari modo reſpiciat Deum per modum obiecti, aut peculiari modo præ alijs virtutibus moralibus tendat in illum tanquam in finem, quod pro ſuâ opinione allegat Caiet. quia iuſtitia hæc verſatur per ſe circa præſtandum debitum Reipublicę, ad quod partes ſeu membra obligantur Statui Reipublicæ, quæ functio nō propinquius attingit Deum, quàm functio iuſtitiæ particularis ſpecialiter acceptæ: quamuis ex eo quòd reſpiciat debitum illud vt concernens bonum publicum, & vt ortum ex altiori titulo, ſit virtus excellentior, quàm iuſtitia particularis vel aliæ virtutes morales, vt declarat D. Tho. quæſt. 58. citata, art. 12.

Altera difficultas mouetur de obedientia, quod hæc ſcil. videatur eſſe religione præſtantior, quia primi Regum capite 15. dicitur, *Melior eſt obedientia quàm victima*, ergò &c.

31 Reſpondetur nihilominùs, religionem perfectione excellere ſupra obedientiam, quod & indicat D. Tho. infra, q. 104. art. 3. & docet ibidem clarè Caiet. qui hanc reddit rationem: quia religio Deum ipſum qui præcipit, adorat & colit, obedientia verò tantùm ad eius præceptum attendit. Vnde ad locum Scripturæ dicendum eſt, ſenſum illius eſſe, quod melius ſit Dei mandato & ordinationi obtemperare, quam victimas aut ſacrificium offerre contra mandatum eius vel ordinationem, ſiue cum neglectu mandatorum eius: vnuſquiſque enim colendus eſt, vbi & quando, & quibus modis vult coli: qui autem contra facit, non exhibet cultum gratum. Quare non ſequitur inde, quod actus obedientiæ ſit ſimpliciter præſtantior aut perfectior, quàm actus ſacrificij, quando vterq; debito & legitimo modo exercetur. D. Greg. autem lib. vlt. moral. cap. 12. conſiderat obedientiam vt quoque eſt actus religionis, ſcil. imperatus, quatenus nimirùm mediãte deuotione mactatur Deo voluntas, & exhibetur obedientia: & hac ratione putat obedientiã dici præſtantiorẽ ſacrificio externo quod in rei ſenſibilis oblatione conſiſtit; idq; rectè, abſtrahendo tamen à ſacrificio Miſſæ noui Teſtamenti, quod ex diuerſis titulis præſtantiſſimum eſt.

Tertia difficultas mouetur de pœnitentia, quæ vt eſt iuſtitia quędam ad Deum, videri poteſt pręcellere ſupra religionem: nam inprimis cum religione conuenit in modo Deum attingendi, vtraque enim verſatur circa Deum vt obiectum cui, quia vtraque reddit debitum Deo: in reddendo autem attendit pœnitentia ſtrictius magiſque rigoroſum ius diuinum, quàm religio: vnde videtur illa eſſe perfectior hâc.

Reſpondetur primò, quod religio poſſit hic dici comprehendere etiam pœnitentiã, accipiendo Religionem, ſcil. vt eſt virtus generalis quæ Deo perſoluit debitum ſiue pręſtãdo ei quod ratione infinitę ſuę excellẽtiæ, & ex herili, vt ſic dicã, dominio ratione principij, per ſe illi debetur, ſiue reſarciendo ius eius à nobis lęſum ac violatum, atque ita de religione loquendo non debet inter eam & pœnitentiam fieri oppoſitio, cum pœnitentia ſub religione contineatur. 32

Reſpondetur ſecundò, ſi tamen conſiderentur vt condiſtincta, tunc religionem quoque iudicandam eſſe perfectiorem in ratione virtutis, licet in alteram partem magis inclinet Suarez libro 3. capite vltimo De religione, propter argumentum adductum:

Verùm reſponderi poteſt, quod non ideò quia virtus aut actus virtutis reſpicit arctius aut rigoroſius debitum, importet propterea maiorem perfectionem vel excellentiã ſimpliciter talis virtutis, quamuis adducat maiorem neceſſitatem exercendi illam: quod declaratur, quia actus ſubmiſſionis quem exhibet vnus ad reparandum honorem, vel ad ſatisfaciendum pro iniuria quam iniquè intulit, non videtur eſſe perfectior aut præſtantior, quàm ſit ſimilis ſubmiſſio venerabunda quam alter ex puro affectu honorandi excellentiam Superioris aut Magiſtratus, vel in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis exhibet aut refert: licèt prior actus ſit maioris neceſſitatis & obligationis, quàm poſterior.

Et vt concedatur, quod plus participet de ratione iuſtitię propriè & rigoroſè acceptæ, non tamẽ ideo ſequitur quod ſit perfectior in ratione virtutis ſimpliciter; quin potius quilibet exiſtimabit minus præſtari ab illo qui ſe ſubmittit, vt iniuriam prius illatam reparet, quàm ab eo qui ſe ſubmittit affectu venerabundo ſolùm, vt alterum veneretur & honoret eius excellentiam: neque tanti ſubmiſſionem illius faciet, quanti actum ſubmiſſionis huius. Quare cùm ita ſe quodammodo habeant actus pœnitentiæ, vt conſideratur per modum iuſtitiæ ad Deum, & actus

Digitized by Google

& actus religionis, conſequenter dicendum apparet, quod religio etiam præſtantiâ ſuperet pœnitentiam, quando conſiderantur vt condiſtinctæ virtutes modo dicto.

DVBIVM IX.

An Deus ſit ab homine colendus actibus cum internis, tum etiam externis?

33 RESpondetur: Deus ab homine adorandus ſeu colendus eſt tū actibus internis ſiue mentis, tū externis ſiue corporalibus, ſic vt exterior & corporalis cultus non tantum non ſit illicitus, ſed etiam iure naturæ vterq; nobis ſit in præcepto. Eſt communis & certa doctrina.

Tradit eam D. Tho. qu. 82. & aliquot ſequentibus: quibus tractat de interioribus & exterioribus actibus religionis: ſimiliter eius cōmentatores, & alij Scholaſtici in tertium diſtinctione 9. & Suarez tomo 1. de religione libro 4. cap. 1. Vaſquez lib. 1. De adora. cap. 2. Sayrus lib. 4. theſauri, cap. 3.

De cultu interno nullus poteſt dubitare, qui verum Deum agnoſcit: ſi enim naturalis ratio dictat parentes tanquam progenitores noſtros eſſe honorandos, multo magis dictat Deum verum à quo habemus omnia noſtra, in quo *viuimus, mouemur & ſumus*: vt dicit Apoſtolus Act. c. eſſe venerandum & colendū. Non datur autem abſque actu interiori vllus verus & propriè dictus cultus: ad hoc enim, vt exterior actus adorationis ſiue venerationis ſit verus cultus, debet ſignificare exiſtimationē talem eſſe in mente adorantis de excellentia alterius, & talem ſubmiſſionem in animo, qualem exteriores & corporales actus indicant: nam ſi hæc cōformitas actus exterioris vt ſigni cum actu interiori tanquam ſignificato deficiat, fictio erit & irriſio cum mendacio, non cultus aut veneratio vera. Vt docet D. Chryſoſtomus Homilia 80. in Matthæum, & Sayrus loco citato.

Quare dum dicimus Deum tum internis tum externis actibus ex præcepto naturrli à nobis eſſe colendū; nō ſic debet accipi, quaſi neceſſariò ſit colendus ſeorſim actibus purè mentalibus, & ſeorſim actibus purè corporalibus: huiuſmodi enim corporalis propriè non datur cultus, vt modo diximus: & quod ad purè ſpiritualem attinet, datur quidem talis, vt ex ſupradictis poteſt conſtare, non eſt tamen ille in hac formâ præceptus naturali lege, ſed præcepto naturali poteſt homo ſatisfacere colendo Deū mente & corpore ſimul.

Senſus igitur concluſionis eſt, quòd mente quidem colendus ſit Deus, non tamen mente tantùm, ſed etiam tempore & loco ſit ſimul colendus corpore & actu externo.

Et ratione cū Damaſceno lib. 4. De fide, c. 13. Probari poteſt, quia quandoquidē nos duplici conſtamus naturâ, corporali & ſpirituali, hinc rationi conſonum planè eſt, 34
quod vtriuſque actibus Deus à nobis colatur, atque adeò ſic fieri debere dictat ipſa, cum ille vtriuſque ſit auctor, & vtraque ſuo modo ſit capax cultus deferendi, iuxta illud Dauidis, Pſalmo 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: nec æquum eſt, vt caro quæ Dei figmentum eſt, à tributo ſeruitutis diuinæ ſit libera, cum & plurima Deo gratiſſima, caro de ſuo incommodo inſtaurare valeat, vt refert Mald. tract. 10. cap. 1. dub. 3. ex Tertuliano lib. De reſurrectione carnis.

Vnde ob eandem cauſam inſtituta quoque ſunt Sacramenta ſanctificationis noſtræ in rebus ſenſibilibus & corporalibus, vt tradit D. Chryſoſtomus Homilia 60. ad populum Antiochænum: ſi enim incorporeus eſſes, inquit, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quia anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.

Huc accedit, quod licet Deus cor intueatur & intimè penetret, nihilominùs vt deuotio cordis excitetur, opus nobis ſit quadam etiam corporis exercitatione: quādoquidem enim omnis cogitatus noſter ſenſui ſit in hac vitâ quodāmodo alligatus, oportet nos per ſenſibilia in Dei cultum interiorem proficere: vnde hic modus Deum colendi tam homini eſt naturalis, vt vix queat modo ſibi accommodato aliter ſeſe ad Deum leuare in cultum & adorationem illius: quemadmodum enim intelligit ſpiritualia per ſenſibilia, & quidem ad modum ſenſibilium rerūm, ita etiam vix in ſe exprimit interiorem reuerentiam & ſubmiſſionem, niſi exhibendo aliqua ſenſibia ſigna illius, per quę & ſuo affectui ſatisfit quodāmodo, & rurſus per eadem roboratur in illo affectu, affectuſque ipſe fouetur.

Suadet idem vetutiſſima humani generis conſuetudo, nam mox ab initio mundi Cain & Abel Deum coluerunt munerum oblatione: Geneſ. cap. 4. Deinde Noë cap 8. Abraham cap. 15. & alij Patriarchæ idem fecerūt. Similiter & Melchiſedech Geneſis cap. 14. & poſtmodum tempore legis Moyſaicæ varia inſtituta fuerunt ſacrificia iuxta mandatum Domini.

Neque tantum illis temporibus, ſed etam tempore nouæ legis fuit ſemper continuatus cultus Dei externus & corporalis: nam 35
in primis iuſſit Chriſtus Dominicam cœnā in ſui memoriam & venerationem ſumere & mandu-

& manducare, quod nec hæretici poſſunt negare, quamuis ab ea tollant rationem ſacrificij, & veritatem Corporis & Sanguinis Domini: ſatis enim manifeſtè, id docet Apoſtolus 1. ad Corinthios 13. ſimiliter ex Scripturis conſtat, Apoſtolos in more habuiſſe, vt orarent flexis genibus: Actorum cap. 7. ita orauit Stephanus pro perſecutoribus ſuis, *Poſitis autem genibus* (inquit Scriptura) *clamauit voce magnâ, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*: ſimiliter Actorum cap. 9. Petrus ponens genua orauit, & Paulus cap. 20. *Cum hæc dixiſſet* (dicit Scriptura) *poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis*: & cap. 3. ad Epheſios de ſe ſcribit ipſe Paulus, *Huius rei gratia flecto genua ad patrem Domini noſtri* I E S V *Chriſti*: Publicanus quoque à longè ſtans percutiebat pectus dicens, *Propitius eſto mihi peccatori*, & à Chriſto laudatur: Imò & de Chriſto dicitur Lucæ 22. *Et poſitis genibus orabat*, ergò &c.

Denique homo nō eſt animal ſolitarium, ſed ſociale, quod familiariter cum alijs ſibi ſimilibus contrectat & viuit: quare naturaliter conuenit, vt eam quam defert Deo venerationem, alij quoque cognoſcant: hoc autem obſeruare alij non poſſunt, niſi quatenus per externos, & corporis geſtus vel actus defertur: homines enim non vident interiores actus noſtros, ſed externos & ſenſibiles, hinc & Chriſtus monet, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*: ſimiliter & D. Paulus hortatur, vt operemur bonum, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

Sed contra obijcitur primò, legitur in veteri Teſtamento Deus ſæpius reieciſſe ac reſpuiſſe ſacrificia, & alios cultus externos, vt Iſaiæ cap. 1. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam & Sabbathum & feſtiuitates alias non feram*: & paulò poſt: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens*: Pſalm. 50. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis*: & Pſalmo 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti, holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti*: & ſimilia plura paſſim apud Prophetas inueniuntur. Vnde & D. Auguſtinus, libro 10. De ciuitate Dei, cap. 5. ſcribit: Non enim vult Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis, ergò videtur quod omnis externus cultus religionis ſit planè abijciendus.

36 Reſpondetur Negando Conſequentiam: ad locum enim Iſaiæ quod attinet, non reijcitur aut reſpuitur ſimpliciter & abſolutè externus cultus, vt erant ſacrificia, Neomeniæ, & Sabbatha, quæ ab ipſo Deo erant ordinata & inſtituta, ac populo Iudaico demandata: ſed reijcitur cultus talis hominum peccatorum qui grauiſſimis ſceleribus erant obnoxij, & in ijs affectu & opere perſeuerabant, confidentes in ſuis ſacrificijs & alijs externis cæremonialibus cultibus, quaſi hæc ſufficerent eis ad iuſtitiam, & ad Deo placendum, in quibus & gloriabantur quaſi multùm Religioſi & Deo deuoti. Conſtat hoc tum ex antecedentibus, tum ex conſequentibus: præcedit enim, *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ*: & poſtea ſubſequitur: *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè: diſcite benefacere: quærite iudicium: ſubuenite oppreſſo* &c. Significat igitur Scriptura tantùm, quod externa Religioſa opera, Deo grata non ſint, quando interim animus inhæret ſuis cupiditatibus & vitijs, ac iniuſtitijs.

Ad id autem quod ex Pſalmo 50. allegatur, dicendum eſt Prophetam ibi ſacrificium externum opponere interno, ac docere externum abſque interiori inutile eſſe, nec prodeſſe: Deum enim requirere ante omnia, ſacrificium pro peccatis internum quod eſt cordis contritio & humiliatio: vnde externum non excludit nec repudiat Deus, quando ab interno procedit, nam & ipſe holocauſta pro peccatis inſtituit: ſed illud ſolitarium docet gratum non eſſe. Idem eſt ſenſus D. Auguſtini.

Ad iſtud verò quod adducitur ex Pſalmo 39. Reſpondetur Prophetam ibi ſignificare victimas & ſacrificia antiquæ legis aliquando abolenda, quando ſcilicet veritas aduenerit, cuius erant vmbræ & figuræ: quod latiùs explicat Apoſtolus ad Hæbreos, cap. 8. 9. & 10.

Obijcitur Secundò: Chriſtus Ioannis cap. 4. dicit mulieri Samaritanæ: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate: nam & Pater tales quærit*: &c. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*, vbi videtur indicare, quod ſaltem tempore noui Teſtamenti, cultus omnis externus debeat ceſſare.

Reſpondetur, Chriſtum non hoc ſignificare: neque enim Patrem adorare in ſpiritu & veritate, excludit patrem colere actibus externis & corporalibus, nam alioquin Stephanus, Paulus, Petrus, imò & Chriſtus ipſe non adoraſſent Patrem in ſpiritu & veritate, quando poſitis genibus, ſeu flexis genibus Deum orarunt, prout eos oraſſe, ante ex Scripturis oſtendimus: quare illud adorare in ſpiritu & veritate opponitur tantum adorationi quæ fiebat in ſacrificijs carnalibus, & figuratiuis Iudæorum, quæ de cętero eſſe ſubmouenda ſignificat Chriſtus, 37

Digitized by Google

quia iam gratia & veritas per ipſum facta & adducta erant: veritas itaque opponitur hic vmbris & figuris, ſpiritus autem carnalibus ſacrificijs, vt exponit D. Chryſoſtomus Homilia 32. ſecutus Originem: Toletus verò in Comment. non nihil aliter exponit, & per adorationem in veritate, intelligit eam quæ procedit ex verâ doctrinâ rectaq; fide, quam opponit adorationi Samaritanorum, qui in multis iam aberrabant à veritate, & per adorationem in ſpiritu intelligit eam quæ fit abſque carnalibus ſacrificijs, quam opponit adorationi Iudæorum, quæ ex veritate procedebat, ſed tota carnalis & cæremonialis erat, præfiguratiua cœleſtium & ſpiritualium bonorũ quæ adducenda erant tempore noui Teſtamenti, prout diximus Apoſtolum latè explicare ad Hæbreos, locis antè citatis.

CAPVT SECVNDVM,

De Actibus Religionis internis.

1 EX dictis hactenus, & præſertim dub. 5. cap. præcedenti, conſtat religionis duplices eſſe actus, ſcilicet internos ſeu ſpirituales, & externos ſeu corporales; & vtriſque Deum à nobis eſſe venerandum. Ponit autem D. Thomas duos religionis actus internos, ſcilicet deuotionem, & orationem, de quibus agit quæſt. 82. & 83. exteriores conſtituuntur ab eodem in triplici differentia: aliquibus enim homo tantùm corpus adhibet ad Dei venerationem, vt adoratione ſpecialiter dicta, quæ fit capitis inclinatione, genuflectione, corporis proſtratione, aut ſimili modo: quibuſdam alijs homo aliquid de rebus ſuis exterioribus Deo offert, vt ſacrificio, oblatione primitiarum, decimarum, & ſimilium rerum: alijs denique aliquid in Dei honorem aſſumitur, vt in iuramentis quæ fiunt per diuini nominis interpoſitionem profitendo illum eſſe primam veritatem infallibilem, idque vel ad propria verba confirmanda, vel per modum adiurationis ad inducendum alios, vt faciant aut dicant quod debent, aut quod merito illis imponitur dicendum aut faciendum, vel per modum inuocationis: his denique adiungitur votum, quia etiam Dei cultum continet promiſſio Deo facta de opere bono præſtando in laudem & gloriam eius, quemadmodum oblationes, quas diximus ad cultum Dei pertinere.

Cæterùm cum adoratio fieri poſſit actu interno, & oratio poſſit fieri actu externo, quæri poteſt, quare D. Thomas orationem ponat actum internum religionis, & adorationem referat ad actus externos.

Ad quod breuiter reſponderi poteſt,
2 hanc eſſe rationem, quod oratio potiſſimùm conſiſtat in eleuatione mentis ad Deum, & maximè requirat internam attentionem aſſiduam, vt communiter ab omnibus apprehendi ſolet: adoratio autem magis ſonet & ingerat nobis externam formam, & geſtum ſubmiſſionis reuerentialis, quæ tamen ad actum internum importent ordinem. Idem dici poteſt de iuramento & voto quod ſcilicet ideò inter exteriores actus religionis numerentur (licet ſolis internis fieri poſſint) quia ex quo alterius causâ vel alteri fiant, ordinariè ſolent cum externa ſolemnitate exhiberi.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit Deuotio?

REſpondetur: Deuotio nihil aliud eſſe videtur quàm volũtas quædã promptè 3
faciendi ea quę ad Dei ſeruitium ſeu cultum ſpectant: vnde eſt actus proprius & proximè elicitus ipſius habitus religionis, vt docet Malderus ſuprà, dub. 3. & Tannerus, quæſt. 1. dub. 3. num. 55. & aliquot ſequentibus: quam voluntatis affectionem ſolet comitari quædam eius quaſi explicatio ſeu intimatio, qua ſe homo offert & tradit Deo ad ſeruiendum & colendum eum: quam oblationem ſui videtur nomen Deuotionis connotare.

Sumitur ex D. Thoma, quæſt. 82. art. 2. in Corp. vbi probat quod deuotio ſit quidam actus ſpecialis, quia manifeſtum eſt, inquit, quòd voluntas promptè faciendi quod ad Dei ſeruitium pertinet, ſit quidam actus ſpecialis: talem autem voluntatem intelligit, aut potius ex ijs quæ præmiſerat probatum ſupponit, deuotionem eſſe, atque ita indę infert, vnde deuotio eſt ſpecialis actus voluntatis: & in Reſponſ. ad 1. dicit quod ſit actus appetitiuæ partis animæ: & art. 2. probat, quod ſit actus religionis, quia facere aliquid (quod enim in textu additur velle, id ibi

id ibi redundat, vt patet ex ſubſumpto quod facit D. Thomas) & actualis voluntas promptè faciendi ad eandem virtutem pertinent, vtriuſque enim actus idem eſt obiectum: operari autem ſiue facere ea quæ pertinent ad diuinum cultum ſeu famulatum eius, pertinet proprie ad religionem, igitur & velle ſiue voluntas operandi ſeu faciendi illa (quam oſtendit eſſe deuotionem) eſt proprius actus religionis, ſcil. proximè à religione elicitus, cũ non ſupponat alium actũ mediante quo poſſit dici à religione imperatus. Quod autem iſta voluntas ſiue affectio ad faciendum ea quæ ſpectant ad Dei ſeruitium habeat ſimul concomitantẽ quandam ſui oblationẽ ad iſta exequenda, ſignificat quoque D. Tho. tum in Corp. art. 1. quãdo dicit, quod deuotio ſit voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, quaſi diceret, quod ſit voluntas faciendi illa cum ſui traditione ad promptè exequendum, tum etiam in Reſp. ad primum, quando dicit, quod deuotio ſit actus voluntatis hominis offerentis ſe ipſum Deo ad ſeruiendum ei: Et poſſunt hæc declarari à ſimili: ſicuti enim qui volunt & amant honorem & cultum ſiue ſeruitium Principis, & ex illo affectu ſeſe dedunt obſequijs eius, dicuntur deuoti Principi, ſic quoque qui volunt & afficiuntur diuino cultui, & illi præſtando & promouendo ſeſe mancipant & dedicant, ſunt Deo deuoti, & id agendo deuotionem quatenus eſt actus ſpecialis & formalis religionis exercent. Hinc non incongruè quoque dicit Leſſius, lib. 2. c. 3. dub. 37. deuotionem eſſe quandam internam ſuiipſius ad diuinum cultum oblationem & traditionem: quæ videtur eſſe definitio cauſalis, ſicuti ira dicitur eſſe feruor ſãguinis circa cor. Poteſt autẽ id fieri vel cum voto, & ſic oritur peculiaris obligatio, vel ſine voto videl. ſolo animi propoſito, eiuſque propoſiti interiori explicatione, vt dum mente dico quod me totum Dei ſeruitijs addico & dedico.

Cæterùm, quamuis deuotio ſic propriè & formaliter ſit actus vnus ſpecialis virtutis religionis, tamen cauſaliter eſt ſuo modo vniuerſalis, quatenus mouet potentias hominis omnes tum ſpirituales, tum corporales ad exhibendum cultum Deo, vel exercendos actus virtutum quos imperat & refert in Dei cultum. Ita docet D. Thomas, quæſt. 82. cit. artic. 1. vbi ſcribit, Deuotio inuenitur in diuerſis generibus, non ſicut ſpecies illorum generum, ſed ſicut motio mouentis inuenitur in motibus mobilium: quod ibidem ad primum ſic explicat: voluntas mouet alias vires animę ad ſuos actus: & ideò cum deuotio ſit actus voluntatis hominis offerentis ſe Deo ad ei ſeruiendum, qui eſt finis vltimus, conſequens eſt, quod deuotio imponat humanis actibus modum, id eſt, ſpecialem bonitatem, vt explicat Tannerus, & conſtat ex ijs quæ ſequuntur: addit enim D. Thomas, in quantum ſcilicet deuotè ſeu religioſè dicuntur fieri, ſiue ſint ipſius voluntatis circa ea quæ ſunt ad finem, ad hæc enim ſeipſam mouet, ſiue aliarum potentiam quę à voluntate mouentur.

Hinc itaque, quia ex actibus iſtis imperatis ad quos deuotio mouet, tanquam ex effectibus & ſignis, nobis innoteſcit interior affectus erga Dei cultum, eiuſque feruor & intenſio, fit quod qui frequentius & feruentius eiuſmodi actus exercent, dicantur ſpecialiter deuoti, quia in eis relucet vehemens animus, & amor erga Dei cultum & ſeruitium.

DVBIVM II.

Quæ ſit cauſa deuotionis, & quis deuotionis effectus?

RESPONDEO & DICO Primò: Vna eſt externa principalis & primaria cauſa deuotionis, ſcilicet Spiritus Sanctus qui mentem illuſtrat, & voluntatem accendit amore cultus & ſeruitij diuini. 4

Probatur primò, generali ratione, quia omnium bonorum operum noſtrorum principalis cauſa eſt Spiritus Sanctus, iuxta illud Iacobi cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt; deſcendens* &c. Deinde ſpecialiter ex illo Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, & ex illo Ambroſij ſuper Lucam, cap. 9. circa finem, *Deus quos dignatur, vocat, & quem vult, Religioſum facit*, &c.

DICO Secundò: Ex parte noſtrâ præcipuè deuotionem generant, inprimis attenta & frequens conſideratio & meditatio infinitæ excellentiæ ac perfectionis Dei, intelligentiæ eius, ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, iuſtitiæ, miſericordię, ac ſimul omnium beneficiorum quæ ab ipſis tanquam perenni fonte in nos aſſidue deriuantur & promanant: hæc tanta enim illius excellentia, perfectio, ac bonitas efficaciſſimè mouent ac trahunt voluntatem, vt diuinis obſequijs & ſeruitijs ſe totaliter deuoueat ac mancipet: glorioſum namque & beatum iudicant homines ſeruire magnis, illuſtribus & munificis dominis. Inter beneficia autem à Deo humano generi collata, primum ac ſummum eſt, quod ſic dilexerit mundum qui iam per peccatum factus erat mortis æternæ reus, vt filium ſuum vnigenitum daret, non vt iudicet ſeu condemnet, ſed vt ſaluaretur per ipſum: eoque nomine per meritum filij, nobis auxilia & media gratiæ præ- 5

 parauerit

parauerit & donauerit, quibus à morte reſurgamus, & à peccatis mundemur, & ſalutem æternam conſequamur. Quod Apoſtolus ad Eph. cap. 2. & 3. mirificè inculcat & extollit: *Deus autem*, inquit, *qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuā: quā dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati*, &c. vnde & cap. 1. dicit ſe eorum habere memoriam in orationibus ſuis, vt Deus Domini noſtri IESV Chriſti Pater gloriæ det illis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis, vt ſciant quæ ſit ſpes vocationis ſuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus &c. vbi ſicuti & in pluribus alijs locis multa ſimilia commemorat: vnde attenta lectio & meditatio Scripturæ ſanctæ ad deuotionem excitandam & promouendam ſuperant alios quoſcumque, quos vocant pios libellos: *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, iuxta Apoſtolum ad Heb. c. 4.

Quamuis autem deuotio principaliter ex conſideratione excellentiæ diuinitatis, & perfectionum eius naſcatur & inde perficiatur; tamen quia ſicuti ex debilitate mentis, indigemus quaſi manuductione, vt per ſenſibilia aſſurgamus ad intelligentiam diuinorum & cœleſtium, ita quoque indigeamus, vt per corporalia & nobis cognita diſcamus amare incognita & cœleſtia, iuxta quod canitur in præfatione, inquit D. Thomas, artic. 3. ad 2. vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus per hunc inuiſibilium amorem rapiamur, ideò illorum quæ ad myſterium incarnationis & ad humanitatē Chriſti pertinent, aſſidua recogitatio per modum manuductionis maximè ad deuotionem conducit, quando ſollicitè expenduntur & ruminantur: vnde Apoſtolus Paulus in ſuis Epiſtolis frequenter iſta explicat, & conſideranda proponit, & ſpecialiter in Epiſtola ad Epheſ. cap. 2. & 3. item ad Coloſſ. cap. 3. ad Romanos cap. 5. Petrus in 1. Epiſtola cap. 2. & S. Ioannes in ſuis Epiſtolis.

6 Secundò cauſatur deuotio ex conſideratione noſtræ indigentiæ & miſeriarum, quibus ex nobis ſumus obnoxij, & à quibus niſi per Deum non poſſumus efficaciter liberari. Hæc enim conſideratio humilem generat ſpiritum, & ſuperbiam & præſumptionem retundit, humilibus autem dat gratiam Deus: ſicuti è contra ſuperbis reſiſtit: & ſic facit etiam conſideratio prædicta nos aduertere, quàm nobis ſit bonum & expediens, imò neceſſarium, vt toto corde Deo ſeruiamus, ac illi inhæreamus, hinc D. Bernardus in libro Sententiarum circa medium, ita ſcribit: Quatuor eſſe dicuntur quæ gratiam noſtræ deuotionis augent, memoria peccatorum quæ hominem reddit humilem apud ſe; recordatio pœnarum quę illum ſollicitet ad benè agendum; conſideratio peregrinationis noſtræ, quòd hic non habeamus permanentem ciuitatem, quæ illum hortetur viſibilia debere contemni: deſiderium vitæ perrennis quæ hominem excitat ad profectum: cogit enim à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi.

DICO Secundò: Deuotionis effectus per ſe & principalis eſt gaudium: ſecundarius autem & quaſi per accidens eſt triſtitia quæ ſecundum Deum eſt. Eſt D. Thomæ, quæſt. 82. art. 4. 7

Priorem partem ſic declarat, quia cauſatur deuotio principaliter ex meditatione bonitatis Dei, ſcilicet tum in ſe quatenus eſſentialiter bonus eſt, & ipſum ſupremum bonum, tum erga nos: ex quorum conſideratione per ſe conſequitur gaudium mentis, iuxta illud Dauidis Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*: ſicuti in probis filijs naſcitur gaudium inprimis ex cōmemoratione virtutum, & magnitudinis ſtatus, & honorum & ſimilium bonorum quibus pater eſt eleuatus & fruitur: Deinde etiam ex conſideratione boni & ſolliciti affectus parentis erga illos, ex quo vult eos promouere, & eleuare ad ſimilem ſtatum & fœlicitatem.

Poſteriorem partem declarat duplici ratione: primò, quia qui infinitum illud bonum diuinitatis conſiderant, & nondum plena viſione fruuntur Deo, concipiunt inde ſiue ex dilatione plenæ viſionis aliquem mœrorem, iuxta illud Pſal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* & tunc ſequitur, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidiè: vbi eſt Deus tuus?* ac iterum, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: ſecundò, quia deuotio non tantum ex conſideratione diuinæ bonitatis cauſatur, ſed ſecundariò etiam ex conſideratione noſtræ indigentiæ & defectuum, vt dictum eſt: ex hac autem conſideratione ſuboritur quoque triſtitia quædam ſecundum Deum: etſi verò triſtitia hæc per ſe, & primo nata ſit ſequi ex ea conſideratione, quod in multis deficiamus à ſummo bono, non tamen ideo dici debet per ſe, & principalis effectus deuotionis, quia hæc ipſa conſideratio eſt tantum quaſi ſecundaria in ordine ad deuotionem cauſandam: Vide plura de his apud Suarez, tom. 2. De religione, lib. 2. cap. 6. & 8.

DVB.

DVBIVM III.

Quid Oratio ſit?

8 NOmen orationis pluribus modis accipitur: aliter enim Grammatici, aliter Logici, aliter Rhetores, aliter Theologi de oratione loquuntur: nos hic de oratione agimus, prout in Scripturis ſanctis vſurpatur, & de ea Theologi tractant.

Sic autem ſumpta definitur à D. Baſilio Oratione in Iulittam Martyrem, quod ſit boni cuiuſdam petitio, quæ à pijs ad Deum effunditur, à Damaſceno lib. 3. De fide, Orthod. cap. 24. quod ſit petitio decentium à Deo: ab alijs autem quod ſit deſiderij coram Deo explicatio, vt aliquid ab ipſo impetremus. Senſus autem plenus eſt, quod ſit actus rationis practicæ deſiderium voluntatis explicantis, & aliquid à Deo petentis.

Colligitur ex D. Thoma, quæſt. 83. art. 4. ad 3. ex quibus intelligitur in oratione duos concurrere actus ipſius orantis, vt communiter Doctores tenent, & notat Suarez, tomo 2. libro 1. cap. 3. num. 1. quorum vnus eſt voluntatis, deſiderium ſcilicet quo bonum aliquod nobis, vel alijs conferri, vel malum auerti deſideramus; alter eſt rationis ſiue intellectus, ſcilicet practica quædam huius deſiderij explicatio ſiue ſubmiſſa intimatio, non quidem vt deſiderium Deo innoteſcat, vt benè notat D. Thomas, artic. 2. ad 3. ſed vt per eam permoueamus, & inducamus Deum ad illud nobis pręſtandum quod deſideramus: quandoquidem enim habere bona deſiderata non ſit proximè in noſtrà poteſtate, ſed in poteſtate & voluntate Dei, & non poſſimus immediatè applicare diuinam virtutem & voluntatem ad operandum, quemadmodum vires animæ noſtræ applicamus: ſed neque obligationem præcepti imponere ad ſic eum permouendum, ſicuti inferiores & ſubditos ad operandum applicamus, reſtat vt id faciamus mediatè & per modũ deprecationis ſubmittendo nos, & eius pętentiam & bonitatem recognoſcendo inducamus, vt ipſe applicet ſe ad operandum, & præſtandum quod deſideramus.

Oratio itaque formaliter eſt actus elicitus ab intellectu: nam petitio eſt quædam locutio quâ deſiderium noſtrum exponimus, vt tradit Iſidorus, lib. 10. Ethymol. cap. 4. Caſſiod. in Pſal. 38. & D. Thomas hic artic. 1. cum Ariſtot. Locutio autem interior eſt intellectus, qui eſt quaſi lingua & interpres voluntatis. Fit autem iſta locutio interior per conceptus ipſarum vocum, imò eſt eadem cum illâ locutione interiori, à quâ proximè ſolet procedere locutio exterior, vt docet Suarez ſuprà, cap. 3. n. 13. & quia non nudè & ſpeculatiuè tantum cupimus alteri innoteſcere noſtrum deſiderium, ſed explicamus illud in ordine ad diuinam voluntatem diſponendam, & ad Deum inducendum, vt deſiderata concedat, hinc rectè D. Thomas, artic. 1. docet eſſe actum rationis practicæ.

Cæterùm, quia Deum orando & ab eo neceſſaria petendo, recognoſcimus & teſtamur ipſum eſſe bonorum omnium Auctorem & Doctorem, ipſum omnia poſſe, ipſum omnium habere prouidentiam & curam, & nos eius indigere ſubſidijs & præſidijs, hinc manifeſtum euadit, quod oratio ſit actus religionis, vt docet D. Thomas, quæſt. 81. artic. 1. & quæſt. 83. artic. 3. & ibidem Caiet. & Doctores in 4. diſtinct. 15. iuxta illud Pſ. 49. *Inuoca me in die tribulationis: eruã te, & honorificabis me,* prout hoc infrà magis explicabimus: & confirmatur ex cõmuni omnium hominum apprehenſione: omnes enim exiſtimãt magnam partẽ cultus diuini ac religionis in oratione ſitam. Neque refert quod virtus religionis ſit in voluntate, & oratio ſit actus intellectus: nam voluntas imperare poteſt intellectui per virtutem religionis, vt oret. 9

Pro pleniori intelligentia, repetendum eſt hìc quod ſuprà diximus ex D. Thoma, quod ſcilicet velle aliquid, & facere id ipſum ſint eiuſdem virtutis: quare conſiderandum venit in affectu ſeu voluntate orandi, ex quo motiuo hæc oriatur: Dicimus autem, vt recta ſit & ordinata, quod oporteat vt procedat ex motiuo colendi Deum, quatenus videlicet ipſum orando profitemur & conteſtamur noſtram ſub eo ſubiectionem, & noſtram ab eo dependentiam, & omnipotentiam eius, bonitatem, & prouidentiam, quod poſſit & velit creaturis ſuis in neceſſitate & indigentiâ ſuccurrere & opitulari: Hic autem affectus ſub tali motiuo, manifeſtè eſt actus religionis, cuius proprium munus eſt, Deo cultum reddere. Quod autẽ affectus orandi ſit & debeat eſſe talis, poteſt ex rebus humanis probari, quia inde fit, quod maiores non velint dici orare minores, etſi quædam ab eis petant ſeu exigant, quia non volunt recognoſcere aliquam dependentiam ab illis, neque aliorum potentiam aut excellentiam ſupra ſe aut ſuam, eſſe maiorem, quod qui propriè orant aliquem, recognoſcunt: vnde apparet quod oratio ex ſua intrinſeca ratione ſit nota quædam ſubiectionis ipſius orantis ad eum quem oratione propriè dicta orat. 10

Et declaratur amplius, quod id debeat eſſe motiuum proprium orandi Deum, quia non oramus Deum vt aliquid ei manifeſtemus quod eum latebat, qui ſcrutatur corda & renes, & nouit neceſſitates noſtras, & de-

Digitized by Google

ſideria noſtra, priuſquam vel mente illa explicemus: ſed oramus, vt colendo eum per indigentiæ & dependentiæ noſtræ ab illo recognitionem & per proteſtationem potentiæ & bonitatis & miſericordiæ eius impetremus vt fiat, quod fieri deſideramus.

11 Opponet aliquis primò: Sunt diuerſarum virtutum ea quę poſtulantur per orationẽ, vt v. g. poſtulatur continentia quæ ſpectat ad temperantiam, poſtulatur remiſſio peccatorum quæ ſpectat ad pœnitentiam, poſtulatur augmentum charitatis quod ſpectat ad charitatem: atqui quæ poſtulantur ſunt finis orationis: à fine autem ſumitur ſpecies actus in moralibus, ergò oratio non eſt actus vnius alicuius virtutis ſed diuerſarum, prout adhibetur ad diuerſa poſtulata impetranda.

Reſpondetur ad ſubſumptum, quod ſpecies actus ſumatur à fine actui intrinſeco, non ab externo, ad quem conſequendum per accidens aliquando adhibetur quando ad illum poteſt eſſe medium conueniens: Iſta autem poſtulata ſunt fines extrinſeci, ad quos conſequendos virtutes prædictæ quaſi vtuntur virtute religionis & imperant, vt per ipſam mediante oratione obtineãt fines ſuos: ſed finis intrinſecus & proximus orationis bene ordinatæ eſt Deum colere, ſicuti iam oſtendimus. Quare dictis non obſtat, quod ex affectu obtinendi rem quam deſideramus, moueamur ad orationem, quia inde tantum efficitur, talem orationem eſſe imperatam ab alia virtute, vel etiam ex amore alicuius commodi proprij, quod honeſtè appeti poteſt, quod inconueniens non eſt, vt tradit Suarez ſup. lib. 1. cap. 7. num. 9. & ſumitur ex D. Thoma, quæſt. 83. art. 1. ad 2. & Caiet. ibidem.

Vnde neque verum eſt, quod oratio in ſe conſiderata ſit explicitè, & formaliter actus ſpei: & tantum interpretatiuè & implicitè actus religionis, vt vult Leſſ. li. 2. c. 37. du. 2. n. 8. quia iam oſtendimus, quod vera & propriè dicta oratio ad Deum, inuoluat intrinſecè recognitionẽ orantis, quod ipſe & omnia bona à Deo dependeant, & ipſe ſolus potens ſit deſiderata præſtare, vt docet Tannerus tom. 3. diſp. 5. qu. 1. dub. 4. n. 75. quod eſt illum formaliter & in actu exercito honorare. Neque refert, quod ex ſpe obtinendi quæ deſiderat quis, oret: quia inde tantũ efficitur, quod ſpes prerequiratur tanquam excitans ad orationem, & veluti conditio quædam ſine qua non: non autem quod oratio ſit actus à virtute ſpei elicitus.

Opponet aliquis ſecundò: Ex dictis ſe-
12 quitur, quòd quotieſcumque aliquis orat abſque formali intentione colendi Deum, is neque exerceat actum religionis, neque debitè aut conuenienter oret, vt dignus ſit exaudiri, quod videtur durum & parùm credibile.

Reſpondetur, Negando illationẽ ſi conſequens intelligatur de formali intentione colendi aut honorandi Deum ſub eiuſmodi vniuerſali & generico termino: ſatis enim eſſe dicimus ad hoc vt actũ religionis exerceat, & conuenienter oret, quod velit orare Deum, quia recognoſcit ſuam indigentiam, & omnium eorum quæ deſiderat dependentiam à Deo, & ipſius Dei potentiam ad illa præſtanda: nam iſta oratio ex tali motiuo profecta eſt formaliter cultus Dei. Omnis autem qui ex vera fide Deum orat, ſolet orando iſta recognoſcere: quod ſi quis nihil tale, vel aliquid æquiualens apprehendat, ſed cogitet ſolum de obtinendo bono quod petit, is facit materialem actum cultus, ſed vt ab ipſo eſt (inquit Suarez ſup. nu. 14.) non eſt verus actus religionis, quia non procedit ab affectu qui ſit actus à religione elicitus.

DVBIVM IV.

Vtrùm de neceſſitate ſalutis ſit orare?

INquirit hoc D. Tho. art. 2. quæſt. 83. 13
Reſpondetur breuiter: Oratio ad ſalutem eſt neceſſaria. Hoc tamen intellige habere locum in ijs qui orationis ſunt capaces, vt in adultis & qui mentis ac rationis ſunt compotes. Sumitur ex D. Thoma hîc q. 83. art. 3. ad 2. vbi dicit eſſe ſub præcepto: & tenent communiter Theologi, Palud. in 4. diſt. 15. Abulen. in cap. 6. Matthæi 4. 31. Medina Cod. De oratione, quæſt. De neceſſitate orandi mentaliter, Mald. tract. 10. cap. 2. dub. 1. Sylueſt. V. Oratio, quæſt. 8.

Colligitur autem ex multis Scripturæ locis, quibus exhortamur ac monemur ſemper orare, Eccl. cap. 18. *Non impediaris orare ſemper*, quaſi diceretur, ne alijs occupationibus ſic indulgeas, vt à tam neceſſario exercitio orationis impediaris: Chriſtus Lucæ 18. dicit: *Oportet ſemper orare, & non deficere*: Ad quæ verba D. Chryſoſt. ſerm. De Moyſe tom. 1. ſic ſcribit: Dum oportet, dicit, neceſſitatem inducit 1. ad Teſſalon. cap. vlt. *Sine intermiſſione* (inquit Apoſtolus) *orate*. Ad Coloſſenſes 4. *Orationi inſtate, vigilantes in ea*, & alibi in Scripturis frequentius talia occurrunt: atqui non tam crebrò & cum tantâ inſtantia ingeminaret Scriptura iſta, niſi oratio res eſſet maximè neceſſaria homini ad ſalutem: non enim ſic inculcare ſolet ea quæ tantum ſunt conſilij, & non neceſſaria; ergò &c.

Ratio autẽ vnde tanta neceſſitas oriatur, poteſt aſſignari duplex: vna quia ratio naturalis

Digitized by Google

turpis dictat, vt à quo ſolo omnia nobis neceſſaria vel vtilia ad ſalutem ſperamus, & expectamus, vt hunc, inquam, pro recognitione indigentiæ noſtræ, & honore eius, aliquãdo accedamus & oremus quatenus ea quæ nobis ſunt neceſſaria, elargiri dignetur, ita vt hoc ſemper & perpetuò intermitti nõ poſſit abſque quadam ſpecie neglectus & contemptus, non tantum beneficiorum eius quæ paratus eſt petentibus dare, ſed etiam ipſius auctoris tantorum bonorum: quod facilè ex humanis poteſt colligi: quis enim vir potens & munificus qui indigentibus ſubditis promiſit neceſſaria quando illa peterent, non malè ferat ac ſe & ſuam liberalitatem contemni iudicabit ſi quis ex illis, nunquã ab eo ſubſidia petat, ſed indigentiã potius pereat: quod ratione magis ſpeciali & iure potiori habet locum in Deo; Et quod Deus hoc ad ſuũ honorẽ pertinere iudicet, colligi poteſt ex illis eius verbis Pſalm. 49. antè quoque citatis, ***Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me***: quaſi diceret quod in tribulatione ad me recurras & inuoces me, hoc honorificum mihi reputabo.

14 Altera ratio eſt, quia oratio eſt medium quoddam, ſine quo auxilium neceſſarium haberi non poteſt: quandoquidem enim etiam iuſti quotidiano indigeant auxilio ad ſuperandas tentationes, ac perſeuerandum in iuſtitia, Deus autem ſtatuerit hoc auxilium paſſim non conferre niſi petentibus, manifeſtum euadit, quàm oratio nobis ad ſalutem conſequendam ſit neceſſaria. Sic autem merito Dominus ordinauit, vt intelligamus ac recognoſcamus à quo nobis ſalus & omnia bona proueniant, eique debitas gratias agamus. Vnde tam inſtanter inculcat Chriſtus Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit* &c.

Ex dictis itaque, & alijs ſimilibus docet Suarez tom. 2. lib. 1. cap. 28. & 28. Orationem eſſe neceſſariam, Tum neceſſitate medij, quàm etiam confirmat ex D. Aug. qui lib. De natura & gratia cap. 43. dicit Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet & facere quod poſſis & petere quod non poſſis, eandemq; doctrinam etiam approbat Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. Tum neceſſitate præcepti, quod ad neceſſitatẽ medij per ſe ſequitur, quia media neceſſaria ad ſalutem, ſunt nobis iure diuino præcepta, vt docet D. Tho. ſup. De fide, q. 2. a. 5. & q. 3. a. 2. & Theologi communiter: alioquin tenet Suarez non eſſe particulare præceptum poſitiuum de Oratione.

DVBIVM V.

Pro quo tempore obliget neceſſitas ſeu præceptum orandi?

RESPONDEO & DICO Primò: Neceſſitas orandi, vt in iure naturæ ſecundum rationem fide illuminatam, eſt fũdata, poteſt dici libera ſeu exempta à determinatione certi temporis: Quatenus ius illud nõ definit certos dies aut certas horas pro quibus ſimus obligati orare & à Deo ſalutaria petere; Quemadmodum certa tempora iure Eccleſiaſtico præſcribuntur orationibus publicis. Ita Suarez ſup. cap. 30. nu. 8. D. Tho. in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. quæſt. 3. & alij communiter. 15

DICO Secundò: Certis tamen occaſionibus & euentibus contingit, quod præceptum orandi hic & nunc obliget ad orationem. Vt inprimis in magnã tentatione quã abſque peculiari Dei auxilio exiſtimat quis ſe non poſſe ſuperare; Suarez ſup. nu. 17. Secundò, quando ſubeundum eſt grande periculum, ex cuius occaſione metuit à virtute deficere, niſi à Deo confortetur: ſimiliter in magno periculo Reipublicæ vel proximi, quod non niſi orationis præſidio videatur poſſe auerti, vide Nauarr. in Enchiridio cap. 3. quæſt. 15. De oratione. Tertiò, quando occurrit peccatori neceſſitas ſuſcipiendi vel adminiſtrandi Sacramentũ, Medina Cod. de Oratione, quæſt. 11. tunc enim cum debito dolore tenetur rogare veniam ſuorum peccatorum, vt dignè poſſit Sacramentum ſuſcipere aut conferre. 16

DICO Tertiò: Etiã extra hos & ſimiles caſus, obligamur orare ſæpius, ac inprimis circ initium vitæ rationis eſſe orandum abſque diuturniori dilatione ſatis cõmuniter tenẽt DD. vt tradit Malderus tractatu 10. cap. 2. dub. 1. Ratio enim dictat, vt dum intelligere ac apprehendere incipimus nos diuinis auxilijs in bonis actibus indigere & Deum ſolum poſſe illa dare ac paratum eſſe & promiſiſſe dare petentibus, mox ad illum confugiamus, & eius bonitatem imploremus ac noſtram confiteamur ipſi indigentiam. Deinde ſatis communiter tradunt quoque Doctores orationem intermitti non poſſe ad magnũ tempus, v. g. ad tempus vnius menſis, vt docet Malderus ſupra: Syl. V. oratio quæſt. 8. Angelus ibidem: Aſorius 1. parte lib. 9. cap. 34. Exiſtimarem autem ne quidẽ ad tantum tempus intermitti poſſe, quod indicat Suar. ſup. n. 16. propter magnã eius ſcil. neceſſitatem ad vitæ rectitudinem: imò nec ad octo dies poſſe intermitti, quia Scripturæ ſacræ tam vehementer inculcãt ſemper eſſe orandum, & ſine intermiſſione eſſe orandum. 17

Digitized by Google

Ad quod accedit quod indigeamus quotidianis auxilijs diuinis vt contra lapſum in peccata præſeruemur.

D. Thomas verò ſupra indicat præcepto Eccleſiaſtico dies feſtos omnibus fidelibus prædefinitos ad orandum, ſic enim ſcribit. Omnibns etiam qui miniſterijs nō funguntur, videtur ab Eccleſia determinatū tempus orandi, ſtatutum eſſe, cum ex Canonum ſtatuto teneātur diebus feſtis diuinis officijs intereſſe, vt miniſtris orantibus ſuam intentionem conforment.

18 Obſeruandum hic cum D. Thoma, q.83. art.2. in Corp. quod oporteat ſic inducere orationis neceſſitatem & vtilitatem, vt neq; rebus humanis diuinæ prouidentiæ ſubiectis imponamus neceſſitatem, addo nec eam admittamus impoſitam, quia tum excluderetur (inquit D.Thom.) orationis vtilitas: neque diuinam diſpoſitionem mutabilem æſtimemus: quod cum D. Thoma ſic rectè explicat Tann. ſup. quæſt.1. dub.4. nu.73. quia enim diuina prouidentia (inquit) non ſolum diſponit effectus faciendos, ſed etiā cauſas & media quibus efficiendi ſunt, & inter hæc nonnunquàm etiam ipſos actus humanos liberos, qualis eſt oratio, idcirco neceſſe eſt tum alias actiones humanas, tum etiam orationem ad Deum interuenire, nō quidem vt immutetur diuina diſpoſitio, ſed vt per eiuſmodi actus & orationes impleantur, & executioni mandentur effectus ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ à Deo per hæc media diſpoſiti: quo ſenſu dixit D. Auguſtinus, ſerm.1. de S. Stephano, Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Orationes itaque fiunt, vt ſcil. homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens, antè ſecula diſpoſuit donare, vt ait D. Greg. lib.1. Dialog. cap.8. Similia habet D. Proſper lib.2. De vocatione gent. c.36. & ad confirmationem adducit ex Tobia c.6. & 7. quod licet Sara, vt ait Angelus c.7. deberetur Tobię Iuniori timenti Deum, (ſcilicet ſecundum diuinam ordinationem) tamen iuſſerit Angelus, eos orationibus vacare, ne à coniugio impedirentur. Sic quoq; exponit Suarez tom.2. de Relig. lib.1. c.6. n.11. Sed latius difficultas illa ſolet diſputari in 1.p. in Tra. de prędeſt.

DVBIVM VI.

Vtrùm oratio etiam vocalis ſit in præcepto?

19 Quæſtio eſt de oratione priuatâ ſingulorum fidelium, non de oratione publicâ de quâ conſtat quod iure Eccleſiaſtico pluribus ſit in præcepto.

Negant itaque Durandus in 4. diſt. 15. qu.12. Suarez tomo 2. De religione lib. 3. de orattione cap.6. Aragonius hic ad q.83. art. 12. qui putat etiam eſſe ſententiam D. Thomæ propter hęc eius verba: Et de huiuſmodi orationis (ſcilicet priuatæ) neceſſitate non eſt, quod ſit vocalis.

Verùm non ſatis videtur Aragonius aſſecutus horum ſenſum, quia per illa verba nō aliud docet D. Tho. quàm orationem priuatam poſſe legitimè & conuenienter fieri ſine vocis miniſterio, non ſic autem orationes publicas, quibus priuatam ibi opponit.

Docet tamen D. Tho. vocem triplici de causâ adiungi orationi etiam priuatæ, non explicādo clarè, vtrùm ex aliquo præcepto teneantur fideles vocaliter aliquando orare priuatim.

Primò autem dicit adiungi vocem ad excitandam interiorem deuotionem, vt mens orantis ſic eleuetur in Deum, quia per exteriora ſigna ſiue vocum, ſiue etiam aliquorū factorum (inquit,) mouetur mens hominis inprimis ſecundum intellectum & apprehenſionem, & deinde etiam communiter ſecundum affectionem. Hinc D. Aug. epiſtola 121. ad Probam ſcribit, quod per interualla temporum & horarum, etiam verbis rogāmus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, & ad augendum deſiderium ſanctum nos ipſos acrius excitemus.

Secundò dicit D. Tho. vocem adiungi quaſi ad redditionem debiti, vt ſcil. homo Deo ſeruiat ſecundum illud totum, quod ex Deo habet, non ſolum mente, ſed etiā corpore: vnde Oſeæ cap. vltimo dicitur, *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, id eſt Sacrificium laudis labiorum noſtrorum.

Tertiò adiungitur vox orationi ex quâdā redundantiâ ab anima in corpus ex vehementi quâdam affectione, iuxta illud Pſalm. 15. (inquit D. Tho.) *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.*

Ex quibus, ratio ſecunda videtur inferre 20
& probare quandam neceſſitatem orationis etiam vocalis: nam ſimili argumento ſupra cum Suarez docuimus cultum Dei externū homini eſſe in præcepto naturali, & in hanc ſententiam propendet Malderus ſup. cap.2. dubio 1.

Neque refert quod opponit Suarez, ſcil. quod ius naturæ, licet cultum externum homini iniungat, non tamen determinat hunc aut illum cultum externum, ſed indifferenter videatur quemlibet relinquere liberum: hoc enim ad orationem vocalem nō videtur extendendum: ex quo enim oratio particulariter eſt homini in præcepto naturali, vt cum illo diximus antè dub. 4. circa finem, hinc conſequenter oratio vocalis in particulari quoque cenſeri debet, illi eſſe in præcepto, vt Deo ſeruiat etiam hoc genere cultus ſecundum illud totum quod ex Deo habet,

habet, vt loquitur D. Thomas ſupra: & quidem omnes ſcripturæ ſupra allegatæ pro orationis neceſſitate, potiſſimũ de oratione vocali videntur agere. Vnde Lucæ cap. 11. quando Apoſtoli petebant à Chriſto vt doceret eos orare, ſic docuit, *Cum oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum* &c. Accedit quod ſit quædã moralis neceſſitas orationis vocalis, vt mens orantis eleuetur in Deum, & ſancta deſideria in affectu prouocentur, vel adaugeantur, vt indicat D. Aug. epiſtola ſupra citatâ ad Probam: moralis autem neceſſitas non tantum dici debet per accidens inducere obligationem talis orationis, ſed etiam per ſe loquendo. Cæterum, quantum ad eos, qui orandi ſint, an aliqui præter Deum, latè ea de re egimus in 3. p. q. 25. vbi oſtendimus contra Hæreticos, quod etiam Sancti in cœlo cum Chriſto regnantes ſint à nobis orandi & inuocandi tanquam interceſſores ad Deum pro nobis. Quare illa hic non repetimus.

DVBIVM VII.

Quænam ſint petenda in oratione?

21 RESpondetur, ea ſummatim contineri & explicari in oratione quam Chriſtus Matt. 7. nos docuit, Dominica cõmuniter inde dicta: de qua ex D. Aug. ſcribit S. Tho. quæſt. 83. art. 9. quod in hâc non tantum petantur omnia quæ rectè deſiderare poſſimus, ſed etiam eo ordine quo deſideranda ſunt: ſic vt hæc oratio non ſolum doceat poſtulanda: ſed etiam informatiua ſit totius noſtri affectus, quomodo componi & ordinari debeat in ſuis petitionibus.

Vnde merito inter omnes formas orandi hominibus datas aut præſcriptas hactenus, cenſetur illa primum tenere locum dignitatis & excellentiæ, tum propter Autoris eminentiam ſupra omnes, tum etiam, quia ſummâ breuitate ac mirabili diſpoſitione omnes partes bonæ orationis, & vniuerſam orandi materiam complectitur.

Succincta Expoſitio Orationis Dominicæ.

QVare vt plenius ex eâ intelligantur quæ & quo ordine vnumquodque debeamus petere & orare, hinc ſuccinctam orationis Dominicæ expoſitionem ſubiungemus.

22 Per modum itaque præambuli in initio præmittitur compellatio eius quem oramus, & dicitur: *Pater noſter, qui es in cœlis*: vbi patris nomen non accipitur vt deſignat primã tantum perſonam Trinitatis prout illi conuenit ſecundum proprietatem; ſed vt eſt nomẽ commune toti Trinitati, vt explicant D. Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ: Gregorius Nyſſenus in eadem: Tertulianus libro De oratione, capite 2. D. Ambroſius, lib. 5. de Sacramentis cap. 4. & Auguſtinus ſermone 126. De tempore.

Porrò quamuis titulo creationis, & prouidentiæ ac gubernationis merito Deus vocari poſſit Pater noſter, iuxta illud Moyſis in Cantico Deuteronomij 32. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poßedit te, & fecit, & creauit te;* tamen SS. PP. citati magis indicant nos hic Deum compellare Patrem ratione ſpiritualis adoptionis, quâ nos per Chriſtum adoptauit in filios, vt ſimus hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, iuxta illud ad Romanos cap. 8. *Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater* &c. omnes enim iſti notant eos qui Patrem inuocant Deum, recognoſcere ſe filios per gratiam. Vnde dicit D. Aug. quod ſic incipiendo, bonitatem Dei & gratiam profitemur: & Cyprianus, Scire debemus (inquit) quia quando Patrem dicimus Deum, quod quaſi filij Dei agere debeamus: poſtquam enim Chriſtus his qui eũ receperunt, dedit poteſtatem filios Dei fieri, nata eſt nobis peculiaris fiducia ſic in communi Deum compellandi Patrem noſtrum.

Dicitur autem, noſter, iuxta D. Cyprianũ, non, meus, vt ſignificetur orationem debere eſſe ex communi charitate profectam: quãdo enim omnes dicimus *Pater noſter*, omnes nos fratres eſſe fatemur, conformiter ad doctrinã Chriſti, Mat. 23. *Omnes vos fratres eſtis.* Vnde & illud indicatur, vnũquemq; debere orare non pro ſe tantùm, ſed etiam pro alijs, atque adeò pro toto populo: nam illud Noſter, rectè intelligitur ſe extendere ad viatores omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus: quamuis enim non omnes ſint actu filij, per gratiam, tamen Deus qui 1. ad Timoth. 4. cap. *Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, complectitur ſuo modo omnes paterno affectu, quatenus eius bonitas, patientia, longanimitas, & benignitas ad hoc tendunt, vt adducat eos ad pœnitentiam, quemadmodum monet Apoſtolus ad Rom. cap. 2. vnde etiam idem ad Timoth. 1. c. 2. hortatur fideles, vt pro omnibus orent, quia Deus vult omnes ſaluos fieri.

Additur, *Qui es in cœlis*, licet enim in terris 23
quoque & vbique ſit præſens, iuxta illud Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades*, tamen peculiariter in cœlis eſſe dicitur, quia in eis elucet diuina imprimis maieſtas in eorum creatione, in eorũ magnitudine, in ordinatiſſimis eorum motibus: & in omni ipſorum pulchritudine & ornatu. Deinde, quia illo in loco, Angelos bonos, & homines ſanctos beatificat, atque ita illic quaſi regiam & cœleſtem curiam colloca-

collocauit: Per iſtam verò illius loci deſignationem tanquam ſpecialis reſidentiæ Dei ipſius, abducitur orantis affectus à terris, & terrenis rebus, vt docet D. Chryſoſt. Homilia 20. in Matth. incitatur enim & erigitur ad ſuperna & cœleſtia: quia affectibus filiorum trahitur naturaliter ad locum vbi parentes degunt, & in honore ſunt: vnde Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 3. ſic hortatur fideles, *Si conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens.*

Hoc itaque præambulum maturè perpenſum valdè eleuat mentem in Deum: in verbis enim illis continetur acceſſus ad Deum per fidem tanquam ad Patrem, & primum principium totius noſtri eſſe, non tantum ſecundum naturam, ſed etiam ſecundum gratiam, ac ſimul tanquam ad finem vltimum, cuius poſſeſſione & fruitione ſperamus perenniter beari: excitatur quoque charitas, quia filijs nihil poteſt aut debet carius eſſe, quam parens, atque ita audito nomine Patris, incitamur accedere ad Deum cum filiali amore & reuerentia: de quo vide D. Auguſtinum, ſermone 182. De tempore: Roboratur & fiducia orantis: quid enim, inquit D. Auguſt. ſermone citato, iam non det filijs petentibus pater, qui hoc ipſū dedit vt eſſent filij: & Chriſtus Matth. 7. *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs, quanto magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona, petentibus ſe.*

Præmiſſâ autem iſtâ præfatione ſubſequuntur petitiones ſeptem optimo ordine diſpoſitæ, vt diximus, & declarat D. Tho. ſupra art. 99. quæſt. 83.

Prima Petitio.

24 Prima eſt: *Sanctificetur nomen tuum*: quæ merito ponitur primo loco, quia ſpectat ad dilectionem Dei, quâ illum in ſe ipſo & bona eius, vt eius ſunt, ex affectu charitatis diligimus: per illam namque cupimus & optamus nomen Dei noſtri, id eſt honorem & gloriam eius, ſiue ipſum Deum noſtrum ſanctificari ac celebrari in nobis, per recognitionem, amorem, venerationem, ac deprędicationem magnitudinis, pulchritudinis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis & omnium perfectionum eius: dicit enim D. Gregorius Nyſſenus, petere vt nomen Dei ſanctificetur, idem eſſe, quod petere vt glorificetur in nobis, & D. Aug. lib. 2. De ſermone in monte, cap. 5. petimus vt nomen Dei ſanctum habeatur ab hominibus, & ita illis innoteſcat Deus, vt non exiſtiment aliquid ſanctius, quod magis offēdere timeant.

Benè autem D. Tho. in caput 56. Iſaiæ ex ſcripturis deducit, & dat intelligere, quomodo nomē Dei ſit ſanctificandū, quando ſic de illo ſcribit, Nomē Dei magnum eſt ad timendum, ſanctum eſt ad venerandum, dulce ad meditandum, copioſum ad miſerendum, efficax ad impetrandum, virtuoſum ad ſaluandum, occultum ad ſciendum.

Secunda Petitio.

Secunda petitio eſt: *Adueniat Regnū tuum*: 25
quæ iuxta D. Thomam, artic. 9. citato, ſpectat ad dilectionem quâ diligimus nos in Deo: ita rectè quidem, ſiue intelligamus ſermonem eſſe de regno quo Deus hic in iuſtis regnat per gratiam & ſanctas operationes, quas per Spiritum Sanctum in eis excitat & efficit: quod regnum opponitur regno diaboli & peccati; de quo Apoſtolus ad Rom. c. 6. loquitur, quando ſic monet: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*, ſicuti petitionem hanc accipiunt D. Ambr. lib. 5. De Sacramentis, cap. 5. Hieronymus in cap. 6. Matth. & Cyrillus Hieroſolimitanus Catecheſi 5. miſtagogicâ; ſiue intelligamus ſermonem eſſe de regnō æternæ beatitudinis, vti accipiunt hanc petitionem Tertullianus in Apologetico, cap. 30. Cyprianus ſupra in expoſitione orationis Dominicæ, D. Chryſt. Homilia 20. in Matth. & D. Th. hic quæſt. 83. art. 9. citato: per quam, inquit, petimus ad gloriam regni eius peruenire.

Nullum autem erit inconueniens, ſi intelligamus vtrumque hâc petitione poſtulari: & orando intendamus vtrumque impetrare, prius tanquam viam & medium ad poſterius tanquam terminum & finem ad quē ſuſpiramus: quare ſicuti in prima petitione exercetur ſublimis actus charitatis, ita in ſecunda rectè intelligitur exerceri actus ſpei ac deſiderij ſummi boni quo verè ſumus beandi, quatenus regnū cœleſte, & media ad illud nobis aduenire & donari poſtulamus.

Tertia Petitio.

Tertia petitio eſt: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Iuxta D. Thomam 26
per hanc poſtulamus medium directè, & principaliter ordinans nos ac ducens ad finem beatitudinis poſtulatum, quod conſiſtit in obedientia & obſeruantia diuinæ voluntatis, quibus regnum cœlorum promeremur. Vnde hic petimus primò, vt exactè obſeruentur & adimpleantur, tum à nobis, tum ab alijs diuina præcepta, non ſolum quia nobis hoc bonum eſt, & proficiunt ad beatitudinem, ſed vel maximè, quia hoc eſt Deo gratum, & quaſi bonum quoddam eius quo ipſe gaudet, & ſic quoque eſt actus charitatis: & ſimul, quia Deo eſt honorificū, quod eius mandatis obtemperetur, ſicuti & cætera omnia in ordine ad laudem & gloriā diuini nominis agere & petere debemus.

Secundò rectè intelligimur etiam petere, vt in omnibus quoque rebus alijs fiat & adimpleatur voluntas diuinæ complacentiæ, quam

Digitized by Google

quā ex ſe habet, ſiue ea ſit abſoluta omninò, ſiue conditionata ex parte obiecti, quæ dici ſolet ſimplex complacentia, aut voluntas antecedens, ſic vt petamus diuinum beneplacitum noſtris anteponi commodis & affectibus, v. g. quod exhibeamus nos paratos per omnia acquieſcere in eius ſancta volūtate, ſiue velit nos abūdare, ſiue periuriā pati, ſiue bonâ valetudine frui, ſiue infirmitatibus & morbis ſubiacere, ſiue citius, ſiue tardius mori, & ſic de alijs: in quo conſiſtit magnæ virtutis actus. Indicat hæc Tertulianus ſupra, vbi hanc petitionem intelligit de conformitate cum diuinâ voluntate in omnibus, quæ nobis obueniunt. Pro quo & facit, quòd non dicatur tantum, vt faciamus voluntatem Dei, ſed ſimpliciter vt fiat. quod obſeruarūt auctor Operis Imperfecti, Homilia 14. & Euthimius in cap. 6. Matth.

Neque dictis obſtat, quod abſoluta Dei voluntas complacentiæ ſemper infallibiliter ſit adimplenda, vnde videri poſſit quod nō oremus nec orandum ſit, vt fiat & adimpleatur, quia ipſa oratio ſæpè eſt medium quo ſit adimplenda, vt ſupra indicauimus v.g. bona Dei voluntas quâ electos prædeſtinauit ad gloriam, ordinariè adimplenda non eſt ex decreto ipſius Dei niſi mediantibus orationibus: ſicuti hoc in 1. parte latius explicari ſolet.

Quarta Petitio.

27 QVarta petitio eſt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vt legitur apud Lucam cap. 11. ſiue panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie, vt eadem vox græca vertitur apud Matth. cap. 6.

Hic iuxta D. Thomam petitur directè quidem medium, ſed inſtrumentaliter vtile ad finem beatitudinis obtinendum; & ad illum nos coadiuuans: ſub nomine enim panis recte intelligimus peti tam panem ſpiritualem Euchariſticum, qui eſt Chriſtus in Sacramento, de quo dicitur Ioannis cap. 6. quod ſit panis verus de cœlo deſcendens, quàm panem materialem ſeu corporalem. Ita hanc petitionem accipiunt multi Sancti PP. vt D. Cyprianus, Gregorius Nyſſenus, D. Tho. locis ante citatis, & quoque Tertullianus.

Neque vlla eſt repugnantia in eo, quòd vtrumque dicamus peti dictis verbis: nomē enim panis, vſitatè ſatis in ſcripturis ſanctis ſolet ſignificare, tū ſpiritualem illum cibum, tum materialem: deinde ſolent & ſcripturæ ſæpius admittere & habere plures ſenſus litterales æquè principaliter à Spiritu Sancto intentos, ad quos ſic ſimul ſignificandos ſuggerit ipſe ſcriptoribus Hagiographis verba idonea & conuenientia. Petendo autem Sacramentum Euchariſtiæ quod eſt principale, rectè intelligimur etiam petere alia Sacramenta vnicuiq; conuenientia, vt art. 9. citato docet D. Tho. neque tantùm ipſa Sacramenta ſed & eorū effectum continuū & bonū vſum: vnde Tertullianus rectè dicit, nos petere hunc panem quem iam Chriſtus ex ſe nobis dedit, ne culpâ noſtrâ fructu illius priuemur & careamus.

Neque etiam in hoc ſenſu petitionem accipiendo, malè additur *Hodie*; quamuis enim iſte cœleſtis panis poſſit peti etiam pro futuro tempore, tamen per illud hodie monemur quod ſingulis diebus affectus & deſiderium illius ſit excitandum, & ſingularis ad illum ſumendum præparatio facienda, ſi non ad realem perceptionem ſaltem ad ſpiritualem eius manducationem. Quod autem panis nomine conuenienter hic Sacramentum Euchariſtiæ comprehendatur, oſtendi & confirmari multùm poteſt ex eo, quod addatur ſuperſubſtantialis, quæ vocula huic cœleſti pani proprijſſimè congruit, quia ſupernaturalis eſt, & ſupra rationem ſubſtantiæ noſtræ.

Porrò ſicuti Euchariſtiam tanquā Sacramentum præcipuum petendo, diximus nos ſimul petere reliqua Sacramenta, ita quoque panem materialem petendo, ſimul petimus omnia neceſſaria ad hanc vitam corporalem tranſigendam, quæ nomine panis frequentius ſolent in Scriputris ſignificari. Rectè autē etiam hæc à Deo per orationem poſtulari, docet ex Aug. epiſt. 121. c. 6. & 12. D. Tho. hic quæſt. 83. art. 6. quatenus ſcil. ſunt adminicula neceſſaria ad vitam ſuſtentandam & ſic ad Deo ſeruiendum.

Dum autem ſub nomine panis petuntur vitæ neceſſaria, indicat Chriſtus quantâ moderatione ſint hæc tēporalia deſiderāda, vnde & additur *Noſtrum*, id eſt, qui nobis eſt neceſſarius, & ad ſubleuandam noſtram indigentiam creatus eſt. Per hoc autem quod dicitur, *hodie*, rectè admoneri intelligimur non debere quoad temporalia nos eſſe ſollicitos de craſtino, vt eodem cap. 6. Matth. expreſſius Chriſtus docet.

Sed difficultas moueri poteſt, quomodo nomine panis dici poſſit hic peti panis materialis, quandoquidem ille non ſit ſuperſubſtantialis?

Reſpondetur, etiamſi panis Euchariſticus principaliori quodam modo ſit ſuperſubſtantialis, tamen panem corporalem ſuis quoque modis poſſe dici ſuperſubſtantialem, inprimis vno modo in ſenſu, vt ſic dicam merè materiali, vt ſuperſubſtantialis dicatur, quia inter omnia alimenta panis eſt præcipuus, & ſic valdè ſeu ſupra modum ſubſtantialis, & maximè accommodatus vitæ noſtræ: quem ſenſum indicat D. Thomas art. 9. quæſt. 83. citatâ, & D. Baſilius in regulis breuioribus 252. Deinde in alio ſenſu quaſi ſpirituali, vt panis iſte corporalis petatur 28

tatur

tatur ſub nomine Superſubſtantialis, quia ſcilicet petitur non ſimpliciter ad vitæ ſuſtentationem, quaſi ibi tanquam in fine ſiſtatur, ſed petitur quatenus conſequenter mediante corporali vitâ ſeruimus Deo, & exercemus opera pietatis, & merita vitæ æternæ: quem ſenſum colligere licebit ex doctrina D. Thomæ, art. 6. citato.

Quinta Petitio.

29 NOtandum hic eſt: Quintam, ſextam, & ſeptimam petitionem verſari circa mala à nobis remouenda, vnde orationis Dominicę petitiones poſſũt proximè diuidi in duo quaſi membra, quod quædam, ſcil. quatuor primæ, verſentur circa boni alicuius conſecutionem impetrandam, quædã verò ſcil. tres poſtremæ verſentur circa remouenda vel impediẽda mala quibus ſubiacemus vel quæ nobis inſtant: per quas dicit D. Tho. ea peti, quibus per accidens ad finem noſtrum ſiue beatitudinem ordinamur, quia remotio prohibentis, per accidens concurrit ad beatitudinis conſecutionem, quatenus ſcilicet per accidens eſt quod malum ſuperueniat nos à fine noſtro impediens.

30 Quintâ itaque petitione principaliter poſtulamus à nobis auferri mala culpæ ſiue peccata quæ commiſimus, vti paſſim exponunt Sancti PP. & docet D. Tho. art. 9. quod & Chriſtus ſatis declarauit, quando eodem loco ſubiunxit, ſi enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: & Lucæ cap. 11. expreſsè dicitur: *Dimitte nobis peccata noſtra*: vocantur peccata itaque debita, quia conſtituunt hominem ſatisfactionis, & pœnæ reum ac debitorem.

Quæri autem circa hanc petitionem poteſt primò: quænam peccata hic rogemus nobis dimitti, an venialia, an mortalia, an vtraque?

Reſpondetur nos rogare, vt nobis dimittantur peccata quibus ſumus obnoxij, ſiue venialia ſiue mortalia ſint, vt docet in expoſitione orationis Dominicæ D. Gregorius Nyſſenus: & quidem de venialibus nulla poteſt eſſe difficultas, quia Sancti Patres ex hâc oratione colligunt, eſſe quædam venialia peccata, eò quòd tam à iuſtis, quàm peccatoribus ſit frequentanda & recitanda quotidie: in iſtis autem non ſunt delicta mortalia, quæ cum iuſtitia non conſiſtunt: debent igitur admitti quædam peccata leuiora, quæ iuſtitiam non tollant, & venialia dicuntur vt Sancti Patres ratiocinantur, & conſequenter dicendum eſt horum dimiſſionem ſeu veniam hâc oratione iuxta eoſdem, peti & rogari. Quod verò etiã mortalia petamus nobis dimitti, indicat ſatis D. Tho. quando art. 8. citato dicit, Inter mala quæ nos à beatitudine prohibent, primum eſſe peccatum, quod directè (inquit) à regno cœlorum excludit, iuxta illud Pauli primæ ad Corinth. 6. *Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes* &c. *Regnum Dei poſſidebunt*: & ad hoc (inquit) remouendum pertinet, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Cæterùm, quod dicimus per hæc verba peti peccatorum mortalium veniam, ſiue ea nobis aut alijs dimitti, accipiendum eſt hoc ſenſu, quod ſcilicet petatur diuina gratia, quâ ſe homo debito modo diſponat ad eorũ remiſſionem conſequendam: ipſa enim elargitio auxilij ad talem diſpoſitionem eſt quędam veluti inchoata remiſſio peccati: vel etiam eo ſenſu, quia cum cæteris diſpoſitionibus iungitur etiam hæc, ſcilicet veniæ petitio, quæ neceſſaria eſt formaliter aut virtualiter ad remiſſionem impetrandam, vt ex ijs quæ inter homines aguntur, ſatis poteſt intelligi: alioquin verò petere aut ſperare à Deo mortalium peccatorum remiſſionem abſque congruâ & debitâ diſpoſitione, pręſumptionis omninò foret. Vnde exiſtimandum non eſt eam peti nobis proximè, & immediatè concedi abſque debitæ pœnitentię affectu præuio aut coniuncto. Imò & dum nobis venialia dimitti rogamus, oportet ad illam veniam obtinendam, adiungere quoque aliquam diſpoſitionem, vt affectum diſplicentiæ ſuper illis quibus venialiter offendimus: & hoc ſenſu intelligendus eſt D. Aug. huic orationi ſæpius adſcribere remiſſionem venalium, vt quando docet hanc orationem dici quotidie in remedium peccatorum venialiũ: qui eius ſenſus colligitur ex Homiliâ 10. lib. 50. Homiliarum, vbi dicit, quando hæc verba huius orationis (ſcil. *dimitte nobis debita noſtra*) dicimus, ſimul tondi tunc pectora: quâ tonſione dolorem de peccatis coniungendum indicat. 31

Hoc tamen obſeruandum, quod peccatores dum affectu adhuc adhærent peccatis etiam mortalibus, poſſint quoque rectè & vtiliter hanc orationem dicere, ſi eam proferant ſaltem animo obtinendi immutationem affectus ſui nimis adhæreſcentis peccatis, & quaſi in illis obdurati, & petant cor ſuum emolliri à Deo: qui eum ſic orant habent iam aliquod deſiderium à Deo, diſponendi ſe ad obtinendam veniam, & idcircò non malè nec infructuosè petunt, vt Deus hoc in ipſis promoueat, & perficiat: quod & locum habere poteſt etiamſi peccatum in quo perſeuerant, ſit odium inimicorum, aut quod iniurias ſibi illatas roganti veniam nolint dimittere, quia eadẽ ratio hic intercedit. Neque etiam talis dum ſic orat, & dicit, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, dicendus eſt mentiri, vt expreſsè docet D. Tho. quæſt. 83. art. 16. ad 3. quia (inquit) quamuis hoc quod dicit non ſit verum quantum ad ſuam perſonam, eſt tamen verum 32

Digitized by Google

verum, quantum ad perſonam Eccleſiæ, ſub cuius nomine poteſt intelligi proferre iſta verba: neque enim dicit, ſicut ego dimitto, ſed ſicut nos dimittimus: deinde hoc ipſo quo petit meliorem animi diſpoſitionem, & cordis emolitionem, habet quoddam iam ſaltem deſiderium imperfectum remittendi ſuis debetoribus, & ſic quaſi inchoatè dimittit.

Neque tantùm prædicta petitione poſtulatur remiſſio reatus culpæ, tum mortalis, tum venialis modo explicato, ſed etiam pœnæ, ſi quis eius reatus dimiſſâ culpâ ſuperſit: quandoquidem enim ſimpliciter petamus nobis debita dimitti, rectè intelligimur rogare perfectam & totalem remiſſionem tam debiti pœnæ, quam culpæ: nec dubium eſt, quin diſpoſitus ad pœnæ remiſſionem conſequatur aliquam eius diminutionem, virtute huius orationis, in quantum ipſa eſt ſatisfactoria, ſicuti & per alias orationes ſatisfacimus pro pœnis reſtantibus.

Petet aliquis, vtrùm talis virtute huius orationis poſſit conſequi maiorem remiſſionem, quàm correſpondeat illi in quantum eſt opus ſatisfactorium.

33 Reſpondetur, inprimis dicendum non eſſe, quod ex peculiari Chriſti inſtitutione petitio hæc ex priuilegio habeat vim quaſi ex opere operato remittendi omnem pœnam reſtantem: quia nullum poteſt talis aſſertionis aſſignari fundamentum, & aduerſatur ſatis communi ſenſui Eccleſiæ, & fidelium, qui non exiſtimant ſe ab omni reatu pœnæ per illam orationem liberari & abſolui. Vnde nec ceſſant alia ſatisfactionis & pœnitentiæ opera adiungere, & ſubire. Addo tamen hoc probabiliter poſſe dici, quod per modum meriti de congruo aut per modum impetrationis valeat ad aliquam maiorem pœnæ remiſſionem obtinendã, quàm correſpondeat illi conſideratę præciſè, vt opus ſatisfactorium eſt: quod confirmari poteſt, quia orationis finis ex intentione orantis eſt impetrare tempori & loco aliqua bona, vltra quàm correſpondeant de rigore, ipſi tanquam operi meritorio, v. g. vt impetret auxilia gratiæ præuenientis, aut concomitantis, tum pro orante tum pro alijs: non videtur ergò ratio quare ei negari debeat, quod impetrat remotionem quoque mali, & remiſſionem pœnæ ampliorem; quàm illi, vt ſatisfactorio operi ex iuſtitia correſpondet: idque huic orationi tanto efficacius exiſtimandum eſt competere, quod Chriſtus ipſe nos eam docuit, & proprijs Chriſti verbis reproducatur apud Deum.

Sexta Petitio.

34 SExta petitio eſt: *Et ne nos inducas in tentationem*. Sermo hic non eſt, de tentatione quà Deus probat, & quaſi explorat hominis virtutem: de qua ſcriptum Iacobi cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: quali tentatione Geneſeos 22. Deus legitur tentaſſe Abraham, & Tob. hæc enim bona eſt, & homini ſalutaris: vnde petere non debemus, ne Deus ſic nos exerceat, quin orabat potius Dauid Pſalmo 25. *Proba me Domine, & tenta me*: ſed ſermo eſt de tentatione, quæ ſecundum ſe ad peccatum inducit, de qua Iacobus c. 1. dixit: *Deus intentator malorum eſt, ipſe enim neminem tentat*: & de qua loquitur Chriſtus Matth. cap. 26. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.*

35 Diſputatur autem hic, vtrùm iſtis verbis petamus ſolùm, vt non permittat nos ſuccumbere tentationi, an verò etiam ne ſinat nos vllo modo tentari.

Quidam exiſtimant vtrumque peti, quibus fauent Tertullianus, libro De oratione; & Diuus Gregorius Nyſſænus ſuprà. Fundamentum horum eſt, quia licet tentari in ſe non ſit malum ſeu peccatum, tamen periculoſum eſt: & ideò videtur declinandum à nobis, quantum poteſt fieri propter noſtram infirmitatem: quare meritò, inquiunt, petimus non tentari.

Diuus Thomas tamen quæſt. 83. citata, artic. 9. dicit expreſsè, per illud *Et ne nos inducas*, &c. non petimus, vt non tentemur, ſed vt à tentatione non vincamur, quod eſt in tentationem, inquit, induci: & ita intelligunt & exponunt plures Sancti Patres, D. Cyrillus, D. Auguſtinus, Ambroſius locis citatis ſuprà, & alij.

Porrò dicendum omninò videtur, quòd hac oratione non petamus ſimpliciter liberari ab omni tentatione, Quia militia eſt vita hominis ſuper terram, vt dicitur Iob cap. . & tentari, vtile eſſe poteſt, quando gratia protegit ne tentatione cadamus: & ita ſentit Suarez, libro 3. De Oratione, cap. 8. num. 34. quod maximè locum habet in tentatione extrinſecâ, quæ nullam inordinationem per ſe in hominis animo ponit.

Quòd verò ad eam attinet, quæ intrinſeca magis eſt, & quaſi illecebra peccati, vt motus concupiſcentiæ, quamuis ſit tantum motus primo primus, tamen, quia ex ſe inordinatus motus eſt, vnde nec conſentire licet, rectè ab eiuſmodi tentatione liberari nos petimus, & quamuis ſecundum ordinariam Dei legem, non ſoleat in hac

vitâ totaliter ab homine tolli, nihilominus ad hoc laborandum eſt, vt quantum in nobis eſt, ea minuatur, quia hoc ad magis ordinatum hominis ſtatum pertinet.

Hinc ergò conuenientiſſimè dici poteſt, quod rogemus ne in tentationē noxiam incidamus, idque primò & principaliter, quæ ſcilicet infirmitatem noſtram ſuperabit: ſiue quod rogemus, vt vel tentationem quâ nouit Deus nos ſecundum præſentem ſtatum vincendos, non permittat nobis obuenire, vel vt ſuæ gratiæ auxilio ſubueniat & confortet ne illi ſuccumbamus: ſecundario autem rogemus etiā à tentationibus internis quatenus ſunt motus inordinati liberari, ſi non in totum) quæ perfectio reſeruatur vitæ beatæ) ſaltem vt in nobis minuantur.

Septima Petitio.

36 SEptima petitio eſt: *Sed libera nos à malo.* De hac autem difficultas mouetur, vtrùm ſit petitio per ſe & diſtincta à præcedentibus.

Ratio dubitandi inprimis eſt, quia Sanctus Lucas cap. 11. hæc verba prætermittit: Deinde per malum ſic abſolutè poſitum, non videtur hic aliud conuenienter poſſe intelligi, quàm peccatum, quod eſt ſimpliciter malum: liberatio autem à peccato per petitiones duas præcedentes ſufficienter eſt poſtulata: nam per quintam, petimus liberari à præteritis & contractis peccatis: per ſextam autem, à futuris & contrahendis: non videntur igitur prædicta verba continere nouam petitionem, ſed tantum quaſi explicationem præcedentium.

Nihilominùs communiter Sancti Patres & Doctores intelligunt hæc verba continere particularem petitionem, ſic vt Orationem Dominicam doceant ſeptem conſtare petitionibus. Ita D. Auguſtinus Enchyridij, cap. 115. & libro 2. De ſermone Domini in monte, cap. 9. 10. & 11. quem ſecuti ſunt Beda, Anſelmus, Rupertus, Sanctus Thomas, & alij plures.

Hâc itaque ſententiâ ſuppoſitâ quæritur: quidnam hic intelligendum ſit nomine mali? Diuerſi diuerſimodè exponunt. Omiſſis autem opinionibus, verius eſſe videtur, hâc petitione poſtulari liberationem à temporalibus incommodis ac plagis, vt peſte, fame, bello, & ſimilibus: quod ex Diuo Thomâ, artic. 9. citato poteſt colligi: docet enim nos hic petere liberationem à pœnalitatibus, vtpotè quæ impediunt ſufficientiam huius vitæ: & fauet D. Bonauentura, quando in huius orationis expoſitione docet petitione quinta, poſtulari liberationem à malis præteritis: in ſexta, à futuris: in hac verò ab omnibus malis præſentibus quæ nos vexant; idque non ſolùm quatenus forſitan poſſint eſſe occaſio peccati, ſed etiam quatenus animum hominis nimis diſtrahendo, maius bonum, maioremque coniunctionem cum Deo impediunt; Ita Suarez ſuprà. atque ita non inconuenienter dicitur, quod Chriſtus nos hic docuerit etiam liberationē ab iſtis malis eſſe à Deo ſperandam & petendam, quia ſolus ipſe poteſt, & rogatus quoq; facit, quando ſic expedit nobis & ſaluti noſtræ: quæ conditio per ſe cēſetur incluſa in Oratione.

Quemadmodum igitur in hac Oratione Dominica, primò petimus bona ſpiritualia, deinde liberationem à ſpiritualibus malis, ſic etiam rectè dicitur, quod poſtquam quartâ petitione rogauimus neceſſaria bona huius vitæ, petamus hâc vltimâ ſimiliter liberationem à malis contrarijs.

Quod verò ad rationes dubitandi prius allegatas attinet, dicendum eſt, dictis non obſtare, inprimis quod D. Lucas iſta verba omiſerit: Nam omiſit etiam illa quæ tertiam petitionem continent, quam conſtat omnium conſenſu eſſe diſtinctam ab alijs: neque enim Euangeliſtæ ſemper æquè plenè, & completè referunt dicta & geſta Chriſti Domini; idque in præſenti dici poteſt eò minus incommodum, quia licet petitiones ſeptem explicitè factæ, ſint diſtinctæ, vti explicuimus, tamen virtute quædam in alijs continentur, vt notat D. Auguſtinus Enchrydij cap. 115. citato: & ſic vltima poteſt dici virtualiter contineri in quarta, quatenus per illam petimus neceſſaria huius vitæ. 37

Ad alterum dici poteſt, quod licet peccatum ſit principale, & maximum hominis malum, nihilominus tamen ipſum nomen malum tam vſitatè ſignificare mala pœnæ, & incommoda huius vitæ, quàm peccatum: & proinde hæc nomine mali etiam abſolutè poſiti intelligi rectè ſignificari.

Concluſit denique Chriſtus hanc Orationem adiectione voculæ, Amen, vt habetur apud Matthæum, quæ diuerſas habet ſignificationes, prout refert Suarez in tertiam partem, tomo 1. diſputatione 83. ſectione 1. ſed quando ſubiungitur orationi, tunc intelligitur conuenientiſſimè ſignificare conſenſionem affectus ad orationem factam: quemadmodum Sancti Patres etiam exponunt, & quaſi importat, ſignificationem huius verbi, fiat, fiat: quod Propheta Dauid aliquando adijcit in fine Pſalmorum, præſertim vbi prædicitur Chriſti aduentus, & explicatur iuſtorum deſiderium aſpirantium ad illum, vt Pſalm. 71. & Pſalm. 78. 38

Eſt igitur hæc particula addita conuenienter, vt quando publicè hæc oratio ſub nomine

Digitized by Google

nomine Eccleſiæ profertur, cæteri reſpondeant, *Amen*: & ſic affectum coniungant, idemque quod oratione continetur, petant: quando autem priuatim quis orat, vt ipſe orans ſeipſum excitet, & hâc quaſi reflectione affectum, & deſiderium petitionibus præcedentibus explicatum recapitulando renouet & inſtauret. Hanc iſtius voculæ ſignificationem indicat D. Ambroſius libro 4. De Sacramentis, cap. 4. dum ita de ea ſcribit: Ergò non otioſè tu dicis, Amen, iam in ſpiritu confitens quod accipias Corpus Chriſti: dicit tibi Sacerdos Corpus Chriſti, & tu dicis Amen: & hoc eſt verbum, &c.

DVBIVM VIII.

Vtrùm conuenienter inſtituta ſint Orationes ab Eccleſia, quæ communi nomine vocantur horæ Canonicæ?

39 HOræ Canonicæ ſunt quædam preces & recitationes diuinarum laudum, & beneficiorum Dei commemorationes cum gratiarum actione, quæ ex præſcripto Canonum in Eccleſia certis horis diu noctuque leguntur aut decantantur: & ſolent etiam vocari officium Eccleſiaſticum. Conſtant autem preces illæ horariæ Pſalmis Dauidicis tanquam potiori ſui parte. Deinde ſelectiſſimis quibuſdam Scripturis, tum ex veteri, tum ex nouo Teſtamento deſumptis; tertiò ſermonibus & documentis Sanctorum PP. quartò præcipuis quibuſdam geſtis Sanctorum; quintò Hymnis ſpiritualibus compoſitis à Sanctis: denique precationibus breuioribus, quę Collectę appellantur.

His præmiſſis Reſpondetur: Admodùm conuenienter & fructuoſè Eccleſia diuino ſpiritu afflata inſtituit illas formulas precum, & modum ac rationem orandi, adeòque tanquam pia & ſalutaria in Eccleſia ſunt illa retinenda & obſeruanda. Eſt contra diuerſos hæreticos, qui hanc orandi formam tanquam inutilem reijciunt: idque magis odio Catholicæ Religionis & omnis veræ pietatis, quàm ex aliquo fundamento.

40 Probatur autem Primò: Quia mox ab exordio Eccleſiæ ab ipſis temporibus Apoſtolorum cœpit ſimilis orandi forma frequentari: & quidem apud Clerum ex obligatione, vt indicat ſatis Clemens: nam lib. 8. conſtitutionum Apoſtolicarum, c. 14. Inter traditiones Apoſtolicas Epiſcopo & Clero ſeruandas refert illam, his verbis: Præcationes, inquit, facite manè, horâ tertiâ, horâ ſextâ, ac nonâ, & veſperè, & ad Galli cantum: manè gratias agentes, quod illuminauerit nos nocte ſublatâ & redditâ die, de quibus ſcilicet Apoſt. ad Rom. cap. 13. dicit: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum*, &c. Horâ tertiâ, quod eâ horâ Pilatus iudicium aduerſus Dominum pronunciauerit: ſextâ quod eâ in Crucem actus ſit: nonâ quod tum omnia mota & tremefacta ſint, Domino crucifixo, quia horrerent impiorum Iudæorum audaciam, & contumeliam Domini ferre non poſſent: veſperè quòd noctem dederit ad requieſcendum à diurnis laboribus: ad Galli cantum denique, quòd ea hora annunciat aduentum diei ad faciendum opera lucis. D. Hieronymus epiſtola 27. hac de re ſic ſcribit: manè, horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, veſperè, noctis medio per ordinem pſalterium cantabant, vbi loquitur de ijs quæ fiebant in monaſterio Paulæ: eiuſdem conſuetudinis meminit D. Baſilius interrogatione 37. in regulis fuſius diſputatis: Beda in caput 18. Lucæ; & Caſſianus libro 2. & 3. De inſtitutione cœnobiorum, multa habet de Canonico pſallendi modo, & oſtendit per totum Orientem, & Occidentem in vſu fuiſſe.

Probatur Secundò: Quia totum hoc officium nihil continet, niſi quod eſt ſummè pium & religioſum, vt patet ex commemoratis ſuprà, quibus diximus horas Canonicas conſtare: nihil enim Pſalmis Dauidicis poteſt eſſe diuinius, vtpotè qui à Spiritu ſancto compoſiti ſunt & dictati, & breuiter continent enarrationem omnium mirabilium & magnificorum operum Dei, tum naturalium, tum ſupernaturalium, & in ſe includunt myſteria totius Scripturæ ſacræ tam veteris quàm noui Teſtamenti: idque per modum quaſi continuæ precationis, ac decantationis laudum Dei & miſericordiarum eius cum profunda animi ſubmiſſione & gratiarum actione. 41

Tertiò: Quia hac precandi ratione & forma, quodammodo ſemper Eccleſia orat, ſemper diuinas laudes decantat, & Deo gratias agit: atque ita impletur illa Chriſti admonitio Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*: item quod Apoſtolus ad Eph. cap. 5. monet; *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri* I E S V *Chriſti, Deo Patri.*

Accedit denique, quòd aptiſſima & ſuauiſſima compoſitio harum precum, & earumdem accommodatio ad diuerſorũ temporum myſteria, planè præſeferant ac ſpirent quaſi diuinum ſpiritum ac ſapientiam.

Digitized by Google

Vnde & attentè conſiderantibus & cum conſideratione recitantibus officium, parit magnam animi recreationem & conſolationem ſpiritualem.

Ex quibus omnibus euidenter conſtat inſaniſſimè ac omninò impiè ab hæreticis, huiuſmodi preces & modos ac formulas laudandi Deum; & eius beneficia humano generi collata, cum gratiarum actione recolendi, reijci ac irrideri.

DVBIVM IX.

Vtrùm obligentur aliqui ad horas Canonicas recitandas, & an Clerici omnes?

SVpponimus non omnes Chriſti fideles obligari ad legendas aut recitandas horas Canonicas: ſed quæſtio verſatur circa illos qui ſe à plebe ſegregant in ſortem Domini, & peculiariter ſe dedunt aut componunt ad eius ſeruitia & Eccleſiæ miniſteria, vtrùm hi omnes, vel quinam ex illis adſtringantur ad horas Canonicas?

42 RESPONDEO & DICO Primò: Neque Clerici primæ tonſuræ, neque etiam initiati minoribus tantum ordinibus obligantur ex illo ſolo titulo, ad horas Canonicas perſoluendas. Ita Medina Tract. De oratione, quæſt.7.Soto lib.5.De iuſt.& iure qu.5. art.3.Nauar. in Enchir. De oratione, cap.7.nu.12.& 13. Palud. in 4.diſt.9.qu.5. Suarez lib.4.cap.16. n.19. & eſt communis doctrina, vt cum Angelo tradit Malderus Tract.10. cap.2. dub.3. quamuis Gloſſa ad cap. vlt. diſtinct. 92. Innocent. ad cap. 1. De celeb. Miſſarum, & Panormit. ibidem videantur aliter ſentire. Sed rectè Nauarrus ſuprà, & cum illo Suarez docent, neque iure, neque conſuetudine, neque ſimilitudine rationis, quo ad iſtos, poſſe probari extare aliquod præceptum: quamuis enim numero miniſtrorum Eccleſiæ ſint ſuo modo adſcripti, tamen inter eos nondum ſortiti ſunt ſtatum, ſcilicet ſtabilem & firmum à quo recedere non liceat: poſſunt enim adhuc licitè ad ſæcularia redire, & etiam matrimonio iungi. Vnde cum illis non ſunt numerandi miniſtris Eccleſiæ, quibus officium Eccleſiaſticum per Canones imponitur.

43 Quamuis autem rationi ac conditioni ipſorum valdè ſit congruum, vt diuinis ſeruitijs plus ſeſe dedant, præſertim quamdiu ad vlteriorem gradum Eccleſiaſticum videntur tendere, præ ſæcularibus & laicis hominibus, tamen nec iure communi, nec aliquâ conſuetudine vniuerſali obligātur ad horas B. quidē Virginis, vel ad 7. Pſalmos, aut ad Canticum graduum, vt tradunt Soto, & Suarez ſup. nu. 13. licet aliqui contrarium exiſtimare videantur: ſi tamen in aliqua Diocœſi eſſet illa generalis conſuetudo quæ per modum legis foret in vſu & recepta, ibi tenerentur, vt docet Medina Codice De oratione, quæſt. 7. An autem ſit alicubi talis conſuetudo, dicit non conſtare, & dubitat quoque de eo Nauarr. Dominicus Soto autem lib. 10. De iure & iuſt. quæſt. 5. art. 3. putat non eſſe.

Vtrùm verò Clerici primæ tonſuræ teneantur ſaltem ad legendum quotidiè Pſalmum Miſerere, magis videtur dubium: quidam enim probabiliter exiſtimant teneri ſaltem ſub veniali, quia videtur talis eſſe conſuetudo, & ſolent Epiſcopi tonſuratos monere huiuſmodi lectionis: veriòr tamen apparet oppoſita ſententia aliorum, quia non apprehendunt plerique obligationem ſtrictam: neque ſolent Doctores aut Confeſſarij illam vrgere: quamuis itaque ſit quædam laudabilis conſuetudo, vt Pſalmum illum legant, tamen non eſt per modum legis obligantis, ſed per modum conſilij & operis boni, quod de conuenienti admodùm & decentiâ à talibus quotidiè exercetur. Vide Dominicum Soto loco ante citato.

DICO Secundò: Clerici initiati maioribus ordinibus ſacris, quales ſunt Preſbyteri, Diaconi, & Subdiaconi obligantur ad horas Canonicas quotidiè recitandas. Eſt communis & indubitata doctrina, vt tradit Nauarrus de horis Canonicis, cap. 7. num. 1.

Et de Presbyteris quidem colligitur ex Capitulo 1. De celebratione Miſſarum ex Concilio Agathenſi, vbi dicitur, Presbiter manè matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperamque perſoluat: & ex Capitulo Presbyter, diſtinct. 91. 44

De Diaconis autem & Subdiaconis colligi ſolet ex capitulo vltimo, diſtinctione 92. vbi Presbiter, Diaconus & quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus dicitur deponendus, ſi contempſerit venire in Eccleſiam ad quotidianum pſallendi Officium in matutinis & veſpertinis horis. Idem colligi poteſt ex Capitulo Dolentes, De celebratione miſſarum, vbi Innocentius III. cum Concilio generali præcipit Prælatis, & minoribus Clericis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quatenus dederit Deus, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè.

Porrò quinam ſint Clerici illi minores & Eccleſiæ deputati, de quibus loquuntur Capitula, etſi ex ipſis non ſatis determinatè habeatur cognitum, tamen id ex communi ſenſu Doctorum, & Eccleſiæ conſuetudine

poteſt

Digitized by Google

poteſt ſufficienter intelligi, quod ſcilicet illi ſint qui per ſuſceptionem ordinis ſacri apprehenderunt in Clero ſtatum ſcilicet firmum & ſtabilem, quo ad cultum & diuinas laudes celebrandas irreuocabiliter ſunt mancipati.

45 Quare tametſi nullus Canon allegari poſſet, vt indicat Nauarrus ſuprà, qui ſatis expreſsè & clarè hoc penſum horarum imponeret omnibus initiatis ordine aliquo ſacro, præſertim ex quo conſtet etiam obligari extra Chorum, ſi per iuſtum impedimentum tempore officij ab Eccleſia excuſentur, tamen conſuetudo recepta per modum legis ex communi ſenſu Eccleſiæ ſufficit ad illos omnes verè obligandos.

Ratio autem æquitatis & decentiæ iam inſinuata eſt, quia conditio ſtatus iſtorum poſtulat, vt orationibus, gratiarum actionibus, & diuinis laudibus aſſiduè vacent: quæ exercitia determinauit Eccleſia per ſeptem horas Canonicas, vt docet D. Thomas Quodlibeto 6. art. 8. Neque ab hac obligatione ſoluuntur per excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, imò neque per realem degradationem, vt docet Nauarrus ſuprà n. 17. & Syluester V. Hora, quæſt. 3. quia æquum non eſt, vt ex delicto referant commodum, præſertim cum recitatio horarum eiuſmodi pœnis non repugnet.

DVBIVM X.

Vtrùm beneficiati teneantur ad horas Canonicas?

46 RESPONDEO & DICO Primò: Obligantur ad horas Canonicas recitandas beneficiati, etiamſi tantùm ſint Clerici in minoribus ordinibus, aut primæ tonſuræ. Eſt communis doctrina, & deduci poteſt inprimis ex Capit. citato, diſt. 92. vbi inſinuantur obligari Clerici qui ſunt Eccleſiæ deputati: per titulum autem beneficij peculiariter deputantur Eccleſiæ, in quantum accipiunt titulum officij Eccleſiaſtici. Item ex Capitulo Quod à te, & Capitulo Diuerſis, De Clericis coniugatis, vbi dicitur beneficiarios debere diuinis & eccleſiaſticis obſequijs vacare, ideoque vxoratos eſſe non poſſe: nomine autem diuinorum obſequiorum ſolent inprimis horæ Canonicæ ſiue Eccleſiaſticum officiũ intelligi. Denique id clariſſimè eſt conſtitutum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Et conſuetudo habens vim legis, quæ vt talis recepta eſt, ſufficienter idem confirmat.

47 Sed hic quæritur: Vtrùm ſolus titulus beneficij ſufficiat, vt obligetur quis ad recitationem horarum, etiamſi nullos vel exiguos admodum percipiat inde fructus.

Tres hâc de re ſunt ſententiæ: duæ verſantur quodammodo in extremis; tertia quaſi mediâ incedit viâ.

Prima itaque eſt illorum, qui ſimpliciter affirmant titulum etiam nudum abſque fructibus inducere obligationem, quam Suarez tom. 2. lib. 4. De religione, cap. 21. n. 3. dicit eſſe communem Canoniſtarum cum Gloſſa in Cap. Clericus 1. diſt. 91. & in eandem ipſe inclinat: & pro eadem citat multos in particulari: ſicut & Mald. ſup. dub. 3.

Altera eſt eorum qui declinant ad alterũ extremum, & docent beneficiariũ nõ teneri ad horas, niſi beneficium præſtet illi integram ſuſtentationem, vt etiam refert Suarez ſup. dub. 21. nu. 2. Verùm rectè Mald. ex ſententia Azorij dicit hanc opinionem eſſe improbabilem, quod & Suarez ſatis ſignificat: neque enim tota ſuſtentatio Clerico debetur pro ſola horarum recitatione, vt manifeſtum eſt ex Capitulo 1. De celebratione Miſſarum, vbi beneficiarij non excuſantur ab officijs diuinis, etiamſi victus ſupplendi gratiâ debeant manibus laborare.

Tertia igitur ſententia docet illum inprimis qui tantùm habet aliquem titulum 48 beneficij, & nullos percipit fructus, neque per ſe, neque per alios ſiue in alijs, puta qui pro ipſo tanquam ſubſtituti faciant officium, ſiue ferunt onera beneficij, idque abſque ipſius culpâ & negligentiâ, non obligari ad horas legendas. Ita tenet Nauarrus, De oratione, cap. 7. num. 12. & ſequentibus: Panormitanus, Arragonius 2. 2. quæſt. 83. artic. 12. & Malderus ſuprà, neque omninò ab hac ſententia alienus eſt Suarez.

Et probari videtur ratione naturali; nemo enim militat ſuis ſtipendijs vnquam. Et qui altari deſeruit, de altari viuit, vt dicit Apoſtolus. Addit Malderus, neque illum obligari ad plenam recitationem officij Eccleſiaſtici, qui admodum tenues percipit fructus, vt ſi ſint inferiores tertiâ parte mediocris ſuſtentationis pro Clerico communis conditionis, & hoc etiam Arragonius indicat loco citato: vbi requirit, vt bonam partem ſuſtentationis adiuuent: & ſimiliter Soto, lib. 10. De iuſt. quæſt. 5. artic. 3. & alij, hoc tempore Viri docti & pij: tamen non omninò excuſantur, quia ſicuti eo ipſo quo quis Clericus eſt, naturali quadam lege tenetur ad maiorem Dei cultum, ita ęquum & rationi conſentaneum eſt, quod obligatio ad plura ſe extendat, & ad ampliorem cultum exhibendum ratione fructuum quos percipit, quamuis tenuiores ſint vt æſtimari poſſint obligare ad recitandum quotidie integrum officium Eccleſiaſticum.

Digitized by Google

Hanc autem obligationem videtur Clericus talis etiam ſine Superioris auctoritate poſſe exoluere aliquoties recitando horas, præſertim diebus maiorem Dei cultum, & vacationem à ſeruilibus operis poſtulantibus, vt Dominicis & Feſtis.

Quando autem percipiuntur fructus qui ſufficiant pro tertia parte mediocris ſuſtentationis, tunc certum eſſe dicit Malderus, quod beneficiarius non excuſetur ab horis, & paſſim omnes Doctores tunc ſaltem non excuſari docent. Et colligi poteſt ex citato Capitulo 1. De celebratione Miſſarum.

Accedit & ratio, quia non ſoli fructus beneficij concurrunt ad inducendam obligationem legendi horas, ſed & ipſa conditio Clerici, & titulus beneficij: qui enim nomen militiæ dedit, vbi tenuiora ſcit eſſe ſtipendia, debet nihilominùs militis præſtare officium. Denique & priuilegia & honores quibus beneficiarii ſolent gaudere, ad hoc faciunt. Tertiam verò partem ſuſtentationis videtur Suarez æſtimare ad minus ad triginta aureos: vnde, quia ſic nimis multi beneficiati liberarentur ab obligatione legendi horas, ideò ab illorum ſententia recedit, qui tertiam partē ſuſtentationis requirunt: ſed in his partibus videtur quod tertia pars poſſet æſtimari ad 12. aut 15. aureos, æſtimando aureum ad 3. florenos.

49 Notant inſuper Doctores non excuſari ab horarum lectione, eum cuius beneficium verſatur in litibus, quando ipſe habet & manet in poſſeſſione & adminiſtratione, quamuis periclitetur de reſtitutione fructuum, imò tametſi fructus non perciperet, modò ſequeſtrentur, aut aliàs habeat probabilem ſpem aliquando percipiendi: Dico, quando ipſe habet, & manet in poſſeſſione, quia ſi quis acquiſito titulo per litē impediatur, ne poſſeſſionem accipiat, non tenetur pro illo tempore ad recitandum officium ratione ſolius tituli, vt contra Nauarrum, cap. 7. De oratione, docet Suarez lib. 4. ſup. c. 19. n. 9. Vide Suarez tom. 2. De religione, lib. 4. De horis Canonicis, cap. 19.

Item neque excuſatur ille, cuius beneficij fructus primo anno cedunt domui mortuariæ prædeceſſoris, quia fructus ſecundi anni intelliguntur illi obuenire ratione primi anni, & ſic conſequenter, ac tandem fructus quos poſt mortem recipit obuenire cenſentur ratione vltimi anni vitæ: ſed neque excuſatur pro illo anno pro quo in multis Eccleſijs fabrica ſolet fructus recipere: ita docet Nauarrus ſuprà, Azorius, lib. 10. cap. 4. Suarez ſup. cap. 20. n. 6. Mald. ſup. cum alijs multis.

Rationem reddunt, quia exiſtimandum eſt potius, inquiunt, quod fructus annorum ſequentium imputentur huic beneficiario etiam pro officio iſtius anni, quàm quod per conſuetudinem illam ſic applicandi fructus aliquos fabricæ, eſſet derogatum obligationi recitandi diuinum officium ſiue horas Canonicas.

Poſſet & alia reddi ratio, quòd ſcilicet in plerique Eccleſijs vbi viget illa conſuetudo, Capitula incorporauerint ſibi bona fabricæ, & commiſcuerint cum menſa capitulari, vel quod ipſa capitula ſuas Eccleſias iure naturali tenentur intertenere, præſertim quando alijs officijs Communitatis non ſunt deſtinatæ. Itaque quod ſinguli deberent annue conferre ad fabricæ intertentionem (haud dubiè ſine excuſatione ab horis cantandis aut legendis) hoc iam vno anno quaſi ſimul tribuunt, & idcircò merito non abſoluuntur illo anno, licet fructus nullos percipiunt, ab horarum lectione, quia per ſingulos annos quaſi aliquid accreſcit ex eo quod primo anno contulerunt. Denique non excuſantur qui duo habent beneficia exigui prouentus, modò prouentus ſimul conficiant tertiam ſaltem partem ſuſtentationis: nulla enim ſubeſt ratio, cur minus obligarentur, quā ſi ex vno eos perciperet: quin potiùs magis propter duplicē titulum.

Quæritur Secundò: Vtrùm excuſetur ab horis qui verſatur in ſtudijs, & habet ſubſtitutum in Choro. Reſpondetur negatiuè: 50
nam abſens à Choro, quamuis ex legitima cauſa, nihilominùs obligatur priuatim recitare officium, licet in Choro habeat ſubſtitutum. Deduci id poteſt ex Capitulo 1. De celebratione Miſſarum: & docet Suarez ſuprà cap. 20. nū. 14. generaliter nunquam beneficiatum excuſari ab onere legendi ex eo, quod per alium ſeruiat in omnibus alijs actionibus & oneribus beneficij, etiamſi id ex cauſis licitè faciat, quia obligatio hæc omninò perſonalis eſt.

Quæritur Tertiò: De illo qui nondum accepit poſſeſſionem beneficij, & habet collationem ſibi factā. Reſpondetur, ſi fructus illi nō decurrant ante poſſeſſionem captam, & per ipſum non ſtet, quo minus in poſſeſſionem intromittatur, tunc non obligari.

Hoc tamen obſerua, quod iuxta dicta cenſebuntur ipſi currere ſi fabricæ cedant, ſic vt eo nomine quando poſſeſſionem cœperit, veniat citiùs ad fructuum perceptionem, idque conformiter ad ea quæ paulò ante iam diximus.

Quæritur Quartò: Vtrùm Coadiutor alterius in dignitate aut beneficio, vel is qui penſionem accipit ex beneficio alterius teneantur ad horas?

Quidam exiſtimant teneri Coadiutorem illis ſaltem diebus quibus officium facit nomine Coadiuti. Ita ſentit Medina, Codice De oratione, quæſt. 7.

Sed verius eſt, neque coadiutorem, neque illum qui penſionem accipit ad horas 51
obligari

obligari illis titulis, vt docent Nauarrus De oratione, c.20. n.18. Azorius lib.10. cap.4. Suarez ſuprà, cap. 22. Malderus, dub. 3. & alij communiter.

Ratio reddi poteſt, quod inprimis neque expreſſa aliqua iura, neque conſuetudo inueniantur obligare talem. Deinde, æquum non apparet ratione vnius beneficij duos obligari ad horas. Accedit, quòd neuter ex illis de quibus mouetur quæſtio, habeat titulum beneficij: ſed Coadiutor attribuitur alteri beneficiato in ſubſidium ad explendas operas ad quas ille propter infirmitatem vel grauem ætatem aut aliud iuſtum impedimentum eſt inſufficiens, quando ſaltem Coadiutoria iuxta primæuam inſtitutionem ſuam & legitimo modo fiunt: Penſio autem datur alicui per modum ſubſidij ſuſtentationis, non propter officium Eccleſiaſticum faciendum, ſed vel propter præcedentia eius merita, vel propter ſpem futuri fructus quē putatur facturus in Eccleſiâ, ſi tali adminiculò adiuuetur: obligatur tamen hic ex conſtitutione Pij quinti ad recitandum paruum officium B. Virginis, quando in qualitate Clerici recipit penſionē, ita vt aliter non faciat fructus ſuos. Vt docet vrgenter Suarez ſup. cap.22. num.5.

52 Quæritur denique, vtrùm qui Eccleſiam habent in commendā, obligentur ad horas?

Reſpondetur, qui Eccleſiam aut beneficium habet integrè commendatum, quo ad totam eius adminiſtrationem, tenetur ille ad horas. Ita docent Medina, Nauarrus, Azorius ſupra, & alij ferè cōmuniter. Commenda autem Eccleſiæ iuxta Gloſſam ad Capitulum Nemo De electione in 6. eſt cuſtodia Eccleſiæ alicui commiſſa. Vnde non multùm videtur differre à Deſeruitura Parochiæ (vt iam loquuntur) alicui demandatâ ab Epiſcopo, aut Superiore: hinc citato Capitulo Nemo, expreſſè ſtatuitur ne Eccleſia detur in commendam alteri, quam Sacerdoti, idque non vltra 6. menſes: quam tamē legem dicit Gloſſa poſitam Epiſcopis, non Pontifici qui iure merè Eccleſiaſtico non conſtringitur.

DVBIVM XI.

Vtrùm obligentur ad horas Canonicas recitandas Religioſi?

53 Respondeo & Dico Primò: Religioſi profeſſi ad Chorum, etſi in ordinibus ſacris non ſint conſtituti, obligantur ad horas Canonicas recitandas. Ita Doctores communiter: Paludanus in 4.diſt.15. quæſt.5. Antoninus 3. parte tit. 13. cap.4. art.19. Angelus V. horæ Canonicæ, num.3. Syluester eodem quæſt.2.nu.6. Ledeſma in 4. parte 2. quæſt. 16. art.4. dub. 5. & Canoniſtę communiter ad Capitulum Licet, de voto & voti redemptione. Textum quidem pro hâc doctrinâ non adducunt, ſed rationem cum conſuetudine quæ vim legis cenſetur obtinuiſſe: quandoquidem enim Religioſi illi ab Eccleſiâ approbentur tanquam publici præcatores, qui nocte diuq; diuinas laudes decantent & apud Deum pro populo aſſiduè ſuis orationibus intercedant, hinc merito reputantur obligati ad publicam formam precum, quam Eccleſia præſcripſit Eccleſiaſticis, vt poſt Diuū Antoninum docet Nauarrus ſupra cap. 7. De oratione, num. 4.

Dixi, Religioſi profeſſi, quia tenent Doctores communiter contra Paludanum ſup. non obligari nouitios, etiamſi probentur & præparentur in ordine ad religionem quæ habet officium Chori, ita Caiet. V. horæ Canonicæ, Syluest. ſup. Suarez lib. 4. de horis Canonicis, c.17. Addo inſuper, ad Chorum profeſſi, quia Religioſi conuerſi (vt vocant) tametſi ſolemnem profeſſionem fecerint, non tamen ad horas Canonicas tenentur, quia profeſſionem faciunt nō vt ſeruiant in Choro, ſed magis vt Religioſis alijs in operibus manualibus & externis ſubueniant, & monaſterijs in talibus inſeruiant: ſi tamen ex regulâ teneantur ad certas aliquas preces quotidiè recitandas, ad illas non quidem ex præcepto Eccleſiæ, ſed quaſi ex vi præcepti quod in regula continetur, cenſebuntur eſſe obligati.

Dico Secundò: Neque tantum Religioſi viri, ſed etiam moniales profeſſæ ad Chorum, obligantur ad recitandum officiū quod in Choris ſuis ſolent decantare. Ita docent Turrecrementa in Capitulum vltimum diſt.91.nu.15. Armilla V. horæ Canonicæ. Nauarrus De oratione cap. 7. nu. 21. Azorius lib.10. cap.6. Suarez ſup. cap.17. Mald. dub. 3. & alij. 54

Ratio enim eadem in his militat, quæ in viris Religioſis: neque ab hâc obligatione erunt excipiendæ virgines illæ quæ Canonicæ dici ſolent, quamuis enim non ſint Religioſæ profeſſæ ad Chorum, tamen ratione præbendæ ſuæ inſtar Canonicorum obligantur ad officium Chori, & titulus ipſe vnde ius ad præbendam ſiue ad fructus tales habent, quoque ſacer eſt, quia ratione illius diuinis officijs ſunt mancipatæ, non ſecus ac ſimplex Clericus beneficiatus.

Quare ſi ex aliquo impedimento à Choro abſuerint nulla videtur ratio liberandi illas ab obligatione priuatim legendi officiū, ſicuti Canonici tenentur in ſimili occaſione: & ita communis ſenſus tum apud ipſas, tū apud alios & conſuetudo iam dudum obtinuerunt, vt mirum videri poſſit imò temerarium, quòd nunc aliqui cōtrarium dicantur

eis ſuggerere, & ampliorem ſic otiandi aut ſæcularibus rebus vacandi eis occaſionem ſuppeditare.

54 Dico Tertiò: Non liberantur quoque ab iſtâ obligatione Religioſi fugitiui, neq; etiã eiecti quando manent veri Religioſi. Ita docet Mald. ſupra ex Nauarro,& alijs,quod Suarez ſupra cap. 17. dicit quoque habere locum, etiamſi Religioſus ad triremes eſſet damnatus: ſemper enim manet Religioſus ille iſtius ſtatus, & ex ſuâ profeſſione Choro deputatus, & ideò, inquit, licet pro tunc ſit impeditus ab vſu Chori, tenetur tamen recitare quantum commodè poteſt: quod & in Clerico ſacris initiato pari ratione habebit locum. Si quis tamen Religioſus à Choro deijceretur ſuperiorum authoritate ad numerum Conuerſorum, tunc veriſimiliter ab horis recitandis liberaretur, vt poſt Dom. Soto docent Azorius & Malderus

DVBIVM XII.

Vtrùm aliqua attentio, & qualis requiratur in lectione horarum?

55 NOtandum hic eſt, duplicẽ poni communiter à Doctoribus diſtinctionem attentionis: vna eſt quâ diuiditur in attentionem habitualem, actualem ſeu formalem, & virtualem, qualiter etiam intentio faciendi aliquid diſtingui ſolet, prout explicuimus cum alijs in 3. p. D. Thomæ qu. 64. art. 8. ex quibus poteſt intelligi diſtinctio attentionis ſiue membrorum eius iam data. Altera attentionis diſtinctio eſt, ſecundum quam diſtinguitur in attentionem ad verba orationis (quam D. Bonauenr. Opuſculo De proceſſu Religionis lib. 7. cap. 3. vocat ſuperficialem) in attentionem ad ſenſum verborum (quam D. Bonauentura vocat literalem:) & in attentionem quâ attenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur; & hanc dicit D. Thomas, poſſunt etiam habere idiotæ: D. Bonauent. autem tertium membrum ponit attentionem ſpiritualem, per quam videtur intelligere eam quâ orans attendit ad myſteria quę verba mediante ſenſu literali ſignificãt per metaphoras, ſiue allegorias, ſiue tropologias, quę frequentiſſime & quaſi perpetuò occurrunt in Pſalmis Dauidicis ad quos Bonauent. potiſſimum reſpicit: alioquin nomen attentionis ſpiritualis attribui poteſt tum attentioni huic myſticæ, tum etiam attentioni quâ attenditur ad finẽ orationis ſcilicet ad Deum, & ad rem pro quâ oratur, quam D. Thomas ponit tertium membrum, vt diximus.

Notandum ſecundò, aliud eſſe quomodolibet non habere attentionem, & aliud ponere obſtaculum ſiue impedimentum attentionis: quod impedimentum rurſus eſſe poteſt, vel intrinſecum & latens, vel poteſt eſſe extrinſecum, & foris apparens.

Notandum tertiò, Doctores variè loqui de neceſſitate & qualitate attentionis in horarum recitatione requiſitæ ſecundum diuerſas diſtinctiones allegatas.

Omiſſis autem opinionibus, breuiter & à principijs ponemus ea quæ magis probabiliter & veriùs videntur dici.

Respondeo & Dico Primò: 56
In omni oratione vocali requiritur vna aliqua attentio ex tribus in poſteriori diuiſione poſitis, non tantùm vt oratio ſit bona, ſed etiam vt oratio ſit. Eſt communis ſententia Doctorum in 4. diſt. 15. Caiet. ad qu. 83. art. 13. & Summiſtarum V. Oratio & V. Horæ Canonicæ: Suarez tomo 2. lib. 3. cap. 4. num. 3. Probatur 1. eam requiri vt oratio ſit bona & virtuoſa, quia quilibet facilè videt & debet agnoſcere, quod naturalis ratio dictet ac præſcribat, cum qui cum Deo vult colloqui, & ab illo aliquid petere, vel illi laudes & gratiarum actiones dicere, teneri id facere cum debitâ non tantũ corporis, ſed & mentis potiſſimum cõpoſitione, ac reuerentiâ; quemadmodum qui cum Rege vel Principe vult tractare, haud dubiè debet modo dicenti & accommodato tali perſonæ apud quam habet ſermonem, ſua agere: neque quando cũ Principe confert, debet cum alijs miſcere ſermones: ſic igitur, & qui cum Deo loquitur, debet attendere ad ea quæ cum illo confert, neque poteſt ab ijs omninò mentem abſtrahere, & voluntariè diuagari mente ad alia: Indecens enim eſt valdè (inquit D. Bonauentura lib. De perfectione virtutis, cap. 5.) vt quis cum Deo loquatur ore & aliud meditetur corde.

Idem ſignificant ſcripturæ ſacræ, vt Iſaiæ cap. 29. improbantur illi de quibus dicitur: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me*: vnde Apoſtolus Ephæſios aliter inſtruit, quando ſcribit ad eos, cap. 5. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.*

Et ſimiliter Sancti PP. loquuntur: D. Cyprianus, libro De oratione Dominica: quæ autem ſegnitia eſt, inquit, alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris? quomodo te audiri ab eo poſtulas, cum te ipſe non audias? & paulò poſt, hoc eſt, quando oras Deum, maieſtatem Dei negligentiâ orationis offendere, hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Chriſtianus, & cum dormit oculis, corde vigilare, ſicut ſcriptum eſt ex perſonâ Eccleſiæ loquentis in Canticis; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Similiter D. Bernardus Sermone 13. ſuper Cantica, ita ſcribit, Immolantes hoſtias laudis, iungamus verbis

verbis ſenſum, ſenſui affectum, affectui exultationem, exultationi grauitatem, grauitati humilitatem &c. & Capitulo quando autem, De conſecratione diſt. 1. dicitur: Ita vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus, vt cogitatio carnalis & ſæcularis omnis abſcedat, nec quidquam tunc animus aliud quàm id ſolum cogitet, quod precatur.

Ex quibus & alijs ſimilibus licet ſatis intelligere tum iuxta ſcripturæ doctrinam, tū ſanctorum ſenſum, orationem propriè dictam poſtulare & requirere quandam attentionem internam; vt bona ſit, & honeſta.

Probatur ſecundò, ne quidē alioquin eſſe Orationem veram & propriè dictam, quia oratio eſt quidam aſcenſus mentis ad Deum, quo voluntatis deſiderium explicamus corā ipſo, noſtram profitentes indigentiam, & illius potentiam: atqui qui nullo modo aduertit mente ad illas quæ profert, nullo modo aſcendit mente ad Deum; ergò &c.

57 Dico Secundò: Vt autem Oratio vocalis habeat rationem veræ orationis ſufficiet quamcumque adeſſe attentionem ex tribus iam ante dictis, habitâ tamen intentione orandi. Ita Suarez lib. 3. c. 4. nu. 13. & n. 8, qui addit omnes dicere minimam attentionem ex illis ad hoc ſufficere. Probatur, quia cum quâcumque illarum attentionum actus eſt humanus, & verum ſignum cultus diuini ac petitionis internæ Deo oblatæ, hoc ipſo videl. quo cum intentione orandi proferantur verba cum attentione ſaltem ad illa: & quidem poteſt hæc oratio etiam eſſe inculpabilis, imò & fructuoſa, quando ſic orans non eſt capax maioris intelligentiæ aut contemplationis, atque ita non eſt illi voluntarium quod careat attentione perfectiori, vt tradit Suarez loco citato.

Quod ſi hæc ſufficiat ad rationem orationis & etiam ad fructum, multo magis aliæ quæ meliores ſunt: Et quidem quod non requiratur præcisè attentio ad ſenſum verborum ſed ſufficiat attentio ad Deum & ad ea pro quibus oratur, ſignificat D. Thom. quæſt. 83. art. 13. vbi eam maximè commendat, & dicit ab idiotis etiam poſſe haberi, quando preces aliquas Eccleſiæ audiunt aut legunt quas non intelligunt. Nihilominùs monet Mald. tract. 10. cap. 2. dub. 1. & Suarez lib. 3. De Relig. cap. 5. nu. 4. loquendo de oratione priuata, conuenientius & vtilius eſſe; quod perſonæ idiotæ vocaliter orent in linguâ ſua vulgari, iuxta formā aliquā ſiue libellos ab Eccleſia approbatos, quàm in latina vel alia linguâ quā non intelligunt, quia ſeruit magis ad finem orationis, & ad excludendas mentis diuagationes.

Nunc quod attinet ad diuerſas attentiones in priori diuiſione poſitas.

58 Dico Tertiò: Vt Oratio ſit, & fiat abſque peccato, & habeat quoque ſuos principaliores effectus, non eſt neceſſaria attentio actualis aſſidua, ſed ſufficere poteſt virtualis quando pro humanâ fragilitate non valet continuò mens actualiter attendere.

Ita docent DD. communiter: eſt D. Tho. expreſsè citatâ, quæſt. 83. art. 13. vbi ad hoc propoſitum adducit illud Pſalmi 39. *Cor meum dereliquit me*, tanquam dictum ex perſona iuſtorum, qui orando etiam quandoque mentis euagationem patiuntur.

Declarat autem ipſe hanc doctrinam in eum ferè modum: quia triplex eſt orationis effectus: primus eſt mereri qui communis eſt, inquit, omnibus actibus charitate informatis, & ad hunc ait non ex neceſſitate requiritur quod attentio (ſcilicet quod actualis) orationi adſit per totum, ſed vis primæ intentionis quâ quis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, ſicut in alijs actibus meritorijs accidit: ſecundus effectus qui eſt orationi, inquit, proprius, eſt impetrare, & ad hunc effectum dicit etiam ſufficere primam intentionem quæ ſi deſit nec meritoria nec impetratiua erit oratio: tertius autem effectus eſt quem præſentialiter oratio efficit, ſcilicet quædam ſpiritualis refectio mentis, & hic non habetur (inquit) abſq; attentione, ſcilicet actuali, iuxta illud 1. ad Corinth. 14. *Si orem linguâ, mens mea ſine fructu eſt.*

Virtualis itaque attentio quam dicimus ſufficere, tunc cenſetur adeſſe quando quis in principio orationis intendit & proponit attentè ac reuerenter Deum orare vel laudare aut gratias agere, & inaduertenter dilabitur mens eius ad alias cognitiones, ac ſic in oratione interim progreditur. 59

Colligitur hoc ex D. Thomę doctrinâ iam adductâ: quamuis enim non vtatur nomine attentionis virtualis, ponit tamen eandem rem quam alij Scholaſtici nomine virtutis attentionis intelligunt.

Dico quando mens inaduertenter dilabitur aliò vt quaſi cor derelinquat hominem, vt Scriptura loquitur, quia ſi quis primam attentionem retractet directè & vult mentē voluere alia externa quæ ad orationem non pertinent, iam extinguitur nec ſupereſt amplius vel virtualis attentio: quod facilè admittunt omnes.

Neque tunc ſolùm, ſed etiam quando quis perfectè aduertit mentem euagari ab oratione, & tamen negligit reuocare & ad orationem ſiue ad Deum applicare, vt docet Suarez tomo 2. De religione, lib. 4. De horis Canonicis, cap. 26. nu. 18. contra quoſdam, quorum opinionem merito dicit eſſe improbabilem: nam in moralibus voluntas interpretatiua æquiualet formali, vnde ſupina negligentia æquiualet directæ voluntati.

Adde

Addo autem, quando perfectè aduertit mentem euagari ab oratione, quia vt citato loco docet Suarez ex Caiet. V. Horæ Canonicæ, ad hoc vt diſtractio ſit voluntaria non ſatis eſt, quod aduertat quis quid cogitet, ſed etiam oportet quod aduertat ſe diuerti ab oratione: oportet enim (inquit Caiet.) receſſum humanum à termino fieri per ſe, ex intentione ſcilicet actuali, aut ſaltem interpretatiua, iuxta ea quæ modò diximus: non fit autem per ſe receſſus ab oratione, ſi quis non aduertat ſe ab illâ diſtrahi. Vide Caiet. V. Horæ Canonicæ, §. quod ad 3.

60 Monet autem Suarez ſuprà, hanc doctrinam præ oculis habendam ſcrupuloſis, ne facilè repetitiones horarum aut aliarum precum iunctarum faciant, quæ nihil (inquit) proſunt, quia ſemper habent eaſdē vel maiores imperfectiones, & innumera habent inconuenientia, quando ex ſcrupuloſâ conſcientiâ fiunt iſtę repetitiones: vnde quando bonâ fide & cum propoſito attendendi ad orandum acceſſerint, etiamſi in fine Pſalmi aduertant ſe fuiſſe diſtractos, nihil, inquit, curent, nec repetant, ſed ad attendendū iterum mentem reuocent & progrediantur.

Poſſunt autem hi ſe ſolari & quietare in doctrinâ D. Baſilij quam refert D. Tho. artic. 13. citato ad Tertium, ſi verò debilitatus à peccato (ſcilicet originis) fixè nequeas orare, quantumcumq; potes te ipſum cohibeas, & Deus ignoſcit eò quod non ex negligentiâ, ſed ex fragilitate non potes, vti oportet, aſſiſtere coram Deo.

Idem ſeruare debent, addit Suarez (ſcrupuloſi ſcilicet) etiamſi non recordentur omnia ſe dixiſſe, quia vt notauit D. Tho. (inquit) hæc obliuio non refert, neque ſemper ex diſtractione oritur: vnde Nauarrus De oratione, cap. 13, nu. 26. & ſequentibus, & Ioannes Maior in 4. diſt. 12. quæſt. 7. docent non eſſe neceſſarium, vt quis recordetur ſe dixiſſe omnia, ſed ſatis eſſe, quod nullo claro indicio conſtet aliquid fuiſſe omiſſum, nam & eius quod cum attentione legimus, non recordamur ſæpius, niſi & ſuper ipsâ lectione dum fit, mentem reflectamus, quod non eſt neceſſarium fieri.

Porrò dum dicitur, quod virtualis attentio tunc adſit ſiue adeſſe cenſeatur, quando in principio quis intendit, & proponit attentè & deuotè orare, non ſignificatur quod in principio orationis, debeat quis in actu ſignato & expreſſo hoc dicere, quod ita intendat orare; quamuis ſit bonum & laudabile, ſed ſatis eſt quod actu exercito applicet mentem ad Deum, & ad ea quæ oratione continentur, aut in precibus peraguntur, ſi nō ad illa in particulari, ſaltem in cōmuni, & ſic perſeueret niſi inaduertenter mens aliò rapiatur: hoc ipſo enim ſatis vult & intendit quis orare attentè, quo ſic ad orationem ſe applicat.

61 DICO Quartò: Eſtque virtualis hæc attentio ad minus ex tribus dictis neceſſaria ad orationem. Declaratur, quia omnium iudicio non ſufficit habitualis tantū, vtpotè quæ etiam in dormiente poteſt reperiri quando quis in ſomno ex aliqua aſſuefactione orandi pronunciaret verba orationis, quem nullus dixerit verè & propriè orare: ſimiliter ergo, nec ille orare cenſendus erit, qui licet aliàs ſit habitualiter diſpoſitus ad orandum cum attentione, tamen abſque vllâ cogitatione de ijs quæ agit, incipit proferre hic & nunc aliqua verba precum.

DVBIVM XIII.

Vtrùm illi qui ex præcepto Eccleſiæ obligantur ad horas Canonicas, ſatisfaciant, recitando verba & ſyllabas?

62 RESPONDEO & DICO Primò: Qui ex præcepto Eccleſiaſtico tenentur ad horas, non obligantur eo tantum ad recitationem verborum & ſyllabarum, ſed obligantur ad illas decantandas aut recitandas ſecundum modum & in formâ & ſubſtantiâ orationis ſeu precum verè & propriè dictarum. Eſt contra Medinam Codice De oratione, quæſt. 16. & alios nonnullos; ſed tenetur ferè communiter ab alijs.

Et probari poteſt primò ab ipſo nomine: nam ex primo inſtituto vocantur horę Orationis, iuxta illud Actorū c. 3. *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonā.* Hinc etiam hæc decantatio aut lectio dicitur Officium diuinum, Cap. Dolentes, De celebratione Miſſarum: item Officium Eccleſiaſticum, & Officium pſallendi, vt Cap. vltimo, diſt. 92. item preces horariæ: nemo autem dicet meram recitationem & ſine ſenſu ſonum, eſſe diuinum aut Eccleſiaſticum Officium, aut eſſe preces certis horis dici ſolitas: dicente D. Hieronymo: Audiant ij, quibus in Eccleſia pſallendi Officium eſt, Deo non voce (ſcilicet ſolâ) ſed corde cantandum eſſe.

Præterea profitetur Eccleſia ſe per horas quæ decantantur aut leguntur ab eius miniſtris, velle explere illud Dauidis, *Septies in die laudem dixi tibi*, ac rurſum, *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ*, Pſalm. 118. vt ſignificatur Capitulo primo, De celebratione Miſſarum; atqui illa non explentur per ſola verba recitata, ſed per veram orationem: vnde & toties in Officio, ad partes illas quas vocant Collectas, dicitur Oremus.

Sed ad

Digitized by Google

Sed ad hæc videtur reſpondere Medina, quod Eccleſia in illis verè orat, quoties miniſtri eius has horas dicunt eo modo, vt præceptum impleant.

Verùm iuxta Suarez tomo 2. libro 4. De horis Canonicis, cap. 26. nu. 15. pugnantia illa ſunt, quod tunc Eccleſia in illis verè oret, quando legendo præceptum implent, & quod præceptum tamen impleant, etiamſi non orent, ſed materialiter tantum legant: nam ſi ipſi non orant (inquit) quomodo Eccleſia in illis, aut per eos orat?

63 Non tamen omninò videtur euidens hic repugnantia, quia dici fortaſſis poſſet, quod decantatio illa vel lectio externa Pſalmorum & precum, etſi non ab ipſis miniſtris, tamen rationem orationis ſortiatur, & obtineat à voluntate & præcepto Eccleſiæ, quatenus dum iſta præcipit fieri, intendit ipſa per miniſtros illos tanquam organum ſuum orare Deum, laudes illi dicere, & gratias agere, pro vt verba quæ recitantur continent, atque ita adſit quodammodo ibi virtualis intentio, & attentio Eccleſiæ, quæ ex pio affectu illa inſtituit, quatenus ex efficaciâ illius voluntatis, atque adeò præcepti, alij ſic munus obeunt.

Vnde quidquid ſit de abſolutâ repugnantia, ſaltem admodùm inconueniens, & vt apparet, abſurdum eſt dicere, quod Eccleſia inſtitueret ac deputaret homines mētis & orationis capaces in miniſtros ſuos ad orandum, & non iniungeret ipſis orare, ſed tantummodo inſtar animalium inſenſatorū eructare verba & voces: quia qui ex ſpirituali titulo obligati legunt aut cantant diuinū officium, non faciunt hoc tanquam mercenarij conducti, aut mera inſtrumenta Eccleſiæ, ſed tanquam qui repræſentant perſonam Eccleſiæ, atque adeò ſunt ipſa Eccleſia orans & pſallens diuinas laudes, cum quibus plebs Chriſtiana ſuos coniungit affectus & vota: quare omninò conueniens eſt dicere quod omninò obligētur ex præcepto cū debitâ attentione, & in ſubſtantiâ veræ & propriè dictæ orationis peragere hoc officium.

Confirmatur, quia pia Eccleſiæ voluntas ex quâ inſtituit & ordinauit preces illas, & ſpiritualibus titulis Eccleſiaſticis annexuit neceſſitatem eas decantandi aut legendi, videretur quaſi deperire, & amittere vires influendi in actus miniſtrorum, niſi illa non tantum per modum finis intenderet, vt veræ preces fundantur Deo, ſed etiam quibus poteſt modis hoc curaret, vt attentè & deuotè eiuſmodi Pſalmodiæ fiant, & preces decantentur: alioquin non videbitur ſeriò & efficaciter intendere finem illum.

Hæc autem videtur etiam aduertiſſe Medina, & idcircò pro principali fundamento ſuæ ſententiæ ponit, quod Eccleſia non poſſit præcipere orationes in forma & proprietate orationis veræ & propriè dictæ, eò quod poteſtas eius non ſe extendat ad interna.

Sed poſitio hæc tam generaliter facta, videtur omnia Eccleſiæ præcepta de quibuſcumq; pijs exercitijs euacuare puriori ſubſtantia fructus ſui, & inducere ſimulationem & hypocriſim, ac inania ſimulacra loco operum pietatis: Quare oppoſita ſententia tanquam magis communis, & diſciplinæ, ac bono Eccleſiæ magis ſeruiens eſt potius tenenda hactenus ſaltem, quod actus interiores illi poſſint cadere ſub præceptum Eccleſiæ qui ſunt neceſſarij ad exteriorem actum ſub aliqua ratione honeſta ſeu virtutis demandatum, vt ille in eâ ratione virtutis conſtituatur: qua de re latiùs egimus 1. 2. qu. 96. artic. 3. 64

Dico Secundò: Qui ad horas Canonicas legendas exiſtunt obligati, cōmittunt peccatum mortale ex genere ſuo ſi eas legant abſque attentione neceſſaria ad ſubſtantiā orationis. Ita docent hic Caiet. q. 83. art. 13. Palud. in 4. diſtinct. 15. quæſt. 5. Antoninus 3. parte, titulo 13. cap. 4. Maior in 4. diſtinct. 12. quæſt. 7. Adrianus Quodlibeto octauo, Nauarrus cap. 13. num. 46. Suarez loco ſupra citato, & alij plures. 65

Sequitur autem manifeſtè ex dictis, quia præceptum Eccleſiæ de horis legendis obligat illos vt eas legant in forma & ſubſtantia orationis, vt oſtenſum eſt: atqui illi qui legunt ſine attentione eſſentialiter requiſita ad orationem, non legunt eas in forma orationis, ergò non implent præceptum, & quandoquidem verſetur circa materiam grauem ex genere ſuo, vt cōmuniter omnes docent, hinc non impletio, ex genere ſuo eſt mortalis.

Porrò quemadmodum omiſſio minoris alicuius particulæ horarum propter exiguitatem materiæ poteſt eſſe venialis, ſic quoque omiſſio attentionis debitæ in minori aliqua parte poteſt eſſe culpa venialis, vtriuſque enim eadem eſt ratio, quia vtrumque eſt peccatum omiſſionis, & in tantum quatenus nō omni ex parte expletur idem præceptum affirmatiuum.

Quando autem eſſet expreſſa voluntas recitandi officium cum totali diſtractione, tunc accederet etiam malitia quaſi commiſſionis: quam tamen dicit Suarez non eſſe per ſe mortalem, niſi quatenus adiungitur omiſſioni præcepti, & ideò etiā huius quantitas eſt expendenda ex quantitate materiæ omiſſæ: videtur tamen illa voluntas non carere ſpecie contemptus officij, & ſic non carere periculo culpæ mortalis.

Quæri hic poteſt primò: vtrùm omiſſio attentionis aliquando excuſetur à mortali propter imperfectū voluntarium, etiamſi nō tam inuoluntaria ſit diſtractio, vt excuſetur ab omni 66

ab omni omninò peccato etiam veniali.

Sunt diuerſæ hic opiniones: duæ quaſi extremæ, & tertia quaſi media.

Quidam enim exiſtimant, vt refert Suarez ſup. nu. 18. quoties diſtractio non eſt directè voluntaria vt quis dicat ſecum, nolo attendere, ſemper tunc impleri præceptum, ita vt non peccetur mortaliter, quantumuis negligenter ſe quis gerat, etiamſi inde ſequatur, quod magnam partem officij, aut totum officium cum diſtractione quis recitet.

Pro fundamento videntur ponere, quod durat virtualiter prima intentio niſi directè reuocetur: ſed hoc falſum eſſe ante oſtendimus dubio præced. vnde hæc opinio tanquam improbabilis meritò reijcitur.

Alij è contra putant non dari hic mediũ, ſed defectũ attentionis vel nullã continere culpam, aut eſſe mortalẽ, quando ſupponitur ſufficiens quantitas materiæ, quia inquiunt, ſi diſtractio eſt merè naturalis, excuſatur omninò à culpâ: relinquit enim attentionem virtualem cum qua impletur præceptum: ſi autem diſtractio eſt ex negligentia quæ duret in magna parte officij, eo ipſo negligentia eſt grauis, & non excuſatur à mortali.

Sed neque hæc opinio videtur ſatis fundata, quia ipſa negligentia etſi diutius perſeuerans poteſt tamen in ſua ratione eſſe grauior aut leuior. Vnde fieri poteſt, quod interueniat negligentia tam exigua, vt omiſſio attentionis debitæ non debeat cenſeri ſufficienter deliberata ad conſtituendũ peccatum mortale, & tamen negligentia illa ac inde conſequens omiſſio attentionis ſit culpabilis venialiter: quia ipſa negligentia eſt ex ſurreptione quadam, & non perfectè voluntaria.

Dicendum igitur eſt, quod ſine directa
67 voluntate non attendendi poſſit omiſſio attentionis eſſe mortalis, quando negligentia eſt ſupina & craſſa: quæ tunc contingit quãdo aduertit quis, ſe non attendere ad diuinam orationem, ſed animo vagari circa alia vana aut extranea, & tamen non reuocat mentem ad ea quæ orationis ſunt, ſed permittit ſic diuagari: quamdiu verò non ita aduertit, erit naturalis aut ferè naturalis quædam inaduertentia: quando omnino naturalis eſt, tunc nulla erit culpa, quando autem penè naturalis eſt, tunc interueniet culpa venialis, atque ita fieri poteſt, quod aliqua omiſſio attentionis excuſetur à mortali non tantum propter paruitatem materiæ, ſed etiam propter imperfectum voluntarium, quæ tamen non excuſetur ab omni omninò culpâ.

Quæritur ſecundò: An ſit peccatum le-
68 gere horas, aliquid aliud ſimul agendo?

Pro reſponſione obſeruandum eſt, quod actiones non ſunt ſemper eiuſdem rationis & qualitatis: quædam enim ſunt mentales, aut magnam mentis conſideratione requirentes: quædam verò ſunt externæ, & tales, vt abſque mentis attentione fieri poſſint aut ſoleant.

Reſpondetur itaque, ſi quis ſimul ſe occupet in actionibus prioris generis, tum ſine dubio adhibere non poterit debitam attentionem ad preces horarum, & proinde, ſi tales voluntariè coniungat cum lectione notabili, peccabit contra præceptum de legendis horis etiam mortaliter: vt ſi quis legendo horas ſimul animo philoſophetur, & diſcurrat circa argumenta & deductiones, etiamſi quoque verſetur in materia honeſta: ſi animo ſimul concipiat litteras ſcribendas, aut ſimul ſcribat, vel quid ſimile agat: quando autem in actionibus poſterioris generis tantum ſimul ſe occupat quæ mentis aduertentiam nullo modo aut vix poſtulant, tunc ordinariè non erit peccatum mortale, ſed fieri poterit hoc vel ſine peccato, vel cum veniali tantum: Ita docet Caiet. V. horæ Canonicæ, Nauarrus De oratione, c. 13. n. 47. & ſequentibus, vbi id fuſius ſecundum diuerſas circunſtantias actionum declarat. Et confirmari poteſt ex eo quod Eccleſia etiã præſcribat certas orationes dicendas à Sacerdotibus aut Epiſcopis quando ſe ornamentis Sacerdotalibus aut Pontificalibus induunt: quod ſignũ eſt cum eiuſmodi actionibus externis & alijs ſimilis generis poſſe conſiſtere debitam attentionem requiſitam ad orationem.

DVBIVM XV.

Vtrùm ſi quis ex defectu attentionis circa preces horarias non impleuerit præceptũ Eccleſiæ, teneatur iterũ eas legere: & an tenebitur ad fructuum reſtitutionem beneficiatus ſi id non fecerit?

RESPONDEO; quotieſcumque aliquis ex 69
defectu attentionis non impleuit præceptum de horis recitandis, obligatur eas iterum legere, ſi tempus adhuc currat quo poteſt implere præceptum: & ſi id non fecerit, tenebitur beneficiatus ad fructuũ reſtitutionem, ſicuti is qui horas non legerit.

Eſt contra Medinam inprimis, & illos qui exiſtimant attentionem nullo modo cadere ſub præceptũ Eccleſiæ, quia reſponſio hæc ſupponit concluſionem eis contrariã. Deinde contra alios nonnullos, qui volunt hic interuenire duo præcepta Eccleſiæ, vnum quod obliget ad legendas horas vocaliter, & alterum

alterum quod obliget ad mentalem attentionem: & hi, quamuis doceant illum, de quo loquitur concluſio, peccare mortaliter, quia poſterius præceptum non implet, tamen quia prius impleuit, ideò exiſtiment illum non teneri ad iteratò horas legendas, & conſequenter quod non teneatur ad attentionem de poſt adhibendam aut ſupplendam, quia tunc deeſt materia talis attentionis, cum iuxta illos non obligetur iteratò dicere, & conſequenter affirmant, quod non teneatur beneficiatus tunc ad reſtituendos fructus, etiamſi non legat iterum, quia obligatio reſtituendi tantùm naſcitur ex obligatione recitandi horas voce exterius. Ita Corduba libro qq. Theologicarum, quæſt. 13. circa finem.

Sed hæc ſententia ex falſo procedit fundamento: vnde per eius euerſionem probatur prior pars Concluſionis: quia præceptum de legendis horis vnicum eſt, quod ſcilicet qui obligati exiſtunt, debeant eas vocali oratione decantare aut legere, in quo includitur obligatio ad attentionem, vt ex antè dictis intelligi poteſt. Confirmatur, quia non poteſt præceptum Eccleſiæ, iuxta ſententiam Diui Thomæ, & aliorum magis communem, cadere in attentionem mentalem ſeorſim, & per ſe conſideratam, vtpotè quæ ſit actus merè internus & proinde non debet, nec poteſt hic poni ſecundum præceptum diſtinctum, quod ſeparatim obliget ad mentalem attentionem.

Tenent itaque concluſionem noſtram Soto, lib. 10. De iure & iuſtitia, quæſt. 5. art. 5. concluſione 6. Peſantius hic quæſt. 62. artic. 2. diſput. 2. De horis Canonicis: Petrus Nauarra, lib. 2. cap. 2. num. 233. Lopez, 2. parte, cap. 96. Nauarrus, cap. 13. De oratione, num. 15. & cap. 2. num. 32. Suarez ſuprà, & alij plures.

Et præſuppoſito quòd vnicum ſit præ-
70 ceptum, quod non tantùm materialem recitationem, ſed etiam formam orationis requirit, euidenter per ſe videtur conſtare concluſio ſecundum vtramque partem: nam qui præceptum aliquod quo obligatur, non impleuit, manet obligatus ad illud implendum pro toto tempore, quo implere poteſt: ſicuti ſi quis aſtitiſſet Miſſæ cum voluntaria diſtractione, & vagatione mentis circa alia negotia, non eſſet ille liberatus ab obligatione audiendi Miſſam intra eundem diem, ſi oportunitatem audiendi habere poteſt, vt communiter Doctores tenent.

Hinc ſi quis ita audierit Miſſam, vel legerit horas cum propoſito aliam Miſſam audiendi, vel iterùm legendi horas, non peccauit is mortaliter, quia adhuc poteſt implere præceptum, ſuppoſito quod tempus & oportunitas ſuperſint, vti ſupponimus: ſecus autem peccaſſet, ſi feciſſet cum propoſito non audiendi aliam Miſſam, vel non iterandi horas: & tamen non obſtante, quòd iam iſtâ voluntate mortaliter peccauerit, nihilominùs manet obligatio implendi præceptũ, quamdiu tempus ſupereſt, ita vt niſi propoſitum mutet, quaſi virtuali voluntate peccet continuò: neque enim cenſentur exterius præuaricati præceptum, quamdiu tempus eius implendi, adhuc currit.

Vnde ſi omiſſio haberet annexam cenſuram, non incurreret quis eam per tale propoſitum; quemadmodũ neque etiam quantumuis quis ſimpliciter proponeret non audire Miſſam, vel non legere horas, ſi intra tempus mutaret propoſitum, & Miſſam audiret, vel horas legeret.

Petes, quid dicendum de illo, qui neque habet propoſitum legendi iterum, nec etiam habet propoſitum non iterandi, vtrùm ille peccauerit mortaliter, quando cum voluntaria diſtractione totum aut magnam partem officij legit?

Reſpondetur, exiſtimandum ordinariè, quod talis mortaliter peccauerit: quia dum quis applicat ſe ad legẽdas horas ex conſideratione obligationis quâ tenetur, debet moraliter cenſeri, habere propoſitum non iterũ recitandi, præſertim ſi pro more habeat, quod non ſoleat repetere horas ſemel lectas: idque euidentiùs verum eſt, ſi tunc in termino temporis quo iuxta præceptum legere poſſit, verſetur.

Poſterior pars concluſionis ſimiliter ex 71
dictis videtur clarè ſequi, quia obligatio reſtituendi fructus naſcitur ex præuaricatione præcepti Eccleſiaſtici; talis autem iuxta noſtra principia, non implet præceptum; ergò &c.

Sed reſpondent aliqui, obligationem reſtituendi oriri proximè ex lege pœnali, quæ reſtringenda eſt, & proinde ſic interpretanda, vt non imponat onus reſtituendi malè vel non attentè dicenti horas, ſed illi qui ſimpliciter nullo modo recitauerit: quod confirmari poteſt, quia Concilium Laterananſe ſub Leone X. ſeſſ. 9. vbi obligatio recitandi ſub onere reſtituendi alioquin fructus, expreſſiùs eſt introducta, dicit tantum: quod ſi quis diuinum officium non dixerit legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis recitationis officij: non autem dicit, qui non benè aut non attentè dixerit.

Ex conſideratione hâc potiſſimum tenet Mald. hanc ſententiam, vt veriorem, & ſimiliter ſentit Toletus, lib. 2. cap. 12. fatetur nihilominùs Malderus, ſuppoſito quod præceptum Eccleſiæ obliget ad legendum attentè, pro vt ipſe quoque docet, quod concluſio noſtra ſit tutior.

Digitized by Google

Quare ad aliorum reſponſionem dici poteſt, Conſtitutionem Concilij Lateranenſis, non eſſe propriè pœnalem: obligat enim ex communi ferè ſententia, ſaltem ſimpliciter omittentem, ad faciendam reſtitutionem, etiam ante iudicis ſententiam, vt eodem dubio tradit etiam Malderus: ſed potius rẽ hic ſe habere ad inſtar donationis, cui à donatore appoſitus eſt modus, qui tranſeat in vim & naturam appoſitæ conditionis: vnde modo tali non impleto ſeu non obſeruato, quaſi naturali lege iuſtitiæ, quâ operarius non poteſt retinere mercedem, quando non laborauit, obligatur talis omittens reſtituere fructus perceptos.

Ad confirmationem quod attinet, admitti poteſt, non omninò improbabile ſumi argumentum ex verbis Concilij citati, præſertim, quia non tantùm pœnalia, ſed etiam oneroſa dici poſſunt reſtringenda, & maximè accedente eo, quòd dici poſſit ſubeſſe ratio, quare Conciliũ preſſius voluerit mãdare recitationem ſaltem externã, quàm animam ſeu formam orationis, quia ſcilicet dum tali modo induxerit ad ſeponenda impedimenta & ad dicendum exterius ſaltem horas, tunc ſequatur faciliùs vt etiam cũ attentione legatur: quod tamen ſub pari onere noluerit pręcipere, ne laqueus inijciatur (vt aliqui dicunt) & ne multi pariantur ſcrupuli.

72 Nihilominùs tamẽ ſimpliciter loquendo, rationi videtur magis conſentaneum, vt per dicere officium diuinũ, intelligatur Eccleſia pręcipere, non tantùm materialem lectionẽ, ſed actũ virtutis orationis, circa quem magis decet præcepta Eccleſiæ verſari, quàm circa materiales ſonos. Quomodo autem non inijciatur laqueus ex requiſita attentione, ſatis poterit intelligi ex dictis antè dub. 12. concluſ. 3. ex quibus poteſt conſtare, quod dici debeat tantummodò requiri officium hominis Chriſtiani, præſertim qui peculiariter diuinis officijs eſt mancipatus, quando præceptum Eccleſiæ dicitur verſari circa exteriores actus orationis, vt verè oratio eſt: non autem laqueum iniji.

Cæterùm quod attinet ad reſtitutionem faciendam ab illis qui ſaltem officium non dixerint, innouauit Pius V. Conſtitutionem Concilij Lateranenſis, & innouando pleniùs explicuit: ſtatuit enim primò, quod beneficiarius pro quolibet die quo horas pręterniſerit, amittat frũctus illi diei correſpondentes, vt ſi beneficium valeat 363. aureos, amittat vnum aureum qui omiſerit horas vno die. Deinde, qui non dixerit vel matutinum, aut ſi matutinum dixerit, tamen omiſerit cæteras horas, amittat fructus medios illius diei, & qui omiſerit horam vnam, amittat ſextam illius partem.

73 Quod quidem ita intelligunt Azorius, Malderus ſuprà, Suarez, & alij, vt etiam illi iuxta modum explicatum teneantur reſtituere, quorum beneficia habent, alia quoque annexa onera, quæ beneficiati expleuerint: quamuis Toletus, lib. 2. c. 12. & Henriquez, libro De excommunicatione, cap. 13. aliter ſentiant, ſic vt exiſtiment quod illis ſufficiat ſi reſtituant tertiam partem, v. g. ſi Parochus omiſerit vno die horas, & beneficium valeat 363. aureos, ſufficiat ſi reſtituat tertiam partem aurei, vt explicat Toletus: ſed parùm videtur hoc eſſe fundatum, quia Concilium allegatum loquitur de fructibus non faciendis ſuis, tam ex beneficio cum cura, quàm ſine cura indifferenter.

Rurſum, antè citati Doctores, ita accipiunt conſtitutionem Concilij, & Pontificis, vt ſi quis plura habeat beneficia, non tantum pro rata omiſſionis horarum teneatur reſtituere fructus vnius beneficij, ſed omnium, perinde ac ſi eſſent fructus vnius beneficij.

DVBIVM XVI.

Quis modus ſeruandus ſit in vocali recitatione horarum, & quibus temporibus horæ ſint legendæ?

Reſpondetur: Ad primum quod attinet, Concilium generale ſub Innocentio III. diſtrictè præcipit, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum ſtudioſè celebretur & deuotè. 74

Quidnam requiratur, vt celebrari dicatur deuotè, intelligi poteſt ex ſupra dictis, vbi egimus de requiſita attentione. Vt autem celebretur ſtudioſè, tria docent Doctores eſſe neceſſaria: Primò requiritur, vt dicatur abſque syncopâ, vt habet Gloſſa, id eſt, abſque verſiculi aut verborum prætermiſſione, vt fit quando priora verba verſiculi iunguntur vltimis, aut abſorptis, ſeu prætermiſſis medijs dicuntur vltima. Secundò, vt verba non mutilentur, vel truncatim proferantur, abſciſſis quaſi ſyllabis quibuſdam, quòd in vltimis verbis maximè ſolet contingere. Tertiò requiritur, vt quælibet hora legatur abſque interruptione.

Quod itaque ad primum & ſecundum attinet, redarguuntur expreſsè in Cap. Dolentes, De celebratione Miſſarum, & in Clementina prima eodem titulo, qui tranſcurrendo, ſyncopando officium diuinum celebrant, cum adiunctâ ſæuerâ prohibitione.

Hinc de illis ſcribit Suarez, libro ſuprà citato, cap. 13. nu. 10. quòd omnis modus canendi horas in Choro cum aliqua mutilatione 75

tione

Digitized by Google

tione verſuum, aut verborum de ſe peccaminoſus ſit: & licet ordinariè tantùm videatur in illo interuenire, inquit, culpa venialis, interdum tamen poteſt eſſe mortalis, ſi nimia ſit verborum mutilatio.

Prima pars illius dicti Suarez, probari poteſt, tum ex Capitulo Dolentes, tum ex Clementina allegatis: & accedit ratio, quia qui debet totam aliquam quantitatem, non ſatisfacit dando partem, & quamcumque partem ſubtrahit inuito creditore, peccat: Clericus autem tenetur officium integrum præſtare, ergò quæcumque mutilatio officij eſt de ſe peccaminoſa, quādo eſt voluntaria.

Secundam partem ita explicat Suarez, quia ordinariè talis mutilatio non eſt continua in aliqua notabili parte officij, ſed in vno aut altero verbo, & ſic erit materia leuis & conſequenter ordinariè erit culpa venialis: quod crediderim eſſe verum, niſi Suarez fallatur in illa præſuppoſitione, quòd ordinariè mutilatio ſit exigua, & non fiat ad aliquam notabilem partem officij, cuius contrarium vereor nimis frequenter in diuerſis Eccleſijs obuenire.

Tertia itaque pars declaratur ex Nauarro De oratione, cap. 10. nu. 9. & ſequentibus: nam interdum, inquit, qui cantant, aut recitant, omittunt tantam partem verſuum Pſalmorum, vel deglutiendo, vel corrumpendo, & ſyncopando verba, ſyllabas, aut litteras, vt ex ita omiſſis, fieret notabilis pars horæ; tunc igitur erit peccatum graue contra integritatem officij.

Ad quod accedit, quod in iſtis non tantùm ſit habenda ratio quantitatis pœnitùs omiſſorum, ſiue in verbis, ſiue in ſyllabis, aut litteris, ſed etiam eius quod ſic totum ferè officium legatur corruptè, & inintelligibiliter, quando in magna parte officij iſtæ ſyncopationes & abſorptiones frequentiùs admittuntur: cæteris autem paribus defectus ille eſt grauioris culpæ, quando ſit à toto Choro, quàm dum ſit ab vno aut altero tantùm.

76 Participant autem culpam illam maximè qui cantum gubernant, vel præſunt Choro: ſimiliter etiam grauior eſt culpa, quando vnus aliquis in publico officio committit illum defectum, vt quando ſic Lectionem recitat, aut Collectam canit, quàm dum priuatim ita legit: quia & Canones citati directiùs agunt de officio publico, & maius ibi ſolet interuenire ſcandalum.

Huc etiam pertinet, quòd nimia feſtinantia ſiue celeritas in percurrendo verſus & verba Pſalmorum, etiamſi nihil omittatur aut corrumpatur in verbis, tamen omninò vitanda ſit, tum quia impedit deuotionem legentium; tum etiam quia impedit ne audientes poſſint verba & ſenſum percipere, quod eſt contra fructum ab Eccleſia ex cantu diuini officij intentum. Vnde Diuus Auguſtinus, libro 9. Confeſſionum, cap. 10. ita hac de re ſcribit: Quantùm fleui in hymnis & canticis tuis, ſuaueſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus; acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meū: & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

Denique, maior feſtinantia etiamſi non ſit abſolutè nimia, poteſt tamen aliquando eſſe nimia reſpectiuè, nam in feſtis ſolemnioribus eſt maior pauſa adhibenda in cantu, quàm in diebus communibus, vt etiam Concilium Baſilæenſe ſtatuit, ſeſſ. 21. vbi & alia plura bene ordinat, quæ ſpectant ad decentem diuini officij celebrationem.

Quod ad tertium requiſitum ad legendum ſtudioſe, vt ſcilicet ſine interruptione legatur, non intelligimus hic interruptionem eam quæ interponitur inter diuerſas horas, quia certùm eſt, in illa interruptione per ſe nullam eſſe culpam, quemadmodum nec in hac quæ ſit inter matutinum & laudes, quatenus per modum duarum horarum dici poſſunt, ita ſcilicet, vt poſt Te Deum laudamus, ſiue poſt nocturna, recitetur Collecta, & ſic terminetur matutinum, vt fit in noctu Natalis Domini in officio publico: quia etiam in hoc (inquit Suarez ſuprà cap. 24.) nullam agnoſcimus culpam, quin & interpolatio nocturnorum inter ſe, abſque peccato fieri poteſt, ſi non ſit nimia, ſed antiquæ conſuetudini proportionata, vt ibidem habet Suarez, præſertim ſi rationabilis occaſio vel commoditas meliùs quælibet recitandi interueniat. Vide eundem cap. 6. vbi latiùs docet matutinum & laudes diuiſim poſſe dici per modum duarum horarum, & cap. 4. eiuſdem libri, vbi diſputat, vtrùm antiquitùs nocturna officij ſoleant legi aut decantari diſtinctis temporibus ſecundum diſtinctas vigilias noctis, & cum D. Thoma exiſtimat probabiliùs ita antiquitùs fuiſſe factum; ſic enim ſcribit D. Thomas, lectione 6. in caput 14. 1. ad Corinth. dicens, Antiquitùs dicebantur nocturna diuiſim ſecundum tres vigilias noctis: & fauet D. Hieronymus, epiſtola 22. ad Euſtochium, dum ſcribit, Bis & ter nocte ſurgendum eſt: quod dicere videtur propter diuerſa tempora quibus nocturna legebantur. 77

Hic igitur agimus de alijs interruptionibus, ſcilicet de moris interpoſitis in vna eademque hora diuini officij, vbi nec ab initio introducti officij ſolent fieri interpolationes: quod ergò ad huiuſmodi interruptionem attinet, ſatis in eo conueniunt DD. quod hæc ſi aliquo modo notabilis ſit, & fiat ſine iuſta cauſa, ſit ipſa culpabilis. Addo (ſi aliquomodo ſit notabilis) quia poteſt 78

eſſe tam exigua, vt moraliter pro nulla reputetur.

De grauitate autem huius culpæ variant Doctores: Nauarrus De oratione, cap. 16. nu. 73. putat eſſe peccatum mortale, quando eſt magna ſeu longa interruptio, niſi fiat cum animo repetendi priora, & in eandem opinionem propendere videtur Medina, Codice De oratione, quæſt. 16. art. 3. Fundamentum ſuæ ſententiæ in eo ponunt, quia quando eſt magna intermiſſio, tunc priora & poſteriora non faciunt vnam orationem, ſiue vnum officium. Alij tamen probabiliter tenent eſſe tantùm veniale, ſaltem in officio priuato: quia conſummatur ſubſtantia ipſius horæ, etſi in medio curſu fuit quædam ſtatio & interruptio: vnde quamuis etiam duraret ad vnam aut alteram horam temporis eiuſmodi intermiſſio, exiſtimant non neceſſario repetenda quæ prius lecta ſunt. Et ratio reddi poteſt, quia ſinguli Pſalmi, imò ſinguli penè verſiculi per ſe ſuum habent pondus & completum ſenſum, ſuntque per ſe quædam precatio, aut diuini nominis collaudatio, vel gratiarum actio, aut dictum aliquod non habens neceſſariam connexionem cum alijs. Colligitur ex Caietano V. Quando horæ, §. quo ad quartum: vbi dicit, In huiuſmodi circumſtantijs non incurri peccatum mortale abſque contemptu; quia non ſpectant ad ſubſtantialia materiæ præceptæ: & ſic docet Peltanus, lib. 3. De bonis operibus, cap. 6. in fine aſſertionis 4. Et colligi poteſt ex Suarez ſuprà cap. 24. quia de culpa interruptionis in officio tractans non facit mentionem peccati mortalis, niſi quando turpia & inhoneſta intermiſcerentur, quæ dicit poſſe eſſe talia, vt ſit grauis & mortalis culpa contra religionem propter irreuerentiã in Deum, & addit, Eſto, hoc nõ ita eſſe cõtra prçceptũ recitandi horas, quin poſſit eadẽ hora compleri poſt illam actionem mortaliter peccaminoſam, quia ſunt præcepta & malitiæ diuerſarum rationũ: & illa ratio culpæ mortalis per accidens ſe habet ad interruptionem per ſe conſideratam.

Ad rationem ergò Nauarri reſponderi poterit, etiam ex partibus diſiunctis per aliquam temporis interruptionem poſſe conſtitui vnam orationem diuini officij, quemadmodum ſi quis declamationem aliquam inchoaret ante prandium & poſt prandium perficeret, diceretur habuiſſe vnam declamationem, ſi fuerit idem argumentum, & dum ceſſaret, tanquam incompletam reliquerit: imò ex ſeptem horis Canonicis quæ diuerſis temporibus dicuntur, rectè conſtitui dicitur vnum officium diuinum.

DVBIVM XVII.

Quanta partis horarum omiſſio ſit peccatum mortale?

Reſpondent inprimis omnes, omiſſionem partis notabilis inferre culpam mortalem. Verùm difficultas eſt, quænam pars debeat cenſeri notabilis? 79

Vbi hoc inprimis ſuppono ex communi nunc ſententia, officium integrum vnius diei extra cõtrouerſiam eſſe materiam ſufficientem, vt eius omiſſio reputari debeat peccatum mortale: quamuis olim videantur aliqui aliter ſenſiſſe, quorum mentionem facit Angelus V. Hora, num. 10. à quorum opinione, nec ipſe videtur omninò alienus, modò omitteretur ſine contemptu & animi tædio, ſed ex ſola negligentia. Suarez verò docet rectè, cap. 25. lib. 4. ſententiã illam hoc tempore practicè improbabilem, & planè temerariam fore: quia, inquit, eſt contra omnes: & ratio redditur, quia præceptum hoc de horis legendis obligat ſuos ſub reatu culpæ mortalis: eſt enim de grauiſſima virtute quæ reſpicit diuinum cultum, & ſimul facit ad vtilitatem Eccleſiæ: item integrum officium vnius diei eſt materia grauis, omnium ſapientum iudicio, inquit Suarez: quod confirmari poteſt, quia auditio Miſſæ in die Feſto, item ieiunium vnius diei ab Eccleſia præceptum ſunt materiæ ſufficienter graues, vt omiſſio ſit peccatum mortale ex communi doctrinâ, ergò ſimiliter omninò dicendum eſt integrum officium eſſe planè materiam grauem.

Secundò, Satis etiam in hoc conueniunt, quamcumque horam ex ſeptem Canonicis etiam minimam ex illis, v. g. Completorium eſſe partem ſatis notabilem, vt eius omiſſio cenſeri debeat peccatum mortale. Poteſt hoc colligi ex diuerſis Canonibus, vt Capitulo Illud, & Capitulo Nihil, cauſa 7. quæſt. 1. vbi prohibetur, ne diuina officia relinquantur imperfecta: omiſſio autem alicuius horæ inducit notabilem mutilationem & imperfectionem diuini officij.

Supereſt itaque difficultas, quantæ partis vnius horæ omiſſio conſtituat peccatum mortale. Nauarrus, c. 7. De oratione, n. 44. ex Antonino quem allegat, dicit tertiam partem cuiuſque horæ eſſe materiam notabilem, & cap. 10. nu. 43. & 44. cenſet eſſe notabilem partem, v. g. in prima, vel in tertia, ea quæ præmittuntur vſque ad initium primi Pſalmi, quia ſunt circiter tertia pars horæ illius: Verùm rectiùs docet Suarez ſuprà cap. 25. n. 16. grauitatem, ſiue notabilitatem materiæ in propoſito, non eſſe æſtimandam 80

Digitized by Google

mandam ex aliquali quotâ vnius horæ, (id eſt) non ex eo quod ſit tertia vel media pars vnius alicuius ex horis, ſed ex quantitate quam per ſe adfert in officio, omiſſio illius: vnde ſi totum matutinum cum Laudibus accipiatur, vt vna hora, poterit vnum nocturnum, quamuis non ſit tertia, ſed forſitan quarta pars illius horæ, cenſeri pars notabilis diuini officij, & ſufficiens ad peccatum mortale, ſi omittatur: quia poteſt hæc reſpectu totius officij eſſe pars maior, quàm ſit vna aliqua integra hora, v.g. quàm Completorium: quare ſi è contrario quis omitteret ferè dimidiam partem Completorij, non auderem (inquit Suarez) dicere talem peccare mortaliter, quia reſpectu totius officij non apparet pars notabilis: Hinc non ſequitur, tertia pars alicuius horæ eſt notabilis reſpectu illius horæ, ergò eſt notabilis ſimpliciter & ſufficiens ad peccatum mortale, ſi omittatur, quia eſt collectio à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, vt loquuntur Logici, quæ non eſt valida. Tandē itaque ſic concludit Suarez, Hoc video neceſſarium, vt quis per voluntariam omiſſionem non peccet mortaliter, quod nulla hora integra omittatur, neque pars alicuius horæ quæ æquiualeat vni horæ etiam minimæ, aut dimidiæ eius parti.

DVBIVM XVIII.

Quo tempore horæ ſint legendæ?

81 RESPONDEO & DICO Primò: Illi qui ex præcepto Eccleſiæ tenentur, obligati ſunt, per ſe loquendo, vt intra diem naturalem inchoando à medio noctis vſque ad medium noctis ſequentis recitent integrum diuinū officium: debet enim quotidiè dici, & ſic dies quilibet in ordine ad hoc officium inchoatur & finitur, vt tradunt Syl. V. Hora, q.9. & plerique alij Summiſtæ eodem verbo: Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 13. §. vlt. & 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 4. Nauarrus cap. 3. De oratione, n. 54. Suarez cap. 27. & alij communiter.

Hinc ergò infertur primò, eum qui vſque ad mediam noctem incluſiuè horas, vel notabilem partem non legerit, iam peccaſſe mortaliter (niſi per naturalem obliuionem, vel per aliquam legitimam cauſam fuerit excuſatus) & tum non currere illi vlterius præceptū de horis illius diei præteriti legendis; ſicuti is, qui die Dominico audire Miſſam omiſit, non tenetur ex præcepto audire ſequenti die Miſſam: quia lex præcipiens aliquid pro determinato tempore, ſi opus in eo non fiat, peccatum quidem committitur, de quo agenda eſt pœnitentia, lex autem quando tempus præterijt, non obligat amplius.

Infertur Secundò, eum qui horas manè, vel antè prandium, dici ſolitas, vt peculiariter matutinum & primam non legerit illo tempore, adhuc ſemper vſque ad duodecimam horam, ſiue vſque ad medium noctis ſequentis obligari ad illas legendas.

Eſt hoc contra Turrecremata, & Cardinalem ad Capitulum Presbiter, diſt. 91. q. 5. qui dicunt, eum qui omiſit horas vſque ad prandium, iam non teneri eas legere pro illo die, ſed eum nunc peccaſſe mortaliter.

Verùm hanc doctrinam dicit Suarez, cap. 27. n. 6. eſſe errorem in moralibus, & nullo modo probabilem: quod rectè oſtendit Nauarrus cap. 10. De oratione, nu. 50. ex Antonino, Sylueſt. & alijs. Ratio autem reddi poteſt breuiter, quia in meridie nondum conſummata eſt omiſſio præcepti quo ad ſubſtantiā eius: nam currit adhuc tempus habile vſque ad medium noctis: quare necdum eſt commiſſum peccatum mortale, ſed poteſt & debet adhuc præceptum impleri.

Dicet aliquis: valdè videtur incongruum, quod quis poſt ſolis occaſum, ſi primam nondum legerit, incipiat dicere: Iam lucis orto ſidere; ergò exiſtimandum eſt, quòd præceptum de prima legenda iam ceſſet, & præuaricatio eius ſit completa. 82

Reſpondetur, licet quædam in eo ſit inconuenientia, non eſt tamen tanta vt prætenditur, ſic vt ideò admittenda ſint quæ inferuntur: quia ſimilia verba ſemper intelliguntur referri ad debitum tempus, licet in alio dicantur: quemadmodum etiam matutinum priuatim legendo diximus ſæpius: Nocte ſurgentes vigilemus omnes, idque priuſquam adquietem & lectum nos conferamus: de quo modo legendi horas, paulò poſt aliquid dicemus.

DICO Secundò: Legitimum omninò & proprium tempus cuiuſque horæ iuxta inſtitutum & vſum antiquitùs maximè frequentatū, eſt tale, vt matutinum inchoëtur ad medium noctis, & ſimul cum laudibus abſoluatur: prima verò dicatur manè ſub aurora: tertia recitetur iuxta noſtrum computandi temporis modum, manè horâ nonâ: & ſexta dicatur in meridie: nona circa tertiam pomeridianam, & circa illud tempus legantur etiam veſperæ: Completoriū autem recitetur adueniente iam nocte. 83

Satis hæc videntur nota, tum ex ipſis nominibus, quibus preces illæ ſingulæ deſignantur, tum ex ipſis hymnis qui interſeruntur accommodati ad talem rationē temporis, tum denique ab ipsâ obſeruantiâ illius vſus, quæ adhuc apud multos religioſos ad Chorum profeſſos, ſatis viget, & à qua etiam in Eccleſijs Canonicorum non omninò receditur.

Digitized by Google

84 Dico Tertiò: Abſque peccato tamen etiam veniali poſſunt illa tempora non obſeruari in horis legendis, cauſâ rationabili ſubexiſtente. Ita docent Nauarrus, Antoninus, Sylueſt. Suarez, & alij. Ratio ſatis eſt euidens: quia poteſt occurrere cauſa tam grauis, vt etiam ipſa omiſſio alicuius horæ, vel integri officij non ſit peccatum quidem veniale; vt aliquando propter corporis ægritudinem, propter aliquod neceſſarium opus Charitatis, vel quid ſimile: ergò ex rationabili quoque cauſa legi poterunt horæ ſine peccato non tempore ſuo.

Sed controuerſia quædam eſt, vtrùm illa mutatio temporis pro ſola voluntate fieri poſſit abſque omni culpâ? quidam affirmare videntur: alij autem negant. Verùm exiſtimo eos non verſari in propoſitionibus contradictorijs aut contrarijs: ſed tantum in ſubcontrarijs, quæ ſimul poſſunt conſiſtere. Vnde pro reſolutione huius dubitationis, & declaratione

85 Dico Quartò: Poteſt quædam mutatio temporis proprij fieri pro voluntate ſine culpâ etiam veniali, vt in matutinis, in prima, tertia, & ſexta, hactenus quòd matutinum legi poſſit in crepuſculo diei, aut in tempore vicino, ita vt non in media nocte: item quòd prima, tertia, & ſexta ſimul dici poſſint poſt duas vel tres horas ab ortu ſolis. Et hanc puto eſſe mentem eorum qui ſequuntur priorem opinionem: & res videtur ſatis conſtare euidenter ex praxi & vſu Eccleſiæ: nam paſſim in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis, in quibus ex debito canitur diuinum officium, ſolent iſtæ horæ cani talibus temporibus cum pleno ſcitu Eccleſiæ: non eſt autem exiſtimandum, hoc non fieri abſque peccato veniali: ergò &c. quod proinde potiori ratione licitum erit in officijs quando priuatim leguntur.

Dico Quintò: Mutationes verò quædam inuſitatæ, quæ fieri non ſolent ab ijs, qui mediocri ſollicitudine res diuinas tractant, vt quod matutinum, aut prima legantur circa veſperam ipſius diei, vel poſt meridiem, aut quod Completorium aut Veſperæ legantur manè, non fiunt abſque omni culpâ, ſaltem veniali: & de huiuſmodi mutationibus in tempore, veriſimiliter loquitur Nauarrus, & illi qui cum eo ſentiunt: quod & argumenta ipſorum ſatis indicant.

Fundamentum itaque præcedentis concluſionis eſt, conſuetudo tacito ſaltem conſenſu approbata: & ratio illius poteſt eſſe, quia propter neceſſitates cõmuniter & moraliter occurrentes, non ita præcisè obſeruari poſſunt ab omnibus tempora illa propria, niſi ab ijs qui toti ſint ab omnibus negotijs & curis abſtracti, & in communi viuentes vacent totaliter perfectioni.

Ratio autem huius concluſionis reddi poteſt, quia neq; conſuetudo hoc obtinuit, quod tales fiant mutationes communiter, neque etiam ratio conſuetudinis alterius hic locum habet.

Cæterùm, à regula qua antè dictum fuit, officium diuinum totum recitandum eſſe intra diem vnum naturalem, à medio ſcil. noctis vſque ad medium noctis, quodammodo excipitur matutinum: nam ex communi conſenſu Doctorum, legi poteſt præueniendo mediam noctem illius diei ad quē ſpectat. Ita enim habet vſus ſatis communiter frequentatus, & ab Eccleſia cognitus, & ſic tacitè ſaltem approbatus. 86

Ratio autem iuſtæ tolerantiæ & permiſſionis huius poteſt eſſe, quia matutinum eſt propriiſſimè officium nocturnum, vt ante diximus: Quandoquidem verò rigor iſte dicendi illud in medio noctis iam in tanto Clericorum numero non ampliùs in communi & ſimul viuentium, vix potuit obſeruari, & ideò Eccleſia tacitè illum moderata eſt, & permiſit, vt decantaretur aliquot horis poſt medium noctis, ſic quoque non incongruè tolerauit, & tolerando approbauit, vt poſſit per anticipationem legi aliquot horis ante medium noctis; quia non plus incommodi, aut plus incongruitatis apparet in hac anticipatione, quàm in alterâ poſtpoſitione: Imò minus, quia dilatio ad pleniorem diem quæ facilè poteſt ſequi, videtur magis incongrua, præterquàm quod in ea ſit quoque maius periculum omiſſionis, quàm in anticipatione. Hinc etiam dicit Suarez minus peccatum eſſe anticipare Completorium, & dicere ante meridiem, quàm poſtponere Primam vel Tertiam vſque ad horas pomeridianas.

Accedit veriſimilius eſſe, prout ſuprà indicauimus, matutinale officium à principio inſtitutionis, quo ad nocturna aliqua etiam fuiſſe inchoatum ante mediam noctem, atque ita potuit hæc præuentio facilius ad totum officium extendi. Vnde etiam ex more Eccleſiæ videmus officium hoc interdum publicè celebrari veſpertino tempore ante medium noctis, vt in triduo hebdomadæ maioris.

Sed quæritur, quâ horâ poſſit pridie dici officium matutinale ſequentis diei. 87

D. Tho. Quodlibeto 5. art. 28. cum quæſiuiſſet, vtrùm liceat dicere matutinum diei ſequētis de ſerò antecedentis diei: Reſpondet in primis, ex iuſta cauſa, ſiue propter honeſtam occupationem poſtea ſuperuenturam, ſic dici poſſe. Deinde in ſolutione argumenti explicans, quod tempus comprehendatur per illam particulam De ſerò, dicit eſſe tempus illud quod proximè ſequitur poſt dictas veſperas & completoriū, ſcilicet iuxta formam & modum officij publici, præſertim prout celebratur apud eos qui magis inſiſtunt primævæ inſtitutioni: quare, cū videamus completorium apud

tales

tales communiter dici horâ quintâ pomeridianâ, aut circiter, hinc dicendum videtur, quod horâ quintâ aut mox poſt illam poſſit matutinum pridiè inchoari, ſuppoſita iuſta cauſâ præueniendi. Suarez autem ſuprà cap. 26. cenſet ſine ſcrupulo dici poſſe ab hora quarta poſt meridiem tã in æſtate, quàm in hieme: quia quarta ſemper æqualiter diſtat à medio noctis, & dicit hanc eſſe conſuetudinem communem Romanam, quæ indè poteſt habere originem; quia in cathedralibus & collegiatis Eccleſijs ſolet completoriũ circa illã horam abſolui.

88 Quæritur præterea: vtrùm licitum ſit mutare horarum ordinem inter ſe?

Reſpondetur id licitum non eſſe per ſe loquendo: quia continet quandam deordinationem diuini officij, prout ab Eccleſia eſt inſtitutum: nihilominùs, quia ipſe ordo non videtur principaliter eſſe ſub præcepto, ſed quaſi ſecundariò, hinc peccatum non erit niſi veniale, vt ſi laudes dicantur ante matutinum, vel prima ante laudes: neque enim circumſtantia illa ordinis videtur eſſe ita grauioris momenti, vt ex eius prætermiſſione dici poſſit oriri peccatum mortale.

Hinc etiam facilè datur cauſa aliqua iuſta mutandi ordinem ſine peccato, vt ſi quis à Prælato vel ab aliquo infirmo vocetur, aut rogetur ad legendas horas poſteriores cum ipſo, cum tamen hic anteriores nondum legerit; aut ſi quis ad Chorum veniat, & cum alijs cantet Tertiam, aut Sextam, quando nondum legerit Primam, poterunt tales de poſt legere horas quas nondum dixerant, nec repetere eas quas cum alijs legerunt, aut cantarunt. Vide Toletũ libro ſecundo, c.13.

Quæritur tertiò: an mortale ſit peccatum celebrare Miſſam ante lectum matutinum.

Multi Summiſtę & Canoniſtæ affirmant,
89 vt videre eſt apud Suarez in 3. parte, tom.3. De Sacramentis diſput. 82. ſect. 1. Idem ſentiunt Durantius De ritibus, cap. 24. & Azorius tomo 1. lib. 10. cap. 10. quæſt. 4. & cap. 28. quæſt. 17. qui etiam alios plures allegat. Fundatur hæc ſententia potiſſimùm in conſuetudine quæ obtinuit, vt matutinum cantetur aut legatur ante Miſſam. Huc accedit, quod Pius Quintus in ſuo Breui de forma dicendi Miſſam, ſtatim in principio rituum ſeruandorũ, ita loquatur: Præuio confeſſione cum opus fuerit, & ſaltẽ matutino cum laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacet &c. videtur ergò hoc cadere ſub præceptum Eccleſiæ, & quidem tale quod obliget ſub mortali: quia antè præmittit Põtifex ſe in virtute ſanctæ obedientiæ præcipere, vt Miſſa dicatur iuxta ritum miſſalis, & vt alias ceremonias addere vel mutare nullus præſumat; ergò &c.

Negatiuam tamen partem tenent multi alij, vt Dom. Soto, lib. 10. quæſt. 5. art. 4. cum Syluestro: Aragonius hic q. 83. art. 12. dub. 5. Emanuel Rodriguez Quæſtionum regularium, tomo 1. quæſt. 43. art. 3. Henriquez lib. 9. de Miſſa, cap. 24. nu. 17. vbi alios plures citat: à Valentia, tom. 3. diſp. 6. quæſt. 8. puncto 10. §. 5. dicit eſſe probabilem: Suarez loco antè citato, & tomo 2. De religione, libro 4. de horis Canonicis, cap. 14. vbi dicit, abſque dubio melius eſſe in praxi ſequi priorem ſententiam, nihilominùs poſteriorem eſſe ſimpliciter ſecurã: quod poteſt eſſe verum vel eo nomine, quòd plures & graues authores ita ſentientes faciant ipſã probabilẽ, & proinde poſſit quis eam ſequi abſque conſcientia committendi peccatum mortale. Ratio etiam aliqua accedit, quia matutinum & Miſſa non habent inter ſe dependentiam certæ connexionis aut ordinis: quare cum poſſit ordo inter ipſas horas ſine peccato mortali inuerti, quæ magis inter ſe ordine quodam cohærent, non apparet ſatis eſſe fundatum, quod ſit peccatum mortale celebrare miſſam ante matutinum.

Vnde ad conſuetudinem in quâ potiſſimum alij ſe fundant, reſponderi poterit cũ 90
Suarez, eam non eſſe introductam intuitu cohęrentis alicuius ordinis inter matutinum & Miſſam, quaſi matutini recitatio eſſet diſpoſitio ad Miſſam; ſed ſolum, quia tempus matutinis dicendis ab initio præſtitutum antecedit tempus diſpoſitum ad celebrandã Miſſam: ſicuti etiam res ſe habet in conſuetudine faciendi Miſſam ante veſperas; & ideò quandoquidem orta non ſit ex aliqua cauſa quaſi per ſe ita legendi, ſed ex cauſâ quaſi per accidens, propterea non obligare ſub mortali ad ſeruandum illum ordinem: quando tamẽ mutatur ſine rationabili cauſâ non caret res tunc culpâ ſaltem veniali.

Ad argumentum autem deſumptum ex Breui Apoſtolico Pij V. Reſpondetur inprimis, quòd generale præceptum illud Pontificis non obliget ſub mortali ad ſeruandas ſingulas diſpoſitiones ipſius Miſſæ (ſecluſa contemptu) in particulari, ſed generaliter ad vtendum illo ritu, & non introducendos alios: in particulari autem ad ſingulos obligat iuxta modum quo vnumquodque præcipitur, ordinatur, aut conſulitur, habitâ ſimul ratione grauitatis ipſius materiæ: iam verò in illa ordinatione, vt abſoluto matutino celebretur Miſſa, non eſt verbum indicans graue præceptum, imò ille ſermo magis videtur præſupponere matutinũ prius eſſe legendum, aut prius legi ſolitũ, non autem pręcipere: illa autẽ ſic præſupponi poſſunt fieri ſolita, etiamſi tantùm ex conſilio, ex pia deuotione, aut ex ſimili aliqua alia cauſa præmitti conſueuerint. Accedit quod alterum adiunctum ſcilicet de vacando prius aliquantulum orationi, intel-

intelligant paſſim omnes tanquam conſiliũ aut regulam directiuam, non ſimpliciter coactiuam, aut veluti præceptum.

DVBIVM XIX.

Quanam excuſent à lectione horarum?

91 REſpondetur: ſunt excuſationes illæ ferè æſtimandæ ex generalibus regulis, quibus dignoſcitur quænam excuſant ab obſeruatione legis humanæ: quare inprimis excuſat impotẽtia ob intrinſeco proueniẽs, vt turbatio rationis, aut grauis infirmitas, ſic etiam occaſionalis & extrinſeca, vt ſiquis Breuiarium non habeat, neque horas teneat memoriter: & quidem ſi abſq; ſua culpâ eo careat, tunc immunis eſt à peccato: quod ſi ex ſua culpâ careat, tum peccauit quando cauſam dedit: ſed de poſt omittendo horas non peccat de nouo, niſi in eo ſibi complaceat. Deinde periculum magni incommodi poteſt excuſare, vt ſi iudicio Medici ſubſit periculũ grauioris morbi ex horarũ lectione, aut ſi quis inter hæreticos verſetur & immineret ei periculum mortis aut apprehenſionis &c. denique officia neceſſaria charitatis præſtandæ quæ ex occaſione occurrunt, & cum quibus horæ ſimul legi non poſſunt. Hoc autem obſeruandum eſt hic, quod dum legitima cauſa excuſans occurrit, nunquam Clericum eſſe obligatum ad conſtituendum aliũ qui nomine ipſius horas legat, quia hoc penſum omninò eſt perſonale, vt antè diximus, & conſtat ex Eccleſiæ conſuetudine & Canonibus. E contra verò propter eandem rationem, neminem excuſari à peccato quando ſine iuſtâ causâ omittit, per hoc quod alium ſubſtituat qui nomine eius legat niſi Pontifex peculiariter hoc illi indulſiſſet. Similiter neque excuſari à peccato, beneficiatum quamuis in ordinibus non eſſet, per hoc quod fructus omnes intenderet donare fabricæ, vel alteri piæ cauſæ applicare, quia beneficium trahit ſecum obligationem, quã ipſe pro ſua voluntate non poteſt mutare.

CAPVT TERTIVM,

De Actibus exterioribus illis, quibus homo tum corpus ſuum, tum res ſuas exteriores accõmodat & exhibet ad Dei cultum.

De quibus tractat D. Thomas, quæſt. 84. 85. 86. & ſeqq.

DVBIVM PRIMVM.

De Adoratione.

Quid ſit adoratio, & vtrùm ſit actus Latriæ?

1 RESPONDEO & DICO Primò: Adoratio propriè dicta in communi & generaliter loquendo, eſt reuerentialis quædã ſui ſubmiſſio alteri exhibita aliquo ſigno vel actu adhoc proportionato. Ita Doctores communiter. Colligitur ex Damaſceno Oratione primâ de imaginibus: vbi dicit adorationem eſſe ſubmiſſionis & humiliationis notam: & Oratione tertiâ, dicit eſſe animi cedentis & ſubmiſſi atque humilis ſignificationem, cum ordine, ſcilicet ad illum cui ſe ſubmittit, & tanquam excellenti & maiori cedit. Vnde ex communi ſententia adorare eſt quid minus commune ad honorare: omnis enim qui adorat, etiam honorat illum quem adorat, nõ autem è contra, vt rectè obſeruat D. Aug. libro contra ſermonem Arrianorum, cap. 23. nam honor poteſt etiã deferri æquali, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. cap. 12. *Honore inuicem præuenientes*: adoratio autem vt indicauimus, reſpicit alium excellentem & maiorẽ.

Porrò ſicut actus religionis diuiditur in internum ſeu ſpiritualem, & externum ſeu corporalem, vt ſuprà cap. 1. explicuimus, ſic etiam loquendo de adoratione in communi, poteſt hæc diuidi in internam & externam, vt latè docet Suarez in 3. p. tom. 1. diſp. 51. ſect. 2 & cum illo Mald. tract. 10, cap. 1. dub. 3. & alij. Quare tamen potius inter externos actus Religionis numeretur quàm inter internos, ſupra explicuimus.

Interna itaque adoratio eſt non ipſa ſola voluntas adorandi, ſed ſubmiſſio & recognitio excellẽtiæ ſupra nos quæ per actus internos ſolos exhibetur, vt quando ex religione & reuerẽtiâ erga Deũ, captiuat homo intellectũ in obſequium fidei inteſtificationẽ primæ & infallibilis eius veritatis: item quando ex reuerẽtiâ infinitę ſapientiæ Dei nõ audet quis ſcrutari curioſiùs diuina myſteria, ne ab eius gloria & altitudine opprimatur: vide D. Auguſtinum cap. 3. Enchyridij. Eſt hoc contra Vaſquez lib. De adoratione diſp. 1. c. 4. qui docet non magis dari adorationem omninò internam, quàm ſacrificationem.

Externa autem eſt generaliter illa quæ per externa, & ſenſibilia ſigna exhibetur: puta quæ corporis motu ac geſtu exercetur: vt quæ fit capitis diſcoopertione, corporis inclinatione, exoſculatione manus aut pedum,

dum, genuflexione, quomodo Apoſtolus Deum adorauit ad Epheſios cap. 3. quando ſcribit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrē Domini noſtri* IESV *Chriſti*: iſtis enim & ſimilibus corporis motibus & geſtibus honoramus alios, declarãdo ſimul noſtram ſubmiſſionem, & illorũ pr nobis excellentiã. Vaſq. lib. De adorat. c. 4. non admittit prædictã diuiſionem adorationis, vt iam antè indiuauimus: ſed vult hanc externam ſolam eſſe veram adorationem, neque dari veri nominis & propriè dictam adorationem omninò internam, non magis quàm propriè dictam ſacrificationem merè internam. Cui videtur fauere D. Bonau. in 3. diſt. 9. art. 2. q. 3. & 4. & alij nõnulli. Verùm huic ſententiæ nimis obſtat vſitatus loquendi modus Scripturę S. quæ ſimpliciter attribuit multis in locis adorare Deũ cœleſtibus ſpiritibus ſiue Angelis, qui tamen nullum corporalem cultum Deo exhibent. Eſdræ lib. 2. *Exercitus cœli te adorat*. Pſal. 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*. ad Hebr. cap. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*. Apocalyp. c. 7. *Omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni &c. & ceciderunt, & adorauerunt*. Itẽ Eccleſia in Pręfatione Miſſæ ſic canit: Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes &c. Non ſic autem Scriptura aut Sancti Patres ſolent Angelis attribuere ſacrificare ſiue ſacrificium offerre Deo. Vnde durum videtur omnia iſta loca Scripturæ detorquere ad adorationem impropriè dictam, cum illius nulla detur ſignificatio, neq; aliqua vrgens ratio id requirat.

Nihilominùs hoc videtur verum, quod nos ſoleamus fere apprehendere adorationem cum aliquo ordine ad corporalem ſubmiſſionem, quia ille modus adorandi, nobis eſt magis notus & familiaris: verùm id in propria eius ratione non videtur includi.

2 DICO Secundò: Omnes illi exteriores actus adorationis ex ſe ſatis ſunt indifferentes ad ſignificandam & teſtandam quamlibet alterius ſupra nos excellentiam, neque ita excellentiæ Dei ſiue diuinæ ſignificandę ſunt appropriati, quin etiã alijs poſſint ſine ſacrilegio, & peccato exhiberi. Declaratur, quia externi eiuſmodi corporis geſtus ſeu motus, neque ex ratione ſuâ propriâ, neque ex Dei vel hominum inſtituto habent, vt ſignificent nos in illo cui eos exhibemus, recognoſcere ſupremam ac independentem poteſtatem & excellentiam, atq; adeò diuinitatem: Hinc etiam in Scripturâ ſacra abſq; reprehentione refertur adoratio ſæpius exhibita creaturis: ſic Geneſeos cap. 43. dicitur de fratribus Ioſeph; *Obtulerunt ei munera tenentes in manibus ſuis, & adorauerunt proni in terram*. Item Geneſeos cap. 19. De Loth dicitur: *Qui cum vidiſſet eos* (ſcilicet Angelos) *ſurrexit, & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram*: tertij Regum cap. 1. dicitur: *Inclinauit ſe Berſabee, & adorauit Regem*: & ibidem Nathan adorauit Regem pronus in terrã. Vide caput 4. libri 4. Regum, & caput 10. Actorum. Hinc D. Aug. lib. 10. De ciuitate, c. 4. ſic ſcribit: multa de cultu diuino vſurpata ſunt, (id eſt externæ ceremoniæ & ſigna cultus) quæ honoribus deferuntur humanis ſiue humilitate nimiâ, ſiue adulatione peſtiferâ, ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicantur colendi & venerandi, ſi autem eis multùm additur, inquit, & adorandi: quis verò ſacrificandum cenſuit niſi ei quem Deum, aut ſciuit, aut putauit, aut finxit.

DICO Tertiò: Eſt tamen adoratio quędam actus religionis ſeu latriæ dependenter 3
ab intentione adorantis, quando ſcilicet externo illo corporis geſtu ſeu notâ ſubmiſſionis, intendit quis ſe ſubijcere alteri tanquam primo principio omnis creaturæ & excellentiæ infinitæ à quo omnia ſunt, & in quo omnia ſubſiſtunt: & hinc D. Tho. q. 84 a. 1. dicit, non ſimpliciter adorationem eſſe actũ religionis, ſed illã quâ adoratur Deus. Hanc ſibi exhiberi poſtulabat Diabolus, Matthæi c. 4. quando oſtendens omnia regna mundi, dicebat Chriſto: *Hac omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*: & de illa reſpondebat Chriſtus ſcriptum eſſe, *Dominũ Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Sed hac de re plura diximus in 3. partem qu. 25. art. 1. Cæterùm, quando quis adorando intendit tantùm venerari alterum tanquam Dei amicum, erit actus duliæ: ſi verò tantum honoret tanquam Regem, aut Iudicem, vel tanquam virum ſapientem, erit actus Politicæ obſeruantiæ.

DVBIVM II.

De Sacrificio.

Quid ſit ſacrificium in genere?

INter actus externos Religionis ponit D. Thomas ſecundo loco Sacrificium, q. 85. quia inter illos quibus Deum colimus offerendo aliquid de rebus noſtris externis, eſt hic præſtantiſſimus: adorationem tamen præmiſit, quia per illam exhibemus corpus noſtrum ad Dei cultum, quod eſt pars ſubſtantiæ hominis.

Antequam verò definitionem ſacrificij aſſignemus, obſeruanda eſt huius nominis varia acceptio.

Primò, generaliter ſumitur pro quouis 4
bono & religioſo opere ad cultum & honorem Dei relato: ita laudes Dei, & gratiarum actiones corde & ore celebratæ, dicuntur ſacrificium, iuxta illud Pſalmi 49. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua:* ſimiliter

ſimiliter eleemoſinæ pauperibus erogatæ ad Hebræos vltimo, vocantur hoſtiæ, *Talibus enim hoſtijs*, inquit Apoſtolus, *promeretur Deus*: & Pſalmo 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*, & ſic in alijs Scripturæ locis alia pia opera nomine ſacrificij compellantur, impropriè & per quandam tranſlationem nominis.

Vnde etiam non ſolent communiter vocari abſolutè ſacrificia, ſed cum aliquo ferè addito, quod indicet hanc improprietatem, vt ſacrificium laudis vel ſacrificium labiorum.

Secundò ſumitur ſtrictè ac propriè, & ita ſumptum non poteſt cuilibet bono operi attribui: Hinc Scriptura frequēter diſtinguit & inter ſe opponit opera bona aliarum virtutum & ſacrificia: Oſeæ 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*: 1. Regum 15. *Melior eſt obedientia quam victima*, Pſal. 50. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique*, &c. vbi expreſſè opponit Pſaltes ſacrificium propriè dictum, & ſacrificium tantū analogicè & generaliter acceptum. Similiter Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, à capite 5. vſque ad 10. ſufficienter oſtendit diſtinctionem ſacrificij propriè & ſpecialiter dicti ab alijs operibus bonis.

Vnde grauiter errant hæretici, qui nullum volunt agnoſcere ſacrificium ſpecialiter & propriè dictum, ſed ex æquo dicunt omnia opera bona eſſe ſacrificia, qui error ab Eccleſia eſt damnatus.

Deinde, ſacrificij nomen aliquando ſignificat actionem ſacrificandi, & quidem frequentiùs ac magis propriè: quia ſpectando nominis rationem, ſacrificiū nihil eſt aliud quam ſacrifactio: aliquando nihilominùs attribuitur quoque ipſi rei quæ ſacrificatur.

5 Obſeruandum ſecundò, nos hic inquirere definitionem ſacrificij ſpecialiter & propriè dicti, & vt ſignificat actionem ſacrificandi. His præmiſſis Reſpondeo, ſacrificiū propriè dictū in genere ſic rectè definitur: quod ſit oblatio externa quâ res aliqua ſenſibilis & permanens conſecratur, perimitur, aut aliter immutatur in proteſtationem & recognitionē ſupremi ac diuini principatus eius cui defertur, & ſeruitutis ac ſubiectionis eius qui offert & quorum nomine offertur. Plures alias ſacrificij definitiones adfert Tann. tom. 3. diſp. 5. q. 3. dub. 1. ex diuerſis Scholaſticis vt ex D. Th. 1. 2. q. 83. a. 1. & 2. ex Bellarmino, à Valentia, & Suarez, quæ in re ipſa tum inter ſe, tum cum illa iam aſſignata coincidunt. Pro genere ponitur oblatio, quia iuxta communem ſenſum & apprehenſionem omnium ſignificat ſacrificiū actionem, quâ immediatè aliquid perſonæ præſentatur & offertur, vt quoque tradit D. Tho. qu. 85. cit. art. 2. idque omninò conforme eſt Scripturę ſacræ, quia iuxta hanc, ſacrificare, & offerre ſacrificium (accipiendo tunc pro re quæ ſacrificatur) idem omnino ſunt: quandoquidē ergo ſacrificare includat offerre, etiam ſacrificium includit oblationem: antecedens conſtat ex diuerſis Scripturæ locis, vt Gen. cap. 8. *Obtulit holocauſta ſuper altare*, & cap. 22. *Offeres eum*, ſcil. filium tuum, *in holocauſtum* & ad Hebr. c. 5. *Vt offerat dona, & ſacrificia* & cap. 9. tractans Apoſtolus de ſacrificio Chriſti cruento, dicit: *Obtulit ſemetipſum*: Conſtat igitur omne ſacrificium eſſe oblationem.

Additur, Externa, vt contra internam diſtinguatur, quâ anima interius ſe ſuaque omnia Deo, tanquam principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis offert, nullo externo indicio ad hoc exhibito, quia oblationi huic internæ in ſe ſpectatæ non conuenit ſacrificij propriè dicti notio. Vbi tamen obſerua, ſacrificium externum abſq; interna recognitione diuinitatis, eiuſque reuerentia, & ſui ſubmiſſione non magni eſſe momenti, neque multùm Deo gratum (excipio tamen ſacrificium Miſſæ in nouo Teſtamento) ſicuti & cætera opera virtutum externa abſque virtute interiori paruæ ſunt æſtimationis apud Deum; quia ſunt tantum ſimulachra aut vmbræ virtutum. Hinc Scriptura ſæpius teſtatur, Deum magis voluiſſe ac requiſiuiſſe internum cultum, quàm externum ſacrificium, deſtitutum ſcil. interno religioſo affectu, & alijs virtutibus.

In definitione, additur, quâ res ſenſibilis & permanens, ſcilicet naturâ ſuâ conſe- 6
cratur & perimitur &c. quibus magis explicatur ratio externæ oblationis requiſitæ. Dicitur permanens, quia licet etiam actiones quædam tranſeuntes ſecundum ſe, Deo poſſint exhiberi & quaſi offerri in recognitionē ſupremæ excellentiæ: v. g. laudes vocales, tunſio pectoris, & ſimiles, tamen iuxta communem hominum apprehēſionem non obtinent veram ſacrificij rationem, neque ſacrificij notio eis competit: cuius hæc videtur eſſe ratio, quia iſtiuſmodi non habent rationem muneris alicuius ſiue doni; Sacrificium autem includit oblationē muneris, ſicuti in principio Canonis Miſſæ dicitur: Te ſupplices rogamus, vt accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, &c. ideò itaq; res permanēs offerri debet in ſacrificiū. Additur quoque ſenſibilis quia in re ſenſibili oblatâ maximè cernitur oblatio externa.

Additur præterea in definitione, quâ res 7
talis conſecratur ac perimitur aut aliter immutatur, quia non quælibet rei permanentis oblatio Deo facta eſt ſacrificium: nam vt docet D. Tho. 2. 2. quæſt. 85. art. 3. ad. 3. Primitię in lege veteri erant oblationes, quę non tantum ad Dei cultum, ſicuti decimæ quæ ad ſuſtentationem miniſtrorum exhibentur,

Digitized by Google

bentur, ſed quæ Deo proximè offerebantur, & tamen non erant ſacrificia: quia nihil ſacri ſiue ſacræ actionis circa illas fiebat. Debet itaque circa res oblatas fieri aliquid quo ſacrę efficiantur, quod peremptione aut immutatione illâ fit: quod & Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. indicare videtur, quando dicit, Pontificem conſtitui, *Vt offerat dona & ſacrificia*, diſtinguens inter dona & ſacrificia: videtur enim dona vocare quæ per ſimplicem quaſi donationem Deo exhibentur; ſacrificia verò, quę per actionē conſecratiuam ſeu ſacri effectiuam exhibentur: quod etiam notarunt D. Chryſoſt. Homil. 18. in epiſtolā citatam, & Theophylactus in cap 8. eiuſdē epiſtolæ. Ratio hæc aſſignari poteſt, quia ſacrificium eſſentialiter includit moralem ſignificationem, ſcilicet diuinæ excellentiæ, & in res omnes creatas ſupremi dominij illius, cui defertur: ad hoc autem ſignificandum inprimis idonea eſt illa muneris præſentatio, quæ coniunctam habet ipſius rei oblatæ interemptionem, aut aliam ſimilem immutationem: qualis apud antiquos erat animalis mactatio. Vnde Gen. cap. 22. legitur, quod Abraham, dum pergeret ad locum vbi offerendus erat Iſaac, portaret ignem & gladium, & filius portaret ligna, qui & dixit Patri, *Ecce ignis & ligna: vbi eſt victima holocauſti?* Itē talis mutatio hoſtiæ fuit tritici oblati contuſio & frictio, ſecundum Henriquez lib. 9. cap. 1. De quibus Leuit. cap. 2 agitur. Qualis fuit etiam aquę & vini effuſio, quando illa Deo libarentur, vt habet Tannerus tom. 3. diſp. 5. q. 3. dub. 1. n. 5. Hinc autem, quia mutatio ſubſtantialis non fieret in paſſere pro leproſi ſanatione demiſſo, Leuit. cap. 14. neque in capro emiſſario Leuit. 16. idcircò non fuerunt illa propriè in ſacrificium oblata ſeu Deo ſacrificata.

8 Porrò requiritur iſta actio rei oblatę immutatiua, non quod in ſe ſpectata habeat naturaliter illam ſignificationem, ob quam diximus adhiberi, ſed quia proportionata eſt, & per ſe habeat conuenientē analogiam tali rei ſignificandę, quia muneris interemptio, aut eius noua productio, aut reproductio vel ſimilis immutatio circa ipſum facta in honorem eius cui defertur, aptiſſima ſunt ad ſignificandas has eius excellentias, quod omnia pleniſſimo dominio teneat ac poſſideat, omniaque creata illi ſint ſubiecta, poſſitque iure ſuo omnia vt producere, ita & in nihilum redigere: quodque ille bonorum noſtrorum non indigeat, ſed per oblationem teſtemur tantùm omnimodam noſtram ſubiectionem ſub eo, & dependentiā omnis creaturæ ab illo.

Vnde factum eſt, quod ſicuti nemo iuxta D. Aug. ſacrificauit niſi illi quem ſciuit, putauit aut finxit Deum, ſic etiam quicumque ſacrificia inſtituerunt, ſemper illa cum muneris deſtructione, aut aliqua ſimili immutatione, quaſi naturę impulſu celebrauerint. Sed difficultas occurrit de ſacrificio Melchiſedech Geneſis c. 14. in pane & vino oblato: in quibus non apparet fuiſſe ſacra aliqua mutatio rei deſtructiua, aut alia ſubſtātialis. Similiter quoque difficultas eſt de panibus Propoſitionum, qui inter ſacrificia quoque computantur, nec videtur circa illos ſacra mutatio, niſi quod poſt octiduum extra templum conſumebantur Leuit. 24.

Propter hęc exempla videtur motus Suarez tomo 3. in 3. partem, diſp. 73. ſect. 5. vt putaret tantam rei oblatę immutationem ad ſacrificium non requiri, ſed poſſe ſufficere quod res benediceretur & eleuaretur coram Domino, aut aliquid ſimile abſque ſubſtantiali eius immutatione circa rem fieret.

Hoc tamen non placet Vaſq. in 3. p. tom. 9 diſp. 220. c. 3. neque etiam Tannero ſuprà diſp. 5. q. 3. dub. 1. n. 8. Certè, inquit hic, nullum apud Gentiles, imò neque Iudæos aut Patriarchas peractum verum & proprium ſacrificium legitur ſola locali mutatione (v. g. eleuatione) vtpote quę ad finem intrinſecum non ſufficiat, quia nimirum non ſatis videtur proportionata ad ſignificationem illam moralem, quam diximus ſacrificium eſſentialiter includere, & iam aliquoties explicuimus.

Reſpondet itaque Vaſquez ad exempla oppoſita, quod etiam in illis facta fuerit mutatio: quam quoad panes oblatos exiſtimat peractam in clibano: iuxta illud Leuit. cap. 2. *Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano de ſimila, panes ſcilicet abſque fermentato, conſperſos oleo* &c. Vnde infert, mutabatur igitur hoc genus ſacrificij coctione factâ in clibano.

Verùm, quia illam coctionem non faciebant Sacerdotes, ſed illi qui munera offerebant Sacerdoti ad ſacrificandum, hinc non videtur illa coctio pertinuiſſe ad ſacrificiū, niſi tanquam quædam rei ſacrificandæ pręparatio. Vnde cap. citato ſequitur: *Quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper altare in odorem ſuauitatis;* Quare tunc demùm per Sacerdotem fiebat ſacrificatio. Tannerus itaq; quod ad ſacrificium Melchiſedech attinet, dicit, Hoſtiam quam obtulit, immutatam fuiſſe non fractione ſolâ, nec ſolâ eleuatione, ſed etiam ſubſtantialiter aut igni, inquit, aut eſu Sacerdotis, etiamſi modus immutationis eiuſdē in Scriptura non fuerit expreſſus.

Forſitan ſatis probabiliter dici poterit, quod ſicuti Leuiticorum cap. 2. Sacerdos cocta in clibano aut in ſartagine vel craticula ſolet offerre adolendo ſuper altare in odorem

Digitized by Google

odorem ſuauitatis, ſic etiam Melchiſedech panem adoleuerit Domino in odorem ſuauitatis. De vino autem nihil dicit Tannerus: Vaſquez autem inſinuat dici poſſe, quod vinum aſperſum aut fuſum fuerit ſuper panem & ſimul per modum libaminis fuerit oblatum, & ſic immutatum, aut certè effuſione deſtructum. Ad ſecundum exemplum autem dicit Tannerus cum alijs, quod panes Propoſitionum non verè & propriè dicta fuerint ſacrificia, ſed oblationes ſimplices.

Additur denique in definitione: in proteſtationem & recognitionem ſupremi ac diuini principatus eius, cui offertur, & ſubiectionis & ſeruitutis eius, qui offert, & quorũ nomine offertur. Illam enim recognitionem ſignificat omne ſacrificium propriè dictũ, eamque ſignificationem moralem includit eſſentialiter ex communi omnium ſententia & apprehenſione: Vide D. Tho. hic qu. 85. art. 2. in Corp. & in Reſp. ad 2. & propterea etiam omnes ad ritum externum ſacrificij requirunt actionem externam tali recognitioni interiori foris ſignificandæ cõuenientem & proportionatam: vt iam antè oſtenſum eſt.

10 Ex hactenus dictis intelligi poterit, quarè oblationes cereorum, quæ nunc à fidelibus fiunt, etiamſi à Sacerdotibus quoq; & in altari accendantur, non ſint ſacrificia propriè dicta: videlicet ideo, quia non offeruntur immediatè Deo, neque deſtruuntur, ſiue conſumuntur in proteſtationem ſupremi iſtius dominij, quod ſit author vitæ & interitus: ſed offeruntur & accenduntur ad condecorandam & augendam ſolemnitatẽ diuini cultus, & ad ſimul teſtificandum populi Chriſtiani gaudium de diuinis & fidei myſterijs ſibi manifeſtatis, & beneficijs exhibitis; aut etiam de victoriâ & gloriâ Sanctorum, in quorum offeruntur memoriam: ſolent enim publicis ignibus honorificæ principum inaugurationes, & læti introitus, eorumque victoriæ ſolemniter celebrari, & aggratulatio populi, & lætitia de eiſdem deſignari; Accedit, quod eiſdem luminaribus accenſis rectè intelligatur etiam ſignificari quod Chriſtus lux mundi aduenerit, qui ſuâ doctrinâ, prædicatione, & meritis mundum lumine fidei illuminauit ac tenebras depulerit; item quod Sancti in cœlis, in conſpectu Dei fulgeant ſicuti Sol, acceptâ coronâ Iuſtitiæ pro meritis ſuis.

Eadem eſt ratio, quare thurificationes quę in Eccleſia fiunt, non ſint ſacrificia: quia tantum adhibentur quoque ad celebritatem diuini officij, vt nos reddant memores, & ad id nos excitent, quatenus eâ deuotione & feruore charitatis orationes & preces ad Deum fundamus, vt ſicut incenſum aſcendant coram Domino in odorem ſuauitatis & gratæ acceptationis.

Intelligitur ſecundò, plures in ſacrificio actiones externas re, aut ad minus ratione diſtinctas neceſſariò concurrere, quas ponunt Doctores oblationem, actionem conſecratiuam ſeu ſacrifactiuam, & actionem immutatiuam, quamuis exiſtimem has duas actiones ne quidem ratione in ſacrificio diſtinguendas, licet aliqui diſtinguant, quia actio effectiua ſacri nihil eſt aliud, quàm ipſa actio quâ hoſtiâ deſtruitur vel aliter immutatur in proteſtationem ſupremi ac diuini principatus &c. Neque D. Thomas actionem effectiuam ſacri ſiue conſecratiuam aliter explicat, quàm per mutationem circa rem oblatam factam: ſed ab iſtis diſtinctam oportet agnoſcere ratione ſaltem, oblationem. Quâ de re latiùs in 3. parte vbi agemus de actionibus in quibus conſiſtit noſtrum ſacrificium Miſſæ.

Quæret aliquis: Vtrùm ad ſacrificij rationem non requiratur etiam myſtica ſignificatio, præter moralem antè explicatam? 11
Reſpondetur negatiuè, loquendo de ſacrificio propriè dicto in communi, licet interim cum ſacrificijs à Deo inſtitutis aut inſpiratis, fuerit ſemper aliqua coniuncta.

Declaratur prior pars, quia oblatio ſacrificij conſequitur legem naturæ, ita vt naturalis ratio dictet illud Deo exhibendum, vt paulò poſt oſtendemus: Atqui ratio naturalis per ſe non adinuenit myſticam ſignificationem, neque dictat illam adiungendam; ergò &c.

Pars poſterior declaratur, quia veriſimile eſt, omnia ſacrificia à Deo inſtituta aut inſpirata ſemper geſſiſſe typum quendam ſacrificij Chriſti, eiuſque fuiſſe quaſdam adumbrationes aut imagines.

De noſtro ſacrificio Miſſæ omninò conſtat; & idem docet D. Auguſt. lib. 10. De ciuitate. c. 5. & lib. 2. contra Fauſtum c. 21. De ſacrificijs legis veteris, quod etiam indicat generalis illa Apoſtoli regula, 1. ad Cor. c. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Eadem apparet eſſe ratio de ſacrificijs legis naturæ: neque videtur vllo modo dubitandum de illis, ſaltem quæ offerebantur ab ijs qui habebant fidem explicitam myſteriorũ Chriſti, vt fuerunt Abraham, Melchiſedech, & cum illis Abel, de quo ſcribit Apoſtolus, cap. 11. ad Hebræos: *Fide plurimam Hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo:* & ita de ſacrificijs, quo ad hanc ſignificationem docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 2. Suarez, diſp. 73. ſect. 2. & Tann. tomo 3. diſp. 5. quæſt. 3. dub. 1. n. 4. vbi addit, ſignificationem hanc non eſſe communem ijs ſacrificijs, quæ ſolo arbitratu humano olim inſtituta fuerunt. Sed contra dicta,

Obijcitur, D. Auguſtin. lib. 10. De ciuitate, cap. 6 dicit, Sacrificium verum eſſe 12
omne opus quod agitur, vt ſanctâ ſocietate inhærea-

inhæreatur Deo, & iterum, ſacrificium eſſe omne opus bonum factum, vt Deo placeamus: ergò ad verum & propriè dictum ſacrificium non requiruntur illa quæ in definitione eius ſunt poſita.

Reſpondetur Neg. Conſeq. Quia loquitur D. Auguſt. De ſacrificio latè ſumpto, vt complectitur analogicè omne opus ſanctum ad Dei honorem tanquam finem eius relatum: non autem agit de ſacrificio propriè & ſtrictè accepto, quod non tantum ad Deum, vt finem refertur, ſed immediatè Deo præſentatur & offertur. Dicit tamen eſſe verum ſacrificium, non quidem veritate & proprietate naturæ ſacrificij, ſed veritate & præſtantia effectus ac perfectione virtutis: quia iſtiuſmodi operibus conſequimur effectum & fructũ ſacrificij, & Deo gratum cultum impendimus, & nos ipſi grati acceptabileſque efficimur, ſicuti per ſacrificium ritè oblatum, & propriè dictum.

DVBIVM III.

Vtrùm ad ſacrificium offerendũ requiratur certus aliquis, & ad hoc deputatus miniſter?

13 Reſpondetur: Vt ſacrificium legitimè & cõuenienter offeratur, debet offerri per miniſtrum ad hoc Deputatum auctoritate ſuperiori diuinâ, aut humanâ. Sumitur ex D. Aug. lib. 4. De Trinitate, cap. 14. & docent Bellarminus, lib. 1. De Miſſâ, cap. 7. Suarez in 3. partem, tom. 3. diſp. 73. ſect. 4. Tann. ſuprà, n. 9. & alij communiter.

Probatur, quia rationi conſentaneum eſt, quod auctoritate publica inſtituerentur certi & peculiares miniſtri, qui hoc genus cultus tum ſuo, tum cõmunitatis nomine Deo deferrent: quandoquidẽ enim hic cultus in forma ſacrificij inter externos omnes ſiue religioſos, ſiue politicos, ſit excellentiſſimus, & ſummo loco ab omnibus habeatur, dictat ratio, vt quemadmodum aliæ functiones, quibus particulariter Regibus aut Principibus defertur honor, committuntur certis perſonis, quæ illas obeant, ita etiam hæc actio honoraria diuinæ maieſtatis, non niſi à certis perſonis ad hoc ſpecialiter deputatis, & dicatis exerceatur.

Vnde olim in lege naturæ, quaſi communi populi conſenſu, primogeniti quique & familiarum Principes etiam Sacerdotes erant, vt tradit Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 103. art. 1. ad 3. & Doctores communiter cum D. Auguſtino, Hieronymo, & alijs Patribus; idque vſque ad legem Moſaicam, quando Dominus Deus peculiariter Tribum Leui ad Sacerdotium deputauit. Hinc Apoſtolus ad Hebræos c. 5. ſcribit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia*: & addit, *Nec quiſpiam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*: oportet ergò quod ſacrificium offeratur per legitimum miniſtrum, vt ipſum ſit legitimum & Deo acceptum.

Sed contrà obijcitur: Solent Ethnici compellere omnes indifferenter ad ſacrificandum Dijs eorum, & in lege naturæ videntur omnes indifferenter ſacrificium obtuliſſe, quia tam Abel, quam Cain ſacrificium Deo obtulit: imò & tempore legis Moyſaicæ non tantum Sacerdotibus, ſed etiam alijs permiſſum fuit ſacrificium offerre, vt conſtat ex Agno Paſchali, quem ſinguli patresfamilias offerebant; ergò non requiritur certus, & ſpecialiter deputatus miniſter ad ſacrificia offerenda. 14

Reſpondetur Negando Conſequentiam: Conſtat enim etiam apud gentiles ad ſacrificia propriè dicta offerenda fuiſſe conſtitutos Sacerdotes, quare quæ ſic à ſingulis offerebantur, erant tantum quædam oblationes ſimplices honorariæ Idolorum: non autem ſacrificia ſpecialiter dicta: in lege autẽ naturæ, iuxta communem Doctorum ſententiam, primogeniti erant ſimul & familiarum Principes & Sacerdotes, vt ſuprà diximus, & docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 103. ad 1. ad 3. idque vel ex diuina inſtitutione, aut ex vſu & introductione hominum: nihilominùs vt notat Henriquez ſuprà, quibuſdam ætate minoribus ſpecialiter interdum Deus inſpirauit acceptum ſibi fore, quod officio Sacerdotis fungerentur, & ſacrificium ſibi offerrent, & ita accidiſſe in Abel dubitandum non eſt. Quod verò ad Agnum Paſchalem attinet, allegat ex Ioſepho Henriquez, lib. 9. cap. 1. in Gloſſa, Agnum primùm in templum à Sacerdote de more ſacrificandum fuiſſe delatum, ſed negat hoc Philo Iudæus, lib. 1. De vita Moyſis, quem ſequuntur Baronius, Bellarminus: vnde cum hoc reſpondeo non obſtare quod Agnus Paſchalis ab alijs quàm Sacerdotibus ordinarijs legis veteris fuerit oblatus, quia hoc ſacrificium fuit inſtitutum à Deo, antequam familia Aaron determinaretur ad ſacerdotium, & idcircò quantum ad hoc ſacrificium attinet, remanſit antiquum priuilegium à Deo conceſſum, vt omnes patresfamilias in eo tunc fungerentur Sacerdotis officio.

Notát tamen Suarez ſuprà ſect. 4. circa finem, quod præueniendo omnẽ poſitiuam inſtitutionem, & præciſè in terminis naturæ inſiſtendo, videatur quilibet particularis poſſe ſibi prædefinire ſacrificium aliquod, quod priuatim Deo exhiberet; videtur enim

enim quilibet habere ius colendi Deum ritu externo, quem ſibi præſcribit, niſi aliquis certus à ſuperiori fuerit determinatus, & alius omnis excluſus, aut ab alio quàm à deputatis perſonis fieri prohibitus: vt de facto circa ſacrificium fuit diſpoſitum: quod etiam docet Vaſquez, tomo 3. in 3. parte diſp. 220. cap. 3. n. 19.

DVBIVM IV.

Vtrùm ad ſacrificium requiratur altare?

15 Reſpondetur affirmatiuè: quia altare & ſacrificium mutuâ quâdam habitudine ſeu relatione ſeſe reſpiciunt, vt docet Bellar. lib. 1. De Miſſa, c. 2. & alij. Declaratur, quia quamuis altare extrinſecum videatur ſacrificio, tamen ex vſu fidelium, vt Scriptura teſtatur, imò & gentium omnium, ad ſacrificia ſemper altare deputatum fuit. Vnde D. Fulgentius ſcribit, Altare non ob aliud ædificari, niſi ad offerendum ſacrificium Deo, veteris Teſtamenti acta frequenter inſinuant; Moyſes quippe de Noë iuſto, ſic loquitur: Gen. cap. 8. *Ædificauit Noë altare Domino*, & tanquam interrogaretur, cuius rei gratia vir iuſtus altare illud conſtruxerit, poſtea addit: *Et tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.*

Ratio eſt; quandoquidem enim ſacrificium ſit actio externa ſacra, & ſolemnis, & publica muneris oblatio Deo facta, quod non viſibiliter ipſe quaſi manibus acceptat, hinc decentiſſimum fuit deputare certum, & ſacrum locum in quo & actio illa celebraretur, & munus Deo oblatum ſiſteretur.

Notandum tamen, quod hæc habitudo ad altare non ſit ita eſſentialis aut intrinſeca ſacrificio, quin quoad ſubſtantiam ſine altari celebrari poſſit: quamuis non debitè, nec legitimè: nam ſi quis nunc Sacerdos in manibus ſuis conſecraret & offerret Corpus & Sanguinem Domini, verè ſacrificaret, etiamſi id non in altari fieret.

DVBIVM V.

Vtrùm ſoli Deo ſit offerendum ſacrificium, idque ſit lege naturæ præceptum?

16 Reſpondeo & Dico Primò: Soli Deo debetur, & offerendum eſt ſacrificium. Conſtat ex definitione ſacrificij, in qua dicitur, quod offeratur in recognitionem ſupremi & diuini principatus in omnem creaturam: principatus autem talis nulli conuenit, niſi Deo ſoli. Hinc ſcribit D. Auguſtinus, lib. 10. De ciuitate, cap. 4. Nemo enim, inquit, vnquam ſacrificauit aut ſacrificandum eſſe duxit, niſi ei quē Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit: & è contra quoque, quamprimùm aliquis pro Deo agnitus, aut in Deum receptus fuit, mox eidem abſque dilatione ſacrificandum eſſe homines exiſtimarunt: exemplo ſunt Licaonij in Actibus Apoſtolorum, cap. 14. apud quos, vt primùm fuit dictum, D. Paulum eſſe Mercurium, Barnabam verò Iouem, mox Sacerdos Iouis accurrit & tauros & coronas afferens eiſdē ſacrificare parauit. Dictare itaque videtur ratio naturalis, vt quem intus ſenſu & affectu recognoſcimus aut apprehendimus Deum, quod nos qui materia & corpore conſtamus, etiam externo & ſenſibili cultu ſacrificij hanc internam æſtimationem, & affectum debeamus profiteri ac proteſtari.

Dico Secundò: Sacrificium ſtrictè & propriè acceptum non videtur ex vi ſolius legis naturæ eſſe in præcepto, & tamen legi naturæ admodum conſentaneum. Ita docet Suarez, diſp. 73. ſect. 3. & plures alij cum ipſo. 17

Prior pars probatur: Quia ſunt diuerſi alij modi colendi Deum ritu externo, eiuſque excellentiam, & perfectiones, ac noſtram ſubmiſſionem, & ab eo dependentiam, coram alijs profitendi & teſtandi: vt per vocales confeſſiones, per vocales laudes & gratiarum actiones. Item per genu flectiones & corporis inclinationes, ac ſimilia: cultus enim Dei externus varius eſt, nec vllum principium naturale dictare videtur eſſe abſolutè neceſſarium ad honeſtatem vitæ, quod Deus colatur per ſacrificium propriè dictum.

Pars poſterior probatur: Quia videmus paſſim homines vbiuis locorū quaſi naturæ ductu recognoſcere dominium & principatum ſuperiorum, alicuius cenſus aut tributi, & quaſi muneris exhibitione: ſignum eſt igitur hunc ritum rationis naturalis dictamini eſſe valdè conſentaneum, vt per eum recognoſcatur alterius ſuperioritas, & propria ſubiectio. Quandoquidem autem Dei non qualemcumque principatum, ſed abſolutiſſimum & ſupremum in res omnes creatas debemus, & volumus profiteri, ideò non qualemcumque muneris oblationem, ſed quæ ſacratiuam ipſius habeat actionem coniunctam, ſuggerit nobis naturæ lumen tanquam peculiariter proportionatam ad præeminens illud dominium teſtandum quo omnia ab ipſo in eſſe, in fieri, & conſeruari dependent; ergò &c.

Digitized by Google

DVBIVM VI.

Quomodo diuidatur Sacrificium?

RESpondetur, Sacrificium Primò poteſt diuidi iuxta diuerſum mundi ſtatum in Sacrificium legis naturæ, in Sacrificium legis Moyſaicę, & in Sacrificium legis nouę: ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 103. artic. 3. Secundò diuidi poteſt ratione materiæ quæ offertur: aliquando enim offerebantur & ſacrificabantur animalia, & eiuſmodi dicebantur hoſtiæ & victimæ: hoſtiæ, vt aliqui dicunt & volunt ab hoſtibus deuictis ratione quorum offerebantur, victimæ à vita rei oblatæ, quæ tollebatur: aliquando autem offerebantur res inanimes ſolidæ, vt ſal, thus, triticum, & hæ oblationes, vt vult D. Thomas, & quidam alij cum ipſo, dicebantur immolationes, videlicet ratione nominis ducta à mola, quâ terebantur. Sed Scriptura ſacra & profani etiam Auctores nomen immolationis potius accommodant victimis pecorum, & per illud deſignant ſacrificium cruentum, quod veram animalis interfectionem habet coniunctam: aliquando denique offerebantur liquores, vt ſanguis, vinum, oleum, & hæc dicebantur propriè libamenta. Vide plura de his apud D. Tho. ſuprà quæſt. 102. art. 3. Henriquez, lib. 9. cap. 2. & Suarez, diſp. 73. ſect. 7.

Tertiò diuidi poteſt Sacrificium ex parte modi quo celebratur: interdum enim tota res oblata cremabatur, exceptâ animalis pelle quæ cedebat Sacerdoti, Leuiticorum cap. 7. & in fumum reſoluta ſurſum aſcendebat, & tale ſacrificium ſpecialiter exhibebatur in honorem diuinæ maieſtatis, abſque alio aliquo particulari fine in ordine ad homines, & dicebatur holocauſtum: interdum autem vna pars rei oblatę conſumebatur igni, & altera comedebatur à Sacerdotibus, & tale ſacrificium offerebatur pro peccatis ignorantiæ, periurij & calumnię ad placandum Deum, & peccata expianda, vocabaturq; ſacrificium pro peccato: interdum verò pars vna hoſtiæ incedebatur, vt ſanguis & adeps, alia à Sacerdotibus comedebatur, vt pectus & armus dexter, ac tertia pars ab illis qui curabant ſacrificium offerri, offerebatur autem ſacrificium huiuſmodi in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, vel ad noua beneficia impetrāda, & vocabatur hoſtia pacifica. Ex quibus intelligitur prædictam diuiſionē poſſe etiam dici deſumptā ex fine horum ſacrificiorum, quē ſpectando & inde nomina deſumendo, ſolet Primum vocari latreuticum ſiue honorarium. Secundum propitiatorium ſiue expiatorium. Tertium aliquando Euchariſticū dum offertur pro beneficijs acceptis in gratiarum actionem, aliquando impetratorium, quando ſcilicet offertur pro nouis impetrandis.

DVBIVM VII.

De Decimis.

Vtrùm Eccleſiæ debeantur Decimæ & quo Iure?

ALius à ſacrificio actus quo Deus à 18
nobis colitur oblatione rerum noſtrarum eſt decimarum præſtatio: decimæ autē vt de ijs hic nobis eſt ſermo, ſunt decima pars fructuum prędiorum, aut fœtuum animalium, vel etiam quæſtus perſonarum, quam Chriſtianus populus ſolet Eccleſiæ ex ſuis bonis præſtare.

Vnde diſtinguuntur à primitijs antiquitùs offerri ſolitis, quæ ſunt tū primi fructus agrorum & arborum, vt patet ex Deutr. c. 26. Tum primo genita cuiuſque animalis, vt patet c. 13. Exodi, vbi omnia primo genita Domino conſecrantur, de quibus tractat D. Thomas, quęſt. 86. ſicuti de decimis, quæſt. 87. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Indubitatè tenendum eſt, homines obligari ad 19
decimas dandas: idque non tantum ex charitate per modum puræ eleemoſinæ, ſed ex pręcepto, & de iure. Ità docet D. Tho. q. 87. cit. art. 1. & communiter DD. omnes contra Wicleff, cuius inter alios articulos erroneos, vnus hic fuit: Decimę ſunt purę eleemoſinæ, & Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuū eas auferre: qui condemnatus fuit in Concilio Conſtantienſi.

Probatur itaque Concluſio 1. ex Clemente, qui libro 2. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 25. 27. 29. & 34. item lib. 8. c. 30. hoc dogma tradidit. Deinde ex cap. 10. causâ 16. qu. 1. quod allegat D. Tho. ex Auguſtino, vbi dicitur: decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Vide Capitulum Si quis Laicus ibidem: & conſtat ex toto titulo De decimis, in Decretalibus: & ex mox dicendis idem euadet manifeſtiùs.

Sed magna diſputatio vertitur, vnde illud debitum naſcatur, an ex iure diuino, an ex Eccleſiaſtico tantum.

Pro huius difficultatis reſolutione notandum eſt, decimas poſſe dupliciter conſiderari: vno modo ſecundum ſuam ſubſtantiam tantum, & quaſi materialiter, vt ſunt quædam oblata ſeu data à populo in neceſſariā ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ: alio modo ſecundum determinationem certæ partis ſeu quotæ, ſcilicet decimæ ex bonis præſtandæ ad talem ſuſtentationem.

DICO itaq; Secundò: Decimæ ſecundū ſuam ſubſtantiam, vt ſunt neceſſaria ſuſtentatio

20 tatio miniſtrorum qui populo ſpiritualia adminiſtrant, debentur nō tantum iure Eccleſiaſtico, ſed naturali & diuino. Ita docet D.Th. loco citato, & alij omnes tum Theologi, tum Canoniſtæ.

Probatur ex Scripturis, 1. ad Cor. 9. vbi D. Paulus eleganter illud declarat, & inter cętera dicit: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnū eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* & paulò poſt: *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant: ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* 1. ad Timoth. c. 5. *Qui bene præſunt Presbiteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ: dicit enim Scriptura: non alligabis os boui trituranti, & dignus eſt operarius mercede ſuâ.*

Vbi in eo quod Apoſtolus adducit, *Non alligabis os boui trituranti*, intelligi ſatis poteſt, Theophilactum rectè honorem eo loco interpretari alimoniam & neceſſaria ad ſuſtentationē, quibus duplicatis digni ſignificantur Presbiteri, præ Diaconis & viduis, de quibus ibidem eſt ſermo.

In hoc autem quod Apoſtolus ſimul allegat, *Et dignus eſt operarius mercede ſua*, indicat non tantùm ex ordinatione poſitiua Chriſti, ſed etiam iure naturali ex iuſtitia miniſtris rerum ſpiritualium deberi ſuſtentationem: quod quidem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 9. citato, alijs ſimilitudinibus oſtendit: *Quis militat*, inquit, *ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Conformiter, & ad idem propoſitum Chriſtus Lucæ 10. dixit, *Dignus eſt operarius cibo ſuo*: ergò &c.

21 Dico Tertiò: Decimæ quo ad hanc quotam, (quâ ſcilicet decima pars determinatè eſt ſoluenda in ſuſtentationem miniſtrorum) ſunt inſtitutæ auctoritate Eccleſiæ tempore nouæ legis: atque ita hæc tanta & ſic determinata pars non iure naturali aut diuino tempore noui Teſtamenti, ſed Eccleſiaſtico, & quidem antiquiſſimo, vt conſtat ex Clemente ſuprà citato, debita eſt. Ita D. Thomas, quæſt. antè citata, & Quodlibeto 2. art. 8. & communiter Theologi omnes, & cum illis Nauarrus cap. 21. num. 28. Couarruuias, libro 1. variarum, cap. 17. Bonacina, tomo 2. De præceptis Eccleſiæ, diſp. vlt. quæſt. 5. puncto 1. n. 3. & alij quos citat.

Videtur autem eſſe contra communē Canoniſtarū doctrinā, qui penè omnes tenent decimas etiam quo ad determinatam quotam, eſſe iuris diuini.

Sed probatur Concl. 1. quia ſi nunc decimę in illa determinata quātitate, eſsēt adhuc iuris diuini, vel eſſent iuris diuini naturalis, vel poſitiui: atqui neutrum rectè dicitur.

Non prius, quia illud dicitur iuris diuini naturalis, quod ex principijs rationis deducitur, & colligitur per ſe neceſſariò ſecundum dictamen rationis faciendum, ſepoſitâ omni etiam lege poſitiuâ: atqui decimam partem fructuum determinate Deo in ſuis miniſtris eſſe exhibendā potiùs quàm decimam quintam aut vigeſimam, nō poteſt ex principijs rationis firmiter ſtatui, vt per ſe euidens eſt: & confirmari poteſt à ſimili, quia nullus dixerit ius naturale dictare, aut requirere, quod tributi ſiue cēſus ratione ſoluatur pręcisè decima pars fructuū illi, qui tanquā dominus, fundū prędij conceſſerit: ergò licet decimæ dicantur etiam ſolui Deo in ſignū vniuerſalis eius dominij, non tamen conſequens eſt, quod ideò iure naturali debeat ſolui præcisè pars decima.

Non poteſt quoque dici poſterius, quia in 22
nouo Teſtamento nulla talis lex reperitur de certa quantitate præſtandâ Deo, ſiue eius miniſtris. Ita docet D. Tho. 1. 2. q. 108. item Quodlib. 4. a. 13. & alij plures cū ipſo, tenēt in lege N. Teſtamenti, nō eſſe data vlla præcepta diuina merè poſitiua, niſi de fide amplectenda, & de Sacramentorū vſu: quare ſi eſſet iuris diuini poſitiui, hoc deberet eſſe propter illa quæ habentur Exodi 22. Leuiticorum 27. Numerorum 18. & Deutronomij 14. vbi præcipit Dominus, vt decimæ ſoluantur: ſed iſta non concernunt, neque afficiunt tempus N. Teſtamenti, quia iudicialia ſunt, & ad regimē illius populi dūtaxat ſpectant: vnde ceſſante Synagogâ, & formâ religionis illius populi in aliā mutatâ, conſequenter etiā præcepta illa deſierūt obligare: niſi quatenus forſitan aliquid morale ſimul continebant: vt docent communiter omnes.

Nunc autem alia eſt lex, aliud Sacerdotium, & alia omninò forma regiminis Reipublicæ Eccleſiaſticæ ab illa, quæ tunc erat; vt in alijs plurimis patet euidenter: & docet Apoſtolus ad Hebr. ergò &c.

Probatur Secundò, quia quę iuris diuini ſunt ſiue naturalis ſiue poſitiui, nullâ conſuetudine poſſunt tolli aut abrogari: atqui hæc quota poteſt conſuetudine tolli aut mutari, vt ſatis colligitur ex Cap. In aliquibus, §. vlt. De decimis, atque adeò diuerſarū rerum ac etiam quarundam frugum diuerſis in locis decima eſt ſublata, ſic vt de illis non ſoluatur amplius; ergò &c.

Sed contrà ab alijs præter Scripturas ex veteri Teſtamento allegatas, ad quas modò ſatis reſpondimus, opponuntur plura Capitula ex iure Canonico, vt Capitulum Tua, De decimis, vbi decimæ dicuntur conſtitutione diuina deberi: Capitulum Tua nobis, ibidem vbi dicitur Deus præcepiſſe ſibi ſolui decimas in ſignū vniuerſalis dominij, adeoque non poſſe minui, vt aliqui incipiebant facere; item Capitulū vltimum, quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 1. cauſa 16. vbi decimæ dicuntur eſſe iuris diuini, eſſe Dei, deberi Deo. Denique Chriſtus Matth. 23. poſtquam dixiſſet: *Decimatis mentam & anetum*, ſubiunxit, *oportuit hæc facere, & illa nõ omittere*: vbi illud (*oportuit*) indicat obligationem iuris diuini ad iſtam decimationem; ergò &c.

23 Reſpondetur Neg. Conſeq. quia Capit. Tua, dicuntur decimæ deberi conſtitutione diuinâ, quia ſcilicet debitum illud ſumpſit ortum ex lege conſtitutione diuina: Deus enim primitus in antiqua lege præcepit Læuitis & Sacerdotibus illius temporis ſolui decimas, ad cuius imitationem & exemplum Eccleſia in nouo Teſtamento hoc ipſum ſuâ auctoritate continuauit, vt & idẽ fieret ex eius præcepto inſtituit, quod prius ex præcepto diuino fiebat: quatenus igitur conſtitutio diuina dedit originem & cauſam huic inſtitutioni Eccleſiæ, eatenus dicuntur à Canone, decimæ deberi conſtitutione diuina. Ita Valentia, tom. 3. diſp. 6. q. 5. puncto 1. Bonacina ſup. cum multis Theologis quos citat. Accedit, quòd ſaltem quoad ſubſtantiam, iure diuino naturali, à populo debeantur miniſtris Sacrorum pro ſuſtentatione, vt antè diximus.

Similiter, Capitulo Tua nobis, dicuntur non poſſe minui, eò quòd Deus decimas ſibi ſolui voluerit in ſignum vniuerſalis dominij; quia ſcilicet, ſicuti olim Deus ſibi taxauit illam quotam ſeu partem, non improbabiliter, vt multi obſeruant, propter perfectionem quæ deſignatur in denario, in quo omnes numeri complentur, & ad quem omnes redeunt, quique numeros omnes in ſe quodammodo continet; ſic etiam Eccleſia, Dei exemplo inſiſtendo, & ad ipſius perfectionem quâ omnia complet & continet quoque deſignandam, conformiter Deo decimum reddi præcepit, & ideò irreuerentiam in Deum committunt, qui contra Eccleſiæ præceptum præſumunt quantitatem illam decimæ partis minuere, aut mutare.

24 Capitulo autem vltimo allegato, decimæ dicuntur eſſe iuris diuini, quia ad Deum pertinent, quatenus ipſi dicatæ ſunt ad miniſtrorum eius ſuſtentationem, ſicuti loca quædam dicuntur eſſe iuris Principis, quia eius recreationibus vel vſibus miniſtrorum ipſius ſunt reſeruata, & ad ipſum pertinent: quod magis declarant iſti alij ſermones adiuncti, quibus dicuntur eſſe Dei, aut deberi Deo: quod poteſt eſſe verum, etiamſi hoc non niſi ex præcepto Eccleſiæ in nouo Teſtamento ſit continuatum.

Ad locum ex Matthęo allegatum reſpondetur, quando Chriſtus dixit, *Oportuit hæc facere*, loquebatur ipſe de tempore quo adhuc vigebat lex antiqui Teſtamenti, & tunc haud dubiè, erant decimæ ex præcepto diuino ſoluendæ.

Dicet aliquis: ſi non Deus, ſed Eccleſia dicatur tempore noui Teſtamẽto ſibi taxaſſe quotam illam, ſcilicet decimam partem omnium frugum, & emolumentorum populi, vt ſignificant antiqui Canones, videbitur illa argui poſſe, tanquam quæ nimis exceſſerit in cõſtituenda illa quantitate ſeu quota.

Confirmatur, quia exemplum veteris legis, quod forſitan allegabitur, non videtur ei poſſe patrocinari in hac cauſa, tum quia veteris legis Sacerdotes & Læuitæ, ſiue filij Leui erant ferè decima pars populi Iudaici, tum quia non habebant hi hæreditaria bona; neq; enim in diſtributione terræ promiſſionis acceperant partem, tum denique, quia habebant iſti vxores & liberos, & ſic pluribus indigebant: quæ omnia in miniſtris noui Teſtamenti non videntur habere locum; ergò &c.

25 Reſpondetur Neg. Aſſumpt. Iuſtis enim rationibus mota fuit Eccleſia ad portionem illam indicendam, iuxta exemplum diuini mandati in lege veteri, ita vt D. Thomas hic q. 87. a. 1. dicat etiam Eccleſiam hâc in parte vſam humanitate, quando à populo Chriſtiano nõ plus exhibetur miniſtris noui Teſtamenti, quàm populus antiquus exhibuit miniſtris veteris legis, cum tamen populus noui Teſtamenti ad maiora, inquit, obligetur, iuxta illud Chriſti Matth. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabis in regnum Cœlorum*: Ita ille ſignificans, quòd ſicuti in cæteris, perfectiora iuſtitiæ opera requiruntur à Chriſtianis, ita Eccleſiã meritò exigere potuiſſe, vt etiam in hoc genere diuini cultus ſuperarent populum antiquæ legis. Vide Azorium 1. parte lib. 7. cap. 26. quæſt. 10. à Valent. ſup. Bonac. & alios ab ipſo citatos.

Quare ad confirmationem Reſpondetur ſimiliter negando quod aſſumitur: nam inprimis non pręcepit Deus illam quotam ſcilicet decimam ſolui Sacerdotibus & Lęuitis præcisè propter rationes in confirmatione allegatas: ſed etiam propter rationem aliquam altiorem allatam Capitulo Tua nobis: quam in reſponſione ad dictum Capitulum iam antè aliquantulum pleniùs explicuimus.

Vnde quoque ante legem & ante Sacerdotes Læuiticos in maiori numero exiſtentes, obtulit Abraham Sacerdoti Melchiſedech decimas ex omnibus, Geneſ. cap. 14. & Iacob, Geneſ. 28. Deo vouit decimas omnium quæ ab illo acciperet: iſta autem ratio etiam modò militat: ad quam proinde potuit Eccleſia habere reſpectum, vt in quota conſtituenda imitaretur formam pręcepti diuini dati in antiqua lege.

Secundò etiam rationes alię allegatę non omninò ceſſant hoc tempore, vt prætenditur: nam ſi ſpectentur omnes Eccleſiæ Prę- 26

Digitized by Google

lati, Sacerdotes, Religioſi, & Clerici qui ſunt Miniſtri Eccleſię, & deprecatores apud Deum pro populo, fortè non inuenientur numero longè inferiores infra decimam partem populi Chriſtiani. Deinde, etſi retinere poſſint hæreditarias poſſeſſiones, prohibentur tamen à negotijs ſæcularibus, quibus magni quæſtus fieri ſolent, & facilè comparari neceſſaria ad honeſtam vitæ ſuſtentationem: quod Læuitis prohibitum non erat, vt docet D. Thomas, quæſt. citatâ, art. 2. Denique, etſi non habeant vxores & liberos, habent tamen ægenos, pupillos, & viduas, alioſque pauperes ſibi ſpecialiter commiſſos, vt tradit D. Tho. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 1. quibus debent ſubuenire ex illis, adeò vt D. Auguſt. ſermone 219. De tempore expreſsè ſic ſcribat: Decimæ, Fratres chariſſimi, tributa ſunt egentium animarum: redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus. Cuius ſententiæ meritò debent memores eſſe, qui ex diuerſis Eccleſijs, opulentiſſimas decimas percipiūt, vt eâ cōmoti potius intendant circa ſubleuādos pauperes iſtorum locorū, quàm contentioſo iure circa ſuſtentationem Paſtoris, & alia onera in communitatem cum nouò grauamine reijcienda.

DVBIVM VIII.

Ex quibus Decimæ debeant ſolui: & quomodo diuidantur?

27 RESPONDEO & DICO Primò: In communi loquendo: debentur decimæ ex omnibus rebus quæ nobis diuino munere obueniunt, vt de fructibus & prouentibus agrorum, arborum, animalium, domorum, molendinorum, piſcationum, aucupiorum, omniſque negotij lucroſi. Ita docet hic D. Tho. quæſt. 87. art. 2. & quidem de iure communi de omnibus illis decimas deberi, conſtat ex pluribus Canonibus, vt ex Capitulo Non eſt: De decimis, quod eſt Cœleſtini Tertij, & ex Capitulo Ex tranſmiſſa ibidem, item ex Capitulo Paſtoralis, eodem titulo, quod eſt Innocentij III. quæ conformia ſunt ad doctrinam D. Auguſt. ſermone 219. antè citato: quod ſi decimas non habes fructuum terrenorum, inquit, quodcumque te paſcit ingenium, Dei eſt, & inde decimas expetit vnde viuis, de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra dependimus, aliud pro vſura vitæ penſamus: vbi pulchrè exhortatur populum ad fideliter & promptè decimas ſoluendas; ad quod faciliùs quoque populus inducetur, quando viderit eos qui decimas percipiunt, dignè adminiſtrare ſacra, & deuotè Deum pro neceſſitatibus populo deprecari, & ſuperflua non in luxum, neque in terrenarum poſſeſſionum accumulationem ſine termino expendi, ſed liberaliter & fideliter in pauperes Chriſti erogari.

DICO Secundò: Solent Doctores communiter, huiuſmodi inprimis decimarum diuiſionem tradere, quâ ſcilicet diuidantur in prædiales, & in perſonales: fundamentum huius diuiſionis facilè intelligitur ex iam dictis.

Vocantur itaque prædiales quæ ſoluuntur ex prouentibus prædiorum: perſonales autem quæ ex lucris perſonæ. Vide Capitulum Ad Apoſtolicæ, De decimis. Addunt aliqui & tertium genus decimarum, quas ſcilicet vocant mixtas, vt ex fructibus pecorum, quatenus non tantum ſunt prædiorum, ſed etiam humanâ induſtrâ ſimul procurantur, licet ab alijs ad decimas prædiales reuocentur.

Ponunt & aliam diuiſionem, quâ diuidantur in decimas maiores, & in minutas: quæ diuiſio etiam fundatur in Capitulo Ex multiplici, & Capitulo Cum in tua, De decimis: vbi Gloſſa dicit minutas eſſe, quæ proueniunt ex partu animalium, & ex hortis.

Porrò quare in nouâ lege, Eccleſia potiùs exigat decimas perſonales, quàm Deus in lege veteri illas exegerit, explicat Diuus Thomas, quæſt. 87. citatâ, artic. 2. ad 1. 28
Puta, quia in lege veteri, omnes tribus aliæ à Lęuitica certas terrę poſſeſſiones habebāt, de quibus ſufficienter poterant prouidere Læuitis, qui poſſeſſionibus carebant, & inſeruiebant miniſterijs ſacris: ſed populus nouæ legis eſt vbique per mundum diffuſus, & multi ex illo, terrarum poſſeſſiones non habent, ex quibus fructus percipiant, non tantum quo ad particulares familias, ſed etiam quo ad vrbes & reſpublicas, vt ab aliquibus referuntur eſſe Veneta, & Genuenſis, quæ de manufacturis, & negotiatione potiſſimùm viuunt. Vnde tales in miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem nihil conferrent, imò nec poſſent talibus in locis, miniſtri Eccleſiarum certâ ratione ſuſtentari, ſi de negotijs ſuis, & alijs lucris decimas populus non perſolueret.

Addit D. Thomas aliam rationem, quam apud illum videre licet: & tum ſic infert, & ideò in noua lege tenentur homines ad decimas perſonales ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum.

Quòd bene obſeruandum eſt, quia confirmat hanc doctrinam, quam ſatis communiter Doctores, quaſi pro regula in hac materia tradunt, ſtandum ſcilicet conſuetudini legitimæ præſcriptæ, quæ non tantum in 29
perſo-

perſonalibus, ſed etiam in prædialibus decimis excuſat, & liberat non ſoluentes, vt infrà Dubium 13. latiùs explicabimus: eſtque res certiſſima ex ſententia Theologorum, qui docent decimas quoad quotam non eſſe iuris diuini, ſed Eccleſiaſtici: quare minus rectè agunt qui contra conſuetudinem legitimè præſcriptam per lites nunc hunc, nunc illum in particulari aggrediendo, & quaſi potentiâ opprimendo cogunt ſibi decimas legitimâ conſuetudine abolitas ſolui, niſi forſitan indigentia Paſtorum aut Miniſtrorum neceſſariorum id requireret: quod tamen eo caſu non particularium exactione, ſed nouâ Eccleſiæ ordinatione foret introducendum.

DVBIVM IX.

Quibus debeantur decimæ.

30 Reſpondetur: Ex primâ Eccleſiæ ordinatione debentur congregationi ſeu communitati Clericorum, qui populo ſpiritualia adminiſtrabant, vel aliquo modo in illa adminiſtratione iuuant, aut pro populo orant, ſic tamen vt diſtributio ſpectaret ad Prælatum: cuius authoritate & diſpoſitione dabatur ſingulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex alijs fidelium oblationibus, vt conſtat ſatis ex antiquo Eccleſiæ more, quando Clerici in cõmuni viuebant. Vide dicta ſuprà tract. 1. c. 3. dub. 9. De dominio quod Clerici habent aut acquirunt in fructus Eccleſiaſticos.

Poſtquam autem Eccleſia bonorum diuiſionem fecit, erectis beneficiorum titulis, ſatis ex Canonibus conſtat quod de iure communi, decimæ prædiales ſolui debeant parochiæ: expreſsè enim Capit. Cum contingat, De decimis dicitur, perceptionem decimarum ad Parochiales Eccleſias de iure communi pertinere: quod & diuerſis alijs capitulis ſignificatur, vt eodem titulo Capitulo Cum in tua, Capitulo Quoniam, Capitulo Statuimus, Capitulo Quæſti ſunt, & Capitulo In ſacris, cauſa 16. quæſt. 1.

31 Poſſunt tamen ex conſuetudine, ex præſcriptione, ex compromiſſo ſiue tranſactione, ex priuilegio ſuperiorum ſiue ſuperiorum conceſſione, deberi alijs Eccleſijs, vel alijs Clericis: quod experientia hodierna ſatis teſtatur.

Et ratio ſeu fundamentum eſt, quia tota decimarum taxa non debetur ſolis Sacerdotibus curam animarum habentibus ex ſuâ primâ inſtitutione, vt iam indicauimus: ſed communitati Clericorum in genere, quia ab initio hos omnes voluit Eccleſia ex decimis cæteriſque fidelium oblationibus ali ac ſuſtentari: & horum intuitu talem quotam impoſuit. Quia tamen multo ſtrictiori iure debentur alimenta ijs, qui ex obligatione curam animarum gerũt, & populo ſpiritualia & ſacra adminiſtrant, hinc meritò ſtatuit Eccleſia, vt ante omnes eſſet his prouiſio, quæ de competenti ſuſtentatione, atque ita primo loco eis decimas aſſignauit.

Nihilominùs verò, quia hæc aſſignatio Eccleſiæ auctoritate facta eſt in Eccleſias Parochiales, idque ex causâ iam allegatâ, hinc etiam auctoritate eiuſdem Eccleſiæ potuerunt decimæ iterum ab illis pro parte auferri, quando Paſtores nimis ſuperabundabant, & minus rectè forſitan vterentur tantâ abundantiâ, & in alios Clericos indigentes transferri; imò non tantum pro parte, ſed etiam in totum, quando ex alijs Eccleſiæ bonis liberaliter donatis, vel oblatis Paſtor & Clerus talis loci habent ibidem decentem ſuſtentationem. Ita enim Eccleſia Paſtoribus & Eccleſijs Parochialibus decimas conſignauit, vt tamen hæc conſignatio ſit quaſi continuo dependens ab illius voluntate & poteſtate: non enim ſic Eccleſia intendit decimas illas afficere vni huic Eccleſiæ vt ſibi adimeret poteſtatem aliter de illis diſponendi, quando Eccleſiæ vel populi Chriſtiani vtilitas ſpiritualis aliud exigeret.

Hoc tamen obſeruandum eſt, Si curam animarum habentibus cum neceſſarijs ipſorum coadiutoribus contingeret nõ eſſe ſufficienter de congruâ ſuſtentatione prouiſũ, 32
& decimæ Parochiæ abundè ſufficiant, quæ alijs Clericis alibi ſunt applicatæ, v. g. Canonicis aut Religioſis, quod non teneatur eo caſu populis ad ſuſtentationem contribuere: neque iuſtè poſſit hoc onus illi imponi, quandoquidem quotannis abundè in decimis ad decentem illorum ſuſtentationẽ contribuat. Vnde iſti quibus Eccleſiæ, aut decimæ dicuntur incorporatæ, eaſque percipiunt, ex iuſtitiâ obligantur competentẽ Paſtoribus illius loci ſuſtentationem ex decimis attribuere: neque enim iuſtitiæ ratio patitur, quod ea quæ hic populus ſufficienter ſubminiſtrat ad ſuorum miniſtrorum ſuſtentationem, ritè ſoluendo ſcilicet decimas iuxta Eccleſiæ inſtitutionem, alibi applicentur, & tunc iterum præ alijs grauetur de nouo per exactionem contributionis pro ſui Paſtoris ſuſtentatione: Sumitur ex c. 2. De Decimis, in 6. §. vbi autem: ex Suarez tom. 1. De Relig. lib. 1. De cultu neceſſ. ex præcepto, c. 23. n. 1. Sed quando in territorio Parochię contingeret nullas tam aut exiguas ſolui decimas, vt debitis nequeant ſufficere oneribus Parochiæ, tunc per Parochianorum Symbola aut collectas licebit adinuenire tantũ, quantũ pro Rectoris, aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. Vi-

Digitized by Google

de Concilium Tridentinum, ſeſſ.24.cap.13. De Reformatione.

DVBIVM X.

Vtrùm Laici poßint acquirere ius decimarum?

33 Respondeo & Dico Primò: Nunquam poſſunt Laici acquirere directum dominium iuris percipiendi decimas Eccleſiaſticas, ſiue vt alij loquuntur, primarium ius decimarum. Ita cum D. Thomâ hic art. 7. docent communiter Theologi, & ſimul quoque Canoniſtæ: Ratio eſt, quia dominium illud ſiue primarium illud ius decimarum eſt ſpirituale, quod non poteſt cadere in Laicum, quemadmodum neque miniſterium Eccleſiaſticum, cui eiuſmodi ius per ſe, & quaſi eſſentialiter ex ſuâ ratione eſt annexum.

Et conſtat ex diuerſis Canonibus, Capitulo Quamuis ſit graue nimis, Capitulo Prohibemus, De decimis: & Capitulo Finali, cauſa 16. quæſt.1. Hinc fit quod ſæculares nunquam poſſint ius illud primariũ præſcribere, quocumque temporis lapſu, propter ſcilicet incapacitatem ipſorum talis iuris: quemadmodum etiam nunquam poſſunt Laici obtinere ius principale conferendi beneficium, aut inſtituendi ſiue inueſtiendi aliquem in quâcumque Eccleſiaſticâ dignitate, aut beneficio, vel etiam propriè eligendi ad illud, quia eius ſunt incapaces, ita ſcilicet, vt in ipſis principaliter (& vt ſic dicã) auctoritative poteſtas illa eſſe ſeu reſidere nequeat, vt diximus ſuprà, & tradunt DD. conformiter ad Capit. Tranſiuiſſe, & Capitulum Præterea, De iure patronatus: item ad Capitulum Quiſquis, & Capitulo Sacroſancta, De electione, & ad Capitulum Si quis Clericus, cauſa 16. qu.7. & alibi. Vnde neque poſſunt vllo tempore ſibi ius illud præſcribere. Ex priuilegio tamen Apoſtolico poſſunt tum beneficia conferre, tum Epiſcopos & Archiepiſcopos inueſtire, imò & Summum Pontificem eligere, vt conſtat ex Capitulo Adrianus, diſt.63. vbi Adrianus Papa cum vniuerſâ ſynodo 153. Epiſcoporum refertur eiuſmodi poteſtatem conceſſiſſe Carolo Magno, & ſimile quid legitur conceſſiſſe Leo Ottoni I. Regi Teutonicorũ, Capitulo In Synodo eâdem diſt. Vide Azorium parte 2. lib. 6. cap. 4. circa finem, & lib.5. cap. 2. & Driedonem, lib.2. De libertate Chriſtianâ, cap.2. §. vltimo.

Verũ non faciunt iſta etiam tali caſu quaſi ex poteſtate propriâ, & ſibi competenti, ſed inſtrumentaliter tantũ: faciunt enim illa veluti quædam animata inſtrumenta aut tanquam procuratores, & internuntij quibus ſit commiſſa executio actuum illius poteſtatis reſidentis in eo qui committit aut priuilegium, vt loquuntur, concedit, ita vt effectus ſemper pendeat à iure & poteſtate illius tanquam cauſâ principali qui cõmittit eis exercitium ſuæ poteſtatis, ſiue in aliquo actu particulari, ſiue etiam per generale aliquod mandatum ſeu conſtitutionem ad plures actus.

Dico Secundò: Poſſunt etiam ab Eccleſia decimæ Laicis concedi in feudum, non tantum pro aliquo certo tempore, ſed etiam in perpetuum: atque ita eis dari ius aliquod ſecundarium ad decimas; & quidẽ antiquitùs id fieri poterat non tantum à Pontifice, ſed etiam ab Epiſcopis, vt ſumitur ex Capitulo Querelam, ne Prælati vices ſuas: & Capitulo Cum Apoſtolica, de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli: & tradit expreſsè Gloſſa ibidem, §. vltimo, quod hoc antiquitus ex cauſâ fuerit permiſſum. Vide etiam Capitulum, Per tuas, De donationibus, & Capitulum Tua, De decimis. 34

Attamen iſti quibus ſic decimæ in feudum ſunt attributæ, non percipiunt eas quaſi ex proprio aliquo titulo, & primario iure ſibi debitas: ſed ex aliquâ indulgentiâ eis factâ quaſi ad vſumfructum decimarum, ab eo cui ex titulo proprio debentur, ita vt nomine, & ex iure eius à quo eas in feudum acceperunt, exigant & recipiant: & huiuſmodi ſecundarium aliquod ius percipiendi decimas potuerunt etiam Laici præſcribere tempore immemoriali cum opinione de præhabito præuilegio: Ratio eſt, quia talis iuris conſtat eos non eſſe incapaces & ſic docet Malderus ſuprà dub. 3. Sylueſt. V. Decima, quæſt. 10. nu.2. qui refert Ioannem Andræam, in cap.1. De pręſcript. in 6. & in Cap. Super quibuſdam, De verborum ſignificatione, Felinus ad Cap. Cauſam, De præſcript. Suarez lib. 1. De diuino cultu neceſſ. cap.27. nu.4. Dixi, antiquitùs etiam potuiſſe ab Epiſcopis decimas concedi in feudum: quia poſt Concilium Lateranenſe celebratum ſub Alexandro III. anno 1108. non potuerunt id amplius facere: in illo enim Concilio fuit eis adempta iſta facultas, vt colligere eſt ex Capitulo Quamuis, §. Statuimus, De decimis: vbi id facere prohibentur ſub pœnâ ſuccíſionis à ſtatu ſuo, id eſt depoſitionis, vel vt habet Gloſſa, ſuſpẽſionis.

Quibus tamen ante hoc Concilium, fuerant decimæ in feudum conceſſæ, potuerunt etiam poſt Concilium, illas retinere & frui, vt habet Mald. loco citato, & tradunt alij communiter.

Quæritur hic: Vtrùm hi poſſunt ius illud feudi transferre in alios, conſentiente ſaltem Epiſcopo illius Eccleſiæ vnde habent. 35

Videtur

Videtur enim id fieri non poſſe propter præiudicium, quod talis translatio poſſet Eccleſiæ adferre: quia ad Eccleſiam redeunt decimæ, quando Laicus, qui eas in feudum tenet, decedit ſine filijs; atqui ſi poſſet eas transferre in alium, impedietur facilè huiuſmodi reditus ad Eccleſiam: quare ſicuti Epiſcopus non poteſt alias decimas in feudum dare, ita nec videtur poſſe permittere, vt quæ Laico conceſſæ ſunt, per illum transferantur in alium?

Reſpondetur imprimis extra controuerſiam eſſe, quod poſſint Laici ius illud ſuum transferre in aliquam Eccleſiam cum conſenſu Epiſcopi illius Eccleſiæ, vnde eas in feudum habent. Patet hoc ex Capitulo citato Cum Apoſtolica, de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli: vbi expreſsè ſic deciditur.

36 Addo vlterius, quòd non tantùm in Eccleſiam, ſed probabiliter etiam in alium Laicum poſſint ius ſuum transferre, conſentiente Epiſcopo cum Clero illius Eccleſiæ vnde habent. Eſt hoc contra Panormitan. in Cap. Prohibemus, De decimis: ſed tenent Gloſſa ad idem Capitulum, Turrecremata ad Capitulum Finale, cauſa 16. q. 7. Sylueſt. V. Decimæ, quæſt. 1. Mald. ſuprà.

Et probatur, quia poteſt Epiſcopus feudũ ſemel legitime conſtitutum, ſi ad Eccleſiam morte vaſalli redierit, liberè alteri conferre, vt colligitur ex Capit. vltimo de rebus Eccleſiæ alienandis vel non alienandis: & clarè habetur Capitulo Ex parte tua, De feudis: quod eſt Innocentij III. Rurſum ſi à vaſallo feudum illicitè fuerit alienatum, & ſic ipſo iure ceciderit in commiſſum, poteſt Prælatus idem feudum alteri dare, etiam filio vel conſanguineo eiuſdem vaſalli, vt expreſſè reſpondet Pontifex citato Capitulo, De feudis.

Quare cum poſſit Epiſcopus decimas illas prius in feudũ datas, quando talibus caſibus ad Eccleſiã redeunt, iterùm in feudum alteri concedere, pari aut potiori ratione dicendũ eſt, quod in poteſtate Epiſcopi ſit ſaltem cum Clero, permittere vt Laicus eas in feudum tenens poſſit illas in alterum tranſmittere: & ex his patet ſolutio argumenti adducti in contrarium, quia ex Capitulis allegatis, & præſertim ex Capitulo 2. De feudis, ſatis poteſt intelligi, quod Eccleſia præiudicium illud non tanti æſtimet, vt velit Epiſcopis & Clero clauſas manus, ſiue ademptam eſſe poteſtatem permittendi talem tranſlationẽ fieri; quandoquidem concedat vt in feudum dare poſſint decimas illas quæ hactenùs in feudum erant Laicis conceſſæ. Vide Capitulum Secundum allegatum, vbi & alius ponitur non abſimilis caſus.

37 Hinc Concilium Lateranenſe, hoc ſolùm inhibuiſſe videtur, vt de cætero nullæ decimæ hactenùs Eccleſiæ reſeruatæ, darentur impoſterum ſecularibus in feudum, ne paulatim Eccleſia totaliter perceptione decimarum denudaretur. Quod ad illas verò quæ iam tum legitimè à ſæcularibus poſſidebãtur attinet, relictum fuiſſe in poteſtate Epiſcoporum cum ſuo Clero, vt poſſint Laicis permittere aliquam de illis diſpoſitionem, vel etiam ſi in caſibus redirent ad Eccleſiam, poſſent iterùm concedere in feudum.

Dices, Capitulum citatũ Cum Apoſtolica de ijs quæ fiunt à Prælatis, tanquam aliquid ſpeciale concedit, vt Laicus poſſit feudum decimarum transferre alteri Eccleſiæ, cum conſenſu Prælati vnde feudum habet: ergo videtur dicendum, quod non poſſit transferre in alium Laicum.

Reſpondetur, Pontificem hoc ſpecialiter ibi decidere, quod ſolius Epiſcopi conſenſus illo caſu ſufficiat ad eiuſmodi tranſlationem in aliquam Eccleſiam, abſque accedente conſenſu Capituli Sui; quia de illo tantum mouebatur ibi quæſtio.

DVBIVM XI.

Vtrùm quando decimæ indefinitæ alicui, ſiue Laico, ſiue alteri Eccleſiæ per priuilegiũ conceduntur, cenſeantur tum comprehendi decimæ noualium?

Reſpondetur negatiuè: Et probari poteſt ex Capitulo Tua, De decimis, vbi 38
Pontifex Innocentius III. ſic definit: Nec occaſione decimationis antiquæ, inquit, licet in feudum ſint Eccleſiæ, ſunt decimæ noualium vſurpandæ, cum in talibus licentia non ſit extẽdenda, ſed potius reſtringenda.

Opponet aliquis: Hîc tantum loquitur Pontifex de Laicis, quibus decimæ fuerint in feudum Eccleſiæ: vnde non apparet hoc extendendum ad caſum, quo alteri Eccleſiæ ex priuilegio conceſſæ ſunt extra Parochiã.

Propter hanc rationem, & quædam alia ſic ſentit Gloſſa ad Citatum Capitulũ Tua & plures alij, vt refert Suarez to. 1. De religione, lib. 1. De diuino cultu ex præcepto, c. 32. qui tamen illis non obſtantibus ſentit indiſtinctè ſiue Laicis ſiue Clericis conceſſum ſit priuilegium, non extendi illud neque extendendum ad decimas noualium, & ſic docet Guitier lib. 2. Canonic. quæſtionum, cap. 21. Cum Nauarr. Rebuffo, & alijs quos citat Suarez, & ſequitur Mald. loco ſuprà citato.

Ratio

Ratio reddi poteſt, quia priuilegium colligendi decimas extra Parochiam eſt inter odioſa numerandum, quatenùs ſaltem minuit ius alterius quàm ipſius concedentis, etiamſi quoque Clericis fuerit conceſſum, vt ſatis poteſt intelligi ex Capitulo 2. De decimis in 6. Vnde ſtrictè etiam tunc eſt interpretandum, non tantum quando Laicis eſt conceſſum: atque adeo niſi decimæ noualiũ exprimantur, aut niſi tam expreſſè totum ius decimandi conceſſum ſit, vt non niſi verba torquendo, poſſint noualium decimæ excipi, debent cenſeri non comprehendi.

39 Imò vbi etiam in indulto Apoſtolico comprehenduntur, nihilominùs medietas iudicatur Eccleſiæ Parochiali attribuenda, Capitulo citato, De decimis in 6. vbi Pontifex in primis ſtatuto perpetuo declarat indulta Apoſtolica quibus conceditur pleriſque, vt textus loquitur, quod noualium decimas pro eâ portione percipere valeant, quâ veteres percipiebant (v.g. ſi antiquas percipiebant pro mediâ parte aut pro tertiâ parte, vt ſimiliter percipiant pro tantâ quotâ, decimas noualium) debere intelligi eiuſmodi indulta de noualibus quæ tunc extabant, quando indulta iſta concedebantur, non de noualibus futuris. Deinde §. ſequenti, ſtatuit idem Pontifex vlterius, quod eiuſmodi indulta obtenta ab illis qui habebant integras decimas veteres, quibus proinde videntur quoq; concedi totales decimæ noualium, non debeant vltra medietatem noualium extendi, quia (inquit Pontifex) non eſt veriſimile ſi tunc de plenâ & integrâ perceptione veterum fuiſſet expreſſum, quod Apoſtolica Sedes pariter, & ſimiliter noualium decimas in tam graue Parochiarum diſpendiũ indulſiſſet: quodq; ratione talis indulti ſiue impetrati iam, tum ſiue impetrandi (inquit Pontifex) deinceps non poſſit in noualibus quæ àmodo fient, vendicari vel acquiri, vel percipi pluſquàm medietas decimarum ipſorum noualium, etiamſi amplius, ſiue amplior portio in veteribus habeatur, cum non ſit dicendum aſperum, ſed pium potius & benignum, ait, ſi ſuper decimis futurorum noualium contra Parochialium Eccleſiarum grauamen taliter obuiatur.

40 Excipiuntur tamen ibidem ab hoc ſtatuto religioſi ordinis Ciſtertienſis & Carthuſienſis.

Opponitur ſecundò: Capitulum Ex parte 3. De decimis, vbi ſic ſcribit Pontifex Innocentius III. Abbati S. Columbæ Senonenſi: Cum tibi quod maius eſt, ſit conceſſum, vt decimas, videlicet de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de noualibus eas exigere ſatis potes, quia vbi maius conceditur, minus eſſe conceſſum videtur: atqui ibi Pontifex apertè videtur declarare, quòd qui ex priuilegio habet decimas, debeant quoque percipere decimas noualium.

Reſpondetur negando ſubſumptum; quia quod dicitur id quod minus eſt, quodammodo in maiori comprehenſum eſſe, intelligendum eſt habere locũ, quando maius per ſe alicui competit ex proprio titulo, vt res ſe habebat in præſenti caſu, quod indicant hæc verba, vt decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias: quod tamẽ dicendum non eſt, quando ex priuilegio, & quaſi præter naturam, maius alicui eſt conceſſum cum grauamine & quodam præiudicio alicuius, cui per ſe maius & minus competunt: quia tunc iſtud priuilegium tanquam odioſum eſt ſtrictè interpretandum: ex quo ſimul, ſicuti & ex antè dictis, ſatis conſtat reſponſio ad obiectionem priori loco factam. Vide ſup. Suarez c.23. n.6. vbi ad eum ferè modum, citatum Cap. cum Rebuffo, & Couarr. exponit.

Hinc forſitan natum eſt, quod aucupatores illi decimarũ incœperint à ſede Apoſtolicâ poſtulare, non decimas tantum Parochialium Eccleſiarum ſibi ex priuilegio concedi; ſed petierint ſibi ipſas Eccleſias incorporari, vt quidquid noualium aut alterius commodi cum tempore poſſet Eccleſiæ accedere, hoc totum cederet ipſis: quod ſine dubio obtinet, quando per ſe aut per vicarium conductitium & amouibilem adminiſtrant Eccleſiam.

Quando autem ſurrogata eſt vicaria perpetua, quæ etiam beneficij curati rationem 41
ſortitur, vtrùm tunc decimæ noualium quæ tempore vicariæ huiuſmodi accedunt, cedere debeant vicario, an ipſis qui ſibi nomen Paſtoris vendicant, & lac ac lanam gregis tantum quærunt, & curam cum laboribus in alium reijciunt, dubitari poteſt.

Pro vicario videtur poſſe deſumi argumentum ex Capitulo 2. ſuprà citato, De decimis in 6. & ratio fauet, ex quo enim incumbit illi onus totum, & omnis ſollicitudo Eccleſiæ, ac cura populi quæ Paſtoribus per ſe incumbunt, admodùm videtur æquum, vt ſi priores decimæ ſint illi ablatæ, ſaltem concedantur quæ accreſcunt, præſertim quia accreſcere non ſolent niſi ſimul augeatur multitudo ſubditorum, atque ita augeantur quoque labores ipſius in adminiſtrandis Sacramentis, & in populo debitè inſtruendo. Certè apparet quod Alexander IIII. ſecundum ea quæ Capitulo 2. mox citato allegat, inclinaturus fuiſſet in fauorem Eccleſiæ Parochialis, & Vicarij eiuſmodi. Ex quo namque Eccleſia quodammodo redierit ad propriam naturam, quia habet proprium & perpetuum Rectorem, videtur quod connaturale ſit, vt ius proprij Rectoris etiam concomitetur, quoad emolumenta

menta, quæ per ſe Rectori accreſcere ſolent. Quid verò in foro fori ſuper hac difficultate eſſet iudicandum, relinquimus Doctoribus Canonum diſcutiendum & determinandum.

DVBIVM XII.

Quibus poſt bonorum Eccleſiæ diuiſionem competant decimæ perſonales & mixtæ?

42 HActenùs potiſſimum locuti ſumus De decimis prædialibus. Quod itaq; attinet ad perſonales, quę ex lucro perſonarum proueniũt (licet his temporibus & locis vix ſint in vſu.) Dico quòd ſecundum ius commune debentur Eccleſiæ Parochiali, non in quâ perſonæ faciunt lucrum, ſed parœciæ in quâ habitant, ſiue in quâ Sacramenta percipiunt. Ita docet D. Tho. q. 87. a. 3. ad 3. & ſic definitur Capitulo Ad Apoſtolica, De decimis: item Capitulo Finali, De Parochijs, & Capitulo Quęſti ſunt, cauſa 16. qu. 1.

43 Quod ad mixtas attinet, Gloſſa ad Cap. citatum, Ad Apoſtolicæ, vult decimas animalium cenſendas eſſe cum prædialibus, vt pertinere dicantur ad Parochiam in quâ paſcuntur animalia; & ſi paſcantur partim in vnâ, & partim in alterâ, tunc vult eas diuidi inter Eccleſias, & fauet D. Thomas, art. citato ad 2. vbi ſic ſcribit: paſtor autem (ſcilicet animalium ſeu pecorum) qui diuerſis temporibus in duabus parœcijs gregem paſcit, debet proportionabiliter vtriq; Eccleſiæ decimas ſoluere: Syl. verò V. decimæ, quæſt. 8. dicit deferendum eſſe conſuetudini, quod etiam D. Tho. loco citato inprimis indicat: eâ autem deficiente dicit Syluester animalium decimas etſi continuò in alienâ Parochiâ paſcerentur, eſſe tamen diuidendas inter illam & inter Parochiam, ſub quâ degit Paſtor gregis: quod rationi videtur ſatis conſentaneum, quia fœtus non totaliter debet reputari fructus paſcuorum, ſed quoque ſuo modo fructus & quęſtus induſtriæ ipſius paſtoris, & eatenus competunt Parochię domini & Paſtoris gregis ſecundum iura prius allegata.

Quod ſi tamen dominus gregis commiſiſſet illum paſcendum in alienâ Parochiâ, & ſimul curam paſcendi dediſſet alicui habitanti firmiter in eâdem Parochiâ, non erit à ratione alienum dicere, quod tunc integrè debeantur illi Parochiæ.

DVBIVM XIII.

Quibus modis contingat obligationem ſoluendi decimas ceſſare.

44 HIc inprimis notandum eſt, quod omnes qui titulo ſpirituali habent prędia alicui Eccleſiæ ſubiecta, obligentur ex illis decimas ſoluere.

Atque ita inprimis tenentur Laici omnes, etiam infideles, vt Iudæi & Pagani, ſi prædia talia habeant: Cap. De terris De decimis, & Cap. Quanto, De vſuris: eſt enim onus annexum rei quam poſſident.

Deinde non illi tantũ, ſed etiam Clerici ſi illa prædia titulo patrimonij vel alio Laicali poſſideant, vt hic docet D. Tho. q. 87. art. 4. ad 4. Arragonius ibidem. Alenſis 3. p. quęſt. 51. memb. 7. art. 2. Couarr. lib. 1. var. cap. 17. nu. 8. Syl. V. Decima, & alij citati apud Suarez ſup. cap. 17. nu. 2. & 3. prædia enim per ſe ſunt ſubiecta iſti oneri: res autem tranſit cum ſuo onere: & ita quoque docet Gloſſa ad Capitulum nouum genus, De decimis: & probari poteſt ex Capitulo Si quis Laicus, cauſa 19. quæſt. 1. & ex Capitulo Quicumque ibidem.

Tertiò debent quoque per ſe loquendo decimas Eccleſiæ ſub quâ prædia ſita ſunt, monaſteria & pia loca, vt ſatis manifeſtè indicatur Capitulo Nuper, De decimis, & Capitulo Statuto, De decimis in 6. §. Cæterùm quoque Religioſi.

His præmiſſis Reſpondetur: Pluribus & diuerſis modis contingit ceſſare obligationem ſoluendis decimas quatenus dicunt determinatam quotam quam ex præcepto Eccleſiæ ſoluere oportet.

Et quidem inprimis contingit ceſſare ex 45 priuilegio ſũmi Pontificis, vt tradit Bonac. ſup. puncto 5. & alij. Et colligitur ex pluribus Canonibus, vt ex Capitulo Ex multiplici, Capitulo Suggeſtum, Capitulo Ex parte, Capitulo Licet, Capitulo Nuper, titulo De decimis: quibus ſignificatur ſatis quod eiuſmodi priuilegium fuerit diuerſis aliquando conceſſum vel abſolutè, vel pro certis terris: eſtque tale priuilegium tunc principaliter rationi conſonum, quando conceditur Monachis, aut alijs pro terris illis quas propriâ induſtriâ & labore ex deſertis reducunt ad culturam: hoc enim nulli alteri videtur adferre præiudicium, quin è contra potiùs ſeruiat ad communem vtilitatem, quatenus occaſionem præbet vt plures terrę reddantur frugiferæ quæ antea erant inutiles. Hinc Innocentius III. in Concilio Lateranenſi 4. ſtatuit, vt ſi priuilegiati acquiſierint quomodocumq; de nouo poſſeſſiones, ex quibus decimæ debeantur, vt de illis decimas quoque ſoluant illis Eccleſijs, quibus prius ſoluebantur, etiamſi eas proprijs manibus aut ſumptibus excolant, niſi cum ipſis Eccleſijs aliter duxerint componẽdum, vt habetur Capitulo Nuper, iam citato, De decimis.

Secundò, poteſt ceſſare obligatio per 46 tranſactionem ſeu compoſitionem, vt ſi Eccleſiæ quæ ſibi mutuo decimas debebant, hinc

Digitized by Google

hinc inde iuri ſuo renuntient: poteſt enim quis iuri ſuo renuntiare quod habet ad decimas percipiendas. Sed vt renuntiatio ſucceſſores obligaret, opus eſt interuenire authoritatem Epiſcopi, vt conſtat ex Capitulo 2. De tranſactionibus, imò vt renuntiatio vel tranſactio ſit perpetua, non videtur ſufficere Epiſcopi authoritas præſertim quando agitur de exoneratione Laicorum, ſed requiritur vt Pontificis accedat approbatio, vt ex Azorio notat Mald. ſuprà dubio 1. & docet Bonac. tom. 2. De præceptis Eccleſiæ, diſp. vlt. quæſt. 5. puncto 5. nu. 4.

Confirmari poteſt quandoquidem enim per Concil. Lateranenſe tertium ſit ablata poteſtas Epiſcopis, ne poſſint decimas cōcedere Laicis in feudū, meritò quoq; cenſentur non poſſe validè approbare renuntiationē, quâ Laicus in perpetuum ab obligatione ſoluendi decimas liberaretur: & fauet Capitulum Veniens, De decimis: vbi dum Monachi ſub prætextu alicuius tranſactionis cum prædeceſſore initæ recuſarent Presbytero certas decimas perſoluere, definiuit Pontifex, quod niſi tranſactionem illam demonſtrarent à Sede Apoſtolicâ confirmatā fuiſſe, debere illas decimas Presbytero ſoluere, cum aliàs, inquit, inter perſonas facta potiùs quàm inter Eccleſias videatur, pacta autem inter alios non debent alijs obeſſe.

Obſeruandum hic eſt, circa huiuſmodi tranſactionem, quod pro iure ſpirituali decimarum remittendo, non poſſit dari pretiū aliquod temporale: & ſi contra factum fuerit, tranſactionem eſſe nullam, vt declaratur Capitulo vltimo De rerum permutatione.

47 Tertiò ceſſare poteſt obligatio ſoluendi decimas per conſuetudinem aut per præſcriptionem, Ita Suarez ſup. cap. 12. & 20. Bonacina ſup. nu. 5. cum alijs quos citat. Et poteſt colligi ex Capitulo De præſcript. in 6. & Capitulo Quanto extrà, tit. eodem.

Ratio eſt: quia ex quo determinatio illa quotæ, & determinatio rerum ex quibus decimæ ſoluuntur, ſint legis humanæ Eccleſiaſticę, nihil eſt impediens quominus poſſit contrariâ conſuetudine eiuſmodi lex aboleri: ſicut & aliæ conſtitutiones Eccleſiaſticæ per contrariam conſuetudinem abrogari poſſunt. Et ideò in principio dixi, quatenus decimę dicunt certam quotam ab Eccleſia determinatam. Vnde & plurimarum rerum decimæ per conſuetudinem contrariam de facto ſunt ſublatę diuerſis in locis ex eodem principio, quia ius decimale ſecundum quotam, & oblatio correſpondens pendent ex Eccleſiæ inſtitutione & lege, vt antè diximus: ita vt etiam particulares præſcribere poſſint contra ius illud, & per præſcriptionem ſe exonerare ab obligatione ſoluendi decimas. Bonac. ſup. nu. 7. §. Dico Secundò, qui allegat Deciſionē Rotę 303. apud Farinac. nu. 3.

Ad præſcribendam verò illam immunitatem abſque titulo, requiritur tempus immemoriale ſiue memoriam hominum excedens, eò quod iuris præſumptio ſit in contrarium, Capitulo 1. De præſcriptionibus in 6. cum titulo autem etſi forſitan ex aliquâ causâ fuerit inualidus, ſufficit tempus 40. annorum: nam vt ipſa conſuetudo ſit legitimè præſcripta contra conſtitutiones Eccleſiaſticas, ſufficit illud tempus, Capitulo Finali De conſuetudine: neque ad eam requiritur titulus, vt docet Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 17. nu. 8. imò quando via conniuentiæ tollit legem non requiritur etiam bona fides, vide ea quæ diximus in genere de hac re, 1. 2. quæſt. 97. art. 3.

Hic tamen aduerte, vt virtute conſuetudinis aliquis liberetur non ſatis eſſe, quod 48
ipſe particularis per 40. annos conſueuerit non ſoluere, quia ſicut vſus agendi alicuius particularis non poteſt legem inducere, ita neque poteſt legem abrogare, quia lex propriè reſpicit communitatem: vnde ſi talis abſque titulo cœperit non ſoluere, non poteſt dici liberatus ab obligatione, neque in vim conſuetudinis, quia non fuit vniuerſalis quæ legem poſſit abrogare, neque etiam virtute præſcriptionis, quia ad præſcribendum ſine titulo contra ius Eccleſiæ requiritur tempus immemoriale, vt dictum eſt. Secus eſt de aliqua communitate, vt de Oppido aliquo, vt tradit Bonac. ſup. num. 8. quia illa ſpatio 40. annorum quibus non ſoluit decimas, poteſt ab obligatione ſoluēdi liberari in vim cōſuetudinis: vſus enim communitatis non ſoluendi decimas habet rationem & vim conſuetudinis, atque ita habet vim liberandi à lege Eccleſiaſtica, vt ex iam dictis poteſt intelligi.

Obſeruandum autem eſt, nunquam ſiue conſuetudine, ſiue præſcriptione populum 49
poſſe ſic liberari à decimis, quin Summus Pontifex, quando opus fuerit, poſſit eas rurſum nouâ ordinatione & lege inſtituere ac imponere: hæc enim poteſtas & facultas conueniunt ipſi iure diuino, quatenus eſt vniuerſalis Paſtor Eccleſiæ; contra quod ius nulla præſcriptio, aut lex, vel conſuetudo humana poteſt valere, & proinde poteſtas & facultas dicta ab eo tolli non poſſunt iſtis modis aut medijs.

Obſeruandum hic denique Clericos omnes, etiam Epiſcopos teneri decimas ſoluere 50
de omnibus bonis Eccleſiaſticis Romano Pontifici ſi eas exigeret, vt docet D. Tho. quæſt. 87. citatâ, art. 4. quod eſt conforme conſtitutionibus legis antiquæ: libro enim Numerorum cap. 18. præcipitur Leuitis, vt Summo Sacerdoti decimam decimæ pendant.

Digitized by Google

Ratio autem inprimis eſt, quia ipſe eſt vniuerſalis Paſtor omnium, etiam Epiſcoporum: eſt enim D. Petro dictum, Ioannis 21. *Paſce oues meas.* Deinde, quia ipſe eſt ſupremus adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum; ergò quando indiget, vel bonum Eccleſiæ requireret, poterit ex omnibus iſtis partem aliquam, prout iudicatur conuenire, ad hos vſus & fines applicare: nec tantum decimam, ſed etiam maiorem partem exigere poſſet, quando Eccleſiæ neceſſitas ita poſtularet.

Non ſolet tamen ordinariè Pontifex iſtam decimam exigere, ſed loco decimæ quotannis ſoluendę, ſolet in beneficijs maioribus exigere fructus vnius anni pro toto tempore vitæ Prælati: quos vocant annatas, quarum vſum eſſe antiquum tradunt Panormitanus & Ioannes Andreas ad Cap. Inter cætera, De officio iudicis ordinarij.

Petes, coram quo Iudice ſit cauſa decimarum tractanda?

Reſpondetur breuiter, quod decimæ petendæ ſint coram Iudice Eccleſiaſtico: vt Doctores tradunt cōmuniter, & conſtat ex Cap. Ad hæc, De decimis, & alijs pluribus. Ratio eſt, quia cauſa decimarum eſt Eccleſiaſtica, quandoquidem decimæ debeantur propter ſacrum miniſterium, ſiue titulo ſpirituali: cauſa autem ſpiritualis coram Iudice Eccleſiaſtico eſt tractanda, Cap. Parochianos, De decimis. Si tamen alicubi Princeps ſæcularis habeat priuilegium à S. Sede, cognoſcendi ſuper poſſeſſorio in beneficialibus & ſimilibus ſpiritualibus, ſi in eius territorio incidat quæſtio ſuper poſſeſſione circa decimas, debebit corā eo cauſa poſſeſſoria tractari.

CAPVT QVARTVM,

De Voto.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit votum?

1 Obſervandvm eſt, Voti nomen aliquando ſumi pro deſiderio, vel oratione quâ deſiderium noſtrum explicamus. Sic Eccleſia ſæpius hoc nomine vtitur in collectis, quando orat; vt Deus vota populi ſupplicantis attendat & exaudiat: magis tamen vſitatam eius ſignificationem eſſe, quâ ſumitur pro promiſſione, non quâlibet, ſed quam Deo facimus: & iuxta hanc acceptionem nobis hic de voto eſt ſermo.

Ita autem acceptum dicit D. Thomas, quæſt. 88. art. 5. in Corpore, eſſe promiſſionem Deo factam: quæ definitio vtcumque colligitur ex illo apud Eccleſiaſtē c. 5. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio*: quæ poſteriora verba ſatis indicant votum importare promiſſionem, & inducere obligationem. Quare ad voti rationem non ſufficit ſolum propoſitum faciendi opus bonum & Deo gratum, nequidem etiamſi hoc per verba exterius exprimatur, vt patet ex Capitulo Litterarum, De voto & voti redemptione; vbi Alexander III. cuidam conſultanti ita reſcribit, Hæc verba protuliſti: non hic morabor diutius, proponens in animo quod religionis habitum aliquando eſſes ſuſcepturus: tibi ergò reſpondemus, Quod ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor iudicari non poteris, ſi non impleueris quod dixiſti.

2 Porrò etſi propoſitum non ſufficiat ad voti rationem, tamen ex dicto reſponſo intelligitur, deliberatum propoſitum eſſe quandam veluti inchoationem voti: quod tamen propoſitum etſi omninò firmum fuerit etiam in materia de ſe Deo gratiſſimâ, non habet vim obligandi ſaltem ſub mortali, imò nec ordinariè ſub veniali per ſe loquendo, vt colligi poteſt, tum ex Capitulo allegato, tum ex D. Thoma hîc quæſt. 88. citatâ, art. 1. in Corpore, quando ideò negat votum conſiſtere in ſolo propoſito, eò quod votum quandam obligationem importet ad aliquid faciendum vel omittendum: vbi proinde ſupponit, quod propoſitum ſolum non inducat obligationem; alioquin ratio eius omninò eſſet inefficax: & ita docent Nauarrus, cap. 12. n. 24 & 26. Syluester, V. Votum 1. quæſt. 2. Suarez, lib. 1. De voto, cap. 2. Bonacina, tomo 2. circa 2. Decalogi præcept. diſp. 4. quæſt. 2. puncto 1. & plures quos citat. Dixi, nec ſub veniali ordinariè per ſe loquendo, quia per accidens in eius omiſſione poteſt committi veniale, vt quando ex aliquâ animi inconſtantia indebitâ, vel ex aliquo tædio ad bonum, aut ſimili occaſione non inſiſtitur bono propoſito.

Sed contra tamen opponuntur quædam Capitula, vbi videtur ſignificari, propoſitum abſolutum inducere obligationem, vt Capitulum Conſulti, & Capitulum Statuimus,

mus, De regularibus: item Capitulum Beneficium eodem titulo in 6.

Verùm ſolent explicari hi Canones de propoſito iam firmato promiſſione, idque vel explicitè & re ipſa, vel implicitè & ſecundum iuris præſumptionem: quod cum talibus circumſtantijs præſumit promiſſionem, & ideò pro maiori ſecuritate dicit talem eſſe obligatum: quæ explicatio ex alterâ voti definitione hic ſtatim ex D. Thoma ſubijciendâ poterit apparere verior.

3 Quandoquidem igitur à ſolo propoſito diſtinguatur votum in eo, quod hoc obligationem importet, hinc rectè quaſi generis loco ponitur promiſſio in eius definitione, quæ eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio alteri facta: quando autem hæc cenſeatur deliberata & ſpontanea, explicuimus ſuprà tractatu 5. cap. 2. dub. 1.

Per modum autem differentiæ additur Deo facta, quia promiſſiones quas hominibus facimus, non ſolent dici vota.

Aliam voti definitionem ſatis congruam habet D. Thomas, artic. 1. citato, in primo argumento, videlicet: Votum eſt conceptio boni propoſiti cum animi deliberatione firmatâ, quâ quis ad aliquid faciendum vel ad aliquid non faciendum ſe Deo obligat.

Cæterùm, quia ibidem in Corpore dicit D. Thomas, Sic ergò ad votum tria ex neceſſitate requiruntur. Primò, quidem deliberatio: Secundò, propoſitum voluntatis: Tertiò, promiſſio in quâ, inquit, perficitur ratio voti; Hinc inter Doctores diſputatur; ſi quis deliberatè voueat cum intentione vouendi, ſed non intendat implere id quod vouet, vtrùm talis dicendus ſit verè vouiſſe, & votò eſſe obligatus; ſiue an propoſitum faciendi quod voues, ſit de eſſentia voti? hoc enim videri poteſt D. Th. docere verbis allegatis.

Et ideò à Valentia, tomo 3. diſput. 6. quæſt. 6. puncto 1. & alij nonnulli ſentiunt propoſitum illud eſſe de voti eſſentiâ, in quam ſententiam videtur quoque inclinari Malderus ſuprà.

Et poteſt vlterius probari, quia promittere non videtur eſſe tantum ſe obligare, ſed importare quoque quandam ſignificationem voluntatis de promiſſo adimplendo: ergò qui habet animum non faciendi, quod promittit, non verè, ſed fictè promittit, & proindè ratio promiſſionis nō ſubſiſtit.

Præterea, ſi quis alteri promitteret, & verbis adderet, ſe non habere animum præſtandi quod promittit, videretur potiùs ridere alterum, quàm promittere, ergò idem dicendum eſt de illo qui mente cogitat non implere quod vouet.

4 His tamen non obſtantibus oppoſita ſententia eſt communior ac verior, & ſic tenent Soto, lib. 7. De iuſt. & iure, quæſt. 1. art. 2. Caiet. hîc quæſt. 88. art. 1. Nauarr. cap. 21. n. 27. & 28. Suarez ſup. cap. 4. nu. 2. Emanuel Sa, & alij plures. Mald. quoque tandem addit, quòd conſideratis omnibus, videatur verius, etiã obligare promiſſionẽ Deo factã, etſi illa fiat cum formali propoſito non implendi, & proinde multo certius, ſi tantum non adfuerit voluntas faciendi.

Et probatur: Quia quemadmodum de ratione promiſſionis non eſt, vt præſtetur ipſa res promiſſa: ſed tantum vt creet in altero ius aliquod remotum ad illam, ita neq; de ratione promiſſionis eſt, vt habeatur voluntas præſtandi rem illam: quia poteſt quis alteri facere ius ad rem quam non intendit à ſe dimittere, nec alteri tradere: vt v.g. per contractum venditionis, qui verè ſubſiſtit & dat emptori ius, quamuis venditor intendiſſet nunquam tradere merces venditas.

Quare qui vouent caſtitatem, aut paupertatem, quamuis non habeant voluntatem ſeruandi (vt ſæpius ex ſæcularibus reſpectibus, forſitã à multis vouetur) omninò dicẽdi ſunt coram Deo eſſe aſtricti voto ſuo.

Ad obiecta itaque reſpondetur, & quidem ad D. Th. quod attinet, exponunt nonnulli, & dicunt eum loqui non de propoſito faciendi id quod vouetur, ſed de propoſito ſiue intentione vouendi: verùm, non rectè: nam ex antecedentibus ſatis liquet, quod loquatur de propoſito adimplendi, quod promittitur: præcedit enim; quod promiſſio ſequatur ex propoſito faciendi: vnde melius D. Thomam explicant, qui dicunt eum iſta tria tanquam ex neceſſitate requirere, non quod ſint ſimpliciter de eſſentia voti, aut promiſſionis; ſed quia ſunt neceſſaria (ſcilicet actu aut virtualiter) vt votum ordinatè & legitimo modo fiat: vt eum intellexerunt Soto, Caiet. ſup. quia non ſine deordinatione & peccato vouet quis, quando non habet voluntatem faciendi. 5

Ad probationem priorem reſpondetur, in promiſſione duo intelligi poſſe ſignificari, vnum, quod promittens obliget ſe, atque adeò voluntatem obligandi ſe habeat: alterum, quod ſit facturus promiſſum, atque adeò habeat animum adimplendi. Vt itaque ſubſit illud quod prior ſignificatio importat, requiritur plane ad promiſsionis eſſentiam: vnde vt promiſsio ſubſiſtat, debet hæc ſignificatio eſſe vera: actus enim ex intentione agentium operantes non operantur vltra intentionem: ſed id quod ſecundo diximus, poſſe intelligi quoq; ſignificari, non ſpectat ad eſſentialem rationem promiſsionis.

Quare, licet hæc ſignificatio vera non eſſet, non tamen ideò ſequitur, promiſsionem eſſe nullam.

Ad probationem autem poſteriorem reſpondetur: quod dum quis adderet expreſsè ſe non

Digitized by Google

ſe non habere animum implendi promiſſum, quòd merito tum cenſeretur talis iocari, & non ſeriò promittere: ſi tamen conſtaret quod intendiſſet ſeriò promittere: vt ſi promiſſarius dixiſſet, quidquid ſit de tua voluntate exequendi promiſſum, peto, vtrùm mihi interim abſolutè rem talem promittas, & alter affirmaret, obſtringeretur omninò promiſſione ſua: & poſſet compelli ad explendum quod promiſit.

6 Diſputant Secundò Doctores: vtrùm ſi quis faciat votum cum intentione vouendi; ſed tamen interius non velit obligari, vtrùm talis voto obligabitur? affirmat quod obligabitur Dominicus Soto, lib. 7. De iuſtitia & iure, quæſt. 1. artic. 2.

Negant autem Syluester, V. Metus, qu. 8. & V. Pactum, num. 4. Gloſſa ad Capitulum Litterarum, De voto, & voti redemptione, à Valentia ſuprà, Nauarr. cap. 12. nu. 27. Henriquez, lib. 11. cap. 13. nu. 2. Bonac. ſup. nu. 12. & alij plures.

Sed cum diſtinctione adhibità, videtur vtraque opinio ſuam poſſe habere veritatem. Dupliciter enim intelligi poteſt, quod ſic vouens nolit interius ſe obligare.

Vno modo: quod non velit obligationem ſequi ſiue naſci ex voto, quod cum vouendi intentione émittit: & ſi hoc modo interiùs velit non obligari, naſcetur nihilominùs obligatio, & verè erit voto adſtrictus, quia ex ſerio & abſoluto actu vouendi ſequitur ſimpliciter obligatio conſiderata tanquã quid permanens per modũ termini & effectus neceſſarij talis actus.

Alio autẽ modo poteſt intelligi, quòd nõ velit interius ſe obligare, quia ſcil. non vult inducere ſeu cauſare obligationem, & quod tamen intendat vouere: & hæc duo inuoluunt repugnantiam, quia vouere eſſentialiter eſt inducere, & imponere ſibi obligationem: & ſic loquendo, vera videbitur ſententia poſterior: quia quando actui apponitur aliqua conditio vel clauſula quæ eſt contra ſubſtantiam actus, tunc dicitur eſſe irritus, & nullus.

7 Imò qui vouet cum expreſſa intentione non imponendi ſibi obligationem, conuincitur non verè intendere votum, ſed fingere & ſimulare votum externâ ſpecie verborum, modo intelligat quid vouere ſit, atque adeò in voto tali agere irriſorem, niſi tamen fortaſſis dicendo ſe vouere, velit ſolùm ſignificare, quod ſeriò ſic proponat ac ſtatuat, ſed interim non velit ſe obligare; ſed hoc eſt nomine voti abuti, ſiue abuſiuè vſurpare: quamuis forſitan aliqui ſimpliciores ſic aliquando agant aut loquantur.

DVBIVM II.

Quæ requirantur ad validitatem voti?

RESpondetur: quemadmodum ad promiſſionis valorem requiruntur communiter hæc quatuor, ſcilicet, vt ſit delibe- 8
rata, vt ſit ſponſanea ſeu libera, ſit de re aliqua acceptabili & grata promiſſario, ac denique, vt promittens ſe poſſit in illâ materiâ obligare; ſic quoque rectè dici poſſunt iſta quatuor requiri ad voti validitatem: quandoquidem votum includat promiſſionem per modum generis.

Addunt aliqui quintum, ſcilicet, vt fiat cum intentione ſe obligandi; ſed hoc ſatis includitur in intentione vouendi, niſi ſaltem expreſsè excludatur, & quid de tali voto ſentiendum ſit, ex modo dictis poteſt intelligi.

Quando autem votum cenſeatur deliberatè factum, ita ferè determinat DD. quod ſcilicet tum cenſeri debeat ſatis deliberatè factum, quando cum ea animaduerſione eſt factum, quæ in materia praua ſufficeret ad mortalem culpam actus, & in bona ſufficeret ad meritum vitæ æternæ. Ita Sylueſter V. Votum 2. n. 13. Nauarrus, cap. 12. n. 26. Caiet. hîc quæſt. 88. art. 1. Ibidem Arragonius, Soto, lib. 7. quæſt. 1. art. 2. Bonacina ſup. De voto, puncto 1. n. 3. & alij plures.

Non itaque opus eſt longa temporis mora ad ſufficientem deliberationem; ſed hæc breuiſſimo tempore, & quaſi in inſtanti poteſt haberi, vt votum cum ea emiſſum ſit validum. Vnde, non rectè exiſtimauit ſumma Angelica, eum defectu deliberationis non obligari voto, quem ſtatim poſtea voti pœniteat, vt benè docet Soto, & cum ipſo Bonac. loco cit. & alij quos allegat: ſicuti neq; ſufficiens ſignum eſt indeliberati actus peccaminoſi, ſi quem eius mox pœniteat.

Similiter nec ille continuò iudicandus eſt indeliberatè vouiſſe, & à voti obligatione eximendus, qui remiſſiori factâ paſſione, ex qua contigit eum vouere, non eſſet facturus votum, ſi iam non feciſſet votum, vt contra Panormitanum docet Sanchez, libro 1. De matrimonio, diſp. 8. n. 8.

Neque rurſum hoc titulo cenſebitur votum non ſatis deliberatum, quia aliquid ſuperuenit, quod ſi attendiſſet ſuperuenturum, non vouiſſet: neque enim deliberatio & aduertentia circa votum debet eſſe talis & tanta, vt vouens perſpexerit omnes circumſtantias; ne quidem illas omnes quæ communiter prouideri poſſent, vt poteſt colligi ex Capitulo Veniens De voto. Vide plura apud Suarez, tom. 2. De relig. lib. 1. De voto, cap. 9.

Digitized by Google

9 Petes, quid dicendum ſit de illo, qui dubitat vtrùm paſſio non impedierit deliberationem, ac animaduerſionem neceſſariam ad voti ſubſtantiam? Suarez ſuprà nu. 10. diſtinguit inter eum qui ſcit ſe vouiſſe, ſed dubitat vtrùm vouerit ſatis deliberatè, & inter eum qui ſimpliciter dubitat an vouerit: & quidem quo ad poſteriorem ſentit ille, probabile eſſe, & plures cum illo, quod hic non teneatur voto, etiamſi quoque magis inclinet in hanc partem, quòd vouerit, licet contrarium teneat Emanuel Sa V. Votum, qui vult dubitantem de voto, obligari.

Quoad priorem verò docet Suarez, Bonacina ſup. & communiter ferè alij, quòd hic voto teneatur: pro quâ ſententiâ citat Sa in particulari Archidiaconum, Angelum Syluestrum, & Azorium. Rationem diuerſitatis indicat Malderus, quia ſic vtrobique iudicatur quodammodo pro poſſidente: in priori quidem pro actu hominis qui præſumitur habuiſſe modum agendi humanũ, & proinde fuiſſe deliberatum ſaltem poſt iuſtã ætatem quando vſus rationis ſolet præſumi haberi ſufficiens, & ſuo modo iudicatur quoque ſic pro homine qui iam quodãmodò receſſit à poſſeſſione libertatis, & poſuit ſe quaſi in poſſeſſione voti, dum conſtat quod vouerit, ſed tantum dubitatur an ſatis deliberatè. In poſteriori autem iudicatur pro poſſidente libertatem vt in ea maneat, quamdiu dubitatur an fecerit actum, quo eam ſibi ademerit.

Exiſtimandi quoque ſunt obligati voto, qui vouerunt cum intentione vouendi, ſed dubitant, an habuerint animum ſe obligandi, idque potiori ratione, quia hic animus ſufficienter in intentione vouendi includitur.

Quod ad vota puerorum attinet, ſi quæ faciant ante ſeptennium, iudicãtur non ſatis deliberata: quia ante ſeptennium præſumitur non fuiſſe ſufficiens vſus rationis, ſecus poſt ſeptennium.

DVBIVM III.

Vtrùm libertas ad votum requiſita excludat metum, ita vt ex metu factum ſit irritum?

10 RESpondetur: metus grauis iniuſtè incuſſus ad extorquendum votum, reddit votum irritum, & ſic eius impedit obligationẽ. Eſt hæc indubitata doctrina apud omnes, loquendo de voto ſolemni ſiue de profeſſione Religioſa: & ſupponitur à Tridentino, Seſſ. 25. cap. 18. & 19. De Regularibus, vbi cogentes ad Religionẽ etiam vult puniri, & coactos ſuæ reſtitui libertati. De voto autem ſimplici aliter ſentit Suarez ſuprà lib. 1. De eſſentia voti, cap. 8. excepto tamen voto ſimplici Religionis. Sed Doctores etiam paſſim omnes tenent idem generaliter de omni voto tam ſimplici, quàm ſolemni. Ita Gloſſ. in Cap. 1. & Cap. Abbas, De his quæ vi, Panormit. ibidem num. 11. Nauarrus, cap. 12. num. 52. & 54. item cap. 22. & lib. 1. Conſil. conſ. 3. Richardus in 4. diſtinct. 29. artic. 1. quæſt. 2. Ibidem Palud. quæſt. 1. & Soto & Summiſtæ V. Metus, & V. Votum, à Valentia, tom. 3. diſp. 6. quæſt. 6. puncto 4. Azorius 1. parte, lib. 11. cap. 15. quæſt. 6. Bonac. ſuprà puncto 3. num. 5. & alij. Probatur ex diuerſis Canonibus: vt ex cap. 1. De his quæ vi: ex Cap. Dilectus, & ex Capit. Abbas ibidẽ cum Commentatoribus. Item ex Capitulo Nõ eſt, cauſa 15. q. 1. ex quibus hactenùs communiter Doctores ſtatuerunt votũ omne graui metu ſic extortum, vt ponitur in reſponſione, eſſe irritum & nullum. Huc etiam ſpectat Cap. Cum locum De ſponſalibus, vbi dicitur, cum locum non habeat conſenſus, vbi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſque requiritur, coactionis materia repellatur: vbi indicatur quòd Eccleſia non habeat pro conſenſu, & ſic videtur etiã nullum facere eum, qui per metũ iniuſtè incuſſum extorquetur, in materijs quæ ad eius forum ſpectant, maximè quia ratio & æquitas naturalis idipſum ſuadent. Nam voluntarium militem ſibi eligit Deus, vt dicitur Cap. Non eſt mox citato: quod etiam docet D. Bonauent. in 3. diſt. 36. art. 3. qu. 2.

Dixi inprimis, metus grauis: quia Canones & iura paſſim loquuntur de tali metu, 11 quando decidunt votum metu emiſſum, aut matrimonium metu contractũ eſſe irrita, vt patet Capitulo Perlatum, De his quæ vi: vbi dicitur, Si metus mortis non fuerit cauſa voti mulieris, de quâ ibi agitur, quatenus tunc cogatur ad habitum reſumendum, quẽ dimiſerat: & Capitulo Dilectus, de his quæ vi metuſue cauſa fiunt, requiritur metus cadens in conſtantem virum, & cap. vltimo, Et qui Clerici vel vouentes, ſignificatur imperium Principis, aut parentum non ſufficere, vt votum ſit irritum: de quo licet videre Gloſſam ibidem, quia licet imperium hoc adducat metum aliquem, non tamen grauem.

Quod ſic intellige, ſi tantum ſit ſimplex imperium, ita vt non timeatur maius aliquod malum, quàm breuis aliqua offenſio, vt ex eodem Capitulo citato colligi poteſt: alioquin ſi timeatur offenſio perpetua, vel mala

mala tractatio, tunc meritò cenſebitur adducere metum grauem, qui ſufficiat ad votum, cuius eſt cauſa, reddendum irritum.

Addunt aliqui, vel ſi cum imperio adſunt preces importunæ. Ita Gloſſa ad Capitulum Sunt qui opes, cauſa 17. quæſt. 4.

Sed verius apparet inde votum non forè inualidum: quod enim rogati facimus, non ſumus dicendi coacti propriè facere, ſed potiùs liberè, quando alius metus non accedit, vt docet Panormitanus ad Cap. Cum inter, De electione: quamuis Sanchez, diſ. 7. lib. 4. De matrim. putat probabile, quod votum eſſet irritum, quando per inſtantiſſimas preces fuiſſet quis quaſi adactus ad vouendum.

12 Cæterùm non deſunt, qui non tantum metum grauem, ſed etiam iuſto minorem incuſſum iniurioſè, ſentiant inualidare votũ in foro conſcientiæ, quando verè & propriè eſt cauſa voti: volunt enim Deum non acceptare eiuſmodi votum.

Dicunt in foro conſcientiæ, quia in foro fori nõ admitteretur iſta exceptio, eò quod leuis metus non præſumatur verè fuiſſe cauſa voti. Hanc opinionem dicit Malderus, Tractatu 10. cap. 5. dub. 1. eſſe probabilem, & ſic docet abſolutè Nauarrus, c. 22. n. 51. §. 7. quod ad reddendum, & §. ſequenti approbat ſententiam Gloſſæ, quæ notat ex hoc capite, metum reuerentialem annullare votũ pueri vouentis in religione, etiam quo ad forum externum. Vide eundẽ c. 17. n. 30.

Contrarium tamen, vt diximus, tenetur magis communiter, videturque magis probabile, vt citato loco docet Mald. & latè proſequitur Suarez ſup. c. 7. num. 14. & fundatur à pleriſque Doctoribus in Capitulo vltimo citato, Qui Clerici vel vouentes, vbi Pontifex attendens, quod in emiſſione voti, nulla vel modica coactio adfuiſſet, vult ad habitum malè dimiſſum, iterum induci, & vrgeri reaſſumendum illum quæ habitum dimiſerat.

Quod ſanè fundamentum videretur magis ſolidum, niſi Pontifex ſimul adiungeret: Quam coactionem, patientia & perſeuerantia ſequentis temporis (quo ſcilicet illa habitum geſtauerat) penitùs profugauit: inde enim dubium oritur, vtrùm velit eam cogi ad habitum reaſſumendum, quia modica coactio ad vouendum non impedierat voti validitatem, an verò quia tacitè per patientiam & perſeuerantiam cenſeatur votum approbaſſe, etiamſi prius non fuiſſet validum. Vide Sanchez, lib. 4. De matrimonio, diſp. 6. n. 18, vbi multos Doctores pro communi ſententia quam ſequitur, allegat.

Neq; ideò erit Deus in hoc dicẽdus quaſi minùs æquus, quod acceptet votum ex leui metu iniuſtè incuſſo emiſſũ, tũ quia ipſe nõ eſt qui iniuriã infert, tum quia ſupremus & vniuerſalis eſt dominus: vnde non tantum poteſt tali occaſione oblata acceptare, ſed etiam ſine oblatione iniungere, vt offerantur, ſi ita illi placeret; idque eò etiam abſque minori ſpecie cooperationis ad iniuriam, quam infert alter, quia acceptat in bonum & vtilitatem noſtram, non in ſuam. Accedit quod etiam ſatis ſit communis modus agendi apud Deum, quod homines ad ſua obſequia trahat & ad ipſorũ ſalutẽ, terrores & timores immittendo, vt patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.

Addidi, iniuſtè incuſſus: hoc enim requirunt plerique Doctores, Syluester V. Metus, 13
quæſt. 6. Angelus eodem, n. 8. & 10. Soto, lib. 7. quæſt. 2. art. 1. ad 1. & paſſim alij, quia de hoc ſolo videtur quis poſſe conqueri, quòd contra debitam ſibi libertatem ſit adactus ad vouendum: quique proinde metus ſic illatus, ſolus debeat cenſeri repugnans libertati requiſitæ in voto.

Vnde ſi reo mortis fiat poteſtas quaſi redimendi ſupplicium per profeſſionem religionis, vel per matrimonium cum puella ſeſe offerente, votum erit validum, ſicut & matrimonium ſi conditionem acceptet.

Couarruuias tamen in 4. parte, cap. 3. n. 7. exiſtimat metum grauem etiam iuſtè incuſſum reddere irritam profeſſionem & matrimonium, & pro opinione ſua citat Gloſſam ad Capit. Veniens, De ſponſalibus, & alios auctores, quando ſcilicet hic metus incutitur ad hoc vt alter adigatur ad vouendum.

Sed verius eſt, quod diximus cum alijs Doctoribus: quod etiam docent Sa V. Votum, n. 8. Sanchez, lib. 4. cap. 3. n. 20. Bonacina ſuprà, parte 3. num. 7. ſcilicet, quod metus iuſtè incuſſus non impediat voti valorem.

Hoc interim tunc multo certiùs verum eſt, quando metus aliundè ingruit, quàm ab hominibus qui de induſtria hoc agunt vt voueas, vt v.g. quando quis in tempeſtate maris, metu naufragij præſtat Deo votum, aut metu hoſtis perſequentis vouet, ad eum finem, vt Deus eum ab hoſte præſeruet. Quare rectè Pſaltes Pſalmo 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione meâ*: & Ionas Propheta, cap. 2. *Cum anguſtiaretur in me anima mea*, &c. *quæcumque voui reddam pro ſalute Domino.*

Ex quibus etiam intelligitur quod non 14
tantum metus debet eſſe iniuſtè incuſſus, ſed etiã eſſe iniuſtè incuſſus ad extorquendum votum, vt tradit Bonacina ſuprà cum Doctoribus antè citatis. Nam inprimis in exemplo adducto de illo, qui vouit ob metum hoſtis perſequentis, locum habet quod votum ſit validum, quantumuis iniquè hoſtis eum perſequeretur, ſiue ad capiendum, ſiue ad occidendum. Similiter ſi quis

quis in carcere iniquo detineatur, & votum faciat pro liberatione, votum erit validum: non enim emittitur ad voluntatem iniuriantis, vt hic ceſſet ab iniuria irroganda, ſed exhibetur Deo, vt ab illo impetremus auxilium: ſicuti ſi quis ab hoſte captus, promittat alteri pecunias, vt ſibi auxilietur & ex poteſtate hoſtis liberet, tenebitur præſtare huic promiſſum, licet hoſtis iniquè eum detineret: ſecus ſi hoſtis directè cogeret ad pecunias promittendas alteri, vel ſi ab iniuria nollet abſtinere, niſi promitteret pecunias alteri.

15 Hinc quoque validum erit votum, ſi quis ad monaſterium fugit, & quia metuit ab inſidiatore foris aliquando reperiri, & occidi, ideò in monaſterio profeſſionem facit: de quo tamen aliter ſentit Panormitanus ad Capitulum Sicut, De regularibus: ſecus autem dicendum videtur in alio caſu, quo ponitur aliquis inimico perſequente confugere ad monaſterium, & ſuperior nolit concedere latebras aut aſylum, niſi voueat ſe futurum Monachum: talis enim ſuperior continuare videtur metum contra legem, ſi non iuſtitiæ, ſaltem charitatis: quia tenetur admittere, & quidem gratis abſque tali obligatione: quare dicendus eſt iniquè continuare metum, idque ad extorquendum votum: quemadmodum ſi alicui in extrema neceſſitate conſtituto recuſem ſubuenire in cibo vel potu, niſi voueat religionem, cenſebor iniquo metu votum extorſiſſe, atque adeò ille non tenebitur voto. Plura ad hanc rem pertinentia tradi ſolent in 3. parte Tractatu De matrimonio, vbi diſputatur, an matrimonium metu contractũ ſit validum.

DVBIVM IV.

An votum, cui error cauſam dederit, ſit validum?

16 OBſeruandum eſt, quòd in voto ſicut & in alijs contractibus interuenire poteſt error dupliciter: aliquando circa aliquid extrinſecum, vel accidentarium, quod tamen allicit aut auertit à contractu: aliquando autem circa ſubſtantiam contractus aut circa aliquid in ſubſtantiam ſuo modo redundans. Hâc diſtinctione poſitâ

RESPONDEO & DICO Primò: Error qui tantùm eſt circa aliquod extrinſecum aut accidentarium, non inualidat votum, licet abſque illo errore aut ignorantia, quis non erat votum facturus. Ita tenent Doctores communiter, & indubitatè Caiet. V. Votum, §. ex parte autem intentionis vouentis: Soto, lib. 7. quæſt. 1. art. 2. ad 1. argumentum: Nauar. cap. 12. n. 39. Bonac. ſup. punct. 3. §. 2. n. 13. & alij paſſim.

Probari autem poteſt, quia talis error, neque iure naturæ irritat contractum, neque etiam iure poſitiuo, quando ſaltem dolus non interceſſit: non iure naturæ, quia non obſtante tali errore, præberi poteſt conſenſus ſufficiens ad ſubſtantiam contractus, v.g. Emit quis merces, quia putat eas fore rariores & cariores, emptio eſt valida, etiamſi ſint copioſiſſimæ, ac viliſſimi fiant pretij poſtmodùm. Vidè dicta ſuprà Tractatu 5. cap. 1, dub. 3. & 4. Non quoque irritat iure poſitiuo, vt diximus (niſi forſitan in aliquibus, vbi dolus dederit cauſam, de quibus tamen etiam diſputatur:) quia tales leges, aut Canones irritantes non reperiuntur circa eiuſmodi errorem.

Neque ad bonum regimen vel publicam tranquillitatem foret expediens vniuerſaliter talem legem condi, quia ſi talis error tolleret obligationem contractus, eumque annullaret, ſequerentur maxima incommoda, vt oſtendit Caiet. loco citato: quia hoc foret deſtructiuum humanorũ cõtractuum: multi namque coniugati non obligarentur ad coniugium, inquit, quia ſi præuidiſſent quæ euenerint, non contraxiſſent tale matrimonium, & ſimiliter multi profeſſi, inquit, non tenerentur ad religionem, quia ſi tunc ea quæ poſtea occurrerunt, cogitaſſent, non feciſſent profeſſionem, & ſic de alijs: atque ita nihil in contractibus & ſtatibus hominum eſſet firmum aut ſtabile.

DICO Secundò: Si error ſit circa ſubſtantiam voti, aut aliquo modo in ſubſtantiam redundet, & ipſe ſit cauſa vouendi, irritum & nullum erit votum. Eſt communis quoque doctrina, quia tunc conſenſus, ſiue intentio emittendi hoc votum cenſetur deeſſe. 17

Difficultas autem præcipua eſt in explicando, quando error ſit circa ſubſtantiam voti, aut in eam redundet. Hinc DD. aſſignant plures modos, quibus docent id contingere, vt inprimis, ſi quis voueat neſciens quid ſit aut importet votum, v. g. ſi exiſtimet non inducere obligationem, quam non poſſit pro ſua voluntate tollere.

Similiter ſi erret circa materiam principalem quam vouet, vt, v.g. ſi voueat hunc nummum quem tenet manibus, dare pauperibus, & hic non ſit ille nummus quem arbitrabatur, ſed ſit aureus dum putaret ſe habere argenteum vel æneum: ſic quoque, ſi quis voueret peregrinationem ad Sanctũ Iacobum Compoſtellæ, exiſtimans Compoſtellam tantùm 20. aut 30. milliaribus à ſuâ habitatione diſtare, non facturus votum talis peregrinationis quando ſciret diſtare aliquot centenis milliaribus. Rurſum ſi voueat ingredi hoc monaſteriũ exiſtimans eſſe Cappucinorum, & ſit Dominicanorum; vel è contra. Cuiuſmodi exempla ponunt Suarez ſup.

Digitized by Google

rez ſup. cap. 11. nu. 8. & Bonac. ſup. puncto 3. §. 2. nu. 3. ex alijs quos citat.

Tertio, ſi erret circa perſonam cui vouet aliquid præſtare, vt ſi voueat dare eleemoſinam huic perſonæ quæ eſt Petrus, putans eã eſſe Ioannem, vel dare huic perſonæ quam putat eſſe pauperem, quæ pauper non eſt, quia intendit vouere dare eleemoſinam: quando autem perſona non indiget, iam non ſubſiſteret formalis ratio eleemoſinę in tali datione, atque ita ille error eſt circa ſubſtantiam voti.

18 Quarto, quando error eſt circa tales conditiones aut circunſtantias notabiles materiæ, vt merito iudicentur tanquam moraliter pertinentes ad ſubſtantiam huius particularis voti. v. g. Vouet quis ingredi hoc monaſterium ignorans ibi obſeruari perpetuam abſtinentiam à carnibus, aut putat in eo eſſe ordinatum regimen & bonam diſciplinam, cum tamen eſſentialia aut principalia Religionis in eo negligantur, nec ſint ibi integra.

Denique circa ſubſtantiam voti cenſetur quoque error aliquando eſſe, dum erratur circa finem: quando autem ille error circa finem redundet in ſubſtantiam voti, non facilè explicatur certâ regulâ.

Vnde in eo variant Doctores circa explicationem: Videtur tamen pro aliquâ quaſi regulâ poſſe ſtatui, id potiſſimum tunc accidere, quando votum & opus votiuum eliguntur per modum medij meritorij & impetratorij certi finis & effectus qui per modum mercedis aut gratiæ expectatur à Deo reddendus voto tanquam cauſæ ſuo modo per ſe in genere morali: & tamen finis ille impetrabilis non eſt, cuius impetratio intendebatur, vel ceſſat ratio ob quam intendebatur, quòd ſcil. tum votum in ordine ad talem finem ita factum, non obligabit.

Declaratur exemplis, vt ſiquis voueat aliquam peregrinationem ad impetrandam ſanitatem parenti, quem intellexit grauiter ægrotare, & tamen parens ſit ſanus, vel iam ſit mortuus, propter errorem circa finem voti, non orietur hic tum obligatio: nam peregrinatio nõ vouebatur hic abſolutè, ſed tantum vt medium ad impetrandam liberationem à morbo, atque ita formalitas deficit in opere ſub quâ ſpectabatur quando in votum veniebat, & ſic error recidit in ſubſtantiam: Bonacina ſup. nu. 9. & 10. cum alijs quos citat. Vnde tale votum dicitur ab aliquibus implicitè continere conditionem, ſi v. g. parens ſit in neceſſitate, ſi ſit capax meliorationis.

Similiter non obligabit votum, ſi quis vouerit peregrinationem habens animum ad matrimonium, vt obtingat ei bona & pacifica vxor, & poſtmodum deponat animum matrimonij, & ſuſcipiat ordines ſacros.

Secùs autem ſe res habet, quando error accidit circa finem qui ex voto tantum expectatur tanquam ex cauſâ ſine quâ non, vel vt ex medio peraccidens: hinc ſi quis profiteatur caſtitatem, obedientiam, & paupertatem eo fine vt ad Prælaturam perueniat, etiamſi quoque maximè & principaliter illam vt finem intendat falsò perſuaſus, quod Abbas breui ſit moriturus, & ipſe à Religioſis ſit eligendus, etiamſi Abbas non moriatur, vel ipſe prætereatur, nõ ideo profeſſio eius erit irrita, nec liber ipſe ab obligatione: ſimiliter ſi quis voueat accedere ad limina Apoſtolorum, perſuaſus quod Pontifex conferet ipſi certam dignitatẽ vacantem, cuius intuitu maxime motus fuit ad vouendum, etiamſi poſtea intelligat dignitatem alteri eſſe collatam, tenebitur nihilominùs voto ſuo. 19

Neque refert, quod talis aliquis ſit ita animo affectus, vt ſi ſciret ſe decipi circa materiam impulſiuam, nollet vouere; quia hic affectus nihil operatur contra votum: nam inprimis ipſa conditio dum vouet, non adeſt, quâ poſitâ nollet vouere: & præterea non obſtante illo affectu quaſi conditionato habet voluntatem abſolutam quâ vult vouere & vouet: vnde ex illa parte nihil eſt repugnans ſubſtantiæ voti: quemadmodum ſiquis det eleemoſinam pauperi quem putat eſſe probũ, & ita eſt affectus vt ſi ſciret eius improbitatem, nollet ei dare, nihilominùs valida eſt donatio, quia re ipſa donat abſolutè ad leuandam inopiam huius, etiamſi probitatis opinio moueat ad dandũ: idque verum eſt non tantum de tali affectu habituali, ſed etiam de actuali, ita vt non obſtaret quod quis etiam explicitè cogitaret, nollem dare ſi ſcirem eſſe improbum, nihilominùs donatio eſſet valida.

Et quoad prædictam doctrinam de errore circa ſubſtantiam voti non eſt conſtituenda differentia inter votum ſimplex & ſolenne, quia ſicuti votum ſolenne non eſt irritum occaſione erroris, niſi ſit circa ſubſtantiam voti, aut redundet in ſubſtantiam voti, ita neque votum ſimplex, niſi error quoque redundet in ſubſtantiam eius.

DVBIVM V.

Vtrùm votum ſit actus latriæ ſeu religionis?

PRoponit hoc dubium Diuus Thomas, quæſt. 88. ſuprà art. 5. 20

Pro pleniori autem intellectu, obſeruandum eſt primò, ad intrinſecam rationem promiſſionis pertinere, vt quod promittitur alicui, ſit illi voluntarium ſeu gratum, tanquam quoddam eius bonum, vt docet D. Thomas, quæſt. citata, artic. 2. non enim

Digitized by Google

eſſet promiſſio, inquit, ſed comminatio, ſi quis diceret ſe facturum quidpiam alicui contra ipſius voluntatem. Similiter vana eſſet promiſſio, ſi quis promitteret quod alteri non eſt acceptum.

Obſeruandum Secundò, quod bonum hoc in ſe ſpectatum reſpectu eius cui promittitur, non poteſt eſſe niſi honoris vel alicuius commodi, ſed in ordine ad ipſum promittentem, poteſt ipſa promiſſio eſſe honeſta & rectę rationi conueniens, quando ſcil. huic ſecundum rectam rationem conuenit procurare alterius commodum vel honorē.

Obſeruandum Tertiò, quandam hic eſſe differentiam inter Deum & homines quibus fit promiſſio; quod ſcilicet homini poſſit aliquid promitti, tum quia ei honorificum eſt, tum etiam quia illi commodum aut vtile eſt: ſed quia nulla commoditas aut vtilitas Deo poteſt ex nobis vel operibus noſtris obuenire, *Quoniam bonorum noſtrorum non eget*, vt dicitur Pſalm. 15. hinc promiſſio poteſt ſolo titulo honoris & cultus Deo deſerendi fieri. His præmiſſis

21 Respondeo & Dico Primò: Votum validum & propriè dictum eſt actus elicitus virtutis Religionis ac latriæ. Ita D. Th. ſup. Suarez ſup. lib. 1. c. 15. n. 5. & dicit cōmuniter receptum eſſe à Theologis. Probari autē poteſt primò ex Scriptura; Iſaiæ c. 19. *Cognoſcent Ægyptij Dominū in die illa, & colent eum in hoſtijs & muneribus: & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Vbi vouere vota inter actus diuini cultus ponitur. Similiter Pſalm. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.*

Probatur Secundò ratione, quia votum eſt voluntas colendi Deum opere ipſi grato firmata promiſſione Deo facta: Ergò eſt actus latriæ ſeu virtutis Religionis. Antecedens, ſignificat D. Thom. quæſt. 88. citat. art. 1. ad 1. & ex dictis cap. 1. huius Tractatus De Religione, dub. 5. & 6. ex quibus etiam facilè intelligitur firmitas conſequentiæ.

Dicet aliquis: poſſumus Deo per votum promittere, amare illum, credere in illum, obedire illi, & ſimiles virtutum actus, non ex affectu honoris vel cultus Dei, ſed ex affectu amoris, fidei, obedientiæ &c. talis igitur promiſſio Deo facta non erit actus propriè dictus religionis.

Reſpondetur, cum Suarez to. 2. De Re-
22 lig. lib. 1. De eſſentiâ & honeſtate voti, c. 15. Negando antecedens, propriè ſcil. loquēdo de promiſſione præſertim quæ voti rationē habeat: quia in voto non eſt tantum conſideranda materia, ſed etiam ipſa promiſſio in ratione promiſſionis, & ideo debet, votū ſeruare communem naturam promiſſionis, quæ ex ſua ratione reſpicit aliquo modo bonum eius cui fit: amor autem, fides, obedientia vt ſic exercita, non ſunt bona Dei, niſi in quantum redundant in eius honorem; & ideo non ſunt obiectum ſeu materia promiſſionis faciendæ Deo, niſi vt ex affectu colendi Deum, poſſunt in eius honorem ordinari, & huc tendere videtur ratio Diui Thomæ, artic. citato, quod ſcilicet votum ſeu promiſſio ſit ordinatio quædam eius quod promittitur in eū cui promittitur: cum ergò ordinare actus in finem ſuum ſit virtutis imperantis, hinc neceſſum eſt, vt per votum ordinetur in Dei honorem illud quod promittitur, aut vouetur.

Quod ſi quis verò dicat nihil eſſe repugnans, quo minus Deo dicatur promitti amor aut obedientia ex affectu honeſtatis proprię iſtarum virtutum, & non ex affectu diuini cultus, reſpondebitur, ſi ſermo ille admittatur, quòd talis promiſſio non habebit propriam rationem voti, quia non Deo fiat eo ſenſu, quo votum dicitur, promiſſio Deo facta: hic enim ſenſus importat, quod Deo cenſeamur velle aliquid donare, quod promiſſionis ratio communis infert, vt diximus: nihil autem illi præbere poſſumus niſi honorem & cultum.

Quando igitur amor diceretur promitti Deo non ex affectu cultus, tum promiſſio illa, voti rationem non habebit. Vnde alio ſenſu tunc ſermo ille erit accipiendus, vt ſcilicet opus ipſum non intelligatur Deo promitti, ſed quod corā Deo promittamus, quòd eiuſmodi opus ex affectu propriæ honeſtatis exercebimus.

Dico Secundò: Promiſſum explere 23 eſt quoque actus religionis, non tamen per ſe videtur eſſe actus elicitus, ſed imperatus. Colligitur ex D. Thoma qu. citatâ, art. 3.

Et probari poteſt ex allegatis verbis Iſaiæ & Pſaltis, vbi vota ſoluere numeratur etiā inter actus diuini cultus.

Deinde probatur ratione, quia poteſt aliquo modo ad cultū ſiue honorem Dei per ſe ordinari; atqui votū promiſſa ordinat ad Dei cultū, quatenus igitur promiſſū eſt & ex vi voti exercetur, habebit rationem actus religionis. Præterea, quia per votū adiungitur tali actui quædam neceſſitas ad religionem ſpectans, quia ex fidelitate Deo debitâ neceſſum eſt vt fiat: ergò quando ex voto exercetur, ſpectabit ad virtutem religionis: quia Deo fidem ſeruare pertinet ad eius reuerentiam, & cultum.

Confirmatur, quia fidem Deo datam violare eſt peccatum irreligioſitatis, ergo ſeruare ſpectat ad virtutem religionis. Vnde & qui idolis vouent & vota implent, cenſentur exercere actus idolatriæ.

Quod autem illi actus qui ex voto fiunt, 24 non ſint per ſe actus eliciti virtutis relegionis, declaratur, quia actus promiſſi ſæpius ſunt actus aliarū virtutum, vt ſeruare caſtitatem,

Digitized by Google

tatem, præſtare obedientiã &c. qui licet ex voto fiunt, tamen non deſinunt retinere naturam & honeſtatem propriæ virtutis, & proindè nec deſinũt eſſe actus eliciti ab habitu talis virtutis, quamuis ſint actus imperati à virtute religionis, quatenus ex vi voti exercẽtur: quia votum non alienat actus promiſſos à propriâ naturâ ſecundum quam ſunt actus eliciti à tali vel tali virtute, ſed addit illis ordinem ſeu reſpectum ad diuinũ cultum: & inde habent quod ſint actus imperati à religione: imò, quia huiuſmodi ipſorum ordinatio ſupponit in eis honeſtatem ratione cuius Deo promittuntur ad cultum eius, hinc ſupponit quoque actum illum ab aliquâ virtute eliciendum, quę tamen virtus aliquando poteſt eſſe ipſa religio, dum ſcil. vouemus alium actum qui per ſe eſt religionis, vt dum vouemus nos facturos profeſſionem ſolemnem in aliquâ religione, aut vouemus legere tales aut tales preces: nõ enim repugnat eundem actum elici immediatè ab aliquâ virtute, & ab eâdem quoq; imperari medio alio actu, & ideo dixi quod actus promiſſi non ſint per ſe eliciti actus religionis, quamuis etiam eliciti eſſe poſſint.

Sed contra dicta obijcitur: Vota videntur non tantum fieri Deo, ſed etiam Sanctis, vt declarari poteſt ex diuerſis formulis profeſſionis ſolemnis in religionibus: quidam enim hanc formam ſeruant, Voueo Deo, D. Auguſtino, & tibi priori &c. vt ex Azorio refert Malderus ſup. dub. 1. alij autem hâc vtũtur, Voueo Deo, B. Mariæ, B. Dominico, & omnibus Sanctis &c. vt refert Caiet. qu. 88. art. 5. ergò votum non eſt actus religionis propriæ dictæ ſiue latriæ.

Et cõfirmatur ratione, quia non ſoli Deo poſſumus facere promiſſionem ad eum honorandum, ſed etiam Sanctis ad illorum honorem: quandoquidem enim Beati non indigeant bonis noſtris ſiue rebus, ſiue operibus ad ſuum commodum, reſtat, vt quando aliquid ipſis promittitur, promiſſio illa fiat ad ipſorum cultum, licet mediante illo cultu poſſimus intendere aliquem finem nobis commodum, vt ſanitatem corporalem, vel aſſiſtentiam contra dæmonis tentationes, aut ſimilia, ſicut & illa intendere poſſumus in votis quæ Deo facimus: ergò &c.

25 Pro faciliori intellectu difficultatis propoſitæ, obſeruandum eſt, quod inprimis non poſſit nec debeat negari, quin vſus etiam admodum antiquus fidelium habeat, quod ſe dicant vouere aliqua Sanctis, vt conſtat ex Euſebio De præparatione Euangelicâ, lib. 13, cap. 17. ex Theodoreto, lib. 8. ad Græcos circa finem; & colligi poteſt ex Auguſtino, lib. 20. contra Fauſtum.

Obſeruandum Secundò, quod ſermo ille diuerſos habere poſſit ſenſus, vnde à diuerſis diuerſimodè explicatur: & quidem D. Tho. hîc quæſt. 88. art. 5. ad 3. ſic formulas allegatas exponit, vt votum quo quis aliquid vouet Sanctis vel Prælatis ſic intelligendũ ſit, quod ipſa promiſſio facta Sanctis cadat ſub voto materialiter, in quantum ſcilicet homo vouet Deo ſe impleturum, quod Sanctis vel Prælato promittit, atque ita promiſſionem illã nomine voti exprimi, quia eſt materia quæ voto promittitur Deo.

Verùm non per hoc omninò euacuatur difficultas: nam iterùm poterit peti, quare iſta promiſſio facta Sanctis, & Verbo vouẽdi expreſſa non ſit quoque votum, quandoquidem promiſſiones quæ Sanctis fiunt, vti diximus, non fiant niſi ad ipſorum cultum, ſicuti votum Deo fit? Caiet. itaque aliter explicat, & indicat quod Sancti poſſint conſiderari quatenus in illis per gratiam & gloriam peculiari modo Deus inhabitat, & ſic dum Sanctis vouetur, intelligatur votum fieri Deo in Sanctis, ſicuti qui blaſphemat Sanctos, intelligitur blaſphemare Deum, & qui per cœlum iurat, intelligitur iurare per Deum, cuius cœlum eſt thronus: atque ita votum illud terminabitur quoque ad Deum tanquam ad illum cui fiat. 26

Alij verò dicunt in formulis illis non fieri ſpecialem promiſſionem, v.g. Beatę Virgini, aut alijs Sanctis, nec illâ intentione proferri iſta verba, vt inde oriantur plures obligationes, vna ad Deum, & altera ad Sanctos: ſed tantummodò ibi aſſumi Sanctos tanquam teſtes promiſſionis, quam Deo faciunt profitentes: nam vulgari etiam loquendi modo, quando promiſſio humana propter maiorem ſolemnitatem fit coram multis teſtibus bene etiam dicere ſolemus: Promitto, v. g. Petro, & omnibus adſtantibus, vtique tanquam teſtibus obligationis quæ vni Petro fit principaliter, non vt omnibus adſtantibus fiat obligatio; & hoc clariùs apud alios quoſdam explicatur, qui in profeſſione dicunt, coram B. Virgine, & totâ curiâ cœleſti voueo Deo omnipotenti &c. 27

Sed neque iſtis modis tollitur omnis difficultas, quia vt demus, quòd ſic vota illa profeſſionis dici poſſint fieri ſoli Deo, quãuis nominentur ſimul Sancti, tamen cum negari non poſſit aut debeat, quin etiam ſeparatim poſſint fieri aliquæ promiſſiones ipſis Sanctis, quæ ad eos terminentur tanquam quibus fiant, ſupereſt explicandum, quomodo tunc nõ fiat votum ipſis Sanctis. 28

Vt ergò pleniùs ſatisfiat obiectioni motæ, Reſponderi poterit, quod ſicuti plæriq; actus alij quibus religio Deum colit, ſolent ſecundum quandam analogiam ac ſimilitudinẽ deriuari ad creaturas, ſicut & nomina quibus ſignificantur, vt v.g. ad Sanctos, vel etiam ad homines mortales in authoritate conſtitutos, vel alios nobis maiores, tanquã actus duliæ, aut obſeruantiæ, vt patet in oratione,

oratione, in adoratione, in diuerſis oblationibus & donis quæ honorandi cauſâ fiunt, ſicuti iam antè in materia adorationis, & ſacrificij oſtendimus, Ita quoque id locum obtinuiſſe, vt apparet, in votis, latiùs ſcilicet nomen hoc extendendo, quòd etiam ſic vouere Sanctis aliqua dicamur, adeò vt vnicus fere colendi ritus externus, ſcilicet ſacrificij, videatur reſeruatus, tanquam omni ratione & modo proprius Deo.

29 Hunc enim, vt ſuprà diximus, cultũ nullus vnquã Sanctis, aut cuicumq; alteri accommodauit. Vnde dicit Aug. Quod nemo ſacrificiũ obtulerit alicui, niſi quẽ ſciuit, aut putauit, aut finxit Deũ, vt ſupra ex eo retulimus. Hinc bene dicit Suarez ſup. c. 16. n. 11. quod nullus vnquam dixerit: Sacrifico B. Mariæ, aut B. Petro, vel alicui Sanctorum, ſicuti bene dicimus, oro Beatam Mariam, oro Beatum Petrum. Exhibentur tamen actus illi cultus religioſi longè diuerſâ intentione & ſignificatione Deo, & Sanctis: nam Deo exhibentur cum intentione recognoſcendi infinitam eius excellentiam, & rationem primi principij à quo omnis creatura & omnia creaturæ bona dependent, & ita quoque cum hac intentione fiunt Deo vota, ſcilicet tanquam auctori omnis gratiæ & boni operis, aut in ſignum gratitudinis primo ac ſupremo benefactori noſtro debitæ ob beneficia ſiue naturæ, ſiue gratiæ accepta: Sic enim Geneſeos, cap. 28. de Iacob legitur, *Vouit votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, &c. & dederit mihi panem ad veſcẽdum, & veſtimentum ad induendũ, reuerſuſq; fuero proſpere, &c. cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

Promiſſiones verò, aut vota quæ Sanctis fieri dicuntur, tantummodo fiunt cum intentione eos honorandi tanquam ſupernaturalibus, & cœleſtibus donis præſtantes, æternâ gloriâ coronatos, & ſuis precibus ac interceſſione nobis opitulari & ſubuenire valentes, aut cum intentione gratias eis tanquam ſecundarijs benefactoribus agendi, quatenus ſuâ interceſſione creduntur nobis beneficium impetraſſe. Vide Bellarminum, lib. 3. De cultu Sanctorum, cap. 9.

30 Monet tamen Suarez ſuprà, num. 12. quod ad vſum vocabuli attinet, cautè loquendum eſſe & cauendum, ne quiſpiam ambiguitate verbi offendatur, eo quod iuxta communem Scripturæ loquendi modum & frequentiorẽ Eccleſiæ vſum, videatur, dum ſimpliciter pronuntiatur, ſignificare promiſſionem factam cum priori illâ intentione ac recognitione: qualiter haud dubiè abſque ſacrilegio, vota non poſſunt Sanctis fieri.

Bellarminus verò exiſtimare videtur ſatis vocabulum illud in Eccleſia obtinuiſſe extenſiorem ſignificationem, quâ etiam ad promiſſiones quæ Sanctis fiunt, poſſit ſimpliciter accommodari, & ſatis intelligi quo ſenſu illis fiant.

DVBIVM VI.

Vtrùm bonum ſit & laudabile vouere?

Respondeo & Dico Primò: Bonum & laudabile eſt, vouere etiam animo deferendi cultum Deo; ipſique placendi: & non tantum ob alios fines, v.g. ad vitandum peccatum, aut aliquam moleſtiam, vel ad alia vitæ negotia. Eſt fidei contra hæreticos noſtri temporis, qui docent eſſe impium vouere aliquid cum opinione cultus Dei, quod non ſit præceptum ita Caluinus, lib. 4. Inſtitutionum, cap. 13. art. 23. & Lutherus, De libertate Chriſtianâ. 31

Sed probatur concluſio primo ex Scripturis, Pſal. 75. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum:* vbi etiam indicatur cauſa ob quam merito vouere, & illi vota reddere conueniat; quia terribilis eſt, & vitæ ac necis ius ſummum in omnes habet, Iſaiæ cap. 19. *Et colent eum* (ſcilicet Dominum) *in hoſtijs, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent:* vbi ſatis expreſsè ſignificatur quod vota etiam cauſa religionis ac cultus diuini ſint facienda.

Probatur ſecundò ratione: quia non poteſt Deo fieri votum, niſi animo colendi illum: nulla enim poteſt fieri Deo promiſſio cauſa leuandæ eius indigentiæ vel cauſa alicuius commodi ipſi præſtandi, ſed ſolum cauſa honorandi, & gratum deferendi obſequium, vt omnium nationum ſenſus, & vſus teſtantur.

Nec refert quod poſſimus vota referre ad aliquem effectũ nobis vtilem impetrandum, vel ad malum euadendum, quia intendimus impetrare illos ipſos effectus mediante hoc cultu, quo Deum honoramus, vt per hunc, ſcilicet prouocemus eum ad præſtandos expetitos effectus. Deinde ſi ob alias cauſas poſſit fieri votum, vt hæretici admittunt, cur non etiam, vt Deus honoretur, & nos ipſi placeamus? præſertim cum & Apoſtolus moneat, vt omnia ad Dei gloriam faciamus? & ex Scripturis euidenter conſtat vota ſecundum ſe placere Deo.

Dico Secundò: Similiter quoque laudabile eſt & bonum, vota perſoluere animo ſic colendi Deum. Eſt certa doctrina, & conſtat ex Scripturis allegatis, & ex cap. 23. Deuteron. *Cum votum voueris, &c. non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus: ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatũ, ſi nolueris polliceri, abſq; peccato eris.* Vnde patet quod etiam laudabiliter voueantur opera bona, quæ non ſunt in præcepto. 32

Probatur

Probatur idem ratione, quia non tantùm vouere, ſed etiam votum ſoluere, eſt actus religionis, vt dubio præcedentī oſtendimus: vtroque enim actu Deum honoramus, & bonorum noſtrorū Auctorem profitemur.

DVBIVM VII.

Vtrùm opus ex voto factum ſit melius magiſque meritorum, quam idem aliter factum?

33 RESPONDEO & DICO Primò: Opus factum ex voto melius eſt, magiſque meritorium cæteris paribus, quàm idem factum non ex voto. Eſt D. Thomæ hîc, quæſt. 88. art. 6. ibidem Caiet. & aliorum Commentatorum, Thomæ Waldenſis, lib. 3. De doctrina fidei, cap. 21. Suarez ſuprà, dub. 17. Malder. Tract. 10. cap. 5. dubio 6. & paſſim Scholaſticorum in 4. diſt. 38.

Docet autem D. Thomas, quod triplici ratione ſit melius: Primò, quia opus quod ex voto fit, habet totam honeſtatem & bonitatem, quam habet idem opus factum abſque voto, & præterea habet honeſtatem voti, quo eſt Deo eiuſq; cultui dicatum, atque ita ſortitur rationem operis religioſi. Vnde fic inprimis, opus ex voto factum ſemper extenſiuè eſt melius, vt loquitur Suarez, loco citato, quia ſcilicet plures habet bonitates, & ſæpiùs illa quæ ex voto accedit, eſt præſtantior, quàm ſit ea quæ operi ex ratione propriæ virtutis moralis conuenit, vt in ieiunio, quod eſt actus abſtinentiæ, aut in continentia, quæ eſt actus caſtitatis; quia bonitas ex voto accedens eſt latriæ ſiue religionis, virtus autem religionis inter virtutes morales eſt prima & præſtantiſſima. Vnde D. Auguſt. lib. De virginitate, cap. 8. dicit, Quod neque ipſa virginitas, quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur; quam fouet & conſeruat continentia pietatis.

Dixi quòd ſæpiùs: quia ſub votum etiam poſſunt cadere actus charitatis, quorum bonitas ex ſuâ propriâ ratione ſuperat virtutem religionis: hoc nihilominùs verum eſt, quod etiam hi actus ex voto facti ſint meliores, quàm abſque voto: quia præter bonitatem charitatis, induunt inſuper honeſtatem religionis.

34 Secundò, melius etiam eſt opus ex voto, hac ratione, quia ille qui vouet opus, & facit illud, plus ſe Deo ſubijcit (inqui[illegible]ho.) quam iſte qui tantum facit, quia [illegible] non tantum ſe ſubijcit quo ad actum, ſed etiam quoad voluntatem, quam ſcilicet Deo dicat & obſtringit: ſicuti plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret fructus tantum: quam ſimilitudinem adducit D. Thomas, art. citato ex Anſelmo, libro De ſimilitudinibus, cap. 84. & ſic quidem ſatis declaratur inprimis, plus & melius eſſe vouere, & facere opus bonum ex voto, quàm tantùm facere opus illud.

Deinde ex eodem deduci inſuper poteſt, quòd ipſum quoq; opus inde ſit melius, quia hæc perfectio qua voluntas Deo eſt dicata, & obſtricta ad opus, redundat in ipſum actum à potentiâ vt ſic dicatâ procedentem, quia vt ſic Deo dicata eſt, habet rationem principij virtutis altioris, quod proinde etiam influit, & communicat actui maiorem præſtantiam.

Tertiò, dicit D. Thomas melius eſſe ex voto operari, quia per votum immobiliter firmatur voluntas in bonum: facere autem opus ex voluntate firmatâ in bonū ſpectat ad perfectionem virtutis, vt docet Philoſophus, lib. 2. Ethicorum, cap. 4. quemadmodum & è contra, malè agere mente obfirmatâ ad malum, aggrauat ipſum peccatum. 35

Probatur denique concluſio hâc ratione; quia omiſsio operis debiti ex voto eſt maius peccatum, quia continet ſacrilegium; quàm omiſsio operis non debiti, ergò etiam præſtatio illius operis ex voto erit melior & maioris virtutis, quàm præſtatio ſine voto, quia oppoſitorum debet eſſe proportionalis ratio. Quare ſicuti propter votum accreſcit omiſsioni malitia irreligioſitatis, ſic etiam præſtationi debet accreſcere bonitas religionis, & fidelitatis quæ Deo ſeruatur.

Ex dictis facilè intelligitur etiam opus ex voto factum eſſe magis meritorium: quia quando reliquę conditiones meriti pariter adſunt, tunc ipſum accreſcit cum quadam proportione ſecundum prę̨ſtantiam & multiplicitatem bonitatis, quæ in opere meritorio reperitur, vt in 1. 2. in Tract. De meritis latiùs ſolet doceri.

Sed contra rationes allegatas opponit Ioannes Maior in 4. diſt. 38. quæſt. 4. inprimis, quod etiam abſque voto poſsint aliarum virtutum opera referri ad diuinum cultum, & ſic participare bonitatem religionis. Deinde quod poſsit quis etiam ſine voto per firmum propoſitum offerre, ac dicare corpus & animam, ac vires omnes, Deo eiuſque ſeruitijs, & ſic ſe ſtabilire ad bona illa opera exercenda; ergò rationes allegatæ non probant, quod opera ex voto facta ſint meliora, quam ſimilia abſque voto. 36

Reſpondetur Negando Conſequentiam, intelligendo comparationem inter illa cum ſuppoſitâ paritate in cæteris omnibus, exceptâ dumtaxat diuerſitate ex voto: quia tota illa relatio quæ ſine voto poteſt fieri, v.g. in ieiunio, in caſtitate, & in ſimilibus ad Deum colendum, poteſt etiam fieri, & fit ex vi

voti,

Digitized by Google

voti, ſi cum perfectione obſeruetur, & vltra eam accedit ex voto adhuc peculiaris quædam ratio cultus, quatenus ex religioſâ obligatione ſponte ſuſceptâ procedit, & ſic ex fidelitate Deo debitâ perſoluitur.

Quod autem ad propoſitum firmum attinet, non poteſt illud habere ſpecialem hanc ſtabilitatem, quam cauſat votum: & quamuis homo ſe Deo offerret ſine voto per actualem ſui relationem ad Dei cultum, non tamen id fit per ſpecialem obligationẽ quâ ſe adſtringat ad illa facienda pro diuino cultu: qui autem ex voto operatur, hoc facit, & poteſt ſimul habere etiam propoſitum illud, & actualiter ſe & ſua Deo offerre: quibus poſitis prout ſupponi debent, procedunt argumenta, quod opus ex voto factum ſit melius quàm abſque voto.

Verùm contra concluſionem Obijcitur primò: votum adducit neceſſitatem ſic faciendi, atqui melius eſt Deo ſeruire hilari libertate, iuxta illud Apoſt. 2. ad Corint. c. 9. *Non ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus*, qui & in epiſtola ad Philemonẽ ſcribit, quod Oneſimum remittat, *Vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet*, inquit, *ſed voluntarium*, quod ſcilicet, accommodaret Oneſimum, vt ſeruiret Paulo in vinculis, ergo neceſſitas impedit aut minuit bonitatem operis: ergò &c.

Confirmatur, quia non videtur melius opus ex præcepto, quàm ſine præcepto: hinc enim conſilia dici ſolent eſſe de meliori bono, & eorum obſeruantia dicitur ſpectare ad ſtatum perfectionis: præceptorum autem obſeruatio ad communem ordinem vitæ Chriſtianæ, ergò operari ex voto non erit quoque melius, quàm ſine voto.

Reſpondetur: ad maiorem propoſitio-
37 nem: non adducit votum neceſſitatem coactionis, aut talem quæ tollat aut impediat libertatem, ſiue liberum exercitium voluntatis, ſed neceſſitatem obligationis, quam vocant aliqui neceſſitatem ex fine: ex fine, inquam, ſeruandi fidem vel obedientiam, niſi velis eſſe præuaricator: fœlix autem eſt neceſſitas, vt indicat D. Auguſtinus, epiſtola 45. quæ ad meliora ducit, ideóque commendabile id quod ſic ex adhæſione ad finem ſiue ex amore finis, fit.

Vnde ad hunc ſenſum negandum eſt ſubſumptum, melius ſcilicet eſſe illud quod fit abſque huiuſmodi neceſſitate obligationis, quàm quod fit cum tali neceſsitate, modò fiat pari animi affectu, & voluntate, cæteraque ſint paria; quinimò contrarium omnino eſt verum, vt ex dictis ſatis intelligitur.

Ad Apoſtolum reſpondetur, neceſsitatem hanc ex voto, non eſſe ſimilem illi de qua ipſe vtroque loco agit: loquitur enim ille de neceſsitate quæ alicui contra animi inclinationem & voluntatem imponitur quaſi inuito, ſic vt tantum alterius imperio, & dedecoris vel infamiæ, aut ſimilis incommodi metu ſit facturus ipſum opus, renitente affectu in contrarium, vt ex adiunctis clarè intelligitur: Neceſsitas autem coniuncta cum tali renitentiâ animi, parit triſtitiâ in operãte, & minuit operis bonitatem ac meritum. Imò poſſet etiã eſſe talis contrarius affectus coniunctus, vt planè tolleret: ſed neceſsitas obligationis præſertim voluntariè omninò ſuſceptæ, non parit ex ſe illam triſtitiam, & animi remiſsionem: neque eſt cur habeat coniunctam eiuſmodi renitentiam, quin potius per ſe loquendo nata ſit magis augere animi promptitudinem, & alacritatem, dum quis conſiderat ſe in vno opere plures explere virtutes, & duplicata ex illo reportare premia.

Sed eſto, quod aliquando etiam aliquis 38
languor & triſtitia ſubrepant circa opera præſtanda, non ideò malum aut minus bonum fuerit vouiſſe, quia & hoc ipſum eſt laudabile, quod quis tarditatis ſuæ ad bonum conſcius, liget ac firmet ſeſe voto ad ſic benè operandum, ne ex aliquâ ignauiâ prætermittat bona opera exercere.

Similiter ad confirmationem adductam, reſpondetur, negando quod non ſit melius operari ex præcepto, quàm ſine præcepto, cæteris paribus: habet enim opus ex præcepto etiam fructum obedientiæ, & ex nullo capite diſcedit aliquid à bonitate operis virtuoſi per ſe loquendo, ex hoc quod præcipiatur, vt ex dictis ſatis conſtat.

Quod igitur conſilia dicuntur eſſe de meliori bono, non eſt accipiendum, quaſi tunc fieret comparatio ad præcepta ſiue ad opera quæ ſunt in præcepto, vt ex Gerſone benè notat Suarez ſuprà, lib. 1. De eſſentia & honeſtate voti, cap. 17. num. 14. (nullus enim dubitat, quin actus virtutum Theologicarum, & præſertim charitatis qui ſunt in præcepto, ſint præſtantiores actibus voluntariæ paupertatis aut obedientiæ qui ſunt in conſilio) ſed comparantur ad alia bona quæ cum illis ſimul non conſiſtunt; de qua re latiùs tractabitur infrà Dub. 10.

Dicitur quoq; obſeruantia conſiliorum pertinere ad ſtatum perfectionis: primò, quod ſit melius & perfectius ſimul ſeruare conſilia Euangelica, & præcepta; quàm tantum obſeruare præcepta: in quem ſenſum videri poteſt D. Thom. intellexiſſe illud, quod votum ſit de meliori bono, quando quæſt. citata, art. 2. In corpore docet, illud quod [illegible] ſt de neceſsitate præcepti, propriiſsimè [illegible]dere ſub voto, & hoc dici maius bonum in comparatione ad bonum, quod communiter eſt de neceſsitate ſalutis, maius ſcilicet extenſiuè: idque non excludendo alia, ſed ea ſimul includendo, quia ſcilicet

ſcilicet aliquid ſuperaddit illis quæ communiter ſunt de neceſſitate ſalutis.

Secundò: quia obſeruantia conſiliorum ad hoc ordinatur, & hominem diſponit, vt faciliùs & pleniùs obſeruentur præcepta, vt docet D.Th.Opuſculo 10. c.6.& principaliter vt præceptum charitatis, quæ omnium mandatorum ac conſiliorum finis eſt, vt ſignificat Apoſtolus ad Rom. cap.12. vbi dicit, quod plenitudo legis ſit dilectio.

39 Obijcitur Secundò: D. Proſper libro 2. De vitâ cōtemplatiuâ cap. vltimo ita ſcribit: Si abſtinere vel ieiunare non debemus, vt nō nos vel abſtinendi vel ieiunandi neceſſitati ſubdamus, ergò bonum non eſt vouere abſtinentias vel ieiunia, & conformiter nec alia bona opera

D. Th. quæſt.88. art.6. ad Primum Reſpondet D. Proſperum loqui de neceſſitate coactionis, quia ſtatim ſubiungit, Ne iam non deuoti ſed inuiti rem voluntariam faciamus. Verùm ſatis videtur conſtare ex allegatis verbis, vt non nos ſubdamus neceſſitati, ipſum loqui de neceſſitate voluntariâ aſſumptâ, quia neceſſitati coactionis magis ſubijcimur ab alijs, quā quod nos ſubdamus.

Vnde ad mentē Proſperi melius reſponderi poterit: inprimis, quod non loquatur generaliter de neceſſitate cuiuſuis operis boni, cui quis ſe per votum ſubdit, ſed ſpecialiter de neceſſitate abſtinentiæ & ieiunij, quæ reputari poſſunt inter bona mediocria, vt eodem loco ſignificat D. Proſper: quæ ideò aliquando propter aliqua meliora, iuſtâ ratione conuenit remittere, aut relaxare: & quia tum plures videntur fuiſſe qui indiſcretè ſe ad particulares eiuſmodi abſtinentias & ieiunia obſtringebant, ita vt oblatis occaſionibus præſtātius opus ſcil. charitatis exercendi, iam ab eo impedirentur propter neceſſitatem abſtinendi, quam ſibi iniecißent; atque ita forſitan iam non deuoti, ſed quaſi inuiti rem voluntariam facerent.

40 Hinc Proſper aliquantulū vehementius contra tales agit, & indiſcretionē illam arguit, ſubindicans quod etiā aliquid ſuperbię de eiuſmodi abſtinentiâ ſoleat eſſe coniunctum: ſub finem enim adiungit, Quocirca ſi volumus abſtinentiam noſtrā, ieiuniáq; noſtra proficere, à ſuperbiâ inprimis & iactantia cūctis virtutibus inimica diſcedamus &c.

Nō itaq; mēs D. Proſperi fuit docere, quod abſtinentia ſiue ieiunium nunquam debeat conſtitui ſub neceſſitate vel obligatione ſiue per votum, ſiue per Superioris præceptum: quia hoc conſtat aliquando eſſe valdè vtile, neq; de eo propter Eccleſię pręceptū potuit ipſe dubitare, ſed hoc fortaſſis dici poſſet illum ſenſiſſe, ieiunia quæ quis priuatâ lege ſeu voto ſibi imponit eſſe aſſumenda cum hâc moderatione, vt occurrente rationabili cauſa non abſtinendi, pro tunc quaſi licentiā ſibi reſeruauerit ſumendi refectionem, vt in caſu D. Proſperi, dū quis ſuâ abſtinētia fratres ſpirituales aduentantes quos nouit ſua remiſſione aliqua delectari, contriſtaret.

Obijcitur Tertiò, Acceptum magis eſt donum quod gratis ſine obligatione præſtatur, quàm quod ex debito vel obligatione; ergo melius erit Deum colere abſque voto, quam ex voto.

Reſpondetur, quando ipſa obligatio eſt 41
orta ex liberali promiſſione, tunc illud quod ex ea datur, cenſetur quoque donum gratis oblatum, & quidem merito magis acceptū hoc titulo, quod donans tanto tēpore antè voluerit ſe ad illud præſtandum obligare, & ſic res ſe habet in eo quod ſoluitur ex voto.

Reſpondeo Secundò, tametſi apud homines dona gratuita ſoleant eſſe magis accepta, quàm quæ ex obligatione, non ita tamē eſſe apud Deum: & diuerſitatis ratio poteſt reddi, quòd homines in donis ſpectent vtilitatē quæ ipſis accedit, & quo hæc maior eſt, eo ſoleāt dona eſſe gratiora: cenſetur autem maior vtilitas accedere cęteris paribus, quādo nullum planè ius ad rem donatam habebant, quam dum aliquod ius ad eam prętendunt: ſed Deus, vti ex ante dictis ſatis intelligitur, non attendit ex noſtris operibus aut ſeruitijs aliquam ſuam vtilitatem, ſed honorem ſuum & noſtram ſubmiſſionem.

Vnde cum hæc non minuatur in opere debito, ſiue ex voto, ſiue ex præcepto, conſequenter dicendum eſt, quòd iſta obligatio non minuat bonitatem, neque faciat opus minùs gratum aut acceptum, ſed potius augeat, magiſque acceptabile reddat: quandoquidem hoc ipſo quo opus redditur ex obedientia, aut fidelitate Deo debita, plus honoris & venerationis deferatur Deo magiſq; profiteamur noſtram ſubiectionem, quàm dum idem opus fieret pro libera omninò voluntate.

Quemadmodum & inter homines poteſt accidere: nam ſi quis Regi offerat aut ſoluat modicum quid in recognitionem ſuperioritatis eius & ſuæ ſubiectionis, id longè acceptatius erit, quàm ſi donū longè maius gratuitò offerat: puta, quia Princeps eo non indiget, ſed magis gaudet recognitione præeminentiæ ſuæ & aliorum ſubiectione.

Obijcitur Quartò: Per votum fit quod 42
multi longè damnabilius peccent: ergò videtur malum eſſe, aut ſaltem non expediens vouere idque propter periculum maioris damnationis.

Reſpondetur cum D.Th. a.4. ad 2. quando periculum naſcitur ex ipſo facto, tunc factum non eſt expediens: ſed quando tantum pendet ex vitio hominis, quia deficit ab ipſo facto, nec debitè in eo progreditur, nō ideò definit factum eſſe expediens & conſultum: ſicuti, inquit, expediens eſt, vt equū conſen-

conſcendat, qui longū iter habet agendum, quamuis cadenti de equo immineat periculum læſionis: alioquin oporteret ceſſare ab omnibus bonis, contra quod dicitur Eccleſiaſtici, c. 11. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet*: periculum autē vouenti nō imminet ex ipſo voto,
43 ſed ex culpa hominis qui voluntatē mutat.

Hoc interim nihilominùs argumentum ſatis oſtendit, quòd in votis emittendis debeat quilibet eſſe diſcretus & prouidus, ac prudenter perpendere antequàm voueat, vtrùm conſideratis circumſtantijs perſonæ ſuæ, circumſtantijs materiæ in quam votum cadet, probabiliter confidere poſſit, quod cum diuinâ opitulante gratiâ, contra votū ſuū non peccabit, ſiue quod illud competenter ſeruabit: alioquin ſi res aliter ſe habeat, haud dubiè conſultius & expedientius erit à voto abſtinere, quàm temerè vouere.

Hinc monet Chriſtus Dominus, quod qui vult turrim ædificare, debeat prius ſedens ſecum cōputare ſumptus neceſſarios, ſi habeat ad perficiendū, ne poſtquam poſuerit fundamentum & non habeat ad perficiendū alij illudant dicentes, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit conſummare. Vnde & D. Tho. in ſuo ſimili prudenter dicit, nō oportere ideo omittere aſcenſionem equi ad iterandum, quia cadenti de equo imminet periculum: non autem, quia imminet periculum cadendi: nam ſi hoc præuideatur, nō erit expediens equum conſendere, ſiue illud immineat quia aſcendens non habet artem regendi equum, ſiue quia equus ferocior eſt quàm ſe regi ſinat.

DVBIVM VIII.

Vtrùm votum debeat eſſe de materia quæ ſit in poteſtate vouentis?

44 OBſeruandum hic eſt, quemadmodum in Sacramentis ita in votis duplicē poſſe diſtingui materiam, ſcilicet propinquam, & remotam: quidquid enim in Dei cultum honeſtè poſſumus promittere, poteſt dici materia voti: promittere autem poſſumus Deo & res permanentes, vt aurum vel argētum, prædia, & noſtra etiam corpora: Item poſſumus promittere res tranſeuntes, vt actiones per quas vtimur rebus ex voto oblatis & applicamus ad Dei cultū: atq; ita materia proxima rectè appellatur actio aliqua, in quā promiſſio immediatè cadit, ſicuti proxima materia baptiſmi dicitur eſſe ablutio: remota autē appellabitur omne illud, quod mediante materiâ illâ proximâ attingitur, & ordinatur ad cultū Dei, ſiue ſit obiectum, ſiue materia circa quā verſatur alia propinquior: quemadmodū aqua dicitur eſſe materia remota baptiſmi, & peccata dicuntur materia remota pœnitentiæ. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Materia proxima voti debet neceſſariò eſſe 45
actus aliquis humanus, qui ſcilicet neq; ſit impoſſibilis, neq; ex naturæ neceſſitate obueniat. Ita docet D. Th. q. cit. a. 2. & paſſim alij omnes. Et cōſtat ſatis ex ipſa ratione voti, quæ importat promiſſionem dationis vel actionis alicuius volūtariè prꝗſtādę hęc autē datio ſiue alia actio qualiſcumq; debet eſſe actus humanus, qui ſcil. in noſtra libertate ſit poſitus: ſtultum eſſet, (inquit D. Tho.) ſi quis voueret ſe volaturum: ita quoq; ſi quis voueret ſe anno integro victurum abſq; cibo & potu: quia nemo poteſt obligari ad impoſſibile, etiamſi ipſe velit vt patet ex Cap. Nemo poteſt, De Regulis Iuris in 6. & ex l. Impoſſibilium D. De Regulis Iuris, quia omnis voluntas imponens obligationem debet eſſe cōſentanea regulis prudentiæ: Velle autem obligare ad impoſſibile eſt contra omnem rationem & contra omnes regulas prudentiæ: vnde vota de actu impoſſibili ſunt inualida & nulla. Similiter dicit D. Tho. ſtultū fore ſi quis voueret ſe moriturum, aut quid ſimile: quia ſcilicet hoc non à nobis pendet, ſed ex neceſſitate naturę rerū eſt obuenturum: quia moralis obligatio nō poteſt prudenter induci aut imponi, niſi circa illud, quod poſſumus non facere ſiue licitè ſiue illicitè poſſimus nō facere: Ad hoc enim additur obligatio, vt quis ſtringatur & firmetur magis ad faciendum: Supponit itaq; poſſibilitatem nō faciendi: aliàs fruſtrà, & vt ſignificat D. Tho. ſtultè adijceretur moralis obligatio id faciendi.

Aduertendum Primò, quod hic ſub actu humano cōprehendatur etiam omiſſio voluntaria actus, prout in materia morali comprehendi ſolet: nam votum poteſt eſſe non minùs de omiſſione, ſiue de omittendo actu aliquo, quàm de aliquo actu ponendo: quando omiſſio eſt à nobis dependens, vt fieri poſſit, aut non fieri, ſicuti nunc de actu diximus.

DICO Secundò: Non tamen officit voto, quòd materia remota ſit in ſe neceſſaria 46
ſic vt à voluntate noſtra non dependeat, modo vſus eius qui vouetur, ſit nobis liber: vt ſi quis voueat patienter ferre ægritudinē, famem, aut ſitim quæ non valet euitare, aut vouet patienter ſuſtinere iniurias quæ per abſolutam vim inferuntur, nec de illis ſe vindicare: quamuis enim in eius poteſtate non ſit ſubterfugere incommoda illa, tamen in eius poteſtate eſt exercere actum patientiæ circa illa ferenda, vel non exercere.

Sed hic quæritur, Vtrùm quando vouetur materia quæ tota impoſſibilis non eſt, 47
ſed aliqua pars eius eſt poſſibilis, an votum tunc obliget pro illa parte poſſibili?

Negatiua

Negatiua pars poteſt probari, quia votũ tale videtur ſimpliciter nullũ: ergò ad nihil obligat: antecedẽs probatur, quia votũ ſimpliciter eſt de materia incapaci obligationis, quia cadit in totam materiam vt vnũ quid, atq; ita eſt impoſſibilis, ergò votũ ſimpliciter eſt nullum. Confirmatur, quia ſi quis voueret nunquam peccare, votũ illud ad nihil obligaret, vti apparet, propter impoſſibilitatẽ, adeò vt D. Soto, lib. 7. q. 1. a. 3. dicat tale votũ fore ſtultum, & ita plures alij ſentiunt.

Affirmatiua tamen pars è contra ſuaderi poteſt primò: quia qui promittit, quantum in ſe eſt, intendit ſe obligare ad id quod promittit, ergò dũ quis promittit totum, quod non poteſt præſtare, tenetur tamen ad partem præſtandam quam poteſt. Confirmatur ex Canonibus, qui volunt mulierem quæ viuente viro religionem eſt profeſſa, licet religioſa fieri non potuerit, voto tamen obligari in eo quod potuit, ſcil. in non petendo debito, quamuis nõ obligetur in eo, quod non potuit, ſcilicet in non reddendo debitũ. Vide Sylueſt. V. Votum 4. q. 2. & Panorm. in Cap. Quidam: & in Cap. Placet, De conuerſione coniugatorum; ergò &c.

48 Reſpondetur, vtendũ eſſe hic diſtinctione quãdo itaq; materia totalis voti non eſt totũ aliquod moraliter vnũ & iuxta ordinarium vſum quaſi indiuiſibile, ſed tantum ſunt quædam ſpecies actuum, vel multitudo, aut collectio eorum, tunc licet poſſibile non ſit totam materiam & omnes partes explere, nihilominùs votum obligabit ad partes illas ſiue ad illam collectionẽ partium, quæ poſſibilis eſt, vbi de contraria vouentis intentione non conſtiterit. Ita DD. communiter, vt refert Suarez, tom. 2. lib. 2. De materia voti, cap. 3. & citat Nauarrum, c. 12. n. 38. Antoninum, 2. p. tit. 11. n. 2. & in communi Summiſtas V. Votum, & Scholaſticos in 4. diſt. 38. & colligitur ex D. Tho. hic qu. 88. art. 3. ad 2. vbi id docet de impoſſibilitate ſuperueniente poſt votum: eadem autẽ eſt ratio de iſtâ quantum ad præſens inſtitutum & de hac quæ taliter exiſtit dum votum fit.

Et probari ſatis poteſt argumentis pro affirmatiua parte adductis.

Neque huic obſtat ratio allegata pro parte negatiuâ, quia illa tantum procedit quãdo materia voti eſt vnum totum ſuo modo indiuiſibile in ſua ratione: quia ſcilicet tunc vel nullæ ſunt partes, aut ſi quæ ſint, non cenſentur voueri ſecundum ſe, ſed tantum vt componunt ſic vnum totum: vt ſi quis vouiſſet ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ & non poſſet habere Sacerdotem, non obligabitur ex voto elicere tunc dolorem de peccatis, quamuis dolor ille vt pars Sacramenti, in voto ſit incluſus: idque quia votum tantum cecidit in Sacramentum vt eſt vnum quoddam ens morale, non autem in partes ſeorſim acceptas. Aliud quoque ponunt exemplum Doctores, ſi quis vouiſſet ædificare Eccleſiam & poſtea conſideratis ſuis medijs deprehẽdat ſibi impoſſibile, non tenebitur talis ædificare capellam, vel altare in alia Eccleſia, vt quaſi partẽ voti expleat: vt benè tradit Suarez, lib. 2. De voto, c. 2. n. 4. Vide Sanchez, lib. 9. De matrimon. diſ. 25. licet Bonac. aliter de hoc caſu ſentiat.

Non procedit autem ratio, quando materia dicitur vna tantummodo per modum 49 collectionis partium, vbi vna pars nõ habet particularem ordinem, aut connexionem cum altera, atq; ita ſingulæ partes promitti cenſentur, quando materia totalis vouetur, atque adeò partes omnes quaſi diſtributiuè, vt loquerentur Dialectici: tunc igitur, vt diximus, votum non eſt omninò nullum, ſed ex parte validum: habet enim materiam multiplicem; & partes eius non ſunt inter ſe connexæ in aliquo toto, quod ex illis componatur & conſtituatur in aliquo peculiari eſſe ſpecifico, ſiue phyſico, ſiue morali; quare ſi quis voueat ieiunare omnibus diebus vnius anni, & hoc ei ſit impoſſibile, tenebitur ieiunare tot diebus, quot poterit iuxta prudens iudicium, vt docent Soto ſuprà: à Valentia, diſp. 6. q. 6. puncto 2. Arrag. q. 88. art. 2. Sanchez ſuprà n. 5.

Quod autem attinet ad confirmationem negatiuæ partis ſumptam ex voto de nunquam peccãdo, ſanè diſputatur multùm, an eiuſmodi votum nõ inducat obligationem: ſunt quidem plures ita ſentientes, quòd nullam pariat obligationem, vt Auctores mox citati, & cũ illius Azor. 1. p. lib. 11. c. 14. q. 4.

Sed nõ minus probabiliter inclinat Suarez ſuprà cap. 3. n. 16. in oppoſitam partem, quam tenet Bonac. ſup. §. 3. n. 4. & pro eadem citat Fillucium: & § 4. n. 2. contra Sanchez, c. 5. n. 15. quod ſcilicet votum illud, niſi fuerit commutatum, vel in eo diſpenſatum, obliget inprimis ad vitanda omnia peccata mortalia, quia hæc pars materiæ eſt poſſibilis: neque eſt connexa cum parte impoſſibili, nec aliquod totũ in aliqua ſpeciali ratione entis ex vtroque conſurgit. Quare neque videtur ratio dicendi, quod intentio vouentis non cadat in partes illius aggreati tam diuiſim, quàm coniunctim: quin potius è contra ſecundum intellectum ſuper caſu ſatis ſimili approbatum Capitulo Ad noſtrã, De iure iurando debeat intelligi, ſic in partes illas cadere: imò & extendi poſſet ad venialia omnia quæ cum perfecta deliberatione & plena aduertentia cõmittuntur: quam ſententiam etiam videtur ſequi Nauar. cap. 12. n. 34. vbi docet eum qui in genere voueat ſe non amplius peccaturum, teneri in confeſſione exprimere circumſtantiam voti: nam cum diuina gratia etiam citra extraordinarium omninò priuilegium, poteſt quis

Digitized by Google

iſta omnia vitare: & exiſtimat Suarez ſuprà n.4. illud donum non eſſe adeò rarum, quin multis viris perfectis vel ad perfectionẽ ſtudioſè contendentibus, pro aliquo ſaltem vitæ tempore concedatur.

50 Regulariter tamen & ordinariè, neque conſulendum eſt, neque etiam expedit facere votum de vitandis omnibus peccatis venialibus plenè deliberatis, quia (inquit Suarez) eſt parum vtile, & propter humanam fragilitatem poteſt eſſe occaſio grauius peccandi: rari enim ſunt homines (inquit n.3.) qui diuinæ gratiæ ita cooperantur, vt nunquam peccent mortaliter, & multo rariores qui ſic cooperantur, vt nunquam deliberatè, & cum plena aduertentia committant aliquod peccatum veniale.

Dicimus tamen, quod ordinariè & regulariter non expediat, quia in hominibus magis probatis & conſtitutis in bono religioſo ordine, aut qui aliter multum in mortificatione profecerunt, poſſet eiuſmodi votum eſſe vtile, & ſine temeritate aut imprudentiâ emitti.

51 Ex dictis facilè poterit intelligi quid dicendum ſit, de voto cuius materia redditur impoſſibilis occaſione alicuius modi operi adiecti: quando enim impoſſibilitas voti prouenit ex modo acceſſorio actui principaliter promiſſo, obligat votum ad actum ipſum ſecluſo modo, niſi tamen modus ille eſſet appoſitus ad facilitandũ ipſum actum, vel niſi aliàs conſtet intentionem vouentis fuiſſe, non obligare ſe ad factum abſque tali modo. Ita Suarez ſup.c.2.n.10. iuxta regulā iuris: Vtile per inutile non vitiatur, quando ſcilicet vtile ſine inutili poteſt cõſiſtere, vt tradit Nauarrus, cap. 12. n.4.

52 Si quis igitur vouiſſet peregrinationem Hieroſolimitanam genibus flexis conficiendam, tenebatur eam facere modo poſſibili, ſi genibus flexis non poſſit. Suarez ſup.c.2. Bonac.ſup. p.4.§.4.nu.4. à Valent. tom.3. diſp.6. q.6. puncto 4 Syl. V.Votum 2.q.1. Addidi, niſi modus eſſet appoſitus ad facilitandum opus, quia ſi redderetur notabiliter difficilius, aut moleſtius ob defectum modi qui putabatur poſſibilis, tunc votum poterit non obligare ne quidem ad opus: non quia ſit de re impoſſibili, ſed ob defectum intentionis ſe obligandi, ſeu vouendi opus abſque illo modo: vt, v. g. Vouit quis viſitare limina Apoſtolorum equitando, vel nauigando: quia exiſtimauit nec facultatem nec poſſibilitatem defuturam, ad eundum tali modo: poſtea verò reperire non poteſt facultatem ſic eundi, non tenebitur pedibus iter conficere: Sanchez, lib.4. c.10.n.7. Suarez ſup.lib.2.cap.2. & Bonac. ſup. nu. 3. qui tamen addit quod exiſtimet ſtandum intentioni vouentis, quod verum eſt, quando poteſt de intentione vouentis conſtare: & propterea additur quoq; generalis clauſula, vel niſi aliàs conſtet intentionẽ vouentis fuiſſe non ſe obligare ad actum ſine tali modo, quia vis voti non ſe extendit vltra intentionẽ vouentis, qui pro ſua libertate poteſt connectere quo ad obligationem ea quę ſecundum ſe connexa nõ ſunt, & poteſt nolle principale, niſi dependenter ab acceſſorio, & quaſi ſub cõditione illius, quia hoc totum eſt vouenti liberum.

Vnde D. Tho. art.3. ad 2. docet, ſi quis vouit monaſterium aliquod intrare, & non detur facultas intrandi, ſi principaliter intenderit vouere ingreſſum religionis, tenebitur aliud intrare: ſin autem propter particularẽ complacentiam loci, vel alterius circumſtantiæ intenderit tantum vouere ingreſſum ad hoc monaſterium, non tenebitur aliud ingredi, ſi in hoc non poſſit habere locum quantumcumque dederit operam, vt poſſet locum obtinere.

DVBIVM IX.

Vtrùm votum debeat eſſe de materia honeſta?

Respondeo & Dico Primò: Materia proxima voti non poteſt eſſe actus peccaminoſus. Ita D. Thomas, quæſt. citatâ, artic. 2. & cum eo Doctores: eſtque per ſe euidens: 53

Primò, quia nullus poteſt obligari ad actum malum ſiue ad peccandum; hoc enim implicat: quia eſſet obligatus ad idem faciendum, & ad non faciendum: ad non faciendum ex lege Superioris, ſi autem eſſet materia voti, iam ex voto teneretur ad faciendum.

Deinde, quia promiſſio debet eſſe de materia conuenienti, & accepta illi cui fit promiſſio, vt antè diximus, aliàs eſſet magis comminatio: quandoquidem ergò votum fiat Deo cui actus peccaminoſi inuiſi ſunt & abominabiles, manifeſtum euadit, quòd tales actus non poſſint eſſe voti materia. Hinc Iſodorus, lib. 22. quæſt. 4. In turpi voto, inquit, muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias: impia enim eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur: eſtque concluſio noſtra vera, tam in venialibus, quàm in mortalibus peccatis: & tam in actibus malis, quia prohibiti ſunt, ſiue diuina, ſiue humana lege, quàm in actibus intrinſecè malis. Ita Suarez, lib.2. cap.4. n.2. Rationes enim in omnibus illis procedunt, & obligationes contrarię qualeſcumque ſint, non poſſunt cadere ſimul ſiue pro eodem tempore in eundem actum.

Dicet aliquis: Obligatio voti, quia eſt diuini & naturalis iuris, poterit eſſe maioris 54

efficaciæ

Digitized by Google

efficaciæ quã poſitiua prohibitio talis actus per legem humanam; ergò videtur quod actus ſic tantùm prohibitus, poſſit eſſe materia voti.

Reſpondetur: vel obiectio ſupponit, poſito voto ceſſare obligationẽ præcepti prohibentis, aut non ceſſare; ſi poſterius dicatur, quòd non ceſſet obligatio prohibentis, iam vouens obligaretur ad facienda contraria: quod diximus fieri non poſſe: prius autem ſupponi aut dici non debet, quia abſq; fundamento aſſeret quis votum quod propriâ & priuatâ voluntate fit, tollere obligationẽ legis poſitiuæ à ſuperiori Magiſtratu, legitimo modo latæ: & quidem contra hoc appoſitè poteſt applicari illud 1. Regum c. 15. *Melior eſt obedientia, quam victima*: quia ſacrificium ſeu quicumque cultus de re prohibita Deo non placet. Hinc, qui facit eleemoſinam de ſubſtantiâ pauperis cõparatur à Scriptura ſancta, illi qui filium victimat in conſpectu patris, quod etiam docet D. Th. infrà quæſt. 104. art. 3 ad 1.

Et ratio reddi poteſt, quia licet lex de voto adimplendo ſit naturalis & diuina, ſupponit tamen votum efficax, ſiue voluntatem propriam ſufficientem & efficacem ad inducendam obligationem eius præſtandi quod promittitur: non poteſt autem voluntas priuata habere efficaciam contra legitimam voluntatẽ ſuperioris.

55 Similiter locũ concluſio habet in materiâ illicitâ ex fine vel alijs circumſtantijs, quando hæ ſeu habitudo materiæ ad illas ſimul ſub votum cadunt: quia opus ex circumſtãtia peccaminoſum, eſt ſimpliciter malum & vitandum, ſic vt ad illud cum tali circumſtantia non poſſit quis obligari: malum enim ex quocumque defectu naſcitur.

Hinc igitur ſi quis voueat dare eleemoſinam ad obtinendam priuatam vindictã de inimico, vel ad fruendum illicitis amoribus, votum erit nullum, quando intentio fertur in opus, vt tali circumſtantiâ veſtitum, Bonacina ſuprà, puncto 4. §. 1. n. 8. Azor. tom. 1. lib. 11. c. 15. q. 3. Suarez ſup. & alij.

Vbi tamen obſeruandum erit, poſſe fieri duobus modis, quòd vouendo quis peccet ex reſpectu ad malum finem.

Vno modo, ſic vt prauus finis non ſit tantùm motiuum emittendi votum, ſed etiam intendatur tanquam finis operis quod vouetur, ſiue ita, vt opus eligatur tanquam medium ad illum finem, vt ſi per dationem eleemoſinæ quam vouet, intendat quis aſſequi à Deo fines illicitos, & in hoc caſu habet locum quod diximus.

Alio modo, vt malus finis ſit tantum finis vouentis ſeu applicationis ſuę voluntatis ad vouendum, ſic tamen, vt eum non intendat per opus quod vouet aſſequi, & tunc non inficit opus quod vouetur, & ſic non fit materia voti, ſed tantum inficit voluntatẽ promittentis, vt contingit, quando aliqui ingrediuntur religionem, ibiq; profitentur, vt commodè & lautè viuant, vel vt honore Prælaturæ gaudeant: & in hoc caſu quamuis ſic vouendo peccent, tamen votum eſt validum, quia executio promiſſionis bona eſt & abſque vitio: & licet promiſſio non rectè fiat, tamen, quia fit de opere bono & Deo accepto, hinc tenet & obligat.

Petet aliquis: quomodo peccent qui vouent opus malum? 56

Reſpondetur: inprimis ex communi & certâ ſententiâ peccare eum mortaliter, qui vouet opus quod eſt peccatum mortale: idque tum propter affectum ad illud peccatũ, tum etiam propter grauem irreuerentiam quæ Deo irrogatur per tale votum, Bonac. ſup. puncto 4. §. 1. & alij communiter.

Sed de illo qui vouet peccatum veniale, variant Doctores.

Quidam enim exiſtimant eum peccare tantum venialiter. Ita Syluester V. Iuramentum, & V. Votum 1. quæſt. 4. Soto, lib. 7. De iuſtitia & iure, quæſt. 1. art. 3. Nauarrus, cap. 12. n. 33. & cum illis Bonac. ſuprà, Mald. tract. 10. cap. 5. dub. 2. §. Quæritur ſexto. Idque tum propter materiæ paruitatem, tum quia impleto illius voti videtur tantum venialis.

Alij tamen docent eum peccare quoque mortaliter: quod apparet verius, ita Caiet. V. Voti materia, quem ſequitur Suarez, Leſſius, lib. 2. cap. 40. dub. 7. n. 39. eſt enim grauis irreuerentia in Deum per modum cultus, illi promittere, quod noſti eum auerſari, atque adeò vt ſic dicam, quod noſti illi eſſe graue & moleſtum: videtur namque eſſe quaſi irriſio quædam, ſicut dum quis alteri promittit quod nouit ei ingratum eſſe & diſplicere: aut etiã quædã blaſphemia, dum tali actu videtur conteſtari peccatum Deo placere, & ipſum eo honorari: vnde materia nõ debet hic cẽſeri parua, & ſimiliter impletio voti, ſi quis tali animo quaſi ex voto impleat, ob eaſdẽ cauſas erit peccatũ mortale.

Dico Secundò: Opus indifferens quod neque malum eſt moraliter, neque moraliter bonum, non poteſt quoque eſſe materia proxima voti quatenus tale: quatenus tamẽ eligitur tãquam medium ad finem bonum, ſic poteſt eſſe voti materia. Eſt communis doctrina, ratio prioris partis eſt, quia actus indifferens vt ſic, eſt inutilis ad Dei cultum: quia non eſt opus Deo acceptum, vt docet D. Tho. qu. cit. art. 2. Arrag. ibidem dub. 1. Soto, lib. 7. q. 1. a. 3. Nauar. c. 12. n. 37. Bonac. ſup. diſp. 4. qu. 2. parte 4. §. 2. Sanchez in opere morali lib. 4. cap. 7. Ratio autem poſterioris eſt, quia actus indifferens, vt ordinatus ad bonum finem, eſt bonus, & ſic apta materia quæ ad Dei cultũ exhibeatur. 57

Vbi tamen hoc obſeruandum, quod vt actus indifferens fiat bonus ex honeſto fine, non ſatis eſſe quod ex voluntate qualicumque operantis in eum finem referatur, ſed oportere, vt talis relatio fiat prudenter, & proinde cum proportione, ac fundamento alicuius conuenientiæ inter tale medium & talem finem, vel proximè, vel interuentione aliorum mediorũ, quibus hoc ſubſeruit, Bonac. ſup. n. 4. & alij: alioquin enim erit quaſi ſtulta relatio, & potius videbitur in verbis & apprehenſione falsâ exiſtere, quam in reipsâ, dum non eſt fundamentum: ſi quis enim dicat ſe ire ad agros, ad Dei gloriam, vel pro Dei amore, & nihil aliud adiungatur aut conſideretur, & ita immediatè fiat illa relatio, erit ipſa vana & nullius momenti, vt habet Suarez, lib. 2. citato, cap. 4. nu. 7. quia ire ad agros per ſe nihil confert ad honorem, vel amorem Dei: ſed ſi ordinetur ad alios fines intermedios, quibus intercedentibus poſſit conferre ad honorem Dei, vt, v. g. ſi velit ire ad agros cauſè ſanitatis, & ſanitatem deſiderat, vt actibus charitatis & pietatis præſtandis reddatur idoneus, tunc actus ille optime refertur ad finem honeſtum, & eius participat bonitatem: quare ſi quis voueret ire ad ſpectacula videnda ad maiorem Dei gloriam, vel vt habet Bonac. ſi quæ voueat non nere in die ſabbathi ad honorem B. Virginis, & non attendat ad aliud, quo modiante talis actus ſeruire poſſit ad Dei gloriam, votum erit vanum & nullum. Secus ſi id voueat, vt liberiùs poſſit vacare orationi iſto die.

58 Dico Tertiò: Proxima igitur materia voti eſt actus virtuoſus ſeu honeſtus, non ille ſolus qui tantum eſt conſilij, ſed etiam qui eſt præcepti. Ita ſatis clarè ſentit D. Thomas, quæſt. citatâ, artic. 2. licet addat actum illum qui non eſt præcepti, proprijſſimè cadere ſub voto, quia ſcilicet votum importat cultum voluntarium, qualis perfectiſſimè cenſeri poteſt ille, vbi non tantum ipſa promiſſio eſt omnimodè libera, ſed etiam ipſum opus promiſſum.

Prior itaque pars apud Catholicos eſt extra controuerſiam: qui concorditer docent opus malum non cadere ſub votum, neque opus indifferens: & conſtat ex dictis ſuprà de vtilitate voti, & ex dictis iam hoc Dub.

Circa poſteriorem autem eſt diſputatio quædam; non defuerunt enim qui exiſtimarunt opus præceptum non eſſe materiam voti, & proinde votum de opere præcepto non inducere nouam aliquam obligationem. Ita tenet Gerſon, 3. parte alphabeto 67. littera S. & latiùs 2. parte alphabeto 25. littera T. Gabriel in 4. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. Tabienna, V. Votum 1. nu. 2. huc referuntur ab aliquibus etiam alij Scholaſtici qui aliquando dicunt de rebus neceſſarijs ex præcepto non fieri votum propriè: ſed communiter vel largè acceptum, vt Bonauentura in 4. diſt. 38. art. 1. quæſt. 2. Richardus ibidem art. 3. quæſt. 2. & ad eum ferè modum loquitur ibidem D. Thomas, quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 1.

Vera tamen & indubitata ſententia eſt, actus præceptos ſimpliciter poſſe voti eſſe 59
materiam propriè quidem dicti. Ita vt diximus, ſentit D. Thom. hîc quæſt. 88. art. 2. Caiet. ibidem, & alij ſectatores D. Thomæ: Durandus in 4. diſt. 38. quæſt. 1. nu. 6. Paludanus ibidem, quæſt. 2. n 8. Maior, qu. 1. Antoninus, 2. parte, titulo 11. cap. 2. n. 1. Sylueſter V. Votum 1. quæſt. 5. Nauarrus, cap. 12. nu. 25. & Summiſtæ communiter, Suarez, lib. 2. De voti materia, cap. 6. n. 4.

Probari autem poteſt primò ex vſu & communi ſenſu Eccleſiæ: vouent enim fideles caſtitatem, quo voto ex communi apprehenſione intelliguntur obligari etiam ad ea quæ de neceſſitate præcepti ſunt: neque enim tantum peccare cenſentur contra tale votum, qui contrahunt matrimonium quod aliàs eſt liberum, ſed etiam qui fornicatur extra matrimonium, quamuis Gerſon ſuprà id neget: qui putat eos peccare tantum contra præceptum continentiæ.

Probatur Secundò ratione D. Thomæ, quia licet actus præceptus ſit aliquomodo neceſſarius, eò quod obligemur ad illum, tamen ſimpliciter loquendo, eſt liber ac in noſtra eſt poteſtate, vt non fiat: ergò ſecundum hanc rationem poteſt eſſe materia voti. Confirmatur, quia non repugnat, obligationem ſuperaddi obligationi, & rem vno titulo debitam deberi ſimul ex alio ſuperuenienti, vt & de iure ciuili conſtat l. ſcire, §. ſi à fure D. De verborum obligationibus: quandoquidem enim per primam obligationem non ſic arctetur voluntas, vt reddatur immobiliter determinata ad faciendum quod ex præcepto debet. hinc facilè intelligitur adhuc remanere capax alterius obligationis ex voto, qua amplius firmetur ac immobilior reddatur in propoſito faciendi quod debet: vnde abſque iniuria legis aut præcepti poteſt fieri votum de re præceptâ, ſicuti & iuramento poſſumus nos aſtringere ad facienda quæ aliàs quoque ſumus obligati præſtare, vt patet ex Capitulo Ego N. De iureiurando, & Capitulo Cum in Eccleſijs, De maioritate & obedientiâ, & ex pluribus alijs: non enim additur votum quaſi lex non eſſet ſufficiens ad obligandum etiam ſub mortali: ſed vt quis magis exſtimuletur ad præcepti obſeruationem: magis enim veretur homo violare duplicem obligationem quàm ſimplicem.

Accedit quod & alio intuitu voueri poſſit 60
opus præceptum, vt ſcilicet eius exercitium

plures

Digitized by Google

plures habeat honeſtates & ampliora merita: quare non ſine fundamento dicunt aliqui ſententiam Gerſonis, aut temerariam aut non ſatis tutam. Inferet aliquis, igitur fideles omnes dum mortaliter peccant contra præceptum, peccant dupliciter, ſcilicet præuaricando præceptum, & præuaricando votum quod emiſerunt in baptiſmo.

Reſpondetur, haud dubiè fideles peccare grauiùs, quàm infideles qui fidem non audierunt: ſed tamen non ideò peccare dupliciter, neque incurrere malitiam violationis voti: quia licet aliqui Scholaſtici antiqui de abrenuntiatione illâ ſathanæ & pomparum eius, & alijs quæ in baptiſmo fiunt, ſic loquantur, vt vocent votum, ex communi tamen ſententia reuera nullum ibi fit votum propriè dictum, neque explicitè, neque implicitè: non explicitè, quia nulla promiſſionis forma eſt in verbis quæ baptiſandus, aut alius eius nomine profert: ſunt enim hæc aut ſimilia, credo, abrenuntio, volo: non etiam implicitè, quia hoc fundari deberet in aliqua lege Eccleſiaſticâ, ſicuti votum caſtitatis implicitè dicitur fieri per ſuſceptionem ordinis ſacri, de tali autem lege nuſquam conſtat: vocatur igitur aliquando votum, quia eiuſmodi reſponſiones à baptiſando prolatæ videntur habere, aut præſeferunt aliquam ſpeciem promiſſionis, quâ tamen non intendit imponere nouum vinculum, ſed ſolum explicare voluntatem, quam habet ſuſcipiendi legem Chriſtianam, & eam ſeruandi.

Quod autem attinet ad Scholaſticos illos ſuprà allegatos, qui dicunt de rebus neceſſarijs ex præcepto, non fieri votum propriè, ſed communiter vel largè acceptum, non dicunt illi hoc eo ſenſu, quaſi de illis nunquam fiat votum inducens nouam obligationem, vt Gerſon cum aliquibus id intellexit: ſed volunt eſſe votum communiter dictum, quia obligatio ad eiuſmodi opera facienda non tantum ſpecialiter naſcitur ex voto, ſed communiter etiam ex præcepto.

DVBIVM X.

Vtrùm votum debeat eſſe de bono meliori?

61 Reſpondeo: Votum non tantum debet eſſe de aliquo opere bono: ſed etiam de meliori; idque non tantum vt bene, ſed etiam vt validè fiat. Ita docent D. Thomas, art. 2. citato, & in 4. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 2. Bonauentura ibidem, art. 1. quæſt. 2. Albertus, art. 7. Paludanus, quæſt. 5. num. 25. & ſequentibus: Durandus, quæſt. 1. num. 6. Caiet. hîc, quæſt. 88. art. 2. Nauarr. cap. 12. n. 25. & alij communiter. Vnde multi ſolent ſic votum definire, quod ſit propoſitum melioris boni promiſſione firmatum.

Et probatur ratione, quia votum inducit obligationem, atqui non poteſt obligare ad non faciendum id quod melius eſt: ergò non poteſt obligare cum detrimento melioris boni, obligaret enim ad omittendum melius. Minor probatur: quia materia voti debet eſſe conformis voluntati diuinæ, aliàs Deus non acceptat illam, atqui obligari ad omittendum melius propter minus bonum non eſt conſonum diuinæ voluntati: cupit enim Deus quantum ex ſe eſt, vt homo ſemper faciat quod eſt melius: ergò non placet ei quod homo obligetur ad faciendum id quod minus eſt, quando per hoc priuatur poteſtate faciendi quod melius eſt, & per conſequens ſemper debet eſſe votum de bono meliori.

Porrò per bonum melius non tantum intelligenda ſunt ea quæ ſunt in conſilio, vt quoſdam diximus ſentire: nam & facere quod eſt in præcepto, poteſt numerari inter bona meliora: quia per bonum melius hic intelligitur quodcumque opus bonum quod fieri poteſt abſque impedimento boni maioris, ita vt comparatio non fiat ad ea quæ ſunt in præcepto, vel ad quoduis aliud bonum, ſed ad oppoſitum ſeu repugnans iſti bono. Ita exponunt Toletus, libro 4. cap. 17. n. 6. Suarez ſuprà, lib. 2. cap. 7. n. 3. & alij plures recentiores: quod & ſignificat Bonauentura loco antè citato. 62

Sed contra dicta objicitur: nullus penè eſt actus bonus qui non excludat aut impediat alium meliorem, ergò nullum penè votum erit validum. Antecedens declaratur, vt, v. g. actio bona externa, ſicuti viſitare infirmos, ſepelire mortuos, impedit actionem meliorem internam, ſicut etiam oratio vocalis impedit, quam vocant mentalem, dare eleemoſinam his pauperibus, aut huic pio loco poteſt impedire dationem eleemoſinæ faciendam alijs magis indigentibus, quæ proinde melior foret. Probatur conſequentia: quia ſic nullum penè votum poterit dici eſſe de bono meliori.

Pro reſolutione & explicatione huius difficultatis, Obſeruandum eſt, duobus modis poſſe intelligi opus bonum repugnare, aut impedire aliud melius. 63

Vno modo hactenus tãtùm, quòd actualiter non poſſint ſimul ab eodem exerceri, ita ſcilicet, vt dum actus inferioris bonitatis exercetur, non poſſit eodem tempore fieri alter melior: ſicuti, v. g. ſtudium impedit orationem: Alio modo autem, ſic vt actus minus bonus ſemel factus relinquat hominẽ impeditũ, ne poſſit perfectioribus incũbere: ſicuti, v. g. matrimonium contractũ impedit perfectionem ſtatus religioſi, & magis etiam voluntariam obſeruantiam caſtitatis.

Regula igitur ſeu ratio aſſertionis poſitæ datur potiſſimum de actibus bonis qui poſteriori modo repugnant melioribus, eoſq; impediunt: & contra eam ſic intellectam, parum vrget obiectio, quia ſic non ſequitur omnia penè vota fore inualida, quia non penè omnia ſunt de bonis quæ reddant hominem inhabilem & relinquant hominem impeditum à melioribus. Addit autem Suarez loco citato nu. 6. etiam regulam extendi poſſe ad omnes actus minus bonos comparatos ad meliores ſimul incompoſſibiles, ſi conuenienter intelligatur: Itaque hoc, quomodo ſcilicet nullus voto poſſit obligari ad faciendum aliquod bonum cum neceſſitate ſeu obligatione omittendi melius, ſic expliceat: quia licet votum de actu bono inferioris ordinis qui non excludit quaſi in habitu facultatem melioris operis, ſed tantum impedit quominus eodem tempore poſſit ſimul exerceri actus melior, ſit dicendum ſimpliciter eſſe validum & obligare, non tamen, inquit, comparatione factâ ad actum meliorem (id eſt) quamuis obliget hominẽ ſimpliciter ad faciendum talem actum, non tamen obligat ad omittendum meliorẽ ait.

64 Declaratur vtrumque: & quidem quod votum de eiuſmodi actu ſit dicendum obligare ſimpliciter, declaratur, quia votum tale eſt de quodam bono quod per ſe non excludit melius: quod enim ex parte operantis vel ſubiecti non poſſit vtrumque ſimul fieri, quaſi accidentarium eſt.

Deinde, quia licet alterum opus ſit melius, poteſt tamen nolle iſtud facere: ergò votum dicendum eſt tunc obligare ad actũ qui eſt ſub voto, quia nulla eſt ratio, cur dicatur non teneri, ergò abſolutè loquendo obligat; quia melius eſt hoc agere quam ceſſare ab vtroque.

Quod tamen non obliget ad omittendum opus melius, ſic declaratur, quia quando tale votum fit, neque voluntas Dei, neque intentio rectè vouentis eſt (inquit Suarez) obligari ad omittendum melius propter minus bonum, atque ita eo ſenſu ſemper eſt, verum votum eſſe de bono ſub ratione melioris.

65 Pro cuius doctrinæ vlteriori explicatione obſeruandum eſt, dupliciter poſſe contingere, quod actus inferioris bonitatis, qui eſt ſub voto, & actus melior concurrens ſeſe impediant: vno modo ſic vt præſtatio melioris tantum requirat dilationem actus eius qui eſt ſub voto, vt quando votum eſt de aliquo opere faciendo abſque præfixo determinato tempore illud faciendi, & tum facilè intelligitur, quo modo votum ſimpliciter poſſit obligare ad faciendum actum bonum qui eſt ſub voto, & non ad omittendum meliorem, quia poteſt melior hoc tempore exerceri, & poſtmodum alter qui ſub voto eſt, fieri: alio autem modo, ſic vt ſequatur abſoluta omiſſio ſeu ceſſatio ab vno opere, ratione alterius: & tunc quoque non obligabitur ſimpliciter ad omittendum melius, quia poteſt fieri commutatio voti in melius, quã credimus (inquit Suarez) fieri poſſe propriâ voluntate vouẽtis, quando de exceſſu conſtat: quia illa conditio vel diſtinctio eſt intrinſecè incluſa in omni voto ait, faciam hoc, niſi aliud melius occurrerit faciendum, ſiue faciam hoc vel aliquid melius; nam hoc intelligitur magis conſentaneum diuino beneplacito & acceptationi, quando vtrumque facere non poteſt: ſed de hâc voti commutatione infra agemus.

Ad obiectionem itaque moram Reſponderi poteſt in forma, diſtinguendo antecedens: ſi enim intelligatur quod nullus ſit penè actus bonus qui non impediat meliorem ſic vt ſuo exercitio reddat hominem quaſi habitualiter impeditum ad meliores exercendos poſtmodum, ſic negandum eſt: quia tales pauciores ſunt vt iam indicauimus, & de talibus dicimus votum non eſſe validum: ſi verò intelligatur, quod nullus penè ſit actus bonus qui non impediat meliorẽ aliquem hactenùs tantum, quia eodem tempore melior aliquis exerceri nequit, ſic admitti poteſt. Sed neganda erit conſequentia, quia nunc declarauimus, quomodo votum de actu bono qui non aliter impedit meliorem, quàm iſta ratione ſit ſimpliciter validum. 66

Hoc tamen quoque notandum eſt, quod quidam ſint actus tam tenuiter, vt ſic dicam, boni & qui ſimul adducere ſolent impedimentum ſpiritus perfectioris, vt de illis nõ videatur validum votum fieri, non tantum quia aliquis actus alius poſitiuus ſit melior, ſed etiam quia ipſa carentia ſeu negatio talium actuum ſit conuenientior ad Dei ſeruitium & cultum quàm ipſorum exercitiũ: eiuſmodi actus poſſunt eſſe recreare ſe ludis aut iocis, qui nõnunquã vtiles ſunt ad animi ſolamen; item veſci cibis melioribus & delicatioribus vt magis ſeruiant ſaluti corporis & ſic ad diuinum cultum ſeruiunt: de qualibus votum non videtur validum ſi aliquæ particulares circumſtantiæ nõ concurrant, ob quas tales actus contrahant aliquam neceſſitatẽ vt fiant, vt ſi accedat obedientia ad maiorem honeſtatẽ, quia abſtinentia ab iſtis æquè, aut magis poteſt ordinariè eſſe vtilis ad diuinum cultũ & obſequium, quàm exercitium, vt v.g. ad vitandas diſtractiones animi, ad refrœnandam gulam, aut ad aliquid ſimile: Vide Suarez ſupra c. 7. vbi prolixius de eiuſmodi actibus bonis diſputat.

Objicitur Secundo: nullus actus magis impedit melius bonũ, (vti etiam antè indicatũ eſt) quã matrimonium: atqui de illo poteſt fieri votum, ſi ad Dei cultũ ordinetur, 67

& refe-

& referatur, vt v. g. Si quis voueat ducere vxorem ad vitandum periculum fornicationis, cui ſolet ſuccumbere; aut ſi quis voueat ducere virginem pauperculam animo ſubueniendi neceſſitati illius: ergò &c. Reſpondetur inprimis apud Doctores omnes pro regulâ indubitatâ haberi, contractum matrimonialem, & minus conſummationē matrimonij, quamuis in ſe actus boni ſint, non eſſe materiam voti. Ratio poteſt conſtare ex dictis, quia vinculū quod iſtis actibus contrahitur, aut firmatur, aduerſatur maiori bono, illudq; excludit & reddit perſonas impeditas, quo minus ſtatum altioris perfectionis poſſint amplecti.

Sed diſputatur an in caſibus allegatis cum circumſtantijs appoſitis poſſit validè matrimonium voueri: & quidem in caſu quo perſona adeo fragilis eſt, vt ad vitandum carnis lapſum, iudicio prudentū melius illi ſit nubere, quàm vri, validum eſſe votum de ducendâ vxore ad illum finem vt vitetur incontinentia, tenent Caiet. hic qu. 88. art. 2. Nauarrus cap. 12. nu. 43. Bellarminus, lib. 2. De Monachis, cap. 14. circa finem: Mald. tractatu 1c. cap. 5. dub. 2. Suarez ſupra cap. 9. & alij plures quos refert & ſequitur Sanchez, li. 1. De ſponſal. q. 4. n. 10.

Probat autem hanc ſententiam Suarez multis argumentis loco citato, nu. 10. contra Soto, libro 7. De iuſtitia, quæſt. 1. art. 3. & Aragonium hic quæſt. 88. art. 2. & cum illo Mald. ſupra.

68 Addit tamen Suarez, quod non obſtante tali voto ferè ſemper licitum ſit ingredi religionem & tentare alia media, quibus ad ſeruandam continentiam & vitandam fornicationem iuuari quis poteſt: atque ita licitum ſit omittere vel ſuſpendere talis voti executionem, dum perfectioribus modis & medijs vitare ſtudet cum diuinâ gratiâ periculum, ad quod præcauendum, vouit matrimonium; & perfectiori ratione ſuam fragilitatem vult & ſtatuit ſuperare. Et veriſimile eſt, quòd auctores alterius opinionis non amplius docere intendant quàm votū in caſu poſito, nō eſſe ita validū, quin poſſit nō contrahere matrimoniū quãdo alijs medijs cupit lubricitatē carnis vincere. Rectè autem dicit Suarez, ferè ſemper nihilominùs licitum eſſe, &c. Quia ſi talis eſſet conditio perſonæ, inquit, vt moraliter loquendo, iudicaretur prudenter eſſe illi melius, & ſalubrius nubere, quàm religionem ingredi, vel aliter conati ad ſeruandam caſtitatem, tunc, ait, votum determinatè obligaret ad matrimonium.

69 Quod attinet ad ſecundum caſum, variè quoque de illo ſentiunt Doctores: Henriquez, lib. 11. De matrimonio c. 6. n. 5. tenet, eiuſmodi votum eſſe validum, quā opinionem admittit Suarez eſſe probabilem loco citato, nu. 17. ſi accipiatur hoc ſenſu, quod ſcilicet tale votum non obliget ſimpliciter ad exercitium actus ſiue ad ineundum contractum matrimonialē, ſed ad ſpecificationem ſeu determinationē actus quoad perſonam talis vel talis conditionis ducendam ſi nimirum vxorem accepturus ſit, & ita videtur etiam ſentire Armilla, V. Votum num. 22.

Ratio prioris partis, quare dicatur ſcil. nō ſimpliciter obligare, eſt quia ſi ponatur obligare ad contractum ineundum, iam erit impeditiuum maioris boni, ſcilicet ſtatus religionis aut continentiæ: nam licet matrimonium ſub titulo pietatis ſit in voto, tamen ſtatus religionis aut continentiæ eſt abſolutè maioris perfectionis: vnde ab eo non poteſt quis impediri per votum matrimonij etiam ſub titulo pietatis ineundi.

Ratio autem poſterioris partis eſt, quia ſic vouens intendit ſe obligare ad illam pietatem exercendā, quantum ſe obligare poteſt: ergò ſi non poſſit ſe obligare ſimpliciter ad matrimonium contrahendum, vt iam diximus, obligabitur ſaltē tali voto ad ſpecificationem ſeu determinationem actus in quā pietas intenta conſiſtit, ſi exercitium actus ſiue contractum matrimonialem inire velit: nam in votis ſicut & in iuramento locum habere dicitur hæc regula: ſi non valet quod ago, vt ago, valeat, vt valere poteſt.

Confirmatur, quia ſi quis explicitè ſic voueret, voueo ſi vxorem duxero, quòd ducā pauperem vt miſeriā eius ſubleuem, votum illud obligabit; atqui conditio hæc tacitè ineſt in altero voto, licet in forma abſoluta ſit factum.

Neque obſtat, quod forſitan vouens non cogitauerit de illâ conditione, vel quod intenderit obligare ſe abſolutè ad contractū matrimonialem cum paupercula, quod validè non potuit: nam error ille non impedit, quo minus conditio iſta intelligatur includi: nec excludit generalem intentionem obligandi ſe ad illud quod eſt pietatis eo modo, quo poteſt, præſertim cum ex communi apprehenſione intelligatur fieri tale votum, non tam in ordine ad firmandum ſe in voluntate matrimonij ineundi, quàm in ordine ad modificationem talis matrimonij & ad firmandum ſe in voluntate ducendi pauperculam ex pietate. 70

Accedit quod vtile non vitietur per inutile: hinc ſi intentio non tenuerit quoad inutile, tenere tamen debet, quoad id in quo vtilis eſſe potuit.

Ex his non erit difficile reſpondere ad argumenta Doctorum, qui exiſtimant eiuſmodi vota eſſe nulla ſiue inualida: non enim plus efficere videntur, quàm quod vota talia non obligent ſimpliciter ad contrahendum matrimonium modo explicato, quod etiam 71

alij

Digitized by Google

alij non negant: non autem probant quod abſolutè ſint irrita, & nullam relinquant obligationem.

In hoc autem magis Doctores conueniunt, quod votum validum fieri poſſit de matrimonio contrahendo in caſibus quibus aliquis ex pręcepto teneretur ducere vxorē, ſiue abſolutè, ſiue cum aliquâ perſonâ certâ, vt ſi id requireretur pro magno bono publico, vt quia alioquin regnum periclitaretur de tranquillitate & de religione: bonū enim commune, diuinius eſt: & pro ſimili cauſa etiam diſpenſatur cum religioſo, vt relicto ſuo ſtatu ducat vxorem, vt dicemus infra. Aut ſi quis deflorauerit virginem ſub promiſſione matrimonij. Ratio poteſt eſſe, quia votum non debet dici tunc impeditiuum melioris boni; quia iam ſupponitur ille ſufficiēter impeditus ratione præcepti, imò eſt de meliori bono ſcil. de impletione pręcepti quę haud dubiè melior eſt ipsâ omiſſione: & accedit quod conducat tunc votum vt actus participet plures honeſtates. Si tamen virgo remitteret illi obligationem qua tenetur illā ducere, conſequenter etiam ſolueretur ab illo voto, quia iam non eſt circa materiam ex præcepto debitā, & de reliquo eſt de materiâ ex ſe impeditiuâ melioris boni.

DVBIVM XI.

Quid de voto Iephte dicendum ſit?

SOlet hic quoque circa materiam voti diſputari à multis, quid ſentiendum ſit de voto Iephte & de eius impletione; qui Iudicum cap. 11. ſic legitur vouiſſe: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Poſtea autem narratur, ei primùm occurriſſe filiā eius vnigenitā, & de voti impletione dicitur infra, *Expletiſque duobus menſibus reuerſa eſt* (ſcilicet filia) *ad patremſuum, & fecit ei ſicut vouerat.*

72 Quæritur itaque an illud votum & eius expletio fuerit ſine peccato?

Non deſunt qui exiſtiment Iephte in iſtis non deliquiſſe: quod diuerſimodè à diuerſis explicatur.

Vno autem modo poſſet id ſic declarari, quòd ſcilicet verba illa, quicumque fuerit primus greſſus &c. ſint generaliter quidem prolata vt comprehendant quodcumque viuens, ſed cum diſtributione accommodâ ab eo intellectâ, vt ſcilicet, ſi fuerit animal idoneum ad ſacrificium cruentū, quod offeret illud in reale & corporale holocauſtum; ſin autem homo fuerit, quod offerret in ſpirituale, non per realem occiſionem ſed abſtractionem à mundanis actibus, & per traditionem eius in ſolius Dei perpetuum cultum & obſequium: quemadmodū multæ virgines quæ Deo in religione conſecrantur, dicuntur ſe Deo offerre in ſacrificium vel holocauſtum: ſi denique animal aliud inidoneum ad ſacrificium occurrerit, quòd illud pretio redimet, & pretium Deo offeret: quale votum eo ſenſu intellectum licitè fieri potuit & impleri.

Et Lyranus quidem quamuis admittat Iephte feciſſe votum intentione realiter mactandi primū animal occurrens, & ſic quoq; cum ſtatuiſſe de filia, tamen tenet ille eum poſtea admonitum à ſapientibus Hebræorum, tantum ſpiritualiter obtuliſſe filiam in holocauſtum.

Communis verò ſententia habet Iephte in ſuo voto ſimpliciter attendiſſe ad realem & corporalem oblationem cuiuſcumque primi occurrentis, & ſic quoque de facto obtuliſſe filiam in holocauſtum. 73

Ex his autem qui ita ſentiunt, nonnulli excuſant tamen illum à peccato, vel quia ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti emiſerit illud votum, pro quibus ſumi poteſt coniectura ex verbis quæ paulò antè in Scripura præmittuntur, *Factus eſt ergò ſuper Iephte Spiritus Domini*: Sed D. Aug. quæſt. 49. in librum Iudicum docet inde non poſſe colligi fuiſſe Iephte à Spiritu Sancto motum ad eiuſmodi votum faciendū; & rectè, quia tantum dicit Scriptura ſimpliciter, factum eſſe ſuper eum ſpiritū Domini, quod magis appoſitè ad contextum, refertur vel ad pugnandum contra Ammonytas, vel ad ſperandum cum magnâ fiduciâ contra eos victoriam: aliqua autem quæ ſequuntur non eſt neceſſe dicere facta ex inſtinctu Spiritus Sancti.

Hinc quidam aliter excuſant, quod videlicet ex ignorantia inuincibili ea fecerit ex zelo religionis: ita opinatur Ribera, in c. 11. epiſtolæ ad Hebræos, quia eo tempore res illæ non erant adeo explicatæ, nec erat Propheta quem conſuleret.

Verùm vix apparet quomodo illa ignorantia potuerit eſſe inuincibilis aut inculpabilis, quandoquidem lumine rationis videatur res illa ſatis nota. Deindè, quia in Scripturis videtur fuiſſe ſatis quoque declarata, præſertim Leuiticorum cap. vltimo: vbi dicitur: *Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretiū.*

Antiqui itaque Patres inprimis ſentiunt Iephte voluiſſe offerre primum occurrentē in reale holocauſtum, ſicuti iam diximus magis communē ſententiā habere: Ita Athanaſius in Synopſi, lib. 7. D. Aug. loco citato vbi ex profeſſo reijcit opinionem, quam diximus Lyranum ſequi: D. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum ſignificat hanc fuiſſe 74

Digitized by Google

fuiſſe communem intelligentiam Hebræorum Theodoretus quæſt. vltimâ in librum Iudicum: Auſelmus ad cap. 11. ad Heb. Ambroſius libro 1. De officijs cap. vltimo. Similiter D. Tho. hic quæſt. 88. art. 2. ad 2. à Victoria relectione de temperantiâ nu. 7. quod & ipſa verborum proprietas importat.

Imò D. Aug. loco citato probabile exiſtimat, quod Iephte directâ & ſpiciali intentione vouerit ſimpliciter in ſacrificium offerre primum hominem domus ſuæ, qui ſibi occurreret: prudenter enim ponderat quod non ſoleant homini reuertenti domū ſuam cum victoriâ, obuiam venire de domo pecora aut animalia apta ad holocauſtum; etſi enim canes abblaudientes ſolent Dominis occurrere, de illis tamen non potuit cogitare Iephte, quia & vile votum fuiſſet, & de animali immundo minimè idoneo ad ſacrificium. Accedit quod non dixerit, quodcumque primum egreſſum fuerit, ſed, quicumque: quare veriſimile apparet omninò, quod tantum de hominibus cogitauerit.

Docent itaque plerique ex illis quos al-
75 legauimus, & alij plures, Iephte in ſuo voto & in facto non fuiſſe inculpabilem: quod apertiſſimè tradit

D. Ambroſius loco citato, vbi ſic ſcribit, Nam de Iephte quid dicam? qui immolauit filiam quæ ſibi victori prima occurrit, quo votum impleret quod ſpoponderat: melius fuiſſet nihil tale promittere, quàm promiſſum parricidio ſoluere: & libro 3. cap. 12. Neque vnquam adducar, inquit, vt credam non incautè Principem promiſiſſe Iephte &c. & infra, dura promiſſio, acerbior ſolutio.

D. Chryſoſtomus Homilia 10. ad Romanos, de inſidijs dæmonis verba faciens, ait, Sic & Iephte pietatis ac religionis ſpecie perſuaſit, filiam vt immolaret, illigitimumq; ſacrificium offerret: quod ſimiliter improbat Homilia 14. ad populum, ante medium.

D. Aug. quæſt. 49. citatâ ſic hâc de re ſcribit quamuis diſputando magis quam reſoluendo: diſtat hoc quod Iephte fecit à facto Abrahæ, quoniam ipſe iuſſus obtulit filium ſuum (ſcilicet iam in animi præparatione) iſte autem fecit quod & lege vetabatur, & nullo ſpeciali iubebatur imperio.

D. Tho. loco citato dicit probabile eſſe Iephte pœnituiſſe de facto iniquo, vbi planè ſupponit eum peccaſſe: & ibidem addit, Hieronymum de Iephte dicere, in vouendo fuit ſtultus, quia diſcretionem non habuit, & in reddendo impius: quæ tamen verba non videntur in terminis apud D. Hieronymum reperiri, neque citat D. Tho. locum: ſed forſitan reſpexit ad illa quæ ſcribit D. Hieronymus libro 1. aduerſus Heluidium cap. 13. à pleriſque Hebræorum, inquit, reprehenditur Iephte voti temerarij: nam ſi canis, ſi aſinus occurreret, quid faceret?

Ex veterum itaque ſententiâ non videtur 76
Iephte à peccato excuſandus tam in voto, quàm in eius impletione: quamuis zelus & ardor religionis & magna eius fides de neceſſitate diuini adiutorij ad inimicos ſuos ſuperádos, quæ in dictis & factis eius eluxerunt, videantur ab aliquibus commendari, nam licet errauerit etiā culpabiliter exiſtimans ſe voto obligatum, tamen ſuppoſitâ illâ eius apprehenſione, magnum affectum reuerentiæ erga Deum oſtendit, dum neq; amore quo vnigenitam filiam proſequebatur, potuerit retardari aut impediri à voti ſolutione: putans forſitā in eo ſe imitari exemplum Abrahami: ſimiliter licet præceps & temerarius fuerit in ſic vouendo, tamen votum indicat & animum liberalem quo quidquid optimum ſuum, voluerit etiam Deo reddere, & ſimul magnam fidem quâ crediderit à Deo ſibi victoriam impetrandam: & propter huiuſmodi, quia ignorans & zelo quamuis non ſecundum ſcientiam iſta fecit, ideò forſitan ad pœnitentiam & peccati remiſſionem cito, atque adeò ad magnum etiam ſanctitatis incrementum, diuina gratia & miſericordia miſericorditer eum perduxerunt. Vnde ab Apoſtolo ad Hebræos 11. numeratur inter eos qui fide adepti ſunt repromiſſionem.

DVBIVM XII.

Quinam vouere poſſint?

RESPONDEO & DICO Primò: 77
Homo ante rationis vſum non eſt idoneus ad votum emittendum. Eſt concluſio communis & euidens, quia ſine libero conſenſu non poteſt fieri votum, vt habetur capitulo tenor de regularibus: non poteſt autem ante rationis vſum homo elicere aut exercere aliquem liberum ſeu deliberatum conſenſum.

Excluduntur itaque à capacitate voti faciendi infantes & paruuli pro eâ ętate in quâ necdum habent rationis vſum ſufficientem ad peccandum mortaliter: talem enim vſum ad voti validitatem paſſim requirunt Doctores, & eâdem de cauſa vouere non poſſunt perpetuo amentes: excluduntur deniq; & alij omnes pro eo ſtatu & diſpoſitione quibus ratione vti non valent, vt quando dormiunt, aut ſunt phrœnetici, vel abſolutè ebrij.

DICO Secundò: Omnis homo vtens ratione quantum eſt ex parte ſua, capax & idoneus eſt ad votum faciendum, ſi aliundè non ſit impeditus. Colligitur ex D. Thoma, quæſt.

qu.88. citatâ, art. 8. & 9. ex Commentatoribus ibidẽ, & alijs Scholaſticis in 4.diſt.38. Eſtque ſatis per ſe euidens, quia qui vtitur vſu rationis ſufficienti, etiam vtitur ſufficiẽti libertate: quæ duo per ſe ſufficiunt quando aliundè homo non impeditur, vbi tamen ſupponitur quoque habere competentem Dei cognitionem, quæ ad religionis actum prærequiratur.

78 DICO Tertiò: Etſi per Eccleſiam impediantur multi quo minus poſſint validè facere vota ſolemnia, neminem videtur reddere ſimpliciter inhabilem ad emittendum vota ſimplicia.

Prior pars conſtat, nam inprimis votum ſolemne emiſſum ex metu cadente in conſtantem virum eſt nullum ex Eccleſiæ conſtitutione iuxta communiorem ſententiam: deinde quia Eccleſia iam olim poſuit impedimentum, vt pueri ante annos pubertatis id eſt annum 14. ætatis quoad maſculos, & ante annum 12. quoad fæminas, non poſſint validè profiteri religionem, vt patet ex Capitulo Ad noſtras, De regularibus, & Capitulo 1. & 2. titulo eodem in 6. & docet hic D. Tho. quæſt.88. art.9. in Corpore: poſtmodùm verò Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. De regularibus, fecit inhabiles tam maſculos quàm fæminas, vt non poſſint facere profeſſionem ante annum 16. expletũ: etſi prius attentent, vota ſolemnia ſint irrita: ſimiliter ſunt irrita ſi emittantur ante explicatum annum probationis.

79 Poſterior autem pars aſſertionis duobus modis poteſt intelligi: Primò quod per Eccleſiæ conſtitutionem nullus ſit inhabilis ad omnia & ſingula vota ſimplicia, quin ſaltem aliqua vel aliquod votum ſimplex poſſit facere: Secundò, quod nullus per Eccleſiam reddatur inhabilis ad votum ſimplex, ita vt nullum illius qualecumque votũ ſimplex ſit irritum ex vi ſolius conſtitutionis Eccleſiaſticæ, quando aliàs ad illud concurrunt omnia quæ de iure naturæ requiruntur ad voti validitatem.

Priori ſenſu accepta eſt ſatis euidens & indubitata.

Poſteriori ſenſu autem non ita certa ſed tamen apparet quoque eo ſenſu vera, & ſumi poteſt ex D. Tho. articulis citatis, quatenus ibi tractando de perſonis quæ poſſint vouere, nullam excipit præter perſonas alijs ſubiectas: de quibus tamen non dicit, quod non poſſint vouere: ſed non poſſe firmiter: quod intellige, non quod non poſſint validè, ſed quod non firmiter, quia ſcil. irritari eorum vota poſſunt ab illis, quibus ſunt ſubiectæ, quando ſunt circa materiam in qua ſubiectæ ſunt: quodque id ſic intelligat D. Tho. euidentius colligitur ex his verbis art.9. in Corpore: Si verò, inquit, ante pubertatis annos, attingit vſum rationis (ſcilicet filius patri ſubiectus) poteſt quidem quantum in ipſo eſt, ſe obligare: ſed votum eius poteſt irritari per parentes. Idem colligi poteſt ex reſponſione eius ad 2. eodem art.

Fundamentum autem eſt, quia non inuenitur tale ius aut Eccleſiaſtica conſtitutio, quâ irritentur ſpecialiter aliqua vota ſimplicia tantum ex parte perſonæ, quam inhabilem faciat ad ſimplex aliquod votum faciendum.

Opponunt tamen aliqui Capitulũ Magnæ De voto & voti Redemp. quod dicunt irritare aut inualidare votum Epiſcoporum de longâ ſeu diuturnâ peregrinatione: Ita ſentiunt Richard. in 4. diſt. 38. art.4. quæſt.2. Maior ibidem quæſt.3. dub.1. Sylueſter V. Votum 3. qu. 1. Sed omninò id negandum eſt; Pontifex enim in priori parte illius Capituli in vtramque partem argumentatur de tali voto, an licitum fuerit & validum; & magis indicare videtur validum fuiſſe & obligare; quia illud commutat: quod ſi verò fuerit inualidum, hoc non fuit propter inhabilitatem aliquam impoſitã tali perſonę, ſed quia verſabatur circa materiam indebitam reſpectu talis perſonæ, cui prohibita ac illicita eſt diuturnior abſentia ab Eccleſia ſua: & ſic non fuit de meliori bono. Qua ratione poterunt etiam dici vota curam animarum habentium non eſſe de meliori bono, ſi voueant peregrinationes requirentes diuturniorem abſentiam, quàm eis iura cõcedunt: quia melius eſt eos inuigilare gregi ſuæ, quam peregrinari. Vide Maiorem ſup. 80

DVBIVM XIII.

Vtrùm perſonæ ſpecialiter alijs ſubiectæ, ſint prohibitæ ne vouere poſſint?

RESPONDEO & DICO Primò: Non eſt illicitum perſonis ſubiectis vouere in materia, quæ nõ obſtante ſubiectione eſt ipſis licita. Colligitur ex D.Thomâ, quæſt. citata art. 8. ad 4. & art. 9. ad 2. vbi de talibus dicit, eos vouendo non peccare, & vota illorum eſſe licita; ſic filius impubes vouens caſtitatem vel ingreſſum religionis ſine conſenſu parentum non peccat. 81

Et ratio reddi poteſt: quia ſic vouere nõ eſt talibus perſonis illicitum quaſi in ſe malum eſſet, neque etiam quia illis prohibitum; ergò nullo modo: prior pars patet, quia ex ſolo iure naturæ non eſt eis malum ſeu peccatum vouere rem ſibi licitam: conſtat etiã poſterior, quia nullum inuenitur ius poſitiuum, quo perſonæ alijs ſubiectæ ſpecialiter prohibeantur vouere in materia ipſis licita etiam

Digitized by Google

etiam ſtante ſubiectione.

Quidam exiſtimant ab hac regula, excipiendos eſſe religioſos, quaſi hi nihil omninò licitè vouere poſſint abſque licentia ſuperioris. Ita Richardus in 4. diſt. 38. art. 4. quæſt. 1. Paludanus ibidem quæſt. 3. art. 2. conclu. 7. vbi dicit religioſum non poſſe vouere, niſi tranſitum ad religionem arctiorem, & ad hoc ipſum vouendum (addit) eum debere petere licentiam.

Sed communior & verior eſt ſententia aliorum, qui neque religioſos excipiunt: Colligitur ex D. Thoma locis citatis, vbi generaliter loquitur de illis qui aliorum poteſtati ſunt ſubiecti: & ſic docent Caiet. Dominicus Soto, & alij ſectatores D. Thomæ: Nauarrus, cap. 12. n. 67. Syluester V. Votum 3. quæſt. 3.

Et ratio reddi poteſt, quia ſuppoſita capacitate materiæ actus vouendi non eſt ſpecialiter prohibitus religioſo, neque eſt per ſe malus ratione ſtatus religioſi; ergò &c. quod enim dici ſolet religioſum non habere velle & nolle, non ita eſt intelligendum, quod nihil poſſit licitè velle aut nolle, niſi quod poſitiuè illi ordinatur aut conceditur: (hoc enim non cenſetur religioſus vouiſſe, neque humano modo penè foret poſſibile:) quare ſic debet hoc intelligi (inquit Suarez) vt nihil poſſit licitè velle aut nolle contra voluntatem Prælati, neque ita proponere aliquid ſibi agendum, vt non ſit paratus omittere illud, ſi ſuperior velit. Quo ſenſu dixit D. Baſilius, Monachum neque ad punctum temporis habere poteſtatem ſui ipſius; & propterea dicit D. Thomam hanc conditionem ſi ſuperior non prohibuerit, aut ſi conſenſerit virtute includi in omni voto religioſi, & ideò licitum eſſe.

82 Dico Secundò: Sunt quoque vota talium perſonarum quando verſantur in materia ipſis licitâ, valida quamdiu per ſuperiorem non tolluntur. Deſumitur ex D. Thoma locis citatis: & ita communiter tenent Doctores.

Deduci poteſt ex concluſione præcedenti, quia votum tale, neque ex parte materiæ, neque ex parte vouentis deficit in aliquo requiſito de iure naturæ ad voti validitatem; neque eſt contra Eccleſiæ prohibitionem irritantem, ergò ſicuti licitum eſt, ita erit validum.

Quod etiam locum habet in votis impuberum, modò ſufficientem habeant vſum rationis, vt docet Gloſſa ad Capitulum Mulier, cauſa 22. quæſt. 2. ibidem Turrecremata, Panormitanus ad Capitulum 2. De voto: Caiet. hic quæſt. 88. art. 8. Durandus, Paludanus & alij, in 4. diſt. 38. Sylueſter V. Votum 3. quæſt. 5. & Nauarrus, cap. 12. nu. 68. Colligitur ex cap. 30. Numerorum, vbi dicitur, *Mulier ſi quidpiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris, & in ætate adhuc puellari: ſi cognouerit pater votum quod pollicita eſt, & iuramentum quo obligauit animam ſuam, & tacuerit, voti rea erit: quidquid pollicita eſt & iurauit, opere complebit*, &c. ſimiliter & in votis religioſorum, hoc ipſum habere locum tradunt prædicti Doctores, quod eſt contra Angelum V. Votum n. 26.

Cæterùm pro pleniori intelligentiâ eorum quæ nunc dicta ſunt, Obſeruandum eſt, duplicem poſſe conſiderari materiam licitam perſonis iſtis quæ aliorum poteſtati dicuntur ſubditæ; vnam aliquam, in qua non ſint ſubditæ, alteram in qua ſubditæ ſint. 83

Declaratur exemplis: v. g. licitum eſt religioſis obſeruare diuina præcepta independenter à voluntate ſuperioris, neque tantum licitum eſt, ſed etiam obligantur: ſimiliter eſt eis abſolutè licitum tranſire ad ordinem ſtrictiorem, quamuis teneantur antequam exeant ſaltem petere licentiam: multa autem alia ſunt quidem eis licita, ſed tamen in illis ſubijciuntur ſuperioribus, ſic vt ſuperior poſſit eis iſta prohibere, vt extraordinaria iſta ieiunia, corporis caſtigationes, diuturniores orationes, aut ſimilia.

Similiter vxor per ſe non ſubditur marito in omnibus actibus ſuis, præſertim in his quæ ſpectant ad ſalutem animæ ſuæ: ſed in ijs quæ ſpectant ad vſum matrimonij & ad externam familiæ gubernationem, vt benè tradit Panormitanus ad Capitulum Litteras, De reſtitutione ſpoliatorum, nu. 27. & 28. vnde fit, quod non obſtante ſubiectione, multæ ſint actiones & materiæ virtutum vxori liberæ, quas maritus non poteſt prohibere, quia debitum obſequium in his quæ ad ſuum ſtatum pertinent, non impediunt.

Sic quoque filijfamilias ſunt in quibuſdam actionibus ſui iuris, quæ à parentibus non poſſunt eis prohiberi: in alijs autem quæ iuri parentum cenſentur derogare, ſunt ipſis ſubiecti.

Idem quoque cum proportione dicendum eſt de ſeruis reſpectu dominorum.

Porrò ex hac diſtinctione materiæ naſcitur illa differentia in votis talium perſonarum, ſcilicet quod dum ſubditi faciunt votum de materia licita, in qua non dependent ab eo qui poteſtatem in illos habet, tum vota illa ſint non tantum valida, ſed etiam firma iuxta modum loquendi Diui Thomæ: neque includat conditionem huiuſmodi: ſi ſuperior conſenſerit, vel non contradixerit: in altera autem materia in qua ſubditæ ſunt, vota etſi valida ſint, tamen non ſunt ita firma, quin à ſuperiore poſſint irritari.

Digitized by Google

Inter filiosfamilias autem puberes & impuberes eſt hoc diſcrimen, quòd vota impuberum ſubijciantur voluntati parentum, non tantùm ex parte materię quatenus in eâ parenti ſunt ſubditi, ſed etiam ex parte voluntatis ipſorum propter frequentem indiſcretionem illius ætatis: quæ ideò in impubere magis eſt dependens à voluntate parentis. Vnde vota huius etiam in materiâ in quâ propriè non ſubditur patri, vt circa ingreſſum religionis, infirma ſunt, quamuis valida ſi pater tacuerit.

84 Petes, quid ſi religioſus fecerit votum de materia ſibi licita dum voueret, & poſtea per aliquam conſtitutionem aut ordinationem prohibeatur, ne quis tale opus faciat, abſque petita licentia, an tenebitur ipſe tum petere licentiam? Reſpondetur cum Suares lib. 3. De Voto, cap. 6. nu. 13. Quod votum non videatur obligare ad illud grauamen, nec cum tali rerum mutatione: quod etiam notauit Arrag. quęſt. 88. artic. 8. Intentio tamen vouentis, qualis fuerit eſt attendenda: Sed quid ſi intenderit vouens petere licentiam in caſu quo prohiberetur actus ſiue opus promiſſum, an tenebitur petendo licentiam, etiam explicare Superiori ſe vouiſſe opus illud, vt magis inclinetur ad dandam licentiam? Quidam propterea ita cenſent, vt Dominicus Soto libro 7. De Inſtit. quæſt. 3. artic. 1. Angles quæſt. De Voto, artic. 7. difficul. 3. Arragon. ſuprà dicit eſſe ſecurius.

Plures tamē alij iudicāt ſatis eſſe, à Prelato facultatē petere exercendi tale opus, etiamſi nulla fiat mentio voti: modo hoc ipſum non intenderit vouendo, quod ad veniam obtinendam eſſet explicaturus Prælato, quod ſe voto obligauerit ad tale opus. Ita Nauarrus cap. 12. num. 69. Caietanus quæſtione 88. articulo 8. dubium 2. & V. Votum, cap. 3. De condit. voti ex parte vouentis: & Suarez ſuprà numero 16. Et ad fundamentum alterius opinionis reſpondet, quod non teneatur vouens ex vi voti ad faciendam ſummam diligentiam, vt veniam illam obtineat, quia neque hoc explicitè vouit, nec in voto eius includitur.

DVBIVM XIV.

An poſſit vnus obligari voto alterius?

85 PRæſuppoſitâ diuiſione voti in Perſonale, Reale, & Mixtum, de qua mox agemus,

RESPONDEO & DICO Primò: Voto alterius merè perſonali citra proprium conſenſum nullus obligatur, ſiue ſit extraneus, ſiue filius, ſiue hæres. Eſt communis doctrina: Ita Syluester V. Votum 2. qu. 9. Angelus eodem 3. §. 3. Mald. ſuprà dub. 5. Panormit. Cap. Olim, De reſtit. nu. 4. Gloſſa: Archid. & alij ad Cap. Quicumque, causâ 20. qu. 1. Et colligi poteſt ex illo Deuteronomij cap. 23. *Si nolueris polliceri abſq; peccato eris.* Et ibidem: *Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis.* Idem colligitur ex Capitulo Puellæ, Capitulo Sicut, Capitulo Illud, cauſa 20. cit. quæſt. 1. & Capitulo Cum ſimus, De regularibus: & docent D. Baſilius regula 15. in longioribus: & D. Bernardus, epiſtola 1.

Fundamentum poteſt eſſe, quia votum eſt promiſſio actiua & libera, quâ quiſque legem ſibi ponit; non autem eſt obligatio quā paſſiuè quis ab alio accipit: eiuſmodi enim obligatio naſcitur benè ex præcepto ſuperioris, non ſic ex voto eius perſonali.

Sed contra opponuntur diuerſa capitula alia, vt Capitulum Addidiſtis, Capitulum Monachum, Capitulum Quicumque, cauſa eâdem, quęſt. 1. & Capitulum Significatum, De regularibus; quibus omnibus definiri ac ſtatui videtur, ſi parens filium Deo in aliquo monaſterio obtulerit, filium voto parentis teneri; ergò &c.

Reſpondetur, capitulis illis allegatis id non determinari aut reſolui ſimpliciter & abſolutè, ſed iuxta communem interpretum intelligentiam, ſtatui tantum, quod filius vſque ad pubertatis annos teneatur manere in monaſterio cui oblatus fuerit, adeò vt ſi ante fuerit egreſſus, ſit compellendus vt redeat: quod citato capitulo ſignificatū Doctores intelligunt peculiariter inſtitui; non autem quod poſt pubertatem teneatur, niſi in caſu, quo iam aliquamdiu pubes in monaſterio perſeuerando tacitè cenſeatur votū paternum confirmaſſe, & implicitè feciſſe profeſſionem.

Quod autem illa capitula ita ſint accipiēda (quamuis ſatis indiſtinctè videantur loqui) poteſt colligi ex Capitulo Cum virum, De regularibus: vbi Clemens III. indicat illud quod dicitur Capitulo Monachum, ſcilicet quod Monachus fiat, vel paternâ deuotione, vel propriâ profeſſione, deberi accipi in caſu illo, quo Monachum ex parentū oblatione factum, non conſtat contradixiſſe, aut ſi contradixerit, conſtat quod poſtea ſecuta ratihabitione roborauerit, quod priùs geſtum fuit.

Nihilominùs Baſilius Pontius De matrimonio, lib. 7. De impedimento voto, cap. 5. n. 10. ob Canones allegatos & alias auctoritates quas adfert, ſuſtinet pueros per oblationem parentū fuiſſe verè Monachos tunc temporis effectos, ita vt ne quidem eis egredi licuerit, quando ad annos pubertatis per-

uenis-

Digitized by Google

tenuiſſent, quod ibidem latiori diſcurſu conatur probare. Verùm vt ita fuerit, non tamen id officit veritati noſtræ concluſionis, quia ſi fuerint ſic pueri obligati manere, hoc tamen non cauſauit propriè votum parentum, ſed donatio parentum, quâ prolem tanquam rem ſuam Deo & monaſterio acceptanti donarunt, ſicuti ſi vendidiſſent, aut tradidiſſent eam alicui in mancipium. Quod, inquit Pontius, tūc minus graue fuit, quia penes Prælatum poteſtas erat eos liberos dimittendi, ſi non conuenirent, & ab omni obligatione cōtractâ eos abſoluendi: quod latè conatur oſtendere, cap. 12.

86 Sed difficultas hic ſuboritur, de votis quibuſdam quæ fiunt aliquando à cōmunitate aliqua cū intentione obligandi ſuos quoq; ſucceſſores, qui cenſentur verè obligari ex vſu & ſententia Doctorū: vnde videtur conſequens, quod votū vnius obliget aliquando alium. Reſpondetur, talia vota cōmunitatū non obligare ſingulos propriâ obligatione, niſi à ſingulis perſonaliter fiant, aut acceptentur: nihilominùs in Repub. eſſe poteſtatem ad obligandos ſingulos & præſentes, & futuros ſucceſſores in vi pręcepti humani, vt acceptent tale votum quoad voti obligationē, vel ſaltem ad præſtandū actū promiſſū; ideoq; teneantur omnes pręſtare. Cęterū quia ſuppoſito ſupernaturali ſtatu, & regimine Eccleſiæ, ſpectat cura ordinandi & præcipiendi ea quæ ſunt ſalutis animarum, & diuini cultus ad Prælatos Eccleſiæ, ideò rectè exiſtimat Suarez lib. 4. De voto, cap. 9. nu. 10. talia vota communitatis non habere vim obligandi ſubditos aut ſucceſſores qui in ea non conſenſerunt, niſi interueniente auctoritate Epiſcopi & eius approbatione: atque ita tunc qui ipſi non vouerunt, obligabuntur non in vi voti, ſed in vi præcepti Eccleſiaſtici. Vnde etiam per authoritatem Epiſcopi poterit illa obligatio tolli, ſicuti leges quas ipſe authoritate Epiſcopali tulit.

87 Dico Secundò: Voto reali alterius, quo ſcilicet non vouetur actus perſonæ, ſed impendium rei poteſt quis aliquando obligari. Exemplum inprimis eſt in hærede qui obligatur ad vota realia teſtatoris explenda, vt conſtat ex vtroque iure tum canonico, tum ciuili: nam Capitulo Licet de voto, dicuntur eiuſmodi vota pertinere ad onera hæreditatis, & ſub priuatione eiuſdem poſſe hæredem ad ea cogi. Idem dicitur l. Si quis rem, D. De pollicitationibus. Vide plura apud Sylueſtrum V. Votum 2. quæſt. 11.

Ratio reddi poteſt, quia ſicut hæres ſuccedit in bonis & in actionibus ac iuribus defuncti, ita etiam in oneribus quæ hæreditatem attingunt: vnde ſi defunctus vouerit facere tantas aut tantas eleemoſynas, aut dare talia ornamenta Eccleſiæ, tenebitur hæres vota explere: quemadmodum enim tenetur ſoluere, quæ teſtator promiſit homini, ita etiam quæ promiſit Deo.

Petet aliquis: Vtrùm ſi rem determinatam vouerit, detur actio realis ex illo voto in rem promiſſam?

Reſpondetur, non dari, ſed perſonalem tantùm in hæredem. Vide Malderum, dub. 5. & Molina, tractatu 2. diſp. 369. neque enim promiſſio dat ius in re, ſed tantum ius ad rem.

Dico Tertiò: Si votum ſit mixtum, & æqualiter perſonale & reale, tunc partim obligat, partim non obligat hæredem: vt ſi defunctus vouerit peregrinationem ad noſtram Dominam Lauretanam, & ibi 100. libras ceræ offerre, hæres tenebitur offerre ceram, non autem facere peregrinationem, neque curare eam fieri. 88

Vbi verò quod reale in voto concurrit, eſt tantum acceſſorium ad votum perſonale, tunc hæres ad nihil tenetur, niſi fortè promiſiſſet teſtatori, quòd ipſe curaret per ſe vel per alium expleri, vt ſi defunctus vouiſſet ſimpliciter peregrinationem Lauretanam, licet dici poſſit conſequenter promiſiſſe facere neceſſarios ſumptus itineris, ad nihil tamen hæres tenebitur; neque obligabitur illos ſumptus impendere in piam cauſam: non enim hi ſumptus cadunt ſub promiſſionem, niſi indirectè aut peraccidens, ſcilicet vt quid neceſſarium ad expletionem voti perſonalis: hoc igitur euaneſcente, nulla ſupereſt obligatio ad præſtandos eiuſmodi ſumptus.

Petes: quid ſi hæres non ſoluat votum reale teſtatoris, an peccabit contra votum?

Reſpondetur: non peccabit ille propriè contra votum, neque reus erit voti violati, vtpote quod nullum fecit: ſed peccabit, tum contra obligationem quâ defuncto eſt obſtrictus ratione hæreditatis acceptæ, ſiue ratione taciti pacti quo acceptat onera defuncti, eo ipſo quo adit hæreditatem, tum etiam contra religionem, quia non ſoluit quod Deo debet: etſi enim ipſe Deo non promiſerit, tamen factus eſt Deo debitor, ſicuti & creditoribus defuncti, acceptando hæreditatem, & conſequenter ſuſcipiendo in ſe debita & obligationes annexas hæreditati. 89

DVBIVM XV.

Quomodo diuidatur votum?

MVltæ tradi ſolent voti diuiſiones: & inprimis vna ex parte materiæ, quam modo attigimus, quâ diuiditur in votum perſonale, reale, & mixtum. 90

Perſonale dicitur, quo actus aliquis perſonę, tantum promittitur, vt ieiunare, abſtinere à nuptijs, aut quid ſimile.

Reale autem eſt, quo vouetur non actus perſonæ, ſed impendium rei, vt eſt votum eleemoſinæ, votum ædificandi Eccleſiam, offerendi ornamenta Eccleſiæ.

Mixtum denique vbi iſta ſimul concurrunt, ita vt promiſſum ſit partim rei impendium partim actus perſonæ, vt quando quis vouet viſitare noſtram Dominam Lauretanam, & ibi offerre tot vel tot libras ceræ, vel quid ſimile.

Iterum diuidi poteſt ex parte materiæ in votum de re præcepta, & in votum de re libera, ſiue quæ eſt in conſilio. Conſtat hæc diuiſio ſatis ex dictis, quando oſtendimus de vtriſque poſſe fieri votum.

Tertiò diuiditur ex fine: aliquando enim emittitur purè & abſque alio reſpectu, in Dei honorem, vt reſpondeat holocauſto in genere ſacrificij: aliquando in gratiarum actionem, vt reſpondeat ſacrificio Euchariſtico: aliquando ordinatur ad aliquod bonum conſequendum, & correſpondet ſacrificio impetratorio: aliquando ad malum, vel pericula euadenda, & poteſt dici reſpondere ſacrificio pro peccatis.

Quartò diuiditur in votum abſolutum, vt quando quis vouet ſimpliciter hoc vel illud facere aut omittere, hoc vel illud ad piam cauſam donare: & in conditionatum quod ſcilicet fit de aliquo faciendo, aut præſtando ſi ponatur certa conditio quæ aliquando ſe tenet ex parte Dei cui fit promiſſio, ſicuti vouit Iacob, de cuius voto ſuprà fecimus mentionem: aliquando ex parte ipſius promittentis, vt quando quis vouet ieiunare aut eleemoſinam certam dare, ſi committat tale peccatum, quâ formâ votum emiſſum dici ſolet pœnale.

Quintò diuiditur in votum explicitum ſeu expreſſum, & in implicitum ſeu tacitum; quale, v. g. fit de ſeruanda perpetua caſtitate in ſuſceptione ordinis ſacri: & olim etiam per geſtationem habitus religioſi ſolet implicitè fieri profeſſio Religionis.

Sextò diuiditur in votum purè mentale, & in votum externum, quod ſcilicet, vel voce vel aliquo externo actu aut ritu explicitè, vel implicitè fit.

Septimò diuiditur in votum publicum, & in votum occultum ſeu priuatum.

91 Octauò & vltimò diuiditur in votum ſimplex, & in votum ſolemne: eſtque hæc celeberrima voti diuiſio, & deſumitur ex Capitulo Rurſus, & ex Capitulo Meminimus, Qui Clerici vel vouentes in 6. item ex Capitulo Vnico, De voto ibidem, & ex Capit. penultimo, De regularib. ſimiliter in 6. & tradunt eam Doctores in 4. diſt. 38. & D. Thomas hîc, quæſt. 88. artic. 7. & eius commentatores: indicat hanc D. Baſilius in regulis fuſius diſputatis, regula 14. vbi Apoſtatam dicit in Deum peccare, quem profeſſionis ſuæ teſtem adhibuerit, cuique ſe voto ſolemni obligauerit: vbi licet vnum membrum diuiſionis tantùm exprimat, tacitè tamen innuit aliud, nam votum ſolemne datur intelligi eſſe diuerſum à non ſolemni; & hoc rectè vocatur ſimplex, quia caret illâ ſolemnitate: ſimplicitas enim ſolet dicere quandam negationem: & antè D. Baſilium indicauit eandem diuiſionem D. Dionyſius, cap. 10. De Eccleſiaſtica hierarchia, vbi modum ſolemniter vouendi religioſorum deſcribit.

An tamen Patres iſti loquantur de voto ſolemni in ea ſignificatione, prout iam potiſſimum eſt in vſu, non omninò exploratum habetur.

Vnde notandum eſt, dupliciter votum dici ſolemne, aliquando enim appellatur ſolemne lato quodam & vulgari modo; aliquando propria & ſtrictiori quadam ratione: prius vocant Doctores accidentaliter ſolemne, quia externo quodam apparatu eſt celebre & ornatum, vt quod fiat in facie Eccleſiæ ſub determinatis verbis, & coram multis, ſic tamen vt nullos habeat proprios effectus, non magis quam ſi abſque iſta celebritate fieret: Poſterius autem vocant ſubſtantialiter ſolemne, quia ſcilicet propriâ quadam ratione per modum ſubſtantiæ ſeu naturæ conſtituitur, quæ habeat ſuas poteſtates & effectus proprios. 92

Hanc diuerſitatem ſolemnitatis agnoſcunt Scholaſtici in 4. diſt. 28. Durandus, q. 1. & 2. n. 7. & 8. Paludanus, qu. 2. Scotus, quæſt. 1. Supplementi. Item Petrus Soto, De inſtitutione Sacerdotum, tractatu De matrimonio, lectione 5. Nauarrus, conſilio 18. De regularibus, & Canoniſtæ ad Capitulum penultimum, De voto, vt Innocentius, Hoſtienſis & Panormitanus: item ad Capitulum vnicum, De voto in 6.

Notandum Secundò, has ſolemnitates ex natura rei ſeparabiles eſſe, ſic vt nihil repugnet dari votum ſolemne accidentaliter quod non ſit ſolemne ſubſtantialiter, prout nunc terminos illos explicuimus, & quoque è contra. Declaratur, quia poteſt votũ ſimplex fieri cum aliquibus extrinſecis cæremonijs in facie Eccleſiæ, in manu alicuius Superioris coram multis præſentibus; quod ſumi quidem poteſt ex Capit. Per tuas, De voto: vbi de quodam dicitur, quod dato Chyrographo ſolemniter fecerit votum in quadam Eccleſia, quod tamen fuit votum ſimplex, vt ex ipſius materia colligitur: & ſic ibidem de ſolemnitate accidentali interpretatur id Panorm. è contra quoque nihil obſtat, quo minus per ſe loquẽdo poſſit dari votum ſubſtantialiter ſolemne abſq; externis illis celebrioribus cæremonijs, & ſatis hoc conſtare videtur ex profeſſione quæ tacitè ſolet fieri per geſtationem habitus religioſi. Hoc

Hoc interim negandũ non erit, quin ſpectando nominis rationem, videatur vtrumque vocari ſolemne, potiſſimùm ab externis ſolemnitatibus, & ſacris cæremonijs quæ ordinariè ſolent adhiberi: ſed neceſſe non eſt (vt docent Dialectici) rationem nominis ſemper recurrere, ſiue conuerti cum ipſa ſubſtantia ſeu ratione rei.

DVBIVM XVI.

In quo conſiſtat ſolemnitas illa à qua dicuntur quædam vota ſolemnia ſubſtantialiter?

MAxima hic ſuboritur difficultas & diſputatio in quo conſiſtat hęc ſolemnitas voti à qua votum dicitur ſubſtantialiter ſolemne: tres potiſſimum recenſeri ſolent hac de re opiniones:

93 Prima eſt quam indicat D.Th. q.88. a.7. citato: vbi dicit voti ſolemnitatem attendi ſecundum aliquid ſpirituale quod ad Deum pertineat; id eſt (inquit ipſe) ſecundum aliquam ſpiritualem benedictionem vel cõſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorũ adhibetur in profeſſione certæ regulæ ſecundo gradu poſt ſuſceptionem ordinis ſacri: pro quo citat D.Dionyſium, c.2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & clarius art. 9. vbi in terminis ſic loquitur: Solẽnitas voti in quadam ſpirituali benedictione & cõſecratione conſiſtit. Fauent huic ſententiæ Canones multi, qui in voto ſolemni virginũ & viduarum vrgent conſecrationem, vt Capitulum Nec aliqua; Cap. Viduas; Cap. Si quis ſacro, & alia quædam, cauſa 27. quæſt. 1. & Capitulum Virgines, diſt. 27.

94 Secunda ſententia ponit rationem ſolemnitatis in quadam ſui traditione in poteſtatẽ & dominium Dei, & in acceptatione eiuſdem, quam Deus per Eccleſiam facit, quando Prælatus vice Dei ſic ſe tradentem acceptat: hanc ſequuntur multi & graues Theologi, D.Th. in 4. diſt. 38. q.1. a.2. quæſtiuncula 3. art. 3. & Quodlibeto 3. art. 18. neque improbabiliter quidam exiſtimant, D.Thomam hic idem dicere voluiſſe, quando conſecrationi ſpeciali tribuit ſolemnitatem, nomine ſcilicet conſecrationis intelligendo dictam traditionem, quia per hanc conſecratur homo diuinis obſequijs.

Sub nomine autem traditionis iam explicatæ docuerunt hanc ſententiam Bonauentura in 4. diſt. 38. art. 2. q. 1. Durandus, q. 1. Richard. ibidem, art. 7. q. 2. ſimiliter Dom. Soto eadem diſt. 38. q. 2. art. 1. & 2. & lib. 7. De iuſtitia & iure, qu. 2. art. 5. Arragon. hic qu. 88. art. 7. à Valentia, tom. 3. diſp. 6. q. 6. puncto 5. & tom. 4. diſp. 10. q. 5. puncto 3. Henriquez, lib. 12. De matrimonio, cap. 5. n. 3. & 4. & alij nonnulli.

Præcipuum fundamentũ huius ſententię eſt, quia res vni donata & tradita non poteſt validè donari alteri: ergò religioſus donatus Deo per votum habens traditionem annexam, eiuſdemque acceptationem, non poteſt validè ſe tradere alteri homini in cõiugem: ergò ex vi talis voti quod dictam traditionem habet coniunctã, efficitur perſona inhabilis ad matrimonium validè contrahendum: atqui in eo conſiſtit ſubſtantialis ſolemnitas voti, ſaltẽ caſtitatis, quòd inducat eiuſmodi inhabilitatem: ergò votum ex vi prædictę traditionis ſolẽniſatur, quatenus ſic hominem reddit inhabilem ad matrimonium.

Confirmatur: quia traditio proprij corporis quæ in matrimonio debet fieri, repugnare videtur formaliter & directè cum prædicta traditione religioſa.

Tertia denique ſententia eſt eorum qui docent ſubſtantialem ſolemnitatem voti nõ conſiſtere in aliquo ſpirituali ritu, vt in benedictione, aut conſecratione: neque etiam in aliquo actu vouentis aut in actu alterius acceptantis votum, ſi iſta præcisè ſecundum ſe ſpectentur, & vt ab omni extrinſeco ſeiuncta: ſed conſiſtere in lege vel inſtituto Eccleſiæ quo ſcilicet Eccleſia votis quæ tali vel tali modo aut forma, vt cum ſuſceptione religionis approbatæ, vel ordinis ſacri fiunt, adiunxit moralem quandam energiam aut vim cauſandi peculiares aliquos effectus perpetuos, vt in voto caſtitatis inducendi perpetuam inhabilitatem ad matrimonium validè contrahendum, in voto paupertatis perpetuam incapacitatem dominij; in voto obedientiæ inducendi perpetuam impotentiam ſeſe alijs obligandi, vel ad aliquos ſimiles effectus: ſiue vt magis Metaphyſicè loquamur, In certo reſpectu, ſeu ordine ipſius voti ad talem conſtitutionem Eccleſiæ, vnde in eo reſultant tales cauſalitates.

Et hæc videtur eſſe communior doctrina hoc tempore: & omnibus conſideratis ſolidior. Ita docent Gloſſa in Capitulum Nuptiarum, cauſa 27. quæſt. 1. & in Capitulum vnicum, De voto in 6. Caiet. hic quęſt. 88. artic. 7. Altiſiodorenſis, lib. 3. ſummæ tractatu 28. cap. 2. quæſt. 3. Henricus à Gandauo, Quodlibeto 5. quæſt. 28. & 38. Medina, lib. 6. De continentia ſacrorum hominum, cap. 86. & 87. Abulenſis in cap. 30. Numerorum, quæſt. 59. Scotus in 4. diſt. 38. quæſt. vnica: Suarez, tomo 3. De religione, lib. 2. De religioſi ſtatus eſſentiâ, cap. 6. Malderus, tract. 10. cap. 5. dub. 3. Tannerus, tom. 3. diſp. 5. quæſt. 4. dub. 4. qui alias opiniones reijciunt: Idem ſentit Baſil. Pontius De matrimonio, l. 7. De Impedi-

peditmento voti, cap. 9. quamuis ipſe vocet hanc ſolennitatem non eſſentialem, ſed accidentalem legitimam, vtcumque conformiter cum modo loquendi Caiet. Dicit itaq; ipſe ſolemnitatem votorum legitimâ conſiſtere tum in perpetuitate extrinſeca ex parte exceptantis ſe, quod Prælato ſublata ſit facultas liberum dimittendi, & in illegitimatione quæ ex lege Eccleſiaſtica acceſſit votis illis, qua redditur vouens inhabilis & ad matrimonia ineunda, & ad dominia rerum acquirenda.

95 Probari autem poteſt hæc ſententia primo, quia ſolemnitas voti ſubſtantialis vel cõſiſtit in virtute & efficaciâ cauſandi eiuſmodi effectus perpetuos, quales iam explicuimus, aut certè hæc virtus eſt quædã inſeparabilis eius proprietas & certa nota ſolẽnitatis voti, vt omnes paſſim indicant & apprehendunt: atqui hæc virtus cauſandi iſtos effectus neque reperitur neceſſariò in voto omni quod habet adiunctam benedictionẽ & conſecrationem, neque omne votum habẽs vim cauſandi tales effectus fit neceſſariò cum ſpirituali benedictione ſiue conſecratione: ſimiliter quoque iſta efficacia ſeu virtus non comitatur quoque neceſſariò & conuertibiliter cum voto habente adiunctam ſui traditionem in obſequiũ Dei etiam acceptatam ab Eccleſiâ ſiue à Prælato Eccleſiæ: ergò plena & perfecta ratio ſubſtantialis ſolemnitatis, ſiue vt loquitur Caiet. legitimæ ſolemnitatis voti non poteſt dici eſſe benedictio aut conſecratio, neque etiam traditio vouentis in Dei obſequium acceptata ab Eccleſia vice Dei. Conſequẽtia eſt euidens, quia eſſentialis forma nunquam eſt in materiâ cui non præbeat eſſe ſuum formale; neque poteſt materia habere illud eſſe formale abſque formâ eſſentiali. Maior quoque propoſitio conſtat, vt diximus, ex communi omnium apprehenſione, quæ talis eſt de ſubſtantiali ſolemnitate voti. Vnde probanda eſt minor.

96 Declaratur itaq; prior eius pars, quod ſcil. virtus illa neque in omni voto cum benedictione, neque in eo ſolo reperiatur neceſſariò:

Ac inprimis oſtenditur, quod non in tali voto ſolo, quia votum quod in approbatâ religione fit per tacitam profeſſionem, nullâ accedente benedictione aut conſecratione poſt ingreſſum religionis, obtinet vim cauſandi prædictos effectus; eſtque ſimpliciter votum ſolemne: ergò ſubſtantialis ſolemnitas voti non eſt aliqua benedictio aut conſecratio quæ vouenti accedit: Imò in diuerſis religionibus dicitur etiam profeſſio expreſſa ſiue explicita fieri ſine benedictione & conſecratione, vt in Societate (inquit Suarez loco citato) & in religione Sancti Dominici, in quâ, vt refert Caiet. a. 7. citato, ſolæ veſtes benedicuntur; idque poſt profeſſionem immediatè, ita vt hoc fiat poſtquàm eſt ſolemni voto alligatus ille cuius veſtes benedicuntur: & proinde illa qualiſcumque benedictio quæ interuenit, ſupponit ibi votum ſolemne; igitur benedictio illa non facit ſolemne.

Deinde quod nec omne votum cui adiungitur benedictio aut conſecratio, habeat neceſſariò virtutem illam, ſic oſtendit Caiet. loco citato, quia poſſet Eccleſia conſtituere quod de cætero ſuſcipientes ordinem ſacrũ, non niſi ſimplex votum continentiæ emittant, imò poſſet legem continentiæ ſeparare à ſuſceptione ordinis ſacri: & tunc licet quis expreſsè voueret continentiam ſuſcipiendo ſacrum ordinem, tamen illud votum non eſſet niſi ſimplex, tametſi eodem modo conſecraretur ſicuti nunc; ergò &c.

Rurſum in Societate dicit Suarez, fieri vota ſcholaſticorum & coadiutorum cum publicâ ſolemnitate valdè ſacrâ, videlicet in manibus ſuperioris tenentis ſacram Euchariſtiam, & tamen illa vota tantum ſunt ſimplicia, & ab initio, inquit, non reddebant perſonas inhabiles ad matrimonium; ergò &c.

Secunda pars minoris etiam probatur, 97
quia poteſt ſimiliter dari votum caſtitatis coniunctum traditioni factæ in obſequium Dei & per hominem nomine & vice eius acceptatum, & non inducere inhabilitatem ſiue non habens vim irritandi matrimoniũ, atque ita non eſſe ſolemne; ergò &c.

Antecedens probatur primo, quia cum voto caſtitatis quod emittitur in ſuſceptione ſacri ordinis, fit quoque traditio quædã perſonæ ad famulatum & ſeruitium Dei; nã qui ſacris initiatur, tradit ſpeciali modo ſeipſum in manus Epiſcopi, ac poteſtatem Eccleſiæ ad diuinum cultum, & tamen quantum eſt ex natura rei, poſſet votum illud cũ tali traditione conſiſtere intra terminos voti ſimplicis, vt ex modò dictis conſtat.

Hinc itaque de iſto voto Clericorum, D. Tho. & alij dicunt eſſe ſolemne tantũ quaſi per accidens, & proinde huius ſolemnitatem non difficulter admittere videntur referendam eſſe ad Eccleſiæ inſtitutum, eò quod iſta traditio non ſit ita perfecta, nec eiuſdem rationis cum illâ quæ in profeſſione religioſâ habetur.

Probatur itaque ſecundò etiam de ſolẽni voto religioſo, quia poteſt quis vouendo conſilia Euangelica ſimul ſe tradere in manus & poteſtatem alicuius Prælati, ac ſe Deo donare in ſeruum perpetuum in familiâ religioſâ, & poteſt illa traditio nomine & vice Dei acceptari ab eodem Prælato, perinde ac in religione approbatâ, & tamen votum illud nõ habebit efficaciã cauſandi effectus illos, quos diximus cum ſolemnitate voti reſpe-

Digitized by Google

reſpectiuè connexos, ac proindè ſolemne non erit, non obſtante eâdem traditionis formulâ, & ſimili acceptatione, ſi iſta religioſa familia non habeat priuilegium religionis approbatę nec inter approbatas religiones numeretur, ergò in traditione qualicumque cum voto ſiue caſtitatis, ſiue paupertatis, ſiue obedientiæ, ſiue omnium triũ, non poteſt ſufficienter ex ſolâ naturâ rei fundari voti ſolemnitas ſubſtantialis, dum per ſe nudè ſpectatur illa traditio.

Confirmatur, quia religioſi ſimplices Societatis non minus ſe donant religioni quoad abdicationem dominij in ſe ipſos & tranſlationem eiuſmodi in religionem pro tempore quo manent in illo ſtatu, quàm ſolemniter profeſſi, & tamen ex illâ traditione non ſunt inhabiles ex naturâ rei ad matrimoniũ: quod patet ex progreſſu Societatis, inquit Suarez ſuprà cap. 7. nu. 21. nam in principio, ait, tales religioſi non fiebant inhabiles ad matrimonium etiã durante ſtatu illo: ſed poſtea per conſtitutionem Gregorij XIII. facti ſunt inhabiles pro tempore quo verſabantur in illo ſtatu; & tamen nec traditio, nec vita, nec modus aſſumendi ad talem ſtatum ſunt immutata, ergò traditio quam facit religioſus non inducit per ſe eiuſmodi effectus.

98 Ex dictis itaque infertur altera concluſionis pars, quod ſcilicet ſubſtantialis ſolẽnitas voti dicenda ſit pendere ab Eccleſiæ inſtituto ſeu lege, & conſiſtere in aliquo reſpectu vel ordine ipſius voti ad tale inſtitutũ Eccleſiæ; neque enim videtur aliundè poſſe prouenire, vel in alio conſtitui.

Confirmatur Primò, quia Bonifacius VIII. Capitulo vnico, De voto in 6. ita hâc de re loquitur: Nos attendentes quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta &c. vbi Pontifex euidenter ſupponit id quod in concluſione dicimus: hinc & Gregorius XIII. in quadam Bulla, quæ incipit, Aſcendente Domino, & exſtat apud Azorium 1. parte, libro 13. reſumit prædicta verba Bonifacij, & ponit ea pro fundamento deciſionis ſuæ quam ibidem facit: oportet igitur neceſſario fateri ad plenè fundandam voti ſolemnitatem, debere interuenire Eccleſiæ conſtitutionem.

99 Confirmatur Secundò, quia in quocumque voto ſolenni, tria tantum poſſunt ſpectari præter Eccleſiæ conſtitutionem, ſcilicet promiſſio ſeruandi perpetuò, v. g. caſtitatem, aut paupertatem, ab eo deinceps tempore; donatio & traditio; ſiue denique conſecratio ſeu benedictio, ſub qua licet comprehendere omnem celebrem ceremoniam ſpiritualem quæ poteſt interuenire; atqui nihil iſtorum trium per ſe & ex natura ſua dat voto vim irritandi matrimonium ſubſequens, vel inducendi incapacitatem dominij &c. vt de benedictione ſeu conſecratione; item de traditione ſui conſtat ex dictis, de qua & amplius conſtabit ex reſponſione ad argumentum pro ea ab initio adductum: idemque ſatis certum eſt de ipſa promiſſione ſeruandi perpetuò caſtitatem, vt omnes facilè videntur admittere, quia tota vis talis promiſſionis reperitur etiam in votis ſimplicibus, & tamen non reddunt per ſe perſonas vouentes inhabiles: ergò &c.

Ex iſtis itaque & ſimilibus dicit Caiet. loco citato conſtare, quòd ad votũ ſolemne duo exigantur, ſcilicet ex parte vouentis, quod ipſe voueat: ex parte Eccleſiæ autem, quod voto tribuat, vt ſit inhabilitans hominem ad matrimonium, loquendo ſcilicet de ſolemni voto caſtitatis.

Addit autem inſuper conſtare, non poſſe votũ ex priuata poteſtate habere vim illam inhabilitandi, ſed ab Eccleſia illã dependere, quia, inquit, ſublatã Eccleſiæ inſtitutione & approbatione, quantumcumque quis ſuſcipiendo ſubdiaconatum voueret caſtitatem, & quantumcumque quis faceret profeſſionem religionis, nunquam ſolemni voto ligaretur, neque inhabilis foret ad matrimonium validè contrahendum, quamuis contrahendo peccaret,

Quod igitur ad Canones pro prima ſententia allegatos attinet, 100

Reſpondetur, quandoquidem cuiuſlibet noui ſtatus aſſumptioni ſoleat adhiberi quędam proportionata celebritas, vt per exempla declarat D. Thomas ſuprà, art. 7. hinc conuenienter quoque ab antiquo, atque adeò ab Apoſtolorum tempore, vt ex D. Dionyſio, libro De Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 6. & alijs ſatis conſtat, conſueuerunt in amplexu ſtatus religioſi adhiberi ſuæ quoque ſolemnitates, videlicet aliquæ ſpirituales benedictiones & conſecrationes, à quibus ſaltem tanquam à nominis ratione potuerunt rectè dici ſolemniter vouiſſe, qui ſtatum eiuſmodi amplectebantur, & quia ita vouentes ſe Deo conſecrabant & quaſi ſpiritualiter nubebant Chriſto, hinc Patres & Canones contra tales votifragos & primam fidem irritam facientes vrgent ſæpius conſecrationem ipſorum, non tam quæ ab Eccleſia Prælatis eis impendebatur, quàm quâ ſe Deo dicauerant, & conſecrauerant, ſic vt auctoritates illæ dici poſſint magis fauere ſecundæ ſententiæ quàm primæ.

Quod colligi poteſt ex Capitulo Viduas quæ ſpontanea: vbi vrgetur quod diſcedant poſtquam Domino ſe ſemel ſub velo conſecrauerint: & ex Capitulo Sciendum, vbi vrgetur quod corpora conſecratarum per proprię ſponſionis votum non debeant alijs tradi: nunquam verò dixerunt PP. aut Canones ſubſtantialem illam ſolemnitatem, de qua hic inquirimus, conſiſtere in benedictione

Digitized by Google

ctione ut conſecratione vouentibus impē-ſa, aut ex eā naſci vel prouenire.

Caiet. verò notat D. Thomam magis vr-ſiſſe benedictionem in hâc materiâ voti ſo-lemnis, quia aliter non poterat probabiliter fundare indiſpenſabilitatem omnem in vo-to ſolemni caſtitatis, quam exiſtimabat om-ninò firmiter eſſe tenendam propter verba illa Pontificis Innocentij III. quæ habentur Capitulo Cum ad monaſterium, ſub finem De ſtatu Monachorum: Nec æſtimet Abbas (inquit Pontifex) quod ſuper habendâ pro-prietate poſſit cum aliquo Monacho diſpē-ſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Pontifex poſſit licentiam indulgere. Verùm eā de re infrà ex propoſito agemus

101 Quod attinet ad fundamentum ſecundæ ſententiæ iam ſatis oſtenſum fuit per ratio-nes & exempla, quòd donatio & traditio illa, quæ fit à religioſo, quæque ab Eccleſiæ Prælatis acceptatur, non cauſent effectus proprios voti ſolemnis, imò ex illâ traditio-ne in ſe nudè ſpectatâ prout eſt actus mo-ralis diſtinctus à voto caſtitatis, nō naſcere-tur obligatio ſeruandi perpetuam caſtitatē; quæ obligatio ex voto oritur.

Vt itaque in formâ ad argumentum reſ-pondeatur, dicendum eſt, quod res vni donata & tradita non poſſit donari & tradi alteri ſecundum rationem illius iuris quod tali donatione cenſetur donator à ſe alie-nare & in dominium alterius acceptantis transferre: iam verò donatio & traditio, quas facit religioſus in ſuâ profeſſione, non verſantur circa poteſtatem quam habet quis in corpus ſuum vt poſſit illius ius alteri tribuere reſpectu actus coniugalis.

Declaratur hoc primò à poſteriori, quia quando coniugati de mutuo conſenſu pro-fitentur in religione approbata, non minus donant & tradunt ſe Deo ad omnem reli-gioſum vſum, quàm alij profitentes non coniugati, & tamen cum illa donatione & tarditione ſtat, quòd neuter amittat pote-ſtatem in corpus alterius, adeò vt ſi de poſt ſe cognoſcerent, non committerent iniuſti-tiam contra quemquam; quamuis contra Deum & contra virtutē religionis grauiter peccarent.

Secundò declarari poteſt à ſimili per ex-emplum, quo quis ſe donat aut vendit alteri in ſeruum ſeu mancipium perpetuum ſeſeq; in ſeruitutem tradit, quia per illos actus ſe non priuat dominio ſui ipſius in ordine ad coniugale officium & validè poteſt vxorem ducere: neque prior traditio impotentem ſeu inhabilem fecit ad ſecundam hanc tra-ditionem faciendam. Antecedens conſtat ex Capitulo 1. De coniugijs ſeruorum: ergò etiamſi religioſus in profeſſione ſe donet & tradat religioni, non tamen idcircò amittit poteſtatem ſeu habilitatem ad contrahen-dum matrimonium.

Cōfirmatur: quia licet dominus acquirat ius in ſeruū quo ad operas eius, ita vt poſſit eo vti ad omne obſequiū prudēs & vtile, & fortaſſe per matrimonium ſerui impediatur aliquomodo ab illo obſequio, nihilominùs ius & libertas matrimonij tanta eſt & tā na-turalis vt non potuerit quiſpiam coactè, vel etiā ſuâ priuatâ voluntate priuari iſto iure & poteſtate, etiamſi quoq; in iuſtam pœnā ſit in ſeruitutē traditus, vel ſpontanea ſua vo-luntate ſe in ſeruum vendiderit, vt docet Suarez ſupra cap. 9. nu. 8. 101

Simili igitur modo, quando quis ſe tradit in ſeruitutem religioſam non ſtatim ex vi priuati ſui conſenſus in illam traditionem, ſe reddit inhabilem & impotentem ad con-trahendum validè matrimonium niſi acce-dat Eccleſiæ authoritas, quæ illam inhabili-tatem inducat.

Ex iſtis itaque ſatis liquet, quod traditio illa non pugnet formaliter cum vinculo matrimonij, neque cum poteſtate quam al-ter coniunx per contractum matrimonia-lem in corpus alterius acquirit; quamuis dum ſimul emittitur votum caſtitatis poſſit ſuperior in vim eiuſmodi donationis & tra-ditionis interdicere, vt cauſa religionis à nuptijs abſtineat, licet ex nuda traditione non fiat ad illas inhabilis.

Tertiò probari poteſt: quia per donatio-nem quam Deo de rebus noſtris facimus, non accreſcit Deo aliquod dominium, niſi quatenus hoc illi preſtamus in ſuis miniſtris, in quos illud transferimus, & proinde nec dominium illarum aliter à nobis alienamus, atqui dum quis ſe Deo donat tradendo ſe religioni, non tradit dominium iuris illius quo matrimonium contrahere potens eſt, in ipſam religionem ſic vt illa acquirat do-minium iuris illius; ergò nec ſe priuat illo iure.

Confirmatur ſubſumptum primò: quia fit quis religioſus etiamſi alteri coniugi iam dederit poteſtatem ſui corporis: deinde ſe-queretur quod Prælatus religionis poſſet illum abſque eius conſenſu validè tradere alteri in matrimonium, ſicuti dominus po-teſt validè tradere ſeruum in dominium al-terius, quando ille ſe donauit & tradidit in ſeruitutem eius, & ſui dominium à ſe abdi-cauit.

Obſeruanda eſt itaque hic differentia quædam inter promiſſionem & donatio-nem, quod ſcilicet promiſſio fit quædam lex particularis quam ſibi quis ponit, & ideò hæc poſſit fieri immediatè in vouente aut promittente, quem ſpecialiter obligat ad cultum Dei quem vouet, cuius obligationis homo capax eſt; & quia hominem ſic ob-ligari 103

Digitized by Google

ligari bonum eſt, idque ad diuinum cultum facit, hinc talem promiſſionem Deus quoque acceptat: at verò donatio immediatè & per ſe non habet effectum ſuum in donante, ſed in donatorio in quem transfert tale dominium rei donatæ, quale ipſe habebat, & tantùm conſequenter ſe priuat illo dominio, & indè ſolum obligatur ad nõ agendum contra illam donationem factam: quandoquidem igitur Deus immediatè in ſe non eſt capax imperfecti illius dominij quale habet creatura in ſe & in ſua bona, hinc diximus per donationem quã de rebus noſtris Deo facimus, non accreſſere ipſi aliquod dominium, niſi quatenus illud transferimus in eius miniſtros qui capaces ſunt eiuſmodi particularis & imperfecti dominij, quod poteſt videri indicaſſe Pſaltes, quando Pſal. 15. dicit: ***Dixi Domino, Deus meus tu es, quoniam bonorum meorum non eges.***

Sed contra dicta opponet aliquis, quando quæritur, quare votum caſtitatis emiſſũ cum profeſſione religionis approbatæ irritet matrimonium ſubſequens, reſponderi ſolet; quia eſt votũ ſolemne, ergò non rectè explicatur voti ſolemnitas conſiſtere in efficacia & virtute irritandi matrimonium ſiue inhabilitandi perſonam ad matrimoniũ accedente per Eccleſiæ conſtitutionẽ. Probatur conſequentia, quia hoc ſuppoſito, quod in hàc efficaciâ ſita ſit ſolemnitas, iam ſi quęratur quare votũ illud ſolemne ſit? reſpondendũ erit eſſe ſolemne, quia irritat aut vim habet irritandi matrimoniũ ſubſequens atque ita reſponſio redibit in vitioſum circulum, quaſi diceretur, quod hoc votum irritat matrimonium ſubſequens quia eſt ſolemne, & ideò ſit ſolemne, quia irritat matrimonium; quæ ſunt abſurda.

104 Reſpondetur negando conſequentiam: ad illud autem quod ad illius probationem aſſumitur, dicendum eſt, quod dum quæritur de actu ſeu effectu alicuius, quare illum operetur aut cauſet? rectè poſſit reſponderi illud operari vel cauſare eiuſmodi effectum, quia talis ſiue talis naturæ eſt, vel aſſignando terminum ſiue vocabulũ ſimplex, quod includit aut importat virtutẽ operãdi talem effectum: & ſi terminus ille ſimplex fuerit, nec ſatis clarè ipſam virtutem exprimat, tunc ſi de illo quæratur, quare eiuſmodi effectũ operetur, rectè & ſine vitio circuli poſſe aſſignari, quaſi illius termini deſcriptionẽ per formam ſeu virtutem operandi eiuſmodi effectũ: vt ſi quæratur, quare hic color diſgregat viſum, reſponderi poterit quia eſt albus; ſi verò iterũ petatur quare eſt albus, non quidem rectè dicetur quia diſgregat viſum, ſed aptè reſpondetur quia virtutem habet diſgregandi viſum: atque ita ſimiliter dum petitur quare votum illud irritat matrimonium ſubſequens, rectè poteſt reſponderi, quia eſt ſolemne: & quando petitur quare eſt ſolemne, rectè reſpondebitur, quia ex Eccleſiæ conſtitutione habet annexam efficaciam irritandi matrimonium ſubſequens ſiue reddendi perſonam inhabilem ad contractum matrimonialem.

DVBIVM XVII.

De antiquitate huius conſtitutionis Eccleſiaſticæ, qua religioſi redduntur inhabiles ad matrimonium validè contrahendum.

SVppono hic apud Catholicos omnes pro indubitato haberi contra Hæreticos, nunquam in Eccleſia Chriſti matrimonia fuiſſe licita poſt vota emiſſa ſiue poſt religionis profeſſionem, ſed ſemper ea fuiſſe tanquã coniugia ſacrilega & infamia habita: An verò iſta matrimonia ita cum peccato ſacrilegij contracta fuerint aliquando valida, inter Catholicos adhuc diſputatur. Baſilius Pontius ſup. cap. 14. ex profeſſo tuetur affirmatiuam partem, & citat alios pro ſe authores, Azorium, tom. 1. lib. 12. cap. 6. qu. 3. Vaſquez in 1. 2. diſ. 165. c. 6. Bellar. lib. De Monachis cap. 34. qui putat id probabile: vnde Pontius videtur exiſtimare, Eccleſiã nunquã irritaſſe eiuſmodi matrimonia vſque ad C. generale Romæ celebratum an. 1139. ſub Innocentio II. cuius decretũ refertur cauſſa 27. q. 1. Cap. Vt lex. vbi dicitur, Statuimus vt Monachi atq; conuerſi profeſſi, qui ſanctum transgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur: huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonia non eſſe cenſemus: aliqui tamen referunt ad Calixtum Papam qui ſedet an. 1114. Sed probabilior ac verior apparet pars negatiua (quamuis res propter graues authoritates maneat vtrimque probabilis, vt adhuc infrà dicemus) quod ſcil. lex irritans matrimoniũ poſt ſolemnia ſeu ritè facta vota monaſtica deſcẽdat ab Apoſtolica traditione, & ſemper in Eccleſia fuerit. Ita docet Mald. tract. 10. cap. 5. dub. 3. vbi pro eâdem doctrinâ citat D. Thomam, in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. Turrianum lib. 2. De votis monaſticis: Pamelium ad epiſtolam 63. Cypriani, & Henriquez lib. 12. cap. 5. 105

Et probari poteſt ex antiquis Scriptoribus: Indicat enim inprimis hoc Innocentius I. epiſtola 2. cap. 12. vbi inter alia, eas dicit eſſe adulteras Chriſti quæ poſt votum nubunt, vt refertur Capitulo De Chriſto, cauſa 106

27. qu.

Digitized by Google

27. quæst. 1. Tertull. quoque libro De velãdis virginibus: nupſiſti Chriſto, inquit, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam, & ſub finem exhortationis ad caſtitatem; Deo nubere, inquit, maluerunt: ſimilia habet D. Aug. ad virginem lapſam, c. 5. Cyricius Papa epiſt. 1. coniugia Monachorum dicit legibus publicis & Eccleſiaſticis iuribus damnari: quod autem Eccleſiaſtica iura ſint antiquiſſima, & ab Apoſtolis ducant originem declarat epiſtola 4. Vbi poſtquam dixiſſet, litteras dare placuit non quæ noua præcepta aliqua imperent, ſed quibus ea quæ per ignauiam deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſeruari cupiamus quæ Apoſtolica, inquit, & PP. conſtitutione ſunt conſtituta: deinde ſubiungit, tanquam vnam ex iſtis conſtitutionibus, vt Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus abſtineãt: dubium autem non eſt nihil minus fuiſſe conſtitutum de Monachis quorum coniugia dixit epiſtola 1. legibus publicis damnari, quoſque D. Dionyſius Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 6. teſtatur in ſua profeſſione ſolitos renuntiare vitæ diuiſibili, id eſt, vitæ coniugali: alludit enim ad illud Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 7. *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, & diuiſus eſt.* Concilium 4. Carthaginenſe deſcribit ſolemnia vota viduarum, & excommunicat illas tanquam Chriſti adulteras ſi poſtmodum ad nuptias ſæculares tranſierint, quæ omnia ſatis indicant ab antiquo in Eccleſiâ fuiſſe certam rationem & modum vouendi virginitatem ſeu continentiam talem, vt quæ ſic vouiſſent non poſſint validè ad nuptias ſæculares tranſire. Hinc multi Canones antiqui decernunt eos qui matrimonium contrahendo, primam fidem fecerunt irritam, cogendos eſſe vt relicto coniugio ad priora vota redeant. Vide Capitulum Quod interrogaſti, diſt. 27. & Capitulum Sicut, Capitulum Viduas, & Capitulum Nec aliqua, cauſa 27. quæſt. 1. vbi & plura alia idem dicunt.

Quare vera eſſe videtur obſeruatio Gloſſę ad Capitulum Vt lex, cauſa 27. quæſt. 1. iam citatis: vbi dicit regulas illas antiquas de matrimonio non ineundo poſt ſolemne votum, debere cenſeri non tantum prohibentes, ſed etiam irritantes. Verùm

107 Obijciuntur quædam ex D. Cypriano, ex D. Auguſtino: Cyprianus enim epiſtola 62. ad Pomponium, videtur de virginibus quæ ſe Chriſto dicauerant loqui, dum ſic ſcribit: Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant: Non ergò fiebant inhabiles ad contrahendum matrimonium: & D. Aug. libro De bono viduitatis, cap. 9. vt refertur Capitulo Nuptiarum, cauſa 27. quæſt. 1. Scribit de matrimonio earum, quæ voto ſe Deo dicauerant; non quia ipſæ nuptiæ vel taliũ damnandæ iudicentur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur voti fracti fides, poſtremo damnantur tales, non quia coniugalem fidem poſterius inierint: ſed quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt; ergò &c.

Pro explicatione horum, Obſeruandum eſt cum Pamelio ſuprà, Suarez tom 3. De Relig. lib. 9. De voto caſtitatis, c. 6. & alijs, antiquitùs diuerſos fuiſſe virginũ ſiue eorũ qui cõtinentiam ſeruabãt, ordines ſeu ſtatus, ſicuti & hiſce temporibus reperiuntur: quędam enim ex propoſito tantùm, vel etiam ex nudo ſimplici voto ſine externis cæremonijs ſeruabant virginitatem aut continentiam; & hæ liberè viuebant cum quibuſlibet, neque diſtinguebantur aliquo particulari habitu: quædam verò publicè & cũ diuerſis ſacris ceremonijs ſe Chriſto conſecrabant, & particulari habitu vtebantur.

Indicat hæc D. Dionyſius, cap. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ iam citato: Vbi facit mentionem conſecrationis virginũ & mutationis veſtimentorum, ac detunſionis crinium.

Quod etiam ſignificat D. Hieronymus ad Sabianum Diaconum: moris eſt, inquit, vt tam virgo quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint (ſcilicet ſolemniter) & ſæculo renuntiantes omnes delitias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant reſecandum, capite poſtea ligato & velato.

D. Aug. quoque in Pſalmum 75. diſtinguit ſimpliciter virginitatem vel caſtitatem vouentes ab his qui relictis omnibus vouent ire in vitam communem & ſocietatem Sanctorum: imò inter eas etiam quæ cum externo & ſacro aliquo ritu ſe Deo dicabant, videtur fuiſſe aliqua differentia, ſic vt quoq; ex his quædam cenſerentur emittere ſimplex tantum votum caſtitatis; quædam verò ſolmne, quo reddebantur inhabiles ad nuptias: quemadmodum & hoc tempore fit: vouent enim ſolitariè incluſæ, & quæ vocãtur communiter Begginæ cum ſacris cæremonijs, & tamen votum tantum ſimplex eſt.

Notat hæc etiam Suarez loco citato n. 39. in fine: & ideò in antiquitate, inquit, hæc duo diſcernere ſæpè difficile eſt.

Quod itaque ad Patres allegatos attinet, pro indubitato habendum videtur: inprimis, quod D. Aug. loquatur non de viduis illis quæ tantum poſt propoſitum aliquod caſtitatis conuolant ad ſecundas nuptias, vt quidam volunt exponere, forſitan, quia ibidem & duobus capitibus ſequentibus, aliquando nomine propoſiti vtitur, ſed de illis quæ poſt abſolutum votum caſtitatis tranſeunt ad nuptias ſæculares: expreſsè enim ſępius ibidem voti nomine vtitur, vt dum ſignificat ſe agere de abſoluto debito voti: 108

Rurſum

Rurſum quando dicit quod damnatur fracta voti fides, & cap. 11. Non dubitauerim dicere, inquit, lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiori quæ vouetur Deo, adulterijs eſſe peiores; & iterum, tanto magis fraudatio voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi neceſſitatem. Vnde quando nomine propoſiti ſubinde in illis vtitur, accipit pro voto ſiue propoſito firmato voto.

Secundò euidens quoque eſſe videtur, D. Auguſtinũ docere & quidem ex profeſſo præſertim cap. 10. coniugia talium, de quibus agit, fuiſſe vera matrimonia: ſcribit enim expreſsè, Proindè qui dicunt taliũ nuptias, non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur, inquit, ſatis acutè & diligenter conſiderare quid dicant: quod conſequenter latiùs exponit: & in fine capitis: Fit autem per hanc minus conſideratam opinionem, quâ putant lapſarum à ſancto propoſito fæminarum ſi nupſerint, non eſſe coniugia, non paruum malum, vt à maritis ſeparentur vxores quaſi adulteræ ſint, non vxores: & cum volunt eas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cùm ſuis vxoribus viuis alteras duxerint.

His ſic ſuppoſitis, duplex ſolet adhiberi reſponſio ad hanc authoritatem Auguſtini, quatenus militare videtur contra doctrinã poſitam.

109 Vna eſt, quod ſolemnitas illa ſubſtantialis quam dicimus ſemper diremiſſe matrimoniũ ſubſequens, non fuerit tempore Auguſtini in locis illis in vſu, etiamſi alioquin ſiue virgines ſiue viduæ caſtitatem vouentes cum aliquâ externâ cæremoniali celebritate Deo dicarentur, & profeſſionem facerent: quibus fauere poteſt quod ſcribit Aug. in fine capitis 11. citati: Bonum ergò continentiæ vidualis luculentiùs decet, cum pro illo vouendo, & profitendo poſſunt contemnere fæminæ, quod & libet, & licet: ſed poſt voti profeſſionem perſeueranter frænandũ & vincendum eſt, quod libet quia iam non licet. Ex quibus videri poteſt, quod loquatur de ſolemniter profeſſis, quodq; proindè profeſſio tunc non induceret inhabilitatem ſaltem in locis Diui Auguſtini.

Quòd nihilominùs tamen alijs in locis, & anterioribus temporibus ſemper in Eccleſia fuerit certis vouendi modis coniuncta illa vis & efficacia inhabilitandi vouentes ad ſubſequens matrimonium. Indicat iſtam reſponſionem Hugo de Sancto Victore lib. 2. De Sacramentis parte 11. cap. 12.

Altera reſponſio eſt, quam ibidem quoque habet Hugo, & ſequuntur magis communiter alij, quod ſcilicet non fuerit etiam D. Auguſtino incognita ratio illa vouendi quæ induceret inhabilitatem: quodque etiã illis in locis fuerit in vſu (nam Concilium Carthaginenſe 4. cui D. Auguſtinus interfuit, videtur illam agnouiſſe) ſed quòd ſimul in vſu fuerit alius quoque ordo virginum & viduarum, quæ tantùm voto ſimplici aſtringerent ſe ad ſeruandam caſtitatem; idque facerent quædam priuatim tantùm, quædam verò publicâ quadam profeſſione & ſacrâ cęremoniâ accedente, quemadmodum videmus id ipſum etiam his temporibus fieri: & quod proindè D. Aug. locis citatis loquatur dumtaxat de huiuſmodi viduis aut virginibus, non de alijs quæ perfectiſſimo modo vouebant & profitebantur caſtitatem, relinquendo ſimul omnia, & ingrediendo vitam communem & ſocietatem Sanctorum, vt ipſe de quibuſdam vouentibus loquitur in Pſalmum 75. vltra medium, quo nomine deſignare videtur ſtatum vitæ ſimpliciter religioſæ.

Ad D. Cyprianum verò quod attinet, hoc inprimis ſatis clarum videtur, quod non 110
loquatur de virginibus velatis, & quæ ad vitã communẽ ac ſocietatẽ Sanctorum, vt D. Aug. loquitur, ſe receperant, quarum tamen vota dumtaxat habebantur ſolemnia. Colligitur ex eo, quia eodem loco ſignificat Cyprianus, quod promiſcuè apud viros habitarent, & lib. De diſciplinâ & habitu virginum, quod balnea, quod nuptias adirent, quod non certo habitu aliquo vterentur, ſic vt citato libro valdè redarguat ſuperfluum earum ornatum, quæ omnia in virgines velatas non competebant.

Quare cum fuerit etiam tum alius ordo virginum & viduarum, quæ non tam dicebantur ſe dicaſſe Deo, vt hæ de quibus loquitur D. Cyprianus, quàm ab Epiſcopo dicatæ & conſecratæ Deo, velamine accepto, vt citato loco notat Pamelius.

Hinc ex allegatis verbis Cypriani, nihil conuinci poteſt contra doctrinam ante poſitam. Pro quâ multum etiam facit D. Baſilius libro De verâ virginitate, vbi de fęminis quæ poſt profeſſionem virginitatis nubere volunt, ita ſcribit: Stupri ſcelus honeſto cõiugij nomine obtegere cupiunt. Vnde illas meretrices & adulteras vocat, & adiungit, non ſolum à fœdere ſponſi cœleſtis, verùm etiã à legitimo mortaliũ thoro alienæ prorſus deprehenſæ ſunt: quæ poſteriora verba planè videntur importare, quod veras nuptias ſæculares inire validè nõ potuerint illę de quibus ipſe agit.

Difficultas autem aliqua remanet circa D. Cyprianum, quomodo vel de illis quæ ſimplici tantùm voto ſe Chriſto dicauerant, rectè dixerit: Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt, nubant quàm in ignem delictis ſuis cadant; quandoquidem ipſo voto ſaltem prohibeantur & nuptiæ ſint ipſis illicitæ.

Reſpon-

Reſpondeat quidam D. Cyprianum id tantum permittere tanquam minus malum, quia minus eſt quod nubāt vni viro cū quo viuant quaſi in coniugali caſtitate, quàm quod contra votum cum multorū ſcandalo, viuāt luxurioſè extra ſtatū matrimonialem.

Alij autem ſubindicant, vt Mald. quòd D. Cyprianus voluerit per diſpenſationem eis nuptias eſſe concedendas: Bellarminus verò docet Cyprianum loqui de ijs quæ nondum vouerant, ſed de vouendo deliberabant, ſicuti nouitiæ in religione, vel aliæ etiam virgines in ſæculo, quæ habent propoſitum ſeruandi caſtitatem, & de voto faciendo ſiue ſolemni, ſiue ſimplici deliberant: Idque videtur verius; vnde totus ille contextus Cypriani ſic erit accipiendus, quòd loquatur de virginibus in virginitatis propoſito degentibus in communi cum alijs quę vouerunt, de quibus ſic ſcribit: Quod ſi ex fide ſe Chriſto dicauerint (aliquæ ſcil. ex iſtis) pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent: ita fortes & ſtabiles, premiū virginitatis expectent: ſi autē perſeuerare nolunt aut non poſſunt (ſcilicet aliæ ex iſtis) non ſe Chriſto dicent, melius eſt enim, quòd nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant.

112 Cæterùm obſcura vtcumque eſt res illa de irritatione matrimonij per vota antiquitus emitti ſolita, vnde Suarez, lib. 9. cap. 11. n. 23. fatetur ea quæ adducuntur ad oſtendendum ſemper in Eccleſia fuiſſe vſum votorum irritantium ſubſequens matrimoniū non ſufficere ad faciendam certam omninò fidem, idq; eo minus, quia auctoritates prędictæ, & aliæ quædā ſatis videntur militare in contrarium, quod latè proſequitur Baſil. Pontius ſup. c. 14. cit. Hoc interim ſibi certū eſſe aſſerit Suarez n. 5. cum Pontio ſaltem à tempore Innocentij II. fuiſſe inuiolabiliter obſeruatum, quod ſolemne votum factū in profeſſione religionis approbatæ redderet vouentes inhabiles ad matrimonium ſubſequens: hic enim in Concilio Romano legem ſtatuit, aut certè eam fuiſſe, aut eſſe apertè declarauit, quod ſic contrahentes debeant ſeparari, & rationem reddit: huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus: in qua lege declarat ibidem, pares eſſe Clericos in ſacris, Canonicos regulares, Monachos, atque conuerſos profeſſos & Sanctimoniales fæminas.

113 Ex dictis autem ſuboriri poteſt dubium, quid deſit votis illis quę emittūt Clerici ſiue Scholaſtici, Coadiutores Societatis, quo minus ſint ſolemnia cum habeant vim irritandi matrimonium.

Reſpondet Suarez hoc eis deeſſe, quod non inhabilitent perſonam ſimpliciter perpetuo, ſed ſolum quamdiu durant; non habent autem durationē abſolutè perpetuam, quia non ſunt annexa profeſſioni perpetuæ ex vtraque parte, ſed traditioni ſolubili per repudiationem acceptantis, & ideò, inquit, non habent ſufficientem vim ad votum ſolemniſandum. Similiter quoq; reſponderet Baſil. Pontius, qui ad ſolemnitatem legitimā votorum, requirit perpetuitatem, ita vt vota acceptans etiā ex ſua parte renuntiet facultati dimittendi liberum, eum qui vouet. Similiter docet Tann. diſp. 5. q. 4. dub. 4. n. 64.

DVBIVM XVIII.

Quanta ſit obligatio voti?

RESPONDEO & DICO Primò: Obligatio voti tam eſt grauis, vt ex genere ſuo ſit peccatum mortale illud non ad implere. Eſt doctrina cōmunis & certa: 114

Probatur 1. ex Script. Deuter. cap. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus:* apud Eccleſiaſten c. 5. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſsio*: quibus locis notanda ſunt illa verba, *Quia requiret illud Deus* &c. *& diſplicet enim ei infidelis* &c. 1. ad Thimoth. cap. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Vide caput 20. libri Prouerbiorum, cap. 7. Leuiticorum: D. Ambroſium, lib. 9. in Lucam, vbi cap. 20. hac de re ita ſcribit: quam grauia vincula promittere Deo, & non ſoluere.

Probatur Secundò, ratione D. Thomæ, quæſt. 88. art. 3. quia ſi homini facta promiſſio obligat, quanto magis facta Deo: hoc enim pertinet ad fidelitatem ab homine Deo debitam: imò & ad reuerentiam ipſi debitam, vnde violare fidem ipſi datam continet quendam neglectum & quaſi vilipendentiam ipſius Dei.

DICO Secundò: Poteſt tamen voti tranſgreſſio eſſe venialis tum ex imperfecta aduertentia, tum ex paruitate materiæ, ſaltem quando hæc tantum eſt particula quædam materiæ maioris quæ in voto eſt: vt ſi quis vouerit legere Pſalterium, & omitteret aliquos verſiculos. Ita communiter tradunt Doctores omnes. 115

Dixi, ſaltem quando hęc materia exigua eſt tantum particula maioris materiæ quæ eſt in voto: quia controuertitur quid dicendum ſit, quando materia exigua eſt tota materia voti, vtrùm tranſgreſſio voti ſit venialis tantum, an mortalis.

Angelus V. Votum 3. §. vltimo, Caiet. hîc quæſt. 89. art. 7. & Tolet. lib. 4. cap. 17. docent paruitatem materiæ in voto non excuſare à mortali, quando eſt totalis materia voti, quod probat Caiet. longâ ratiocinatione per diſtinctionem inter pręcepta iuris 116

materialis,

Digitized by Google

naturalis, & diuini, & inter vota quæ ſunt quaſi leges quædam particulares, quod ſcilicet iſta ſint determinata ſolum ad genera rerum: hæc autem ex intentione vouentis determinantur ad hanc particularem materiam, vnde concludit, quod tranſgreſſiones præceptorum iuris naturalis & diuini in re paruâ, poſſint non eſſe mortales, non ſic autem tranſgreſſiones votorum, quando res parua eſt totalis materia.

Rationem autem diuerſitatis indicat, quia tranſgreſſiones præceptorum in re parua, non ſunt tranſgreſſio totalis: tranſgreſſiones autem votorũ in caſu poſito ſunt tranſgreſſio totalis: ex illa autem formalitate totius aut partis vult naſci differentiam tranſgreſſionis, quòd vna ſit mortalis, & altera tantùm venialis: quia vbi totalis tranſgreſſio eſt præcepti, ibi non eſt imperfectio actus; vbi autem partialis tantùm eſt, ibi excuſare poteſt imperfectio actus.

117 Contrarium tamen ſentiunt plures alij; Dominicus Soto libro 8. De Iuſt. quæſt. 1. art. 7. Nauarrus cap. 12. num. 40. Malderus ſuprà dubio 4. Azorius tomo 1. libro 5. cap. 28. Tannerus tomo 3. diſp. 5. quæſt. 4. dub. 3. num. 37. & paſſim recentiores, qui docent tranſgreſſionem voti poſſe eſſe venialem, propter materiæ paruitatem, quantumuis eſſet tota materia voti: vt, verbi gratiâ, Si quis vouerit legere ſemel orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam, non erit niſi veniale peccatum, ſi omittat.

Fundamentum eſt: Quia cum in alijs peccatorum generibus id contingere ſolet, non debet hoc ipſum in præſenti propoſito abſque ſufficienti cauſa negari: neque ratio Caietani multùm videtur efficax: ponatur enim quod ſicuti prohibuit Deus in communi non mentiri, ſic etiam prohiberet particulari præcepto mentiri iocosè, vel ſicuti prohibuit in communi non furari, ſic quoque particulariter prohiberet non auferre hanc rem paruam, non idcircò foret peccatum mortale mentiri iocosè, vel auferre hanc rem; modò non intelligeretur accedere aliqua ſpecialis Dei voluntas quâ ex iuſto motiuo vellet pro ſuâ poteſtate obligare arctius hominem ad talis præcepti obſeruationem, quàm alioquin natura præcepti ſecundum exigentiam materiæ requirit.

Vnde quandoquidem vouentes non intendant ſuæ legi quam ſibi imponunt, ſuperaddere peculiarem aliquam obligationem vltra materiæ exigentiam, manifeſtum euadit, quod Caietani diſtinctio & ratiocinatio nihil concludant. Fruſtra quoque vim facit in totalitate & partialitate tranſgreſſionis, quandoquidem exiguitas materiæ tam vbi eſt obiectum totale, quàm vbi eſt partiale tantùm, ſemper obtineat rationem exiguitatis, ex quâ cauſatur diuerſitas culpæ in tranſgreſſione; quæ non cauſatur ex eo quod ipſa tranſgreſſio habeat rationem totius, aut rationem partis.

Notat autem Tannerus ſuprà num. 38. probabilius eſſe non ideò excuſari à mortali eum qui vouiſſet quotidie recitare Pater & Aue, & tamen per annum integrum ne ſemel recitaret: Eſt enim hæc vna quædam vnius voti materia, eaque grandis vt ipſe cum à Valentia tomo 3. quæſtione 6. parte 4. docet, quamuis eam culpam tantùm venialem exiſtiment Arragon. hic quæſt. 88. art. 3. & Dominicus Soto libro 7. quæſt. 2. art. 1.

DVBIVM XIX.

Quot modis contingat aliquem ſolui aut liberari à voto.

Reſpondetur: Quinque ſolent communiter recenſeri modi quibus contingat id fieri: de quibus videre licet Sylueſt. V. Votum 4. quæſt. 1. Nauarrum cap. 12. num. 63. Contingit itaque id primò per mutationem ſiue deſitionem materiæ: Secundò, per non poſitionem conditionis; quò reuocari poteſt quoque ſublatio finis. Tertiò, irritatione: Quartò, commutatione, & Quintò, diſpenſatione. 118

Tunc deſitione materiæ quis liberatur, quando id quod prius erat legitima materia voti, iam deſinit eſſe talis vel abſolutè aut reſpectu vouentis, vt ſi fiat impoſſibile quod erat poſſibile: ſi iam foret maioris boni impeditiuum, quod antea non erat, ſi fiat nunc inutile aut indifferens.

Non poſitione conditionis tunc quis ſoluitur, quando votũ factũ eſt ſub conditione ſi illa euenerit, & contingat non euenire: ita quoque ratione finis ceſſat, vt ſi quis vouerit peregrinationem ad noſtram Dominam Hallenſem ad impetrandam ſanitatem alicuius quem intellexit ęgrotare & ille iam ſit mortuus, aut non fuerit ægrotus, nõ tenebitur vouens voto.

Irritatione autem liberatur, quando vel voluntas aut ipſe vouens in materiâ talis voti eſt poteſtati alterius ſubiectus qui votum annulat, quando illud factum eſſe intelligit.

Commutatione autẽ dicitur quis liberari, quando ſcil. obligatio voti ab vna materia transfertur in aliam, vt quando votum ieiunij aut peregrinationis mutatur in preces. Quando autem obligatio voti perſonalis transfertur ad opus reale, vt quando votum

Digitized by Google

tum ieiunij, aut peregrinationis, mutatur in eleemoſinam, tunc dici ſolet voti redemptio. Vide Sylueſtrum V. Votum 4. quæſt. 1.

Diſpenſatione denique quis liberatur, quando Eccleſiaſtica auctoritate quis abſoluitur ab obligatione contractâ ex voto, non inducendo obligationem ad aliud melius aut æquiualens præſtandum.

DVBIVM XX.

Vtrùm quis propriâ auctoritate ſiue voluntate poßit commutare vota ſua?

DE tribus modis prioribus, quibus contingit aliquem ab obligatione voti liberari, nihil hic dicimus: quia vtcumque ſufficienter ea quæ ad illos ſpectant, intelligi poterunt ex dictis ſuprà, ſcilicet dubio 7. & aliquot ſequentibus, vbi egimus de illis quæ ſub votum cadunt: & dubio 4. vbi egimus de voto cui error dederit cauſam: & dubio 12. & 13. vbi egimus de his qui vouere poſſint.

119 Respondeo & Dico Primò: Auctoritate propriâ non poteſt quis votum ſuum commutare in minus bonum. Eſt hoc indubitatum apud omnes: quia huiuſmodi commutatio adfert ſecum diſpenſationem in parte voti, quæ fieri non poteſt, niſi ſuperioris auctoritate, vt per ſe euidens eſt.

Dico Secundò: Non poteſt quoq; votum ſuum quis auctoritate propriâ commutare in aliud bonum æquale. Ita ſentiunt Doctores magis communiter: Caiet. hic quæſt. 88. artic. 12. Couarruuias ad Capitulum Quamuis, 1. parte §. 3. n. 4. Azorius, tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæſt. 1. Malderus, dub. 11. Tannerus ſuprà dub. 5. num. 81. & alij plures contra Sa V. Voti irritatio, Henriquez, lib. 7. De pœnitent. cap. 20. num. 5. & Medinâ, lib. Inſtit. cap. 4. §. 7. Probari autem poteſt ratione, quam indicat D. Thomas, artic. 12. quia commutatio in æquale ordinariè poteſt habere dubium adiunctum, an ſit æqualiter Deo acceptum illud in quod fit mutatio: ergò meritò requiritur hîc auctoritas Prælati, qui in perſona Chriſti, cuius vices gerit, determinet quid Deo acceptum ſit: eſtque hæc ſententia omninò tutior, neque enim etiam in politia temporali licet certum debitum pro arbitrio in aliud æquè bonum commutare.

120 Dico Tertiò: Ex communi ſententia Doctorum, poteſt quis auctoritate propriâ votum ſuum commutare in illud quod euidenter & certò melius eſt. Ita docent Angelus V. Votum 4. n. 2. Soto, lib. 7. q. 4. art. 3. Couarr. & Caiet. ſuprà, Graffius, parte 1. lib. 2. cap. 30. n. 6. Nauarrus, cap. 12. n. 75. Toletus, lib. 4. cap. 8. Emanuel Sa V. Voti irritatio, Mald. ſup. & alij plures contra Sylueſtrum V. Votum 4. qu. 7. & Panorm. in Cap. Peruenit 2. De iureiurando.

Probatur autem concluſio primo ex Capitulo Peruenit iam citato, vbi dicitur propoſitum ſeu promiſſum non infringit, qui in melius commutat: & ex Cap. Scripturæ, De voto & voti redemptione, vbi dicitur reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur ſeruitutis obſeruantiam commutare: huc quoque facit Capitulum Sanè, De regularibus, vbi profeſſus in Monaſterio laxiori permittitur ingredi ſtrictius abſque conſenſu ſuperioris.

Ratio autem redditur, quia in eo quod melius eſt, cenſetur contineri quod minus bonum eſt: quare exhibendo melius, excellenter videtur quis ſoluere quod promiſerat.

Hanc tamen concluſionem, vt abſolutè procedat, puto intelligendam eſſe de eo quod melius eſt in eodem quaſi genere & ordine operis, vt, v. g. ſi quis vouerit peregrinationem ad noſtram Dominam Hallenſem poſſit commutare illud votum in peregrinationem ad noſtram Dominam Lauretanam, vel ad limina Apoſtolorum, ſic qui vouiſſet legere VII. Pſalmos poſſet illud mutare in lectionem Pſalterij, aut qui vouiſſet ad menſem ieiunare, poſſet id mutare in ieiunium trium menſium.

Non poteſt tamen quis priuatâ voluntate 121
mutare votum peregrinationis, aut votum ieiunij in preces, vt benè docet Tann. ſup. dub. 5. nu. 82. v. g. in lectionem Roſarij, aut Coronæ, vel VII. Pſalmorum, vel etiam totius Pſalterij, etiamſi quoque fecerit illa vota tantum religionis causâ, & preces ſint actus religionis præſtantiores, quã ſit ieiunium vel peregrinatio: Sic quoque qui Eccleſię vouiſſet ampullas argenteas certi ponderis, poſſet mutare in Calicem maioris ponderis; non autem in ieiunium aut preces: colligitur id ex Capitulo 1. De voto & voti redemptione, vbi interrogatus Pontifex de peregrinationis votis, an eleemoſinis redimi poſſint, vel pro neceſſitate in aliud commutari? ſic reſcribit, Reſpondemus, quòd ab eius qui præſidet, pendet arbitrio, vt conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis &c. quibus ſatis indicatur, talem commutationem fieri non poſſe ex ſolius vouentis auctoritate.

Et ratio reddi poteſt, quia alioquin nullâ certâ regulâ poterit hic explicari, quidnam cenſendũ ſit melius, in quod poſſit quis ſua auctoritate commutare votum ſuum: neque id poteſt per alia certa exempla declarari.

Vna

Vna tamen allegari poteſt exceptio, De
122 votis ſcil. quæ fiunt in profeſſione religionis approbatæ, in quæ poteſt quilibet cõmutare omnia ſua vota cuiuſcumque materiæ, vt communiter tradunt Doctores, Caiet. hic, q.88. art 12. & V. Votum. Couar. De pactis, parte 1, §.3. n.4. Tanner. ſup. n.80. quamuis Soto lib. 7. De Iuſt. qu. 4. art. 3. videatur id negare de peregrinatione Ieroſolymitanâ, ſed minus rectè. Porrò in iſta profeſſione, particularis valdè occurrit ratio, tũ quod in illa homo relinquat ſe & omnia ſua, ac ſe totum donet Deo, eiuſque obſequijs, etiam ad illa vota explenda ſi ſuperiores iudicauerint id conducere pro maiore Dei honore; tũ quod Eccleſia ſuperiori authoritate ſuâ, hoc omnibus videatur indulſiſſe: vt colligi poteſt ex diuerſis Capitulis, vt Capit. Quis aliquando, & Capit. Admone, cauſa 33. qu. 2. vbi Aſtalbo Stephanus V. remittit pœnitentiam, ſi religionem ingrediatur: item ex citato Capitulo Scripturæ De voto & voti redemptione, & ex alijs ſimilibus: quare non poteſt inde argumentũ deduci ad commutationes voti propriâ authoritate faciendas in alias materias diuerſi ordinis.

Quæri autem hic poteſt, Vtrùm quis ſuo
123 arbitrio poſſit votum reale factum in fauorem huius Eccleſiæ vel piæ cauſæ commutare quoque in votum reale melius, quod ſit in commodum alterius Eccleſię vel pię cauſæ? Vt ſi quis vouerit dare decem aureos Eccleſiæ ſancti Petri, an poſſit commutare in viginti aureos dandos alteri Eccleſiæ.

Quidam negant, & opinantur ne quidem authoritate Epiſcopi talem poſſe fieri commutationem: ita tenet Archidiaconus cum quibuſdam alijs canoniſtis, vt refert Sylueſter V. Votum 4. quæſt. 7.

Fundamentum horum eſt, quia in cauſis pijs per promiſſionem acquiritur ius abſenti, vt poſſit rem promiſſam exigere, l. Illud, & l. Inter, C. De ſacroſanctis Eccleſijs.

Magis tamen probabiliter exiſtimant alij, poſſe tale votum etiam ab ipſo vouente ſic commutari in melius, & ab Epiſcopo in æquale, aut etiam in minus alterius generis. Ita docet Caiet. tomo 2. opuſculo 11. De voto, quæſt. 3. Nauarr. cap. 12. nu. 78. & in Apolog. De reditib. eccleſ. qu. 1. Monit. 71. Sylueſt. ſup. Angel. V. Votum 3. Suarez to. 2. De relig. lib. 4. De voto, c. 15. nu. 3. Bonac. tom. 1. circa 2. præcept. Decal. diſp. 3. qu. 4. puncto 7. §. 3. & alij. Et hi contrariũ ponunt fundamentũ, quia dicunt per eiuſmodi votum non acquiri ius iſti Eccleſiæ aut piæ cauſæ; ſed tantùm Deo cui fit ipſum votum: Deo autem gratum eſt illud commutari in amplius & melius donum ad ipſius honorem expendendum. Sed

Petes: Quid ſi non tantùm Deo fiat promiſſio, quod dabis huic Eccleſiæ, ſed promiſſio quoq; fiat ipſi ſancto Præſidenti ſeu Patrono eccleſiæ, aut ipſi eccleſiæ?

Reſpondetur: Si promiſſionis verba ad 124
Sanctum dirigantur, tunc ius dici poteſt acquiri Sancto qui promiſſionem intelligit & acceptare cenſetur; ſed quemadmodũ Deo ita & huic gratum eſſe cenſetur, promiſſionem illam in melius commutari, vt tradit Caiet. loco citato, & cum illo Bonac. ſup. & Suarez lib. 6. c. 15. n. 20. Si autem dirigantur ad Eccleſiam ſiue Prælatũ eccleſiæ, tunc quidem generabitur ius ipſi eccleſiæ, ſi promiſſio fuerit acceptata: non autem ante acceptationem, quare ante acceptationem relinquitur ius ſeu poteſtas ipſi vouenti, vt poſſit in melius commutare in vtilitatem alterius: Idem dicit Bonacina, Locum habere, ſi quis vouerit dare eleemoſinam alicui pauperi, quod poſſit propriâ authoritate cõmutare, & dare alicui pauperiori ſi ſint cætera paria, & prior nõ acceptauerit. Sed poſt acceptationem promiſſionis ex parte pauperis prioris, vel pro parte Eccleſię prioris factâ, non poterit commutari, niſi à Prælato, vel Rectore qui de rebus eccleſiæ illius poteſt diſponere, aut ſaltem non ſine illius conſenſu, ſicuti neque tunc ſine conſenſu pauperis cui fuit priùs facta promiſſio.

Poteſt autem quiuis huiuſmodi promiſſiones abſenti factas ad pias cauſas acceptare, modò ad ipſum, promiſſionis verba dirigantur, & in eo caſu quo fuerit hoc factũ, procedunt leges ab alijs allegatæ, & locum habet eorum ſententia.

DVBIVM XXI.

Quinã Eccleſiæ Prælati poſſint vota aliorum commutare?

RESPONDEO & DICO Primo: 125
Quicumque habet poteſtatem diſpenſandi in voto ordinariam aut delegatam, habet quoque poteſtatem commutandi: non tamen ècontra. Quinam verò poteſtatem diſpenſandi habeant, in ſequentibus mox dicemus.

Porrò de habente ordinariam diſpenſandi poteſtatem, quod poſſit quoque commutare eſt communis doctrina: ſed de habente tantùm delegatam, non ita conſentiunt Doctores.

Negant enim Azorius to. 1. lib. 11. c. 18. quæſt. 7. Sanchez lib. 8. diſp. 7. nu. 15. Nauarrus cap. 12. num. 79. & alij quidam, eò quod facultates illæ ſint diſtinctæ. Accedit quod dicant opus eſſe maiori prudentiâ in commutatione: perpendendũ eſt enim an ſit æquiualens in quod commutatio fit: hoc autem non eſt cuiuſuis iudicare.

Nihilominùs quod in concluſione poſitum eſt, videtur verius, loquendo de illo, qui

generalem quandam habet diſpenſandi facultatem delegatam, & non tantum in vno aut altero caſu, vel ex certâ tantum aliquâ cauſa. Ita docent Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 3. Syluester ſup. quæſt. 3. Soto, lib. 7. quæſt. 4. art. 3. Couarruuias De pactis, 1. parte §. 3. nu. 10. Henriquez, lib. 7. De indulgentijs, cap. 30. n. 5. Arragon. quæſt. 88. art. 12. & quæſt. 89. art. 9. Suarez ſup. cap. 12. n. 10. & alij plures.

Probari poteſt per Capitulum Cui licet, De regulis iuris in 6. vbi dicitur, Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus: qui ergò poteſt abſolutè remittere ſeu ſoluere obligationem ex delegata poteſtate, cur non poterit ſoluere pro parte aut ſubſtituere aliam obligationem? quando ſaltem in communi facultas diſpenſandi eius diſcretioni eſt delegata: quod addo, nam inprimis ſi tantùm ſubiret vices alterius inſtar meri inſtrumenti, vt nomine alterius diſpenſationem exequatur, tunc quidem commutare non poterit, ſaltem recuſante illo cui diſpenſatio eſt impendenda, quia non poteſt illi onus imponere: ſimiliter quoque ſi tantum haberet delegatam poteſtatem diſpenſandi ex talibus vel talibus cauſis, crediderim quod non poterit commutare niſi tales cauſæ quoque concurrerent: fieri enim poteſt quod principalis iudicet ex iſtis cauſis vota relaxanda, & tamen non velit vota promiſcuè commutari.

126 Quod igitur ad fundamentum aliorum attinet, ſunt quidem illæ facultates aliquo modo diſtinctæ, non tamen ita quin vnâ abſolutè habitâ ſiue iure ordinario, ſiue delegatione quæ eſt maior, merito poſſit & debeat hæc cenſeri, importare alteram quæ ſimpliciter iudicatur minor.

Vnde ad Confirmationem, reſpondetur non minorem requiri prudentiam in diſpenſatione, quàm in commutatione, quin potius maiorẽ, quandò pro ſua diſcretione quis habet generalem poteſtatẽ diſpenſandi, quia expendere debet, an ſubſit cauſa iuſta, vt obligatio Deo facta omninò tollatur, ſic vt nihil ſubſtituatur oneris, quod difficilius eſt dijudicare: hoc interim notorium eſt, ſi poſſit quis prudenter iudicare id conuenienter fieri, quod is multo certius poterit iudicare id rectè poſſe fieri, ſubſtituendo aliquid aliud æquiualens, aut etiam quid minus quod abſque grauiori incommodo vouens valet præſtare.

Ex his ſatis conſtat vlteriùs altera pars concluſionis: quandoquidem enim diſpenſare ſit quid amplius, quàm commutare votum, & ex alijs grauioribus cauſis concedatur diſpenſatio, quàm fiat commutatio, facilè intelligitur, non continuò illum cenſendum eſſe habere poteſtatem diſpenſandi, cui conceſſa fuerit poteſtas commutandi vota.

Quæret aliquis primò: Vtrùm ſi Pontifex votum aliquod ſibi reſeruatum commutaſſet in votum aliud non reſeruatum, an poſſet tunc Epiſcopus vlterius commutare in votum aliud, ſiue in votum alterius materiæ? Quidam exiſtimant Epiſcopum non poſſe. Ita ſentire videtur Nauarrus Conſilio 25. De pœnitentijs & remiſſionibus. Fundamentum ſumi poteſt ex communi dicto Iureconſultorum, quòd ſubrogatum ſcilicet, ſapiat vim & naturam eius cui ſubrogatum fuerit. 127

Contrarium tamen tenent Sylueſter V. Votum 4. quæſt. 7. Henriquez libro 7. cap. 30. num. 5. Sanchez, lib. 8. diſput. 9. num. 20. Malderus ſuprà: & fauet Gloſſa, in Capitulum Tempora pœnitudinis cauſa 26. quæſt. 7. Bonac. ſuprà, §. 4. n. 19.

Ratió reddi poteſt, quia tranſlatio obligationis voti non fit, vt erat obligatio voti, ſed ratione materiæ talis: atque ita patet reſponſio ad fundamentum alterius ſententiæ: non enim ſubrogatum habet vim & naturam eius cui ſubrogatur in his, in quibus per ſubrogationem ponitur diuerſitas, aut diſtinctio inter vtrumque, prout hic fit: in eo enim quod ſubrogatum habeat aliam materiam ab eo cui ſubrogatur, exſtat diuerſitas inter duo illa, ratione ſcilicet ipſius materiæ ex qua præcisè pendebat illa reſeruatio.

Petet aliquis ſecundò: Vtrùm is cuius votum iam commutatum eſt per ſuperiorem, ſatisfaciat ſi relicto opere ſubſtituto adimpleat primum votum? 128

Reſpondetur ſatisfacere: Ita Malderus & Bonacina ſuprà, num. 20. cum alijs quos citat, quia quiſque poteſt renuntiare ei quod pro ſe noſcitur introductum, vt dicitur Capitulo Statuimus, De regularibus: certum autem eſt, commutationem fieri in fauorem eius qui vouit. Addunt aliqui, ipſam commutationem implicitè fieri ſub hac conditione, niſi vouens malit primum votum adimplere, ne ſcilicet iuſtæ pœnitudinis humanitas amputetur, eâ enim de cauſa etiam licet appellationem interpoſitam reuocare, vt indicatur l. Si quis libellos, C. De appellationibus. Vnde ſequitur eum cuius votum eſt ſæpiùs commutatum, poſſe eligere quodcumque voluerit, ſiue primum ſiue vnum ex ſubſtitutis, vt docet Azorius ſuprà, cap. 18. quæſt. 12. Bonacina, Malderus, dub. 11. qui dicit illud etiam habere locum, quamuis commutatio fuiſſet facta in melius: licet quidã negent; ſed ſuffragatur ratio ante data, quia etiã iſta cõmutatio ſic facta fuit in gratiam & fauorẽ eius qui cõmutationem petijt, quia alioquin non acceptaſſet, ergò poteſt quoq; illi renũtiare.

Petes,

Petes, quod ſi opus in quod eſt facta commutatio fiat impoſſibile, vtrùm vouens tenebitur præſtare prius, ſi hoc poſſit?

129 Reſpondetur cum Maldero negatiuè: etiamſi quoque culpa ipſius eſſet redditum impoſſibile; in quo tamen ipſe peccauit, niſi habuiſſet animum ad implendi prius: quo caſu tenebitur, quia cenſeri debet renuntiaſſe commutationi.

Petet aliquis tertio, vtrùm qui ex poteſtate ordinariâ vel de legatâ poteſt commutare votum, poſſit etiam commutare debitum, aut pœnam quam forſitan incurrit vouens ratione voti violati? v. g. Vouit quis dare vnum aureum in eleemoſinam ſi peccauerit contra caſtitatem, & is iam aliquoties peccauit, & ſic tenetur ad aliquot aureos dandos. Rurſum vouit quis quotidiè dare certam aliquam eleemoſinam, & iam aliquot diebus omiſit, vnde tenetur id ſupplere: Quæritur itaque an qui vota hæc poteſt commutare, poſſit quoque commutare iſta debita? negatiuam partem tenet Nauarrus, libro 3. titulo De voto, conſilio 32. & 35.

Sed affirmatiuam docent Mald. ſuprà & latè Sanchez libro 8. diſp. 15 n. 14. cũ alijs Et probari poteſt, quia obligatio ſoluendi debita cõtracta ex voto conditionali violato, non eſt maior quam obligatio voti quo quis abſolutè & directè vouit dare tot aureos in eleemoſinam, ſed potius minor cum non procedat ex affectu ad opus, vt in ſequentibus magis declarabitur; atqui hæc poteſt commutari, ergò & illa pœnalis. Deinde eiuſdem eſt rationis obligatio ex voto ad ſoluendum in futurum & ad ſoluenda præterita, vt in ſecundo caſu allegato, atqui obligatio ad futurum poteſt commutari per eum qui habet ordinariam aut delegatam poteſtatem commutandi vota, ergò & illa quæ eſt ad præterita.

130 Petet aliquis quarto, vtrùm facultas cõmutandi vota quæ datur in Iubilæo extendat ſe quoque ad vota emiſſa poſt conceſſionem Iubilæi? an verò tantum habeat locũ in votis antè emiſſis.

Dominicus Soto ſupra exiſtimat tantum ſe extendere ad vota prius emiſſa. Sed ſententia communis habet, quod extendat ſe quoque ad vota poſt conceſſionem emiſſa, modò tamen emiſſa ſint ante finem Iubilæi. Ita docent Nauarrus cap. 12. nu. 10. & latius De indulgentijs notabili 34. nu. 4. Azorius, ſupra quæſt. 9. Mald. Bonacina, ſupra puncto 7. §. 3. nu. 12. cum multis quos citat.

Et probari poteſt primò, quia virtute Iubilæi conſtat peccata reſeruata remitti poſſe, etiamſi poſt datum Iubilæum fuerint commiſſa, ergò & eius virtute poterunt vota commutari, quamuis poſt datum Iubilæum ſint facta, etiamſi facta quoque fuerint cum intentione obtinendæ commutationis, vt addit Bonac. ex Suarez lib. 6. cap. 13. nu. 6. Deinde vbi lex ſiue litteræ Apoſtolicæ non diſtinguunt, neque nos debemus diſtinguere. Tertiò, quia ſic vſus habet, vt teſtatur Nauarrus. Imò addunt aliqui, ſi quis per obliuionem tempore Iubilæi non curauerit vota ſua commutari aut relaxari iuxta poteſtatem Confeſſarijs conceſſam, quod poterit id poſtea fieri etiam poſt annum, ſi ille intra tempus Iubilæi expleuerit opera ad Iubilæi conſecutionem præſcripta: & ratio redditur, quia hoc ipſo quo fecit debito tempore opera ad Iubilæi conſecutionem requiſita acquiſiuit priuilegiũ, quod non videtur certo tempori aſtrictum. Ita docet apud Bonac. nu. 14. Clauis Regia, lib. 6. cap. 12. nu. 17. Sanchez lib. 8. diſp. 15. nu. 17. Henriquez, lib. 7. De indulgentijs, cap. 11. nu. 4. & Emanuel Sa V. indulgentia, nu. 14.

Ipſe tamen Bonacina exiſtimat probabilius cum Suarez libro 6. cap. 16. num. 14. & 15. talem non poſſe à ſimplici Confeſſario diſpenſationem aut commutationẽ obtinere tranſacto Iubilæi tempore: quia Confeſſarius tum caret authoritate & iuriſdictione ad diſpenſandum aut commutanda vota; quia facultas illi per Iubilæum conceſſa eſt aſtricta determinato tempori, vt conſtat ex Bullis. Nihilominus addit, ſi Confeſſarius tempore Iubilæi petenti diſpenſationem aut commutationem non impendiſſet, ſed diſtuliſſet, quia vellet attentius conſiderare cauſam diſpenſationis, aut modum commutationis, poſſe eum tranſacto tempore Iubilæi diſpenſationẽ concedere aut votum mutare.

Dico Secundò: Quod attinet ad modum commutationis, debet ille qui tantùm 131
habet facultatem commutandi, & non diſpenſandi, facere commutationem in æquale, ſiue in id quod exiſtimetur Deo æquè gratum: quando enim commutatio fit in aliquid minus, tunc pro parte admiſcetur diſpenſatio, quã faciendi non habet hic facultatem. Ita Azorius ſuprà cap. 18. qu. 6. Nauarrus De indulgentijs notabili 27. Malderus & alij.

Addunt autem aliqui, poſſe tamen commutare in paulo minùs. Vide Henriquez lib. 7. De Indulgentijs, c. 30. Tann. to. 3. diſp. 5. q. 4. dub. 5. n 96. & Bonac. ſuprà puncto 3. n. 11. vbi plures alios citat pro iſta opinione.

Porrò quamuis conuenienter valdè vota realia commutentur in alia realia, & perſonalia in alia perſonalia, tamen poteſt quoque commutatio aliter fieri: ſic peregrinationes etiam longinquæ poſſunt commutari in eleemoſinas applicãdas pauperibus aut piæ cauſæ: & corporales eleemoſinæ poſſunt mutari in ſpirituales, per authoritatem ſcilicet legitimam ſuperiorum, non proprio arbitratu vouentis, vt antè diximus.

Digitized by Google

132 Dico Sextò: Quod ad cauſam commutandi vota attinet, vt commutetur votum in euidenter melius, non eſt cauſa neceſſaria: ſufficit enim maior bonitas operis, in quod fit commutatio: vt autem fiat in aliquid minus, tunc requiritur cauſa aliqua, qualis cauſa eſt difficultas in voto perſoluendo, vtilitas vouentis, repugnantia parentum vel mariti; inquit Bonacina ſuprà, parte 3. n. 18.

Ratio autē huius eſt, quia vt iam iudicauimus tunc, admiſcetur diſpēſatio, quæ non poteſt ſine cauſa fieri. Quod ſi fiat in aliud opus omninò æquale, tunc maior occurrit ratio dubitandi: dicendum tamen eſt, etiam tunc aliquam requiri cauſam, vt docet Panormitanus ad Capitulum 1. De voto: & Doctores alij: videretur enim alioquin leuitas committi in rebus diuinis, ſiue Deum concernentibus: quamuis tunc pro cauſa poſſet ſufficere maior vouentis affectus & inclinatio in aliud opus, vnde naſcitur maior ſecuritas, quod contra votum non peccabit ſi commutatio fiat, quàm ſi recuſetur.

DVBIVM XXII.

Vtrùm in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi in votis?

133 OBſeruandum eſt hîc Primò, diſpenſare in voto, propriè loquendo, non eſſe idem, quod declarare votum non obligare, quia materia ſcilicet Deo grata non ſit, aut minus grata, quàm oppoſitum, vt D. Bonauentura in 4. diſt. 38. art. 1. quæſt. 3. & alij nonnulli videntur apprehendere & explicare diſpenſationem hanc, tum quod eiuſmodi declaratio magis videatur ſpectare ad viros doctos, quàm ad Prælatos vt poteſtate Eccleſiaſticâ fungentes, tum quòd conſtat diſpenſationem quandoque fieri, vbi obſeruatio voti Deo foret magis grata, vt dum diſpenſatur aliquando in voto ſimplici caſtitatis, propter pericula præuaricationis.

Obſeruandum Secundò, non quoque idem eſſe, quòd diſpenſare in particulari lege humanâ quam ſibi quis impoſuit, vt vult Dominicus Soto, lib. 7. quæſt. 4. art. 1. quia votum non tantum per modum legis aut præcepti obligat eum qui vouit ad aliquid præſtandum; ſed etiam quia per votum alteri natum eſt ius, ſcilicet Deo, quod non poteſt ei adimi abſque ipſius conſenſu.

Quare non per modum puræ diſpenſationis in lege debet accipi diſpenſatio in votis, ſicuti qui legem humanam tulit poteſt eam auferre: ſic enim quilibet qui vouiſſet, poſſet ſe à voto liberare.

Dicendum itaque eſt, quod diſpenſare in voto ſit relaxare voti vinculum, & eius tollere obligationem, condonando Dei nomine debitū, quod vouendo quis erga Deum contraxit. Ita ſignificat hic Caiet. qu. 88. art. 12. Suarez, tomo 2. De religione, lib. 6. cap. 9. Bonac. ſup. quæſt. 2. puncto 7. §. 4. n. 1. & alij plures.

Ratio eſt, quia cum quis vouendo ſe Deo obſtrinxerit eique factus ſit debitor certi operis ad eius cultum præſtandū, non poteſt hoc debito ſolui, niſi ipſe Deus vel alius nomine & auctoritate illius condonet, ſicut in promiſſionibus humanis videmus: niſi tamen materiæ mutatio, vel aliquis alius modus ex illis, de quibus ante ſumus locuti, occurrat.

His præmiſſis Reſpondetur, in Eccleſiâ eſt poteſtas diſpenſandi in votis iuxta diſpenſationis rationem iam explicatam: eſt doctrina communis & certa. Ita docent D. Thom. in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. §. 9. Azorius, 1. parte lib. 11. cap. 18. Sanchez, lib. 4. cap. 37. n. 2. & 5. Nauarrus, cap. 12. n. 62. & ſequentibus, Couarrunias ad Capitulum Quamuis pactum, 1. parte §. 3. n. 4. Suarez ſuprà, Mald. Bonac. &c. & alij plures. 134

Probari poteſt primò ex Scripturis: Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: &c. & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, & c. 18. *Amen dico vobis, &c. Et quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*: quæ verba ſicuti generalia ſunt, ita rectè intelliguntur de omni vinculo, quod homines erga Deum contrahere poſſunt, & aliquando ſolui expedit: 2. ad Corinth. cap. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Christi*: vbi Apoſtolus ſignificat ſe condonaſſe debitum pœnæ contractum ex culpa: nec dubium quin Deus illam donationem Apoſtoli habuerit ratam. Hinc itaque inferunt, & ſtatuunt Doctores etiam in alijs debitis ortis ex voto, vel etiam iuramento, Prælatos Eccleſiæ poſſe Dei nomine condonationem facere: & talem collectionem facit hîc D. Tho. ex allegatis illis Apoſtoli verbis art. 12.

Probatur ſecundò, ex vſu & ſenſu Eccleſiæ: Eſt enim hic diſpenſandi modus tam frequentatus in Eccleſiâ, & tam antiquus vt de poteſtate omnino non liceat dubitare: nam eſſet intolerabilis error in re maximi momenti, quæ bonos mores concernit, ſi Eccleſia ſic diſpenſare præſumeret & non haberet poteſtatem: qui ſanè error ſanctitati Eccleſiæ, & Chriſti promiſſioni Matt. 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, repugnat.

Probatur tertiò ratione: quandoquidem enim Dominus dederit Eccleſiæ poteſtatem ſoluendi à vinculo culpæ, & à vinculo pœnæ, vt

Digitized by Google

næ, vt ex Scripturis, & Eccleſiæ traditione conſtat, videlicet tum per ſacramentum Pœnitentiæ, tum per Indulgentias, non apparet ratio, quare non etiam debeat admitti poteſtas ſoluendi à vinculo votorum: quandoquidem euiuſmodi relaxatio frequenter ad ſalutem animarum, & ſuauem Eccleſiæ gubernationem fit neceſſaria: & confirmatur à ſimili, nam & qui in regno terreno tenet locum principis, ſolet facultatem habere, ex iuſtâ ratione ſubditis condonandi aliqua debita, vel iura principis: ergò negandum non eſt, quin illi qui in Eccleſiâ ſunt vicarij Chriſti, & Dei vices gerunt, poſſint quoque condonare aut relaxare aliqua Deo debita.

DVBIVM XXIII.

Vtrùm requiratur, quod Diſpenſatio fiat ex cauſâ?

RESpondetur: Debet adeſſe rationabilis cauſa, vt Eccleſiæ Prælati poſſint in
135 votis diſpenſare: idque non tantùm vt licitè, ſed etiam vt validè faciant: neque id tantùm habet locum in Prælatis inferioribus; ſed quoque in Pontifice Summo.

Hæc poſtrema pars eſt contra quoſdam, vt refert D. Thomas in 4. diſtinct. 38. qui exiſtimarunt Pontificem validè in votis diſpenſare, etſi abſque causâ diſpenſet: idque ideò, quia in omni voto volunt ineſſe hanc conditionem, niſi Papa aliud diſpoſuerit.

Sed hoc planè gratis & ſine fundamento aſſumunt: neque enim oſtendi poteſt quod voluntates fidelium ita ſint dependẽtes à voluntate Papæ in quâcumque materiâ, vt non poſſint ſe abſolutè & firmiter Deo obligare, niſi dependenter tum in fieri tum conſeruari à conſenſu Papæ: quia talis dependentia neque ſequitur ex ratione ſeu virtute poteſtatis Iuriſdictionis Pontificiæ; neque ad Eccleſiæ regimen eſt neceſſaria, vt tradit Suarez ſuprà libro 6. cap. 2. alioquin ſimiliter etiam dici poſſet, quod homo homini inter fideles non poſſit obligari, niſi ſub conditione incluſâ, ſi Papa conſenſerit; & ſic neque matrimonium quamuis validum, vnquam eſſet firmum: ſed poſſet Pōtifex ſemper illud irritare quæ ſunt inconuenientia.

Concluſio itaque paſſim tenetur ab omnibus: ſic docent D. Thom. hic qu. 88. art. 12. & clariùs in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 4. Richardus art. 3. qu. 1. Paludanus ibidem qu. 4. art. 3. Caietanus ſuprà, & V. Diſpenſatio in ſumma: Syluester V. Votum 4. qu. 3. & plures Summiſtæ eodem verbo. Antoninus 2. parte, tit. 11. cap. 2. §. 9. Nauarrus cap. 12. num. 57. & 76. Dominic. Soto libro 1. De iuſtitiâ, qu. vltimâ, art. 2. & libro 7. qu. 4. art. 3. Suarez, ſupra cap. 12. & Canoniſtæ communiter ad Capit. Non eſt, de voto & voti redemptione, & Panormit. ad Capit. Propoſuit, De conceſſ. prebendarum.

Probatur: Quia inferior validè non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris pro ſuo placito, & abſque iuſtâ causâ, vt tradunt Doctores omnes 1. 2. quæſt. 97 articulo 4. Ergò neque Prælati Eccleſiæ, neque Pontifex quidem poteſt validè ſine legitimâ causâ diſpenſare in votis.

Probatur Conſequentia: Quia plus eſt iura domino ſuo debita remittere, & obligationem ſoluendi relaxare, quàm aliquem eximere ab obligatione legis ſeruandę quã dominus eius tulit, ex quo non ſentit dominus quaſi præiudiciũ; atqui quando Prælati aut Pontifex diſpenſat in votis, tunc remittit iura Deo debita, & obligationem ſoluendi relaxat: neque enim in tali diſpenſatione mutat aliquid quod ſuâ tantùm voluntate eſt conſtitutum, vt fit in diſpenſatione legis Eccleſiaſticæ ab ipſo tantùm latæ; ergò ſi inferior non diſpenſat validè in lege ſuperioris, multò minus diſpenſabunt validè Prælati Eccleſiæ abſque iuſtâ causâ in votis.

Confirmatur primò: Quia omnis poteſtas D. Petro & Succeſſoribus relicta, eſt à Chriſto data in ædificationem, non in deſtructionem: atqui poteſtas relaxandi & remittendi iura & ſeruitia Deo debita, non habitâ iuſtâ ratione, ſeruiret tantùm deſtructioni; ergò &c.

Confirmatur ſecundò: Quia inter homines, œconomus aut vicarius Principis non cenſetur facultatem habere, abſque iuſtâ ratione faciendi remiſſionem eorum quæ domino debentur, etiamſi alioquin dominus conceſſerit ei ampliſſimam poteſtatem neceſſariam ad Prouinciam benè adminiſtrandam. Hinc etiam ex eodem principio docẽt concorditer Doctores in materia de Indulgentijs neceſſariam eſſe cauſam ad indulgentiarum valorem.

Quod itaque attinet ad ea quæ cenſeri
poſſint legitimæ cauſæ diſpenſandi in votis, 136
quia res illa ſæpius pendet magis ex ijs quæ facti ſunt, quàm quæ iuris; hinc vix poteſt de illis certa regula aut doctrina tradi. Ideoque iuſtitia ſiue ſufficientia huiuſmodi cauſæ in particulari relinquitur fere prudentum virorum iudicio definienda.

Traduntur tamen à Doctoribus principia aliqua quæ attendi poſſint in tali iudicio de iuſtitia cauſę formando.

Primum eſto: quod expendendum ſit, vtrùm Eccleſiæ aut publici boni neceſſitas aut magna vtilitas poſtulat eiuſmodi diſpenſationem: & ſi ita eſſe deprehendatur, tunc ſecuriſſimè poteſt impendi diſpenſatio: &

Digitized by Google

in hoc ſatis conueniunt Doctores. Et colligi poteſt ex Capitulo Ex multâ, ac ex alijs quibuſdam De voto & voti redemptione.

Ratio quoque reddi poteſt, quia commune bonum eſt diuinius, & priuato præferendum: neque vouens idcirco priuatur tunc bono ſpirituali, quia plurimum meretur ſubueniendo communi neceſſitati. Vnde extenditur hoc à multis, vt locum quoque habeat in graui neceſſitate domus aut familiæ: quia his ſubuenire eſt etiam opus pietatis, quod interdum præfert Deus operi religionis, præſertim cum & ipſa pietas poſſit propter Deum exerceri: Vide Soto libro 1. q. 7. art. 3. §. Ac ſi percuncteris, & libro 7. qu. 4. art. 3. Nauarrum cap. 12. num. 77. vbi clarius exprimit, & Suarez ſuprà cap. 17. num. 13.

Secundũ, quod attendenda ſit magnitudo difficultatis, vel incommoditatis ſuperuenientis: quæ quidem ſi tanta ſit, vt euidenter ſufficiat ad prudenter interpretandum vouentis voluntatem non ſe extendiſſe ad talem caſum, tunc diſpenſatione propriè opus non eſt: ſed declaratione tantùm, vt ex ſuprà dictis poteſt intelligi: quia votum non obligat vltra intentionem & voluntatẽ vouentis: aſt quando id clarum non eſt, ſed res verſatur in dubio, tunc ex eiuſmodi mutatione ſumi poterit cauſa diſpenſationis: quando enim de obligatione dubitatur, vtrùm propter circumſtantias nõ ceſſet, ſatis rationabile eſt, tũc aliquã facere moderationẽ, vt ſic humanæ etiam fragilitati quæ cum tali mutatione materię periculoſior eſt, ſuccurratur: & poteſt ſumi ex Capit. 1. De voto & voti redemptione; & ex ijs quæ Interpretes ibidem tradunt: & ſic docent Sylueſter V. Votum 4. quæſt. 6. & 8. Nauarrus & Soto ſuprà.

137 Tertiò, attendere licebit, Vtrùm votum impediat maius bonum ſpirituale vouentis; & quidem ſi impediret ita bonum maius, vt intelligatur per ſe ceſſare obligatio voti, iam tantum opus foret declaratione: quando autem hoc dubium eſt, tunc ſaltem ſubminiſtratur cauſa vt vel diſpenſetur, vel commutetur votum: imò Richardus in 4. diſt. 38. art. 9. quæſt. 1. addit poſſe ſatis eſſe, quod ex voti diſpenſatione ſperetur maior fructus & ſpiritualis vtilitas; idque dicit Suarez ſupra num. 12. eſſe valdè rationi conſentaneum, quandoquidem iſta ſint per votum principaliter intenta. Huc ſatis accedunt Corduba In ſumma, quæſt. 147. Couarruuias in Capit. Quamuis pactum. §. 3. nu. 4. Sylueſter, Caiet. & Soto ſuprà.

Quartò, attendi poteſt, Vtrùm votum, moraliter rem expendendo, non putetur futurum grauioris ruinæ occaſio, ſpectando materiam eius, ſiue reſpectu hominum in communi, ſiue in ordine ad perſonam talẽ, quæ diſpenſationem petit, v. g. Vouit quis quod nunquam peccabit mortaliter, quod diximus ſuprà validè poſſe voueri: eiuſmodi tamen votum hominibus paſſim eſt periculoſum: ita quoque coniugato periculoſum eſt votum de non petendo debito: idem poteſt habere locum in voto ſimplici caſtitatis in perſonâ quæ longiori experientiâ obſeruauit ſe fragilem, & præ vehementiâ ſtimuli carnis ſæpius voto contrauenire, alioquin non debet alicui ſuffragari ſua malitia.

Sumitur hoc principium ex Richardo ſuprà; & eo ſenſu interpretatur Suarez Diuũ Thomam, quando art. 10. dicit, Quando id quod promiſſum eſt, inuenitur eſſe malum, aut inutile: non enim, inquit, debet intelligi de illo quod reuera eſt omnino malum vel inutile: tunc enim votum eſſet nullum, nec opus foret diſpenſatione: & ſic Suarez inde infert, Intelligi igitur de illo quod licet in ſe non ſit malum, præbet tamen vouenti occaſionem mali, non quod illam per ſe adferat, ſed ſaltem ex hominis fragilitate.

Huc etiam ſpectat periculum ſpiritualis nocumenti, vt colligi poteſt ex Capitulo, Veniens, Qui clerici vel vouentes: & ratio reddi poteſt, quia prudenter videtur caueri viâ diſpenſationis aut commutationis, ne illud militet contra charitatem, ſiue in eius diſpendium, quod pro charitatis ampliori incremento & perfectione eſt inſtitutum vel introductum iuxta regulam D. Bernardi De præcepto & diſpenſatione.

Quintò, poteſt attendi modus quo vouens ad votum proceſſerit, Vtrùm ſubitaneè & 138 non ſatis maturè, vt an ex ſubito aliquo motu aut feruore cum aliquâ adiunctâ paſſione, quæ licet deliberationem ſufficientem ad voti valorem, non abſtulerat, tamen impediebat perfectam tantæ rei conſiderationem. Similiter poteſt haberi reſpectus ad ætatem, ſi fortè non fuerit tantâ quæ plenam ſolet habere diſcretionẽ: quandoquidẽ enim obligatio voti naſcatur ex liberâ voluntate vouentis, idcircò diminutio huius libertatis aut voluntatis diminuit quodammodo & quaſi remiſſiorem facit obligationem, atque ita de ſe ſuppeditat aliquid cauſæ relaxandi illam, præſertim ſi votum parùm vtile futurum exiſtimetur. Indicant hæc Caietanus quæſt. 88. art. 1. dubio 3. Paludanus ſuprà art. 4. Soto libro 7. quæſt. 1. art. 2. Antoninus ſuprà cap. 2. Nauarrus cap. 12. num. 22. & 27. Panormitanus, & alij interpretes ad Capitulum 2. De voto & voti redemptione, & fauet quoque ipſe textus.

Finaliter verò hic obſeruandum eſt, non ſingulas ſemper eiuſmodi cauſas ſufficere ad 139 votum omnino tollendum, ſed ſæpè plures eſſe conferendas ſimul: item proportionem eſſe ſeruandam inter occurrentes cauſas, & inter votum: nam pro diſpenſatione in voto grauio-

grauiori ſeu prꝯſtantioris materiæ poſtulantur cauſæ maiores.

Cauendum quoque eſt ſcandalum, vt ex Turrecremata notat Suarez ſupra num. 14. quod intellige de ſcandalo dato & puſillorum, non de accepto & Phariſęorum, de quo non ita eſt curandum, quando res eſt iuſta & vtilis, vt indicat Innocentius III. in Capit. Magnæ de voto, vbi ipſe aduertit tria in voti diſpenſatione ſpectanda, ſcilicet quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, & quid expediat ſecundum vtilitatem, quæ ex recenſitis principijs an adſint, expendi poterit.

Cæterùm, quia Canones ſolent adiungere aliquam compenſationem, vt patet Capitulo 1. & 2. Capit. Magnæ, & alijs, tit. De voto & voti redemptione, & ſimiliter in reſcriptis Pontificijs vix nudè concedatur diſpenſatio abſque aliquâ commutatione aut redemptione, hinc quoq; regulariter loquendo, ſecuriſſimum erit, non diſpenſare ſimpliciter, ſed miſcere aliquam commutationem grauiorem aut leuiorem prout prudentia, attentis ſupradictis, dictabit.

140 Poſſunt tamen eſſe cauſæ iuſtificantes plenam diſpenſationem; vt tradit Suarez ſuprà num. 18. Vnam ponit ſi vouens tot votis ſit intricatus, vt planè expediens iudicetur aliqua illorum auferre, nec alio voti onere eum grauare: quod ſumi poteſt ex D. Thoma hic quæſt. 88. art. 12. ad 1. Vbi inter alias rationes, quare profeſſio religionis liberet hominem à votis ante emiſſis, allegat quoque hanc, quia religionis onus ſatis hominem onerat, vt alia ſuperaddere nō oporteat: quare ſupponit poſſe fieri, quòd magis ſe quis oneret votis, quàm expediat aut conueniat. Vnde hinc poteſt iuſta cauſa naſci ſimpliciter relaxandi vota aliqua, non impoſito nouo onere.

Alteram quoque cauſam ponit Suarez, Si vouens ſit pauper qui proindè non poſſit ſuſtinere commutationem realem ſiue voti redemptionem, & aliàs ſit tot occupationibus & obligationibus oneratus vt non expediat noua perſonalia onera illi imponere ſub voti obligatione, atque ita (inquit) in votis realibus habet ſæpè locum hæc diſpenſatio ex titulo paupertatis.

141 Denique addit, Si votum ſit inconſideratè vel ex feruore emiſſum & tamen animaduertatur tanta fragilitas vel inconſtantia vt ex quacumque commutatione metuatur lapſus, tunc videbitur conſultius abſolutè diſpenſare & tantummodo illi proponere aliquam ſatisfactionem ſubeundam per modum conſilij, & ad eam explendam exhortari.

Notant autem hic inſuper nonnulli pro maiori animi quietudine timoratorum, ne ſemper hæreant perplexi, pro validitate diſpenſationis ſufficere; quod vouens bonâ fide explicuerit ſtatum negotij ſui vt melius potuit; quodque Prælatus adhibito congruo examine pro rei qualitate, iudicauerit cauſam iuſtam & ſufficientem ad diſpenſandum, ſiue pro parte, ſiue in totum. Ita Suarez ſuprà cap. 17. num. 6. Mald. dub. 10. non longè à fine, & indicat D. Thomas hic, quæſt. 88. art. 12. ad 2.

DVBIVM XXIV.

Quinam in votis poſſint diſpenſare.

Respondeo & Dico Primo: Poteſtas diſpenſandi in votis non cōpetit niſi Eccleſiæ Prælatis iure ordinario, & quidem ſolis habentibus iuriſdictionem in foro externo. Ita tenent Doctores communiter. Et quidem, quòd tantum Eccleſiæ Prælatis conueniat, ſumitur tum ex fine eius, tum ex materia: ex fine, quia hic eſt ſpiritualis, ſcilicet ſolutio ab obligatione quâ quis Deo tenetur ad certum cultum, aut pietatis opus: ſimiliter ex materia, quia hæc continet diuinum honorē & obſequia, quæ omnia ſpectant ad ſuperiores Eccleſiæ. 142

Quod autem non conueniat quoque niſi Prælatis habentibus iuriſdictionem: Probatur, quia hæc poteſtas pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicuti poteſtas diſpenſandi in legibus, poteſtas ferendi cenſuras, conferendi indulgentias, &c. Ergò ijs ſolis iure ordinario competit, qui ex munere Eccleſiæ regendæ externis præſunt. Deinde conſtat quod ſit poteſtas Eccleſiaſtica, vt iam diximus: non eſt autem ordinis, ergo iuriſdictionis. Hinc neque conſecratio epiſcopalis, neque ordo ſacer ad eam requiritur, ſed tantum eccleſiaſtica iuriſdictio in externo foro, qualis reperitur etiam in Epiſcopo confirmato ante conſecrationem.

Dico Secundò: Poteſtas hæc diſpenſandi in plenitudine ſuâ reſidet in ſummo Pontifice, qui eā ſicuti & aliam omnem poteſtatem iuriſdictionis accipit immediatè à Deo. Eſt doctrina communis & certa. Probatur ex Scripturis Matth. 16. cap. vbi Chriſtus Petro dicit: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terrā erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et Ioan. cap. 21. *Petre amas me plus his: paſce oues meas:* & ex alijs omnibus quibus demonſtrari ſolet Petrum à Chriſto conſtitutum eſſe Vicarium eius generalem, & totius Eccleſiæ caput in terris: de quibus plura diximus ſuprà ad artic. vlt. quæſtionis primæ huius partis 2. 2. 143

Dico

Digitized by Google

144 DICO Tertio: Epiſcopi habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in votis omnibus ſuorum ſubditorum, præterquam in votis ſolemnibus, & in alijs quibuſdã quorum diſpenſationem Pontifex ſibi reſeruauit.

Eſt contra Panormitanum in Capitulũ, Propoſuit, De conceſſionibus præbendarum num. 12. vbi vult Epiſcopis tantùm competere poteſtatem commutandi vota.

Sed concluſio ſumitur ex D. Thoma hic art. 12. ad 3. & tenetur à Doctoribus communiter in 4. diſt. 38. quorum plures allegauimus Dubio præcedenti: Dom. Soto lib. 7. qu. 4. art. 1. Syluest. V. Votum 4. quæſt. 3. Nauarr. cap. 12. n. 75. Innocent. & Hoſtien. in Capit. 1. De voto. Suarez cap. 10. num. 5. & Sanchez libro 1. De matrimonio, diſp. 61. num. 3.

Et probari poteſt ex Capit. 1. De voto & voti redemptione, vbi Alexander III. planè ſupponit in eius qui præſidet (id eſt ipſius ordinarij, vt exponunt Gloſſa & plerique Interpretes) poteſtate eſſe diſpenſare, aut commutare vota, quando iuxta eius iudicium ſubeſt cauſa.

Probatur ſecundò ex antiqua & recepta conſuetudine Eccleſiæ, quæ eſt ſufficiens indicium talis poteſtatis: quandoquidem enim per peculiare priuilegium non concecedatur Epiſcopis qui eâ paſſim vtuntur, ſatis fit euidens, quod ordinario iure eam poſſideant.

Probatur tertiò ratione, quam indicat D. Thomas loco iam citato, quia ad conueniens & ſuaue regimen animarum requiritur in Epiſcopis, qui ſunt eccleſiarum principes, poteſtas hæc vt in votis quæ communiter fiunt, & frequenti indigent relaxatione, poſſit diſpenſare, vt habeant de facili homines (inquit D. Thomas) ad quem recurrant. Quemadmodũ itaq; munus Epiſcopale quod ex diuina inſtitutione habetur in eccleſia Chriſti, poſtulat ex ſua ratione poteſtatem iuriſdictionis, ita etiam requirit facultatem hanc diſpenſandi in votis, quæ communiter occurrũt: eſt enim veluti pars quædam poteſtatis iuriſdictionalis quę moraliter eſt quoque neceſſaria ad debitam executionem muneris Epiſcopalis: quia tamẽ proximè confertur per Pontificem tanquã generalem vicarium Chriſti, hinc ex rationibus iuſtis poteſt illam moderari & plenitudinem aliquam ſibi ſeruare: quatenus hoc propter bonum diſciplinæ & ad generale regimen Eccleſiæ, cenſetur expediens.

Petet aliquis: Vtrùm Archiepiſcopus poſſit diſpenſare in votis populi qui ſubeſt Suffraganeis ſui Archiepiſcopatus?

Reſpondetur negatiuè: Ita Suarez ſup. num. 8. quia nec ex ſpeciali iure habet talem poteſtatem, nec ex vi muneris, quia ipſe non eſt ordinarius paſtor talium perſonarum, nec in illas habet immediatam Iuriſdictionem, vnde nec poteſt earum confeſſiones audire, nec à caſibus Epiſcopo reſeruatis abſoluere: & ſumitur ex Capit. Paſtoralis, De officio ordinarij, §. Cum in eum. An verò id poſſit, quando viſitat prouinciam, ſicuti tunc poteſt audire confeſſiones & abſoluere iuxta Capit. vltimum De cenſibus in 6. videtur eſſe magis dubium: affirmatiuam partem videtur tenere Palud. in 4. diſt. 38. quęſt. 4. art. 4. ſed negatiuam partem dicit Suarez probabiliorem; quia poteſtas diſpenſandi in votis non eſt coniuncta cùm poteſtate abſoluendi in confeſſione, neque eam ſequitur aut comitatur, vt per ſe conſtat. Vnde hic potius locum habet regula, Quod Archiepiſcopus ſolum in his rebus poſſit illa, quæ inueniuntur illi conceſſa.

DICO Quartò: Quidam etiam Prælati Epiſcopo inferiores, habentes tamen epiſcopalem poteſtatem tum ſæculares, tum regulares, vt qui exempti dicuntur, poſſunt in votis non reſeruatis, cum ſuis ſubditis exemptis diſpenſare poteſtate quaſi ordinariâ. Ita Doctores communiter tradunt. 145

Et ratio eſt, quia Pontifex poteſt hanc iuriſdictionem & ſpiritualem poteſtatem communicare etiam non Epiſcopis; & certis dignitatibus ac prælaturis tum ſæcularibus, tum regularibus ſua inſtitutione annectere & quaſi ordinariam illis adiungere: exiſtit enim in illo tanquam vniuerſali cauſa ſub Chriſto, plenitudo omnis huiuſmodi iuriſdictionis & poteſtatis, & ad illum ſpectat eam diſtribuere in diuerſos eccleſiæ miniſtros, pro vt magis fuerit expediens ad ſalutem fidelium: ita tamen vt Epiſcopis debeatur, non ſic alijs inferioribus Prælatis. Vide Capit. Duo ſimul, De officijs ordinariorum.

Quãta igitur & qualis ſit poteſtas in Pręlatis inferioribus, intelligi debet ex ipſorum priuilegijs: habent enim tantam & talem prout eis fuerit conceſſa: Epiſcopi autem è contra habent iure ordinario omnem illam poteſtatem diſpenſandi in votis quam Pontifex ſibi non reſeruauit.

Addit autem Suarez ſuprà num. 14. generaliter, quod omnes Prælati religioſi qui poſſunt irritare vota ſuorum religioſorum, poſſint etiam in illis diſpenſare ſi velint: atque ita non tantum Generales & Prouinciales, ſed etiam Prælati conuentuales habent iſtam poteſtatem; de quo vide Syluestrum Votum 4. quæſt. 3. Nauarrum c. 12. num. 75. Dom. Soto lib. 7. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 4. art. 3. Caiet. ſuprà art. 8. Abbatiſſæ tamen etſi poſſint ſuarum monialiũ vota irritare, nihilominùs non poſſunt in illis diſpenſare propriè, quia iuriſdictionem ſpiritua- 146

Digitized by Google

ſpiritualem in foro externo non habent, vt docet Soto in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. Syluester V. Fœmina, nu. 4. & alij: Ad iſtam autem ſpectat poteſtas diſpenſandi in votis.

Dicet aliquis: Videtur poteſtas diſpenſandi in Prælatis regularibus reſpectu religioſorum ſuorum eſſe ſuperflua: quandoquidem horum vota poſſint irritare, quod etiam ſecuriùs fit, quia qui habent poteſtatem irritandi poſſunt validè irritare, etiamſi non adeſſet cauſa, quamuis non ſemper licitè.

147 Reſpondetur Negando Aſſumptum: Sunt enim quædam religioſorum vota quæ irritare non poſſunt, quale inprimis eſt votum tranſeundi ad religionem ſtrictiorem, vt habet communis ſententia: Antoninus ſuprà cap. 2. §. 9. Caiet. infrà quæſt. 189. art. 2. Syluester votum 4. quæſt. 3. Soto, libro 7. quæſt. 3. art. 2. dub. 2. & quæſt. 4. art. 3. Nauarrus Commentario 4. De regularibus, cap. 22. & alij plures: qui omnes ſupponunt hoc votum à Prælato non poſſe irritari: quia tamen non eſt reſeruatum quo ad diſpenſationē, dicunt in eo poſſe diſpenſari ex cauſa à Prælato proprio, quia Epiſcopus in eo poſſet diſpenſare, ſi illi foret ſubditus.

Alterum quoque ponitur votum, quod Prælatus irritare nō poteſt, ſcilicet in quod ipſe conſenſit ſiue quod ab eo confirmatum eſt: poteſt tamen etiam in hoc ex iuſta cauſa diſpenſare iuxta Auctores allegatos; quamuis Richardus ſuprà art. 4. quæſt. 3. dicat tunc eſſe tutius à ſuperiori Prælato petere diſpenſationem: ſed non videtur hac in re eſſe dubium aut periculum, quia Prælatus conſentiendo non ademit ſibi poteſtatem diſpenſandi, quando contingit iuſtam cauſam interuenire.

Addit Suarez ſuprà cap. 10. poſſe Prælatum etiam inferiorem diſpenſare in voto ſui religioſi confirmato per ſuperiorem, quando iuſta cauſa interuenerit, & modò ſuperior ſibi non reſeruauerit, quia per confirmationem ſiue cōſenſum ſuperioris eſt tantum redditum firmum, vt non poſſit irritari: non autem factum eſt indiſpenſabile ab eo, qui in ſimilibus votis firmis poteſt diſpēſare.

Dico Quintò: Confeſſores ordinum
148 mendicantium ex priuilegio Pontificio poſſunt diſpenſare (quando tamen per ſuperiores hoc eis conceditur) in omnibus votis in quibus Epiſcopi poſſunt, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas. Dicitur hoc conſtare ex compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, quorum priuilegia etiam alijs ordinibus mendicantibus dicuntur eſſe communicata. Vide Nauarrum, cap. 12. num. 79. §. 11. dicimus: vbi refert quod Innocent. VII. hoc eis conceſſerit.

DVBIVM XXV.

Quæ vota Pontifici ſint reſeruata?

Diuus Thomas infrà quæſt. 184. art. 6. 149
& quæſt. 189. art. 7. dicit omnia vota perpetua Papæ reſeruari: ſed in huius regulæ verificatione laborant eius Interpretes: Caiet. Soto & alij ſectatores Thomæ.

Verùm quia vota reſeruata non ſunt tam multa, quin facilè determinato numero & particulatim poſſint exprimi, hinc prætermiſsâ diſputatione de ſenſu iſtius regulæ,

Respondeo & Dico Primò: Quinque ſunt tantum vota reſeruata Pontifici quo ad diſpenſationem in illis: ſcilicet, votum Religionis, votum Caſtitatis, votum Viſitationis terræ Sanctæ, viſitationis liminum Apoſtolorum, & D. Iacobi in Compoſtellâ. Eſt concluſio communis & certa. Continet autem duas partes; vna eſt affirmans, quod ſcilicet quinque illa enumerata ſint reſeruata: altera eſt negatiua, quod ſcilicet hæc tantum ſint & non plura reſeruata.

Quo ad priorem partem, non reperiuntur quidem quinque iſta expreſsè & in particulari reſeruata iure antiquo, ſed ſolummodò votum Ieroſolimitanum, idque non abſolutè, ſed quando eſt factum in ſubſidium terræ ſanctæ, vt patet ex Capitulo Ex multa, De voto: vnde ſi tantum deuotionis cauſâ eſſet illa peregrinatio ſub voto, ex rigore illius Canonis, non contineretur ſub reſeruatione: & hinc concluſio magis traditioni niti videtur, quàm iuri ſcripto, ſi antiquum ſaltem reſpiciamus, vt docet Syluester votum 4. quæſt. 3. vbi tamen loquitur tantum de tribus prioribus, quæ ſunt præcipua, & magis ab antiquo videntur reſeruata: vnde & D. Thomas, quæſt. 88. art. 12. ad 3. ſic de his ſcribit: Vota maiora puta continentiæ, & peregrinationis terræ Sanctæ reſeruantur ſummo Pontifici: vbi ſub voto continentiæ comprehendit votum religionis, de quo alibi in particulari facit mentionem: omittit autem duas alias peregrinationes, quia forſitam ſuo tempore nec lege nec conſuetudine erant reſeruatæ.

Nam & Richardus in 4. diſt. 38. art. 9. quæſt. 2. dicit votum ſancti Iacobi ab Epiſcopo poſſe diſpenſari: & idem ſentire videtur de viſitatione liminum Apoſtolorum, quia ipſe tria quoque tantùm reſeruata enumerat.

Sed de omnibus quinque recenſitis, idem 150
dixit Soto ſuprà quæſt. 4. art. 3. & Nauarrus cap. 12. n. 75. dicit ea eſſe reſeruata ex ſtylo curiæ, & ſequuntur recentiores omnes: & ſufficienter iam probari poteſt ex Extrauagante

uagante communi quæ incipit: Etſi dominici, De pœnitentijs & remiſſionibus, vbi Pontifex Sixtus IV. nominatim de illis quinque votis declarat, quod nemo vel commutare hæc poſſit, niſi (inquit) ex ſpeciali licentiâ & certâ ſcientiâ noſtrâ, reuocatis conceſſionibus prius factis. Quamuis autem ſpecialiter agat de abſolutionibus, diſpenſationibus, aut commutationibus quæ fiebant virtute litterarum Apoſtolicarum ab ipſo Pontifice emanatarum, nihilominus ſupponere videtur reſeruationem abſolutam, ita vt nec Epiſcopi poſſint ſuâ ordinaria poteſtate in eis diſpenſare: quod ex eo ſatis probatur, quia conſtituit Pontifex, vt nullus quâcumque dignitate etiamſi Epiſcopi vel maiori præfulgeat, poſſit quarumcumque conceſſionum virtute facere illa quæ inibi inhibet: quod fruſtra de Epiſcopali dignitate diceret, niſi præſupponeret ea ab ordinariâ eorum poteſtate ſubſtracta & ſanctæ Sedi reſeruata.

Ratio autem congruentiæ eiuſmodi reſeruationis ſumi poteſt ex Capitulo Maiores De baptiſmo, vbi dicitur quod grauiores cauſæ ad ſummum Pontificem ſint referendæ: quare cum iſta vota grauia ſint indicanda, merito Pontifex ea ſibi reſeruauit.

Quod ad alteram partem ſpectat, ſatis
151 hæc videtur inde patere, quia neque ex vlla conſtitutione Pontificiâ ſcriptâ, neque etiam ex aliquâ vniuerſali conſuetudine Eccleſiæ habetur ſeu exiſtimatur vllum aliud votum tanquam reſeruatum aut exemptum ab Epiſcopali poteſtate.

D. Thomas quidem locis antè citatis vinculum quo Epiſcopus obligatur ſuæ Eccleſiæ appellare videtur votum, & quidem ſolemne, vt paet quæſt. 189. art. 7. & in eo dicit Pontificem ſolum poſſe diſpenſare: ſed illud non eſt verè votum propriè dictũ, de quo agimus; Canones quidẽ ſpecialiter prohibent, ne Epiſcopi quâcumque occaſione Eccleſias ſuas dimittant abſq; Romani Pontificis authoritate, ſed hinc iſta obligatio recenſeri non debet inter vota Pontifici reſeruata, de quibus hic eſt ſermo.

Nauarrus verò in Commentario primo De regularibus Capit. 21. prædictis quinque enumeratis ſubiungit: Quibus hodie (inquit) annumeratur votum viſitandi domum glorioſam glorioſiſſimæ virginis Lauretanam: quam annumerationem dicit Suarez ſuprà cap. 21. eſſe valdè nouam, & ſingularem, & ab eodem authore in manuali & in Concilijs non adiectam: quia itaque nullam probationem eius neque ex conſuetudine, neque ex ſtylo Curiæ, neque ex aliquo reſcripto Apoſtolico adducit, hinc merito putat Suarez illam additionem non eſſe tenendam.

Dico Secundò: Prædicta quinque
vota non tantùm quoad diſpenſationem, 152
ſed etiam quoad commutationem ſunt reſeruata. Ita communiter & indubitate tenent Doctores: nam in primis Capitulum Ex multa ante allegatum loquitur apertè de commutatione ſeu voti redemptione quę quædam commutatio eſt. Item in Extrauagante Etſi dominica, iam citata. Similiter agit Pontifex de commutatiode iſtorum quinque votorum ſub illa comprehendens diſpenſationem, vbi & loquitur de voto peregrinationis vltramarinæ ſimpliciter abſq; addito, quod factum ſit in ſubſidium terræ Sanctæ: quare etſi deuotionis cauſâ tantũ ſit emiſſum, tamen ſimpliciter reſeruatum cenſeri debet. Denique ita obſeruant vſus & ſtylus curiæ Romanæ.

DVBIVM XXVI.

Vtrùm vota conditionalia quæ circa materiam reſeruatam verſantur, debeant cenſeri Pontifici reſeruata?

OBſeruandum eſt primò: Conditiona- 153
lia vota quædam eſſe pura conditionalia, quædam autẽ ſimul pœnalia: & quamuis vtraque in multis conueniant, non tamen quoad præſens inſtitutum, in omnibus eadem eſt iſtorum ratio. Quare maioris claritatis & diſtinctionis gratia, tantùm in hoc Dubio agemus De conditionalibus non pœnalibus: de alijs acturi Dubio ſequenti.

Obſeruandum Secundò, in conditionalibus votis, duos poſſe diſtingui ſtatus: vnus eſt ante conditionem impletã: alter eſt poſt euentum conditionis.

Iuxta duplicem itaque eiuſmodi voti ſtatum, exurgit duplex quæſtio.

Prima eſt: Vtrùm Epiſcopus in voto, v. g. peregrinationis vltramarinæ, aut in alio ſimili ſub conditione aliquâ emiſſo poſſit diſpenſare ante conditionis euentum, loquendo de puro conditionali, vt contra pœnale diſtinguitur.

Circa hanc difficultatem variant Doctores: multi enim & graues authores ſentiunt
tale votum ſimpliciter contineri ſub reſer- 154
uatis, nec poſſe Epiſcopum in eiuſmodi cõditionali voto diſpenſare. Ita tenent Soto libro 7. quæſt. 2. art. 1. ad 4. circa finem articuli. Aragonius hic quæſt. 88. art. 12. in dubio De votis pœnalibus. Corduba in Summa quæſt. 152. Azorius tomo 1. lib. 11. cap. 19. quæſt. 13. Nauarrus cap. 12. n. 43. & inclinat Valentia tomo 3. diſp. 6. qu. 6. puncto 7. & alij non nulli.

Fundamen-

Digitized by Google

Fundamentalis ratio opinionis huius eſt, quòd votum cõditionale quod non eſt pœnale, ſit votum directũ de materia promiſſa ſub conditione, & fiat ex directa intentione & affectu illius materię: ergò quãdo materia eſt reſeruata, votũ illud quamuis cõditionale erit reſeruatum: quia v.g. eſt verũ votum viſitandi terrã ſanctam, ſeruandi caſtitatem emiſſum ex affectu honeſtatis talis materię.

Et confirmatur per exempla: nam ſi quis voueat ingredi religionem ſi mater obierit, vel viſitare terram ſanctam ſi obierit pater (quæ exempla adducit Soto) & ſimiliter ſi quis voueat religionem ſi fratri maiori nata fuerit proles, aut voueat caſtitatem niſi frater moriatur abſque liberis, vota illa erunt conditionalia: & tamen nõ apparet, quod Epiſcopus in talibus poſſit diſpẽſare; ergò &c.

His tamen non obſtantibus, non deſunt
155 alij qui exiſtimant & docent vota conditionalia etiã non pœnalia, quamdiu in illo ſtatu manent, antequam ſcilicet conditio ſuperuenerit, non eſſe reſeruata. Ita docent Toletus, lib. 4. c. 18. circa finem, & pro eadem ſententia refert: F. à Victoria, item Ledeſma 2. par. ſummæ tract. 10. c. 8. Sanchez, lib. 8. diſp. 3. n. 12. & 13. qui & alios allegat Mald. ſuprà dub. 10. Suarez ſuprà c. 22. n. 3. & alij.

Probatur autem hæc ſententia, quia votũ conditionale nondum cõditione completã, non eſt perfectum & conſummatum, ergò ad illud nõ eſt extendenda reſeruatio. Conſeq. probatur, quia reſeruatio, vtpotè quędã diminutio poteſtatis ordinariæ Epiſcoporũ cẽſetur inter materias odioſas, vt habet Suarez loc. cit. & ab alijs ſupponitur in alijs caſibus, & proinde in omnibus ſtrictè eſt interpretãda, vt ſolent DD. quoq; tradere in materia de caſibus reſeruatis qui de illis ſcribũt.

Declaratur antecedens, quia contractus ſub conditione initus non eſt perfectus, vt patet in ſponſalibus, in matrimonio, & in ſimilibus: nõ enim exiſtunt perfecta ſponſalia inter illos qui tantum ſub conditione hæc inierint, nec matrimonium inter eos qui tantum ſub conditione contraxerunt: votum autem quoque eſt quaſi contractus quidam cum Deo; ergò &c.

Et confirmatur amplius, primò, quia votum conditionatum nondum impletã cõditione non obligat ſimpliciter, ſiue nondum obligat ad materiam ſub conditione promiſſam, ſed tantùm ad expectandum euentum conditionis, ergò pro illo adhuc ſtatu non debet dici ſimpliciter votum illius materiæ quæ eſt reſeruata.

Confirmatur ſecundò, quia qui ſub cõditione vouet religionem, aut caſtitatẽ, nondũ plenè cõſentit in religionis ingreſſum vel in caſtitatis perpetuã cuſtodiã, ſicuti qui vxorẽ ſub conditione ducit, nondũ plenè conſentit in matrimonium cum illa, ergò vota illa pro illo ſtatu nondũ ſunt dicenda ſimpliciter vota religionis aut caſtitatis: cõditio itaque illa pendens valdè diminuit rationem voti reſpectu materię tantùm ſub cõditione promiſſæ, ac proinde eiuſmodi votum non videtur comprehenſum ſub reſeruatis, quæ debent eſſe in ſua ratione reſpectu materiæ reſeruatæ omninò plena & perfecta.

Vnde quod ad principale fundamentum 156
opinionis aliorum attinet, videtur ex dictis vtcumque conſtare, quid ad illud poſſit reſponderi: poterit enim dici, quod tametſi cõditionata vota ſint vera vota, non tamẽ adhuc ſint vota ſimpliciter dicta illius materiæ quę ſub cõditione promittitur, ſed diminutè, & quodammodo ſecundum quid: quod verò addunt vota illa fieri ex directa intentione & affectu illius materiæ, non habet quoq; perpetuo veritatem: ſæpius enim fieri poſſunt ex affectu periculi aut mali alicuius vitandi, vel boni alicuius conſequendi, vt dũ quis vouet, ſi ex hac infirmitate fuerim ſanatus, aut ſi hoc periculum naufragij euaſero, viſitabo S. Iacob. in Compoſtella, aut limina Apoſtolorum: item dum quis vouet, ſi mihi dederit Deus victoriam contra hoſtes, faciã peregrinationem ad terrã ſanctam: vbi ſine dubio, vota non procedunt ex directa voluntate & affectu eiuſmodi peregrinationũ, ſed ex affectu alterius rei quam mediante eiuſmodi promiſſione, ſperant cõſequi. Deinde, & ſi aliquando poſſint fieri ex directo aliquo affectu erga talem materiam, tamen non procedunt, (quando verè conditionata ſũt,) ex pleno & abſoluto affectu, ſed ex affectu aliquo diminuto, puta quia voluntas magis adhuc in aliud propendere ſignificatur, quamuis ſi contingat alterũ non obuenire, tunc indicetur ferri in materiã illã promiſſã.

Ex quibus ſatis intelligitur fundamentũ illud non omninò procedere; neque conditionalia vota cenſenda eſſe vota ſimpliciter illius materiæ quæ ſub conditione promittitur, nec ſemper ex directã & totã intentione & affectu talis materiæ fieri.

Conſtabit idem amplius ex reſponſione 157
ad exempla in contrarium allegata: pro quorum explanatione; Notandum eſt, non ſemper votum cenſendum eſſe propriè & ſimpliciter conditionatum, quotieſcumque cõditionalis aliqua coniunctio ſiue particula Si, ei adiungitur: quod indicat Mald. quando loco citato, poſteriorem opinionem quam tenet, dicit limitandam eſſe, vt intelligatur tunc obtinere, ſiue verã eſſe, quando votum verè eſt conditionatum appoſitã conditione quæ tacitè non ineſt: vnde huiuſmodi votum, voueo quod ingrediar religionem proximè poſt vnum annum ſi vixero, aut voueo quod ingrediar ordinem S. Franciſci ſi admittar, non ſunt vota conditionalia, ſed abſoluta, quia tantum exprimuntur cõditiones

ditiones quæ in omni ſimili voto etiam abſolutè prolato,tacitè inſunt. Deinde contingit particulam(ſi) accipi aliquando non tam conditionaliter, quam per modum aduerbij temporis, & deſignare tempus pro quo intendit quis exequi quod promittit.

158 His poſitis reſpondetur ad priora duo exempla quæ eiuſdẽ ſunt rationes, admittendo quod Epiſcopus non poſſit diſpenſare, ſed negando quod ſimpliciter & propriè conditionalia ſint habenda; quia coniunctio (ſi) magis in illis determinat tempus, quã ponat conditionem aliquam:ſenſus enim eſt,ſi mater obierit,id eſt, quando mater obierit, propter quam ſcil. non ingreditur, ne illam cõtriſtet, aut quia eius indiget ſubſidio: ſimiliter quoque de altero dicendum eſt, ſi pater obierit,id eſt,quando pater obierit,quia ſcil. libertas maior erit,& media ſuppetẽt faciendi itineris: atque ita in illis exemplis admittitur quoq; ad eſſe plena & perfecta voluntas & affectus erga materiã promiſſam, quia quod adiungitur, deſignat tantùm expectari tempus quo ablata erunt quędã impedimẽta obſtantia, quo minus commodè vouens, poſſit nunc explere id quod in abſoluto deſiderio habet & promittit.

Neque enim debent eiuſmodi vota ſic intelligi, quaſi vouens emittat illa vt ijs mediantibus obtineat mortẽ matris aut patris, quo ſenſu eſſent verè conditionalia, ſicuti ſi quis ex amore vitæ patris ſic voueret, ſi Deus reddiderit patri ſanitatem, ego ingrediar religionem. Sed tunc forent improba, vt per ſe patet.

159 Simili modo videtur reſponderi poſſe ad tertiũ exemplum: quando enim quis ſic vouet: voueo religionẽ ingredi, ſi fratri maiori nata fuerit proles, tũ verba illa, conſideratis materia & vſu loquendi, intelliguntur hunc habere ſenſum,quãdo ſiue quam primũ fratri fuerit nata proles, & habuerit ſucceſſionẽ,ego ſtatũ religioſum amplectar. Vnde in voto videtur poni illa limitatio tantùm ad expectandã quandam aſſecurationem,quod familia vel domus non emorietur abſque ſucceſſore: atque ita apparet non eſſe propriè & ſimpliciter conditionatum. Neque hic iterum ſolet intelligi fieri votum tale ad impetrandam fratri prolem, ſicuti votũ fecit Anna 1. Regum c. 1. *Si dederis ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino*: quamuis non repugnat, neq; improbum foret ita fieri, & tunc verè eſſet conditionale,& inter ea numerandum, in quibus dicitur Epiſcopũ poſſe diſpenſare antè impletam conditionem.

Sed aliud adhuc aduertit Suarez circa idẽ exemplũ, quòd licet illa ita ſint,tamen eiuſmodi votum regulariter ſit imperfectum, & ſuo modo conditionatum, quia ordinariè non fit ex abſoluto affectu erga religionem, ſicuti iſta duo priora diximus fieri, quin frequenter qui ſic vouet, deſiderat vt conditio non impleatur, & vellet potius eſſe hæres in domo patris, quàm religioſus, licet in caſu alterius euentus, deliberet ita facere. Vnde votum tale poteſt dici procedere ex aliquo directo affectu ad materiam, ſed ex affectu valdè diminuto: & ſi animus vouentis fuerit talis, tunc votum eius videtur reuera eſſe conditionale habendum, ſecus autem ſi ex puro & abſoluto affectu erga religionem ſic vouiſſet,& tantummodo intendiſſet ſuſpendere executionem ad vitandam familiæ deficientiam.

Ad quartum exemplum dicendũ eſt tale 160
votum eſſe abſolutum, quia illa conditio nõ ponitur ad ſuſpendendum conſenſum vel obligationẽ de præſenti, ſed tantum ad terminandam & extinguendam illam in tali euentu: cuius rei ſignum eſt, quia ſi talis vouens violaret caſtitatem, antequam moreretur frater ſine liberis, peccaret contra votum ſuum: eſt igitur abſolutum & non pendens ex conditione, quia ſtatum obligat ad ſeruandam caſtitatem.

Nihilominùs ex alio Capite dicit Suarez illud non eſſe reſeruatum, quia ſcilicet non eſt votum caſtitatis perpetuæ, atque ita non cenſetur votum caſtitatis ſimpliciter dictũ, eſt enim cũ aliquo termino poſſibili, quamuis incerto, vbi ſcilicet contigerit fratrem mori ſine liberis.

Hæc autem omnia ſi bene inter ſe conferantur & diſtinguantur, forſitan non DD. omnes inuenientur cõtrariè ſentire, qui alioquin contrariè in verbis loquuntur, ex eo quod ad diuerſa veriſimiliter exẽpla reſpexerint,quando ſuam formarunt opinionem.

Secunda hic quæſtio eſt de ijſdem votis 161
conditionalibus iuxta alterum ſtatum conſideratis, vtrum ſcilicet in ijs poſt impletam conditionem poſſit quoq; diſpenſare Epiſcopus in quibus admittitur poſſe, conditione adhuc pendente.

Quidam docent etiam tunc Epiſcopum in illis poſſe diſpenſare. Ita tenet Sanchez ſup. vbi citat Pet. Ledeſma, & Ant. Gomez, & ſequitur Mald. dub. 10. citato, vbi loquens de votis pœnalibus & conditionalibus, extendenda eſt etiam, inquit, ad tempus quo fortè iam incurſa eſt pœna, vel poſita conditio: & fauet Toletus ſup. qui ſine diſtinctione ſtatus votorum conditionaliũ, ita de illis ſcribit: Eſt autem notandum vnum, inquit, quod notauit Victoria, iſta quinque vota tunc reſeruari Pontifici, cum abſoluta ſunt, cùm verò conditionalia ſunt, vel pœnalia, pertinent ad Epiſcopum.

Fundamentum horum videtur eſſe, quia illud votum à principio fuit imperfectum,& non ſimpliciter votum talis materiæ, atque adeo alterius cuiuſdam naturæ à voto abſoluto. Quamuis igitur conditione impletâ magis

Digitized by Google

magis abſolutè obliget, ſemper tamen naſcitur illa obligatio ex radice imperfectâ ſiue ex voto reſpectu talis materiæ minùs directè aut minùs perfectè emiſſo.

Communior tamen ſententia habet, eiuſmodi votū impletâ tam conditione ab Epiſcopo non eſſe diſpenſabile, loquendo de cōditionali, vt à pænali diſtinguitur, prout nūc de illo egimus. Sic inprimis docent Auctores omnes prius allegati qui volunt conditionalia vota etiam ante impletam conditionem eſſe indiſpenſabilia per Epiſcopū. Idem tenent Couarr. in Cap. Quamuis pactum, 1. parte §.3. n.12. Suarez ſuprà, & alij plures.

Ratio horum principalis eſt, quia impletâ conditione iam videtur ſortiri votum illud plenā rationem voti abſoluti in materia reſeruata, ergò dicendum erit quod pro hoc ſtatu ſit reſeruatum. Confirmatur, quia licet contractus ab initio fuerit conditionatus, tamen impletâ conditione purificatur, & tam perfectus manet, ac ſi à principio fuiſſet ſine conditione initus, ergò &c. vtraq; ſententia apparet probabilis; quia tamē in re tam graui non facilè eſt recedendum à communi doctrinâ, hinc potius inhærendum erit ſententiæ poſteriori, vt vult Suarez.

DVBIVM XXVII.

Vtrùm pœnalia vota, quæ circa materiam reſeruatam fiunt, ſint reſeruata?

162 Votum pœnale hic dicitur, quo quis Deo promittit opus aliquod gratū, in pœnā ſui delicti vel negligentiæ, ſi v. g. tale vel tale Dei aut Eccleſiæ mandatū, vel aliud proprium votum fuerit præuaricatus, aut ſi aliqua pia opera exercere neglexerit.

Porrò huiuſmodi voti etiam duplex poteſt ſtatus attendi: vnus ante culpā: alius poſt culpam commiſſam: & ſic duplex quoque de eo mouetur difficultas, vna, an poſſit in tali voto Epiſcopus diſpenſare ante culpam commiſſam? altera, an poſſit quoque in eo diſpenſare poſt impletam conditionem & culpam commiſſam?

Quod ad priorem difficultatem attinet Nauar. c. 12. n. 43. & conſil. 15. De voto, reſpondet cum diſtinctione, quod ſcilicet aliud votum ſit pœnale quaſi ſimplex, vt quando quis vouet hoc vel illud præſtare ſi deliquerit contra tale præceptum: aliud autem ſit quaſi compoſitum, vt dum quis vouet vnam rem abſolutè, & ſi votum illud præuaricatus fuerit, vouet rem aliam ſub iſta conditione: vt vouet quis non ludere aleis, & ſi luſerit, vouet viſitare terram ſanctam: de poſteriori autem admittit Epiſcopum poſſe in eo diſpenſare ante culpā commiſſam: idque quaſi in radice, ſcilicet tollendo votum de non ludendo; hoc enim non eſt reſeruatum, & illo ſublato conſequenter tollitur aliud: nam & ſi tunc luſerit, non tenebitur facere peregrinationem, quia non eſt præuaricatus votum de non ludendo, vtpote quod iam nullum erat: de priori autem negat, & docet tolli non poſſe niſi per Papam, idque ex illo fundamento, quia exiſtimat generaliter conditionalia vota etiam ante impletam conditionem quando circa materiā reſeruatam verſantur, eſſe ſimpliciter reſeruata.

Sed contrarium de votis verè & propriè conditionalibus, iam dubio præcedenti tanquam magis probabile & verius demonſtratum fuit: & de pœnalibus idem docet Emanuel Sa V. Voti irritatio nu. 11. vbi & alios plures allegat: quare cum ſententia communi tenendum eſt, Epiſcopum indubitatè diſpenſare poſſe, etiā in his pœnalibus ante conditionem impletam. 163

Altera itaque difficultas eſt, vtrùm cenſeri debeat reſeruatum quando conditio euenit, & culpa eſt commiſſa. Tanquam certum hic præſupponitur, cū v.g. qui vouit peregrinari ad terram ſanctam, ſi inciderit in crimen adulterij, teneri poſt commiſſum adulterium ſimpliciter & abſolutè ex voto ad illam peregrinationem, & ſic in ſimilibus caſibus.

Quæritur itaque, an illud votum tunc ſit reſeruatum? multi affirmant, vt Soto, Azorius, Couarruuias ſuprà.

Non deſunt tamen alij qui docent iſta pœnalia ne quidem poſt culpā commiſſam, eſſe reſeruata. Ita tenent Arragonius ſuprà dubio præcedenti, qui dicit hanc opinionem nunc eſſe communem: Henriquez, lib. 7. De indulgentijs, cap. 30. n. 6. qui dicit communem praxim ſic habere: Medina in ſumma lib. 1. cap. 14. §. 6. Lopez 1. parte cap. 44. & 2. parte cap. 9. Sanchez ſuprà n. 8. vbi etiam alios refert: Suarez ſuprà c. 23. qui dicit Auctores prioris ſententiæ admittere hanc eſſe probabilem, & in praxi ſecuram: & pro ea militant rationes, quibus innituntur illi quos dubio præcedenti docere diximus etiā pura conditionalia vota impleta conditione eſſe diſpenſabilia ab Epiſcopo. 164

Deinde accedit quod in voto pœnali vouens non intendat, neque directè neque per ſe, id quod vouet in pœnam, v.g. ingreſſum religionis, aut profectionem Ieroſolimitanā ſi tale vel tale quid commiſerit, ſed potius affectus propendet in contrarium, & cupit illud tanquam opus graue & moleſtū vitare & ideò promittit illud ſub tali conditione, vt ex affectu declinandi iſtud & tanquam quid pœnale ſubterfugiendi, incitetur & vrgeatur ad vitandam culpam: quare qui ſic vouet religionem, non vult religionem niſi valde materialiter & imperfectè: quod autē formaliter & ex animo intendit eſt vitare

tale vel tale peccatum aut periculum peccati talis, & hinc non videtur eiuſmodi votum etiam conditione eueniente & culpâ commiſsâ, habendum tanquam votum ſimpliciter dictum religionis, & conſequenter, neque tale, quod ſub reſeruatione comprehendatur.

DVBIVM XXVII.

Vtrùm votum alternatiuè ſiue ſub diſiunctione factum de materia reſeruata, & de materia non reſeruata, cenſendum ſit reſeruatum?

Contingit frequentiùs huiuſmodi vota fieri, v.g. voueo viſitare terram Sanctã, vel dare centũ aureos pauperibus: & voueo viſitare limina Apoſtolorum, vel noſtram Dominam Lauretanam. De iſtis itaque quęritur an ſint reſeruata?

165 Reſpondetur breuiter: re exiſtente integrâ ſub diſiunctione, vota illa cadere ſub diſpenſationem Epiſcopi. Ita ſentiunt DD. communiter Azorius, lib. 11. cap. 19. q. 10. Sanchez, lib. 8. diſp. 9. n. 14. Mald. dub. 10. Suarez ſuprà cap. 24. & alij.

Ratio ſatis eſt euidens, quia diſiunctiua illa vota non ſunt votum Ieroſolimitanum, neque votum Romanũ ſimpliciter loquendo, vnde ſub reſeruatis non ſunt cõprehendenda. Declaratur, quia poteſt quis abſolutè implere talia vota circa materiam non reſeruatã iuxta regulam iuris. In alternatiuis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum impleri. Hinc itaque poteſt Epiſcopus diſpenſare & relaxare, vt ad neutrum teneatur.

Dixi in reſpõſione: Re exiſtẽte integrâ &c. quia ſi vouens iam per electionem, abſolutâ voluntate determinaſſet ſuam obligationem ad partem reſeruatam, tunc Epiſcopus diſpenſare non poſſet, quia per illam determinationem quaſi nouum votum emittit, contrahendo ſeu arctando obligationẽ ad hanc partem. Dico ſi voluntate abſolutâ determinaſſet obligationem ad illam partem; nam ſi tantùm habuiſſet propoſitũ exequendi votum diſiunctiuũ in parte materiæ reſeruatæ, non ideò mutaretur votum diſiunctiuum, nec obligatio determinaretur ad illam vnam partem, vt notat Mald. ſuprà: non obſtante quod Sanchez poſſit videri dicere oppoſitum, quia vt ſuprà diximus, nudum propoſitum non inducit obligationem.

Petet aliquis? quid ſi pars materiæ nõ reſeruatæ ſit facta vouenti impoſſibilis, v.g. eſt depauperatus, vt non poſſit eleemoſinam dare, quę erat ſub diſiunctione, an tenebitur præſtare alteram partem voti; & ſi teneatur, an tunc Epiſcopus poſſit adhuc diſpenſare?

Reſpondetur breuiter, quod tenebitur talis præſtare alteram voti partem ſibi poſſibilem, quia votum obligat, nec cenſeri poteſt impoſſibile, quamdiu altera diſiunctionis pars eſt poſſibilis.

Addo tamen, votum non ideò fore reſeruatum: non enim idcirco mutatur illius voti natura, neque efficitur votum determinatũ talis materiæ reſeruatæ, ſed per accidens fit, quod in tali materia ſit implendum, ſcilicet propter impoſſibilitatem alterius partis.

Cæterùm, quia vota reſeruata veniunt 166 ſtrictè interpretanda, & proinde non intelligantur reſeruata, niſi quæ cõpleta & perfecta ſunt vota talis materiæ, hinc ex illo capite DD. paſſim reſoluunt varios caſus de particularibus votis, quæ aliquo modo materias reſeruatas attingunt, vel aliquã cum illis habent affinitatẽ, quod eiuſmodi vota ſub reſeruatione non debeant cenſeri cõprehenſa.

Sic itaque ſi quis vouiſſet ingredi religionem aliquam non approbatam, diſpenſat in tali voto Epiſcopus. Ita Henriquez, lib. 7. c. 30. n. 6. Suarez, Mald. & alij: quia religio non approbata nõ cenſetur religio aut ſtatus religioſus ſimpliciter, & abſolutè dictus.

Sic quoque diſpenſat in voto ingrediendi ſtrictiorẽ aliquã religionẽ, vt poſſit vouens ingredi laxiorẽ, quia hoc non eſt diſpenſare ſimpliciter in voto religionis, quia hoc manet quo ad ſubſtantiam, & diſpenſatio tantùm verſatur circa aliquod accidens. Ita Syl. V. Votum 4. n. 3. & alij plures, vt videre eſt apud Sanchez ſuprà, quem ſequitur Mald. dub. 10. contra Nauarrum commentario 4. De regularibus n. 10.

Item diſpenſat Epiſcopus in voto ſuſcipiendi ordines ſacros, quia non eſt votũ ſimpliciter caſtitatis, quamuis ſuſceptioni ipſi ordinis ſit futurum adiunctum votum caſtitatis. Vnde qui ante ſuſceptionem, cõmitteret fornicationem nõ peccaret contra votum; ſed ſi poſtea fornicaretur, peccabit quidem non contra primũ votum, ſed contra ſolemne votum caſtitatis, quod implicitè fit in ſuſceptione ordinis: ita Suarez ſuprà cap. 24. & alij communiter.

Idem dicunt de voto nõ nubendi, Angel. 167 V. Votum 4. n. 9. Syl. eodem V. q. 4. Nauar. c. 12. n. 76. Baſil. Pontius contra Caiet. to. 2. opuſculo 11. q. 1. differt enim multùm à voto caſtitatis, quia votum non nubendi per fornicationem non violatur, niſi tamen vouens per eiuſmodi votum intendiſſet ſe obligare ad perpetuam caſtitatem, prout ſatis natum eſt intelligi tale votum.

Notant autẽ hic nonnulli, ſi votum illud non nubendi eſſet factum in gratiam alterius, v.g. coniugis, propter eius honorem vel vtilitatem prolium, tunc nõn poſſe Epiſcopum diſpenſare, illo non conſentiente in cuius gratiam

gratiam ſit factum, de quo licet videre Sanchez, lib.8. diſp. 9.

Eſtque hoc verum, ſi facta ſit promiſſio illi alteri, eaque ſit acceptata: alioquin ſi tantum ad inſtantiam vel petitionem quis faciat, tale votum Deo ſoli, non propterea cenſebiter illi obligatus, neque per hoc inijcitur impedimentum, quo minus poſſit Epiſcopus diſpenſare, quia per hoc quòd ad petitionem alicuius, vel ad ipſi complacendum quis Deo voueat tale aut tale quid præſtare, non creatur iſti ius, niſi & ipſi promittat illud ſeruare.

168 De voto autem ſeruandę virginitatis mouetur etiam quæſtio: ſed iuxta communem ſenſum quo intelligitur fieri, ſic dicendum eſt, quòd ſit reſeruatum, quia intelligitur inuoluere abſolutum votum caſtitatis: ſi tamen vouens intenderet præcisè obligare ſe ad ſeruandam integritatem carnis, tunc non erit votum ſimpliciter caſtitatis quod importat perpetuitatem: amiſſa enim virginitate per primum peccatum, extingueretur obligatio; quia res foret impoſſibilis.

Sic itaqne diſpenſat Epiſcopus in voto ſeruandi caſtitatem ad quinque, decem, viginti annos, ob eandem rationem: non autem in voto ſeruandi caſtitatem ad centum annos, quia hoc cenſetur votum perpetuò ſeruandi caſtitatem.

Petet aliquis, vtrùm quis propriâ auctoritate poſſit aliquod ſuum votũ reſeruatum mutare in aliud reſeruatum melius, vel an Epiſcopus id poſſit? v.g. an quis poſſit votum viſitandi Sanctũ Iacobum commutare in votum viſitandi terram ſanctam, aut in votum caſtitatis? Reſpondetur negatiuè. Ita Bonac. ſup. n.14. & Suarez ſup. c.21. n.17. quia commutatio horum votorum cenſetur prohibita: & ita obtinuit vſus, vt commutatio eorum non fiat, non tantum non in minus, ſed neque in æquale, nec in melius: niſi fiat ab habente poteſtate aut priuilegiũ circa hæc vota reſeruata: neque propterea ſimpliciter prohibetur melius, ſed præſcribitur modus, quo votum commutandum eſt in melius, ſcilicet ex licentia Pontificis.

DVBIVM XXVIII.

Vtrùm Epiſcopus aliquando diſpenſet aut commutet vota, quæ ſunt ſimpliciter vota materiæ reſeruatæ, vt caſtitatis, religionis &c.

169 Reſpondetur: diuerſi ponunt diuerſos eiuſmodi caſus, in quibus diſpenſat Epiſcopus: qui tamen non videntur omnes approbandi; ac inprimis non videtur recipiẽda hæc quaſi regula Guttier, lib.2. quæſt. Canonicarum, c. 22. n. 49. vt refert Suarez ſup. c.26. quòd ſcilicet omne votum ſubditi irritabile ab aliquo ſuperiore à quo dependet, etiamſi ſit caſtitatis, vel religionis, poſſit ab Epiſcopo diſpenſari. Ratio eſt, nam Pontificia reſeruatio ſic quidẽ illęſum relinquit ius irritantis, vt tamen ideò non debeat exiſtimari concedere ius ſeu poteſtatẽ diſpenſandi, ſiue ipſi qui irritare poteſt, ſiue Epiſcopo, ſunt etenim illę duę poteſtates diſtinctæ: quare vota impuberum religionis vel caſtitatis non cadunt ſubdiſpenſationẽ Epiſcopi, quando pater ea approbat, aut non irritat. Vide Suarez ſup. c.26. Sanchez, lib.8. diſp.9. n.4. & Mald. dub. 10. Non videtur tamen ſententia Gutier omninò improbabilis, quamdiu iſta vota nondum ſunt firma aut ratificata, quia tamdiu non videntur adhuc omninò ſimpliciter & abſolutè perfecta ſecundum omnem rationem voti.

Secundò excipiunt aliqui vota ex metu facta. Ita Angelus V. Votum 4. n.9. Fumus V. Diſpenſatio, & alij non nulli. 170

Fundamentum ponunt in eo, qui reſeruatio videtur intelligenda de voto libero, ne ſic reſeruetur coactum ſiue inuoluntarium ſaltem ſecundum quid, ſicuti planè voluntarium & ſpontaneum.

Hanc exceptionem reijcit Suarez loco citato, qui ad reſeruationem vult ſufficere, quòd votum ſit voluntarium ſimpliciter, & ſit ſimpliciter votum materiæ reſeruatæ: & confirmatur, quia alioquin viderentur quoque excipienda vota facta in periculo mortis, vel naufragij.

Quando tamen metus fuit grauis, & cadens in conſtantem virum, tunc ex alio capite, non quod non fuerit ſatis voluntarium, dici poterit quod in eo Epiſcopus diſpenſet, puta quia ex opinione quorumdam non improbabili, votũ ſic emiſſum eſt inualidum, atque ita non opus erit diſpenſatione, ſed tantũ declaratione, puta de iuſto ſeu graui metu, quã poteſt Epiſcopus facere: vel ſi reputetur validũ iuxta aliorum ſententiam, tunc licet nõ poſſit Epiſcopus diſpenſare præcisè, quia metu factum eſt, tamen vt diximus ex alio capite poterit diſpenſare, quia ſcilicet votum dubium eſt, ſiue dubiæ validitatis: in quo proinde æquum eſt admittere Epiſcopũ poſſe diſpenſare, vt docet Baſil. Pontius lib. 1. c. 9. n. 15. cum ipſe vouens ſe conformando alteri opinioni probabili, poſſet nõ ſeruare votum, quatenus non recognoſcit ipſius valorem & obligationem.

Imò inquit Suarez loco citato, num. 6. 171
Poſſumus hic generalem regulam conſtituere, quoties de valore voti caſtitatis, aut de ſimili fuerit morale dubium, ſiue illud ſit dubium iuris, ſiue facti, & ſiue ſit negatiuum: quia coniecturæ non ſufficiunt ad

determinatum iudicium ferendum pro vna aut pro altera parte, ſiue ſit poſitiuum ex opinionibus probabilibus contrarijs, tale votum non eſſe reſeruatum: & confirmat hoc ex illa regula, Quòd reſeruatio ſit ſtrictè interpretanda, & proinde tantùm de votis certis, & indubitati valoris ſit accipiẽda: quemadmodum etiam ſimilis regula de peccatis & cenſuris reſeruatis paſſim ab omnibus ponitur & intelligitur.

Quinimò quando dubium eſt non de validitate voti quod conſtat eſſe factum, ſed dubium eſt an votum ſit emiſſum, tunc opus non eſt aliquâ diſpenſatione, poſtquam ſaltem homo fecit diligentiam in examinando an vouerit, & quidem ſi probabiles habeat rationes, quibus moueatur ad iudicandum, ſe non vouiſſe, tunc (inquit Suarez) omnes ferè authores conſentiunt eum voto non obligari, etiamſi fortaſsè habeat quoque rationes probabiles quæ contrarium ſuadeât; quia inter probabilia poteſt homo ſequi tutâ conſcientiâ partem probabilem quã maluerit, vt latiùs ſolet explicari in 1.2.

172 Quando autem hoc dubium eſt negatiuum, quia ſcilicet intellectus eſt ita ſuſpenſus, vt neutri parti det aſſenſum, eò quòd pro neutra parte habet rationes quæ ſufficiunt ad aliquod probabile iudicium formandum, tunc Doctores magis variant: exiſtimant enim nonnulli, tunc votum in illa dubietate obligare: ſed oppoſitum docent Sanchez lib. 1. De ſponſalibus, diſp. 9. nu. 11. & Suarez tomo 2. lib. 4. cap. 5. num. 4. & 7. Baſil. Pontius De matr. lib. 8. c. 9. n. 14. cum alijs quos ipſi citant.

173 Tertiò ponuntur alij diuerſi caſus quando Epiſcopus putatur poſſe diſpenſare, vt dum circumſtantiæ ſunt tales, vt ex ipſis cenſeatur eſſe graue periculum transgreſſionis voti, vel alterius magni incommodi.

Sic itaque plures dicunt, ſi quis habens votum ſimplex caſtitatis, contraxit & conſummauit matrimonium, poſſe Epiſcopum ob periculum vlterioris incontinentiæ diſpenſare, vt poſſit debitum petere: ad reddendum enim etiam ſine diſpenſatione tenetur. Imò etſi nondum matrimonium cõſummauerit, volunt quidam propter idem periculum poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt matrimonium conſummet: Ita docet Baſil. Pont. lib. 8. cap. 9. n. 3. contra Sanchez: quia tenet cum D. Soto in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. & quibuſdam alijs, talem non obligari ad ingreſsũ religionis pro voti ſui obſeruatione: quia hæc ſit res longè difficilior, quam non intendit vouere. Hoc autem poſito, licebit ei abſque nouâ culpâ cõſummare matrimonium reddendo debitum exactum, non prę habitâ diſpenſatione. Vnde ad præcauendum periculum petendi exiſtimant Epiſcopum poſſe diſpenſare.

Similiter ſi coniuges poſt contractum matrimonium communi conſenſu vouerint 174 continentiam, & poſtmodum obſeruant incontinentię periculum vtrique vel alteri ingruere. Ita Angelus V. Votũ 4. Pontius ſup. n. 2. & notant Canoniſtæ circa Cap. Rurſus qui Clerici vel vouẽtes: id eo probabilius dici poteſt, quia Epiſcopus non cenſetur hic relaxare abſolutè & ſimpliciter iſta vota in prædictis caſibus, ſed tantũ quaſi ſuſpẽdere ipſorum obligationẽ: vnde coniuge mortuo redit vis voti, & tenetur vouens ſuperſtes ſeruare caſtitatem: cenſetur autem hæc poteſtas Epiſcopo relicta tum propter præſens periculum in caſibus his ſolet ſubeſſe, neque pati moram obtinendæ diſpenſationis ex longinquo, tum quia huiuſmodi caſus ſolent frequentiùs obuenire.

Addunt aliqui, quòd licet ab initio reſeruatio fuiſſet ea in parte ſtrictior, tamen longo vſu & conſuetudine, etiam à tempore immemoriali ita eſſe ab Epiſcopis vſurpatum, præſertim matrimonio conſummato, quantumuis etiam non eſſet ita difficilis acceſſus ad Pontificem vel ad illos qui haberent priuilegium: conſuetudo autem tribuit ius & iuriſdictionẽ, vt patet Cap. Cum contingat, De foro cõpetenti, quod expreſſe docet Pontius ſup. n. 4. Vide Fumũ V. Matrimonium n. 55. vbi addit ita communiter modernos tenere ad Cap. Rurſus qui Clerici vel vouentes. Roſella quoque V. Impedimentum 4. n. 5. docet id verum eſſe, etiam quando ambo fecerunt votum continentiæ, ſiue antequàm matrimonium contraxerint, ſiue pòſt, matrimonium iam contractum; conſulendũm, inquit, eſt eis, vt petant diſpenſationem ab Epiſcopo, maximè vbi timetur de incontinentiâ amborum vel alterius. Vide Soto in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1.

Imò extendunt aliqui hanc poteſtatem 175 Epiſcopi ad omnem caſum, quo eſt graue periculum incontinentiæ: pro qua opinione allegantur Cardinalis, & Antonius de Butrio in Capitulum Veniens, qui Clerici vel vouentes.

Sed merito hoc ab alijs non admittitur, præſertim quando agitur de matrimonio adhuc contrahendo, niſi fortè hoc accederet, quòd non eſſet facilis aditus ad Pontificem, vel ad eius delegatum qui ex ſua commiſſione vel priuilegio haberet poteſtatem diſpenſandi in voto caſtitatis, vt rectè requirunt Syluest. V. Votum 4. quæſt. 4. & V. Diſpenſatio n. 15. Sanchez, lib. 8. diſp. 9. nu. 25. Suarez ſuprà, & alij plures. Vbi & hoc notant Doctores, non referre vnde proueniat, quod non ſit facilis aditus ad Pontificem, an ex paupertate partium, an ex alia cauſa: eſt enim eadem ratio quando ex impotentia adeundi imminet graue periculum. Vide Sanchez loco citato. Dixi vel ad eius

eius delegatum qui ex ſua commiſſione habet poteſtatem &c. quia ſi v. g. Nuntius Apoſtolicus non haberet quaſi ordinariam poteſtatem diſpenſandi in iſtis reſeruatis, prout communiter non habent, ſed tantum id poſſit quaſi per epikhiam propter præſentem neceſſitatem & difficultatem aditus ad Pontificem, tunc opus non erit ad illum recurrere, quia cum illis circumſtantijs idem poteſt, & quaſi potiori iure ipſe Epiſcopus. Vide Suarez loco citato.

Quæret aliquis, vtrùm in dictis caſibus quibus Epiſcopi commutant aut diſpenſant modis dictis vota reſeruata, poſſint idem facere Religioſi priuilegiati ad diſpenſandum in votis reſeruatis Epiſcopo?

176 Reſpondetur in votis quæ ſunt ſimpliciter vota materiæ reſeruatæ, nihil poſſe iſtos inferiores delegatos ex vi eiuſmodi priuilegiorum in caſibus illis extraordinarijs, in quibus dicitur Epiſcopus ex epikia ſiue ex benigna interpretatione poſſe commutare, aut diſpenſare, ita Suarez ſuprà, cap. 26. nu. 18. cum Emanuele Rodriguez in expoſitione Bullæ §. 9. nu. 118. qui hanc reddit rationem, quia nomine votorum vel caſuum Epiſcopalium, tantùm intelliguntur vota, vel caſus qui per ſe & ordinario iure competunt & conceduntur Epiſcopis; non autem qui per ſpecialem commiſſionem, vel per extraordinariam interpretationem ad illos pertinere cenſentur, vide hac de re plura apud Suarez n. 19. & ſequenti.

Petet aliquis, quid ſi votum diſiunctiuum ſecundum vtramque partem verſetur circa materiam reſeruatam, vt voueo ire Ieroſolimam, vel ad limina Apoſtolorum?

Reſpondetur, eiuſmodi votum ſimpliciter eſſe reſeruatum: quia neceſſariò impleri debet in materia reſeruata, atque ita totum illud diſiunctum æquiualet voto determinato pro leuiori ſaltem parte diſiunctiuæ, quod conſtat & ſupponitur eſſe reſeruatum.

DVBIVM XXIX.

Vtrùm Pontifex diſpenſare poſſit cum aliquo in ſolemni voto caſtitatis? an etiam cum Religioſo & manente Religioſo?

NOtandum eſt ex ſupra dictis, duplex eſſe ſolemne votum caſtitatis: vnum quod annexum eſt ſuſceptioni ordinis ſacri: alterum, quod emittitur in profeſſione religionis approbatæ, vt conſtat ex Capitulo vnico, De voto in 6.

177 RESPONDEO & DICO Primò: Poteſt diſpenſare Pontifex in voto ſolemni caſtitatis annexo ſuſceptioni ordinis ſacri. Ita tenent Doctores ferè communiter omnes, etiam D. Thomas hîc quæſt. 88. art. 11. In corpore.

Dico ferè omnes, quia ſunt aliqui qui 178
prætendunt ordini ſacro continentiam iure diuino eſſe annexam, vnde hi contradicunt: ſed nulli ſunt ſubnixi probabili argumento. Quare de hac concluſione non relinquitur controuerſia.

Vbi tamen hoc obſeruandum eſt, quod diſpenſatio non tollat obligationem continentiæ, ſi non ſubſit iuſta & ſufficiens cauſa, vt patet ex dictis ſuprà dubio 23. erit tamen valida ad tollendum impedimentum matrimonij, quamuis cauſa non ſufficeret, quia hoc pendet tantùm ex conſtitutione Eccleſiæ, quam validè poteſt tollere Pontifex, licet non ſubeſſet iuſta & ſufficiens cauſa. Ita Suarez, tom. 3. De relig. lib. 9. cap. 20. Vnde ſic diſpenſatus & contrahens matrimonium contrahet validè, & poterit reddere debitum, ſed non petere, quia manet adhuc ligatus voto continentiæ.

Præcipua itaque difficultas hic mouetur de voto ſolemnizato per profeſſionem religionis approbatæ.

D. Thomas loco iam citato putatur à multis docere Pontificem in hoc non poſſe diſpenſare, quemadmodum nec in ſolemni voto paupertatis, vel obedientiæ, & ita tenent Syluester V. Votum 4. quæſt. 6. Soto, lib. 7. quæſt. 4. art. 2. Arragonius hic quæſt. 88. art. 11. Æſtius in 4. diſt. 38. & alij non nulli.

Probant autem potiſſimum ex Capitulo Cùm ad monaſterium, De ſtatu Monachorum, vbi in fine dicitur: nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habendâ proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Pontifex poſſit licentiam indulgere. Et ideò putatur D. Th. vt declarationem hanc poſſet ſuſtinere cum fundamento, non voluiſſe ſolemnitatem voti religioſi cōſtituere in aliqua lege vel ordinatione Eccleſiæ, aut ex illis dependere: ſed poſuiſſe in conſecratione & traditione vouentis, quæ iure diuino faciant ipſum inhabilem ad matrimonium, vt ſup. dub. 16. latiùs retulimus. Verùm ibidem ſatis demonſtratum fuit, ſubſtantialem ſolemnitatem voti etiam religioſi, naſci & pendere ex Eccleſiaſtica conſtitutione, omnemque vim & efficaciam inhabilitandi vouentem ad ſequens matrimonium, ex ea prouenire; quòd ex paulo infra dicendis adhuc amplius conſtabit. Vt de

DICO Secundò: Poteſt Pontifex diſ- 179
penſare in ſolemni voto religionis, vt profeſſus poſſit validè matrimonium contrahere.

here. Ita docent Caiet. quæſt. 88. art. 11. Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 4. concluſione 11. Maior ibidem quæſt. 3. Richardus, art. 9. quæſt. 1. Scotus eadem diſtinctione quæſt. vnica: Durandus, quæſt. 2. Antoninus 2. parte titulo 11. §. 9. Angelus V. Votum 4. quæſt. 5. Couarruuias De teſtamentis cap. 2. num. 10. Valentia tomo 3. De voto, puncto 7. Malderus dub. 9. Suarez tom. 3. lib. 9. cap. 26. Baſil. Pontius, De matrim. lib. 7. De impedimento voti c. 10. Sanchez lib. 8. diſp. 8. n. 7. vbi plures alios Canoniſtas & Theologos citat.

Probari poteſt Primò, quia quòd votum ſolemne dirimat magis matrimonium ſuperueniens, quàm ſimplex votum caſtitatis, oritur tantum ex conſtitutione Eccleſiaſticea, vt modò diximus; & explicuimus latiùs ſuprà dubio 16. In conſtitutionibus autem & legibus Eccleſiaſticis, plenā diſpenſandi poteſtatem habet Pontifex; ergò &c.

Probatur Secundò, quia poteſt diſpenſare Pontifex in voto ſolemni ordinis, vt etiam D. Thomas admittit; atqui initiatus ordinibus ſacris maiorem recipit conſecrationem, quàm qui profitetur religionem, quandoquidem etiam accipiat characterem ſpiritualem indelebilem, & ſimul mancipatur diuinis ſeruitijs etiam altioribus, & ſe tradit in poteſtatem Eccleſiæ ad ſacra officia obeunda, ergo non videtur vlla ratio negandi illud ſpecialiter de voto ſolemni annexo profeſſioni.

Neque refert, quòd hoc votum non ita eſſentialiter ſit ordini ſacro annexum, ſicuti eſt ſtatui religioſo, quia inde tantùm efficitur, fieri non poſſe, vt quis maneat religioſus voto caſtitatis relaxato, ſicuti fieri tamen poteſt, quòd quis maneat in ſtatu Clericali, ſublato voto, (& quidem Pontius ſup. n. 3. exiſtimat D. Thomam hanc ſolam voluiſſe ponere differentiam inter votum ordinis ſacri, & votum Religioſi) non autem inde ſequitur quod votum religioſi tolli non poſſit vnà cum ſtatu religioſo.

Accedit Tertiò, quòd diuerſi graues Auctores ſcribant Romanos Pontifices aliquādo vſos fuiſſe hac poteſtate, non eſt autem exiſtimandum Pontifices in re tanti momenti erraſſe. Vide Malderum, Tract. 10. cap. 5. dub. 9.

Dico Tertiò: Dari poteſt caſus, quo
180 non tantum validè diſpenſat Pontifex quo ad ablationem impedimenti irritantis matrimonium, ſed quòd etiam validè diſpenſat quo ad obligationem continentiæ, ita vt poſſit non tantum reddere coniugi debitum, ſed etiam licitè poſſit petere is cum quo fuerit ſic diſpenſatum. Ita tradunt communiter omnes qui tenent ſecundam concluſionem.

Obſeruandum tamen hic eſt, In diſpenſatione ſolemnis voti caſtitatis Regularium non ſufficere cauſam aliquam priuatam, puta periculum incontinentiæ, aut quid ſimile, ſed planè opus eſſe causâ publicâ, vt quod inde pendeant pax & tranquillitas regni, vel conſeruatio religionis in aliqua prouincia. Ita docent Malderus, & Valentia ſuprà: Sanchez, lib. 8. diſp. 8. nu. 7. & 8. & alij plures.

Ratio eſt, quia priuatæ neceſſitates vel vtilitates non poſſent ſufficere compenſandis incommodis inde obuenturis, vt obloquijs, ſcandalis, & præiudicijs quæ inde pateretur etiam ſtatus religionis: imò nuſquam penè in monaſterijs foret quies, ſi ex cauſis priuatis admitteretur diſpenſatio: quo circa cum hæc nunquam ſit facienda cum detrimento publici boni, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 97. art. 4. ad 1. conſequenter manifeſtum euadit, non poſſe Pontificem diſpenſare, vt validè tollat obligationem caſtitatis, niſi vrgente publicâ neceſſitate, vel magnâ Eccleſiæ aut Reipublicæ vtilitate.

Ad fundamentum autem ſententiæ oppoſitæ deſumptum ex Capitulo Cum ad 181
monaſterium, diuerſi diuerſimodè reſpondent: ſed communior Reſponſio, vt ex Azorio tradit Mald. ſuprà, habet, quod Pontifex non poſſit dare licentiam contra cuſtodiam caſtitatis Monacho manenti Monacho; non autem quod non poſſit hoc præſtare auferendo ab eo ſtatum monachalem, prout Doctores qui diſpenſationem admittunt, id fieri communiter explicant: & poteſt hic ſenſus Pontificis colligi inprimis ex iſtis verbis, adeo eſt annexa regulæ monachali: ſi enim dicatur Pontifex loqui etiam in ſenſu diuiſo, iam ratio non concluderet: dicetur enim etſi cuſtodia caſtitatis ſit annexa regulæ monachali inſeparabiliter, non tamen ipſa regula aut monachatus inſeparabiliter annectitur huic vel illi perſonæ: vt igitur Pontificis ratio ſit efficax, dicendum eſt, quòd loquatur tantum in ſenſu compoſito. Idem colligitur ſecundò ex his verbis, Nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habendâ proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, ibi enim agi de Monacho manente Monacho videtur ſatis per ſe euidens.

Hanc tamen reſponſionem licet ſatis cō- 182
munem, non omninò probat Suarez loco ſuprà citato, vtpote quæ ſupponere omninò videtur, non poſſe Pontificem diſpenſare cum religioſo in voto caſtitatis, ita vt nō obligetur ad plenam eius cuſtodiam, nec poſſit concedere aliquem actum oppoſitum, niſi auferendo votum caſtitatis & ſtatum religioſum ab eo; ac proinde fieri non poſſe per diſpenſationem Apoſtolicam, quod religioſus in approbata religione profeſſus manens religioſus, validè ac licitè matrimonium contrahat, ac conſummet; quæ tamen ipſe ſuprà

Digitized by Google

ſuprà cap. 26. cit. in diſputationem reuocat, & nu. 8. reſoluit oppoſitam ſententiam rectè explicatam eſſe veram: quam, inquit, indicauit Nauarrus in Enchiridio De oratione, cap. 7. nu. 20. diſtinguens duplicem diſpenſationẽ cum religioſo, vnã per quam deſinat eſſe religioſus, aliam per quam ſolam non deſineret, inquit, eſſe religioſus.

Probat autem & declarat Suarez hoc modo; quia cum eo qui fecit abſolutum votum ſimplex caſtitatis, poteſt diſpenſare Pontifex quoad aliquos actus oppoſitos, vel pro aliquo tempore, non tollendo ſimpliciter & totaliter illud votum, v. g. cum eo qui iam matrimonium contraxit, diſpenſare poteſt, vt poſſit ab vxore debitum petere, manente voto & vim retinente, quo ad congreſſum cum alijs mulieribus, ita vt ſi alijs commiſceretur, committeret nõ tantum adulterium, ſed etiam ſacrilegium contra votum: Item manente taliter voto in ſuo robore, vt ſi hæc vxor moriatur, non poſſit ducere aliam: quæ quidem ab omnibus tanquam indubitata videntur admitti, aut præſupponi, vt ex antè dictis dubio præcedenti ſatis poteſt intelligi: eſt enim votum tale quo ad extenſionem obiecti diuiſibile, & ideò fieri poteſt, vt non in totum, ſed pro parte maiori, aut minori tollatur, aut etiam vt non pro ſemper, ſed pro aliquo tempore quaſi ſuſpendatur pro arbitrio diſpenſantis, & iuxta exigentiam cauſæ.

183 Sic igitur in præſenti dicit Suarez de voto ſolemni, licet non poſſit diſpenſari in vſu eius quo ad matrimonium contrahendum, quin aliquo modo mutetur & minuatur integritas illius voti, ac ipſius ſtatus religioſi, nihilominùs tamen poteſt diſpenſari in huiuſmodi vſu, inquit, non auferendo totaliter vel ſubſtantialiter vinculum profeſſionis, ſeu ſtatum religioſum, & votum continentiæ annexum.

Confirmat exemplo religionum militarium, quæ prius integram caſtitatem profitebantur, & poſtea cum eis diſpenſatum eſt, vt retento religionis ſtatu ad ſolam caſtitatem coniugalem obligarentur: pro qua re allegat Bullas Pauli Tertij, & Gregorij Decimitertij.

Probat Secundò, hoc ferè modo, quia poſito caſu, quod Rex & Regina procreato filio regni hęrede, ambo ex mutuo conſenſu profiteantur religionem, & poſtea contingat filium mori, poterit Pontifex diſpenſare, vt illi iterum conueniant & generationi dent operam vſque dum hæres ſit procreatus, non ablato interim vinculo religionis, ad quam ſicuti & ad eius exercitia redire obligabuntur, hærede regni nato: ergò poteſt Pontifex diſpenſare cum religioſo profeſſo ſuper voto caſtitatis ſecundum aliquid, non auferendo ab eo ſtatum religioſum: quod in ſequentibus declarat Suarez tribus modis fieri: Duo priores ex iam dictis & exemplo & caſu adductis, facilè colligi poſſũt: tertio modo, inquit, poteſt ibi fieri diſpenſatio tantùm ad validè & licitè contrahendũ matrimonium, abſq; licentia conſummandi, vt, v. g. ſi quis defloraiut virginẽ ex qua genuit filium naturalem, & eam non ducendo profeſſus eſt religionem, tunc ſi occurreret neceſſitas publica ob quam cõueniret filium illum eſſe legitimum, poterit diſpenſari cum religioſo, vt matrimoniũ contrahat ad prolem prius natam legitimandam, abſque eo quod poſſit vlteriùs cum illa congredi, ſed maneat ſub vinculo & regulis profeſſionis: & hic modus quidem minimam videtur importare diſconuenientiam cum ratione ſtatus religioſi.

Suarez itaque loco iam citato, nu. 17. ad ea quæ ex Capitulo Cum ad monaſterium, fuerunt obiecta, dicit inprimis Pontificem ibi non loqui vniuerſaliter de omni ſtatu religioſo, ſed ſpecialiter de profeſſione iuxta regulam monachalem, & de voto ſic emiſſo, ac ſecundum ſe & ſecundum vim ſuam integram ſpectato: ex quo, inquit, non infert Pontifex ſe non poſſe diſpenſare in illo voto, ſed non poſſe licentiam dare agendi contra: neque enim ſine iuſta cauſa poteſt ipſum votum minuere, aut eius obligationem ex parte tollere: ex qua poſitione infert Pontifex Abbatem nullo modo in his votis poſſe quidpiam immutare, ſcil. neque abſque cauſâ, neque cum cauſâ, & pro hoc ſenſu citat Suarez Innocentium ibidem, Abbatẽ cum alijs, quos referunt & ſequuntur, inquit, Couarruuias, De teſtamentis cap. 2. n. 9. & ſequentibus, & Michaël Medina, lib. 5. De ſacrorum hominum continentia cap. 32. & 53. 184

Cæterum ex prædicta doctrina Suarez, hoc eſt conſequens, tametſi ſtatus religioſus eſſentialiter importet hæc tria vota, & quidem ſuo modo ſaltem ex parte vouentis perpetua, ſcilicet caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, vt paſſim tum Theologi, tum Canoniſtæ tradunt, nihilominus hæc vota poſſe diuerſimodè verſari circa ſua obiecta, ita vt ſaluo religionis ſtatu obligent alios & alios ad aliter & aliter obſeruandam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam. 185

Quod in voto paupertatis inprimis eſt manifeſtum, nam quoſdam ſic obligat, vt ne in communi quidem poſſint habere rerum temporaliũ aliquod dominium, adeoque illius ſint incapaces; alios autem ſic vt non prohibeantur habere in communi; alios denique ſic tantum, vt poſſint etiã retinere dominium in particulari & in propria perſona ſua, ſed dependenter à voluntate ſuperiorum, vt in Scholaſticis Societatis: quæ ex ſuprà dictis ſatis poſſunt intelligi.

Et ita

Digitized by Google

Et ita facilè poteſt quoque contingere in voto obedientiæ, vt ſcil. votum aliquorum ſimpliciter extendat ſe ad omnem materiam licitam, non ſic omniũ aliorum; ſed tantum ad ea quæ præſcribit regula, vel quæ iudicantur quaſi neceſſaria ad obſeruationem votorum eſſentialium.

186 De voto caſtitatis autem maior apparet difficultas: nihilominùs quod ad ſtatum religionis non requiratur obligatio ad cuſtodiam integræ caſtitatis pro ſemper, quin ex parte, aut pro aliquo tempore poſſit auctoritate Pontificiâ relaxari etiam ſaluo ſtatu religionis in communi, ſatis videtur ſequi ex antè dictis, & præſertim ex Bullis Pontificum allegatis, in quibus cum certis ordinibus militaribus diſpenſatur, vt retento religionis ſtatu voueant & profiteantur tantũ caſtitatem coniugalem, vbi obſeruandum, non dici in Bullis retento religionis nomine, ſed retento religionis ſtatu.

Et huic doctrinę Suarez videtur ſatis ſubſcribere Baſil. Pontius loco ſup. cit. n. 8. & 9. vbi ipſe quidem ad obiectionem deſumptã ex Cap. Cum ad monaſterium reſpondet, ſicuti diximus Scholaſticos communiter reſpondere, ſed addit, quòd in dicto Cap. Cum ad monaſterium, nomine cuſtodiæ caſtitatis quem dicitur ibi annexa regulæ monachali, non intelligatur tantùm caſtitas abſoluta, ſed ſiue abſoluta, ſiue etiam coniugalis, cum dependentiâ tamen aliquâ in vſu coniugij à voluntate Magiſtri (ſcil. ordinis militaris ad quẽ reſpicit) qui poſſet illũ auocare à coniugali thoro ad militiam: atq; ita quaſi occurrit rationi ob quã Suarez à cõmuni reſponſione recedit: negaret enim ſequi ex iſta cõmuni illa reſponſione, quæ Suarez inde infert. Et tunc vlteriùs addit, Is enim vſus, inquit, hac ratione conſideratus poteſt eſſe materia conſilij, & ex conſequenti materia voti. In quibus ſatis ſignificat poſſe fieri, quod aliquis maneat in ſtatu religioſo, etiamſi Pontifex diſpenſet in voto caſtitatis, habilitando illum ad matrimonium, & indulgendo quoq; vſum matrimonij, ſed non liberando tamen illud totaliter ab obligatione voti caſtitatis, puta quia poſt mortẽ nõ poſſit ducere aliam, vel quia ſuſcitato hærede, ambo & vir & mulier debeant redire ad monaſterium, & de cætero ſeruare omnino caſtitatem, vt in exemplo antè poſito à Suarez poſſet contingere. Dubium tamen non eſt quin vbi non eſt obligatio cuſtodiendæ integræ caſtitatis, ibi ſtatus religionis ſit in infimo gradu, quemadmodum & multum minuitur in ijs qui ex diſpenſatione Apoſtolicâ ex parte vel pro aliquo tempore abſoluuntur à cuſtodia integræ caſtitatis.

187 Quamuis itaque indubitatè tenendum ſit, religionis ſtatum habere fundamentum in Scripturis ſanctis, & originem ducere ex doctrina Chriſti, eiuſque exemplo viuendi, nihilominùs tamen addendum & fatendum eſt, complementum & quaſi vltimam quandam formam accipere ab Eccleſiæ conſtitutionibus & ordinationibus: & inde fieri, quòd nomen & ratio ſtatus religioſi admittant aliquam extenſionem vel contractionem, prout Eccleſia voluerit diſponere; ſicut aliæ res morales quæ ab hominum arbitrio pendent.

Prior pars, quòd ſcilicet fundamentum habeat in Scripturis, & originem ducat ex doctrina Chriſti, ſatis conſtat, quia ipſe diuerſis locis ſignificat viam perueniendi ad perfectionem vitæ Chriſtianæ eſſe, vt quis renunciet omnibus quæ poſſidet, atq; adeò etiam abneget animam ſuam, & ſic relinquat bona temporalia, mundi voluptates, & propriam voluntatem, Matth. cap. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis:* Ac iterum ibidem, *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me*, &c. *centuplum accipietis, & vitam æternam poßidebitis*: Matth. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*: atque ita verbo & exemplo hortatus eſt fideles ad voluntariam paupertatem: ſimiliter ad caſtitatem excitat Matth. 19. *Sunt eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat*, quod & Apoſtolus commendat 1. ad Cor. cap. 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe*, &c. & infrà, *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*: ac rurſum de vidua dicit: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium.* Sic quoque Matth. 16. commendat nobis Chriſtus obedientiam, quando vult vt abnegemus noſipſos, & animam noſtram: quæ abnegatio maximè fit per obedientiam, quando iudicium & voluntatem noſtram in omnibus ſubijcimus alteri, ſcilicet Superiori huic ſub quo fit profeſſio: & obedientia Chriſti commendatur ab Apoſtolo Philipp. c. 2. *Factus obediens vſque ad mortem*: & alibi, *Neque enim venit vt facciat voluntatem ſuam, ſed voluntatem patris qui miſit illum.*

Pars poſterior, quod ſcilicet complementum & quaſi vltima forma religioſi ſtatus ab Eccleſiæ ordinatione pendeat, declaratur ex eo ſatis, quod quantumcumque aliqui ſectentur prædicta conſilia Euangelica, ac etiam votis & quibuſcumque alijs modis ſe obligent Deo, vel etiam Prælatis Eccleſiæ ad ea ſeruanda, non tamen habeantur tanquam veri & propriè dicti religioſi; niſi communitas talis & ratio ac modus ipſorum viuendi fuerint à Pontifice approbata. Item ex eo, quod aliqui per vota ſimplicia conſti- 188

Digitized by Google

conſtituantur veri & propriè dicti religioſi, non ſic quicumque alij qui ſimilia vota facerent alibi. Ac rurſum quòd in aliquibus ad rationem ſtatus religioſi ſufficiat ſtabilitas quamdiu placuerit ſuperioribus illius religionis; in alijs autem requiratur perpetua quædam ſtabilitas.

DVBIVM XXX.

Vtrùm quando Pontifex concedit in generalibus terminis alicui poteſtatem aut priuilegium commutandi & diſpenſandi in votis, non adÿciendo exceptionem intelligatur tunc conceſſa poteſtas diſpenſandi etiã in reſeruatis?

189 RAtio dibitandi eſt, quia facultas illa ſine liminatione expreſſa videtur ſe extendere ad omnia illa, quæ ipſe concedens poteſt præſtare: Pontifex autem poteſt in omnibus, etiam in reſeruatis, diſpenſare, quando ſufficiens cauſa ſubeſt, ergò &c.

Nihilominùs tamen communis doctrina habet, quòd eiuſmodi generali conceſſione non comprehendantur vota reſeruata. Bonacina circa 2. præceptum Decalogi diſp. 4. quæſt. 2. puncto 7. §. 4. n. 12. Suarez tom. 2. lib. 6. cap. 25. & alij.

Et probari à ſimili poteſt ex Capitulo Si Epiſcopus, De pœnitentijs & remiſſionibus in 6. vbi declaratur ſub generali conceſſione abſoluendi ab omnibus peccatis, non comprehendi caſus reſeruatos, niſi ſpecialiter id exprimatur: nam vt habet regula iuris in 6. ſub generali conceſſione non veniunt ſpecialia.

Quod amplius confirmatur ex Extrauagante 2. Etſi dominici: vbi Pontifex declarat licentiam commutandi vota reſeruata non cenſeri conceſſam, niſi fiat de ſpeciali causâ & certâ ſcientiâ Papæ: vbi Pontifex non tantum agit de votis caſtitatis & religionis, ſed etiam expreſsè de tribus alijs.

190 Quare abſque ſufficienti fundamento exiſtimant nonnulli, vt Emanuel Rodriguez in ſumma, parte 2. cap. 97. num. 5. & Sanchez, lib. 8. De matrimonio, diſp. 9. n. 2. ſub generali conceſſione comprehendi vota trium peregrinationum, quando non expreſsè excipiuntur, vt notauit Suarez, tom. 2. lib. 6. cap. 25.

Neque obſtat quod hæc tria non ſint materiæ tam grauis, quàm duo priora: ſatis enim eſt vt dicantur non comprehendi, quod ſint ſpecialia, & in eo cum alijs conueniant, quod ſint vota ſimpliciter reſeruata: accedente inſuper eo, quòd Extrauagante citatâ Pontifex eodem modo de omnibus quinque loquatur.

Quando tamen concedit Pontifex facultatem diſpenſandi aut commutandi omnia excipiendo votum religionis, & votum caſtitatis, tunc rectè ſub generalitate intelliguntur comprehendi vota peregrinationũ. Ita Bonacina ſuprà, nam exceptio illa firmat conceſſionem generalem quoad alia quæ ſunt minora.

Pari ratione ſi cum duobus prædictis ſimul excipiatur peregrinatio Ieroſolimitana; vt ſolet in Bullis Cruciatæ, cẽſebuntur tunc vota de alijs duabus peregrinationibus ſub generalitate comprehendi.

Petet aliquis quid ſi excipiatur tantum votum peregrinationis Ieroſolimitanæ, & taceantur vota caſtitatis & religionis, vt refertur fieri in quadam Bullâ S. Antonij, an cenſebuntur ſub generali conceſſione comprehendi vota religionis & caſtitatis.

Reſpondetur cum Bonacina ſuprà n. 13. & Dominico Soto, libro 7. quæſt. 4. art. 3. 191
(vbi talis Bullæ meminit) non comprehendi, quia vel ſupponuntur iure antiquiſſimo notariè excepta, aut certè quia minori excepto non rectè intelliguntur ideò non excipi maiora: quin potius debeant cenſeri magis excepta.

Petes Secundò: quid ſi dicantur concedi omnia vota, etiam caſtitatis, & nihil dicatur de voto religionis, vel è contra, an etiam alterum tunc debeat dici comprehendi?

Reſpondetur inprimis, talis forma conceſſionis non ſolet eſſe in vſu in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, vel in ſimilibus priuilegijs: ſi tamen aliqua Bulla ſic loqueretur, videretur dicendum quod foret ſtrictè interpretanda, prout ſonat, ſic vt inter illa duo vota intelligatur illud conceſſum quod exprimitur, non conceſſum quod tacetur. Ita Suarez ſuprà, quia Pontifex exprimendo vnum ex diuerſis æqualibus, & tacendo alterum, indicat ſe velle facere hanc gratiam, ſed non omnem quam poteſt: ſimiliter ſi Pontifex generaliter concedat poteſtatem diſpenſandi in omnibus, excepto voto caſtitatis, cenſebitur illud exceptum; & alterum ſub generalitate comprehendi; quia excipiendo vnum, videtur Pontifex concedere gratiam alterius, quod colligi poteſt ex Extrauagante 1. de pœnitentijs & remiſſionibus adiunctâ ſimul Gloſſâ, vide Suarez ſuprà num. 10.

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM XXXI.

Vtrùm ad valorem diſpenſationis neceſſaria ſit voluntas libera Prælati, & quomodo cenſeatur impediri per ſubreptionem?

192 RESPONDEO & DICO Primo: Ad valorem diſpenſationis certum eſt requiri vt procedat ex voluntate & intentione diſpenſantis. Probatur, quia diſpenſatio eſt actus humanus, ergò debet procedere ex liberâ voluntate: & proindè fieri debet à ſciente & volente diſpenſare. Vndè ſi quis exteriùs indicaret ſe diſpẽſare, vt petentibus videretur morẽ gerere, & ſe ab importunitate liberaret, & interim interiùs nõ haberet voluntatem diſpenſandi, nõ ſubſiſteret diſpenſatio, neque licitè poſſent petentes illâ vti, quando hoc eis conſtaret. Similiter, ſi quis non compos mentis diſpenſaret, diſpenſatio quoque nulla foret.

193 DICO itaque Secundò: Contingit diſpenſationem aliquando eſſe nullam, quia cum deceptione, ſiue per ſubreptionem obtenta eſt. Ita Suarez tom. 2. lib. 6. cap. 27. & alij.

Declaratur hoc in communi, quia ignorantia & error cauſant inuoluntarium ſiue non voluntarium; atqui diſpenſatio quæ non eſt ſufficienter voluntaria, eſt inualida, vt dictum eſt; ergò &c.

Idem poteſt confirmari ex diuerſis Canonibus qui dicunt gratiam obtentam per ſubreptionem eſſe nullam, vt Capitulo Poſtulatis, de Reſcriptis, vbi dicitur commodum reportare non debet de huiuſmodi litteris, vtpote veritate tacitâ impetratis; & in Capitulo Conſtitutis, eodem titulo dicitur irritum & inane quidquid virtute litterarum ſic impetratarum fit. Item Capitulo vltimo, De filijs præſbyterorum, dicitur de diſpenſatione per ſubreptionem obtentâ, quòd ſit nullius valoris & momenti.

Quamuis autem hæc iura particulariter non loquantur de votorum diſpenſatione, ſed potiſſimum de gratijs in beneficialibus, tamen procedunt etiam in gratiâ diſpenſationis quoad vota, tum quia ratio quæ in illis redditur locum habet æquè vel magis in votis, quod ſcilicet veriſimile non ſit Pontificem aut Prælatum fuiſſe diſpenſaturum ſi tale vel tale quid fuiſſet expoſitum, aut ſine falſitate narratum: quemadmodum dicunt citati Canones veriſimile nõ eſſe, quòd Pontifex conceſſiſſet illas gratias ſi veritas non fuiſſet tacita; tum quia diſpenſatio in votis eſt magis ſpiritualis, magiſque attingit ea quæ ad ius Dei pertinent: vndè magis ſincerè, magiſque fideliter merito tractari debet, ac proindè ſubreptio magis contrariatur illius rationi & valori.

Obſeruanda itaque hic eſt regula quædam generalis communiter aſſignari ſolita, 194
quæ ad omnes gratias ſuo modo extenditur: quod ſcilicet gratiæ conceſſio, aut diſpenſatio reddatur irrita & nulla, tum ex ſubticentiâ veri, tum ex admixtione falſi: de qua latè tractat Baſil. Pontius lib. 8. cap. 16. & ſequentibus. Et ſpecialiter applicatur ad votum ſiue ad eius diſpenſationem in Capitulo Quod ſuper his, De fide inſtrumentorum, vbi ſermo eſt de voto Hieroſolymitano: & eadem eſt ratio de alijs, vt notant ibidem Innocent. Panormit. Felinus & alij.

Et quidem de ſubticentiâ veri potiſſimũ loquuntur, & à fortiori ſequitur altera pars, quia maior fit deceptio in narratione falsâ, quàm in diminutâ narratione veri, & magis cauſat inuoluntarium error, quàm pura ignorantia.

Verumtamen, quia non omnis taciturnitas veri, neque omnis falſitas inducunt nullitatem conceſſionis gratiæ, ſed è contra cũ aliquibus ſubſiſtit validitas actus, hinc in genere loquendo, oportet hic attendere, in primis, vtrùm aliquod particulare ius ſcriptum, vel conſuetudine introductum, vel ſtylus curiæ requirant aliqua neceſſario exponenda ſi ſubſint, ſub pœnâ nullitatis: quia ſi hæc adſint & taceantur, tunc actus ſequens indubiè erit nullus, vt in materia De beneficijs, ad impetrandum vnum à Pontifice oportet neceſſariò facere mentionem alterius, ſi ſupplicans aliud habeat, iuxta Capitulum Si motu De præbendis in 6. & idem eſt ſuo modo (inquit Suarez ſup.) in Indulgentijs, quod ſcilicet de alijs gratijs.

In præſenti autem materia quoad diſpenſationem in votis, non videtur aliquod ius ſpeciale exſtare, de aliquibus neceſſariò exponendis quando petitur diſpenſatio. Vndè iuxta generalia iura, hâc in re verſandum erit, quæ non videntur aliud poſtulare, quam quod ius naturale & naturalis ratio dictant.

Poſſunt itaque ſtatui hic duæ quaſi regulæ ad intelligendum id quod diximus hic 195
reſtare inquirendum.

Prior ſit: tacita veritas tunc ſolum impedit valorem diſpenſationis in voto, quando vel ſubſtantia voti non ſatis declaratur, vel cauſa ſufficiens ad diſpenſationem concedendam, non proponitur.

Declaratur exemplis prima pars, vt v. g. Si quis habens votum caſtitatis petat diſpẽſationem ſuper voto de non fornicando, aut de non ducendâ vxore, ſecuta diſpenſatio erit in-

Digitized by Google

erit inualida & nulla, adeò vt ſi talis poſtmodum fornicetur, peccaturus ſit contra votum: idque verum eſt non tantùm, quando diſpenſans forſitan non haberet poteſtatem diſpenſandi ſuper voto caſtitatis, qui tamen diſpenſare poteſt in voto de non fornicando, aut de non nubendo, ſed etiam quando poteſtatem haberet diſpenſandi in voto caſtitatis, quia ſubeſt error in ſubſtantia voti ſuper quo diſpenſatio conceditur: ſic quoque ſi quis habens votum ſuſcipiendi ordinem ſacrum, & petat diſpenſationem ſuper voto de non ducendâ vxore & diſpenſatio concedatur, ipſa nulla erit.

Declaratur pars ſecunda ſimiliter exemplis: vt ſi quis in petendo diſpenſationem, non proponat aliquam cauſam, ſed petat à Prælato vt pro amicitia, vel familiaritate quam cum eo habet, diſpenſet ſecum in tali voto, vel alleget cauſam impertinentem, aut ita leuem, vt ad iuſtificandam diſpenſationem non ſufficiat: in eiuſmodi enim caſibus, quamuis à parte rei ſubeſſet aliqua iuſta & ſufficiens cauſa diſpenſandi quæ tamen non allegatur, diſpenſatio ſubſequuta erit irrita & nulla, quia vt ex ſupra dictis conſtat, diſpenſatio facta abſque iuſta cauſa eſt nulla: quando autem diſpenſanti cauſa non eſt cognita, non poteſt ipſe ab ea moueri ad diſpenſandum, & proinde quamuis ſubeſſet, tamen diſpenſatio dicenda eſt fieri ſine cauſa, quia non ex illa fit, neque ipſa influit in diſpenſationem. Quare in tali caſu taciturnitas impedit valorem, non tam quia tollat voluntatem diſpenſandi (hæc enim poteſt ſufficienter adeſſe) quàm quia impedit voluntatem legitimam & ſufficienter fundatam ad effectum illum operandum.

Hoc tamen notandum eſt, ſi iuſta cauſa quæ ſubeſt, foret aliundè cognita Prælato, quamuis non exprimeretur, & ipſe ab ea motus diſpenſaret, tunc cauſæ taciturnitatem non ob futuram validitati diſpenſationis: non enim eſt neceſſe, quod cauſæ cognitio habeatur ex ipſo ſupplicante, quia hoc per ſe loquendo indifferens eſt, ſed ſufficit quod iuſtitia cauſæ ſit diſpenſanti nota, & ad diſpenſandum moueat: ſic enim non tantùm poterit eius voluntas eſſe abſoluta, ſed & legitima.

196 Poſterior regula eſt: duobus ſimilibus modis cum proportione redditur diſpenſatio irrita per falſam narrationem, ſiue per admixtionem falſitatis, quando ſcilicet exinde contingit, quòd iuxta propoſitionem factam in ſupplicatione, vel mutetur ſubſtantia voti, vel quod cauſa falſa tantum allegetur.

Declaratur prima pars, vt ſi quis allegaret ſe obſtrictum voto peregrinationis Hieroſolymitanæ, & vouiſſet iter ad ſanctum Iacobum Compoſtellæ, diſpenſatio ſuper voto Ieroſolymitano non relaxabit votum ad ſanctum Iacobum: quamuis etiam illud ſit circa materiam grauiorem, ac magis difficilem, quàm hoc; quia voluntas & actus diſpenſantis ceciderunt in aliam ſubſtantiam voti, idque multò magis locum habet circa cauſam falſam allegatam: nam ſi cauſa falſa proponatur, erit diſpenſatio nulla, non tantùm ex iure poſitiuo quòd continetur in Canonibus ſupra allegatis, ſed etiam ex iure naturali: quia Eccleſiæ Prælati vtpote miniſtri & oeconomi familiæ Chriſti non habent poteſtatem abſolutam relaxandi obligationes quibus homines ſe Deo obſtrinxerunt, eiuſque iura remittendi pro ſuo placito; ſed tantùm iuxta rectam rationem ex iuſtis cauſis, quando hoc expedit bono Eccleſiæ, aut Reipublicæ, vel ſaluti animarum, vt ſuprà amplius eſt declaratum. Diſpenſatio autem quæ ex falſa cauſa conceditur, ſit abſque cauſa, ac proinde diſpenſantis poteſtas ſe eò non extendit.

Si tamen contingeret aliquid falſi eſſe admixtum, quòd tantùm ſit alliciens aut impellens animum Prælati ad diſpenſandum, & ſimul proponeretur aliqua vera cauſa ſufficiens, in qua principaliter fundaretur petitio & diſpenſatio, tunc poterit validitas diſpenſationis ſubſiſtere, quia iſtud eſt tantùm excitans, & quaſi cauſa applicans voluntatem diſpenſantis, hoc autem propriè eſt cauſa diſpenſationis.

Petet aliquis: quid ſi plura exponantur quæ ſingula ſint cauſa diſpenſationis, & 197 vnum ſit verum, & alterum ſit falſum: vtrùm diſpenſatio ſecuta ſit futura valida, v. g. aliquis vt obtineat diſpenſationem ſuper voto continentię allegat quod verſetur in magno periculo incontinentiæ & violationis voti ſui, idque ſit verum, & adiungat quòd ex metu vel non ſatis præmeditatè fecerit tale votum, & hoc ſit falſum?

Reſpondetur cum diſtinctione in communi loquendo: nam inprimis ſi neutra cauſa allegata per ſe foret ſufficiens, aut ſaltem non illa quæ vera eſt, tunc abſque dubio diſpenſatio ſecuta foret nulla; quia ſimpliciter datur abſque iuſta & ſufficiente cauſa; ſin autem quæ vera eſt, ſit quoque per ſe ſeorſim ſufficiens ad ſic diſpenſandum, prout ipſa diſpenſatio ſit, tunc falſitas cauſæ adiunctæ non inualidabit actum ex hoc ſaltem capite quod deſit aut non ſit propoſita ſufficiens cauſa diſpenſationis: Ita Suarez ſup. n. 10. circa finem.

Dico, Si ſeorſim ſit ſufficiens ad ſic diſpenſandum, quia contingere poteſt quod cauſa eſſet ſufficiens ad aliquam relaxationem, ſed non ad talem & tantam, qualis conceditur, v. g. vt ſi quis abſoluatur voto peregrinationis Ieroſolymitanæ allegat à in-

firmitate quæ verè ſubeſt, & addit ſe eſſe pauperem, aut non habere media (quod pono eſſe falſum,) & inde tamẽ fiat, quòd concedatur diſpenſatio voti abſque aliquo reali onere, quæ nõ concederetur talis, niſi fuiſſet illa falſitas ſimul propoſita, & tunc eo caſu diſpenſatio ſimpliciter erit nulla vt ſumi poteſt ex communi doctrina Canoniſtarum ad Cap. Poſtulaſtis, De reſcriptis, prout eam Couar. lib. 1. Variarum c. 20. n. 5. moderatur & interpretatur. Et ratio reddi poteſt, quia diſpenſatio quæ datur eſt actus vnus & indiuiſibilis, & ideo cum ſit nullus quo ad modum quo fit, quia in cauſa falſa ſic fundatur, hinc ſimpliciter eſt nullus.

Dixi etiam, quòd falſitas cauſæ adiunctæ non inualidabit tunc actũ ex defectu cauſæ ſufficientis: quia dubitari poteſt an non ex alio capite tunc diſpenſatio ſit nulla, ſcilicet ex eo quod nõ videatur adeſſe ſufficiens voluntas diſpenſantis: nam ſi talis falſitas non adiecta fuiſſet, fortaſſis voluntas diſpẽſantis fuiſſet retardata, ne cõſentiret, aut ne vellet diſpenſare, etiamſi alioquin cauſa propoſita eſſet ſufficiens: quod ſimiliter locum poteſt habere, quando ſubticetur aliqua veritas.

198 Pro reſolutione itaq; huius dubitationis, attendendum eſt inprimis, vtrùm id quod falſo additur aut ſubticetur, ſit tale, vt tantùm difficiliorem redderet voluntatem Prælati, non tamen ſimpliciter eam impediret, quin diſpenſatio eiuſdem rationis concederetur: tunc enim ſubticentia illa aut adiectio iſta falſi nõ obſtabit validitati diſpenſationis in materia votorũ, quia nõ eſt hic ſpeciale ius quod inualidat hunc actũ, & non eſt quoq; ex natura rei inualidus; quandoquidẽ Prælatus defacto & præſenti voluntate vult diſpenſare ſubexiſtente iuſtâ cauſâ, & quamuis alio modo clariori & ſinceriori, cauſâ proponeretur, nihilominùs ſupponitur quod vellet diſpenſare: quod autem magis ægrè & non tam propenſâ voluntate diſpenſaturus foret, eſt tantum defectus accidentarius, & non ſufficiens, vt voluntas debeat cenſeri non ſatis abſoluta & efficax.

Et quidem hęc doctrina per modũ cuiuſdam regulæ locum habet in omnibus gratijs iuxta communiorem Doctorum ſententiã, quando nõ eſt aliquid ſpeciale conſtitutum ſiue iure ſcripto, ſiue conſuetudine; quamuis Nauarrus Conſilio 1. De conſtitutionibus n. 53. & alij nonnulli velint eam tantùm obtinere in occultatione ſiue ſubticentia veri, non autem in admixtione falſi, ſed ratio allegata in vtroque pariter militat, quia & ipſe vtitur loco citato n. 49. & ita docẽt Couarruuias ſuprà, Sanchez lib. 8. diſp. 22. n. 32. vbi alios plures refert.

At verò quando diſpenſans ſic eſt animo
199 diſpoſitus, vt ſi ſtatus negotij integrè fuiſſet propoſitus, & nulla falſitas adiuncta, quod ſimpliciter gratiam non fuiſſet conceſſurus, tunc plerique dicunt diſpenſationem aut conceſſionem gratiæ eſſe nullam, tum propter Canones ſuprà allegatos, tum propter defectum voluntarij, qui inualidat etiam diſpenſationes votorum.

Verumtamẽ & hic poterit adhiberi rectè diſtinctio, puta quod ea quæ tacentur aut finguntur, vel pertineant ſuo modo ad cauſam, vt v. g. ad conuenientiorem vel meliorem vſum poteſtatis concedendi gratiã, aut ad finem cõceſſionis, vel ſunt res & circumſtantiæ de ſe impertinentes ad cauſam & finem diſpenſationis, quæ tamen ſubticitæ aut additæ mouent voluntatẽ diſpenſantis, qui aliàs non diſpenſaret, vt v. g. ſi taceatur qualitas perſonę quod ipſa vel eius parentes habeant rixas, aut lites cum Prælato, vel eius amicis, vel quid ſimile, vel ſimuletur quod perſona ſit de cognatione vel affinitate Prælati aut quid ſimile, & ex iſtis occaſionibus concedatur diſpenſatio, quam alias non concederet, quamuis ſufficiens cauſa concedendi ſubſit, & exponatur; quando enim huius poſterioris generis aliquid tacetus aut additur, & ſic diſpenſatio obtinetur, tunc non exiſtimat Suarez ſup. cap. 27. n. 13. eam idcirco inualidam aut nullam, quia in iſtis caſibus illa ignorantia aut deceptio non impedit quo minùs Prælatus velit hic & nunc ex iuſta cauſa & rationabili vinculum relaxare: quòd autem id non eſſet voliturus ſi de circumſtantijs iſtis impertinentibus eſſet plenè informatus, non cenſetur præſentem actum facere inuoluntarium, quia illa nolitio quæ ponitur futura ſub conditione plenæ informationis de impertinentibus illis circumſtantijs, nihil intelligitur hic moraliter operari: illa enim diſpoſitio animi eſt indebita & extra cauſam. Ita docent Guttier lib. 2. Canonicarum quæſtionum cap. 15. n. 29. cum alijs quos allegat, & Sanchez ſuprà diſp. 21. n. 18. & alij.

Quando autem quod tacetur, aut falſo 200
additur, habet aliquam connexionem rationabilem cum materia voti & diſpenſationis de qua agitur, tunc locum habebit quod generaliter alij dicere videntur, ſcilicet quod conceſſio gratiæ ſit futura eo caſu ſubreptitia, & nulla, quando ſcilicet iſta ſubticentia vel additio ita mouent voluntatem diſpenſantis vt abſque illis nollet diſpenſare.

Sed duplex hic oritur difficultas: prior eſt, quomodo iſta conditionalis poſitio de contraria voluntate futurâ poſſit voluntatem præuentam impedire & facere nullam, quandoquidem neque videatur de illa conſtare poſſe, & vt ipſa quoque cognoſceretur, non videatur tamen poſſe habere effectum aliquem, quandoquidem non ſit reuera de facto.

Reſpon-

Digitized by Google

201 Reſpondetur, quamuis de illa nolitione futura ſub conditione nõ poſſit planè certò conſtare, poſſe tamen de illa haberi cognitionem quandam ex prudenti coniecturâ & probabilibus argumentis, quibus tali occaſione vtendum eſt, quando de iure non inuenitur aliquid præſcriptum.

Sumi autem poſſunt eiuſmodi argumenta & coniecturæ potiſſimùm ex conſuetudine & agendi modo diſpenſantis, puta,quia notum eſt, quod cum talibus vel talibus circumſtantijs quæ materiam voti & rationem diſpenſationis aliquantulùm alterant, & efficiunt vt ipſe exiſtimet ad prudentiorem vſum ſuæ poteſtatis pertinere, quòd tunc non diſpenſet (quamuis non omnino deſit cauſa, vt validè poſſit) ideoque non ſoleat cum talibus circumſtantijs aut ſimilibus diſpenſare, & hoc quaſi pro principio aliquo teneat,quod aſtuti ſolent quoque àduertere, & eo nomine aliquando quædam vera ſubticere, vel aliqua falſa adijcere: iſtis itaque poſitis dicimus ſic poſſe explicari quod præſens voluntas Prælati impediatur per ſuppoſitionem contrariæ voluntatis rationabilis futuræ, quia voluntas præſens diſpenſandi intelligitur meritò tunc virtute includere hanc conditionem, ſi videlicet ita eſt, & nihil callidè ſubticetur aut falſò additur,quod rationabili meo modo vtendi poteſtate ſpirituali contraueniat: & quia hæc conditio non ſubſiſtit, ideo voluntas redditur inefficax, quia reuera rebus ſic ſe habentibus non adeſt voluntas diſpenſandi: vnuſquiſque enim cenſetur operari prudentiori modo quem ex certis rationibus ſolet in ſuis actionibus obſeruare, & ſibi obſeruandam quaſi præſtituit.

Confirmatur, quia hac de cauſa non volũt iura ſub generali cõceſſione cõprehendi id quod in ſpecie propoſitum nõ eſſet Princeps conceſſurus, quia ſcilicet ex vi eiuſmodi habitualis diſpoſitionis rationi conformis meritò intelligitur actualis voluntas ſe ad illud nõ extendere; ſiue, quia vt alij loquuntur, ſubintelligitur conditio aut exceptio, quamuis conceſſio ſit indefinita vel generalis.

202 Sed inferet aliquis, ergo videbitur quoq; gratia eſſe nulla ob defectum voluntarij, quando ſubticetur aliquid impertinens vel tale quid additur, quando abſque eo Prælatus non erat præſtiturus gratiam, quia & tunc in diſpenſatione erit ſubintelligenda prædicta conditio.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: quia voluntati diſpenſantis non eſt per interpretationem adijcienda aliqua conditio aut exceptio quæ eſt contra rationem, quando ipſa non adfert eam ſecum; imò quando quis rectè & honeſtè actu vult & operatur, cenſetur potiùs retractare priorem irrationabilem modum agendi & affectum, quàm iuxta eum agere.

Porrò quod eo caſu diſpenſatio non ſit inualida, non tantum ex Auctoribus antè allegatis pro hac opinione, ſed etiam ex alijs illis ſumi poteſt qui docent occultationem circumſtantiæ, quam ius non præcipit exponere, non obſtare gratiæ, etiamſi illâ cognitâ Prælatus non eſſet gratiam conceſſurus: quâ de re latè tractat Suarez, lib. 8. ſup. diſp. 21. n. 12. & ſequentibus: eſtque id quod diximus valde probabile, vt docet Suarez ſup. n. 16. poſtulat enim ratio vt nihil occultetur aut fingatur, quod impediat conuenientem & rationabilem modum agendi diſpenſantis, & habituali eius ordinatæ voluntati aduerſetur, quia ipſe ius habet vtendi poteſtate pro ſuâ diſcretione cum prudentia prout iudicat magis diſciplinæ fidelium & ſaluti animarum conuenire, vnde contra rationem agunt qui eum callidè circumueniunt, & circumueniendo in contrariam actionem inducunt.

DVBIVM XXXII.

Vtrũ ad hoc vt diſpenſatio cenſeatur valida debeat eſſe libera à coactione per metum?

Reſpondetur negatiuè, per ſe loquendo: 203
quin etiam valida fore videtur, quantumuis extorqueretur per metum grauem & cadentem in conſtantem virum, modò diſpenſatio procedat ex vera voluntate diſpenſandi. Ita Suarez tom. 2. De relig. lib. 6. cap. 27. num. 17.

Ratio reddi poteſt, quia poſitis & cognitis omnibus quæ hic concurrunt, vult ſimpliciter diſpenſare vt ſupponitur: ergò non videtur eſſe defectus voluntatis quantùm ſaltem requiritur ex natura rei: ſed neque reperitur talis diſpenſatio in votis reddita irrita ſeu nulla per ius aliquod poſitiuum; ergò &c. Vnde valida erit talis diſpenſatio non tantum ſi metus ex iuſta aliqua ratione fuerit incuſſus, puta, quia valdè magna ſuberat cauſa, vel euidens quædam neceſſitas diſpenſationis, ſic vt iuxta prudens iudiciũ cenſeretur obligatus diſpenſare, & interim ex aliqua humana paſſione detrectabat diſpenſare, quo caſu illatio illa metus poſſet eſſe nõ iniurioſa, ſed quaſi redemptio vexæ, aut potius ſublatio indebiti impedimenti aut malignæ voluntatis Prælati: aſt etiam quando fieret cum iniuria, quia omnibus cognitis quorum cognitio requiritur, ac illis perpenſis vult ille ſimpliciter diſpenſare, & diſpenſat, qui diſpenſandi habet poteſtatem.

Digitized by Google

Dixi tamen, per ſe loquendo, metum incuſſum non annullare; quia aliundè poteſt contingere quod diſpenſatio metu extorta ſit nulla, vt v. g. ſi per metum non tantum inducatur voluntas ad diſpenſandum, ſed etiam quod cōcedat diſpenſationem abſque legitima & ſufficienti cauſa diſpenſationis, tunc enim erit irrita, non quia non eſt ſufficienter voluntaria, ſed quia ſine iuſta cauſa eſt conceſſa.

204 Dicet aliquis, Capitulo vnico, de ijs quæ vi in 6. annullatur abſolutio à cenſura quæ fuerit extorta, ergò videtur dicendum, quod diſpenſatio ex metu conceſſa ſuper voto ſit inualida.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, quia legem odioſam (inquit Suarez) non oportet extendere ad alium caſum, imò quia id poſitiuè ius ſtatuit de abſolutione à cenſura, licebit magis inde confirmare prædictam reſponſionem, quia dum ius ſic ſtatuit, videtur ſupponere tales actus naturâ ſuâ eſſe validos, & dum ſpecialiter talis ſit conſtitutio pro libertate clauium circa cenſuras, vbi ſæpius poteſt occurrere periculum metus inferendi ſiue abſolutionis extorquendæ, videtur relinquere alia de quibus non diſponitur in ſua natura.

Cæterùm Auctores qui docent contractus liberalis donationis & promiſſionis iniuſto & graui metu factos ſeu extortos eſſe iure naturali irritos & nullos, prout ſentit & docet Baſil. Pontius lib. 4. De matrimonio, c. 6. n. 4. cum multis alijs quos ibidem citat, illi veriſimiliter quoque dicerent diſpenſationem metu graui & iniuſto extortam non eſſe validā, quia diſpenſatio in votis videtur ſatis eiuſdem rationis cū liberali donatione.

DVBIVM XXXIII.

Vtrùm obligatio voti quod habet expreſſam vel implicitam conditionē, ceſſabit ſi vouens ſuâ malitiâ ex propoſito faciat conditonem tolli?

PRo pleniori intelligentiâ ponitur hic caſus: vouit aliquis Deo & ſuperiori, v. g. ſeruire perpetuò in hoſpitali aliquo, vel in aliquo monaſterio ſub hac conditione expreſſa vel tacita, ſi ſuperior me voluerit in hoſpitali aut in monaſterio retinere.

205 Quæritur, Vtrùm obligatio voti ceſſabit, ſi ille de induſtria malè ſeruiendo, damna inferendo, aut familiam perturbando extorſerit dimiſſionem.

Pars affirmatiua videtur inde probari, quia ſi ſuperior dimitteret talem ſponte abſque omni causâ, ille ſic dimiſſus haud dubiè ad nihil teneretur, & in conſcientia quoque ab omni obligatione voti eſſet abſolutus, ergò ſimiliter in caſu propoſito dicendum erit, quod dimiſſus ſit ab omni obligatione voti liber, quia ſuperior non vult illum detinere: votum autem habebat hanc conditionem, ſi ſuperior me retinere voluerit.

Confirmatur, quia vt per dimiſſionem liberetur quis à tali voto, non requiritur iuſta aliqua cauſa dimiſſionis, v.g. vt fiat propter eius inualetudinem, aut propter quid ſimile; ergò quandoquidē dimiſſus ſit ſimpliciter, videtur liber ab omni obligatione voti.

Reſpondetur, illis non obſtantibus, nihilominùs oppoſitam partem eſſe veriorem, 206 quod ſcilicet talem non ſit in conſcientiâ tutus, niſi paratus fuerit impedimenta per malitiam poſita tollere, & iterum ad obſequia præſtanda ſeſe obtulerit, vt ſi ſuperior voluerit, rurſus illum admittat & eius ſeruitijs vtatur. Sic docent Richardus in 4. diſt. 38. art. 5. q. 3. Sylueſt. V. Votum 2. q. 2. Angelus V. Votum 1. n. 10. & alij plures.

Probari autem poteſt, quia promiſſio omnis facta alicui tertio ſub conditione in promiſſarij arbitrio poſita, ita eſt interpretanda, vt huic tertio libertas relinqui debeat, vt conditionem ponat aut tollat, & ſi promittens vi vel fraude cogat eum ad tollendam conditionem, nullus iudicabit promittentem idcirco liberum ab omni obligatione erga promiſſarium; ergò &c.

Confirmatur, quia qui ſic vouet, non reſeruat ſibi poteſtatem recedendi ab eo ad quod ſe voto obſtringit, ergò neq; poteſtatem tollendi illam conditionem, ac proinde neque adigendi alterum ad eam tollendam; & ſi fecerit, habebitur conditio quaſi non ſublata, ſaltem in foro conſcientiæ.

Vnde non poteſt talis veram agere pœnitentiam, niſi paratus ſit reparare iniuriam illatam Prælato, & monaſterio: per iniuriam autem cenſetur ſe ſubtraxiſſe ab obſequijs quæ ex voto ſuo, & acceptatione ſuperioris debebat monaſterio, ergò non poteſt verè pœnitere, niſi paratum ſe exhibeat ad tollendas cauſas malitioſè poſitas, propter quas dimiſſus fuit.

Vnde ad argumentum adductum in contrariū Reſpondetur Negando Conſequentiam, & ratio eſt, quia quando ſuperior dimittit illum ſponte ſuâ, etſi nullam habeat iuſtam rationem, quare dimittat, tunc tamen dimiſſus non cauſat ſuam dimiſſionem, neque ſublationem conditionis ſub qua votum conſtat, & ſubſiſtit, ideoque meritò cenſetur votum illi tunc quaſi extingui ſublatâ ſcilicet iſtâ conditione: ſed quando de induſtria male agit ad hunc finem, vt ſuperior nolit eum retinere, indeque fiat quod ſuperior quaſi neceſſitatus illū dimittat, tunc moraliter loquendo, non debet iudicari tam 207

exire

Digitized by Google

exire dimiſſus, aut quia ſuperior eum retinere non velit, quàm ſuâ ſponte & malitiâ recedere; hæc enim moraliter videntur eſſe eiuſdem rationis abire inuito Prælato qui eum non detinet vi, quamuis poſſit, & neceſſitare illum vt dimittat, & abire faciat: nam ſuis malis moribus ex propoſito vrget ad tollendam conditionem, quam debebat alterius relinquere arbitrio.

Atque ita ex his facilè intelligitur, quo modo talis non poſſit in conſcientiâ cenſeri liber ab obligatione voti, in quibus & conſiſtit principale fundamentum reſponſionis ad dubium propoſitum: patet ſimul quid dicendum ſit ad confirmationem adiectam.

208 Dixi autem, qui de induſtria aut ex propoſito ſic malè agit, vt ſuperior eum retinere nolit, quia ſi forſitan eſſet laſciuioris indolis, aut minoris ſollicitudinis quàm conueniat loco, & mores non mutet, interim ex animo remanere deſideraret, tunc ſi contingeret eum contra ſuam voluntatem dimitti, non improbabiliter exiſtimandum erit, talem ab obligatione voti ſolui: quod videtur etiam poſſe habere locum, ſi haberet iuſtam rationem, ob quam rationabiliter & merito deberet ſuperior dimittere, ſiue dimiſſionem concedere ad tempus vel in perpetuum, vt ſi haberet parentes magna egeſtate laborantes quibus poſſet ſubuenire dimiſſus, iam verò non poſſet, & tamen ſuperior nollet cõcedere, tum ſi per importunos mores quaſi adigeret ſuperiorem ad dimittendũ, & ſuperior vero conſenſu dimitteret, apparet quod dimiſſio illa foret cenſenda valida, ſicuti docet Suarez, lib. 6. cap. 27. num. 17. & 18. de diſpenſatione per metum incuſſum in ſimili caſu obtentâ, quia tunc iſta adactio non videretur iniurioſa, ſed redemptio vexationis, prout dicit Suarez de ſimili illatione metus.

DVBIVM XXXIV.

Vtrùm in concedenda diſpenſatione ſuper voto debeat ſeruari aliqua certa forma?

Reſpondetur breuiter: neceſſe eſt diſpenſantis voluntatem ſufficientibus ſignis externis manifeſtari: nulla tamẽ in hoc eſt præſcripta certa forma verborum, à qua effectus diſpenſationis pendeat. 209

Prior pars declaratur, quia voluntas humana non poteſt aliter innoteſcere alijs, & operari in ordine ad alium hominem, niſi per externa ſigna ſeſe prodat.

Poſterior pars patet, quia nec iure reperitur certa forma præſcripta, neque præſcribendi erat aliqua neceſſitas. Ita tradunt Syl. V. Votum 4. q. 8. Antoninus 2. parte tit. 11. cap. 2. §. 9. Palud. in 4. diſt. 38. qu. 4. & alij: quidam tamen Canoniſtæ, vt ex Paludano refert Suarez ſuprà tom. 2. lib. 6. c. 27. dixerunt ſaltẽ requiri aliqua propriè verba dicta & nõ ſufficere nutus, niſi fortè in Pontifice: ſed abſque fundamento hoc aſſeruerunt; neque enim id ex ratione poteſt oſtendi, neque ex iure de eo conſtat. Vnde rectè dixit Paludanus, quâcumque viâ Epiſcopus explicet ſufficienter voluntatem diſpenſandi, id ſufficere, quando ſcilicet reliqua requiſita adſunt.

Hæc de voto dicta ſint: ex quibus etiam intelligi poterunt illa quæ propinquius, & magis quaſi eſſentialiter ad ſtatum religioſum pertinent.

CAPVT QVINTVM,

De iuramento & adiuratione.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit iuramentum?

1 DE Iuramento tractat D. Th. 2. 2. qu. 89. & docet art. 1. quod aſſumere Deum in teſtem ſit iurare: vnde iuramẽtum dictum vult, quia quaſi pro iure introductũ eſt, vt quod ſub inuocatione teſtimonij diuini dicitur, pro vero habeatur: quam nominis rationem videtur etiam probare Couarruuias in Cap. Quamuis, De pactis. D. Aug. verò ſermone 28. De verbis Apoſtoli, vult inde iuramentum dictum eſſe, quod ius reddamus Deo, quando per ipſum iuramus, debitam ſcil. veritatem.

Iuramentum itaque quod alijs nominibus appellatur aliquando iuſiurandum, aliquando etiam Sacramentum, ſic deſcribi poteſt: quod ſit inuocatio diuini teſtimonij ad fidem faciendam, vel ad promiſſionem firmandam. Ita paſſim DD. explicant, & ſumitur ex D. Aug. ſerm. citato c. 6. Quid eſt enim, inquit, per Deũ ſcil. iurare, niſi teſtis eſt Deus, quod ibi latius proſequitur: dignatur enim Deus qui nec fallere, nec falli poteſt pro benignitate ſuâ etiam in teſtem veritatis adhiberi in negotijs noſtris humanis, vt omnis controuerſiæ quæ propter mutuam diffidentiam, vel partium ignorantiam non poteſt vltrò citròque aſſerendo tolli, finis ſit iuramentum, vt ſignificat Apoſtolus ad Hebr. cap. 6.

Digitized by Google

Duo igitur requiruntur ad iuramentum,
2 ſcilicet intentio inuocandi diuinum teſtimonium, ſiue adhibendi Deum teſtem, & ipſa inuocatio. Prior actus ſpectat ad voluntatem: poſterior ad intellectum, quia hic eſt quædam rationalis locutio ordinariè verbis aut ſignis exterioribus expreſſa: aliquando autem in mente tantum retenta: quemadmodũ enim votum, ita etiam iuramentum poteſt ſola mente fieri, præſertim promiſſorium, quando ſcilicet quod Deo promittitur, ſimul etiam iuratur: ad ſimplicem verò aſſertionem non videtur poſſe accommodari in ordine ad Deum, quandoquidem ipſe ſit ita certus de omni veritate, & de omni conceptu hominis loquentis ad ipſum, vt non poſſit per iuramentum de illis reddi certior: promiſſio autem interius Deo facta poteſt etiam interius firmari iuramento, non vt inde Deus certior reddatur de noſtrâ voluntate & intentione, ſicuti homines, ſed vt iurans quantum in ipſo eſt, ſuæ promiſſioni maximam addat firmitatem.

Concurrunt ergo ad iuramentum voluntas & intellectus, & ſine vtriuſque actu non fit propriè dictum iuramentum.

Itaque qui dicunt per fidem meam, bonâ
3 fide, aut fide boni viri, aut fide ſacerdotis, prout iſta ordinariè accipiuntur non intelliguntur iurare.

Ratio eſt: quia qui ita loquuntur, non intendunt Deum inuocare teſtem, ſed declarare ſe loqui ex fide ſeu fidelitate, aut veritate quam vir bonus, aut ſacerdos in ſuis dictis adhibere debet: ac adhibere præſumitur. Ita tradunt Nauarrus c. 12. n. 2. Caiet. hic quæſt. 89. art. 6. Soto lib. 8. qu. 1. art. 1. & Bonac. tom. 2. circa 2. præceptum Decalogi, diſp. 4. quæſt. 1. puncto 1. num. 2. cum alijs quos citat.

Similiter nec illi dicendi videntur iurare, quamuis aliter ſentiat Soto, qui dicunt in conſcientia mea, per conſcientiam meam, in veritate; quia tantum ſignificare volunt ſe loqui ex conſcientiæ dictamine aut veritatis notitiâ: vt tradit Bonac. ſuprà.

Econtrà autem propriè iurant, qui dicunt per fidem Catholicam, per Euangelium, per ſanctam Crucem; quia tales cenſentur authorem fidei, & euangelij, vel Chriſtum crucifixum in teſtem adhibere, vt cum alijs docet Bonac. num. 3. Sic quoque illi qui dicunt, Deus intuetur cor meum, Deus ſcit, coram Deo loquor, cenſentur iurare ordinariè, niſi forſitan expreſſe aliã formarent intentionem quàm adhibendi Deum in teſtem, & vellent tantum aſſerere illa Deo eſſe cognita, vt notant Caiet. ſup. art. 1. & Soto loco citato: Vide Suarez tomo 2. de Relig. lib. 1. de Iuram. c. 13. n. 7. & ſequentibus.

Opponet autem aliquis contra iuramenti deſcriptionem datam, quod multi iurare ſoleant per creaturas, aut per falſos Deos: vnde non videtur iuramentum ſufficienter definiri quod ſit diuini teſtimonij inuocatio.

Reſpondetur Negando Conſequentiam:
Quia qui aſſumunt creaturas in iuramento, 4
non volunt illas ſibi eſſe teſtes, vtpote quæ ſæpius nec intellectum nec ſenſum habent; ſed illum qui in ipſis ſingulari modo præſidet ac relucet; cuius illæ dicuntur templum, ſedes, thronus, ſcabellum pedum, &c. accipitur enim continens pro contento ſeu effectus pro authore ſuo, iuxta illud Matth. 23. *Quicumque iurauerit in templo, iurat in eo qui habitat in illo.* Sed de his infrà latiùs.

Qui verò iurant per falſos Deos, non præſtant iuramentum verum propriè dictum: neque illo obligantur niſi ex conſcientiâ erroneâ, quâ exiſtimant eos quos inuocant eſſe Deos veros: quemadmodum enim nulla eis ineſt diuinitas, ita nec occultorũ cordis cognitio, & proinde neque atteſtandi poteſtas: vnde nec debetur vlla eis reuerentia: & hinc per ſe non erit peccatum mortale, præſtare iuramentum falſum per Iouem, ſi ſcias & apprehendas Iouem nihil eſſe, quia verè non iuras, ſed tantùm ludis, & quaſi iocaris imagine iuramenti: ſi tamen id ſeriò faceres vel ad mandatum tyranni, vel cum illis circumſtantijs vt exterius iudicari poſſis, deferre honorem diuinum Ioui, mortaliter peccabis, quia eſſet quædam exterior actio idololatriæ.

Porrò quando in deſcriptione iuramenti
additur, ad fidem faciendam vel promiſſio- 5
nem firmandam, explicatur proximus finis iuramenti, qui duplex eſt: videlicet aſtruere aliquam veritatem quæ aliter commodè probari non poteſt, aut confirmare promiſſionem.

Dicet aliquis: Non ſolet Deus declara-
tionem facere, quâ præbeat teſtimonium 6
dictis noſtris: eſt enim hoc præter naturæ ordinem; ergò qui iurat, dicendus erit tentare Deum, ſi iurare ſit inuocare Deum in teſtem.

Deinde inuocatio ad genus orationis pertinet; igitur iuramentum non videtur plenè explicari per inuocationem diuini teſtimonij.

Reſpondetur ad prius, Negando Conſequentiam: Quia iurans non inuocat teſtimonium Dei quaſi volens aut petens, quòd Deus nunc det declarationem aut ſignum veritatis aſſertæ, ſed vt hoc ipſo quo Deum qui nouit omnia occulta cordium, & paratus quoque eſt omne mendacium & omnẽ fallaciam ſuo tempore vindicare, audet aſſumere in teſtem ſui dicti, ſibi fidem aliorum conciliet; quia non facile exiſtimatur quis

quis tam impius, & tam abſque omni reuerentiâ erga Deum, vt auderet eum facere teſtem falſitatis: hoc enim eſt ſummam irrogare iniuriam primæ veritati.

Ad alterum Reſpondetur, Negando etiam Conſequentiam: Qui enim iurat non inuocat Deum per modum orantis; ſed per modum conteſtantis; quemadmodum inuocare dicitur teſtimonium principis aut populi, qui dicit teſtor principem aut teſtor populum, quod non fecerim tale vel tale quid: quod non eſt orare ſiue deprecari, ſed teſtem conſtituere & quantũ in ſe eſt vocare ac mouere ad teſtandum.

DVBIVM II.

De diuiſione iuramenti in aſſertorium & promiſſorium.

7 VNa & celebrior ab omnibus recepta iuramenti diuiſio eſt: qua diuiditur in aſſertorium, & in promiſſorium.

Indicat hanc D. Thom. quæſt. 89. citatâ art. 1. & ſimul membra eius exponit his verbis: Diuinum teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerenda præſentia vel præterita: & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur ad confirmandum aliquid futurum; & hoc dicitur iuramentum promiſſorium.

Fundamentum itaq; huius diuiſionis eſt, quòd tum de præteritis & præſentibus, tum de futuris quæ cupimus alijs eſſe perſuaſa, poſſit eſſe quædam apud eos incertitudo, & tamẽ occurrere poſſit neceſſitas aut vtilitas, quæ requirant vt illi de veritate tali reddantur certiores, & ſecuri: ad quod proinde præſtandum induci poteſt diuinum teſtimonium. De præteritis quidem ſæpiùs neceſſarium eſt ad ferenda iudicia: de futuris ad firmanda fœdera & pacta: de præſentibus autem propter vtrumque.

Accedit, quod humana prouidẽtia ex præteritis, præſentibus, & futuris pendeat, & circa hæc omnia vtatur frequentius cognitione fundatâ in fide humanâ, quæ de ſe fallibilis eſt: in omni autem tali materiâ, ſiue in qualibet quaſi ſpecie poteſt locum habere ratio finis, & neceſſitas iuramenti.

Duæ autem moueri hic poſſunt difficultates, ex quarum reſolutione plenius intelligi poterunt; quæ ad hanc diuiſionem ſpectant.

Prior eſt, quòd membra diuiſionis nõ cõuenienter videãtur diſtingui, quia iuramentũ de re futura includit ſemper aſſertionem de præſenti, atque ita omne illud videbitur quoque eſſe aſſertorium: Aſſumptum probatur, quia affirmatio vel negatio de futuro quæ iuratur, eſt quædam enuntiatio; ergò &c.

Reſpondetur admittendo inprimis iuramentum quod dicitur promiſſorium, non tantùm poſſe ſimul eſſe aſſertorium, vt quidam dicunt, ſed etiam neceſſario ſecum hoc improtare: qui enim iurat ſe daturum, aut facturum aliquid eo ipſo inprimis affirmat & iurat ſe habere propoſitũ dandi aut faciendi id quod iurat: qui namque iuraret ſe daturum aut facturum abſq; animo dandi aut faciendi, omnium iudicio cenſeretur mentiri. & contra mentem falſum loqui, quantumuis poſtmodum contingeret quod mutato animo daret aut faceret. 8

Debet igitur in talibus verbis intelligi adeſſe quædam aſſertio de præſenti, quæ ſit vera aut falſa, in quam cadat etiam iuramentum.

Imò ſi quis iuret alterũ aliquẽ hoc facturum, aut talem aliquem effectũ obuenturũ, eo ipſo cenſetur iurare ſe ita exiſtimare aut credere, & ſi aliter ſentiat, iudicabitur mendaciter aut fallaciter iurare.

Hoc igitur admiſſo, neganda eſt conſequentia: ſufficienter enim poſſunt adhuc intelligi membra diuiſionis diſtincta: Primò, quòd diſtinguantur ſicut incluſum, & includens, vt ſcilicet aſſertorium hic dicatur, quod eſt aſſertorium tantùm, & non promiſſorium; promiſſorium verò quatenus ſecundum membrum conſtituit, dicatur quod vltra aſſertionem de præſenti, afficit etiam aliquid quod adhuc pendens eſt & futurum; eiuſque inducens obligationem: & quandoquidem illud ordinariè naſcitur ex promiſſione, ideo vocetur hoc iuramentum promiſſorium, quia communiter firmat promiſſionem, aut fidem facit de ſecutura eius impletione. Quia itaque in promiſſione de futuro, affirmantur virtute duo, de præſenti ſcilicet voluntas promittendi & implendi, vti iam diximus; deinde etiam quod impletio promiſſionis futura ſit, hinc iuramentum illud quo iuratur promiſſio, afficit vtrumque, & ſub priori conſideratione aſſertorium eſt, & ſub poſteriori obtinet propriam rationem promiſſorij. 9

Altera difficultas eſt, quod dari poſſit aſſertio de futuro iurata abſque promiſſione: qui enim aſſerit ſe aliquid facturum, non neceſſario illud promittit, vt per ſe ſatis cõſtat: quia promiſſio eſt aliquid accedens quod ex libertate pendet, eſtque quid poſterius ipſâ voluntate faciendi: ſicuti autem poteſt quis affirmare ſe aliquid facturum non promittendo, ita etiam poteſt iurare id ipſum non promittendo. 10

Quando igitur ſola aſſertio eſt de futuro ſine promiſſione, quæritur ad quod membrum pertinebit iuramentum cadens in talem affirmationem de futuro?

Videri enim poteſt non pertinere ad ſecundum, vtpotè quod conſiſtit in ſola con-

firmatione alicuius veritatis, non in firmandâ aliquâ promiſſione: neque etiam ad primum, quandoquidem D. Thom. materiam iuramenti aſſertorij aſſignat veritatem de præterito aut de præſenti.

Reſpondetur breuiter, dicendum eſſe iuramentum illud comprehendi ſub ſecundo membro: hoc enim doctrinæ D. Thomæ maximè eſt conſentaneum iuxta modum, quo ille membra hæc diſtinguit: neque refert quod non cadat in promiſſionem propriè dictam, inprimis quia non ſemper nominis ratio adæquatè concurrit cum ipſa re: quamuis igitur inde nomen ſortiatur ſecundum membrum, quia iuramentum de re futurâ ſolet frequentius cadere in promiſſionem, non tamen quando de futuro eſt, ſe cludendum erit ab hoc membro, licet hæc nominis ratio minus illi conueniat.

Deinde reſponderi quoque poterit, iuramentum de futuro dici promiſſorium quaſi analogicè, quia ſcilicet inducit ſemper aliquam obligationem pro futuro, ſicuti promiſſio, ſcilicet ad faciendum verum, quod dictum eſt, ſiue vt res ſuo tempore reſpondeat ſermoni aſſerto, idque ex virtute religionis ob reuerentiam diuini nominis quod adductum eſt in teſtimonium, ideoq; etiam iuramentum dici promiſſorium: non autem ideo præciſè quod ſemper cadat in promiſſionem propriè dictam, eamque confirmet ſiue ad eius impletionem obliget.

Addunt autem aliqui ad diuiſionem præmiſſam tertium membrum, videlicet iuramentum comminatorium, ſed hoc rectè ad promiſſorium reuocari poteſt: eſt namque illud quo alteri minamur pœnas, quo proinde intendimus nos aliquo modo obligare, quamuis non illi cui pœnas minamur, ſed abſolutè ad pœnas infligendas, vt videlicet conſtricti reuerentiâ iuramenti, non audeamus remittere vel negligere pœnas comminatas.

DVBIVM III.

Qualis hæc ſit iuramenti diuiſio, vtrùm ſit generis in ſpecies, ſic vt aſſertorium & promiſſorium ſint quaſi differentiæ eſſentiales cōſtituentes membra hæc in diuerſa formali ratione iuramenti?

11 Reſpondetur cum Caietano, quæſt. 89. art. 1. membra diuiſionis huius tantum accidentaliter & materialiter inter ſe differre: quam ſententiam ſequuntur Arragonius eodem loco, Soto ſuprà, à Valentia, Bonac. ſup. puncto 2. n. 2. Couarruuias ad Capitulum Quamuis, De pactis in principio n. 3. & alij.

Probari autem poteſt, quia in iuramento vtriuſque membri adducitur Deus vt teſtis veritatis, atqui iuramentum inde accipit ſpeciem formalem: quòd autem res iurata ſit hæc vel illa, talis aut talis, v. g. quod res iurata ſit ad fidem vel ad religionem pertinens, vel quod concernat res politicas aut ciuiles, eſt tantum materiale & accidentarium: neque eſſentialiter diuerſificat iuramentum.

Confirmatur Primò, nam iuramentum aſſertorium de re præterita, & aſſertorium de præſenti eiuſdem ſunt rationis formalis, quamuis ipſæ veritates materiales diſtinguantur ſecundum præteritum & præſens, ergò ſimiliter iuramentum aſſertionis de re futurâ differt tantùm materialiter ab iſtis aſſertorijs de præterito & præſenti.

Probatur conſequentia tum à paritate rationis, tum etiam quia tota ratio obligationis remanentis ex iuramento promiſſorio, inde pendet quia iurans debet verum reddere quod aſſeruit ſub iuramento ſe facturum, ne Deus fuerit adhibitus teſtis falſitatis, vt ſatis manifeſtè conſtat ex D. Thoma quæſt. 89. citata art. 7. & 8.

Vndè conſequens eſt, quod inuocetur 12
Deus in iuramento promiſſorio ſub eadem formali ratione, quâ in aſſertorijs ſimplicibus, ſcilicet tanquam prima veritas quæ nec falli nec fallere poteſt, & vt teſtis veritatis eius quod dicitur; quare hæc tantum videtur intercedere differentia, quòd dum fit iuramentum aſſertorium, tunc veritas quæ aſſeritur, fit conſummata per conformitatem dicti ad ipſam rem: in iuramento autem promiſſorio veritas ſpectatur quaſi cōſummanda per conformationem rei poſtea ſubſecuturæ ad ipſam aſſertionem factam: quod diſcrimen videtur omnino accidentarium & materiale ad iuramentum.

Confirmatur Secundò, quia periurium contra iuramentum aſſertorium, & periurium contra promiſſorium videntur ab omnibus haberi paſſim eiuſdem ſpeciei, ergò & ipſa iuramenta eſſentialiter non differunt.

Suarez itaque tomo 2. libro 1. De iura- 13
mento cap. 9. propter iſta & ſimilia dicit hanc ſententiam eſſe valdè probabilem, nihilominùs videtur ipſe inclinari magis in oppoſitam, quod ſcilicet membra diuiſionis illius diſtinguantur in formali ratione iuramenti & diuini cultus: quod ſic explicat, quia in illis iuramentis fit inuocatio diuini nominis ſub diuerſa ratione formali; idque ſic oſtendere conatur, quia in iuramento aſſertorio inuocatur Deus tantùm vt teſtis

veritatis;

Digitized by Google

veritatis; in promiſſorio autem vt tale eſt, inquit, inuocatur vt fideiuſſor promiſſionis ſeu verbi dati, quæ rationes formales ſunt multùm diuerſæ, & obligationes morales diuerſarum rationum inducunt, ergò & iuramenta dicenda ſunt formaliter & eſſentialiter diuerſa.

Verùm quemadmodum illa ab eo aſſumuntur, ita facilè negari poſſunt, idque non ſine fundamento rationis & auctoritatis: nam iuramentum deſcribi ſolet, inuocatio diuini nominis, non quocumque modo aut ratione, ſed inuocatio diuini teſtimonij, & proinde Dei tanquam teſtis, non vt fideiuſſoris.

14 Hinc D. Thom. quando de obligatione remanente ex iuramento tractat, non refert eam in hoc quod iurans Deum conſtituerit fideiuſſorem ſuæ promiſſionis, ſed quia tenetur, inquit, art. 7. citato, vt faciat verum eſſe id quod iurauit, & art. 8. vbi diſtinctionem inter obligationem ex voto, & inter obligationem ex iuramento promiſſorio ponit, ita loquitur: Obligatio autem iuramenti cauſatur ex reuerentia quam debemus Deo, ex qua tenemur quòd verificemus id quod per nomen eius promittimus: & ſic quoque alij rationem iuramenti promiſſorij, eiuſque relictam obligationem videntur intellexiſſe.

Quare verior & præferenda apparet doctrina Caietani: videtur autem Suarez ſtudiosè quæſiuiſſe illas diuerſas formalitates iuramenti in membris dictæ diuiſionis, ad hoc vt poſſit inde ſtatuere fundamentum aliquod opinionis illius, quæ aſſerit iuramenti promiſſorij violationem aliquando eſſe venialem ex leuitate materiæ promiſſæ, quæ opinio ſatis illi placet: quamuis rationes aliorum non approbet, nec illi ſatisfaciant: ſed eâ de re poſteà agendum erit.

15 Cæterùm vtrumque iuramentum de quo iam egimus, aliquando poteſt eſſe ſimul execratorium, vt indicat D. Thom. qu. 89. art. 6. tale ſcilicet vt Deus non tantum in teſtem, ſed vocetur ſimul in vindicem, vt puniat ſi iurans fallat, vt quando dicitur; Ita me Deus amet, ita me adiuuet, ita mihi ſit propitius: iſtis enim dictis non tantum volumus Deum nobis propitium noſque amare ſi verum dicamus, ſed etiam nos perdere ſi falſum iuremus: ſumuntur enim eiuſmodi verba quaſi per antiphraſin, ſicuti quando vxor Iob dicebat illi, *Benedic Deo* (id eſt maledic) *& morere*: quia mens quodammodo horret in proprietate verborum illa exprimere.

Similiter fit execratorium quando dicitur, Diſpeream, vel pereã ſi non fecero hoc aut illud, aut ſi fecerim hoc vel illud.

Aliquando autem vindictam illam quaſi imprecamur noſtræ perſonæ, aliquando alteri nobis coniunctæ: priori modo videtur iurare Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. *Teſtem inuoco Deum in animam meam*: Poſteriori modo autem Ioſeph Geneſeos 42. quando dicit: *Per ſalutem Pharaonis, proditores eſtis*: quamuis etiam hoc accipi poſſit per modum ſimplicis conteſtationis, vt docet D. Thom. art. 6. citato, quaſi conteſtando ſcilicet veritatem diuinæ iuſtitiæ, inquit, ad cuius executionem Principes terræ conſtituuntur.

DVBIVM IV.

De diuiſione iuramenti in ſolemne, & in non ſolemne, & in illud quod expreſſè fit per Deum, & in illud quod tantùm implicitè.

ALio modo iuramentum diuiditur in ſolemne, & in non ſolemne ſiue ſimplex: prius dicitur quod fit ſuper re aliquâ ſacrâ, vel cum publicâ quadam celebritate: vt quando iuratur tangendo Euangelium, Sanctam Crucem, aut Reliquias, vel coram Notario & teſtibus, vt ſumi poteſt ex Clementina vnica, De iure iurando, & ex Capitulo vltimo, De iuramento calumniæ. Non ſolemne autem dicitur quod fit communibus verbis abſque religioſa aliqua circumſtantia aut alia publica accedente. Ita Bonacina ſup. puncto 2. cum Suarez cap. 12. & alijs DD. antè citatis. 16

Solemne autem aliud eſt iudiciale, vt quod fit coram iudice in proceſſibus: aliud extraiudiciale, vt quod fit coram ſuperiore ſine reſpectu ad lites.

Rurſus iudiciale, aliud eſt iuramentum calumniæ, quando iurat pars quod bonâ fide, non autem intentione calumniandi aut diuexandi moueat litem: quodque bonâ fide eam proſequatur: aliud dicitur iuramentum in litem, quando ſcilicet ſuper ipſâ re controuerſâ præteſtatur iuramentum.

Quod iterum duplex eſt, aliud enim eſt neceſſarium, quod ſcilicet Iudex defert ad terminandam litem, & non poteſt à parte recuſari abſque cauſa: alterum non neceſſarium, quod ſcilicet pars defert parti, & recuſari poteſt: adeoque dicitur non neceſſarium, vt patet Capitulo vltimo, De iureiurando, imò actor nihil probans non poteſt onerare reum delato iuramento, quandoquidem etiam abſque illo reus ſit abſoluendus, actore non probante.

Tertiò diuiditur iuramentum in illud quod expreſſè fit per Deum, & in illud quod tantum implicitè ſub inuocatione eius fit, vt quando iuratur aliquando per aliquas creatu- 17

firmatione alicuius veritatis, non in firmandâ aliquâ promiſſione: neque etiam ad primum, quandoquidem D. Thom. materiam iuramenti aſſertorij aſſignat veritatem de præterito aut de præſenti.

Reſpondetur breuiter, dicendum eſſe iuramentum illud comprehendi ſub ſecundo membro: hoc enim doctrinæ D. Thomæ maximè eſt conſentaneum iuxta modum, quo ille membra hæc diſtinguit: neque refert quod non cadat in promiſſionem propriè dictam, inprimis quia non ſemper nominis ratio adæquatè concurrit cum ipſa re: quamuis igitur inde nomen ſortiatur ſecundum membrum, quia iuramentum de re futurâ ſolet frequentius cadere in promiſſionem, non tamen quando de futuro eſt, ſe cludendum erit ab hoc membro, licet hæc nominis ratio minus illi conueniat.

Deinde reſponderi quoque poterit, iuramentum de futuro dici promiſſorium quaſi analogicè, quia ſcilicet inducit ſemper aliquam obligationem pro futuro, ſicuti promiſſio, ſcilicet ad faciendum verum, quod dictum eſt, ſiue vt res ſuo tempore reſpondeat ſermoni aſſerto, idque ex virtute religionis ob reuerentiam diuini nominis quod adductum eſt in teſtimonium, ideoq; etiam iuramentum dici promiſſorium: non autem ideo præciſè quod ſemper cadat in promiſſionem propriè dictam, eamque confirmet ſiue ad eius impletionem obliget.

Addunt autem aliqui ad diuiſionem præmiſſam tertium membrum, videlicet iuramentum comminatorium, ſed hoc rectè ad promiſſorium reuocari poteſt: eſt namque illud quo alteri minamur pœnas, quo proinde intendimus nos aliquo modo obligare, quamuis non illi cui pœnas minamur, ſed abſolutè ad pœnas infligendas, vt videlicet conſtricti reuerentiâ iuramenti, non audeamus remittere vel negligere pœnas comminatas.

DVBIVM III.

Qualis hæc ſit iuramenti diuiſio, vtrùm ſit generis in ſpecies, ſic vt aſſertorium & promiſſorium ſint quaſi differentiæ eſſentiales cōſtituentes membra hæc in diuerſa formali ratione iuramenti?

11 Reſpondetur cum Caietano, quæſt. 89. art. 1. membra diuiſionis huius tantum accidentaliter & materialiter inter ſe differre: quam ſententiam ſequuntur Arragonius eodem loco, Soto ſuprà, à Valentia, Bonac. ſup. puncto 2. n. 2. Couarruuias ad Capitulum Quamuis, De pactis in principio n. 3. & alij.

Probari autem poteſt, quia in iuramento vtriuſque membri adducitur Deus vt teſtis veritatis, atqui iuramentum inde accipit ſpeciem formalem: quòd autem res iurata ſit hæc vel illa, talis aut talis, v. g. quod res iurata ſit ad fidem vel ad religionem pertinens, vel quod concernat res politicas aut ciuiles, eſt tantum materiale & accidentarium: neque eſſentialiter diuerſificat iuramentum.

Confirmatur Primò, nam iuramentum aſſertorium de re præterita, & aſſertorium de præſenti eiuſdem ſunt rationis formalis, quamuis ipſæ veritates materiales diſtinguantur ſecundum præteritum & præſens, ergò ſimiliter iuramentum aſſertionis de re futurâ differt tantùm materialiter ab iſtis aſſertorijs de præterito & præſenti.

Probatur conſequentia tum à paritate rationis, tum etiam quia tota ratio obligationis remanentis ex iuramento promiſſorio, inde pendet quia iurans debet verum reddere quod aſſeruit ſub iuramento ſe facturum, ne Deus fuerit adhibitus teſtis falſitatis, vt ſatis manifeſtè conſtat ex D. Thoma quæſt. 89. citata art. 7. & 8.

Vndè conſequens eſt, quod inuocetur Deus in iuramento promiſſorio ſub eadem formali ratione, quâ in aſſertorijs ſimplicibus, ſcilicet tanquam prima veritas quæ nec falli nec fallere poteſt, & vt teſtis veritatis eius quod dicitur; quare hæc tantum videtur intercedere differentia, quòd dum fit iuramentum aſſertorium, tunc veritas quæ aſſeritur, ſit conſummata per conformitatem dicti ad ipſam rem: in iuramento autem promiſſorio veritas ſpectatur quaſi cōſummanda per conformationem rei poſtea ſubſecuturæ ad ipſam aſſertionem factam: quod diſcrimen videtur omnino accidentarium & materiale ad iuramentum. 12

Confirmatur Secundò, quia periurium contra iuramentum aſſertorium, & periurium contra promiſſorium videntur ab omnibus haberi paſſim eiuſdem ſpeciei, ergò & ipſa iuramenta eſſentialiter non differunt.

Suarez itaque tomo 2. libro 1. De iuramento cap. 9. propter iſta & ſimilia dicit hanc ſententiam eſſe valdè probabilem, nihilominùs videtur ipſe inclinari magis in oppoſitam, quod ſcilicet membra diuiſionis illius diſtinguantur in formali ratione iuramenti & diuini cultus: quod ſic explicat, quia in illis iuramentis fit inuocatio diuini nominis ſub diuerſa ratione formali; idque ſic oſtendere conatur, quia in iuramento aſſertorio inuocatur Deus tantùm vt teſtis veritatis; 13

Digitized by Google

veritatis; in promiſſorio autem vt tale eſt, inquit, inuocatur vt fideiuſſor promiſſionis ſeu verbi dati, quæ rationes formales ſunt multùm diuerſæ, & obligationes morales diuerſarum rationum inducunt, ergò & iuramenta dicenda ſunt formaliter & eſſentialiter diuerſa.

Verùm quemadmodum illa ab eo aſſumuntur, ita facilè negari poſſunt, idque non ſine fundamento rationis & auctoritatis: nam iuramentum deſcribi ſolet, inuocatio diuini nominis, non quocumque modo aut ratione, ſed inuocatio diuini teſtimonij, & proinde Dei tanquam teſtis, non vt fideiuſſoris.

14 Hinc D. Thom. quando de obligatione remanente ex iuramento tractat, non refert eam in hoc quod iurans Deum conſtituerit fideiuſſorem ſuæ promiſſionis, ſed quia tenetur, inquit, art. 7. citato, vt faciat verum eſſe id quod iurauit, & art. 8. vbi diſtinctionem inter obligationem ex voto, & inter obligationem ex iuramento promiſſorio ponit, ita loquitur: Obligatio autem iuramenti cauſatur ex reuerentia quam debemus Deo, ex qua tenemur quòd verificemus id quod per nomen eius promittimus: & ſic quoque alij rationem iuramenti promiſſorij, eiuſque relictam obligationem videntur intellexiſſe.

Quare verior & præferenda apparet doctrina Caietani: videtur autem Suarez ſtudiosè quæſiuiſſe illas diuerſas formalitates iuramenti in membris dictæ diuiſionis, ad hoc vt poſſit inde ſtatuere fundamentum aliquod opinionis illius, quæ aſſerit iuramenti promiſſorij violationem aliquando eſſe venialem ex leuitate materiæ promiſſæ, quæ opinio ſatis illi placet: quamuis rationes aliorum non approbet, nec illi ſatisfaciant: ſed eâ de re poſteà agendum erit.

15 Cæterùm vtrumque iuramentum de quo iam egimus, aliquando poteſt eſſe ſimul execratorium, vt indicat D. Thom. qu. 89. art. 6. tale ſcilicet vt Deus non tantum in teſtem, ſed vocetur ſimul in vindicem, vt puniat ſi iurans fallat, vt quando dicitur; Ita me Deus amet, ita me adiuuet, ita mihi ſit propitius: iſtis enim dictis non tantum volumus Deum nobis propitium noſque amare ſi verum dicamus, ſed etiam nos perdere ſi falſum iuremus: ſumuntur enim eiuſmodi verba quaſi per antiphraſin, ſicuti quando vxor Iob dicebat illi, *Benedic Deo* (id eſt maledic) *& morere*: quia mens quodammodo horret in proprietate verborum illa exprimere.

Similiter fit execratorium quando dicitur, Diſperceam, vel pereã ſi non fecero hoc aut illud, aut ſi fecerim hoc vel illud.

Aliquando autem vindictam illam quaſi imprecamur noſtræ perſonæ, aliquando alteri nobis coniunctæ: priori modo videtur iurare Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. *Teſtem inuoco Deum in animam meam*: Poſteriori modo autem Ioſeph Geneſeos 42. quando dicit: *Per ſalutem Pharaonis, proditores eſtis*: quamuis etiam hoc accipi poſſit per modum ſimplicis conteſtationis, vt docet D. Thom. art. 6. citato, quaſi conteſtando ſcilicet veritatem diuinæ iuſtitiæ, inquit, ad cuius executionem Principes terræ conſtituuntur.

DVBIVM IV.

De diuiſione iuramenti in ſolemne, & in non ſolemne, & in illud quod expreſſè fit per Deum, & in illud quod tantùm implicitè.

Alio modo iuramentum diuiditur in ſolemne, & in non ſolemne ſiue ſimplex: prius dicitur quod fit ſuper re aliquâ ſacrâ, vel cum publicâ quadam celebritate: vt quando iuratur tangendo Euangelium, Sanctam Crucem, aut Reliquias, vel coram Notario & teſtibus, vt ſumi poteſt ex Clementina vnica, De iure iurando, & ex Capitulo vltimo, De iuramento calumniæ. Non ſolemne autem dicitur quod fit communibus verbis abſque religioſa aliqua circumſtantia aut alia publica accedente. Ita Bonacina ſup. puncto 2. cum Suarez cap. 12. & alijs DD. antè citatis. 16

Solemne autem aliud eſt iudiciale, vt quod fit coram iudice in proceſſibus: aliud extraiudiciale, vt quod fit coram ſuperiore ſine reſpectu ad lites.

Rurſus iudiciale, aliud eſt iuramentum calumniæ, quando iurat pars quod bonâ fide, non autem intentione calumniandi aut diuexandi moueat litem: quodque bonâ fide eam proſequatur: aliud dicitur iuramentum in litem, quando ſcilicet ſuper ipſâ re controuerſâ præteſtatur iuramentum.

Quod iterum duplex eſt, aliud enim eſt neceſſarium, quod ſcilicet Iudex defert ad terminandam litem, & non poteſt à parte recuſari abſque cauſa: alterum non neceſſarium, quod ſcilicet pars defert parti, & recuſari poteſt: adeoque dicitur non neceſſarium, vt patet Capitulo vltimo, De iureiurando, imò actor nihil probans non poteſt onerare reum delato iuramento, quandoquidem etiam abſque illo reus ſit abſoluendus, actore non probante.

Tertiò diuiditur iuramentum in illud quod expreſſè fit per Deum, & in illud quod tantum implicitè ſub inuocatione eius fit, vt quando iuratur aliquando per aliquas creatu- 17

Digitized by Google

creaturas, vt per cœlum, quatenus thronus Dei eſt, aut per terram vt ſcabellum pedum eius.

Pro pleniori autem intelligentiâ huius obſeruandum eſt, creaturam pluribus modis poſſe conſiderari:

Primò quidem nudè ſecundum ſe tantum, & ſic per eam non poteſt fieri iuramentum verum in ratione iuramenti & propriè dictum, vtpote, in quo prima & infallibilis veritas non vocatur in teſtimonium.

Secundò autem poteſt conſiderari vt in ea elucet & quaſi reſidet diuinum Numen, & ſic contingit per creaturam propriè præſtari iuramentum: tunc enim non ipſa creatura adhibetur in teſtem, ſed ille qui eam ſuſtinet, & in ea præſidet. Ita tradit D. Thom. quæſt. 89. citatâ, artic. 6. Sicut iuramus per Euangelium, inquit, id eſt, per Deum cuius veritas in Euangelio manifeſtatur, & per Sanctos qui hanc veritatem crediderunt & obſeruarunt.

Tertiò poteſt ſpectari creatura aliqua, vt eſt ad nos quid pertinens, & ſic per illam fit iuramentum execratorium de quo iam antè egimus, vt dum iurat quis in animam ſuam, per ſalutem aut vitam parentis, aut filij.

Quartò conſideratur, vt falsò exiſtimatur habere aliquam diuinitatem, quemadmodum gentiles iurant per ſua idola, & huiuſmodi iuramentum ad idololatriam pertinet: veram autem iuramenti rationem nō habet, niſi putatitiè apud illos qui exiſtimant idolis ineſſe diuinitatem, vt antè diximus.

DVBIVM V.

Vtrùm iuramentum ſit licitum?

18 MVlti hæretici olim docuerunt iuramentum eſſe illicitum: ſimiliter hiſce ſęculis tenent Anabaptiſtę, iuramētum tempore noui Teſtamenti adeò non licere, vt potiùs ſit moriendum quàm iurandum, etiam id Magiſtratu exigente, quamuis tempore veteris teſtamenti permiſſum dicant fuiſſe, ſicuti libellus repudij. Contrà quos

RESPONDEO & DICO Primò: Fide tenendum eſt, iuramentum neque antiquis temporibus fuiſſe, nec modò eſſe ſimpliciter illicitum.

Probatur Primò ex Scripturis illis, vbi Deus ipſe legitur iuraſſe, vt Geneſ. cap. 22. Pſalm. 109. & 131. Sapientiæ cap. 12. Iſaiæ cap. 45. Ieremiæ 44. & Ezechielis 16. Lucæ cap. 1. & ad Hebræos cap. 6. Et ne quis forſitan dicat Deum poſſe ſeipſum & ſuam veritatem infallibilem interponere ad confirmanda ſua dicta & promiſſa, non autem idcirco conſequens eſſe, hoc licitum eſſe quoque hominibus à Deo.

Probatur Secundò exemplis Sanctorum, qui in Scripturis ſimiliter leguntur iuraſſe: Geneſ. cap. 21. dicit Abraham, *Ego iurabo,* quando inibat fœdus cum Abimelech, vnde certum eſt quòd fœdus iuramento firmauerit: & cap. 24. exigit ipſe iuramentum à ſeruo ſuo, fidelis à fideli, & hic iurauit illi ſuper ſermone hoc: quod non feciſſet vir tantus ſi iuramentum eſſet illicitum: Iacob etiam Geneſ. cap. 31. refertur iuraſſe, & c. 25. exigit iuramentum ab Eſau fratre ſuo, & cap. 47. ſimiliter exigit à Ioſeph filio ſuo: Moyſes cap. 4. Deuteronomij, *Teſtes inuoco,* inquit, *cælum & terram* &c. Dauid ſæpius iurauit: *Viuit Dominus*, id eſt, per Deum viuentem, & Deuteronomij cap. 6. dicitur, *Dominum tuum timebis & per nomen eius iurabis.* Iſaiæ autem cap. 19. 45. & 65. prædicitur, quod fideles noui teſtamenti iurabunt Domino, & per Dominum exercituum; *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua,* dicitur citato cap. 45. hinc & Apoſtolus legitur ſæpius iuraſſe, vt ad Rom. cap. 1. & 9. item 2. ad Corinth. 1. ad Philipp. cap. 1. & 1. ad Thim. c. 5. & ad Galatas cap. 1. Leguntur & Angeli in Apocalypſi iuraſſe; ergò &c.

Probatur Tertiò ex Patribus & Conci- 19
lijs: D. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 23. Verum iurare, inquit, nullum peccatum eſt. Idem docet alijs locis, vt ſermone 38. De verbis Apoſtoli: libro De mendacio cap. 15. In expoſitione Epiſtolæ ad Galatas ad illa verba, *Ecce coram Deo, quia non mentior;* & Epiſtola 145. ad Publicolam. Iſydorus lib. 2. Sententiarum, cap. 31. Non eſt contra Dei præceptum, inquit, iurare; & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Si qui ex eis iuramenti religionem, obſtinatione damnabili, reſpuentes, iurare forte noluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputantur. Vide plura huc ſpectantia, cauſa 22. qu. 1. capitulo 2. & diuerſis alijs ibidem: & in Concilio Toletano 8. cap. 2. Idem confirmat praxis Eccleſiæ, nam ſæpius Eccleſiæ auctoritate exiguntur iuramenta, vt in Iudicijs prout conſtat ex tit. De hæreticis, & ex Concilio Epheſino 1. & ex vſu ſanctæ inquiſitionis. Item interdum ad ſe purgandum à criminibus, vt conſtat ex titulo De purgatione Canonica. Denique exiguntūr iuramenta ad confirmanda fœdera & contractus, & ad ſimiles honeſtas cauſas.

Probatur tandem ratione D. Thomæ, 20
quam quæſt. citatâ art. 2. deſumit ex origine & ex fine iuramenti: ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem & prouidentiam: ex fine autem, quia iuramētum inducitur ad iuſtificandum, inquit, homines (id eſt, ad declaran-

Digitized by Google

declarandum eos iuſtè & veraciter agere) & ad finiendum controuerſias, vt conſtat ex cap.6.ad Heb. quandoquidem igitur ex origine & fine bonum ſit, non debet cenſeri eſſe illicitum.

Sed contra opponuntur aliqua Scripturæ loca, vbi Chriſtus videtur iuramentum prohibuiſſe, ac declaraſſe illicitum, vt Matth. cap. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis* (inquit Chriſtus) *non periurabis: reddes autē Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis, non iurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius* &c. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Idem ſignificare videtur apud eundem Euangeliſtam cap. 23. D. Iacobus quoque cap. 5. epiſtolæ ſuæ ita ſcribit: *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: ſit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non.* Ex quibus Iacobi verbis ſatis intelligi poteſt, non rectè explicari verba Chriſti apud Matth. quaſi Chriſtus tantum prohiberet iurare per creaturas, quandoquidem ipſe hic addat, *Neque aliud quodcumque iuramentum*; ergò &c.

Pro horum locorum explicatione obſeruandum eſt, Iudæos ex malo intellectu legis, Leuiticorum cap. 19. præſcriptę, *Non periurabis in nomine meo*, duobus laboraſſe noxijs erroribus circa iuramentum.

21 Vnus error fuit, quod exiſtimarent iuramentū per creaturas nō eſſet verè iuramentum, & proinde etiamſi falſum iurarent per illas, quod non cōmitterent periurium, neq; in eo contineretur ſpecialis malitia; niſi tamen quis iuraret in auro templi, vel in donis quæ ponuntur ſuper altare: quæ, ſuggerente ipſorum cupiditate & auaritiâ, excipiebant tanquam ſacratiora, vt ſic prouocarent magis homines ad liberaliores oblationes: quemadmodum & docebant potius dona & ſacrificia offerenda, quàm ſubueniendum parentibus egentibus. Colliguntur iſta euidenter ex verbis Chriſti, Matth. cap. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: quicumque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debet:* &c. *& quicumque iurauerit in altari, nihil eſt; quicunque iurauerit in dono quod eſt ſuper illud, debet.*

Alter error fuit, quod exiſtimarent iuramentum ſub expreſſa inuocatione diuini nominis, dummodo verum diceretur, ſemper licitè, imò & religioſè adhiberi, & proinde eſſe frequentandum tanquam aliquid per ſe pertinens ad cultum Dei, vt tradit Abulenſis ad cap. 6. & cap. 16. Deuteronomij: quem errorem hauſiſſe potuerint, tum ex lege allegatâ, tum ex verbis illis Deuteronomij cap. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Et hinc in ſecundo præcepto Decalogi, *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum*, intelligebant prohiberi ſolum iuramentum falſum, cum tamen non prohibeatur illud ſolum, ſed etiam omne quod fit abſque iuſtitia & iudicio, vt mox dicemus.

His præmiſſis ad obiectionem reſpondetur, Chriſtum Matthæi cap. 5. voluiſſe 22 vtrumque hunc errorem corrigere: & è contra docere, quòd iuramentum inprimis etiam per creaturas debitè factum, ſit verum & propriè dictum iuramentum, & proinde oporteat hoc quoque reddere Deo, non autem illud tantùm quod ſub expreſſo nomine Dei fit; nam & alterum quoque implicitè per Deum fit, vt oſtendit Chriſtus apud Matthæum cap. 23. *Qui ergo iurat in altari*, inquit, *iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt: & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo; & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper eum.* Vnde qui non reddunt hoc iuramentum Domino, efficiuntur etiam rei periurij. Deinde docet, quòd non ſit quoque iuramentum ſub nomine Dei frequentandum, aut adhibendum, quotieſcumque verum dicitur: quia loco reuerentiæ quæ Deo tribuitur quando ex neceſſitate iuramentum adhibetur, irrogatur ei irreuerentia, quando temerè & ſine iuſta cauſa, in teſtem adducitur tanta majeſtas.

Quod & ex humanis rebus poteſt facilè intelligi; quemadmodum enim honor cenſetur deferri Principi, aut Prælato ſi in magnis & grauioribus negotijs rogentur in teſtem, eo quòd v.g. teſtimonium eorū habeatur tanto loco, vt vnicum illud ſufficiat, vbi alioquin pluribus teſtibus foret opus qui habèri non poſſunt, ita etiam è contra ſi promiſcuè ad quæuis, & ſine graui cauſa in teſtem aduocentur, exiſtimabunt irreuerenter ſecum agi.

Poſtquàm itaque Chriſtus Phariſæis dixerat; *Iterùm audiſtis, quia dictum eſt antiquis:* 23 *non periurabis: reddes autē Domino iuramenta tua:* quæ ipſi erroneè modis iam dictis intellegebant & interpretabantur, addit: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino:* ſcilicet neque per creaturas falſum, neque etiā verum promiſcuè, & ſine graui cauſa per Deum: quia nimirum & verè fit iuramentū per creaturas, & periurium committitur, quando per eas falſum iuratur: & quia nomen Domini in vanum etiam aſſumitur, quod ſecundo præcepto prohibetur, quando per Deum ſine neceſſitate, verum iuratur.

Tradit igitur Chriſtus veram doctrinam & intelligentiam præceptorum Dei, contra Phariſæorum errores, vt colligitur ex Diuo Auguſt. locis ſuprà citatis, non autem prohibet omne iuramentum quando legitimè & ex iuſta cauſa præſtatur.

Cæterùm,

Digitized by Google

24 Cæterùm, quia non tantum aſſumitur nomen Domini in vanum, quando ſine cauſa iuratur, ſed etiam per frequentationem iuramenti, incurritur periculum cadendi ſæpius in periurium, vt tradit D. Auguſt. lib. De mendacio cap. 15. hinc ſimul voluit Chriſtus fideles admonitos, vt abſtineant ab omni iuramento, quantum in ipſis eſt, vt loquitur Auguſt. loco cit. etiam quando iuſta aliqua cauſa ſubeſt, modò quis ad illud non ita neceſſitetur, vt abſque peccato non poſſit prætermittere, vt ſignificauit D. Bernardus, Sermone 65. in Cantica. Vnde cauſa 22. quæſt. 1. capitulo 3. refertur ex D. Auguſtino, in nouo Teſtamento dictum eſt, ne omninò iuremus, quòd mihi quidem propterea dictum eſſe videtur, non quia iurare peccatum eſt, ſed quia peierare immane peccatum eſt, à quo longè nos eſſe voluit: qui omninò ne iuremus commonuit: quia itaque verba ſimul generalem hanc admonitionem continent, ideò ſimpliciter locutus eſt Chriſtus, non addendo exceptionem, quæ etiam ex natura ipſius præcepti erat ſatis nota, & ex ſe quaſi præſuppoſita, vt aduertit Soto, (inquit Suarez) ſuprà tom. 2. lib. 1. De iuramento cap. 2. n. 20.

Vnde hæc doctrina Chriſti quaſi coincidit cum admonitione, quam facit Sapiens cap. 23. Eccleſiaſtici: *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*: & infrà ibidem; *Vir multum iurans replebitur iniquitate*. Hinc addit Chriſtus; *Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt: non, non*: id eſt, ſit veritatis ſimplex affirmatio, & falſitatis ſimplex negatio: *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*: circa quæ verba rectè aduertit D. Auguſt. lib. 1. De ſermone Domini in monte cap. 17. non dixiſſe Chriſtum, quod his abundantius eſt, malum eſt: ſed à malo, quia ſcilicet etiam quando legitimè præſtatur iuramentum, hoc ipſum procedit ex malo quodam, ſcilicet ex aliorum incredulitate nimiâ, vel ſi ex iuſta, hæc tamen quodammodò in malo fundatur, ſcilicet in aliorum fallendi conſuetudine.

Eodem ſenſu quo Chriſtus locutus eſt, ſunt etiam accipienda & explicanda verba Iacobi Apoſtoli, & ſententiæ quorundam antiquorum Patrum, quibus ſignificare videntur iuramentum omninò eſſe prohibitum, qui loquuntur aliquando vehementius per formam dehortationis ad eradicandam peſſimam iurandi conſuetudinem, quam vt his temporibus, ſic & olim plurimi ſolent aſſumere, & ſibi facere familiarem in omni ſermone.

DVBIVM VI.

Quæ requirantur, vt iuramentum licitè fiat?

Reſpondetur: vt iuramentum ſit licitum & honeſtum, tres requiruntur conditiones ſeu qualitates, ſcilicet veritas, iuſtitia, & iudicium: quæ communiter dici ſolent tres iuramenti comites. Ita docet D. Thom. quæſt. citatâ art. 3. Magiſter & Scholaſtici in 3. diſt. 39. paſſim Theologi omnes: & Canoniſtæ ad Capit. Animaduertendum, cauſa 22. quæſt. 2. 25

Probatur ex illo Ieremiæ cap. 4. *Iurabis in veritate, iuſtitiâ & iudicio*: ad quæ verba ſcribit D. Hieronymus in commentario loci animaduertendum, inquit, quod iuramentum habeat hos comites, veritatem, iuſtitiam, & iudicium.

Iuramentum autem fit in veritate, quando id quod aſſeritur ita ſe habet, prout aſſeritur, & iurans firmiter quoque iudicat ſic ſe habere. Quòd hæc qualitas neceſſaria ſit ad iuramenti honeſtatem lumine naturali ſatis eſt euidens: nam inprimis iuramenti finis eſt confirmatio veritatis, vt antè diximus, & ſumitur ex Apoſtolo ad Hebræos 6. ergò defectus veritatis directiſſimè contrarius eſt fini iuramenti, atque adeò eneruat ac deſtruit auctoritatem illius, & per conſequens tollit quoque eius honeſtatem. Deinde per iuramentum adducitur Deus tanquam prima veritas in teſtem, atqui euidenter contra rectam rationem eſt adducere primam veritatem ad teſtificandum falſum: hoc enim iniurioſum illi eſt, & contumelioſum: & ideo Scriptura damnat maximè illos qui mendaciter iurant, vt Leuiticorum cap. 19. & Zachariæ cap. 5.

Addidi, Et iurans firmiter quoque iudicat rem ſic ſe habere: quia tametſi res vera eſſet, ſi iurans tamen exiſtimaret aliter ſe habere quàm iuraret, aut dubitaret an aliter ſe haberet, non cenſeretur iurare in veritate; quin potius periurium committeret, & mortaliter peccaret. Ita Bonac. ſuprà quæſt. 1. puncto 3. num. 6. cum alijs quos citat, quia quantum in ipſo eſt, facit Deum teſtem falſi, & mendaciter iurat: aut ſi dubitet tantùm, exponit ſe periculo id faciendi, & talem irreuerentiam irrogandi primæ veritati. 26

Si quis autem iuraret non verum, & exiſtimaret tamen verum eſſe, non cenſebitur periurus, neque crimen irreligioſitatis incurrere, ſi tamen non leuiter, ſed graui aliquo argumento inductus exiſtimet ita rem ſeſe habere, ſic etiam non eſt periurus qui rem dubiam iurat tanquam dubiam, vt ſi dicat, puto vel ſuſpicor ſic eſſe, addito iuramento; ita etiam Bonac.

In iu-

27 In iuſtitia iurat, qui iurat illud quod honeſtum eſt,& licitum: ſine iuſtitia autem qui iurat aliquid, quod virtuti repugnat.

Hic igitur iuſtitiæ nomine intelligi debet non tantum iuſtitia ſpecialiter dicta, ſed quæ generalis eſt virtus, ſic vt dicere hic materiam iuramenti debere eſſe iuſtâ, ſit idem ac dicere eam debere eſſe honeſtam. Ita Suarez lib. 1. De iuram. cap. 3.

Contra hanc conditionem peccauit Hærodes, quando cum iureiurando promiſit puellæ ſaltatrici ſe daturum illi, quidquid peteret extendendo illud etiam vſque ad caput Ioannis Baptiſtæ.

Requiritur itaque hęc cõditio euidenter, inprimis in iuramento promiſſorio, ac comminatorio, quod & ex eo conſtat, quia niſi materia ſit honeſta iuramentum nõ obligat: vnde conuincitur illud malè factum.

An verò requiratur etiam, vel locum habeat in iuramento purè aſſertorio? poteſt dubitari: videtur enim quod non, quia tametſi facere mala ſit turpe & inhoneſtum, tamen illa cognoſcere, non eſt turpe, ergò neque turpe eſt ſimpliciter loquendo illa referre, & teſtificari etiam cum iuramento, quando ſubeſt iuſta cauſa. Cõfirmatur, quia teſtes qui de adulterio vel de homicidio teſtificantur licitè iurant, quamuis teſtimonium præbeant de re turpi; ergò &c.

28 Nihilominùs, eo non obſtante, dicendum eſt, conditionem hanc etiam in aſſertorio locum habere & requiri: quod ſic declaratur, quia non ſatis eſt quod aſſertio ſit vera, vt poſſit iuramento licitè confirmari, ſed neceſſum eſt, quòd etiam ipſa non ſit contra bonos mores: nam ſi quis indebitè occultum crimen proximi, alijs referat, & ſuum dictum iuramento confirmat, abutitur ille iuramento, non quidem quia res narrata (quam vocat Suarez lib. 1. De iuramento cap. 3. materiam remotam huiuſmodi iuramenti) ſit turpis, quod probat ratio adducta, ſed quia ipſa reuelatio ſeu narratio illa (quam idem auctor vocat materiam iuramenti proximam) ſit illicita & contra bonos mores: quod autem hic abutatur iuramento inde euadit manifeſtum, quia talis non tantum per detractionem peccat diminuendo famam alterius, ſed addendo iuramentum, peccat quoque contra religionem: eſt enim contra reuerentiam Deo debitam, vocare illum in teſtem narrationis eiuſmodi quæ peccaminoſa eſt, & illicitè ſit, quamuis ſit vera.

Ex his patet reſponſio ad rationem dubitandi propoſitam, ſcilicet quod tantùm probet ad honeſtatem iuramenti aſſertorij non eſſe neceſſariam honeſtatem in materia eius remota, non autem quod non requiratur in materia proxima, ſiue in ipſa aſſertione ſic vt ipſa non poſſit eſſe illicita.

In iudicio denique iurat, qui non leuiter, ſed prudenti conſideratione præhabitâ, iurat: quæ iudicij conſideratio potiſſimùm verſatur circa neceſſitatem vel grauitatem cauſæ iurandi: debet quidem iurans etiam attendere ad veritatem & honeſtatem; ſed illa iam præſupponuntur adeſſe tanquam primi comites. 29

Indicat autem D. Thomas quæſtione citatâ artic. 3. ad 2. pertinere quoque ad iudicium, vt iuramentum ex fide, ſcilicet diuinâ, fiat, quâ quis credat Deum cognoſcere omnem veritatem & intueri corda noſtra: & cum deuotione ſiue reuerentiâ diuini nominis.

Specialiter verò dicitur circa iuramentum requiri iudicium, & fortiùs hoc inculcatur (quamuis in omni actu virtutis debeat adhiberi) quia ſcilicet in iuramento magnum periculum eſt (inquit D. Thomas art. citato ad 3.) magni peccati, idque tum propter magnitudinem, & ſupremam Majeſtatem Dei, cuius teſtimonium inuocatur, tum etiam propter labilitatem, inquit, linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur.

Meritò autem debet prudenter attendi cauſa, quia ſi hæc non adſit ſufficiens, erit iuramentum vanum: & ſic contra reuerentiam Deo debitam, dum otioſis rebus confirmandis applicatur.

Vnde contra hanc conditionem ſæpiùs delinquunt emptores & venditores, ſicut & alij multi, qui ad omnem ſuum ſermonem ſolent adhibere iuramentum: contra quos vehementiùs agit D. Chryſoſtomus oſtendens quomodo ſeipſos dehonorent, & ſe fide indignos declarant, qui vt fidem ſibi concilient, ſemper iuramentum adijciunt.

Prædicti itaque comites ad iuramenti honeſtatem requiruntur, quia cum in iuramento tria ſolent concurrere, ſcilicet ipſe iurans, occaſio ſeu cauſa iurandi, & res quæ iuratur, hinc rectè exigitur diſcretio ex parte iurantis, ex parte autem rei iuratæ tum veritas, tum iuſtitia: ſub qua, & ſub iudicio, cauſa iurandi etiam cenſetur comprehendi, vt indicat D. Thom. art. 3. citato. 30

Dicet aliquis: non videntur conditiones ad honeſtatem iuramenti requiſitæ ſic ſufficienter enumerari, quia cum ad iuramentum etiam concurrat ille per quem iuratur, hinc ſit quod vna maximè requiſita ſit, vt fiat per Deum verum, qui hic prætermittitur.

Reſpondetur Negando Aſſumptum: inprimis quia dici poteſt, illam comprehendi ſub iudicio, vt indicat D. Thom. art. 3. ad 2. quando dicit fidem, deuotionem & alia huiuſmodi intelligi in iudicio. Deinde alia poteſt adhiberi reſponſio quæ plenius videtur difficultatem explicare, ſcil. quod conditio

Digitized by Google

illa non debeat cenſeri comes ſeu qualitas quæ comitari debeat iuramentum, ſed pertineat ad formam & ſubſtantiam iuramenti: qui enim iurat per falſos Deos, reuera non iurat, ſiue non præſtat iuramentum quod verè iuramentum eſt, ſed quod tantum putatiè iuramentum eſt, vt ſuprà dictum fuit.

Quando igitur iuramentum aſſociatum eſt prædictis comitibus, tunc licitè & honeſtè fit non tantum ſub expreſſa inuocatione diuini nominis, ſed etiam ſub implicitâ: quę fit mediante aſſumptione alicuius creaturæ. Quâ de re vide dicta dubio De diuiſione iuramenti in illud quod fit per Deum & quod dicitur fieri per creaturas, & D. Auguſt. Sermone 28. De verbis Apoſtoli cap. 6.

DVBIVM VII.

Vtrùm iuramentum promiſſorium obliget ſemper, & ad exequendum promiſſum?

31 OBſeruandum eſt Primò, promiſſionem aliquando habere adiunctam conditionem aliquam; aliquando autem eſſe abſolutam.

Obſeruandum Secundò, ipſum promiſſum aliquando eſſe honeſtum, aliquando turpe, & aliquando indifferens. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Quando promiſſio adiunctam habet cōditionem explicitam, vel etiam implicitam ex iuris diſpoſitione, aut ex communi hominum intellectu, tunc iuramentum illi additū cenſetur habere eandem conditionem, aut reſtrictionem: & proinde conditione non poſitâ, nō obligat iuramentum. Ita tradunt DD. communiter, quâ de re licet videre Couarr. in Capit. Quamuis pactum, p. 2. §. 4. circa initium, Suarez lib. 2. c. 33. Bonac. tom. 2. circa 2. præcep. Decal. diſp. 4. q. 1. puncto 16. n. 1. Et probatur, quia iuramentum ſequitur naturam actus in quem cadit: nam vt habet regula iuris in 6. Acceſſoriū ſequitur naturam principalis: iuramentū enim additur, non vt promiſſio aut contractus aliter accipiantur vel intelligantur, quàm ſonant, vel accipi ſolent; ſed vt eo modo intellectu cōfirmentur ac magis ratificentur, vt ab eis recedere nullo modo liceat.

Vnde conditiones expreſſas, vel de iure aut communi hominum ſenſu ſubintellectas non tollit: hinc qui iurauit puellæ ſe ducturum illam in vxorem, non obligabitur iuramento ſi contingeret eam cum alio fornicari, vel in morbum incurabilem incidere: quia eiuſmodi caſus intelliguntur in promiſſione excepti, & proinde quoque in iuramento. 32

Sic etiam qui iurauit alteri ſeruare ſecretum, non tenebitur iuramento ſi cedat in damnum Reipublicæ, vel proximi quod teneatur impedire: promiſſio enim & iuramētum intelliguntur, modò ſecretum poſſit ſilentio tegi, vel modò non noceat, vt habet Bonac. ſup. puncto 16. cum Azorio 1. parte lib. 11. c. 8. qu. 6. Syluest. V. Iuram. 4. q. 15. & alijs quos citat iuxta Capit. Sicut noſtris, De iureiurando.

Ita quoque ſi iurat quis quod non præcedet alterum ex reuerentia aliqua, non obligatur ſi alter cogat vel vrgeat eum præcedere: eſt enim promiſſio facta in fauorem alterius, & conſequenter etiam iuramentum: vnde ipſo renuntiante iuri ſuo, ceſſant obligare tum promiſſio, tum iuramentum, vel vt alij dicunt, quia eſt ſub tacita conditione, niſi me coëgeris aut vrſeris. Bonac. ſuprà, Suarez lib. 3. De iuramento, cap. 17. Clauis Regia lib. 5. Azorius lib. 11. cap. 4. quæſt. 4. & alij.

Rurſus ſi quis promittat aliquid abſenti cum iuramento, ſed nullus iuramentum & promiſſionem nomine alterius acceptat, non obligabitur iuramento; quia promiſſio tacitam habet conditionem ſubintellectam ſi ſcilicet alius acceptauerit eam, & proinde poterit eam reuocare quamdiu non fuerit acceptata. Ita Sanchez in ſumma, lib. 3. cap. 9. num. 10. Bonac. ſuprà: Leſſ. lib. 2. cap. 12. dub. 7. ſi tamen per iuramentum intenderet ſe firmare in promiſſione, non vt habet rationem promiſſionis, ſed quodammodo rationem propoſiti ſic faciendi, tunc ex iuramento tenebitur ſaltem alteri offerre.

Sic denique dicunt nonnulli ſi quis iurauerit ſeruare ſtatuta alicuius congregationis, Capituli hoc intelligi de ijs quæ ſunt in vigore non de illis quæ extra vſum ac de illis quæ maioris ſunt momenti, ſiue de illis quæ tanquam materia grauis ex vi iuramenti obſeruari ſolita ſunt: non enim cenſetur quis ſe velle iuramento adſtringere ad ſtatuta ſeruanda, niſi quæ ex communi intellectu cenſentur cadere ſub tale iuramentum, qualia non ſint ea quæ per non vſum abolita habentur, ſiue ea quæ minoris ſunt momenti, quorum tranſgreſſio ſolet eſſe procliuior & frequentior: Ita Bonac. ſuprà ſentit de iſto Iuramento cum alijs quos citat. Neque etiam exiſtimandum eſt, quod mens inſtituentis & exigentis iſta iuramenta fuerit alia: periculoſum enim nimis foret iuramentum exigere ſuper omnibus ſtatutis ſeruandis tam minoris quàm maioris momenti.

DICO Secundò: Quando executio promiſſi eſt peccatum ſiue mortale ſiue veniale, 33 iura-

iuramentum promiſſioni additum non obligat ad exequendũ promiſſum. Eſt communis & indubitata doctrina.

Probatur Primò: Nemo enim obligari poteſt ex virtute religionis, ſiue ex reuerentia diuini numinis ad peccandum, cum hoc implicet repugnantiam: quandoquidem omne peccatum ſit contra reuerentiam Deo debitam. Vnde qui iurauit ſe facturum id quod eſt contra Dei præceptum, & poſtea quaſi propter iuramenti religionem implet, ſuperaddit iniqui iuramenti peccato, aliud duplex peccatum, nempè quod implendo committit, & peccatũ ſuperſtitionis, quando veluti religioſus ſe obligatum exiſtimat ad malum implendum quod ſe facturum perperàm iurauit.

Probatur Secundò Ex diuerſis Canonibus, vt Cap. Quando, De iureiurando, vbi generaliter iuramentum illicitum (id eſt de re illicita) dicitur non eſſe obſeruandum: & ratio additur, quia iuramentum non fuit inſtitutum, vt eſſet vinculum iniquitatis: vnde habet regula iuris 5. & 8. in 6. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. Idem docetur per plura capitula, quæſtione 4. cauſa 22.

34 Sed contra opponi poteſt primò, Illud Leuiticorum cap. 5. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis vt vel malè quid faceret, vel benè, & id ipſum iuramento & ſermone firmauerit, oblitaq́, poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pænitentiam* &c. quo indicari videtur etiam delictum eſſe in eo, quando non ſeruatur iuramentum de malo aliquo præſtando.

Reſpondetur, ibi per malè quid facere, ſiue vt malè quid faceret, non intelligi delinquere aut peccatũ facere, ſed ſubire pœnam, ſiue inferre corporis afflictionem, v. g. per ieiunium, vel alia pœnalia opera: benè autem quid facere ſit opus aliud pietatis exercere. Ita D. Gregor. Caiet. & teſtatur Vatablus ſic Hebræos interpretari, vt Mald. refert Tractatu 10. cap. 6. dub. 3. alias expoſitiones loci videre licet apud commentatores illius textus.

Obijcitur Secundò: Loquuntur ſic iura vt dicant nõ eſſe obſeruanda iuramenta quæ vergunt in diſpendium ſalutis æternæ, vt Capitulum Si verò, & Cap. Contingat, De iureiurando: quo loquẽdi modo ſignificare videntur, reliqua eſſe ſeruanda, atqui peccatum veniale non vergit in interitum aut in diſpendium ſalutis æternæ, quia non excludit charitatem; ergò iuramentum de peccato veniali eſt ſeruandum.

Reſpondetur ad minorem propoſitionẽ, quidquid ſit de ipſo aſſumpto, quamuis peccatum veniale non excludat charitatem, nihilominùs rectè intelligitur vergere in diſpendium ſalutis æternæ, iuxta formam loquendi Canonum, quatenus de ſe diſponit ad mortale, redditque hominem indiſpoſitum ad perfectum Dei amorem, ac inſuper impedit conſecutionem vitæ æternæ quamdiu ipſum perdurat.

Obijcitur Tertiò: Cap. Cum quidam, §. Illi verò, De iureiurando dicitur, quod quidam erant abſoluendi ab obſeruantia cuiuſdam iuramenti illiciti, ac contra rectam rationem facti, vbi hoc ipſo quo dicuntur eſſe abſoluendi, indicatur vti apparet, iuramentũ illud obligationem induxiſſe, non obſtante quòd eſſet de re illicitâ, puta quod quis non loqueretur patri, aut matri, vel ſorori, aut fratri; neque eis humanitatis officium exhiberet, quæ ſunt contra pietatem in parentes, & contra charitatem; ergò &c. 35

Diuerſi diuerſimodè ad hoc Capit. Reſpondent, vt videre licet apud Suarez ſuprà lib. 2. De iuramento c. 15. Breuiter autem & appoſitè dici poteſt, verbum abſoluendi ibi non eſſe poſitum, vt importet abſolutionem diſſolutiuam vinculi, ſed vt ſignificet abſolutionem declaratoriam nullitatis vinculi, vt quod dicuntur eſſe abſoluendi ſit idem, ac ſi diceretur, quod ſint declarandi non ligati iuramento.

Neq; hæc loquendi forma in iure eſt inuſitata, vt conſtat ex Cap. Audiuimus, cauſa 24. q. 1. vbi hæc ſimul dicuntur: Excommunicatus te excommunicare non potuit, & te tuoſque abſoluendo, non curare monemus: vbi dum dicitur inprimis excommunicatus te excommunicare nõ potuit, & deinde additur, Et te tuoſque abſoluendo, &c. manifeſtum euadit per verbum abſoluendo, non ſignificari diſſolutionẽ vel ablationem vinculi excommunicationis, ſed tantum declarationẽ nullitatis excommunicationis: quod ibidem notauit Gloſſa, exponendo verbum illud Abſoluendo, vt idẽ ſit quòd abſolutos oſtendendo ſiue non ligatos declarando, vbi & alia iura refert, quæ ſimiliter loquuntur.

Indicant hanc expoſitionem Panormit. quando ad finem Cap. allegati ſic ſcribit, vel intellige de abſolutione facti, ne taliter iurans notetur de facto de tranſgreſſione iuramenti; vnde abſolutio de facto apud eum idem ferè eſt quod declaratio, vt habet Suarez loco citato n. 8.

Dico Tertiò: Iuramentum de non faciendo aliquo actu bono ſupererogationis, vt tale eſt, non inducit quoque obligationẽ. Dico de aliquo actu ſupererogationis, non autem de actu præcepto, quia cum huius omiſſio ſit peccatum, ſatis ex iam dictis conſtat iuramentum de tali omiſſione non obligare: ſed quando opus eſt quidem bonum, non tamen in præcepto, tunc omiſſio illius non eſt peccatũ: ſed quid quaſi indifferens: & ideo de hac magis poteſt dubitari, an iuramentũ de tali opere omittendo, non obliget: quandoquidem idem ſine peccato impleri poſſit. 36

 Nihil-

Digitized by Google

Nihilominùs concluſio poſita eſt communis, & ita expreſsè docet D. Thom. hîc quæſt. citatâ art. 7. ad 2. Caiet. ibidem cum alijs commentatoribus. Idem quoque tradit D. Thom. Quodlibeto 3. q. 5. art. 14. Abbas cum pluribus Canoniſtis ad Capit. Si verò, De iureiurando Archidiaconus ad Capitulum Si aliquid, cauſa 24. q. 4. Couar. ſuprà ad Cap. Quamuis pactum, p. 1. §. 6. n. 6. & 7. Suarez ſuprà cap. 17. n. 7.

37 Exempla ponit D. Th. art. 7. citato, vt ſi quis iuret ſe non intraturum religionem, aut quod non fiet Clericus, aut quod nõ accipiet prælationem, in caſu quo expedit ſuſcipere, & ſi quid ſit huiuſmodi, inquit.

Talia itaque etiam ſunt, ſi quis iuret, non facere eleemoſinam, niſi quando ſub peccato tenetur, non audire Sacrum diebus ferialibus, & ſimilia.

Ratio autem cõmunis reddi poteſt, quia talis promiſſio (eſto non ſit in ſe mala ſiue peccaminoſa) per ſe tamen nullam bonitatẽ adfert, & alioquin per ſe directè impedit maius bonum, vnde fit quod inidonea & incapax ſit, vt in eam cadat aliqua obligatio iuſta, multoque minus aliqua obligatio religioſa vt eſt iuramenti.

38 Declaratur amplius, & ſimul cõfirmatur; nam duobus modis intelligi poteſt per iuramentum impediri opus bonum; vno modo indirectè, quia ſcilicet non poteſt ſimul ſtare cũ alio opere bono promiſſo ſub iuramento, vt ſi quis iuret liberaliter dare Petro pecuniã quã habet, eo ipſo impeditur, ne poſſit ex illa facere eleemoſinam; alio autem modo poteſt omiſſio operis boni directè & per ſe intẽdi, vt fit quando directè iuratur ſola omiſſio.

Prior modus non habet per ſe deformitatem, quãdo actus directè intentus eſt honeſtus, & ideò iuramentum de tali actu, per ſe obligat ad opus de quo directè fit, & conſequẽter cõtingere poterit, quod obliget quaſi per accidens ad omiſſionem melioris actus.

At verò quando omiſſio boni actus directè & per ſe, ſola eſt intenta, tunc nullã habet rationem boni, ſed tantummodo eſt impeditiua maioris boni, vnde iuramentum in eam ſic cadens, habet quandam deformitatem, ratione cuius etiam poteſt dici ab initio vergere in peiorẽ exitum, vt indicat D. Th. art. 7. cit. ac in diſpendium animæ, & ideo obligationem nõ inducit: vt notauit Palud. in 4. diſt. 39. qu. 1. n. 29. & ſequitur Syl. V. Votum 1. quæſt. 4. non longè à fine.

39 Dico Quartò: Si iuramentum ſit de actu virtutis Deo promiſſo, ſequitur conditionẽ voti: vnde eo modo & ſenſu quibus ſuprà Cap. præcedenti dub. 10. diximus votum debere eſſe de meliori bono vt ſit validum, ita etiam huiuſmodi iuramentum oportet eſſe de meliori bono. Eſt cõmunis hæc doctrina vt refert Suarez ſup. cap. 12. n. 11. & fundari poteſt in generali illa regula, quòd iuramentum ſequatur naturã contractus, cui adiungitur: iuxta Cap. Quemadmodum, De iureiurando, & iuxta legem vlt. Cod. De non numeratâ pecuniâ: ſic enim iuramentum illi ſuperadditũ obligabit, ſicuti ipſa promiſſio.

Confirmatur, quia iuramentum quod fit ad confirmandam promiſſionem alteri factã non obligat quãdo promiſſio ab altero non acceptatur: imò etſi acceptata fuerit, ſi poſtea alter promiſſionem remittat, etiam iuramenti obligatio ceſſabit; quia ſicuti promiſſionis, ita & iuramẽti obligatio pendet ſemper ex voluntate eius cui eſt facta promiſſio, atqui promiſſio Deo facta nõ acceptatur ab illo, niſi ſit de meliori bono, iuxta modum & ſenſum quibus hoc ſuprà explicuimus: ergò etiam ipſum iuramentum ei additum non inducit obligationem.

Hinc inferunt DD. vlterius, quando purum votum (ſine iuramento ſcilicet factum) 40 poteſt licitè cõmutari in aliud opus melius, quod Deo ſcil. gratius eſt, hoc ipſum tunc quoque licitum eſſe, quamuis voto fuerit iuramentum adiectum. Indicat Bonac. ſup. puncto 17. n. 7. Suarez lib. 2. cap. 40. & alij. Probari poteſt ex eodem fundamento, quia obligatio iuramenti talis pendet ex obligatione ſatiſfaciendi voto, & ſolui poteſt per non acceptationem, aut per remiſſionem factam à Deo, cui fit votum: quando igitur Deus admittit opus voto puro promiſſum mutari in aliud, poterit tunc idem fieri etiãſi votum ſit iuratum, quia iuramentum additum tantùm ſeruit ad firmandum animum, vt voto ſatiſfiat; quãdo igitur per opus melius Deo ſatiſfit, tunc quoque iuramentum cenſebitur ſufficienter impleri

Dico Quintò: Iuramentum promiſſoriũ 41 cadens in promiſſionẽ homini factam, ſi poteſt honeſtè impleri, obligat ad ſui obſeruationem, nec poteſt in melius ſeu Deo gratius opus mutari cum nocumento promiſſarij, & ipſo inuito: niſi his quæ ad ſtatũ perfectionis pertinent, repugnet, aut illa impediat. Ita Suarez lib. 2. cap. 12. nu. 14. Bonac. ſuprà puncto 4. n. 2. §. Secundò limitandum eſt: & n. 3. cum alijs quos citat.

Probatur Primò inductione, quia ſi quis huic pauperi acceptanti cum iuramẽto promiſerit dare vnum aureum in eleemoſinam, non poteſt illum dare alteri pauperiori, neq; ſi cum iuramento promiſerit liberaliter dare decẽ aureos Petro, licebit ei conuertere illos in aliquod opus pium, etiãſi hoc opus per ſe ſpectatũ foret melius. Similiter ſi quis promiſit & iurauit ſeruire & miniſtrare alicui, non poteſt licitè illud prætermittere, vt ſeruiat ægrotis in hoſpitali, quamuis hoc eſſet melius opus & magis religioſum.

Ratio autem reddi poteſt, quia promiſſio homini facta obligat in conſcientia, vt ſit

contra

Digitized by Google

contra iuſtitiam, aut fidelitatem non implere illam, quando quis poteſt. Neque ob ſolum 4. titulum transferendi rem promiſſam in opus magis pium excuſatur quis in cõſcientia ab obſeruatione obligationis contractæ ex tali promiſſione, ergò etiam iuramentum ad eam accedens ſimiliter in ordine ſuo retinebit vim & obligationem ſuam. Hęc tamen intellige quando promiſſiones illæ fuerunt acceptatę ab eo cui factæ ſunt: quia pura vota ſic facta in fauoré alicuius particularis Eccleſiæ vel pauperis, poſſunt commutari ante acceptationem in opus melius, vt diximus c. 4. præced. dub. 20. n. 123. & 124. & proinde quoq; etſi fuerint iurata, vt ex antè dictis licet intelligere: quando ſcilicet iuramentum cecidit tantum in promiſſionem complendam, quando illa obligabit.

42 Addidi autem in concluſione, niſi his quę ad ſtatum perfectionis pertinent, repugnent &c. quia in promiſſione etiam homini facta de ijs, quæ directè & ex obiecto ſuo repugnant ſtatui perfectionis, ſemper ſubintelligitur huiuſmodi exceptio, niſi promittenté contingat velle amplecti ſtatum perfectionis: quod nimirùm impediri nõ debeat propter complendam promiſſionem quę homini fit, vt tradunt DD. communiter Bonac. & Suarez ſup. Nauar. c. 12. Azor. 1. p. lib. 9. c. 5. & alij. Et colligitur ex Capitulo Ex publica, De conuerſione coniugatorum: & ideò quando huiuſmodi promiſſio iuramento firmatur, etiam iuramentum ipſum ſortitur naturam illius, eandemque exceptionem inuoluit. Vnde tunc iuramentum non obligabit cum detrimento talis boni melioris: & de huiuſmodi meliori bono, loquuntur potiſſimum Doctores, quando ſubinde dicunt abſoluto ſermone, iuramentum promiſſorium non obligare cum detrimento boni altioris ordinis, vt ex Paludano in 4. diſt. 27. notauit Suarez ſupra lib. 4. cap. 12. num. 16.

Hinc ſponſalia etiam iurata non obſtant, quo minus quis poſſit licitè ingredi religionem.

Fundamentum huius deſumi poteſt ab excellentia & ſingulari fauore ſtatus religioſi, qui ex eo quod mancipet totaliter hominem Deo in perpetuum, non debet ſecundum æquitatem & rationem poſtponi, aut prætermitti propter temporalem aliquod commodum quod alteri quis promiſit eidem præſtandum.

Hinc enim factum eſt, vti apparet, quod ex communi ſenſu & exiſtimatione fidelium cenſeantur contrahentes in tali materiá habere in intentione eiuſmodi exceptionem, quando promiſſionem & iuramentum faciunt.

43 Secus eſt de alijs promiſſionibus ad commodum & vtilitatem proximi factis, quibus impediuntur tantùm aliquæ particulares actiones meliores, qui in ſimili vel in alia materia poſſunt æquiualenter præſtari, aut ſi materia non habeatur, poterit affectus ſupplere. Neque enim in cõmuni conueniebat, quod omnes promiſſiones etiam iuratæ in fauorem & vtilitatem alterius de re aliqua præſtanda factæ poſſent mutari ex titulo quod res illa melioribus vſibus applicaretur.

Sed contra iam dicta opponitur Capit. Promiſſum, De ſponſalibus & matrimonijs, vbi conſultus Pontifex de vno qui cuidam mulieri iurauerat quod intra biennium, eam de præſenti duceret: quique poſtmodùm ad frugem melioris vitæ ſuſpirabat, ſcilicet ad ſtatum religionis, Reſpondet, tutius eſſe, religione iuramenti ſeruatâ, prius contrahere, & poſteà ſi elegerit, ad religionem migrare; ergò iuramentum promiſſorium homini factum obligat etiam in ijs quæ aduerſantur ſtatui perfectionis.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, nam inprimis euidens eſt, quod ſupponat Pontifex cum iuramenti impletione poſſe ſtare, quòd qui iurauerat, amplecteretur ſtatum religionis, puta quòd inito matrimonio prout iurauerat, ſeſe ante conſummationem transferret ad religionem.

Cæterùm hâc occaſione inter Doctores diſputatur, vtrùm id neceſſarium ſit in tali caſu obueniente? Diuerſi diuerſimodè hâc de re ſentiunt, vt videre eſt apud Suarez, lib. 2. citato cap. 13. 44

Sententia auté illius, & pluriũ aliorũ, eſt, quod abſolutè non obligetur quis ex tali iuramento ad contractum matrimonialem celebrandum; quando quis reſolutus eſt, & de facto vult ingredi religionem: imò neque conſultius eſſe, ſic contractum inire ſeu prętmittere, quando altera pars illius propoſiti non eſt conſcia.

Quod autem ad ipſum Capitulum allegatum attinet, omiſſis varijs expoſitionibus aliorum, videtur hæc quæ eſt Innocentij, maximè congrua, quod ſcilicet Pontifex dicat in caſu ſibi propoſito tutius eſſe, prius contrahere, non quidem quàm ingredi religionem ſi ad eam ingrediendam iam eſſet plenè reſolutus (hoc enim in caſu nõ proponitur) ſed priuſquam biennium intra quod iurauerat ſe mulierem de pręſenti ducturã, finiretur, ſi adhuc ſuſpiraret ſeu inclinaretur & ſuſpirando deliberaret de ingrediẽda religione, vt ſcil. contracto iam matrimonio & impleto iuramento lucraretur tempus deliberandi, ſcilicet bimeſtre, quo non tenetur matrimonium conſummare: idque meritò, quia deſiderium imperfectum & deliberatio de ſtatu religioſo amplectendo non tollunt obligationem iuramenti, quando alioquin tempus implendi adeſt: ſed ipſe ingreſſus.

Hunc intellectum prædicti caſus & reſponſionis Pontificæ indicant nobis verba illa, quibus dicitur ſuſpirare ad frugem melioris vitæ is qui iurauerat, & iterum quòd dicatur in reſponſione, ſi elegerit migrare ad religionem, matrimonio contracto.

45 Declarari autem poteſt prior pars ſententiæ Suarez, quia ſi in eo caſu ad contrahendum per ſe eſſet obligatus, & peccatum eſſet in eo, quòd talis ſine contractu matrimonij religionem ingrederetur, id foret vel ratione iniuriæ quæ fieret ſponſæ, vel ratione iuramenti non impleti: prius dici non poteſt, quia alioquin quamuis ſponſalia eſſent pura & non iurata, non liceret alteri parti ingredi religionem ante matrimonium contractum, quod eſt contra omnium doctrinam: nam ius parti vtriuis acquiſitum per ſponſalia, ſemper habet hanc conditionem ſiue exceptionem annexam, niſi quis eorum ad perfectionis ſtatum velit tranſire.

Vnde per tranſitum illum non fit contra promiſſionem alteri iniuria: quod clarius etiam ex hoc conſtat, quia ſine iniuria coniugis poteſt quis tranſire ad religionem etiam poſt matrimonium de præſenti contractum (quod multo plus iuris tribuit quam ſponſalia) quando nondum fuerit conſummatum, vt patet ex Capitulo Sicut, & ex Capitulo vltimo, De ſponſalibus & matrimonijs.

Et hinc facilè demonſtratur etiam poſterius, ſcilicet nec ratione iuramenti ſubeſſe obligationem, quia iuramentum ſortitur naturam contractus cui adiungitur, vt communis habet regula, ergò ſicut obligatio ſponſalium admittit illam exceptionem, ita etiam iuramentum illis ſuperadditum.

Declaratur quoque altera pars ſententiæ
46 Suarez, quod ſcilicet neque conſultum ſit per ſe loquendo, vt tacito animi ſui propoſito de ingredienda religione prius contrahat, & poſtea ingrediatur: quamuis enim in eo per ſe loquendo, non ſit peccatum (licet nonnulli aliter ſentire videantur) tamen vix habet moralem aliquam vtilitatem, & apparet quędam eſſe illuſio ſponſę, & quandam continere indecentiam vel aliqualem adferre notam, prout ſaltem homines eiuſmodi factum apprehendunt; ideoque non apparet ratio quare per ſe loquendo, hoc debeat dici conſultum.

Quia tamen ipſe ingreſſus quoque non admonitâ ſponſâ, poteſt adferre iuſtum aliquem dolorem ſponſæ, & continere videtur quendam eius neglectum quando non occurrit iuſta ratio ita agendi, vt puta quia metuitur ne ipſa blanditijs aut alio modo à Sancto propoſito diuertat, hinc conſultiſſimum & rationi maximè conſentaneum videtur, vt ſponſus ſponſæ declaret animum ſuum de ingredienda religione, vt ſi ipſa velit quod iuramentum adimpleat quoad matrimonium contrahendum id faciat, ſed ſine conſummatione: ſi autem non velit, iam omni ratione liber exiſtit ad religioſum ſtatum aſſumendum: ſic enim pleniſſimè ſatis ſit inprimis iuramento, inquit Suarez etiam ſecundum externam ſpeciem, ſeu apparentem aut dubiam obligationem quam aliqui videntur ſuſtinere; quia altera pars eo ipſo quòd non vult ſic contrahere, relaxat iuramentum: ſi autem illa ſic velit contrahere, & ita fiat, tunc etiam impletur iuramentum abſque morali impedimento ſtatus perfectionis: matrimonium enim ratum & non conſummatum non impedit ingreſſum religionis.

Deinde non poterit illa conqueri de aliqua apparenti deceptione in matrimoniali contractu commiſsâ cum de propoſito & intentione ſponſi fuerit præmonita.

Hinc itaque Suarez, allegatum Capitulum Promiſſum conformiter ad hæc exponens, vult ſenſum Pontificis eſſe, quod tutius ſit prius contrahere, poſitâ ſcilicet hâc conditione quòd altera pars ſic velit, & proinde tutius aut conſultius eſſe illam præmonere de propoſito quod habetur, vt intelligatur an nihilominùs velit contrahere.

DVBIVM VIII.

Vtrùm iuramentum adiectum non ad promiſſionem, ſed ad ſimplicem aſſertionem de opere aliquo præſtando, ſemper obliget ad operis executionē?

SVppono hic tanquam ſatis notum ex dictis, quod iuramentum tale non obliget, quando aſſertio eſt de re illicita, vel quæ abſque peccato non poteſt executioni mandari. Hoc præmiſſo

RESPONDEO & DICO Primò: Iuramentum quod tantùm confirmat ſimplicem aſſertionem de opere honeſto præſtando, ſi factum fuerit intuitu diuini honoris tantum, non ita præcisè obligat ad hoc opus, quin per melius opus impleri valeat: ſecus verò ſi factum ſit in vtilitatem aut commodum alterius hominis. Ita Suarez lib. 2. cap. 12. n. 18. 47

Prior pars ſatis poteſt intelligi ex dictis dubio præced. circa quartam concluſionem: ſi namque id liceat etiam vbi promiſſio Deo facta interuenit, non eſt ratio quare non licebit, quando ſimplici tantum dictione cum iuramento, quis aſſerit ſe facturum tale quid ex intentione directâ diuini honoris, ſiue ex intentione

intentione pręſtandi Deo rem gratam & honorificam: hoc enim tunc eſt quaſi formale, ipſum autem particulare opus tale eſt veluti materiale: & ideo facilè apprehenditur ſecundum rectam rationem procedendo, ibi ſubintelligi huiuſmodi conditionem niſi alio meliori modo qui Deo gratior ſit, veniat ipſe honorandus: atque ita dum hoc melius gratuſque præſtatur, impletur iuramentum iuxta ſenſum qui implicitè includitur.

Poſterior autē pars plus videtur habere difficultatis; quia opinio poteſt, quòd per tale iuramentum additū nudæ aſſertioni, nullū ius iuſtitiæ acquiratur alteri, ergò nullā inducere videtur obligationē reſpectu eius cui ſit aſſertio, ſed tantummodo reſpectu ipſius Dei; ergò in obſeruatione talis iuramēti nō eſt ſpectanda vtilitas vel etiā voluntas hominis, in cuius commodum quis aſſeruit ſe facturum tale aut tale quid: ſed tantum honeſtas actionis ſecundum ſe ſpectata, vt cedit in gloriam Dei eſt attendenda, & per conſequens videbitur tale iuramentum ſufficienter poſſe impleri, expendendo rem in maius Dei ſeruitium, quam dixerat ſe alteri præſtiturum.

48 Nihilominùs tamen concluſio tenenda eſt: & probari poteſt primò ex Canonibus illis qui dicunt ſeruanda iuramenta homini facta, quamuis iniquè à nobis illa exegerit, aut extorſerit, vt iuramentum de ſoluendis vſuris, vt patet ex Capitulo Debitores, De iureiurando: item iurametum metu extortum, vt patet Capitulo Si verò, titulo eodem: quæ iuramenta non obligant ratione promiſſionis, vt eodem Capitulo Debitores ſatis ſignificatur, ſed tantum ratione veritatis iuratæ, ne illam præuaricemur, ergò multo magis hoc eſt dicendum de quacumque aſſertione licitâ, & voluntariè factâ ſub iuramento de opere aliquo in commodum proximi præſtando, etiamſi aſſertio de re faciendâ non inuoluat promiſſionem.

Probatur Secundò, ratione, quia iuramentum illud fit ad aſſecurandum proximum de opere in gratiam eius vel commodum præſtando, prout quis aſſerit ſe facturum, quamuis propriè dictam promiſſionem non faciat, & hinc ad veritatem iuramenti ſpectat, vt aſſertio impleatur, quemadmodum prolata eſt: neque enim quiſquam in talibus aſſertionibus apprehendit includi huiuſmodi conditionem, aut exceptionem, niſi voluero opus melius & Deo gratius alibi facere vel rem illam alibi ad meliorem vſum applicare: hoc enim eſt contra communem omnium vſum & intellectum: quamuis benè dici poſſit ſubintelligi aut includi hæc, aut ſimilis conditio, ſi commodè potuero, aut niſi ſtatus rerum notabiliter fuerit mutatus, ſic enim quiſque facilè mentem alterius intelligit, ergò quemadmodum iurata promiſſio in commodum aut fauorem alicuius hominis, debet ex iuramento impleri: neque poteſt mutari in aliquid Deo alioquin gratius, ita quoque debet iſta aſſertio.

Sicuti tamen promiſſio de aſſenſu promiſſarij poteſt mutari in aliquid ipſi gratius, ut diximus de iurato voto, ita & mutari poteſt iurata aſſertio. Nec mirum, quandoquidem & ille cui facta eſt aſſertio, poſſit relaxare obligationem iuramenti, non præſtito opere aſſerto, nec alio gratiori: quando enim quis promittit aut aſſerit ſe facturum intuitu vtilitatis aut commoditatis alterius, ſemper ibi ſubintelligitur, ſi ipſe ſibi præſtare id velit, aut niſi ipſe poſtmodum cupiat me ab obligatione eſſe ſolutum. 49

Neque hic locum habet interpretatio hæc aut ſimilis, quod cenſendus ſit Deus eſſe contentus opere meliori, atque ita cenſeri debeat ceſſare iuramentum: quia Deus hic non interuenit tanquàm is cui iuratur aliquid, ſed tantum vt per quem iuratur: & ideo per ſe & ex vi iuramenti neceſſe eſt, vt ille ſit contentus, eique ſatis factum ſit cui iuratur, ad hoc vt iuramentum poſſit dici impletum, vel obligatio eius ceſſare.

Imò tanta eſt huiuſmodi iuramenti obligatio, vt ſi quis alteri quidpiā promittat, & deinde ſimplici affirmatione aſſerat ſe illud facturum, & hanc aſſertionē iuramento cōfirmet, ſi intentio eius non fuerit tantùm iurare quod ſtabit promiſſioni, ſed iurare quod ſimpliciter faciet, poterit tunc ex iuramento obligari, etiamſi ex aliqua cauſa non teneatur ex promiſſione, vt ſatis colligitur ex Capitulo Debitores allegato, vbi dicitur eos non eſſe cogendos ad ſoluendas vſuras, in quibus ſe obligauerant: ſi tamen iurauerint ſoluere, quòd debeant Domino reddere iuramentum: & qui vſuras accipiunt poſtmodùm ſint complendi ad eas reſtituendas: ſic igitur ſi quis in animo ſuo promittat aliquid dare alteri, & iurat hoc ipſum præſtare, tenebitur ex iuramento, quamuis non ex promiſſione: Soto lib. 7. De iuſt. quæſt. 2. art. 1. ad 1. Suarez ſup. cap. 12. n. 21. ſi tamen tantum iuraret ſatisfacere promiſſioni, quando illa per acceptationem rata fuerit, tunc non tenebitur iuramento quamdiu promiſſio non obligabit, vt diximus ſup. dub. 7. n. 40. & 41. in fine. 50

Ex dixis hactenus patet reſponſio ad argumentum in contrarium, præſertim ex ſecunda probatione quæ ex ratione ducta eſt.

Sed petet aliquis: quid ſi aſſertio iurata de aliquo opere præſtando ſit facta nec directè ſiue expreſsè intuitu diuini cultus aut honoris, neque in gratiam proximi: ſed ſimpliciter, vel ad commodum ipſius iurantis, vt v. g. de opere aliquo bono, intuitu meriti, vel ſatisfactionis, quæ cedunt in vtilitatē 51

operantis, an huiuſmodi iurata aſſertio poſſit pro arbitrio iurantis commutari vel omitti.

Videri enim poteſt quod ſic, nam eadem hic apparet ratio cum iuramentis præſtitis ad cultum Dei, vel ad commodum proximi. Vnde ſicuti iuramentum factum de opere bono ex directa intentione diuini honoris, poteſt commutari in aliud Deo gratius, & quod factum eſt in fauorem proximi, mutari quoque poteſt ad voluntatem illius, ita iuramentū citra tales reſpectus abſolutè præſtitum, vel in commodum iurantis, videbitur etiam pro voluntate ipſius, commutari aut omitti poſſe.

Reſpondetur tamen, hoc ita generaliter dici non poſſe: ſequeretur enim inde inprimis, quòd talia iuramenta quamuis honeſtè poſſint impleri, nihilominùs ea commutari poſſe non tantum in opus melius, ſed etiam in æquale aut minus, imò in nullum, ſi videlicet iurans vellet ſibi remittere aut relaxare iuramentum, quod admodùm inconuenienter diceretur: nam hoc in æquiualenti eſt dicere, tale iuramentum non obligare: atqui nullum eſt fundamentum dicendi, iuramentum quod eſt de actu honeſto, & poteſt abſque incommodo impleri, non inducere obligationem; imò hoc eſt contra omnia iura, & ipſam rationem, ac vim iuramenti: quinimò ſi ita eſſet, iam iuramenta talia forent illicita, quia ad minus eſſent inutilia & vana, quia ſine vſu & fructu aliquo adhiberentur, hoc autem dicendum non eſt: quemadmodū enim habere propoſitum faciendi actum bonum eſt per ſe laudabile & honeſtum, ſic quoque vti medio accommodato ad illius propoſiti ſtabilitatem & executionem eſt laudabile per ſe, & honeſtum: atqui medium accommodatum ad talem finem eſt iuramentum, quando fit in iuſtitia & iudicio: ergò &c.

52 Hinc itaque tenendum eſt, eiuſmodi iuramentum ſimpliciter obligare: hanc tamen obligationem eſſe inſtar obligationis ex voto dicit Suarez ſup. n. 23. & ideo ſicuti poteſt votum mutari in melius, ſic quoque tale iuramentum de opere aliquo bono præſtando: ſicuti enim votū ex intentione expreſſâ & directâ tendit in Dei cultum & honorem, ſic quoque ſuo modo tendit hoc iuramentum in Deum: quare reducitur ad illud genus iuramenti de quo egimus in priori parte concluſionis, ſcilicet ad illud quod directâ intentione factum eſt de aliquo opere intuitu honoris Dei.

Dixi reducitur, quia non per omnia eſt eiuſdem rationis, nam alterum, vt in concluſione ſupponitur, fit ex directa & expreſſa intentione faciendi opus ad Dei cultum: hoc autem de quo nunc agimus, non ita fit: ſed tantū ex intentione faciendi operis boni & honeſti ſimpliciter, vel vt eſt meritorium, aut ſatisfactorium, quod ipſi operanti prodeſt. Verùm quia opus honeſtum & conforme diuinæ legi, naturâ ſuâ tendit in Deū, hinc cum altero habet affinitatem, & ideò iuramentum de illo faciendo, cenſetur quoque includere conditionem, vt ſi illius operis loco fiat aliud Deo gratius, cenſeatur iuramentum impleri ac ipſi ſatisfieri.

Dico Secundò: Iuramentum de re omninò indifferenti, non obligat ad actum 53
indifferentem, vt indifferens eſt. Ita docent Caiet. hic art. 7. & in ſumma V. Periurium: Soto lib. 7. quæſt. 1. art. vbi dicit in eo eſſe eandem conditionem iuramenti & voti, Nauarrus cap. 12. n. 12. Mald. ſuprà dubio 3. Azorius lib. 12. cap. 5. quæſt. 1. Suarez ſuprà cap. 16. Bonac. ſuprà puncto 4. n. 2. & alij. Si quis itaque iurat quod ludet, quod ambulabit, abſque omni relatione ad honeſtatem vel ad commoditatem alicuius, non obligabitur ad actus illos vt indifferentes exercendos.

Probatur Primò, quia actus de ſe indifferens quotieſcumque propter ſe tantum fit abſque vlla relatione ad honeſtum finem, iuxta communiorem doctrinam, eſt peccatum veniale; ergò iurare actum indifferentem vt ſic, idē eſt quod iurare facere quoddam peccatum veniale, & per conſequens eiuſmodi iuramentum non obligabit, vt conſtat ex antè dictis.

Deinde etiamſi admittatur dari poſſe actum indifferentem in indiuiduo, & de eo vt ſic factum ſit iuramentum, tamen nō obligabit illud iuramentum, quia non tantum ideo definit iuramentum obligare ad actum indifferentem, quia malus eſt: ſed etiam quia bonus non eſt, ita factus in indiuiduo, ſupponendo talem dari; idque ideò quod talis actus ſit inutilis tam operanti, quàm alijs, vt ſupponimus (ſi enim vtilis eſſet, & vt talis iuraretur, iam non ſumeretur vt indifferens) ergò talis actus de ſe inutilis, inſuper ad minus erit impeditiuus maioris boni, & conſequenter iuramentum ad eum non obligabit.

Confirmatur, nam qui iuraret nullum opus bonum facere pro aliquo tempore, nō teneretur tali iuramento, vt omnes facilè admittunt, ergò nec tenetur qui iurat facere actum indifferentem vt talem: probatur conſequentia, quia ille iurat virtualiter non facere actum bonum pro aliquo tempore, quo ſcilicet circa actum indifferentem occupabitur.

Dixi in concluſione, iuramentum non ob- 54
ligare ad actum indifferentē vt talem, quia ſi quis iurat facere actū ex ſe quidē indifferentem, ſed cum ordine ad honeſtum finem, vel ad vtilitatem proximi, cui ille ſit accommodatus, haud dubiè iuramentū illud obli-

gabit

Digitized by Google

gabit, vt ex ſuprà dictis ſufficienter poteſt intelligi: & docet Nauar. cap. 12. num. vlt. Bonac. & Suarez ſuprà.

Petes, quid ſi ille actus quem iuras facere ad commoditatem proximi, ſit ex ſe indifferens ad honeſtatem, an iuramentum tenebit?

Reſpondetur affirmatiuè: quia quando
55 opus eſt vtile proximo, & in eius gratiam iuratur, ſatis eſt quod non ſit malum: quando enim iuramentum fit non attenditur per ſe primò honeſtas operis, ſed vtilitas proximi: quare hoc loco, opus indifferens demùm videtur cenſendum illud, quod non tantum honeſtatis, ſed etiam vtilitatis ratione caret: atque ita de eiuſmodi iuramento dici poterit, quod ad hunc loquendi modum, non ſit de opere indifferenti, licet opus ex ſe ſit indifferens quo ad honeſtatem vel turpitudinem. Accedit inſuper quod intendere vtilitatem proximi per ſe rationi ſit conſentaneum, etiamſi intendatur per opus aliàs indifferens: nam per eiuſmodi relationem fit opus bonum, vtputa virtutis liberalitatis, vel miſericordiæ, aut iuſtitiæ, vel humanæ fidelitatis quando eſt cum iuramento promiſſum aut aſſertum: atque ita iuxta Suarez loco citato, nu. 4. dum aliquid indifferens iuratur in proximi vtilitatem, hoc ipſo accipit relationem ad honeſtum finem, quia ex vi qualiſcumque iuris proximo acquiſiti per iuramentum promiſſorium illi factum, honeſtatur, inquit, ſufficienter opus illi promiſſum, etiamſi alias indifferens eſſet: quod etiam ſignificat Bonac. ſuprà, idque ſufficit vt tale iuramentum ſemper inducat obligationem, quamdiù alter non remittit.

56 Ratio autem iſta non ſimiliter habet locũ in operibus de ſe indifferentibus, quando tãtum ordinantur ad corporalẽ aliquã cõmoditatẽ iurantis, nam ipſe iurans non acquirit propriè ius aliquod per eiuſmodi iuramentum, & quamuis acquireret, poſſet ipſe iuri ſuo cedere: vnde apparet differentia inter iuramentum hoc, & inter alterum quod fit in gratiam proximi; quod ſi verò quis faceret iuramentum de eiuſmodi actibus intuitu honeſtatis & virtutis alicuius, referendo actus illos, & eorum effectum, v.g. corporis ſanitatem aut meliorem diſpoſitionem ad finem honeſtum, tunc de illis iuratis iudicandum erit, ſicuti de alijs bonis operibus quæ quis abſolutè vel etiam intuitu proprij commodi ſpiritualis facere iurauit, iuxta ea quæ paulò antè diximus.

Petet Secundò aliquis, vtrùm ſi iuraret quis omittere opus aliquod indifferens, non referendo illam omiſſionem ad aliquem honeſtum finem, neque ad proximi vtilitatem, an iuramentum hoc obligaret.

57 Videtur enim quod ſic, quia non eadem eſt ratio iuramenti de tali omiſſione quæ eſt de aliquo actu indifferenti vt talis eſt, exercendo: nam omittere opus aliquod indifferens, neque eſt peccatum vt ſatis per ſe conſtat, neque etiam eſt impedimentum alicuius boni; ſicuti de actu indifferente diximus: quia hæc omiſſio tantùm impedit opus indifferens, cuius non exercitium iuratur; ergò iuramentum ad eam obligabit, vt ſaluetur eius veritas, quia iuramentum promiſſorium obligat ad faciendam propoſitionem de futuro veram, & non obſeruatio ſeu non impletio eius quod iuratum eſt, tantum permittitur, vbi res vergeret in deteriorem exitum, aut in diſpendium ſalutis, vt iura loquuntur, ſiue ad vitandum maius malum.

Reſpondet nihilominùs Suarez, lib. 2. citato, cap. 17. negatiuè: cui ſatis conſentire 58
cenſendi ſunt Doctores pro concluſione ſecunda iam prius allegati.

Ratio autem conſtabit ex ſolutione argumenti in contrarium adducti: ad quod Reſpondetur Negando Conſequentiam: ad probationem verò ita reſpondet Suarez, quod promiſſorium iuramentum non obliget ad faciendam propoſitionem de futuro veram, niſi ſuppoſitâ materiâ capaci obligationis, & quod ſtante illâ obligatione procedat regula, ſcilicet quod non ſit prætermittenda veritas, niſi vbi res vergeret in deteriorem exitum: aſt quando materia eſt de ſe incapax obligationis, tũ à principio nulla obligatio orta fuit: & ideò neque neceſſarium eſt, poſtea efficere verum, quod aſſertum fuit futurum: In præſenti autem propoſito, materia habetur incapax obligationis propter ſuam vanitatem & inutilitatem: neque enim veriſimile eſt (inquit Suarez) Deum velle ſuâ auctoritate fauere vanæ & quaſi ſuperſtitioſæ obſeruantiæ; quemadmodum nec homines per ſuum teſtimonium vellent adſtipulari rebus planè inutilibus & vanis.

Et ideò à principio fuit error, inquit, in tali iuramento, quia in vanum nomen Dei fuit inuocatum: poſteà itaque nullus eſt defectus formalis, vti loquitur ipſe, veritatis, quia ſecundum rectam rationem non magis eſt habenda ratio prioris dicti, quàm ſi dictum non fuiſſet: quod euidentius conſtat in iuramento, quo quis aſſeruit ſe facturum aliquod malum: quamuis enim omittere opus indifferens, non ſit per ſe malum, nihilominùs abſtinere ab illo quaſi ex obligatione & ſub intuitu diuinæ reuerentiæ, ſuperſtitioſum foret, vt ibidem tradit Suarez.

DVB.

DVBIVM IX.

An iuramentum metu extortum inducat obligationem?

59 OBſeruandum eſt, in genere loquendo, dupliciter poſſe alicui incuti metum: vno modo iuſtè, ſiue abſque iniuria: alio modo, per comminationem iniurioſam: & vtroque modo contingit id fieri aliquando directè ad obtinendam promiſſionem & iuramentum: aliquando autem directè ad alium finem, ſic vt per accidens tamen ex illa occaſione contingat aliquem præſtare promiſſionem & iuramentum.

Declaratur exemplis, ac inprimis de metu iuſtè incuſſo, vt ſi ille qui à te paſſus iniuriam minetur inſtituere accuſationem apud iudicem, niſi promittas & iures præſtare debitam ſatisfactionem, tunc iuſtè & directè ad iuramentum obtinendum metus ille incutitur: materialiter autem, & per accidens & ſine iniuria id accidet, quando iuſtè damnatus es ad mortem, & tu ſponte, metu illius cum iuramento offers magnam pecuniam ſoluere, vt à morte libereris: & hac ratione poteſt metus obuenire, non tantum ab homine, ſed etiam à Deo, vel à causâ naturali, vt propter periculum naufragij, vel propter periculum mortis ex infirmitate.

Similiter declaratur de metu iniuſtè incuſſo; quando enim latro mortem minatur, niſi cum iuramento promittas ei dare mille aureos, incutitur metus iniuſtè, & directè ad extorquendum tale iuramentum: ſi autem inimicus ex malitia, vt ex affectu aliquo vlciſcendi ſe, velit te occidere, & tu cum iuramento promittis ei dare mille aureos, vt vitæ tuæ parcat, incutitur metus iniuſtè, ſed non formaliter dirigitur ad extorquendam promiſſionem & iuramentum illud, verùm hæc peraccidens & quaſi indirectè inde ſequuntur. His præmiſſis

60 RESPONDEO & DICO Primò: Quoties metus abſq; iniuriâ eſt incuſſus aut immiſſus, iuramentum inde ſequens inducit obligationem, ſiue metus directè & perſe ad illum finem ſit incuſſus, ſiue peraccidens, & quaſi præter intentionem cauſantis metum fuerit iuramentum præſtitum.

In hac concluſione conueniunt Doctores, & ratio eius patebit à fortiori ex Canonibus, & ex alijs mox dicendis.

61 DICO Secundò: etiamſi iuramentum metu iniurioſo ſit extortum, nihilominùs obligat, ſi ſit de materia obligationis capaci, non tantum quando per accidens & præter intentionem inferentis metum fuerit præſtitum, ſed etiam quando ad illud extorquendum, directè fuit metus incuſſus. Ita docent D. Th. hic. quæſt. 89. art. 7. ad 3. & quæſt. 98. art. ad 1. Gabriel in 3. diſt. 3. 9. quæſt. 1. art. 2. concluſione 8. Duraudus ibidem quæſt. 2. cum pluribus alijs Scholaſticis, Syluester, V. Iuramentum 4. quæſt. 7. citans plures Canoniſtas: Couarruuias in 4. decretalium 2. parte cap. 3. §. 5. n. 2. Nauarrus cap. 12. nu. 14. Azorius lib. 11. cap. 7. quæſt. 6. Caiet. hîc quæſt. 89. art. 7. Soto lib. 8. quæſt. 1. artic. 7. Mald. ſuprà dub. 6. Bonac. ſup. puncto 9. nu. 1. qui omnes ſatis conueniunt in generali hoc modo loquendi: quamuis non ſic in omni particularitate vt ex dicendis erit obſeruare.

Probatur autem primo ex diuerſis Capitulis, vt ex Capitulo Si verò, De iureiurando, vbi generaliter dicitur iuramentum ſeruandum eſſe, quando ſeruatum non vergit in interitum aut diſpendium animæ: quamuis interim coactum ſoleat Sedes Apoſtolica relaxare ad coërcendam iniquitatem cogentis. Item ex Capitulo Verùm, & ex Capitulo Debitores ibidem: ac rurſum ex Capitulo Abbas, De his quæ vi metuſve causâ, & ibidem ex Capitulo Ad audientiam: vbi expreſſè dicitur iuramentum per iniurioſum metum extortum obligare.

Et ratio reddi poteſt, quia omnia ad iuramenti rationem requiſita, ibi adſunt, & ſic conſtituitur iuramentum propriè dictũ: ad iuramentum autem naturali neceſſitate ſequitur obligatio, quando materia ſuper quã fit, eſt capax obligationis: ergò &c.

Sed contra opponitur inprimis Capitulum 2. De iureiurando, vbi de Epiſcopo Laodicenſi qui ſuis rebus ſpoliatus ab Arnulpho Comite, fuerat inſuper ab eodem compulſus iurare, quod ſic ablata non repeteret, dicitur ipſum Epiſcopum nullius iuramenti vinculis ſuper hoc poſſe conſtringi, ergò non obligat iuramentum metu extortum.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: 62
diuerſi autem diuerſimodè interpretantur Cap. allegatum: multi approbant hanc interpretationem, quod ſcilicet nullius iuramenti vinculis ſuper hoc poſſit adſtringi, quo minus poſſit ſaltem petere relaxationem à tali iuramento; quia hanc petendo nulli facit iniuriam: neque etiam in eo videbatur periculum ſcandali, quando conſtabat iniurioſè & contumelioſè ab eo iuramentum fuiſſe extortũ, & ſic habitâ relaxatione poſſit etiam repetere.

Vnde & Pontifex eum ibidem abſoluit: quæ expoſitio etiam placet Sanchez in Decalogum lib. 3. cap. 11. nu. 27. & Maldero loco citato.

Forſitan non minus ad propoſitum dici poterit, ſenſum Pontificis eſſe, quòd Epiſcopus ille nullius iuramenti vinculis ſuper hoc poſſit conſtringi, ſcilicet ab Arnulpho Comite,

Comite, ſiue quod ab eo non potuerit adigi adillud iurandum: ſicuti dicimus, ille me obſtrinxit iuramento, qui ſcilicet me iurare fecit: ſic ergò iuramenti vinculis ab eo non potuit conſtringi, quia indebitè ab illo iuramentum hoc exigebat: nihilominùs quãdò iurauerat, tenebatur: ſed tamen quia non poterat (ſcilicet legitimè) dictus Arnulphus ſic illum iuramento conſtringere, idcirco Pontifex merito Epiſcopum abſoluit, & iuramentum relaxauit.

Obijcitur Secundò: Ex dicta concluſione ſequeretur ſi quis iuraſſet redire ad iniuſtum carcerem, quod redire obligaretur ex iuramento, tametſi mors illi ex reditu impenderet: hoc autem multis videtur durius quàm vt admitti debeat; ergò &c.

63 De hoc caſu paſſim diſputant Doctores circa hanc materiam de iuramento: neque vniformiter de illo ſentiunt.

Ioannes Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 22. cum Gloſſa in Clementinam Paſtoralis §. Nunquid V. per violentiam de re iudicata: Panormitanus in Capitulum Sicut 3. De iureiurando, dicunt iuramentum non obligare, quando carcer eſt iniuſtus, & iniqua mors timetur: quod latè etiam docet Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 2. nu. 7. vbi plures Doctores pro eadem ſententia allegat: & quidem addit, in illo caſu iniuſti carceris non ſolum non obligare iuramentum ad reditum, ſed nec licitum eſſe illud ſeruare: quia redeundo ad carcerem, ille occideret ſe ipſum, atque ita iuramentum illud non videtur poſſe ſeruari abſque diſpendio ſalutis æternæ.

Nauarrus cap. 12. nu. 18. vtitur quadam diſtinctione, & dicit, ſit carcer ſit iuſtus (id eſt) ſi ab habente poteſtatem & ex legitima cauſa quis ſit apprehenſus, ſeruato iuris ordine, quòd tunc debeat ex iuramento redire, etiamſi foret iniquè damnandus ad mortem, ſecus autem ſi carcer eſſet iniquus: quo caſu non vult eum obligari ſi immineat iniurioſa mors, imò nequidem ſi immineant alia iniuſta maioris momenti grauamina: in quo tamen illi aduerſatur Panormitanus ad citatum Capitulum Sicut, qui vult tamẽ requiri relaxationem ſeu abſolutionem à iuramento, quamuis carcer eſſet iniuſtus: licet id non requirat quando mortis periculum immineret.

Communior verò ſententia, & præſertim Theologorum hoc tempore, vt refert Suares, habet eum qui præuiſo mortis periculo, iurauit tamen redire ad carcerem, obligari ex iuramento ad reditum ſiue carcer ſit iuſtus ſiue iniuſtus, & ſiue mors iuſtè ſiue iniuſtè immineat: & quidem ſi carcer iuſtus ſit & timeatur mors per ſententiam iuſtam inferenda, nullus eſt qui contradicat, quin iuramentum tunc obliget: eſt enim de re iuſta & bona, neque vllam habet excuſationem: quod autem res ſit ardua non impedit: nam bene tempori & loco obligamur ex diuino præcepto fidem confiteri cum periculo vitæ: non mirum igitur ſi ex iuramento poſſimus obligari ad faciendum illud ex quo iuſtè periclitamur de vita.

Quod autem obliget iuramentum etiam quando carcer eſt iniuſtus & mors iniqua imminet, docent Caiet. hîc quæſt. 89. art. 7. & plures D. Thomæ commentatores, Soto, Mald. Suarez ſuprà, Toletus lib. 4. cap. 22. Tann. tomo 3. diſp. 5. quæſt. 5. dub. 1. n. 17. & ſumi poteſt ex D. Thoma art. 7. ad 3. citato, vbi docet iuramentum metu extortum obligare etiam cum damno temporali.

Ratio autem eſt, quia tale iuramentum impleri poteſt abſque diſcrimine conſcientiæ: nam exponere ſe periculo iniuſtæ mortis non eſt intrinſecè malum, imò ſæpius eſt laudabile, vt quando aliqui vitam exponunt pro defenſione Eccleſiæ, pro defenſione Reipublicæ contra iniquos inuaſores: & ita etiam in propoſito, quando hoc fit ad ſeruandam fidem datam, & iuramentum præſtitum, ſub quibus quis è carcere eſt dimiſſus, alioquin ibidem detinendus, vnde periculum illud iam antea inerat, & quando poſtmodum reditur propter reuerentiam iuramenti, exercetur opus fortitudinis, ac religiouis.

Argumentum autem Couarruuię in contrarium non conuincit: nam eodem argumento probaretur, iuramentum nequidem obligare, imò nec poſſe ſeruari, etiamſi carcer eſſet iuſtus, & iuſtè mors eſſet inferenda: quod nec ille, nec alius quiſquam docet, quia nec tunc poteſt quiſquam ſibi mortem inferre. 64

Quare dicendum eſt, quod redire ex iuramento ad carcerem ſiue iuſtum ſiue iniuſtum, non ſit ſeipſum occidere: ſed tantum ſit non fugere periculum mortis, ſiue iuſta ex cauſa ſe illi exponere, quod non eſt malum, ſed potius virtuoſum ac laudabile, vt modò oſtendimus: idque in propoſito, tãto magis locum habet, quia non conijcit hic ſe de nouo in illud periculum, ſed tantum ſe reſtituit in priſtinũ, à quo ad tempus quoad corporalia vincula liberatus erat, ob reſpectum vinculi ſpiritualis, quod ſibi iniecerat.

Vnde rationi virtutis ac religionis eſt maximè conſentaneum, quod ipſe tantum reuerentiæ deferat iuramento ſuo, vt exiſtimet ſe non minùs illo, quàm vinculis corporalibus ligatum, vt ſiſtatur iudicio æquo vel inquo, quando præuiſo periculo iuramentum præſtatur.

Obijcitur Tertiò: Promiſſio ſimplex per metum iniuſtè incuſſum extorta nõ inducit obligationem, vt conſtat ex Capitulo 2. De ijs,

ijs, quæ vi metuſve cauſâ: & docet D. Th. art.7. citato, vbi hanc reddit rationem, quia qui vim infert, meretur ne promiſſum ſibi ſeruetur. Vnde communiter Theologi & Canoniſtæ ſentiunt, talem promiſſionem eſſe iure naturæ irritam, vt refert Suarez lib.2. citato cap. 9. vbi plures Doctores pro hac ſententia allegat, cum Gloſſa ad Capitulum Debitores: fundatur enim promiſſio in iniuria: In actione autem iniurioſâ non poteſt fundari vera obligatio ex parte eius qui iniuriam patitur; ergo & iuramentum quod accedit, erit nullum, quia iuramentũ, vt ſæpius dictum fuit, ſequitur naturam actus cui adiungitur.

65 Reſpondetur, antecedente admiſſo, negando conſequentiam; & ad eius probationem dicendum eſt, iuramentum quod dicitur promiſſorium, aliquando adhiberi tantummodò tanquam confirmatorium obligationis alicuius prius ortæ ex promiſſione, vel ex alio contractu: aliquando autem adhiberi vt introductoriũ obligationis, quod nullam præſupponit obligationem, ſed per ſe illam inducit: & ideò vocari etiam ſolet iuramentũ per ſe ſtans, vt ex Bartolo ad l. ſi quis pro eo, D. fideiuſſoribus, notat Suarez lib.2.cit. c.9.n.6. Iuramentum itaque de re præſtanda quæ per metum iniquè incuſſum exigitur, imò etiam de illa quæ iniquè exigitur abſque metu incuſſo, vt de ſoluẽdis vſuris, non eſt iuramentum confirmatorium in propriâ ſeu ſpecialiter dictâ ſignificatione iuxta datam modo diſtinctionem, & proinde ſub eâ ratione non parit obligationem: idque ſatis argumentum probare admittimus: promiſſio enim vel contractus iure naturæ irritus non poteſt producere propriam obligationem, vnde nec iuramentum illi additum poteſt confirmare obligationẽ quæ nulla eſt: nihilominùs tamen poteſt iuramentum tale obligare vt eſt introductorium obligationis, quia ad hoc ſatis eſt quod cadat in aliquam aſſertionem de futuro, quæ poteſt honeſtè reddi vera ab eo qui iurauit; & ſic fieri ſolet, quando iuramentum iniquo metu vel aliàs iniurioſè extorquetur, quia non tam exigitur, vt per illud firmetur obligatio ante contracta (quam apprehendunt facilè eſſe nullam) quàm vt nouam obligationem per ſe ſtantem extorqueant pro verificanda aſſertione in promiſſione incluſa.

Et ſumi hoc ipſũ poteſt ex doctrina D. Th. loco prius cit. vbi in genere de promiſſorio iuramento loquens diſtinguit in illo duplicẽ obligationem, vnam quâ tenemur homini, alteram quâ Deo: & priorem dicit in iuramento iniquè extorto deficere; poſteriorem autem manere, ſcilicet, quia ratione reuerentiæ Deo debitæ ad verificandum quod ſub eius teſtimonio eſt aſſertum tenemur præſtare quod diximus, licet alteri debitores non ſimus.

Dicet aliquis, inde ſequitur (vti apparet) non poſſe illum cui ſic quis iurauit, relaxare ſeu liberare iurantem ab obligatione iuramenti: Conſequens autem eſt contra omnium apprehenſionem, & omninò falſum; ergò &c. 66

Reſpondetur Negando Aſſumptum, quia ipſamet obligatio ad Deum habet incluſam hanc conditionem, ſicuti ipſa aſſertio, quod iurans præſtabit illud, ſi exactor præſtari velit: vnde ſi ipſe remittat, aut præſtari non cupiat, ceſſabit etiam iſta obligatio.

Obijcitur Quartò: Soluere aut præſtare illud, cuius promiſſum vel aſſertionem cum iuramento, alter extorſit per metum iniuſtè incuſſum, aut aliàs per iniuriam, eſt actus otioſus & inutilis, vti apparet; quia quod ſolutum aut exhibitum eſt, poteſt mox repeti, & tenetur alter etiam ante repetitionem reſtituere, ergò non videtur materia capax moralis obligationis, & conſequenter iuxta ea quæ dubio præcedenti diximus, non obligabit eiuſmodi iuramentum.

Reſpondetur Negando Antecedens: habet enim actus ille ſuum vſum & vtilitatem ad humanam ſocietatem, & hominis commodum: idque inprimis ex parte promittentium, quia hoc ipſis commodum eſt, quòd tanta ſit auctoritas iuramenti, vt etiã iniquos & violentos exactores reddat magis ſecuros de impletione promiſſi, quàm ſi abſque iuramento aſſereretur aut promitteretur, vt in caſibus grauioris periculi, aut maioris neceſſitatis, pro euaſione vel pro ſubleuamine obtineant fidem, & ſic à periculo liberentur, aut ſubſidium acquirant. 67

Vnde fit, vt hoc ipſum, ſtare promiſſis ſuis, & datum verbum implere etiam in ex actionibus iniquis, cenſeatur pertinere ad perfectionẽ quandam virtutis: quare vtilitas hæc poteſt ſufficere, vt actus ille non ſit reputandus otioſus aut vacuus.

Deinde actus ille de ſe quoque non eſt inutilis omnino recipienti, nam de temporali commodo loquendo adfert ei vtilitatem, quod ſatis eſt, ne iuramentum dicatur eſſe de de re inutili & otioſâ prorſus: quamuis enim reuera propter conſcientiam non ſit ei vtilis receptio illa, id tamen conſiderari in propoſito non debet ab eo qui dare iurauit, ſed tãtum quod v.g. illa pecunia ſit res vtilis, & quod per ſe loquendo, eam alteri numerando præſtet ei commoditatem quandam. 68

Sufficienter itaque in re iuratâ inueniuntur vtilitates, vt non debeat dici iuramentum illud verſari circa actum aut materiam vanam & incapacem obligationis.

Neque ex iſtis ſequitur, quòd etiam ſimplex promiſſio per iniuriam extorta obligationem inducet, quia quòd hæc dicatur non obligare,

obligare, non prouenit inde quia ſit de re inutili, ſed quia cogens aut iniurioſè inducens ad promiſſionem, non poteſt per actus iniurioſe extortos ſibi ius comparare: iuramentum autem obligat, quia Deus admittit dicta noſtra ſuo teſtimonio roborari propter prædictas conſiderationes quamuis alter iniquè à nobis iſta extorqueat aut eliciat, & proinde neque ius ſibi per illos requirat.

DVBIVM X.

Si quis per errorem iuret aliquid, an iuramentum ſit validum & obliget?

69 OBſeruandum eſt hic primò, nihil intereſſe in ordine ad validitatem & obligationem iuramenti, ſiue error ille per dolum aut per iniuriam ab altero ſit cauſatus, ſiue non: ſatis enim iam oſtenſum eſt, iuramentum non deſinere obligationem inducere, eò quòd per iniuriam ſit extortum.

Quæſtio itaque mouetur generaliter de errore vndecumque proueniente.

Obſeruandum Secundò, errorem poſſe cadere vel in rem ipſam quoad eius ſubſtantiã quæ iuratur, vel in cauſam aut conditionem mouentem ad iurandum, vt latiùs ſolet explicari in 3. parte in Tract. De errore qui eſt impedimentũ matrimonij. His præmiſſis

70 RESPONDEO & DICO Primò: Error circa ſubſtantiam rei facit iuramentũ eſſe nullum. Colligitur ex Cap. Veniens, De iure iurando, ex quo DD. communiter tradunt iuramentum non extendi ad ea quæ in iurantis mentem non venerunt: quod etiam affirmat Gloſſa in Cap. penultimũ, De iureiurando. Vnde planè conſequens eſt, iuramentum ex tali errore præſtitum, non inducere obligationem: quia non eſt de re quæ in mentem iurantis venerit.

Probatur itaque ratione, quia ignorantia cauſat inuoluntarium ſiue non voluntarium ſimpliciter, atqui ſine voluntate non fit iuramentum.

Declaratur ex differentia inter errorem & metum eâ in parte, quia metus quamuis cauſat inuoluntarium ſecundum quid, tamẽ relinquit abſolutum conſenſum & voluntarium ſimpliciter circa illud, quod metu fit; quia neque ex parte intellectus tollit cognitionem neceſſariam ad volendum abſolutè; neque ex parte voluntatis cogit, ſed potius inclinat ad volendum aliquid, quod ſecluſo metu nollet: Error autem ille omnino aufert voluntatẽ talis rei, quia ex parte intellectus tollit cognitionem neceſſariam, ſine qua nõ poteſt voluntas in rem moueri, quia non poteſt ferri in incognitũ: & ideo errans dicitur non conſentire, l. Cum teſtamentum, & l. Non idcirco, C. De iuris & facti ignorantia: atque ita hic error tollit quod ad ſubſtantiam iuramenti requiritur.

Neque refert quod ſic iurans habeat voluntatem ſiue intentionem aliquam iurandi 71 in generali, quia illam non habet niſi vt verſatur circa aliam materiam, quam exiſtimat ſubeſſe & non ſubeſt: quare illa intentio non ſufficit, ſed neceſſaria eſt intẽtio iurandi hoc in particulari: interueniente autẽ iſto errore non habet is qui iurat intentionem iurandi rem illam quę ei proponitur, ſed aliam quam apprehendit quæ ſubſtantialiter eſt diuerſa: qui enim errat, aliud pro alio putat, vt habet D. Aug. Enchiridij cap. 17. quare non habet ille intentionem requiſitam ad iuramentum conſtituendum.

Et confirmatur, quia ſimilis error reddit votum nullum tam ſolemne, quàm ſimplex, vt ex ſuprà dictis de voto ſatis conſtat: item annullat matrimonium, quia licet adſit quædam voluntas contrahendi, illa tamen determinata eſt ad aliam perſonam vel materiam, & ſic tollit voluntatẽ contrahendi cum hac quę proponitur, quę tamen voluntas eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus. Si quis itaque iurat alicui dare hanc rem quam putat eſſe vitreã, & pòſt intelligat eſſe pretioſam gemmam, non tenebitur iuramento, quia nõ fuit intentio eius dandi gemmam pretioſam, neque iurandi dationem eius, ſed dandi ſubſtantiam alterius ſpeciei.

Petet aliquis: quid ſi error ille nõ det cauſam iuramento, ſed ita homo ſit diſpoſitus, vt quamuis ſciret rem pręſentẽ eſſe eam quę eſt, & non illam quam apprehendit eſſe, tamen iuraret nihilominùs dare, an iuramentum tunc ſaltem non obligaret?

Reſpondetur negatiuè: quantum enim ad 72 præſens propoſitum attinet, eadem eſt ratio de errore qui dat cauſã, & de altero qui tantùm concomitanter ſe habet; quia etiam hic cauſat non voluntariũ ſimpliciter, quatenus tollit cognitionẽ & cõſiderationem obiecti, ſine quâ non eſt actualis conſenſus ſiue intẽtio voluntatis, vt docet D. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. ergò tollit quoq; intentionem iurandi hoc, & conſequenter obligationem iuramenti, & confirmari hoc poteſt, quia hæc cõditionalis quaſi habitualiter ponitur latere in mente iurantis, videlicet etſi interueniret hic, talis error (vt ſupponitur interuenire) iurarem tamen, nihil operatur ad voluntatem actualem iurandi tale quid, ſine qua non poteſt eſſe actuale iuramentum.

Hinc licet quis non ſoleat ieiunare, & ex habitu ſit ita animo diſpoſitus, vt quamuis ſciret, non eſſet veriſimiliter ieiunaturus, tamen ſi occurreret dies ieiunij quem inuincibiliter ignoraret, efficeret illa ignorantia quod hic non contraheret nouum reatum violati ieiunij, dum non ieiunat, quia ignorantia cauſat quod non habeat de facto voluntatem culpabilem.

73 Imò etiamſi quis actualiter diceret, quãuis ſcirem talem hic errorem latere, tamen iurarem, non idcirco perſeuerante errore, cenſebitur iurare id quod nõ ſubeſt: quemadmodum qui contrahit matrimonium & errat in perſona, non validè contrahit etiãſi diceret ſecum, quamuis hęc perſona præſens eſſet altera talis, tamen cum ea contraherem, vel eam ducerem, vt benè obſeruarunt Soto, Ledeſma & alij quos refert & ſequitur Sanchez tomo 2. lib. 7. diſp. 18. n. 6.

Secus autem ſi diceret, & ſi ſubeſſet hic error perſonæ & eſſet alia, quàm exiſtimem, tamen accipio hanc præſentem in coniugem: tunc enim vere & validè contraheret: & ſimiliter quoque, ſi quis ita diceret & formaret intentionem iurandi, vt quamuis ſubeſſet error circa ſubſtantialem materiam, eſſetque alia, quàm ipſe exiſtimet, tamen velit & intendat iurare ſe daturum præſentem hanc materiam, iuramentum illud ſubſiſtet, & veram inducet obligationem: ſed propriè loquendo non debet hoc iuramentum dici factum ex errore, quia ipſa voluntas extenditur vltra id quod per errorem diſtinctè apprehenditur, tendendo in materiam præſentem, prout in ſe eſt, & non tantum vt proponitur & apprehenditur, quod per voluntatis libertatem fieri poteſt, vt quiſque per experientiam poteſt in ſe obſeruare.

74 Dico Secundò: Error circa cauſam extrinſecam mouentem ad iurandum, vel circa qualitatem accidentariam rei iuratæ non reddit iuramentum nullum, niſi moraliter & ſecundum prudentem æſtimationem afficiant ſubſtantialem materiam iuramenti, ita vt non cenſeatur iurantis intentio ſe ad illam ſic ſe habentem extendiſſe.

Priorem partem tradit Syluester V. Iuramentum 3. quæſt. 1. & ſequitur Suarez ſuprà cap. 11. quod inprimis declarat exemplis, nam ideò, inquit, validum fuit iuramentum Gabaonitis à Ioſue & ab alijs principibus præſtitum, de quo agitur Ioſue cap. 9. quia error per artificioſum dolum inductus, fuit circa accidentalia, non circa ſubſtantialem materiam: verſabatur enim circa diſtantiam locorum; dolum autem hunc adhibuerant Gabaonitæ ad maiorem ſecuritatem perſonarum quæ mittebantur, & ad maiorem facilitatẽ obtinendi pacem & conſeruandi vitam; licet interim inter Doctores diſputetur an non ex alio capite illud iuramentũ fuerit inualidum, puta quia videtur fuiſſe contra diuinum præceptum quo filij Iſraël iubebãtur gentes illas delere.

75 Nihilominùs videtur D. Auguſt. qu. 13. in Ioſue poſt diuerſas rationes dubitandi allegatas, tandem cenſuiſſe etiam ex hac parte non fuiſſe inualidum: quia docet non diſplicuiſſe Deo obſeruationem illius iuramenti: & in quæſt. 14. dicit quod niſi Deo placuiſſet illa iuratio, quod ipſe illuminaſſet Ioſue, etiamſi non eſſet ab eo interrogatus, ſicuti ſtatim in cap. 10. ſequenti legitur in ſimili caſu feciſſe: vnde addit Gabaonitas credidiſſe Deo, & pro miſſionibus ac comminationibus eius, & Deum hanc eorum fidem per illud fœdus remuneraſſe. Quare dici poteſt quod illi ſub diuino iſto præcepto non fuerint comprehenſi, quia ad Deum per fidem conuerſi, vt indicat D. Auguſt. quæſt. 14. citatâ, ſe abſque prælio ſubijciebant, & parati erant pacem recipere & ſeruire ſub tributo: idque colligi poteſt ex cap. 20. Deuteronomij, vbi ſcriptum habetur: *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.* Similiter itaque tenebit iuramentum ſi quis iurauerit dare eleemoſinam huic pauperi, quamuis ad iurandum ſit inductus quia exiſtimabat illum eſſe ſuum conterraneum, vel ex ſimili cauſa, licet ille conterraneus eius non ſit.

Idque declaratur amplius, quia in talibus caſibus ſi error eſſet tantùm concomitans, validum & firmum eſſet iuramentum 76 ex cõmuni omnium ſententiâ, ergò etiamſi error ſit antecedens & dans cauſam motiuã.

Probatur Conſequentia, quia hic error non magis aufert voluntatem actualem iurandi, quàm iſte: non enim magis tollit cognitionem obiecti, vt per ſe ſatis conſtat: quod enim error ſit antecedens, operatur ſolum vt ille conſenſus in iuramentum ſit inuoluntarius ſecundum quid, quia ſcilicet quis non iuraret ſi iſtud ſciret: inuoluntarium autem ſecundum quid, non impedit vim iuramenti abſolutè voliti, vt ſatis liquet in iuramento quod metu extorquetur iuxta dicta dubio præcedenti; ergò &c.

Altera pars ſufficienter poteſt conſtare ex illo principio, quòd ſcilicet iuramentum 77 non extendatur ad incogitata, vt Gloſſa ad Capitulum Veniens ſuprà, latiùs confirmat ex diuerſis iuribus: quando igitur ſecundum prudentem æſtimationem ſit veriſimilius, non fuiſſe iurantis intentionem comprehendere illa, ſub ſua promiſſione vel aſſertione iurata, tunc iuramentum ad illa non obligabit.

Quando itaque conditio aliqua ita afficit materiam vt ſi ab initio dum iuramentum præſtatur, non ineſſet, ſed poſtea ſuperueniret, indicaretur à prudentibus inducere mutationem materiæ excuſantem ab obligatione iuramenti præſtiti, tum quoque ſi ab initio adfuerit & ignorata, ſufficiet ad impediendam obligationẽ iuramenti quod præſtatur: quia quę eiuſmodi affectione ſuperueniente non cenſetur fuiſſe comprehenſa ſub intentione, nec etiam cenſeri debet intenta

tenta quando ab initio ita fuit affecta, & ignorabatur: quia quoad iurantis intentionem hæc eodem modo iudicari debet ſe habere ad vtrumque, & dum prius ita ſe habet materia, & dum poſtea ſic mutatur.

Hinc quemadmodum ſponſalia etiam iurata diſſoluuntur per ſuperuenientem fornicationem ſponſæ, ita ſi fornicatio fuerit antecedens & ignorata, impediet quoque obligationem ſponſaliorum & iuramenti quod acceſſit: & ita in ſimilibus, idque non ſimpliciter, quia error dedit cauſam promiſſioni aut iuramento, ſed quia in tali caſu non extendit ſe voluntas iurandi ad materiam ſic affectam.

DVBIVM XI.

An iuramentum promiſſorium ſimulatum obliget?

78 NOtandum eſt, duobus modis præſtari poſſe iuramentum ſimulatum: vno modo vt ſit tale ex defectu voluntatis ſeu intentionis iurandi, dum quis ſcilicet verba iuramenti profert, ſed tamen non intendit nec vult iurare: alio autem modo, vt ſit tale, quoad verborum vſum & ſignificationem, quando ſcilicet intentio iurandi non omnino deeſt, ſed applicatur ad verba alio ſenſu & ſignificatione accepta, quàm intelligantur ab ijs quibus iuratur.

Et huiuſmodi iuramentum artificioſum, vt illud vocat Suarez ſuprà lib. 2. cap. 8. iterum poteſt fieri dupliciter: aliquando enim fit cum formali dolo malo, ſcilicet includente deceptionem iniuſtam, & hoc propriè dicitur iuramentum doloſum: aliquando autem fit abſque iniuſtitia & illicita deceptione, cum prudenti ſagacitate & iuſtâ amphibologiâ propter legitimas ſcilicet rationes. His præmiſſis

79 RESPONDEO. & DICO Primò: Iuramentum ſimulatum quod fit abſque intentione iurandi non inducit per ſe obligationem. Colligitur ex D. Thomâ hic q. 89. art. 7. ad 4. & docet ibidem Caiet. Suarez ſuprà cap. 7. Tann. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 5. dub. 1. n. 12. & paſſim alij.

Probatur, quia iuramentũ ſine intentione iurandi verè non eſt iuramentum: ergò non poteſt per ſe inducere obligationem. Confirmatur, quia verba non habent vim perficiendi contractum, aut obligationem inducendi, niſi ratione conſenſus, vt conſtat in matrimonio, in votis, & in ſimilibus.

Ratio autem eſt, quia interior voluntas eſt quaſi anima verborum, neq; habent verba efficaciam, niſi vt ſigna mentis.

Dixi autem in concluſione, quod non inducat per ſe obligationem, quæ ſcilicet ex vi iuramenti ſolet per ſe cauſari: quia ex rationibus extrinſecis poterit oriri obligatio ex iuramento exteriori, quamuis iurandi voluntas defuerit: vt inprimis, ratione iniuſtitiæ quæ inde ſequitur: v. g. ſi alter ratione illius iuramenti ſit paſſus graue nocumentum, vt ſi virgo conſenſerit in petitionem adoleſcentis, qui doloſè & ſine intentione exterius promiſit & iurauit ſe illam ducturum. Vide Syluest. V. Iuramentum 4. qu. 19. cum alijs quos citat. Deinde poteſt ex tali iuramento naſci obligatio ad vitandum ſcandalum, quod per ſe ad charitatem ſpectat, vt ne inducantur alij ad ſimilia doloſa iuramenta frequentanda: & poteſt etiam pertinere ad religionem, quatenus publica illa ſpecies periurij in irreuerentiam Dei cedit.

Debet itaque adeſſe intentio ſiue voluntas iurandi, & quidem deliberata cum tali ſcilicet aduertentiâ, ſaltem quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, vt tradere ſolent Doctores in 3. diſt. 39. & ſpecialiter Richardus ibidem art. 3. qu. 1. & Syluest. ſuprà qu. 9. Nauar. cap. 12. n. 10. Suarez ſup. n. 3. & ſatis intelligi poteſt ex dictis ſuprà de requiſita deliberata voluntate ad validitatem voti.

Quæret aliquis, ſi iuramentum promiſſorium factum ſit cum deliberatione imperfecta quæ ad peccandum venialiter poſſet ſufficere, vtrùm tunc obliget ſaltem ſub veniali ad implendum promiſſum?

Reſpondetur cum Suarez ſup. lib. 2. De 80 iuramento cap. 7. negatiuè: quia, inquit, ex actu indeliberato nō poteſt intrinſecè oriri obligatio ad actum qui poſtea pleno iudicio & deliberatione eſt præſtandus: ſed eſt liberum homini, ea quæ per ſubreptionem & indeliberationem protulit, poſtea maturo conſilio retractare, quâ libertate, inquit, non eſt priuandus propter indeliberatum actum præcedentem, prout priuaretur tamen, ſi dicatur ſub veniali peccato obligatus ad implendum iuramentum indeliberatè emiſſum: & hâc ratione etiam votum indeliberatè factum non obligat ſub veniali, quia ſemper homini eſt integrum (ait) deliberare circa illa quæ indeliberatè egit, & ea retractare.

DICO Secundò: Vt tamen iuramentum 81 inducat obligationem non eſt neceſſaria voluntas promittendi aut ſe obligandi, & multo minus voluntas adimplendi illud quod iuratur, ſed ſufficit voluntas & intentio ſimpliciter iurandi.

Probatur breuiter per partes ſingulas: ac inprimis, quod non requiratur intentio promittendi, ſic oſtenditur: nam vt ſuprà fuit declaratum, poteſt fieri quod iuramentum obliget, etiamſi non cadat in promiſſionem, ſed in ſimplicem aſſertionem: vndè poteſt

Digitized by Google

contingere quod naſcatur obligatio ex iuramento, etiam vbi promiſſio adiuncta eſt inualida, quatenus intelligitur afficere aſſertionem incluſam, aut adiunctam cum promiſſione; ergò licet quis fingat ſe promittere, & promiſſionis verba ſine intentione promittendi proferat, ſi tamen verè & ex animo iuret ſe facturum, manebit ex vi iuramenti obligatus.

Probatur Conſequentia, quia fictio promiſſionis non tollit materiam quam poteſt firmare iuramentum; cum fictione enim promiſſionis ſtat aſſertio de re futura facienda: neque etiam à iuramento tollit vim confirmandi aſſertionem illam, quandequidem ſit materia capax obligationis, vti ſupponimus, & adſit voluntas iurandi; ergò &c.

Deinde probatur non obſtare quoque, quod non adſit intentio ſe obligandi, imo neque quod adſit intentio non ſe obligandi, quo minus obliget.

82 Sed prius tamen obſeruandum eſt in iuramento promiſſorio quando ſimpliciter eſt tale, ita ſcilicet vt verè adſit promiſſio, tunc ſolere duplicem naſci obligationem; vnam ſcilicet iuſtitiæ aut fidelitatis, & alteram religionis. Prior ex promiſſione oritur. Poſterior ex ipſo iuramento: quæ obligationes non tantum conſideratione & mente ſunt à ſe inuicem ſeparabiles, ſed etiam re ipsâ, vt quando fit promiſſio ſine iuramento, & è contra, quando fit iuramentum ſuper ſimplici aſſertione de re aliqua in futurum faciendâ.

Quod itaque abeſſe poſſit intentio ſe obligandi ex promiſſione dum iuratur, ſatis iã conſtat, quia modò oſtendimus iuramentum poſſe obligare, vbi nequidem eſt intentio promittendi, neque adſunt verba promiſſionis: ergò à fortiori, etiam vbi eſt intentio non ſe obligandi in vim promiſſionis.

Quòd verò non requiratur quoque, vt iurans habeat formaliter & expreſsè intentionem ſe obligandi, facilè omnes conceſſerint, nam voluntas iurandi ſatis in vniuerſali & virtualiter illam ſecum adfert, niſi contingat aliud obſtare, prout ſatis apparet per ſe euidens ex ipſa ratione & natura iuramenti promiſſorij.

Vnde remanet tantùm difficultas de caſu, in quo quis promittit aut aſſerit ſe facturum tale quid cum iuramento & intentione iurandi, ſed ſimul intendit non ſe obligare per iuramentum.

Multi ſolent allegari Doctores quaſi contra concluſionem noſtram hâc in parte ſentientes; & ſimul adducuntur argumenta in contrarium, vt inprimis, quòd non poſſit homo per actus proprios obligari, niſi ſuâ voluntate; ergò ſi voluntas hic reſiſtit, & non vult ſe obligare, non videtur poſſe obligatio oriri. Deinde qui non vult iurando ſe obligare, virtute non vult iurare ſeriò, ſed tantum fictè & extrinſecùs; ergò iuramentum eius non inducit obligationem iuramento propriam.

Nihilominùs tamen iſtis non obſtantibus, ſolidiùs ac veriùs dicitur, quod illa intentio non ſe obligandi non impediat obligationem: & ita docent Caiet. hic quæſt. 89. art. 7. circa ſolutionem ad 4. Soto lib. 8. quæſt. 1. art. 7. Couarruuias in 4. decretalium parte 1. §. 5. n. 2. Suarez ſuprà cap. 7. n. 11. Tannerus ſuprà n. 13. & alij plurs. 83

Probatur autem, quia licet in hominis voluntate ſit iurare vel non iurare, non eſt tamen in eius voluntate ex iuramento præſtito non obligari: ſequitur enim obligatio naturali quâdam neceſſitate ex ipſo iuramento. Declaratur; quando enim homo ex animo & cum verâ intentione iurandi præſtat iuramentũ alicui, quòd v. g. ſit ei numeraturus talem aliquam pecuniæ ſummam, adducit is Deum in teſtem, non tantum præſentis veritatis quod ſcilicet illum habeat animum & voluntatem hoc faciendi, ſed etiam aſſertionis de facto futuro, quantum nimirùm in ipſo fuerit; ergò hoc ipſo ex neceſſitate ſequitur quod obligetur ad faciendam veram illam aſſertionem de futuro, & per conſequens excuſari non poteſt ab hac obligatione per quamcumque voluntatem non ſe obligandi. Conſequentia patet, quia hæc voluntas eſt contra naturalem legem & rationem iuramenti, & contra diuinum honorem, ac teſtimonij illius auctoritatem; ergò non poteſt hæc voluntas ſe non obligandi, habere effectum, quia non poteſt efficacior eſſe ad impediendam obligationem, quam lex naturalis atque adeo naturalis efficacia iuramenti & diuina religio ad obligationem inducendam.

Confirmatur amplius, quia ſi quis vellet iurare aſſertionem aliquam de præſenti aut de præterito, & tamen non obligari ad dicendum verum, quantumcumq; intenderet ſe ad id non obligare, nihilominùs obligatus exiſteret, & ſi falſum iuret, committet periurium; ergò ſimiliter qui iurat aſſertionem de futuro, non poteſt non obligari ad illam faciendam veram iuxta rationem & ſenſum quibus illam iurat, etiamſi maximè nolit ad hoc obligari.

Ad argumenta in contrarium adducta Reſpondetur itaque ad primum negando aſſumptũ; quando enim quis ſua voluntate vult facere actum & eum facit, quem naturali lege & neceſſitate ſequitur obligatio, tunc obligabitur ſiue velit ſiue nolit ſe obligare: & hoc poteſt in multis oſtendi: nam ſi quis velit auferre rem alienam & auferat, tenebitur ad reſtitutionem, etiamſi dum aufert velit ſe non obligare ad reſtitutionem: ſic ex peccato naſcitur obligatio pœnitendi, 84

ex actu

ex actu venditionis ſequitur obligatio tradendi rem venditam, etiamſi vendens animo intenderit non ſe obligare ad tradendã, modo intenderit vendere.

Et ratio eſt, quia eiuſmodi obligatio non pendet directè & proximè à voluntate, ſed tantum remotè ac in radice, ſcilicet in alio actu ad quem illa tanquam effectus naturalis illius ſequitur neceſſariò.

Poſſet tamen antecedens admitti hoc ſenſu, quod homo per proprios actus non obligetur, niſi voluntate ſuâ, id eſt, niſi ipſe voluerit illos exercere, & in eos conſentire: quia exercitium actuũ, & conſenſus in illos, ab eius pendent voluntate: ſed tali ſenſu nihil facit ad propoſitum, quia ſupponimus, quod iurans velit ac intendat iurare & verè iurat.

Ad ſecundum itaque reſponderi poteſt primò, ſi illud quod aſſumitur ponatur eſſe verum, tunc facilè admittemus non induci quoque obligationem: ſed neque id erit contra concluſionem, quia in concluſione ſupponimus verè & ex animo præſtari iuramentum, licèt cum intentione ſe non obligandi.

Vt autem non videatur in vanum ſupponi, Reſpondetur ſecundò negando aſſumptum, ſunt enim hæc duo obiecta iurare, & obligari, omninò diſtincta, ſicuti cauſa & effectus: & ideo nolitio poſterioris non deſtruit formaliter & per ſe voluntatem prioris: quin è contra ſi vnus ex iſtis actibus deſtruat efficaciam alterius, potius dicendum erit, voluntatem iurandi deſtruere voluntatem non ſe obligandi, & eam reddere inefficacem, ſeu quaſi conditionatam, & quod ſcilicet nollet ſe obligare, ſi ſtante ſuo iuramento poſſet obligationẽ impedire: quemadmodum ſi quis velit apponere ſtuppæ ignem & apponat, & tamen velit non comburere ſtuppam, potius dicetur voluntas hęc non comburendi eſſe nulla aut inefficax, atque adeo tantum velleitas quædam, quàm ipſa voluntas apponendi ignem ſtuppæ.

86 Rectè autem obſeruat Mald. ſup. dub. 7. ſic Doctores alios pleroſq; qui contra hanc ſententiam allegantur, videri intellexiſſe ſuam doctrinam, vt dixerint iurantem non obligari iuramento, quando intendit ſe non obligare, quia quaſi pro iiſdem habuerint iurare cum intentione non ſe obligandi, & non velle ſeriò iurare: quæ tamen formaliter & ſecundũ ſe multùm diſtinguuntur & ſeparari poſſunt, vt iam oſtendimus, licet interim ille qui nouit & conſiderat neceſſariam dependentiam obligationis cum iuramento, non poſſit habere vtrumque illum actum voluntatis abſolutum & efficacem.

87 Tertiò probatur ac declaratur quod obligationem iuramenti non impediat voluntas non implendi rem iuratam, quia cum intentione non implendi ſatis poteſt ſtare vera ratio iuramenti ex quo naturaliter ſequitur obligatio, vt dictum fuit.

Confirmatur à ſimili, quando enim alicui ponitur lex, & recipitur, naſcitur obligatio legis atque adeo talis tenetur lege, quamuis habuerit voluntatem non obſeruandi legem; ergò &c.

Dico Tertiò: Quando iurans verba 88
ſub quibus iurat accipit in ſignificatione diuerſa à ſenſu eius cui iurat, & iurandi intentionem ſuo ſenſui accommodat, vtens prudenti amphibologiâ, & non faciens alteri iniuſtitiam, non obligatur iuramento, niſi iuxta propriam ſuam intentionem, non autem ad ſenſum eius cui fit iuramentum. Eſt clara doctrina D. Thomæ hic quæſt. 89. citata artic. 7. ad 4. & communis aliorum. Probatur ex Capitulo Humanæ aures, cauſa 22. quæſt. 4. quod eſt D. Gregorij lib. 26. moralium cap. 27. & ita habet; Humanæ aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant: diuina autem iudicia talia ea audiunt qualia ex intimis proferuntur: & infra ibidem de verbis diuerſas ſignificationes admittentibus adiungitur, Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis ſeruire, ſed verba intentioni: hoc tamen apud D. Gregorium nõ reperitur, ſed poſt priora ſubiungit ille; Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba penſantur ex corde. Similia ferè habentur Capitulo Intelligentia, De verborum ſignificatione, ex S. Hilario lib. 4. de Trinitate.

Ratio itaque ex dictis eſt clara, qui enim ſic iurat nõ obligatur per ſe ex vi iuramenti ad aliud; quia non intendit iurare aliud; iuramentum autem non extenditur vltra intentionem & conſenſum iurantis.

Deinde non obligatur quoque ratione iuſtitiæ, quia non facit alteri cui iuratur iniuriam, vti in concluſione ſupponitur: ſed neque tenetur ratione fidelitatis, quia nullus obligatur ex fidelitate implere promiſſionem niſi iuxta mentem ſuam, prout promiſit, quia ſine voluntate promittentis non eſt obligatio in promiſſis; iſte autem non intendit promittere niſi iuxta ſenſum ſuum, intelligendo verba; ergò &c.

Dico Quartò: Etiamſi iurans per dolum & cum iniuſtitiâ accipiat verba ſua in 89
alio ſenſu, quàm præſeferunt, & quàm intelliguntur ab eo cui iuratur, modò ſenſum illum quoque admittant, & mentem ac voluntatem iurandi accommodet ad ſenſum quem ipſe apprehendit, non obligatur per ſe & directè ex vi iuramenti ad implendum iuramentum iuxta ſenſum eius cui iuratur: ſed tantùm iuxta proprium ſiue à ſe intentum.

Digitized by Google

Eſt D. Thomæ in 3. diſt. 39. qu. 1. art. 3. reſponſione ad quæſtiunculam 3. vbi adhibit diſtinctionē inter eum qui ex dolo iurat non ſecundum intentionem alterius, & inter eum qui id facit abſque dolo & fraude, & ponit inter eos quandam paritatē in hoc, quod neuter obligetur ex vi iuramenti propriè & per ſe, niſi iuxta ſuas intentiones, quamuis in eo agnoſcat diuerſitatem, quod ille qui doloſè ſic iurauit, ex neceſſitate iuramenti in quantum fuit doloſum, obligetur ad obſeruandum taliter, vt ex dolo alter non lædatur: quæ obligatio non eſt propriè ipſius iuramenti, ſed naſcitur ex commiſſa fraude & læſa iuſtitia.

90 Hanc itaque concluſionem dicit Suarez ſuprà cap. 8. potiſſimum intendere Doctores illos qui allegantur docere quod iuramentum non obliget quando iurans non intendit ſe obligare, vt Bonauentura in 3. diſt. 39. art. 3. quæſt. 1. Scotus art. 3. Gabriel quæſt. 1. artic. 2. concluſione 3. Richardus art. 2. quæſt. 2. Syluester V. Iuramentum 4. quæſt. 7. & nonnulli alij: videntur enim maximè loqui in caſu, quando non intendit iurans ſe obligare iuxta mentem alterius, ſed iuxta ſuam propriam: idque rectè tunc dicitur, quia etiam non cenſetur tum iurare quod alter intendit, ſiue iuxta intentionem alterius, ſed tantum iuxta ſuam.

Probari autem poteſt primò ex capitulo citato, Humanæ aures: vbi generaliter dicitur, quod diuina iudicia verba noſtra talia audiant, qualia ex intimis proferuntur; ergò iuxta intentionem iurantis æſtimatur iuramentum.

Probatur Secundò, quia abſque conſenſu & intentione iurandi non fit iuramentum, vt dictum fuit circa primam concluſionem; ergò neque vltra intentionem, quâ quis iurat, naſcitur iuramenti obligatio, quia iuramentum ad aliud ſe non extendit.

91 Sed contra opponitur Capitulum Quacumque arte: cauſa 22. quæſt. 5. quod deſumptum eſt ex Iſydoro, vbi dicitur, quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conſcientæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur, intelligit: quod vel maximè locum habet quando quis doloſè & cum iniuria alterius vtitur tali artificio, vt ſignificat D. Thom. hic quæſt. 89. art. 7. ad 4. videtur ergò quod ſic iurans cum dolo, obligetur vi iuramenti ſecundum intentionem eius cui iuratur.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: quia ſenſus Capituli, & Iſydori eſt, quòd per doloſum intellectum iurantis non euadat ipſe obligationem omnem, quia Deus de verbis illis iudicat prout iurans loqui & intelligere debebat, non ſecundum artificioſam aſtutiam iurantis. Vnde licet obligationem quæ ex vi iuramenti per ſe oriri ſolet, non contrahat niſi iuxta intentionem ſuam quâ iurat, vt ex D. Thoma diximus, tamen contrahit obligationem culpæ quatenus nomen Domini in vanum & abuſiuè aſſumit, & inſuper obligationem iniuſtitiæ & detrimenti ſecuti: tenetur enim ad reſtitutionem aut reparationem damnorum quę alter ex illo ſimulato & doloſo iuramento perpeſſus fuerit, atq; adeò omnia agere perinde ac ſi ad mentem alterius iuraſſet.

Atque eo ſenſu accipienda eſt diſtinctio 92
quam D. Thom. loco citato, & alij plures ponunt inter iuramentum quod ſine dolo iurantis fit contra intentionem recipientis & inter illud quod per dolum fit alio ſenſu quam recipiens intelligat; quòd prius ſcilicet non obliget abſolutè niſi ſecundum intentionem iurantis, neque aliam obligationem inducat; poſterius autem debeat ſeruari ſecundum ſanum intellectum eius cui iuramentum præſtatur, ſcilicet in tantum, vt ipſe non patiatur inde incommodum vt clarius explicuit D. Thom. in 3. loco ante citato; atque ita teneatur talis iurans obligatione iuſtitiæ ne illa lædatur ex cauſa talis iuramenti, etſi non obligatione quę per ſe eſt propria iuramenti.

DVBIVM XII.

Vtrùm aliquando iuramentum ſimulatum ſit licitum?

Respondeo & Dico Primò: Non eſt intrinſecè malum, & proinde 93
neque ſemper peccatum vti aliquâ amphilogiâ aut æquiuocatione iniurando, ita ſcilicet vt iurans aliâ ſignificatione aut ſenſu accipiat verba ſua quem etiam admittunt, quàm intelligat alter cui pręſtatur iuramentum. Eſt concluſio hæc communis & declaratur, quia loqui cum aliqua amphibologiâ non eſt mentiri: non eſt igitur intrinſecè malum: neque enim apparet vnde intrinſecè eſſet malum, niſi ratione mendacij, & hinc conſequenter neque intrinſecè erit malum confirmare iuramento talem ſermonem Antecedens latè oſtendit D. Auguſt. libro contra mendacium, præſertim cap. 10. & aliquot ſequentibus, vbi varijs exemplis Sanctorum id confirmat defendens illa à mendacijs propter multiplicem verborum aut rerum ſignificationē. Ratio autem ſatis patet, quia mendacium eſt dictum cōtra mentem non vtique audientis, ſed loquentis: atqui qui vtitur verbis ambiguis ſenſu congruo & conſentaneo menti ſuæ, non poteſt dici, loqui contra mentem, ergò non mentitur. Vnde

Dico Secundò: Quando verba iuramenti iuxta aliquem ſenſum verum quem 94
iurans intendit, ex iuſta & rationabili cauſâ profe-

proferuntur,etiamſi aliter intelligantur ab altero cui fit iuramentum,non committitur periurium aut peccatum. Probatur, quia oratio illa exterior eſt vera in illo etiã ſenſu quem iurans intendit ſecundum quem iurat, vti ſupponitur;ergò ille iurat verum non falſum, atque ita nec mentitur, neque periurus eſt: neque aliter in eo peccat, quia habet iuſtam & rationabilem cauſam ita iurandi, ſiue ſic intelligendi iuramentum ſuum. Quamuis itaq; occaſione eius alter in errorem inducatur, non debet tamen id iuranti imputari, quia ad deceptionem illam paſſiuam cenſetur ſe habere permiſſiuè non inductiuè, quia non ita iurat vt noceat alteri, ſed vt ſibi proſit, aut proximo bene cõſulat: eiuſmodi autem ſermones amphibologici ſatis approbantur in Capitulo Nequis, cauſa 22. quæſt. 2. & Capitulo vltimo ibidem adiunctâ ſimul Gloſſâ, ibi enim excuſatur Patriarcha Abraham in eo quod dixerit Saram eſſe ſororem, quatenus ſcilicet erat filia fratris, & Iacob qui dixit ſe eſſe primogenitum Eſau non quidem natiuitate, ſed iure primogenituræ iam ſibi competenti.

95 Dico Tertiò: Iurare exteriùs abſque intentione iurandi eſt ex genere ſuo peccatum mortale contra virtutem religionis, & aliquando ſimul contra iuſtitiam. Ita ſentiunt Doctores communiter in 3. diſt. 38. Bonauentura artic. 3. quæſt. 1. Richardus art. 2. quæſt. 2. & Caiet. hic quæſt. 89. art. 7. Soto lib. 8. quæſt. 1. art. 7. Suarez lib. 3. De iuramento cap. 17. Probatur, quia ſic iuramentum ſimulando aſſumitur nomen Dei in vanum, & quidem modo valdè indecenti & pernicioſo: ergo ex genere ſuo committitur peccatũ mortale. Patet antecedens,quia nomen Domini aſſumitur fictè tantum quaſi ad confirmandam veritatem quam confirmare non intendit, ſed ſimulando alterum decipere.

Probatur autem Conſequentia,tum quia eſt magna irreuerentia in Deum quod tam vili loco homo habeat diuinam maieſtatem, vt exterius videri velit religioſè vti eius teſtimonio ad firmandam veritatem, quia Deus eſt prima veritas, & tamen abutatur tantum ad fallendum: tum etiam quia talis iurandi modus eſt valdè contrarius principali fini iuramenti, qui eſt firmare humana fœdera & verba: quia dum ex voluntate iurantis pendet ſubſtantia iuramenti, & conſequenter eius vinculum proprium, prout dictum fuit, ſanè niſi ſub graui culpâ dicantur homines obligari ad formandam intentionem conformem verbis quæ iurant, valdè eneruabitur ſecuritas ex iuramento naſci ſolita, & fructus illius.

96 Opponet aliquis: maledicere abſq; intentione maledicendi non eſt peccatũ mortale, ergò neque iurare ſine intentione iurandi.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: quia inprimis vt quis maledicat, non opus eſt, vt aſſumat nomen Domini, ſed per dæmonis imprecationem maledicere poteſt: atque ita ex genere ſuo maledicere abſque intentione non eſt ex illo capite peccatum mortale, imò fictio maledicentiæ non auget, ſed minuit malitiam.

Deinde, etſi in maledicendo contingat aliquem inuocare nomen Dei, non inuocat ad teſtificandum,ſed ad inferendum malum proximo, quod ipſe iniquè cupit ei inferri; & ideo minus malum eſt, non ex animo velle proximo tale malum, & non ex animo inuocare diuinam virtutem ad illud inferendum, quàm ex animo iſta facere: neque enim in eo apparet grauior irreuerentia in Deum, aut iniuria in proximum: quin potius è contra grauior ſit irreuerentia inuocare Deum ſeriò, & ex animo ad iniquè affligendum proximum: ſecus foret ſi quis benedicendo alteri inuocaret nomen Dei abſque intentione benedicendi, præſertim quando ex officio benediceret.

Quæret aliquis, vtrùm ſit peccatum mortale, iurare exterius abſque intentione iurandi, illud quod verum eſt. 97

Reſpondetur, inprimis in eo poſſe eſſe peccatum mortale ſi Iudices, vel Superiores legitimè præcipiant ſuper re tali præſtari iuramentum. Ratio eſt, quia qui ſine intentione iurandi tunc exterius iurat, facit contra iuſtum mandatum in re ipſa, quamuis non in externa forma: atqui hoc à tranſgreſſione mandati non excuſat: non enim intentioni Iudicis aut Superioris ſatisfacit, ſed magnam deceptionem & inobedientiã in re graui committit. Idem dicendũ de illo, qui in contractu iuſto & maioris momẽti iurando proferret exterius verba, & tamen intus ſeruaret intentionem nõ iurandi: quia ſuppoſitâ conuentione tenetur ſe iuramento obligare, & ſic contractum firmare; imò in caſibus illis non tantum eſt mortale contra obedientiam vel iuſtitiam, ſed etiam contra religionem, quia grauis eſt abuſus diuini nominis, & valdè contrarius fini iuramenti qui eſt veritatis confirmatio: nam pro nihilo æſtimabitur iuramenti adiectio, ſi intelligant homines abſque peccato grauiori poſſe fictè iurari, etiam in magnis negotijs, & ſuperioribus mandantibus.

Supereſt itaque dubitatio de caſu quando iuramentum indebitè exigitur, aut quando quis vltroneè exterius iurat ſine intentione iurandi quando verum eſt quod ſic iurat, vtrùm in eo ſit peccatum mortale? 98

Multi exiſtimant ijs caſibus eſſe tantum veniale peccatum: ita docent Soto lib. 8. quæſt. 1. artic. 7. Arragonius hîc quæſt. 80. art. 7. Suarez ſuprà lib. 3. cap. 17. & indicat Mald. ſuprà dubio 7.

Econtrà autem Caiet. quæſt. 80. citatâ art. 7. dubio penultimo docet etiam tum ſic iurare eſſe peccatum mortale, quem ſequitur Couarruias ſuprà 1. parte, §. 5. num. 3. eò quòd in materia vera ſic iurare abſque intentione ſit quædam illuſio diuini nominis: quæ non minus videtur aduerſari fini iuramenti, quàm ſi fieret in aliâ materiâ.

Et hæc opinio apparet verior, quando de induſtriâ & cum plenâ aduertentiâ ita iuratur: & confirmari poteſt, quia irreligioſitas quæ eſt in iuramento quod exterius fit abſque intentione iurandi, abſtrahit per ſe ab eo an ſit falſum an verum quod profertur: & tamen ex genere ſuo dicitur eſſe mortalis, vt Suarez etiam docet: ergò non debet grauitas illa æſtimari tantùm ex falſitate, & per conſequens contingere poterit eam eſſe mortalem etiam vbi ſic iuratur verum.

99 Dico Quarto: Similiter qui abſq; iuſtâ & rationabili causâ vtitur Sermone ambiguo, & de induſtriâ non ſecundum intentionem præcipientis iurat, committit peccatũ ex genere ſuo mortale. Ita docet Soto, Caiet. Aragon. ſuprà: Nauarrus c. 12. n. 8. rez & alij. Probari poteſt ijſdem argumentis, quibus Concluſio præcedens: quia ſic iurans aſſumit nomen Domini in vanum; vtitur enim diuinâ authoritate non ad confirmandam veritatem quæ cõfirmanda erat, ſed illius confirmationem ſimulat ad decipiendum illum qui decipiendus non erat.

Deinde, quia modus ille ſic iurandi, ſi abſq; iuſtâ causâ permittatur, verget quoq; in magnum præiudicium finis iuramenti vt ex dictis facilè poteſt aduerti: quare in eo apparet grauis irreligioſitas contra duos comites iuramenti, ſcilicet contra iudicium & contra iuſtitiam: non tamen committitur hic periurium propriè & ſpecialiter dictum, quando verba exterius prolata admittunt ſenſum illum, in quo iurans intendit præſtare iuramentum, ſiue id contingat propter multiplicem verborum ſignificationem, ſiue propter modum dicendi, vel circumſtantias adiunctas, quæ ſolent quaſi tribuere verbis, ſic aut tali occaſione prolatis ſenſum illum quem iurans intendit.

DVBIVM XIII.

Vtrùm eadem cenſeri debeat eſſe ratio de ſermone amphibologico, qui vt exterius prolatus admittit modo dicto plures ſenſus, & de ſermone qui ſolâ mente, ſiue appoſitione alicuius mentalis locutionis variat ſenſum.

Svarez tom. 2. De Relig. lib. 3. De Iuramento, c. 10. vtrumque ſermonem vocat 100 amphibologicum: ſed priorem dicit continere amphibologiam ſenſibilem, & poſteriorem continere quaſi mentalẽ. Vnde poteſt conſequens videri, quod vtriuſque ſit eadem ratio, ita ſcilicet vt quemadmodum quando iuſta & rationabilis ſubeſt cauſa, licet priori vti in familiari colloquio, ac etiam in iuramento iuxta ſecundam concluſionem Dubij præcedentis, ita etiam in ſimilibus occaſionibus liceat vti hoc artificio, ſermonẽ ſcilicet externum modificando aut reſtringendo mente tantum; quæ modificatio aut reſtrictio ſi exprimeretur, faceret ſermonẽ verum, qui alioquin nudè conſideratus vt profertur, omnimodè eſt falſus: & rurſus quod ille qui cum tali artificio etiam abſque iuſtâ causâ iurat, ſit immunis à periurio propriè dicto, ſicuti diximus de altero qui ſine iuſtâ causâ vtitur ſermone amphibologico in ſenſu vero, non ad intentionem præcipientis iuramentum?

Doctores hâc de re diuerſimodè loquuntur, & diuerſi etiam diuerſimodè ſentiunt.

Pro parte affirmatiuâ communiter allegari ſolent Syluest. Verbo Iuramentum 4. 101 quæſt. 7. & Angelus Verbo iuramentum 5. numero 9. quatenus dicunt non eſſe periurium quando quis iniquè coactus iurat ſe aliquid facturum, intelligendo, ſi licitè potuero, aut debuero: aut ſimili aliquo modo: Nauarrus ad Capitulum Humanæ aures ſuprà allegatum, & Cap. 12. Enchyridij, nu. 8. & 18. Quatenus docet quod dum iniquè extorquetur iuramentum, poſſit quis iurare quod verum eſt ſecundum mentem ſuam, & falſum ſecundum mentem alterius: id quod nu. 8. citato explicat exemplo S. Franciſci, qui interrogatus, qua perrexiſſet quidam homicida qui iuxta eum tranſierat, manus per manicas immittens, dicitur Reſpondiſſe: non tranſiuit illac, intelligendo ſcilicet non tranſiuit per manicas has: quod refert Nauarrus ex Angelo: clarius autem & expreſſius illam ſententiam docent Sanchez in Decalogum lib. 3. cap. 6. à Valentia tomo 3. diſput. 5. quæſt. 13. puncto 2. & diſput. 6. quæſt. 7. puncto 4. Bonac. circa præceptum 2. Decalogi, diſp. 4. quæſt. 1. puncto 12. num 4.

Leſſius lib. 2. cap. 42. dub. 9. vbi ſic ſcribit, Si reus non iuridice rogetur, poſſe dicere, Non feci, mente addendo, in carcere, item non habui complices, puta in alio crimine, inquit: Et paulò poſt adiungit, Ex his patet, quotieſcumque licitum eſt vti oratione ambiguâ, vel tacitâ reſtrictione, licitum

Digitized by Google

licitum etiam eſſe vti iuramento, ſi neceſſitas vel notabilis cauſa poſtulat. Vnde inferius infert quædam documenta practica, quæ non videntur ſatis prudenter poſita: vtpote quæ nata ſunt inania ac illuſoria reddere grauiſſima & Sacroſancta iuramenta, quæ paſſim in republicâ Chriſtianâ tum Eccleſiaſticâ, tum ciuili ſunt inſtituta, ne per corruptelas & ambitioſas artes, ſe homines in Magiſtratus & in Officia publica intrudant aut irrepant, atque ita corruptelis & ambitioni latum campum aperire: præſertim illa verba, Si autem res non eſt integra, vt ſi electio iam facta eſt, vel non poſſis reuocare quod feciſti, adhuc ſentio te poſſe iurare cum reſtrictione mentali nimirum, quia non feciſti publicè, vel eo modo vt ſit probabile in iudicio: quæ meritò multos grauiter offendunt.

Suarez tomo 2. De religione lib. 3. c. 10. 11. & 17. eandem tradit doctrinam: ſed ſatis trepidè, nec ſatis conſtanter, vnde c. 11. poſtquàm declaraſſet eum qui vtitur amphiboliâ ſenſibili excuſari à mendacio, & ſi iuramentum in ſuo ſenſu adijciat, etiam à periurio, ſic pergit ſcribere: Quando autem ſolùm ſuppletur ſenſus per internam additionem merè voluntariam, probabile eſt non excuſari mendacium proprium & periuriũ, licet ſit res dubia. Nihilominùs tamen (addit iterum) in rigore non eſt periurium, licet ſit graue peccatum.

Mald. ſuprà dubio 7. exiſtimat quidem verius quod liceat in ſimplici ſermone, ſolâ mente ſupplendo tegere veritatem, & diſſimulare ex iuſta neceſſitate vel vtilitate, ſed quod non liceat tamen vltrò etiam vrgente aliâ causâ, iurare cum mentali reſtrictione, non quòd ſubeſſet periurium (inquit paulò infrà) ſed quòd eſſet apparentia periurij, quam dicit ceſſare quando quis exigit, qui ea debebat aut poterat ſubintelligere.

E contra autem Arragonius hîc qu. 89.
103 art. 7. contra prædictam opinionem ponit concluſionem huiuſmodi Quicumque iurat doloſè iſto primo modo, ſcilicet, inquit, ſub intellectâ, & non expreſsâ conditione, ſiue iuramentum ſit aſſertorium, ſiue promiſſorium, & ſiue per iniuriam, ſiue per vim ad iurandum cogatur, peccat mortaliter: quia in iſto caſu, inquit, ſemper eſt mendacium iuramento affirmatum.

Idem tenet Caiet. eodem art. 7. & Soto lib. 8 quæſt. 1. art. 7. vbi etiam expreſsè dicit, Quod iurans ſe daturum, non excuſetur per illam reſtrictionem mentalem quam in mente tenet, Dabo ſi debeo, aut iuro dare, ſi debeo: nam poſtquàm illam verbis non explicat, & verba ſunt abſoluta, non conſonat (inquit) os menti, & tunc adiungit: Quem ideo caſum comprehendit ſententia Auguſtini ſuper Pſalm. 23. & refertur Can. In dolo cauſa 22. quæſt. 2. In dolo iurat qui aliter facturus eſt, quàm promittit. Quapropter quantumcumque per vim & iniuriam fuerit iuramentum extortum, factumque ad redimendam vitam, erit mortale periurium. Ex quibus conſtat quod Clauis Regia non rectè lib. 5. Theol. moralis cap. 6. n. 13. attribuat Dom. Soto, quod cit. art. 7. oppoſitum doceat.

Azorius tomo 1. lib. 11. cap. 4. quæſt. 5. 104
ponit eâ de re, hanc regulam quinto loco: Si reuera verba quibus vtimur, ſignificatione ſuâ, & communi hominum vſu ambigua non ſunt, nec habent niſi vnicum tantummodò ſenſum, ea vſurpare debemus eo ſenſu quem reddunt, nec licet nobis etiamſi contra ius faſq; omne interrogemur, aliquid mentis cogitatione concipiendo, in aliud detorquere: nunquam enim fas eſt mentiri, at is mentitur qui verba aliter accipit atque ipſa ſignificant: & eâdem quæſt. ſuperius dicit, eos qui oppoſitum ex Nauarro, Sylueſtro, & Angelo ſtatuunt, latius extendere doctrinam illam, quàm par ſit, & quàm ipſi Doctores voluerint.

Forſitâ quia Azorius interpretaretur DD. 105
illos fuiſſe locutos in caſibus, quibus reſponſio ſiue ſermo alicuius, etſi non ex ſignificatione quæ illi nudè per ſe conſiderato competit, tamen ex ſignificatione quam ex modo proferendi, vel ex geſtu aut circumſtantijs interrogationis & reſponſionis aut ex ſignis alijs externis trahit, talem admittit ſenſum quem dicens aut iurans intendit & ſecundum quem ipſe loquitur, ſic vt prudentum iudicio intelligatur eo ſenſu ſermonem illum cum talibus externis circumſtantijs accipi poſſe: quamuis recipiens iuramentum, vel audiens ſermonem aliter intelligat: & quidem non videtur eiuſmodi interpretatio aliena omnino à ſenſu Angeli & Sylueſtri, ſi quis bene doctrinam illorum conſideret.

Quod verò ad Nauarrum attinet, quamuis exemplum illud quod de S. Franciſco allegat, videri poſſit indicare eandem quoque fuiſſe Nauarri mentem, tamen ipſe eodem n. 8. inferiùs, & cap. 18. n. 61. & alibi ſatis ſe explicat quod teneat ex cauſis licitum eſſe, vti ſimpliciter reſtrictione mentali in ſermone, & iuramento ad verificanda verba quæ abſque mentali additione omnibus externis conſideratis ſint alioquin falſa. Quare à recentioribus illis Doctoribus qui priorem opinionem ſequuntur, habetur Nauarrus tanquam vnus principalior illius doctrinæ aſſertior.

Azorius autem loco cit. multa allegat quę ſtante illâ ſententiâ licebit affirmare vel negare, aut iurare ſine mendacio & periurio: quod tamen exiſtimat non ſine magno abſurdo & incommodo admitti poſſe.

Multùm

Digitized by Google

Multùm quoque impugnat prædictam ſententiam Ioannes Barneſius Benedictinus in ſuâ Aſſertione contra æquiuocationes: qui tamen in eo excedit quod videatur improbare, & velle reijcere omnem ſermonem amphibologicum non prolatum ad mentem interrogantis vel audientis, non ſolum quãdo amphibolia tantummodò mentalis eſt, ſed etiam quando eſt ſenſibilis & pro fundamento habet multiplicem vocum quibus quis vtitur ſignificationem: quod paſſim eſt contra omnes, quando fit ex rationabili & iuſtâ cauſâ.

107 Cæterùm Authores prioris ſententiæ pręcipuum fundamentum ſuum accipiunt ex diuerſis locis & exemplis ſacræ Scripturæ, ex quibus conantur demonſtrare quod Sancti, ac etiam Chriſtus Dominus vſi fuerint illo loquendi modo ſic vt per reſtrictionem aut ſuppletionem mentalem tantùm verificarent verba ſua, quæ aliàs erant falſa. Videntur autem ad illam opinionem fortius propugnandam inclinari & permoueri humanâ quâdam commiſeratione, vt ſic dicam, erga hominum infirmitatem, vt ſcilicet modum ſuggerant, & ſuppeditent quo quis importunè preſſus, vt dicat vel iuret ea quæ non licitè, aut non ſine incommodo poteſt dicere vel iurare, poſſit importunitatem euadere, ſimulando ſe reſpondere ad interrogata, & tamen nõ reſpondeat: quemadmodum iniquâ miſeratione commoti quidem aſtantes ad ſupplicium Eleazari propter antiqui viri amicitiam, afferebant carnes, quibus veſci ei licebat, vt ſimularetur manducaſſe, & ſic mortem euaderet: 2. Machab. cap. 6. Sed iſtam ſimulationem non approbauit Vir fortis & Sanctus Eleazarus.

108 Alij verò qui poſteriorem ſententiam quam veriorem & probandã ſentio, tenent, potiſſimùm ſeſe in eo fundant; quia nõ poteſt ſermo talis eſſe ſine mendacio, & proindè neque iuramentum abſq; periurio, quando verba externa non habent multiplicem ſignificationem ex ſe, neque ab externis inditijs quæ extrinſecus concurrunt, ſed habent vnicũ tantummodò ſenſum qui omnino falſus eſt, & à proferente falſus eſſe agnoſcitur. Ad hoc enim fundamentum ſe referunt Arragonius: Soto: Azorius, vt ex allegatis ſatis conſtat. Similiter & Caietanus: quando loco citato ſuæ opinionis hãc rationem aſſignat, quia reſtrictio mente cõcepta non obſtat, quo minùs oratio exterius prolata ſit falſa.

Et Confirmatur, quia iſtæ exteriores locutiones ſunt difformes rei quam ſignificãt, atque adeò falſa ſigna quæ aliud produnt foris, quàm in mente proferentis latet: neque idipſum ignorat ille qui profert, vt ſupponitur, & tamen vult eas proferre, ergò ſermonem loquitur contrarium veritati rei, & contra id quod habet in mente: ergò per conſequens committit mendacium, & ſi iuret, periurium: quæ ex reſponſione ad obiectiones amplius conſtabunt.

109 Huc accedit, quod modificationes illę ſermonis vocalis per meras reſtrictiones mẽtales, ſi à mendacio, & à periurio dũ iurantur, excuſentur, & vt licitæ defendantur, quãdo dicitur cauſa ſubeſſe, natæ ſint non tantum omnem rationem iuſtitiæ & contractuum humanorum ſubuertere, ſed etiam omnem humanum conuictum & ſocietatem perturbare. Nullus enim vnquam poterit eſſe ſecurus de fide & mente alterius ſiue in familiaribus colloquijs, ſiue in ſtipulationibus, & contractibus, ſiue in fœderibus iuramento confirmatis; quia dùm loqui licuerit ſermonem, omnibus externis conſideratis, abſolutè falſum, quem ſolâ mente modificent ad ſenſum verum, impoſſibile eſt quod mentem loquentis alter intelligat, quantumcumque prudenter ad eius verba & omnes circumſtantias aduertat.

Neq; refert quod addant eas eſſe licitas, modò ex iuſtis cauſis fiant: facilè enim ſibi quiſque aliquam cauſam aſſumit aut fingit.

Vnde & hæretici calumniandi Catholicis occaſionem hinc arripiant, quaſi modos fallendi proximum doceant per mentales eiuſmodi reſtrictiones, quibus hodie non pauci proximo in corde & corde (hoc eſt in dolo) loquuntur. Sanè huius doctrinæ prædicatio non pauca nec parua adducit incommoda, & etiam conſcientiarum pericula: peruadit enim iſtud contagij genus etiam bonas animas, vt habet Reuerendiſſimus Malderus in Præfatione Tractatus ſui de mentalium reſtrictionum abuſu, quando Diabolus, quibus mentiri non facilè perſuadet, iam reſtrictione mentali, vel ſecreta reſeruatione, aut ſubintellectione quaſi meri mendacij ſuccedaneâ abuti procurat, magnâ conſcientiarum iacturâ, & paulò infrà: omnis controuerſiæ humanæ finis eſt iuramentum, iuxta ſcilicet Apoſtolum ad Hebr. aſt quomodo erit (ait Mald.) ſi etiam in iuramenta licentiùs irrepat hęc ſinceri commercij, ſermoniſque humani inimica duplicitas? Etiã à Iudice interrogatus, occultum apud ſe finget eſſe illud de quo quæritur; Iurabit hoc antidoto munitus falſum eſſe quod verum eſt, & venenum periurij theriacâ huius reſtrictionis correctum ſibi innoxium eſſe ſibique non nocere putabit: per huius ſecretioris doctrinæ nimium abuſum (addit) publica & priuata omnia turbantur: vide apud eundem loco citato plura de abuſibus & incommodis illius doctrinæ quam vocat ſecretiorem: quæ reuera hiſce temporibus non eſt ſecretior, quia paſſim omnibus eſt propatula & quaſi nouiter cœlitus allata, vt

quidem

Digitized by Google

quidam alicubi ſcholis ſuis dixerunt, ſic ex pulpitis & ſuggeſtibus paſſim publicatur & ingeritur omni ſexui & ætati.

110 Sed pro priori opinione & contra iam dicta, opponet aliquis: Non videtur ſermo talis dicendus eſſe falſus, quia non debet conſiderari vt completa oratio, & vt totum quoddam, ſed vt pars cuiuſdam totius locutionis quę cōponitur ex illa vocali oratione, & ex locutione aut conceptu mentali, qui ei adiungitur: quemadmodum non debet cenſeri quis dixiſſe falſum aut mendacium, dum dicit, non luſi addendo eodem tenore, hodie, quamuis luſiſſet die præcedenti: idque ideo quia illud non luſi, non eſt oratio plena, ſed ex intentione & voluntate loquentis quaſi ſuſpenſa & pendens ex determinatione addenda: ergò ſimiliter exterior ille ſermo qui foris profertur non eſt dicendus falſus, ſed ſignificatio eius eſt dicenda pendens ex mētali locutione intus adijciēda.

Reſpondetur Negando Aſſumptum, & ſimul illud quod per modum rationis adiun-
111 gitur ad eius probationem: neque quod allegatur tanquam ſimile ad rem facit, non enim par eſt ratio dictionis vocalis & dictionis mentalis in ordine ad hoc vt ex illis vnū aliquod ſignum fiat, ſintque partes ſe mutuo determinantes ad ſignificandum, ſicuti contingit in pluribus dictionibus vocalibus quæ ſucceſſione continuâ proferuntur: quare admittendo illud quod per modum ſimilis ad explicationem adducitur, tamen negatur conſequentia propter rationem diuerſitatis iam indicatam: quia locutio vocalis ſcilicet & locutio mentalis ſunt diuerſi ordinis, nec habent aptitudinem & proportionem vt ex eis vnum ſignum componatur ſicuti ex pluribus verbis: vocalis enim eſt inſtituta vt ſit ſignum quo mediante alteri à nobis mentem noſtram explicemus: mentalis autem tantùm ſeruit ipſi concipienti, & vt quis ſibi loquatur.

Vnde propter diuerſum hunc ordinem quem ex ſuâ inſtitutione ſeu propriâ ratione includunt, ad diuerſos terminos & fines, fit quod non poſſint per modum compartium conſtituere vnum ſignum totale: & hinc non poſſunt inter ſe colligari per modum vnius ſignificatiuæ orationis. Et quis enim apprehendet eum non dicere falſum, qui hæc verba profert, Deus non eſt, & in mente adiungat arbor aut brutum. Non videtur itaque ratio illa ſatisfacere.

Neque verum eſt (vti apparet) quod
112 orationum ſignificantium compoſitio & prolatio liberè fiant pro hominis cuiuſque voluntate, niſi aſſumantur partes quæ aptæ ſint vnam orationem conſtituere: non enim hominis voluntas efficere poteſt, vt quæ non ſunt nata ſimul componi in vnum ſignum, iſta ſimul componantur: quemadmodum neque poteſt quilibet pro ſuo placito & voluntate mutare ſignificationem partium orationis: nam alioquin per voculam (non) affirmabo, & per voculam (ita) negabo: atque ita loquendo, dum rogabor feciſti, & reſpondeo ita: ſignificabo me non feciſſe, & dicendo, non feci, ſignificabo me feciſſe; quos ſermones neſcio an aliquis à falſitate & mendacio excuſabit quandoquidem omnium linguam intelligentium conſenſu & apprehenſione aliud enuntient, quàm in re & in mente proferentis eſt.

Et D. Thomas infrà quæſt. 100. art. 1. in argumento ſed contra, dicit, quòd enuntiatio falſi cum voluntate fallendi prolata manifeſtum ſit mendacium.

Neque refert ſi quis dicat, quòd forſitan ibi non adſit voluntas fallendi, quia vt D. Thomas eodem artic. docet, voluntas hæc non eſt de ratione mendacij, ſed tanquam effectus quidam ſolet comitari. Quare videntur eiuſmodi adinuentæ compoſitiones ex diſparibus partibus, & aliæ ſimiles indebitæ iuncturæ per figuram ſignificari per veſtem ex lino lanaque contextam, quæ in veteri Teſtamento erat prohibita.

Secundò, pro defenſione eiuſmodi com- 113
poſitionis allegant D. Gregorij auctoritatem, qui homilia 1. in Ezechielem ſcribit Prophetas interdum quod foris ſonat, coniungere verbo mentis: continuauit ergò (inquit S. Gregorius) verba quæ protulit viſioni intimæ, ergò poteſt fieri vna oratio completa ex duabus eiuſmodi locutionibus, vocali ſcilicet & mentali, ſic vt poſterior determinet priorem, & in ratione ſigni verificet.

Reſpondetur Negando Conſequentiam: nam inprimis, non dicit D. Gregorius Prophetam continuare verba quæ protulit, internæ locutioni, ſed intimæ viſioni; hæc autem ſonat perceptionem locutionis potius quâ Deus loquebatur Prophetæ, quàm locutionem mentalem Prophetæ, vnde illa auctoritas D. Gregorij hic nihil ad rem facit, quia nullus dixerit ex auditione interna & locutione externâ fieri vnam orationem ſignificatiuam.

Deinde, vt loqueretur D. Gregorius de mentali locutione Prophetæ, non tamen idcirco exiſtimandus eſt dicere, licitum eſſe foris proferre quæ ſimpliciter ſunt falſa, & per mentem determinare illa ad ſenſum verum: nec etiam quod ex locutione vocali & ex mentali fiat vna aliqua oratio in genere ſigni, quod ſatis oſtendimus dici ac fieri non poſſe: ſed ſolùm quòd internam viſionem, aut (vt alij ſupponunt, locutionem) mox ſubſecuta ſit locutio exterior, & ſic quâdam ſucceſſione immediatâ ſint illa viſio interna antecedens & hæc locutio quæ exterius profertur, ſibi continuata.

Si quis

Digitized by Google

Si quis verò penitius inſpiciat, obſeruabit illam Voculã Et, non coniungere internam viſionem cum externa locutione, ſed cum verbo eiuſmodi quod factum eſt immediatè poſt inter ius ad Ezechielem: quodque ipſe ſermone exprimit & populo indicat, vnde nihil omninò hęc faciunt pro compoſitione quam alij inde ſtatuere prætendunt.

114 Tertiò opponi poteſt vlterius, quod ad mendacium requiratur voluntas loquendi falſum, atqui illi qui foris profert ſermonem vocalem falſum, & intus determinat ad ſenſum verum, non videtur habere voluntatem loquendi falſum, ergò non eſt dicendus mentiri aut cõmittere mendacium.

Reſpondetur ad ſubſumptum: quòd ſufficienter habeat voluntatem ſaltem interpretatiuam loquendi falſum, hoc ipſo quo edere vult ſermonem quem nouit eſſe difformem rei ſignificatæ, imò ſi animo ſecum forſitan diceret ſe non velle loqui falſum, etiam hæc ipſa locutio interior erit falſa, atque ita potius adijciet ſecundum mendacium, quàm per hoc excuſabit exteriorem locutionem à mendacio, quam ſatis declarauimus non poſſe in ratione ſigni recipere determinationem à mentali additione: per ſolam enim externam locutionem alteri homini loquimur, & quod illa ſonat, hoc cenſemur velle ei ſignificare; non autem per mentalem conceptionem ſiue præuiam, ſiue ſubſequentem: & ideo non poteſt locutio mea eſſe ſignificatiua in ordine ad alterum niſi præciſè quatenus exterius profertur.

115 Quartò opponitur: poteſt quis ſecum proferre ſermonem partim vocalem, partim mentalem, & talis non dicetur mentiri quãuis externus ſermo ſeorſim acceptus eſſet falſus, ergò neque is qui ita alteri reſpondet aut loquitur.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, & ratio diuerſitatis aſſignari poteſt, quia dum quis ſibi loquitur, tunc ibi principales partes habet locutio interior quam ipſe loquens optimè apprehendit, vnde ex illa cenſemus de veritate aut falſitate ipſius dicti in illo caſu: ſed quando alteri loquimur, tunc ibi conſiderantur quæ habent rationẽ ſigni in ordine ad alterum, & ex illis oportet iudicare de veritate aut falſitate ſiue de mendacio ſermonis; non ex alijs internis quæ ibi ad rationem ſignificationis, vel ſigni talis, nihil faciunt.

116 Quintò opponunt diuerſa exempla Scripturæ ſacræ, in quibus potiſſimum ſe videntur fundare, vnde reſtat vt breuiter aliquid pro iſtorum explicatione, ſubiungamus. In primis itaque in cõmuni & genere dicimus, quòd plurima Sanctorum dicta quæ in Scripturis narrantur, & ab alijs vrgeri ſolent, excuſentur facilè à mendacio abſque merâ & voluntariâ illâ mentali reſtrictione, quia ſcilicet vel ex multiplici acceptione vocis, vel ex modo dicendi, vt quando Prophetæ viſi fuerunt aliquando promittere Regibus victoriam, quam non aſſequebantur, vel ex circumſtantijs alijs ſatis intelligi poterat, illa alio ſenſu dici, quàm verba in communi & obuio vſu ſolent accipi, vel myſticam continere ſignificationem, prout ſuprà qu. 1. De fide art. 4. id latè explicuimus de dicto & facto Iacob ex D. Auguſtino, quando hædinis pellibus obuolutus dixit ſe eſſe primogenitum Eſau.

Quòd ſi verò quædam forſitan ſint exempla, quæ nequeant oſtendi dictis modis admittere verum ſenſum, non inde conſequens eſt, idcirco licere ſimilia imitari, quia non eſt neceſſe omnia Sanctorum dicta & facta quæ in Scripturis narrantur, adſcribere operationi & inſtinctui Spiritus Sancti, & proinde neque neceſſe eſt, illa ab omni næuo ac veniali etiam culpa excuſare: contingere enim potuit, vt ex aliqua inaduertentia, vel vt ex alia inculpabili ignorantiâ quâ exiſtimarent talibus caſibus licitum ſibi eſſe dare verba alijs, & miſcere aliqua falſa, dixerint quædam non vera ad magna mala Reipublicæ euitanda, aut ad magnum aliquod bonum conſequendum quod ad Dei cultum ſciebant pertinere. Quandoquidem enim Scriptura etiam teſtetur Sanctos aliquando deliquiſſe, non omninò neceſſarium eſt excuſare omnes ſemper ab omni lapſu aut exceſſu linguæ. Vide hac de re Turrianum 2. 2. diſp. 3. dub. 2. & ita ſentiunt nonnulli de ſermone Iudith ad Aſſyriorum exploratores & ad Holophernem.

Sed duo loca ſunt in Euangelio quæ ſpecialiter ſolent vrgeri ab illis qui reſtrictiones mentales defendunt: vnus habetur Ioannis cap. 7. vbi Chriſtus fratribus ſuis (id eſt cognatis) cum hortantibus vt in Iudæam aſcenderet, & ſe ſuaque opera manifeſtaret mundo, ſic reſpondet: *Vos aſcendite ad diem Feſtum hunc: ego autem non aſcendo ad diem Feſtum iſtum*: vt citant Doctores illi hunc locum communiter, atqui hæc verba non videntur verum habere ſenſum, niſi cum ſubintellecta reſtrictione in mente latente, puta cum hac aut ſimili, *non aſcendam*, ſcilicet in manifeſto aut vobiſcum: nam addit Euangeliſta in ſequentibus, *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem Feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.*

Alter locus habetur apud Marcum c. 13. vbi Apoſtolis ſic loquitur Chriſtus: *De die autem illo* (videlicet generalis iudicij) *vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater:* quæ iterum Chriſti verba non videntur admittere verum ſenſum, niſi per ſuppletionem merè mentalem, puta quod filius non ſciat vt alijs reuelet; ergò &c.

Verum

Digitized by Google

Verumtamen licet obſcuritas aliqua ſeſe offerat in his locis intelligendis, nunquã tamẽ antiqui PP. aut Interpretes Scripturæ S. cõfugerunt ad ſubintellectiones illas inſenſibiles, quæ purè in mente dicentis laterent.

Quod itaq; attinet ad priorem locum, non
117 omnino habet textus vt ab alijs verba allegantur: ſic enim legunt Biblia Sixtina: *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum*: & ſic quoq; habetur in Biblijs grauij impreſſis hic Louanij circa annum 1541. & notat Ianſenius in ſuâ Concordiâ Euang. cap. 73. circa hunc locũ, quod Græcus textus habeat, Ego nondum aſcendo, & addit, Eraſmum teſtari quod viderit etiam antiqua exemplaria quæ pro (non) legebant nondum: ſtante autem huiuſmodi lectione ſatis euidens eſt veritas verborũ Chriſti abſque omni mentali additione, neq; eſt aliqua apparentia repugnantiæ cum eo quod poſtea refert Euangeliſta: optimè enim conſiſtunt ſecundum veritatẽ, quod quis dicat, Ego nondum aſcendo ad diem feſtum iſtum, & tamen alterâ die aſcendat. Deinde etiamſi retineatur particula Non, vt communis lectio habet, & legatur, Ego autem nõ aſcendo ad diem feſtum iſtũ, tamen ex verbo præſentis temporis & ex ratione adiunctâ, *Quia tempus meum* (inquit Chriſtus) *nondum impletum eſt*, facilè intelligitur, quòd ita ſit accipienda, vt tantùm ſignificet eum nondum aſcendere, donec ſcilicet tempus eius aſcendendi impletum ſit, non autem quod abſolutè non eſſet aſcenſurus pro totò tempore feſtiuitatis.

D. Auguſt. verò facit vim in eo quod dicit
118 Chriſtus: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum*, vbi ſub die feſto hoc & die feſto iſto nõ vult comprehendi totum tempus feſtiuitatis quę per ſeptem dies durabat, vt patet Leuitic. 2. Sed deſignari primũ diem feſtiuitatis Schenopegiæ ſiue tabernaculorum celebriorem cum ſecundo: ad illos enim non aſcendit Chriſtus, quia tempus eius nondum erat impletum: ſed poſtmodum ipſe aſcendit ad diẽ feſtum, id eſt, ad feſtiuitatem ſic vt die feſto mediante, id eſt, in medio feſtiuitatis cum iam tot eius dies præterijſſent quot erant reliqui, vti exponit hoc Auguſt. Tract. 28. in Ioannem, Aſcenderit in templũ & doceret, & quidẽ hęc expoſitio eſt facilis & appoſita.

Quemadmodum, ſi quis roganti ſe vt cum eo vadat ad diem feſtum dedicationis quæ per octo dies cõtinuatur: Reſponderet; vade tu ad diem hunc dedicationis, ego non vado ad iſtum, quia adhuc ſum impeditus, non cenſebitur ille dicere quod nõ ſit iturus ante finem totius feſtiuitatis: & ſi ſequẽtibus diebus vadat, nullus iudicabit eum agere contra prius dictum ſuum: neque opus eſt hic fingere aliquam reſtrictionem mentalem, vt verba priora intelligantur habuiſſe veritatẽ.

Neque inconuenienter ob vnius aut duorum dierum interuallum dixit Chriſtus hic, *Quia tempus meum nondum impletum eſt*, nam & cap. 2. Ioannis in nuptijs dixit matri, *Nondum venit hora mea*, cum tamen hora eius nunc immineret, vt ex ſubſequenti mox facto patet.

Ad alterum locũ Marci 13. quod attinet, 119
aduertendum eſt, ſatis cõmune & vſitatum eſſe apud eos qui in legatione veniũt, vt ſi ab illis ad quos veniunt, interrogentur de rebus domini ſui, de quibus loquendi non habent mandatũ, ſed forſitan prohibitionem, quod tum reſpondere aut dicere ſoleant, ſe neſcire illa, ſed dominos ſuos iſta cognoſcere: quo reſpondendi modo prudentiores intelligunt eos ſignificare, quod commiſſio illorum non extendat ſe ad illa proponenda aut edicenda, ſiue interim priuatim ſciant, ſiue nõ, vt ſic declinent interrogationes importunas ſuper rebus illis de quibus ſermonem conferre non poſſunt.

Sic itaque rectè intelligitur Chriſtus hic loqui tanquam Filius hominis miſſus à Patre Legatus & Doctor, qui homines viam veritatis & iuſtitiæ doceret, atque ita ad excludendas curioſiores interrogationes Diſcipulorum, & ſimul quoque ad præmuniendos fideles contra præſumptuoſas aliquorũ prędictiones, qui arrogarent ſibi notitiam diei Iudicij, & terrores incuterent quaſi inſtaret dies Domini, vt quidam videntur egiſſe cum Theſſalonic. prout ſignificat Apoſtolus 2a epiſ. c. 2. ideo ſimpliciter pronuntiat & dicit Chriſtus quod de die illo & horâ nemo ſciat, nec ille quidem qui datus eſt vniuerſalis & ſupremus hominum Doctor & Rector, niſi Pater: hic enim eſt qui nouit & poteſt ſi ita placuerit alijs indicare: cæteri autẽ aut verò non nouerant, aut non poterant diem illum & horam manifeſtare, & ſic Chriſtus dicit quod filius non ſciat, ſcilicet eo modo & in illa qualitate vt poſſit alijs publicare: iuxta illud actuum cap. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Atq; ita incongruè ipſi hoc à Chriſto inquirebant. Iſta itaque ſubintellectio ex circumſtantijs perſonæ loquentis, & perſonarũ interrogantiũ ſatis percipitur, ac intelligi poteſt, ſic vt nõ debeat cenſeri merè interna & mentalis abſque omni externa ſenſibilitate.

Quando autẽ dicitur, *Niſi Pater*, tunc non 120
excluditur Spiritus S. & Filius vt illi vnum ſunt cũ Patre, ſed excludũtur omnes alij qui non ſunt vnum cum Patre, atque adeo etiam filius hominis ſecundum naturam humanã, quia ſecundum hanc, licet quaſi priuatim cognoſceret ea quę Pater dicitur poſuiſſe in ſua poteſtate, & proinde etiam diem illum & horam, tamen mandatũ videtur habuiſſe, non euulgandi & publicandi iſta alijs: atque ita ſenſu ſatis intelligibili & ſatis vſitato concurrens

currentibus circumſtantijs talibus, quales modò diximus, locutus eſt Chriſtus, quando dixit Apoſtolis de die illo & horâ neminem ſcire, nec Angelos in cœlo, nec Filium (ſcilicet cum poteſtate ſeu facultate explicandi illa mundo) niſi Patrem. Et ſimili loquendi modo vſus eſt Ioannis cap. 15. quando Apoſtolis dixit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis*, ſcilicet quia nota eis fecerat omnia myſteria quæ à Patre audiuerat, illis pro tempore intimanda & notificanda.

DVBIVM XIV.

Vtrùm licitum ſit petere iuramentum ab illo quem ſcis aut putas iuraturum per falſos Deos?

121 RESPONDEO & DICO Primò: Non licet petere ab aliquo determinatè iuramentum per falſos Deos: vnde ab infideli non licet petere vt iuret per Iouem, Saturnũ, aut per Mahumetum, aut per ſuos Deos. Eſt D.Thomæ q. 98. art. 4. ad 4. Caietani ibidẽ, & certa doctrina, & communis.

Ratio autem eſt euidens, quia iurare per falſos Deos eſt intrinſecè malũ: quia eſt honorẽ ſoli Deo debitum transferre ad alios, vt ex ſuprà dictis de ratione iuramenti conſtat: nunquam autem licitum eſt inducere aliquẽ ad illud quod intrinſecè malum eſt, atqui petere ab aliquo determinatè vt iuret per falſos Deos eſt inducere illum ad hoc faciendum; ergò &c.

122 DICO Secundò: Non eſt intrinſecè malũ petere ſimpliciter iuramentũ ab illo de quo ſatis ſcitur, quòd iuraturus ſit per falſos Deos: vt tamen licitè abſque omni peccato petatur, debet iuſta cauſa petendi iuramentum interuenire. Prior pars conſtat ex doctrina D.Aug. epiſt. 154. ad Publicolam: & colligitur ex D. Tho. loco citato, & tenent Scholaſtici & Summiſtæ cõmuniter omnes: & Canoniſtæ ad Cap. Monet, cauſa 22. q. 1. Probatur autem, quia ſi id eſſet per ſe & intrinſecè malum, hoc foret, quia eſſet alterum inducere in peccatum, atqui id verum non eſt, quia qui ab altero ſimpliciter petit, ſubexiſtente cauſâ, vt præſtet iuramentum, poſtulat rem de ſe licitam, ergo talis non debet cenſeri per hoc inducere alterum in peccatũ: quod enim alius ex ſua malitia iuraturus ſit per Deos falſos, hoc ipſi imputandum venit, non illi qui ex iuſta cauſa petit iuramentum ſimpliciter, quod poteſt licitè tanquam rem bonam præſtare. Vnde ſcribit D. Aug. epiſt. citatâ: qui vtitur fide illius quem conſtat iurare per falſos Deos, & vtitur non ad malam rem, ſed ad licitam & honeſtam, non peccato eius ſe ſociat qui per dæmonia iurauit: ſed bono pacto eius qui fidem ſeruauit: ergò exactio ſimpliciter iuramenti per ſe & intrinſecè mala non eſt, etiamſi putetur iuraturus per falſos Deos ille, à quo exigitur.

Confirmatur à ſimili, quia licitũ eſt ab iniquo mercatore vel vſurario petere mutuum, quando quis indiget, etiãſi ſciatur quod ipſe exiget lucrũ ex mutuo, ſiue vſuras; ergò &c. Vtitur Suarez lib. 3. c. 13. n. 3. & alio exemplo, quod à malefico liceat petere, vt maleficiũ deſtruat quando licito modo id poteſt, quamuis ipſe malitiâ ſuâ non ſine arte praua ſit deſtructurus: ſed hoc non exiſtimo verũ, de quo latius agemus in Capite De Magia.

Ratio autem dictorum eſt, quia in iſtis & ſimilibus non cenſemur cooperari peccato alterius, ſed permiſſiuè nos ad illud habere, & pro iure noſtro vti peccato alterius ad iuſtam cauſam, quod ſuâ malitiâ committit cum poſſit noſtræ petitioni ſatisfacere ſine peccato.

Poſterior pars etiam cõmuniter tenetur; 123
neque de ea dubitari poteſt, quandoquidem neque ab eo qui per Deum verum eſt iuraturus, liceat petere iuramentum abſque iuſta cauſa: quia eſſet inducere alterũ ad iurandũ abſque iudicio, quod peccatum eſt. In præſenti autem propoſito eſſet ſimul quoq; inducere alterum in peccatũ ſacrilegij, & cultus idolorum: qui enim ſine cauſa petit ab altero fieri quod nouit illũ abſque peccato nõ præſtiturum (quamuis aliter poſſit) cenſetur moraliter cauſa peccati illius & interpretatiuè velle & quaſi delectari de malo actu alterius.

Iuſtæ autem rationes petendi erunt vt ſi lis grauis ſit componenda, ſi controuerſia finienda, ſi fœdus firmandum &c.

Sed contra priorem partem opponet aliquis, quando infidelis eſt paratus ad iurandũ per falſos Deos, aut ſcitur quod non ſoleat iurare niſi per falſos Deos, tunc ab eo petere ſimpliciter iuramentũ, perinde eſt ac petere ab illo vt iuret per falſos Deos; ergò ſuppoſito quod vnum licet, etiam alterum licebit.

Probatur antecedens, quia in moralibus explicitum & implicitum, ſiue expreſſum & tacitum æquiparantur: ſed qui à tali homine ſic conſtituto petit iuramentum, is petit implicitè, vt per falſos Deos iuret, ergò vel neutrum vel vtrumque erit licitum.

Confirmatur Secundò: quia ab Vſurario non tantum licet petere mutuum, ſed etiam offerre, ſoluere vſuras, quãdo quis ſcit illum eas velle; ergò &c. Propter huiuſmodi argumenta ſentiunt nonnulli in caſu poſito, licitum eſſe petere quoque iuramentum per falſos Deos, vt refert Suarez lib. 3. De iuramento c. 13. n. 10. ſed non rectè. Vnde

Reſpondetur Negando Antecedens: quia 124
qui ſimpliciter & nudè petit iuramentum ab aliquo, quomodocumque iuraturus ſit, ſiue

per

Digitized by Google

per Deum verum ſiue per falſos Deos dummodo iuſtam habet cauſam, non inducit eũ quantum ex ſe eſt, & ex vi petitionis niſi ad rem bonam quam ſine peccato præſtare poteſt: neque implicitè petit, nec implicitè petere moraliter cenſetur idcirco iuramentum per falſos Deos, quamuis ſciat quod ſic, & non aliter ſoleat alter iurare; quia vt in multis alijs, ita etiam hic, quando quis habet iuſtam cauſam, tantum permiſſiuè omnium iudicio cenſetur ſe habere ad peccatum alterius: poteſt enim ſimul ſtare, quod maximè ſit contra voluntatem & affectum petentis, quod iuramentum quod petit, per falſos Deos præſtetur.

Aſt verò qui petit expreſsè & determinatè iuramentum per falſos Deos, quos ſcit eum in veneratione habere, non poteſt non dici inducere ad rem malã. quia expreſſa illa petitio eſt rei ex ſe & intrinſecè malæ: vnde nec dici poteſt eſſe tantum permiſſio ex parte petentis: verba enim operantur moraliter in animo alterius ſecundum rationem ſuę ſignificationis, non ſecundum affectũ dicentis, niſi hic exteriùs ſimul ſignificetur.

Ex his ſatis patet reſponſio ad probationem antecedentis. Dicendũ enim eſt, quòd ille qui petit ſimpliciter iuramentum ex iuſta cauſa, neque expreſsè, neque implicitè, ſiue tacitè moraliter cenſeatur petere iuramentum per falſos Deos, quamuis exiſtimet alterum ſic iuraturum, prout nunc fuit declaratum.

125 Quod verò attinet ad confirmationẽ adductam, vt hic diſſimulemus aſſumptum, de quo alibi diſputatur, tamẽ neganda eſt conſequentia, quia aliud eſt offerre ſolutionem vſurarum illi, quem ſcis eas velle; aliud ab eo petere, vt ipſi det tibi mutuũ ad vſuras: quia prius eſt tantùm ſignificare, quod petens mutuum ſit paratus ſubire illud iniquũ onus vſurarum, quod ſubire licet quando non poteſt ſuæ neceſſitati aliter ſubuenire, & idipſum alteri indicare, neque in eo eſt intrinſeca malitia. Petere autem ad vſuram eſt directè prouocare & inducere ad actum malũ determinatè exercendum: quæ inductio ſicuti actus ipſe, formaliter loquendo eſt intrinſecè mala.

126 Porrò quemadmodum dicimus non eſſe intrinſecè malum indicare alteri qui ſcitur non velle mutuum dare niſi ad vſuras, quòd quis paratus ſit illas ſoluere, ita quoque ſi infidelis ſignificet, ſe non velle iurare niſi per falſos Deos, poterit quis ſignificare, quòd paratus ſit ſtare tali iuramento, & cũ eo eſſe contentus. quia ſatis per ſe euidens eſt, quòd ita procedendo ſe habeat permiſſiuè ad iuramentum illud per Deos falſos, non inductiuè, quando iuſtam habet cauſam vtendi iuramento illius: quod colligitur ſatis ex doctrina D. Auguſtini allegata.

DVBIVM XV.

Vtrùm licitũ ſit petere iuramentũ ab eo quem putas peieraturum per Deum verum?

RESPODEO & DICO Primò: Quemadmodum non licet ab aliquo petere determinatè vt iuret per falſos Deos, ita neque licet petere determinatè ab aliquo vt iuret modo aliquo indebito per Deum verum. Ita DD. communiter, & ratio eſt euidens, quia ſicuti iurare per Deos falſos eſt intrinſecè malum, ideoque minimè licet hoc ab altero petere, ita quoq; intrinſecè malum eſt iurare indebito modo per Deum verum, & proinde nec hoc petere licet; quia eſſet inducere alterum in peccatum. 127

Hinc ergò delinquit inprimis qui petit ab altero iuramentũ abſque iuſta cauſa iurandi.

Similiter qui petit iuramentum ſuper re iniuſta aut turpi, quæ ſine peccato præſtari non poſſit.

Tertiò & ille, & quidem ordinariè grauiſſimè, qui ab altero petit, vt iuret aliquod falſum, aut præſtet iuramentum cum morali periculo falſitatis, vt qui inducunt teſtes vt iurent falſum, vel vt iurent aliquid de cuius veritate nõ habent ſufficientem informationem: omnia enim illa iuramenta fiunt indebito modo: primum enim fit abſque iudicio: ſecundum autem abſque iuſtitia, & tertium ſine veritate.

Vnde & in petitione talium iuramentorũ reperitur peccatũ cum grauitate ſecundum proportionem grauitatis quę ineſt iuramento quod petitur, ita tamen vt intra ſuam latitudinẽ mortalis, aut venialis peccati, ſemper grauius peccare videatur ille qui petit & inducit, quàm alter qui indebito modo iurat; tum quia iſte eſt prima origo hic delinquendi, tum quia agit & contra religionem, & contra charitatem proximi, quem in peccatum inducit, tum etiam quia magis voluntariè peccat. 128

Quæret aliquis, an non liceret petere, vt alter iuret aliquid quod ipſe bonâ fide putat eſſe verum, petens tamen nouit eſſe falſum? non enim videtur tunc inducere ad peccatũ quia iurans non peccabit; nam ratione bonę fidei excuſabitur, vt ſupponimus.

Reſpondetur nihilominùs cum Suarez lib.3. c.14. n.8. id non licere, nec poſſe peti determinatè, vt alter iuret eſſe verum quod ſcitur in re ipſa eſſe falſum; quia reſpectu petentis eſt inductio ad teſtificandam falſitatẽ ſub auctoritate diuinę veritatis. in quod petens conſentire, idemque approbare ſatis conuincitur, cum tamẽ id intrinſecè malum ſit: alter verò à culpa tantum excuſatur propter inculpabilem ignorantiam. 129

130 DICO Secundò: Non eſt tamen intrinſecè malum petere iuramentum ab aliquo qui ſcitur aut præſumitur iuraturus falſum: ſed aliquando licitè quis petere poteſt ab illo iuramentum, certis ſeruatis conditionibus. Ita docet Suarez loco citato cap. 14. Mald. dub. 9. Leſſius lib. 2. cap. 42. dub. 10. Bonac. circa 2. præceptum Decalogi diſp. 4. quæſt. 1. puncto 11. n. 1. & 2.

Et ſumitur ex D. Thoma quæſt. 98. citata, art. 4. vbi in Corpore docet, quod perſona publica petendo iuramentum ab aliquo ſecundum quod exigit ordo iuris, ad petitionem alterius, non videatur peccare ſiue ſciat eum iurare falſum, ſiue verum; ergò ſic petere iuramentum ab aliquo qui iuraturus eſt falſum, non eſt intrinſecè malum: quia neque ad inſtantiam alterius, neque ad iuris ordinem ſeruandum licet facere, quod intrinſecè malum eſt: quamuis propter ordinem iuris ſæpius multa concedantur fieri, quæ aliàs non licerent. Ex quibus intelligi poteſt etiam Doctores omnes illos tenere concluſionem poſitam, qui cum D. Thoma docent Iudicem in caſu poſito poſſe iuramentum exigere: quos videre licet citatos apud Suarez: & in Claue Regia lib. 5. cap. 5. n. 2.

Probatur ratione, quia eſt quaſi generale principium doctrinæ moralis, quod poſſit quis exercere actum in ſe licitum & honeſtum, neque ab eo teneatur abſtinere, quamuis præuideat exercitium illius futurum alteri (ex ipſius tamen malitiâ) occaſionem peccati & ruinæ: modo non faciat affectu & animo ducendi alterum in peccatum, & iuſtam habeat neceſſitatem vel cauſam exercendi actum illum: non enim obligatur quis abſtinere ab vtendo iure ſuo propter alterius improbitatem & malitiam: quin è contra liceat malo alterius vti propter bonum, vt habet D. Thomas artic. 4. citato ad 4. & conſtat in plurimis alijs negotijs, vt in petitione mutui ab vſurario, in petitione iuramenti ab eo qui præſumitur iuraturus per falſos Deos, quæ paſſim ab omnibus admittuntur fieri poſſe ſine peccato; ergò &c.

131 Conditiones itaque quæ hic requiruntur ſunt iſtæ duæ,

Prima, vt non petatur à tali iuramentum affectu ducendi illum in periurium, & proinde vt non petatur determinatè, vt iuret falſum: quod diximus eſſe omnino illicitum: qui ergò ſcit (inquit Suarez ſuprà n. 14.) aliquem accepiſſe pecuniam, & determinatè petit ab illo vt iuret non ſe accepiſſe, grauiſſime peccat, & reus eſt periurij, quia directa cauſa periurij eſt: & hoc ſenſu accipi poteſt quod cap. 1. cauſa 22. quæſt. 5. dicitur, Qui compulſus à domino ſciens peierat, vtrique ſunt periuri, & dominus, & miles: alioquin magis videtur Pontifex ibi loqui de domino, qui compellit famulum ad teſtificandum falſum, quam de illo qui peteret à famulo cauſâ veritatis explorandæ iuramentũ, quod hoc non fecerit, quod dominus ſciret eum feciſſe. Interim nec hoc ſic petendũ eſt. Vnde cauendũ eſt, quando quis nouit eſſe falſum, ne dicat: Iura hoc, & mihi ſatis erit, prout aliqui ſolent. Vnde (addit Suarez) neque in iudicio, petitur iſto modo iuramentum, ſed indifferenter, iura an hoc feceris, an hoc non ſcias? &c.

Altera conditio eſt, vt iuſta ſubſit cauſa exigendi iuramentum ab illo: idque ob eandem rationem propter quam diximus, non poſſe iuramentum peti abſque iuſta & ſufficienti cauſâ, ab eo qui per falſos Deos eſt iuraturus: aliter enim petitio illa non cenſeretur moraliter permiſſio tantùm, ſed inductio & cauſa periurij, ac militaret non tantùm contra charitatem proximi, ſed etiam contra virtutem religionis & reuerentiæ erga Deum.

Hinc poteſt ſtatui quaſi regula generalis, 132
quod petere abſq; neceſſitate aut ſufficienti vtilitate iuramentum ab illo quem ſcis, aut vehementer præſumis iuraturum falſum, ſit peccatum mortale: quamuis enim petitio iuramenti ex inutilitate & vanitate petitionis, forſitan eſſet tantum veniale peccatum, tamen hic ex ruina proximi, & ob defectum veritatis præuiſum in iuramento, eſt omninò mortale.

Neque refert, etiamſi alter fortaſſis in habitu eſſet paratus iurare falſum, vt qui ſæpius ſic iurare ſolet, nihilominùs quia hic & nunc non erat commiſſurus actualiter periurium, hinc tu illius periurij es cauſa & eius reus.

Poſitis verò duabus iſtis conditionibus
licitum erit iuramentum petere à tali: id- 133
que non tantum perſonæ publicæ, ſed etiã priuatæ, vt ex dictis ſatis colligi poteſt.

Hinc itaq; dicit Mald. ſuprà, quod actor in iudicio poſſit iuramentum per iudicem exigere à parte aduerſa, etiamſi putet peieraturã, quando id neceſſarium eſt, aut conducibile ad ius ſuum tuendum, vel quando fortè aliter ſententia ferri non poteſt.

Similiter dicit, quod priuatus idem poſſit exigere pro cõfirmatione cõtractus cũ altero initi, etiãſi exiſtimet eum non ſeruaturũ, ſi hęc iuramenti exactio ipſi ſit neceſſaria, ad dandũ contractui vires, vt corã iudice poſtmodùm petatur impleri, ſi alioquin non eſſet habiturus actionem in iudicio. Quæ à maiori poſſunt habere locum in tutoribus pupillorum, aut in procuratoribus, ſeu negotiorum geſtoribus aliorum, quæ niſi tali caſu exegerint iuramentũ, arguentur malę adminiſtrationis, vel negligentiæ in officio ſuo.

Dicet

Dicet aliquis: D. Th. art. 4. citato in cor-
134 pore, ideo videtur excuſare perſonam pu-
blicam exigentem iuramentum in caſu pro-
poſito, quia non ille tunc, ſed alter ad cuius
inſtantiam facit, videtur exigere: ergò ap-
paret quod ex ſententia D. Thomæ, iſte qui
ſua ſponte, & quodammodo vt primum
mouens, exigit, ſemper peccet: quod ſatis
apertè dicere videtur de priuata perſona
quæ ſua ſponte pro ſe exigit; ergò &c.

Reſpondeo inprimis, ſaltem D. Tho. admittit perſonam publicā id licitè poſſe exigere ad petitionem alterius, ſequendo iuris ordinem, & proinde ſatis ex eo colligitur, quod nō ſit intrinſecè malum, idque eo magis, quòd D. Th. potiſſimum diſtinctionem quam ponit inter perſonam priuatam, & inter publicam fundet in hoc, quòd nō videatur ſupereſſe bonū aliquod ad quod priuata perſona vteretur malo ſiue periurio alterius: & proinde nulla hîc poſſit ſubeſſe iuſta cauſa, quare iuramentum exigeret ab eo qui falſum eſt, aut putatur iuraturus, niſi quod periurium alterius ducat ſuum eſſe bonum: ſed dari poſſit bonum propter quod perſona publica vtatur, & quaſi vti cogatur malo alterius, & petere iuramentum ab illo quem nouit peieraturum, vt ſcilicet adminiſtretur vnicuique quod ſecundum ordinem iuris ipſi debetur.

Quæ clarè colligi poſſunt ex reſponſione ad 4. eodem art. vbi dat rationem, cur velit magis licitum eſſe petere iuramentum ab illo qui per falſos Deos eſt iuraturus verum, quàm ab eo qui per Deum verum eſt iuraturus falſum, & ita ſcribit; alia tamen videtur eſſe ratio in eo qui per verum Deum iurat falſum, quia in tali iuramento, inquit, deeſt bonum fidei, quo vtitur aliquis in iuramento illius qui per falſos Deos iurat.

135 Quando igitur aliud bonum interuenerit (etſi non bonum fidei) quo petens vti poteſt pro iure ſuo, ſicuti ipſe admittit in perſona publica, atque ita iuſtam habet cauſam benè vtendi malo alterius, non aduerſabitur D. Thomæ, vti apparet dicere, quod non minùs tunc licebit etiam priuato exigere iuramentum ab illo qui falſum putatur iuraturus per Deum verum, quàm ab altero qui per Deos falſos eſt iuraturus.

Sed contra opponi poſſunt aliqua Capitula, vt Capitulum Qui exigit, cauſa 22. quæſt. 5. vbi dicitur, Si autem ſcit eum feciſſe & cogit eum iurare, homicida eſt: ille enim ſe ſuo periurio interimit, ſed iſte manum interficientis impreſſit & preſſit: quod deſumptum eſt ex D. Auguſtino ſermone 28. De verbis Apoſtoli. Item Capitulum Ille qui hominem, eadem, quæſt. 5. Qui hominem prouocat ad iurandum, & ſcit eum falſum iuraturum eſſe, vincit homicidā, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam: ergò videtur id nunquā licere.

Reſpondetur Negando Conſequentiam, 136
quia Capitula illa intelligenda ſunt loqui de ordinarijs caſibus, quibus priuatus aliquis petit priuatim ſic iuramentum, nullam expectans inde vtilitatem aut fructum, ſed tantum in eo ſibi complacet, & quaſi ſatiſfactum ſibi ducit, quando alterum ad periurium coëgit, ac periurij reum fecit: quod ex adiunctis in Capitulo Ille qui hominem, ſatis colligitur: ita enim ſubiungitur, ſcis verum eſſe quod dicis: eſt falſum quod ille dicit, & iurare compellis: ecce iurat, ecce peierat: tu quid inueniſti? vnde regulariter in exactione talis iuramenti grauiter peccari ſolet, præſertim quando extra iudicium fit.

Sed occaſione primæ concluſionis naſci poteſt quæſtio, quid dicendum de illis qui exigunt iuramenta inſtituta contra ambitioſas vel ſimoniacas artes perueniendi ad dignitates tum ſæculares tum eccleſiaſticas, ſiue ad beneficia vel officia, ab illis quos ſciunt per improbas ſollicitationes aut per illicitos modos fuiſſe electos, aut collationes vel promiſſiones obtinuiſſe, vtrùm exigentes tales non peccent? Ratio dubitandi eſt, quia videntur determinatè petere, vt alij iurent, quod ſcitur eſſe falſum.

Reſpondeo Primò, Eos quibus ex mu- 137
nere incumbit impedire illa & punire, omninò rectè facturos pro honore Dei & pro bono publico, ſi tempeſtiuè occurrerent & arcerent illos tam à iuramento, quàm à magiſtratu & dignitate, quando ita conſtaret vt iuridicè probari poſſit: imò eos tunc ad illud obligari: quando autem probari non poſſet, tunc inutiliter viderētur illud tētare.

Addo Secundò, Eos qui recipiunt illa iuramenta, non exigere propriè, ſed tantum proponere in particulari illa quæ ex legibus aut ex ſtatutis ſunt iuranda ab eis, qui ad talium officiorum aut dignitatum adminiſtrationem vel poſſeſſionem ſunt admittendi, atque ita non petere determinatè vt iurent illud quod falsū eſſe ſciunt, ſed vt vel iurent quod ſtatuta requirunt, vel ab adminiſtratione abſtineant: legiſlatores autem iuſtè & ſanctè inſtituerunt vt talia iuramenta præſtarentur, ad multis incommodis & malis obuiandum, præſumentes merito, quod ex iſtorum reſpectu & reuerentia diuini nominis, à malis artibus abſtineretur, nihil minus volentes, quàm quod quiſquam præſtaret falſum iuramentum: quod dum contingit, præter ipſorum intentionem euenit; ſicut & in alijs legibus accidit.

Similis ratio poteſt eſſe de illis qui pro-
ponunt iuramenta præſtanda de ſeruandis 138
legibus aut ſtatutis communitatis alicuius, inter quæ contingit multa eſſe quæ paſſim

ſciuntur non obſeruari: vbi quoque prudenter facturi ſunt illi à quibus ſtatutorum diſpoſitio & iuramenti præſtandi inſtitutio pendent, quod vel ſtatuta exactè ſeruari paſſim procurent, aut declarent ea vel abolita, vel iuramentum ad illa ſe non extendere, ſicuti non ſe extendere cenſetur ad illa quæ verſantur circa materiam leuiorem, ſic vt tranſgreſſio per ſe non ſit mortalis.

Et quidem licet in genere loquendo de ſtatutis ſub iuramento ſeruandis, facilè poſſit intelligi, quod neque mens recipientis iuramentum, neque mens iurantis ſe extendant ad illa quæ communiter & paſſim non ſeruantur, ſed contrario vſu ſunt quaſi abolita, ſimiliter quod iuxta regulam prudentiæ, neque ad illa ſe extendunt, quæ verſantur circa materiam leuiorem, vbi pro humana fragilitate frequentes ſolent eſſe præuaricationes, idque ſine magna animaduerſione; tamen quando quis iurat in particulari ſeruare tale aut tale ſtatutum, etiamſi ſit extra vſum, aut ſit de re minoris momenti, ſic vt ex ſe non obliget niſi ad veniale, imò etiamſi ponatur ne ad veniale quidem obligare, tamen qui in illud iurauit, & poſtea præuaricatur, peccabit mortaliter contra iuramentum præſtitum.

DVBIVM XVI.

Quale peccatum ſit iuramentũ, Cui deeſt iudicium, aut iuſtitia?

139 NOtandũ eſt, periuriũ dupliciter ſumi; aliquando generaliter, & aliquando ac magis cõmuniter ſtrictè. Periuriũ generaliter ſumptũ dicitur quoduis iuramentũ, cui aliquid ex tribus comitibus debitis deeſt, ſiue iudicium, ſiue iuſtitia, ſiue veritas.

Quando autem deeſt iuſtitia, tunc quodammodo conſecutiuè deeſt quoque veritas, quia ſeruari non poteſt quod iuratur: ipſa enim eius executio illicita eſt, & peccatum: non tamen ſimpliciter deeſſe cenſetur, quia præſupponitur voluntas (quamuis mala ſit) exequendi quod iuratur.

Si iudicium verò deſit, fieri poteſt quod idcirco veritas nullo modo deſit, vt quando ſine cauſa iuratur illud quod euidenter verum eſt: ſed quando temerè abſque veritatis examine iuratur, tunc periculum ſubeſt falſitatis.

Periurium autem ſtrictè acceptum eſt iuramentum, cui deeſt veritas ſiue de præſenti; vt dum iurat quis, quod nouit aut putat eſſe falſum, vel de futuro, vt dum quis fidem datam & iuramento confirmatam non ſeruat, ſtante adhuc iuramenti obligatione. Quando autem iurat quis falſum quod bonâ fide exiſtimat eſſe verum, tunc erit tantum periurium materiale: ſi tamen negligens fuerit in veritate inueſtiganda antequàm iuraret, pro ratione maioris vel minoris negligentiæ erit maioris aut minoris peccati reus: ſi autem ſufficientem adhibuerit diligentiã, omnino excuſabitur.

Quando itaque Iura ſiue Canones ſiue Leges loquuntur de periuris & periurijs, cenſentur tunc loqui ordinariè de periurijs ſtrictè acceptis. Latè tamen vſus eſt illo nomine D. Ieronymus in cap. 4. Ieremiæ, vbi dicit, non iuramentum, ſed periurium eſſe, quando ſine debitis comitibus iuratur.

Solet quoque periurium aliter diuidi, ſicuti ſcilicet iuramentum in aſſertorium, & promiſſorium, ad quæ duo membra reuocari poſſunt execratorium & comminatorium, ſicuti ſuprà quoque diximus de eiuſmodi iuramentis. His præmiſſis

Respondeo & Dico Primò: 140
Periurium generaliter dictum cui deeſt iudicium, eatenus quia ſcilicet iuramentum ſit abſque iuſta cauſa, ſiue ſit aſſertorium, ſiue promiſſorium, vt v. g. quia ſit de re indifferenti, aut de re leuioris momenti, vel de re impeditiua maioris boni, aut licet res eſſet maioris momenti, tamen non eſt neceſſitas, vel iuſta vtilitas iuramenti, ordinariè non videtur excedere culpam venialem: quando autem deeſt illi iudicium, quia temerè iuratur cum periculo iurandi falſum, tunc pro quantitate talis periculi erit mortale aut veniale. Ita communiter ſentiunt Doctores, & quidem quod attinet ad priorem partem, docet Suarez lib. 3. cap. 18. n. 3. expreſsè, iurare non ieiunare hodie, cum ad id non obligetur, aut non facere aliquid indifferens non eſſe peccatum mortale: & infrà num. 6. addit, iurare aliquid contrarium Conſilij per ſe loquendo non eſſe mortale: & ita quoque docet Tabienna V. Iurare n. 8. 10. & 12. Nauarrus cap. 12. n. 16. qui pro ſe citat quandam Gloſſam, & alij quos infrà mox allegabimus: & ratio conſtabit ex dicendis circa tertiam concluſionem.

Poſterior pars ſatis per ſe conſtat: quia in quantum quis vult ſe exponere expreſſe aut interpretatiuè periculo peccati, in tantum cenſetur velle ipſum peccatum: qui igitur ſic temerè iurat, vt abſolutè exponat ſe periculo iurandi falſum, cenſebitur abſolutè velle iuramentum falſum, ac proinde peccabit mortaliter. Si autem periculum non ſit ita abſolutum, poterit tunc eſſe peccatum tantum veniale, vt puta quia aliquam adhibuit diligentiam circa veritatem examinandam, ſed non omnem planè quæ bene requiritur in negotio tam graui.

Dico Secundò: Periurium generaliter dictum cui deeſt iuſtitia, quia iuramentum 141
præſta-

Digitized by Google

præſtatur de re turpi exequendâ quę ſit peccatum mortale, eſt ipſum quoque mortale peccatum. Quæ concluſio ſic eſt accipienda, vt non tantum ſic iurans intelligatur peccare mortaliter, quia voluntatem habet committendi illud peccatum quod iurat: vt v.g. quod contrahat culpam homicidij, qui iurat alterum occidere: ſed quod dum iurat tale quid, non ſolùm contrahat culpam illius peccati, ſed etiam contrahat mortalem culpam ſacrilegij, ſiue irreligioſitatis propter grauem abuſum iuramenti.

Eſt hæc concluſio communis & certa: ita docent Caiet. hic quæſt. 98. art. 2. & 3. Tabienna ſuprà: Sylueſt. V. Iuramentum 1. quæſt. 1. nu. 6. Nauarrus ſuprà nu. 3. & 15. Couarruuias ad Capitulum Quamuis 1. parte, §. 6. n. 6. Suarez ſuprà cap. 19. & alij.

Rationes à diuerſis reddũtur diuerſæ, inter quas videntur hæ potiores:

Inprimis quia eſt irreuerentia in Deum, velle firmare Dei auctoritate propoſitum ſuum in malo: ergò quo malum illud eſt maius, eo irreuerentia hæc erit grauior: quare ſi malum illud ſit peccatum mortale, etiam irreuerentia in Deum erit tanta, vt merito culpa mortalis cenſeri debeat.

Deinde qui iurat facere quod eſt mortale peccatum, tenetur non obſtante iuramento, non facere illud, & quidem ſic vt abſque peccato mortali non poſſit verificare iuramentum: vnde poteſt cenſeri iurare impoſſibile, atque ita videtur perinde ac ſi falſum iuraſſet: quo argumento vtitur Soto lib. 8. quæſt. 3. artic. 3. Couarruuias & ſatis etiam placet Suarez loco citato.

DICO Tertiò: Periurium generaliter
142 dictum cui deeſt iuſtitia, quia iuramentum eſt de materia quæ eſt peccatum veniale, ex communiori ſententiâ, eſt peccatum tantum veniale, ſed valde graue. Ita Suarez ſuprà cap. 19. num. 3. Soto, & Caiet. ſuprà art. 7. Antoninus 2. parte tit. 10. c. 4. §. 1. Sylueſt. V. Iuramentum 2. quæſt. 1. Tabienna, & Nauarrus ſuprà: Couarruuias loco citato §. 6. in fine. Bonac. ſup. q. 1. puncto 3. n. 9. Rationem reddit Suarez, quia illud iuramentum non eſt periuriũ propriè & rigidè dictum: ſupponitur eum non iurare falſum, ſiue contra mentem: ſed habere voluntatem faciendi: vnde, inquit, per tale iuramentum non fit grauis iniuria diuinæ veritati: ſed neque etiam diuinæ bonitati, quia licet materia illius veritatis quæ iuratur, ſit peccatũ, tamen non adducitur aut inuocatur Deus vt approbator operis faciendi, quod grauis foret iniuria, ſed vt teſtis & quaſi confirmator veritatis: & quamuis in hoc ſit etiam irreuerentia quædam, tamen quia non ſe firmat iurans in propoſito peccati mortalis, hinc, ſed leuioris alicuius, huic non videtur grauitas irreuerentię venire ad culpã mortalem, quando non concurrit formalis contemptus diuinæ maieſtatis. Contrarium tamen non improbabiliter tenent Angelus V. Periurium 1. & V. Iuramentum 5. & alij nonnulli, quod ſcilicet omne iuramentum quod eſt contra primam partem iuſtitiæ ſcilicet declinare à malo, ſit peccatum mortale: vnde ſtudioſè ab iſtis iuramentis eſt abſtinendum.

DVBIVM XVII.

Quale peccatum ſit periurium, Cui deeſt veritas, ſiue aſſertorium, ſiue promiſſorium fuerit?

RESPONDEO & DICO Primò: Periurium aſſertorium ſtrictè acceptũ, 143
cui ſcilicet deeſt veritas eſt peccatum mortale, nõ tantum quando cadit in mendacium pernicioſum, ſed etiam quando cadit in mendacium iocoſum, vel officioſum; atque adeo ex parte leuitatis materiæ quæ iuratur nunquam contingit eiuſmodi periurium eſſe veniale tantum.

Prior pars tenetur à Doctoribus omnibus, eſtque per ſe ſatis euidens: ſi enim periurium non ſit mortale quando adductione primæ veritatis confirmatur falſitas pernicioſa, nunquam videbitur periurium eſſe peccatum mortale, quod tamen Scripturæ & Sancti Patres omnes tantopere deteſtantur.

Poſterior pars putatur eſſe contra Gofredum in Capitulum Quod autem, & in Capitulum vltimum cauſa 22. qu. 2. vbi dicit periurium iocoſum eſſe peccatum veniale, vt refert Angelus V. Periurium: à qua opinione nec ipſe videtur omninò alienus, dicit tamen contrarium eſſe tutius: pro eadem opinione citat Nauarrus Gloſsã ad Capitulum Veniens de iureiurando, vbi tamen id non habetur: ſed ſimile aliquid reperitur in Gloſſa ad Capit. Vnum, §. Nunc, diſt. 25.

Interim verò tenetur Concluſio paſſim communiter ab omnibus: ita docet D. Th. hic, quæſt. 98. art. 3. ad 2. vbi dicit mortaliter peccare qui iocosè falſum iurat. & ibidem Caiet. & Arragonius: Soto lib. 8. De iuſtitia, qu. 2. art. 3. & Scholaſtici in 3. diſt. 39. quando dicunt periurium deliberatum ſemper eſſe peccatum mortale: neque periurium poſſe fieri veniale, niſi per inaduertentiam, vel ſubreptionem. Ita Syl. V. Periurium, & alij plures Summiſtæ eodem verbo, Nauarr. c. 12. n. 6. Couar. lib. 1. Variar. c. 1. n. 2. & ad Cap. Quamuis pactũ 1. p. §. 6. n. 4. Suar. li. 3. De iuram. c. 4. Clauis Regia lib. 5. c. 4. n. 14.

Digitized by Google

144 Probatur, quia malitia ipſius mendacij habet ſe accidentaliter ad grauitatem materiæ iuramenti, nam reſpectu iuramenti omne mendacium eſt materia grauis, quia iuramentum falſum ex hoc præciſè accipit ſuam malitiam, & malitiæ grauitatem formalem, quòd Deus tanquam prima veritas adducatur in teſtem falſitatis: ad hoc autem parùm refert, ſitne falſitas illa pernicioſa alijs, an non: quia cuiuſcumque falſitatis atteſtatio priuat Deum dignitate primæ veritatis; licet interim atteſtari falſum pernicioſum alijs, non tantum derogaret illius veritati, ſed etiam bonitati, & ex illo capite periurium pernicioſum merito habeatur peccatum grauius altero.

145 Quod autem ad ſententiam Gofredi attinet, omnio eſt illa reijcienda, ſi accipiatur tanquam contraria huic doctrinæ. Ait forſitan, non ita intellexit, ſed tantùm voluit periurium iocoſum eſſe veniale, quando ſcilicet ita ioco iuratur falſum, vt non tantummodo fiat iuramentum ſuper re falſa ad iocum, ſed ita vt etiam detur intelligi ipſum, non tanquam verum iſtud affirmare & iurare, ſed tantùm ioci cauſâ ſic loqui & agere: quemadmodum ioci cauſa narrantur fabulæ, & ſic dici poſſet eſſe veniale tantum, quia non intendit affirmare aut iurare falſum, ſed ioci cauſa agere ad inſtar aſſerentis & iurantis, atque eo ſenſu etiam verum eſſe poterit, quod Angelus pro Gofredo allegat ex Auguſtino quæſt. 145. in Geneſim, & habetur citato Capitulo Quod autem, ſcilicet, quod mendacium iocoſum non ſit mendacium propriè dictum, quando nimirum locutio ita ſit per iocum, vt ex ipſo modo loquendi ſatis detur intelligi, non affirmari & iurari id quod dici videtur, ſed tantum ioci cauſâ proferri: & ſic accipienda eſt auctoritas D. Auguſtini quam Angelus allegat: alioquin verum non eſt, quod mendacium iocoſum quo falſitas abſolutè affirmatur, quamuis ad aliorum recreationem fiat, non ſit mendacium propriè dictum, cum ſit aſſertio ſimpliciter & contra mentem dicentis.

146 Dico Secundò: Similiter periurium promiſſorium quatenus iuranti deeſt intentio adimplendi quod promittit, ſemper eſt peccatum mortale circa quamcumque materiam ſine grauem ſiue leuem verſetur. Ita Suarez lib. 3. De iuramentis cap. 17. & DD. citati, ac alij communiter: & ratio eadem eſt, quæ concluſionis præcedentis: continet enim tale iuramentum & includit periurium aſſertorium: vt per ſe euidens eſt.

Dicet aliquis: ſolent frequenter fieri eiuſmodi leues promiſſiones cum iuramento, nec tamen videntur ſic iurantes habere intentionem implendi, aut ſeruandi, vt colligi ex eo poteſt, quia raro ſeruant: durum autem videtur illos facere ſemper reos & damnare peccati mortalis, vt quando parentes vel domini cum iuramento minantur filijs aut ſeruis correctionem, ſiue pœnas, vel promittunt eis munuſcula, aut proemia: item quando vrbanitatis cauſa iurant aliqui, quòd non ingredientur ante alterum, quòd non tenebunt latus dignius, & ſimilia: ergo videtur dicendum quod leuitas materiæ in talibus excuſat.

Reſpondet ad hæc Suarez loco citato: quod omnes penè Auctores cenſentur hæc ordinaria iuramenta excuſare à peccato mortali: oportet tamen, inquit, vt excuſatio bene ſit fundata: nam quantumcumque iuramentum promiſſorium ſit de re leui, ſi abſolutâ intentione iurandi, & animo non implendi fiat, peccatur mortaliter; quia eſt periurium aſſertorium contra veritatem: quod etiam docet Clauis Regia ſuprà c. 5. num. 11.

Diuerſi itaq; allegant diuerſa fundaměta pro excuſatione iſtorum à culpa mortali & à falſitate iuramenti: ſolidiora autem poſſunt eſſe hæc: inprimis quòd licet ſic familiariter iurantes ſæpius non obſeruent iuramentum, nihilominùs exiſtimetur cum intentione ad implendi & ſeruandi iuraſſe; atque ita non fecerint aſſertorium iuramentum falſum, & proinde in ipſo actu non peccent mortaliter ob defectum veritatis, de qua intentione ex ipſis oportet intelligere: quod autem poſtmodùm in nō obſeruatione iuramenti illius, non peccent mortaliter, fieri poteſt, quia ſcilicet quibus promiſſio cum iuramento facta eſt, facilè conſentiunt explicitè vel implicitè in non adimpletionem, quia non apprehendunt eiuſmodi dicta obtinere rationem abſolutæ & rigoroſæ promiſſionis, vt facilè licet præſumere in caſu talium promiſſionum, quæ ſic fiunt filijs, aut famulis: qui reſpectiuè ita ſolent exiſtimare de parentibus aut dominis, ſic promittentibus. 147

Dices, etſi in pollicitationibus proemiorum poſſet habere id locum, non videtur tamen in comminationibus pœnarum cum iuramento id dici poſſe: nam tunc promiſſio & iuramentum videntur proximè fieri Deo, non illis quibus ſit comminatio.

Reſpondetur, id verum eſſe: neque enim rectè alteri dicetur promitti ſupplicium, quod ipſi ingratum eſt. Vnde in illis poteſt ſuccurrere aliud fundamentum, quod ſcilicet iſtæ comminationes cum iuramento intelligantur fieri cum ſubintellecta conditione, niſi ſcilicet humiliatione, vel maiori diligentiâ, aut ſollicitudine & cautelâ animum meum placaueris, aut remiſſionem merueris: & ſic aliâ ratione ſit quaſi ſatiſfactum iuſtitiæ vindicatiuæ, ſecundū quam pœna erat infligenda: exemplo Dauid qui licet iuraſſet percutere Nabal cum Domo 148

eius

Digitized by Google

eius,poſtea tamen placatus precibus Abigail mutauit in melius parcendo lib. 1. Re.c.25. Vide plura de hac re in Claue Regia ſuprà cap.5.n.13. Similiter etiam intelligi poſſunt fieri iuramenta illa vrbanitatis, cum conditione ſcilicet niſi alter omnino recuſauerit, aut niſi illi ingratum foret, vel aliqua ſimili, ſi in propoſito perſiſterem. Ita fere Clauis Regia ſuprà n.14. cum multis quos citat,aut denique non adimpletio excuſari poterit aliquando,quia ipſa res iurata eſt inutilis,aut indifferens ad cuius proinde eexcutionem Deus cui iuramentum aut promiſſio dicitur facta, non vult ob ſuum reſpectum induci obligationem: imo ſi illo reſpectu res talis fieret, haberetur actus ille ſuperſtitioſus, vt ex ante dictis de materia iuramenti, intelligere licet.Quidquid interim ſit de eiuſmodi excuſationibus, omninò tamen dehortandi ſunt omnes ab eiuſmodi iuramentis, quia ferè ſemper in vanum aſſumitur ſine neceſſitate & iuſta cauſa nomen Domini:vnde nō fiunt abſque graui peccato veniali, & non carent periculis grauioris ſæpius culpæ.

149 Dixi in concluſione, ſic vt ratione leuitatis materiæ non contingat periurium aſſertorium contra veritatem, ſiue ſtrictè ſumptum eſſe tantùm veniale, quia per ſubreptionem aut inaduertentiam poteſt aliquādo vel non eſſe peccatum, aut veniale tantum, vt Doctores paſſim tradunt de omni genere peccati. Sic itaque iurans falſum poterit venialiter tantum peccare, ſiue quia non aduertit ſe iurare, ſiue quia non aduertit falſitatem, modo inaduertentia ſit inuoluntaria ſeu inculpabilis.

Petet aliquis, vtrùm inaduertentia excuſet etiam à mortali in illo qui malam induit conſuetudinem temere iurandi aut peierandi, quam non retractauit.

Caiet. hic quæſt. 89. art. 2. & quæſt. 98. art. 3. docet eiuſmodi prauam conſuetudinem efficere, vt periurium quod aliàs non eſſet peccatum mortale propter inaduertentiam naturalem,imputetur ad mortale: & ſequitur illum Nauarrus cap. 12. n. 6. & indicat etiam Bonac. ſuprà diſp. 4. quæſt. 1. puncto 13.n.6.quatenus dicit eum qui falsò iurat inaduertenter poſt retractatā conſuetudinem non peccare mortaliter. Fundamentum horum eſt, quia in tali homine inaduertentia non videtur eſſe cauſa iurandi, nam æquè iuraret (ita enim habitualiter eſt conſtitutus) etiamſi aduerteret, vt eius conſuetudo ſatis declarat.

150 Contrarium tamen videtur verius, quod ſcilicet iuramentum falſum prolatum ſine aduertentia per ſe ſufficienti ad peccatum mortale, non ſit nouum peccatum mortale propter peierandi conſuetudinē, etſi hæc non ſit retractata. Ita docet Suarez lib. 3. cap. 7. & colligit ex D. Thoma hic qu. 98. art. 3. ad 2. quatenus ſine reſtrictione dicit, eum qui iurat falſum ſine aduertentia, à crimine periurij excuſari: quod & aſſerunt Durandus in 3. diſt. 39. quæſt. 5. Bonauentura ibidem art. 1. quæſt. 3. qui & hoc expreſſius addit, quòd ne quidem mortaliter peccet, etiamſi ex quadam conſuetudine ſic iurat, ſcilicet per inaduertentiam: Maior ſimiliter quæſt. 4. ponit generalem concluſionem: quod nullum iuramentum indeliberatum ſit peccatum mortale: & probat quaſi ab inconuenienti, quia aliàs aſſuetus iurare, inquit, toties mortaliter peccaret, quoties in actum periurij ex habitu prorumperet: Scotus quoque eadem diſt. quæſt. vnica dicit conſuetudinem vel habitum nō facere, vt actus ſit peccatum mortale, niſi reddat actum ſufficienter deliberatum. Ita etiam Syluest. V. Blaſphemia quæſt. 4. ſentit blaſphemiā inaduertenter prolatam ex conſuetudine, non eſſe peccatum mortale: eſt autem eadē aut maior ratio peccati in blaſphemia, quæ in periurio.

Ratio itaque huius doctrinę reddi poteſt, 151
quia non obſtante conſuetudine non retractatâ, aut prauo habitu relicto, tamen præſens inaduertentia ſiue inconſideratio cum qua iuratur, eſt inculpabilis & inuincibilis ſicuti in altero contingit qui talem cōſuetudinem prauam non habet: ergò excuſatur illud periurium à culpa mortali, non obſtante conſuetudine. Antecedens ſupponitur, quia ex tali hypoteſi tractatur hæc quæſtio: oportet enim vt talis ſit inaduertentia quæ reuera excuſaret hominem ab omni peccato,aut ſaltem à mortali, ſi non haberet conſuetudinem ſic iurandi; qualem inaduertentiam aliquando etiam obuenire homini malâ conſuetudine imbuto, non repugnat: imò eam Doctores de hoc caſu diſputantes ſupponunt: quamuis interim negandum non ſit, quin illa praua conſuetudo ſæpè ſit cauſa inaduertentiæ voluntariæ & culpabilis, dum facit vt præ negligentia quis non aduertat ea quæ facilè aduertere poterat & debebat.

Vnde quamdiu conſuetudo non diſplicet, nec cum dolore animi retractatur, metuendum eſt, quod pleraque illa iuramenta implicitè ſeu interpretatiuè ſufficienter ſint voluntaria etiam ad peccatum mortale: eo quod & ipſa inaduertentia plerumque ſit culpabilis. Nihilominùs tamen quando illa reuera eſſet inuoluntaria & inculpabilis, excuſaret à mortali, non minus in eo qui prauâ conſuetudine eſſet imbutus, quàm in altero.

Ad fundamentum itaque Caietani & aliorum reſpondetur, Eſto ità ſit, quod inaduertentia in illo non ſit propriè cauſa ſic iurandi ſiue peierandi, eſt tamen cauſa quod actus ille vt hic & nunc ſit, non ſit delibe- 152
ratus

ratus & voluntarius eo modo, prout requiritur vt contrahat culpam mortalem.

Vnde ad conditionalem illam quam per modum confirmationis adijciunt, ſcilicet quod qui ſic peierare aſſuetus eſt, etiamſi aduerteret periurium, quod nihilominùs peieraret, nō ſatis eſt ad conſtituendū actuale peccatum & nouam culpam in actu qui fit ex inaduertentia inuoluntaria.

Quemadmodum ſuprà adhuc diximus & declarauimus in ſimili; nam ſi quis inculpabiliter ignoret hoc die eſſe ieiunium, & ſic non ieiunat, nō peccabit mortaliter, etiamſi ſoleat non ſeruare ieiunia ſibi nota: & proinde neque hoc putetur ſeruaturus fuiſſe, etiamſi illud nouiſſet.

Ita quoque ſi in venatione quis adhibitâ ſufficienti diligentiâ, ne hominem occidat, & interim caſualiter occidat inimicum, non committit culpam homicidij, etiamſi habitualiter ita eſſet diſpoſitus, vt ſi ſciuiſſet ibi eſſe inimicum, occidiſſet illum: prout doceri ſolet 1. 2. de voluntario & inuoluntario. Eſtque conforme hoc doctrinæ D. Auguſtini, qui contra ſemipelagianos docuit, non imputare Deum nobis ad merita aut demerita, quæ faceremus ſi ſuperuixiſſemus, aut ſi hæc vel illa occurriſſent: ſed quæ facimus circa illa quæ occurrunt.

153 Dico Tertiò: Periurium quo violatur promiſſio iurata de re graui aut magni mòmenti eſt quoque peccatum mortale. Ita tenent Doctores omnes.

Sed non ſatis conueniunt, vtrùm violatio iuramenti promiſſorij vt tale eſt, quod ſcilicet cum intentione ſeruandi eſt præſtitum, ſed poſtmodùm non ſeruatur, poſſit eſſe peccatum aliquando veniale ex leuitate ſeu prauitate materiæ promiſſæ?

Multi tenent partem affirmatiuam, ſcilicet non eſſe peccatum mortale non implere promiſſionem iuratam in materia leui. Sic referuntur ſentire Antoninus 2. parte titulo 10. cap. 4. §. 1. Syluest. V. Iuramentum 4. quæſt. 1. Angelus V. Iuramentum 5. nu. 41. collatis ſimul illis quæ habet V. Periurium n. 1. & tenent Soto lib. 2. De iuſtitia qu. 4. art. 3. circa finem. & lib. 8. quæſt. 1. art. 7. & quæſt. 2. art. 3. Mald. tractatu 10. cap. 6. dub. 5. Azorius tomo 1. lib. 11. cap. 5. qu. 3. Suarez ſuprà lib. 3. cap. 16. Nauarrus c. 12. n. 10. & cap. 18. n. 7. qui hanc ſententiam multis rationibus conatur probare: quas tamen dicit Suarez loco citato omnes ex generalibus materijs eſſe petitas, ac poſſe facile applicari ad iuramentum aſſertorium de re leui; proindeque prout de hoc caſu non conuincunt (quemadmodum omnes paſſim tenent vt ante diximus) ita neque de promiſſorio.

154 Suarez itaque nouum aliud fundamentum huius opinionis ſtatuere conatur, quod ſcilicet in iuramento promiſſorio vt tale eſt, non aſſumatur aut inuocetur Deus tanquam teſtis veritatis, quòd ſcilicet iurans, promiſſum complendo verificabit ſuū ſermonem, ſed ſolum tanquam fideiuſſor, aut quemadmodum Princeps aut vir magnus aliquando interponitur in cōtractibus qui in eius præſentiâ celebrantur, vt ex illo reſpectu fiant quaſi firmiores, qui ſi non obſeruentur ob defectum partis vnius, non ideo quidquam iſtius Principis veritati aut fidelitati detrahitur, ſed tantum committitur contra reuerentiam illi debitam: quo autem contractus ille fuerit de materia maioris momenti, eò grauior eſt irreuerentia, dum non ſeruatur: quando autem eſt de re leui non videtur tunc irreuerentia eſſe notabilis; ergò videtur quod non ſit mortale peccatū violare promiſſionem iuratam in re leui: & ita videtur Suarez illa opinionem fundare, quem in eo ſequitur Malderus.

Verùm ſuprà dubio 2. huius capitis oſtendimus tum auctoritate, tum rationibus, quomodo iuramentum aſſertorium & promiſſorium in formali ratione iuramenti non ſic diſtinguantur, quaſi in vno Deus adducatur ut teſtis veritatis, & in altero per modum fideiuſſoris adhibeatur tantum pro fidelitate promittentis ſtabilienda: ſed quod in vtroque inuocetur Deus tanquam teſtis veritatis: nemo enim poteſt negare, quin iuramentum promiſſorium etiam vt tale, ſit propriè dictum iuramentum: ratio autem iuramenti propriè dicti poſtulat, vt inuocetur Deus non ſub quacumque ratione; ſed tanquam prima veritas quæ nec fallere, nec falli poteſt, in teſtimonium aſſertionis ſiue de præſenti, ſiue de præterito, ſiue de futuro: quod & ipſa iuramenti definitio communiter recepta importat. 155

Quare cum promittens aliquid ſub iuramento ſuo quantum in ipſo eſt, facit Deum teſtem non tantum veritatis huius de præſenti, quòd habeat voluntatem explendi promiſſum; ſed etiam illius de futuro, quod idem facturus ſit (niſi ſcilicet iuſtum impedimentum aut excuſans ratio interueniat, prout dubio 2. citato latius eſt explicatum) hinc verior & præferenda videtur doctrina oppoſita, quod ſcilicet quemadmodum in aſſertorio periurio nunquam excuſat à mortali, materiæ paruitas, ſic neque in iuramento promiſſorio per ſe loquendo.

Ita docent Gabriel in 3. diſt. 39. qu. 2. concluſione 4. & 7. Tabienna V. Iuramentum n. 11. Fumus V. Periurium n. 12. Caiet. in ſumma eodem verbo: à Valentia tomo 3. diſp. 6. quæſt. 7. puncto 3. concluſione 3. Leſſ. lib. 2. cap. 46. dub. 5. Clauis Regia ſup. lib. 5. c. 4. n. 28. Bonac. ſup. puncto 14. n. 3. & alij quos citat.

Colli-

Digitized by Google

Colligitur autem ex D. Thoma hic q. 89. art. 7. ad 1. quatenus dicit ad reuerentiam diuini teſtimonij pertinere, vt homo faciat eſſe verum id quod iurauit ſecundum poſſibilitatem ſuam: vbi clarè indicat ſe intelligere, quòd Deus tanquam teſtis veritatis etiam reſpectu aſſertionis vt eſt de futuro, inuocetur in iuramento promiſſorio; atqui hoc poſito planè oritur eadem ratio de promiſſorio, quæ eſt de aſſertorio, vt etiam ſatis indicare & admittere videtur Suarez, quia etiam non implendo tunc iuramentum promiſſorium in re parua, conſtituitur Deus teſtis falſitatis, quantum eſt ex parte eius qui iurauit: ſicuti dum falsò aſſeritur res parua ſub iuramento.

156 Et confirmari poteſt primò, quia qui ſine promiſſione iurat ſe aliquid facturum, non tantùm Deum adhibet teſtem præſentis veritatis quod habeat animum hoc faciendi, ſed etiam ipſius aſſertionis de futuro, quòd faciet illam veram, adeò vt ſi non faciat, cenſeatur adhibuiſſe Deum teſtem falſitatis: quod & Suarez diuerſis locis ſatis ſignificat, ergò ſimiliter quando quis promittit aliquid cum iuramento, inuocat Deum in teſtem illius aſſertionis, non tantum ſecundum veritatem quę debet ineſſe in præſenti, ſed etiam quæ requiritur in futurum: neque enim fundamentum aliquod ſubeſſe videtur, quare iuramentum cōcurrens cum promiſſione de re in futurum præſtandâ, eſſet alterius rationis, & minoris efficaciæ, quàm nudum iuramentum de re futura, ſiue de re facienda in futurum; quandoquidem non repugnet Deum adhiberi in teſtem veritatis aſſertionis de futuro etiam vt talis aſſertio eſt.

157 Confirmatur Secundò, Quia ſi Deus in iuramento promiſſorio adduci dicatur ſolùm vt fideiuſſor modo iam ante explicato, & ideo eius violatio in re parua excuſetur à culpa mortali, quòd irreuerentia exigua ſit omittere promiſſionem rei paruæ, quamuis ad illam corroborandam Dei præſentia ſpecialiter ſit adhibita, ergò pari vel etiā maiori ratione videbitur dicendum, quod non ſit peccatum mortale, non explere promiſſa iurata ex metu graui, & iniquo, quamuis ſint de rebus magni momenti: quia ſi contraueniens iuratæ promiſſioni tantum peccet contra fidelitatem, & eatenus ſolum ſpecialiter contra religionem, quòd fidem ſub inuocatione Dei vt fideiuſſoris datam, nō ſeruet; ergò quando promiſſio poteſt ſine perfidia & vitio infidelitatis, non ſeruari, non videbitur grauis irreuerentia in Deum, tunc eam non ſeruari.

Minor enim irreuerentia committitur in perſonā in cuius pręſentiâ facta eſt promiſſio, quando non ſeruatur illa quæ promittentem non obligabat, quàm dum non ſeruatur promiſſio de re minoris momenti quę tamen obligabat; ergò non tenebitur ſub peccato mortali ſeruare tale iuramentum, quamuis ſit de materia graui: quia facilè iudicatur abſolui fideiuſſor, vel is qui ad tribuendam maiorem firmitatem promiſſioni, modo dicto eſt adhibitus, quando principalis ex promiſſione facta non obligatur. Neque tunc ille exiſtimat multum ledi dignitatem ſuam aut illi derogari, quando ex iuſta illa ratione alter non præſtat, quod in eius præſentia inualidè promiſerat. Hoc tamen alij communiter non admittunt, ſed volunt iuramentum etiam metu iniquo extortum obligare ſub peccato mortali. Vide Suarez lib. 2. De iuramentis cap. 9. & lib. 3. cap. 16. circa finem.

Accedit quòd videatur metaphoricè planè accipiendum ſi aliquando dicatur Deus adduci vt fideiuſſor aut ſe præbere fideiuſſorem in promiſſionibus iuratis, quia ſcilicet ſuo teſtimonio præbet firmitatem promiſſioni, ſicut ſolet inter homines præbere fideiuſſor: neque enim contrahit Deus aliquam obligationem propriè ad pręſtandum promiſſum in defectu promittentis iurati, igitur non inuocatur niſi vt teſtis veritatis etiam aſſertionis promiſſorię de futuro, cum hoc non repugnat; & aliorum etiam iudicio de facto fiat in iuramentis de re præſtanda non interueniente promiſſione, ac in iuramentis quæ accedunt ad promiſſionem quæ per ſe non obligat de iure: tunc enim iuramentum non eſt confirmatorium, ſed introductorium obligationis: idque non alia de cauſa, vt apparet, quam quia Deus eſt adhibitus teſtis veritatis in aſſertione de futuro, quæ in tali promiſſione cenſetur fuiſſe incluſa. 158

Dixi per ſe loquendo, quia per accidens poteſt contingere, quod qui promiſit alteri cum iuramento dare centum aureos, aut non peccet, aut non mortaliter, ſi det nonaginta nouem; non per ſe quidem propter materiæ paruitatem quæ omittitur, ſed quia intentio iurantis aliquando non fuit ſe adſtringere ad exactiſſimum illum numerum, ſed ad centum vel circiter, & ita iuramenti vis nō extendit in rigore ſe præcisè ad illum numerum; aut rurſum, etiamſi intentio iurantis ſe præcisè ad numerum illum extenderit, tamen fieri poteſt quod promiſſarius non ſit ſollicitus de exactiſſimo numero vel qualitate rei promiſſæ, ſed facilè remittat ſi modicum aliquid deſit: quod ſi promittenti innoteſcat, aut ex indicijs iuſtis præſumat, non peccabit contra iuramentum, etiamſi quid minus præſtat, & eo ſenſu videtur nonnulli dixiſſe quod violare iuramentum de re leui quando hæc eſt tantum particula materiæ grauioris, ſit tantum peccatum veniale: ſecus verò, quando eſt tota materia iuramenti. 159

menti.

Digitized by Google

menti. Sed hoc interim verum eſt, quando intentio iurantis ſe extendit etiam vſque ad minimum, & promiſſarius ſibi vult vſque ad vltimum quadrantem ſolui, quod reus erit periurij & quidem mortalis, ſi totum non præſtiterit.

DVBIVM XVIII.

Quibus modis tollatur aut deſinat obligatio iuramenti?

160 Reſpondetur, varijs modis contingit iuramenti obligationem tolli aut deſinere:

Ac inprimis propter materiæ mutationem, vt ſi res iurata efficiatur impoſſibilis, v.g. Si iurauerim quod tali die cōparebo in tali vel tali loco, & interim contingat me apprehendi & concludi in carcere, vel contingat me in grauem morbum incidere, vt comparere non poſſim, vel ſi res iurata fiat illicita propter contrarium præceptum ſuperioris, qui velit ſuum præceptum obtinere, non obſtante iuramento, vel ex alia circumſtantia.

Secundò, Condonatione, vt ſi is in cuius vtilitatem aut fauorem præſtitum fuit iuramentum, remittat obligationem.

Ratio eſt, quia qui iurat aliquid præſtare alteri, non facit hoc niſi ſub tacita conditione ſi ille de cuius vtilitate aut fauore agitur, velit ſibi præſtari: non enim iurans aut promittens intendit inuitum ad beneficium acceptandum compellere, vel nolenti obtrudere. Nauarr. cap. 22. num.25. Azorius tom.1. lib. 11. cap.9. Suarez lib. 3. cap. 39. Clauis Regia lib. 5. cap. 7. Bonacina ſuprà diſp. 4. quæſt. 1. p.17. nu. 3. & alij. Addit Bonac. eum qui ab alio iniuſtè extorſit iuramentum, cogi poſſe ad condonandum per legitimum ſcilicet Iudicem. Pro quo citat Cap. 1. De iureiurando: Suarez ſup. n. 15. & cap.41.n.6. & alios.

Ex his facilè licebit colligere, quid reſpō-
161 dendum ſit ad difficultatem, quæ hic à nonnullis mouetur, vtrùm remiſſio iuramenti per eum fieri poſſit, cui præſtitum eſt, quando res promiſſa eſt ad Dei honorē vel aliorum vtilitatem? Dicendum enim eſt, quod per ſe loquendo, non poſſit per illum fieri. Ita docet D. Thom. quæſt. 89. art. 9. ad 2. & alij Doctores communiter, eo quod in hoc caſu, non tam ille coram quo fit promiſſio, ſit promiſſarius, quàm Deus ipſe, vel alij in quorum vtilitatem promittitur vel iuratur.

Si itaque cum iuramento promittam Petro, me ingreſſurum religionem, vel me daturum tale quid Paulo, non liberabit me à priori illo iuramento Petrus: ſed qui poteſt relaxare votum religionis.

Similiter à poſteriori poterit me liberare Paulus, ſi non cupiat ſibi præſtari, aut condonet illud quod Petro promiſi cum iuramento me daturum ipſi Paulo. Ita ferè Suarez ſuprà num. 5.

Hæc tamen intellige, (vt monet D.Th.) niſi eſſet interpoſita conditio ratione cuius Petrus illud poſſit, vt ſi hæc eſſet appoſita, ſi illi ita videbitur cui fit talis promiſſio in fauorem alterius, vel quid ſimile.

Poteſt etiam huc referri ceſſatio iuramenti conditionati, quando promiſſarius conditionem non explet; quia implicitè videtur condonare, aut non petere promiſſum: quamuis alij hanc ceſſationem referant in materiæ mutationem.

Quod autem tunc deſinat iuramentum conditionatum, conſtat ex Capitulo Peruenit 2. ex Capitulo Sicut hoc eſt: & Capitulo Verùm, De conditionibus appoſitis.

Tertiò ceſſare poteſt, iuramenti obliga-
tio per irritationem, quæ fit ab eo qui pote- 162
ſtatem habet, vt tradunt Doctores communiter. D. Thom. art. 9. citato ad 3. Suarez lib.2. De iuramentis cap. 38. Bonac. ſup. n.4. & alij. Sic parentes irritare poſſunt iuramenta filiorum ſub patriâ poteſtate exiſtentium, & maritus vxoris, & domini ſuorum ſeruorū in rebus illis & actionibus, ac in materijs ipſis ſubiectis quæ præiudicant iuri aut poteſtati patris aut mariti aut domini reſpectiuè. Vide Syluest. V. Iuramento 6. quæſt. 7. & colligitur ex cap. 30. lib. Numerorum.

Quæritur hic: vtrum iuramenta minorennium irritari poſſint à tutoribus. Reſpondetur, iuramenta minorennium quæ includunt votum aut ſapiunt naturam voti poſſe à tutoribus irritari eo modo, quo vota: quâ de re vide dicta ſuprà cap.4. De modis quibus exſoluatur quis à voto. Similiter & iuramenta minorennium quæ verſantur circa promiſſiones hominibus factas, vel circa humanos contractus, quando illi ſunt inualidi non obſtante iuramento quod acceſſit, quia tertio non eſt tunc ius acquiſitum per promiſſionem vel contractum, ſed manet iuramentum in ſola obligatione religionis; poterunt ergò tutores tunc illud irritare ſicuti vota & alia iuramenta quæ per ſe obligant Deo ſoli: Ita Suarez lib. 2. cap. 28. n.7.

Sed iuramenta puberum quibus contra-
ctus confirmatur, irritari non poſſunt à tu- 163
toribus, quia per leges aliter diſponitur. Vide legem 1. & 2. C. ſi aduerſus venditionem: quæ id potuerunt quatenus ſubiectio minorennis & dependentia voluntatis eius à tutoribus poteſt per Principem augeri vel minui. Sic de illis docet Suarez loco citato cum Sanchez lib. 6. De matrimonio diſp. 38. n. 17.

Quod

Digitized by Google

Quod attinet ad iuramenta minorennium impuberum, quibus ipſi confirmant aliquos ſuos contractus, videtur Sanchez loco citato exiſtimare, quod tutores neque hæc poſſint irritare: idque potiſſimùm ex hoc principio, quia ſupponit contractus iſtorum pupillorum etiam abſque auctoritate tutorum factos, non eſſe omnino nullos, ſed parere obligationem naturalem: vnde infert, ſi confirment illos iuramento non poſſe à tutoribus irritari tale iuramentum, quia quando acquiritur ius tertio, locum non habet irritatio tutoris.

Sed oppoſitum nihilominùs videtur verius, quod tenet Lopez lib. 2. De contract. cap. 39. & Suarez loco antè citato, n. 9. eò quod iura de his nihil contrarium diſpoſuerint, ſicuti de minorennibus qui iam puberes facti ſunt.

Et confirmari poteſt ex Capitulo Pueri, cauſa 22. quæſt. 5. vbi generaliter dicitur, quod ſi puella in puerili ætate ſita in domo patris ſe, illo neſciente, iuramento conſtrinxerit, & ſtatim pater vt audiuit, contradixerit, iuramenta eius eſſe irrita. Quæ autem eſt ratio patris, eadem videtur eſſe tutoris.

164 Quod itaque attinet ad fundamentum Sanchez, inprimis hoc controuertitur, an eiuſmodi contractus pupilli impuberis pariat obligationem naturalem: & negatiua pars eſt probabilis.

Deinde quamuis ponatur contractus ille non eſſe planè nullus ipſo iure, irritari tamen poteſt ab ipſo tutore à cuius voluntate pendet voluntas pupilli: & ſic conſequenter irritari poterit etiam iuramentum pupilli: atque ita dixit Soto lib. 8. quæſt. 1. artic. 9. quando pater aut maritus (& idem eſt iudicium de tutore) irritare poteſt ſuorum reſpectiuè contractum, conſequenter tollere poſſe obligationem iuramenti, quia tollitur eius materia: quando autem non poteſt irritare contractum, nec iuramentum poſſe. Ex dictis intelligitur ad irritationem iuramenti non requiri auctoritatem ſiue iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed ſufficere quod qui iurauit ſit ſubiectus in tali materia alteri, qui habeat dominium ſuper re iuramento promiſſa, vt notat Clauis Regia lib. 5. cap. 8. n. 5. & Suarez ſuprà n. 6. & ex deductione iam facta ſatis conſtat.

DVBIVM XIX.

Vtrùm poſſit obligatio iuramẽti tolli per diſpenſationem?

165 Respondeo & Dico Primò: In iuramentis quæ Deo facta ſunt, vel abſolutè ad piā cauſam poteſt diſpenſari, ita vt obligatio nata relaxetur. Ita docet D. Th. hic quæſt. 89. art. 9. & Doctores communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ.

Ratio autem eſt, quia vt antè indicauimus, eiuſmodi iuramenta ſunt quædam quaſi vota, aut ad modum voti facta: ordinantur enim ad honorem Dei, vel bonum animæ: ergò propter Dei honorem vel maius bonum animæ aliquando in eis diſpenſari poterit.

Hoc itaque intellige fieri poſſe ab illo, qui poteſtatem habet; & quando iuſta ſubeſt cauſa: quæ quidem quia negotium hoc concernit ius diuinum, requiritur non tantùm vt diſpenſatio licitè fiat, ſed etiam vt poſſit fieri validè, vt tradunt Soto lib. 8. quæſt. 1. art. 9. circa finem: Arragon. 2. 2. quæſt. 89. art. 9. Clauis Regia ſuprà cap. 8. nu. 12. & alij quos citat: ſecus eſt de irritatione; nam iuramenta ab ijs qui poteſtatem irritandi habent, poſſunt irritari validè etiam ſine cauſa, vt docet Clauis Regia loco citato.

Fit autem illa relaxatio obligationis, quando diſpenſatur, per ſubtractionem materiæ; quia ſcilicet diſpenſans loco Dei, condonat ſeu remittit debitum, aut mutat in aliud, prout ad Dei honorem, vel ad ſalutem animæ iurantis expedire iudicauerit: atque ita ceſſat obiectio quæ fieri poſſet, quod nimirùm obſeruatio iuramenti ſit legis naturalis, in qua nemo poteſt diſpenſare: non enim in lege illa naturali hic diſpenſatur, ſed efficitur, vt quod ſub tale iuramentum cadebat, iam non cadat amplius. Vide dicta ſuprà de diſpenſatione in votis, vbi iſta latiùs ſunt explicata.

Dico Secundò: Si iuramentum licitè & liberè homini præſtitum ſit in confirmatione promiſſionis factæ homini, illud 166
regulariter diſpenſari aut relaxari non poteſt aut debet abſque conſenſu eius, cui præſtitum eſt: aliquando tamen propter bonum commune aliter fieri poterit.

Prior pars eſt communis, Soto lib. 1. de Iuſt. quæſt. 7. art. 3. & lib. 8. quæſt. 1. art. 9. Caiet. hic quæſt. 89. art. 6. Couarr. in Capitulo Quamuis, parte 1. §. 3. nu. 4. Clauis Regia ſuprà cap. 8. n. 8. & aliorum. Declaratur, quia per iuramentum promiſſorium acquiritur ius illi cui fit promiſſio, atqui non poteſt hic inuitus priuari iure ſuo abſque iuſta cauſa quæ ipſum quoque concernat: quia vtilitas aut maior commoditas alterius non eſt ſufficiens, vt hic ſpolietur iure ſuo.

Declaratur pars poſterior; quia poteſt aliquando adeſſe cauſa quæ ſit ſufficiens & iuſta, vt tale præiudicium aut grauamen imponi poſſit alteri, & ſic iure ſuo exui, ſi ipſe ſua voluntate non velit alium liberare ab obligatione per iuramentum contractā: huiuſmodi autem cauſa non ſolet occurrere

præter commune ſeu publicum bonum, propter quod, quemadmodum neceſſitate vrgente liceret Principi apprehendere etiam bona hominis priuati, ſic quoque licebit illum priuare iure aliquo quod in alterum eſt ei quæſitum. Hic tamen caſus quoque rariſſimus eſt, & vix occurrit: vnde dixi quod regulariter talis diſpenſatio fieri non poſſit.

167 Petes, vtrùm ex priuata cauſa iurantis non poterit relaxari iuramentum quando fuit ſine promiſſione adiũctâ, aut ſi promiſſio fuerit ſimul tamen non ſit acceptata, vt quia non innotuit illi in cuius fauorem cum iuramento eſt facta, aut ex ſimili occaſione. Ratio dubitandi eſt, quia in illis caſibus non eſt ius iuſtitiæ quæſitum alteri, neque orta iuſtitiæ obligatio erga illum in cuius fauorem tali modo iuramentum præſtitum eſt, ſed tantum Deo iuxta Capitulum Debitores, De iureiurando; ergo eiuſmodi iuramentum ex priuatis cauſis relaxari poterit ſicut iuramenta quæ ſunt facta per modum voti, de quibus iam antè egimus.

Reſpondetur, quando conſtaret, homini non eſſe factam promiſſionem ex qua ſit ius illi quæſitum, neque factum eſſe iuramentum pro ſecuritate aſſequendi debitum aliunde natum, ſed ſit de libera donatione tunc in rigore fieri poſſe iuramenti relaxationem ex iuſtis cauſis particularibus ſine conſenſu alterius, quia in iure ſuo non læditur, vtpote quod non habet, vnde nec ei iniuria fit: non tamen facilè hoc practicandum erit, præſertim quando iuramentum innotuit alteri, quia eiuſmodi diſpenſatio odioſa eſt & nata parere ſcandalum & animorum auerſionem ab Eccleſiæ poteſtate, eiuſque vſu, ita ferè Suarez c. 41. citato.

168 Dico Tertiò: Etſi licitè ac validè ex parte iurantis ſit præſtitum iuramentum, adeoque ipſum obliget, ſi tamen turpitudo fuerit commiſſa ex parte exigentis poterit tunc per ſuperiorem poteſtatem relaxari in odium & pœnam turpiter ſic exigentis. Eſt hæc communis doctrina, & ſumitur ex diuerſis Canonibus, vt ex Capitulo Verum, De iureiurando & Capitulo Abbas, De ijs quę vi metuſuè cauſâ: in quibus dicitur eiuſmodi iuramentorum relaxationes fieri poſſe: ratio autem eſt, quia in iuramentis extorquendis, aut in acceptandis contingit ſæpè committi iniuſtitiam, aut ſaltem turpitudinem contra legem vel contra commune bonum ex parte illius cui fit iuramentum. ergo merito ac licitè poteſt ille tunc priuari iure ſuo ab habente poteſtate. Et hinc in primis relaxari poteſt iuramentum præſtitum vſurario de ſoluendis vſuris. Deinde & iuramentum extortum per vim, metum, aut dolum, vt patet ex Capitulis citatis & Capitulo Cum contingat, eodem titulo, item ex Capitulo Secundo, De pactis. Tertiò, quando in contractu iurato interceſſit grauis læſio iurantis, quia in re paſſus eſt iniuriam quæ per poteſtatem publicam reſarciri poteſt. Quartò, ſi ob præiudicium tertij & communis boni turpe ſit petere tale iuramentum, vt à filiofamilias petere vt cum iuramento renunciet cõſtitutioni Macædonij: non enim ſine turpitudine iuramentum illud exigitur, quia vergit in præiudicium patris & ſimul ipſius legis quæ ſic redditur quaſi inutilis, vnde relaxari merito poteſt.

Denique ſicuti per diſpenſationem ita 169
etiam relaxari poteſt iuramentum commutando materiam, ſicuti ſupra dictum fuit de relaxatione voti per commutationem, qui enim poteſtatem habet relaxandi ſeu remittendi ſimpliciter ius Deo acquiſitum per iuramentum promiſſorium, vel per votum, is etiam habet poteſtatem remittendi pro parte; vel ſubſtituendi aliam materiam reddendam Deo, loco eius quam iurauerat aut vouerat. Vide dicta ſuprà cap. 4. huius Tractatus octaui dub. 19. 20. & 21.

DVBIVM XX.

Penes quos ſit poteſtas diſpenſandi in iuramentis?

RESPONDEO & DICO Primò: 170
In iuramentis de quibus agitur in 1. aſſertione dubio præcedenti, quæ ſcil. Deo ſunt facta, aut ſimpliciter ad piam cauſam, diſpenſat omnis ille qui habet ordinariam poteſtatem diſpenſandi in votis ſimilis materiæ de qua eſt iuramentum, quando iuſta & ſufficiens ſubeſt cauſa. Ita communiter ſentiunt Doctores omnes: quia eadem eſt vtriuſque ratio, & idem finis.

Difficultas autem prima occurrit, vtrùm quando iuramentum eſt de materia in votis reſeruata Pontifici, an Epiſcopi poſſint in tali iuramento diſpenſare. Ratio dubitandi eſt, quia non videntur exſtare reſeruationes quoad diſpenſationem ſuper iuramentis in certis materijs, quemadmodum ſunt ſuper votis.

Reſpondetur Primò, quando ſunt iuramenta cum promiſſione Deo facta in talibus materijs reſeruatis, tunc illa quoque Pontifici ſunt reſeruata. Ita ſatis communiter tradunt Doctores.

Ratio eſt, quia huiuſmodi iuramenta aut ſunt vota, aut manifeſtè includunt votum in materia reſeruata.

Addo Secundo, etiam iuramenta per modum nudæ aſſertionis de futuro quæ cadunt in opus vel materiam, cuius votum reſeruatur,

Digitized by Google

ſeruatur, ſunt quoque reſeruata. Ita ſentire videntur Doctores illi omnes, qui ſtatuunt generalem quaſi regulam, quòd omnia iuramenta quæ verſantur circa materiam votorum reſeruatorum, vt perpetuæ caſtitatis, religionis, & quarundam peregrinationum, eſſe etiam Pontifici reſeruata: vt Caiet. hic quæſt. 88. ar. 9. & ſimiliter, inquit, Videntur reſeruata omnia iuramēta Papę quę ſi eſſent vota, eſſent Papæ reſeruata: Arragonius eâdem quęſt. a. 12. à Valentia tom. 3. diſp. 6. qu. 7. puncto 4. Azorius tom. 1. lib. 11. c. 10. q. 3. Toletus lib. 4. c. 22. Soto lib. 8. q. 1. a. 9. Suarez ſuprà cap. 40.

171 Ratio reddi poteſt, quia quod diſpoſitum eſt in vno æquiparatorū cenſetur diſpoſitū etiam in altero, vt habet Panormitanus in Capitulum 2. De mutuis petitionibus n. 10. quod vel maximè dici poteſt hic locum habere, quia finis & ratio reſeruationis quoad vota in illis ſeu talibus materijs militant omnino in iuramentis, videlicet materiæ grauitas & obſeruantia diuini cultus & ſalutis animarum.

Vnde hæc reſeruatio iuramenti in iſtis materijs reduci poteſt ad illud iuris principium, quod grauiores cauſæ Pontifici reſeruantur, vt habetur Cap. Maiores, De baptiſmo & eius effectu.

Accedit quod neque vſu videatur receptū, quod Epiſcopi diſpenſent in iuramentis materiæ reſeruatæ in votis, vt habet Suarez ſuprà, & cum eo tradit Mald. cap. 6. dub. 6.

172 Contrarium tamen tenet Tabienna V. Iurare quæſt. 10. cuius ſententiam cenſet probabilem Nauarrus conſil. 1. De iureiurando n. 4. & 5. idque in eo fundare videntur, quia maior ſit obligatio voti, quàm iuramenti iuxta D. Thomam qu. 89. art. 8. à maiori autem prohibito aut reſeruato non bonum ducitur argumentum ad prohibitionem aut reſeruationem minoris.

Sed & de eo diſſentiunt Doctores, quæ obligatio an voti an iuramenti prævaleat, aut grauior ſit, vnde hic à communiori ſententiâ non videtur propterea recedendum.

173 Altera difficultas eſt, vtrùm regulares, vel illi qui delegatam habent poteſtatem diſpenſandi in votis, poſſint quoque diſpenſare in iuramentis eiuſdem materiæ ſuper quâ diſpenſant in votis: latè hâc de re diſputat Suarez tomo 2. De religione, lib. 6. De votis, cap. 14. & diuerſas refert opiniones: multi tenent partem affirmatiuam, loquendo de illis qui abſolutam habent poteſtatem delegatam in eiuſmodi materijs, & non tantum ad vnum aut alterum determinatum actum. Ita ſentiunt Arragonius hic qu. 89. art. 9. §. Dico 4. & quæſt. 88. art. 12. §. Si quis autem: Emanuel Rodriguez in ſumma cap. 191. n. 16. concluſione 10. Lopez tractatu De voto quæſt. 5. n. 42. Suarez loco iam citato, vbi per diuerſas aſſertiones, docet id locum habere ſiue iuramentum, vt loquitur, ſtet per ſe ac ſolam ſuam obligationem habeat, ſcilicet abſque voto, ſiue confirmet votum: ſiue quis ſimul vouendo confirmet iuramento, ſiue diſtinctè quis iurauerit, & diſtinctè vouerit eandem materiam.

Fundamentum plerique aſſignant, quia cui conceditur maius, etiam cenſetur conceſſum minus, iuxta Capitulum Per venerabilem: qui filij ſint legitimi. Vinculum autē iuramenti promiſſorij per ſe ſpectatum minus eſt quàm voti, prout ſupponunt.

Verùm, quia eiuſmodi generalia principia ſæpius ſolent pati multas exceptiones, aut limitationes (vnde Nauarrus dictam regulam vult tantum procedere in connexis per ſe quæ ſe habent vt totum & pars, vel vt principale & acceſſorium ſiue conſequens, prout loquitur allegatum Capitulum Per venerabilem) hinc Suarez potiſſimum fundat doctrinam ſuam in eo, quòd hic præſumenda ſit omnino talis voluntas & intentio concedentis poteſtatem diſpenſandi in votis: idque quia ſecundum æſtimationem communem, iuramenta quibus iuratur aliquid pertinens ad honorem Dei, aut ſpectans per ſe ad pietatem, vt dum iurat quis diebus Sabatinis audire Sacrum, aut ieiunare, vel certis diebus dare eleemoſinam, reputantur tanquam quædam vota.

Negatiuam verò partem tenet Nauarrus cap. 27. nu. 275. & conſilio 1. De iureiurando: Azorius tomo 1. lib. 11. cap. 10. quæſt. 1. à Valentia tom. 1. diſp. 6. quæſt. 6. puncto 4. & quidam alij recentiores. 174

Probatur, quia iuramenti vinculum eſt ſpecie diſtinctum à vinculo voti: vnde apparet quòd priuilegium conceſſum ad diſpenſanda vota non poſſit extendi ad iuramenta. Accedit quòd Canoniſtæ plures etiam quaſi pro regula teneant in diſpenſationibus non fieri extenſionem ne quidem ad caſum minorē, etiamſi in ſe habeat maiorem rationem quàm caſus conceſſus. Ita tradunt Hoſtienſis in Cap. Poſtulaſti, De reſcriptis, & ibidem Felinus nu. 8. §. circa 3. & alij.

Vtraque ſententia videtur itaque probabilis tum propter auctoritatem Doctorum: tum propter argumenta pro vtraque parte: poſterior tamen eſt ſecurior & magis conformis ſtylo curiæ, vt referunt quidam recentiores, quia ſolet concedi ſpeciale priuilegium ad diſpenſanda vel commutanda iuramenta.

DICO Secundò: In caſu ſecundæ aſſertionis dubij præcedētis, ſi quandoq; occurreret, quod in tali iuramento de quo ibi eſt ſermo, foret diſpenſandum, conuenienter 175

dicitur, quod ea diſpenſatio eſſet à Summo Pontifice petenda & concedenda. Ratio eſt, quia eſt res grauiſſima, & eget magno examine, quia facilè multa naſcerentur inde ſcandala & perturbationes in Repub. ſi indiſcretè fierent tales diſpenſationes. Vnde de ſimilibus videtur loqui D.Th. hic q. 89. a.9. ad 3. quando dicit diſpenſationem eiuſmodi maximè à Pontifice fieri poſſe, vt notat Suarez lib. 2. de iuramentis cap. 41. quia diſponere de iuribus priuatorum ex cauſa boni publici, maximè ſpectat ad ſupremum Prælatum. Porrò in eo quod dicit D. Tho. maximè, indicatur non repugnare, quod aliquando fiat per Epiſcopum ſeruata proportione vt obſeruat Syluest. V. Iuramentũ 5. quæſt. 3. & ex illo Suarez loco citato, vt v. g. (inquit) ſi cum iuramento promiſiſti alteri, non accuſare; ſi tamen expediat bono communi poterit tale iuramentum relaxari maximè per Pontificem, & interdum etiam per Epiſcopum iuxta rei & perſonarũ qualitatem, vt ſumi poteſt ex Capitulo Quemadmodum §. Illud de iureiurando.

176 Dico Tertiò: Poteſtas diſpenſandi in iuramentis de quibus in aſſertione tertia dubio præced. agitur, principaliter reſidet in Summo Pontifice, vt per ſe euidens eſt: Epiſcopis tamen quoque competere habet communis ſententia Doctorum: vt refert Suarez loco cit. Neque obſtat, quod Canones mentionem tantùm faciant Pontificum qui eiuſmodi iuramenta relaxarunt: quia nõ dicunt illam poteſtatem Epiſcopis eſſe ablatam, aut non competere: quin potius ex illis factis Epiſcopi intelligere habeant, quid facere poſſint circa ſuos ſubditos, vt communiter tradunt Canoniſtæ circa Capitulum Primũ de iureiurando, & Capitulum Debitores eodem tit. & Capitulum 1. De ijs quæ vi: Couar. lib. 1. variarum c. 4. n. 5. q. 3. Suarez ſup. cap. 41. n. 12. & alij.

Qui verò delegatam tantum habent poteſtatem diſpenſandi in votis, non poterunt diſpenſare in eiuſmodi iuramentis, quantũuis etiam facultas eorum ſe extenderet ad vota iurata; quia talia iuramenta nullo modo ſunt vota: non enim Deo ad cultum eius, vel intuitu pietatis fiunt; ſed homini intuitu humani contractus aut promiſſionis, ad eorum robur augendum.

177 Sed diſputatur, an poteſtas ſæcularis poſſit etiam iuramenta aliquando relaxare?

Quidam ſimpliciter negant, vt Couarr. 1. parte variar. cap. 3. n. 18. vbi etiam allegat Hoſtienſem, Panorm. & Gloſſam in Capitulum Quanto, de iureiurando.

Alij autem affirmant, quando eſt promiſſio ad alterum hominem facta. Ita ſentiunt multi Iuriſtæ quos refert Couar. loco citato n. 17. & illos ſequitur Molina diſp. 149. vt refert Suarez.

Sed reſponderi poterit cum diſtinctione & ſic vtraque ſententia conciliari: quod ſcilicet loquendo de iuramenti relaxatione per modum diſpenſationis & abſolutionis quæ directè tendit ad tollendum vinculum iuramenti, ſiue propter dubium in illo ortum, ſiue propter alias rationes pertinentes ad remiſſionẽ quæ fit ex parte Dei potiùs, quàm ex parte hominis cui iuramentum præſtitum eſt, ſic poteſtati ſæculari non conuenire aut cõpetere iuramenti relaxationem; quia talis relaxatio eſt functio propria poteſtatis ſpiritualis, & eatenus procedit prior ſententia, quæ huic fundamento potiſſimùm innititur: loquendo autem de relaxatione quæ fit per modum condonationis faciendæ ex parte hominis cui promiſſio iurata præſtita eſt, ſic & poteſtatem ſæcularem poſſe iuramenti relaxationem facere intra ſuos limites, ſcilicet in materia mere temporali, & quo ad perſonas laicas.

Quod ſic declaratur, quia perſona priuata laica cui factũ eſt iuramentum promiſſorium poteſt illud relaxare, & interdum tenetur, ſic vt etiam ad hoc cogi poſſit per ſæcularem poteſtatem: ergò poterit ipſa quoque poteſtas ſæcularis immediatè id facere altero reluctante, & relaxare nolente. Conſequentia probatur, quia eiuſdem eſt poteſtatis cogere aliquem vt faciat ad quod obligatur, & præſtare ſi nolit & reſiſtat: neque hic actus debet dici eſſe ſpiritualis, cum ab ipſo homine priuato laico fieri poterat: & ſecundum hoc procedit & veritatem habet ſententia poſterior. 178

Quod denique attinet ad poteſtatem cõmutandi iuramenta, poteſt iſta commutatio circa materiã diuini cultus aut pietatis fieri propriâ aliquando auctoritate iurantis, vt quando ſubſtituitur aliquid euidẽter melius, & Deo gratius: vti colligitur ex Capit. Peruenit 1. De iureiurando, & tradunt DD. cõmuniter: Clauis Regia ſup. c. 9. n. 15. cum Soto lib. 7. De iuſtitia qu. 4. art. 3. Caiet. hic q. 88. a. 12. Couar. in Cap. Quamuis p. 1. §. 3. n. 4. & alijs, contra Syl. V. Votum 4. qu. 9. aliquando autem requiritur officium poteſtatis ſuperioris, vt quando eſt commutandum in æquale aut minus bonum. Vide dicta ſuprà de commutatione votorum; quæ in commutandis iuramentis inſtar votorũ ſeſe habentibus, paſſim militant. Iuramenta autem quæ facta ſunt homini ordinariè non commutantur, niſi de conſenſu eius cui facta ſunt: aliquando tamen ex cauſa publici boni abſque illius conſenſu commutari poſſent per ſuperiorem poteſtatem, ſicuti iam ante diximus de diſpenſatione eorundem. 179

DVB.

DVBIVM XXI.

Quid ſit adiuratio? & quas res adiurare liceat?

180 RESPONDEO & DICO Primò: Adiuratio debitè facta eſt quidam religionis actus, quo volumus aliquem impellere aut inducere per interpoſitionem diuini nominis, aut alicuius rei ſacræ ad aliquid faciendum, aut omittendum. Ita fere Tann. tom. 3. diſp. 5. qu. 5. dub. 2. & alij. Et colligitur iſtiuſmodi deſcriptio ex D. Thoma hîc quæſt. 90. art. 1.

Poteſt autem fieri adiuratio duobus modis, vt etiam docet D. Thom. aliquando per modum deprecationis, quemadmodum D. Paulus obteſtatur Romanos cap. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei* &c. aliquando autem per modum imperij & compulſionis: ſic Caiphas videtur voluiſſe adiurare Chriſtum, quamuis indebitè faceret, Matth. cap. 27. quando dixit, *Adiuro te per Deum viuum* &c. Item Paulus 1. ad Teſſalo. cap. 5. ſic & illos adiurare videtur: *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epiſtola hac* &c.

Eſt autem actus Religionis, quatenus per adiurationem interponitur Deus, tanquam obiectum amoris vel timoris reſpectu eius quem adiuramus, vt inde vel amore eius, vt quando ab alio obſecramus propter Deum, nobis concedi, vel timore vt quando in adiurando dæmones in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, aut in nomine Chriſti compellimus ad aliquid faciendum aut omittendum. In eo enim colitur Deus quod nomen eius adhibeamus ad fines illos cum fiducia quod alij eius amore commoti, aut timore & virtute compulſi præſtabunt ea quæ volumus ab eis fieri.

181 DICO Secundò: Non licet Deum aut Sanctos per modum imperij adiurare, cum non ſint nobis ſubditi: licet tamen illos adiurare cum reuerentia & honore, ſiue potius deprecari per Chriſtum, per Chriſti merita & paſſionem: Tannerus ſup. Suarez tom. 2. lib. 4. De iuram. dub. 2. & alij, & ſumitur ex doctrina D. Thomæ hic quæſt. 90. art. 1. in corp. & ad 3. Hic tamen adiurandi modus non videtur ita propriè dictus: eſt enim hoc magis obſecrare, quàm adiurare. Vide D. Thomam loco citato.

182 DICO Tertiò: Licet cum debitis circumſtantijs adiurare homines vtroque modo, quando ſunt noſtri ſubditi aut inferiores, ita quoque Doctores citati, & docet D. Th. & patet ex facto S. Pauli allegato. Superiores autem aut æquales non licet adiurare niſi per modum deprecationis: quia inferioribus nō licet imperiū exercere in ſuperiores, quemadmodum nec æqualibus in æquales.

DICO Quartò: Dæmones quoque licitè adiurari poſſunt ab hominibus. Eſt D. Tho. 183
quæſt. cit. art. 2. eſtque aſſertio certa de fide.

Probatur 1. ex Scripturis: Lucæ 10. dicit Chriſtus Diſcipulis: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici.* Item Marci cap. vltimo: *In nomine meo dæmonia eijcient*, & Pſal. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

Probatur Secundò ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, quæ ab initio conſueuit dæmones adiurare, & adiurando ab hominibus pellere.

Lactantius lib. 3. cap. 27. agens de virtute Crucis, ita ſcribit; Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit quatenus adiurati per Chriſtum, dæmones de corporibus quæ obſederint, fugiant.

Tertulianus in Apolog. c. 32. Dæmones, inquit, adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus exigamus, id eſt, expellamus.

Cyprianus libro De idolorū vanitate circa medium, & epiſt. ad Demetriadem ſimilia ſcribit, vbi inter cætera habet, O ſi! audire velles eos! (ſcilicet dæmones) quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, &c. multa etiā hâc de re habet Iuſtin. apologiâ 1. pro Chriſtianis, & Dialogo cum Triphone. Debent autem dæmones adiurari per Deum ipſum vel expreſsè vel tacitè, & non aliter adiurandi ſunt, vt tradit Suarez ſuprà cap. 3. n. 7. & conſtat ex vſu Eccleſiæ: conſueuit enim dęmonē adiurare per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctū. Item per Chriſtum qui etiam eſt Deus verus. Item per Crucē Chriſti, vbi etſi non tam explicitè inuocatur Deus, tamen implicitè eius inuocatio continetur, quia Crux eſt inſtrumentum diuinitatis, quo mediante dæmon à Chriſto deuictus, & ita Crux propter iſtā habitudinem obtinet virtutem contra dæmones. Et eodem modo (inquit Suarez) interdum dæmones adiurantur per Sanctos quos timent: quatenus Deus Sanctis illis peculiarem aliquam virtutem tribuit ſuprà dæmones.

DICO Quintò: Creaturæ irrationales 184
non poſſunt adiurari ſecundum ſe, ſic vt adiuratio referatur ad illas in ſe: poſſunt tamen adiurari ſic vt adiuratio referatur ad eum à quo mouentur & aguntur. Ita D. Thomas quæſt. 90. art. 3. Soto lib. 8. De iuſt. quæſt. 3. artic. 3. Suarez ſuprà lib. 4. cap. 2. n. 12. Tannerus ſuprà, & alij Doctores communiter.

Prior pars Probatur, quia adiuratio omnis fit per Deum aut res ſacras per modum obſecrationis aut per modum imperij: obſecratio autem & imperium non poſſunt dirigi niſi ad naturam intellectualem; nam

 ad irra-

Dicet aliquis: Chriſtus Dominus Marci cap. 5. legitur interrogaſſe dæmonem, quod eſſet illi nomen; imò & Sancti aliqui leguntur à dæmonibus aliquando exegiſſe actiones aliquas tanquam officia quædam ſiue ſeruitia; ergò apparet quod liceat à dæmone aliquid diſcere vel aliqua ſeruitia petere.

818 Reſpondetur Negando Conſequentiam; nam inprimis neque Chriſtus Dominus, neque Sancti aliquid ſimile egerunt quaſi dæmonem rogando, ſiue ſubmiſsè aut familiariter petendo: ſed cum imperio ex diuina virtute mandando, idque totum factum fuit in ordine ad ipſius expulſionem, ac confuſionem, cum fructu fidelium, & gloriæ Dei augmento. Vnde D. Thom. hîc quæſt. 95. art. 4. ad 1. hanc ex Beda lib. 3. in Lucam cap. 32. reddit rationem, quare Chriſtus à dæmone interrogauerit, quomodo vocaretur, vt confeſsâ peſte, inquit, quam tolerabat, (ſcilicet obſeſſus) virtus curantis gratior emicaret. Solent itaque Eccleſiæ miniſtri exemplo Chriſti Domini à dæmonibus corpora humana obſidentibus, de nomine, de numero ſeu multitudine, ac de cauſa ingreſſus inquirere, non rogando ſed virtute exorciſmi compellendo, vt iſta edicant, quia horum cognitio ſolet ſuppeditare medium vel adiumentum aliquod ſeruiens ad ipſorum expulſionem, & ſic ad alia quædam explicanda licebit eos cogere quæ prudenter iudicātur poſſe cōducere ad conſequendum effectum exorciſmi.

Debent autem exorciſtæ cauere ſollicitè, ne quamcumque aliam de rebus obſcuris, longinquis aut dubijs veritatem conentur à dæmone addiſcere aut extorquere, multo minus de veritate fidei noſtræ, vt de veritate Sanctiſſimæ Trinitatis, incarnationis filij Dei, aut de veritate Sacramenti Euchariſtiæ inquirere, aut vrgere eum confiteri, ne quidem ſub prætextu inſtructionis vel ædificationis populi, aut ad Dei gloriam celebrandam.

Imò neque audiendus eſt, quantumcum-
189 que religioſè ac ſanctè loqui videatur, & ſuâ ſponte velle homines inſtruere, & monere aut etiam hortari ad pietatem & pœnitentiam: nam & ipſe doloſus deceptor & mendax aliquando ſe Euangeliſtam gloriatur, & in opus Euangelij à Deo aſſumptum mentitur ad occultos grauiores peccatores prodendos pro maiori bono Eccleſiæ, præſertim illos qui Deo & Sanctis ab renuntiatis ſeſe obſequijs ac cultui illius totos deuouerunt, vt ante annos aliquot in Gallijs, & de poſt etiam in Belgio cœpit exorciſtis obtrudere: probè ſiquidem nouit, ſi eiuſmodi legationis fidem & auctoritatem aliquando apud homines poſſet obtinere, quàm hoc foret ei proficuum, vt liberrimè poſſet in omnes pernicioſiſſimè graſſari ſub ſpecie miniſtri à Deo deſtinati ad conuerſionme grauiſſimorum peccatorum.

Sed procul abſit, vt fides ei adhibeatur & illi auſcultetur, quantumcumque pia & ſancta ſuggerat, aut prædicet: quin potius exemplo Chriſti Domini increpandus ſit, & ſilentium ei imponendum; ſic enim Lucæ cap. 4. quando coram populo clamabat ad Chriſtum: *Scio quis ſis, ſanctus Dei*, dixit Chriſtus, *obmuteſce & exi ab eo:* ac iterum ibidem dum exirent dæmonia à multis clamantia, *quia tu es filius Dei, increpans non ſinebat ea loqui.*

Similiter egit D. Paulus Actorum cap. 16. quando puella habens ſpiritum pithonem ſubſecuta Paulum & Silam clamabat dicens: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis*, vbi dæmon geſtiebat videri Euangeliſta, ſed Paulus teſtimonium illud, licet verum eſſet, & videri poterat ſeruire ad infidelium conuerſionem, tamen à ſpiritu fallaciæ non voluit recipere: ſed dolens (inquit Scriptura) *Conuerſus, ſpiritui dixit; præcipio tibi in Nomine* IESV *Chriſti exire ab ea & exijt eadem horâ.*

Ex quibus conſtat ſatis, quod diaboli inſtructiones, exhortationes, accuſationes, teſtificationes & qualeſcumque eius operæ, quantumcumque appareant ſanctæ, pacificæ, & vtiles ad peccatorum conuerſiones, nullatenus recipi aut admitti debeant.

Et meritò quidem ita Deus voluit ob diuerſas quas Eccleſiæ Doctores tradunt ra- 190
tiones: inprimis enim fides doloſi inſidiatoris & ſeductoris ſuſpecta eſſe debet; ſi namque hæreticus tametſi voces ſuas à ſacris litteris accipiat, nihilominus tanquam ſuſpectus, animoque corruptus audire debeat (iuxta D. Athanaſium) à Spiritu ſancto, *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* quanto magis ſpiritibus illis fallacibus & humanæ ſalutis omnino æmulis obturandum os eſt, etiam dum bona & ſancta ac etiam fortaſſis vera quædam proferunt & annuntiant: miſcent enim fallacias (inquit Auguſtinus quæſt. 6. ad Dulcitum) & vera quæ noſſe potuerunt, & non docendi ſed decipiendi fine prænuntiant: ſtudio enim fallendi agunt, & inuidâ voluntate, horum erroribus lætantur: vera falſis intexunt, & vera dicunt vt in falſis ſibi fidem concilient.

Alteram rationem aſſignat D. Chryſoſtomus homiliâ 13. in Matth. quia initium peccati hominis ex colloquio cum dæmone proceſſit. Hinc enim primus homo offendit Deum, legemque tranſgreſſus, ex abūdanti cum illo, inquit ſermone: quod etſi tibi non præuaricationem præcipiat, neque ſic ei parendum ſit: quid dico (inquit) præuaricationem? etiamſi aliquid vtile dæmones iubeant ne tunc quidem eos debes audire &c.

 Tertiam

Tertiam rationem indicat idem Chryſoſtomus homiliâ 2. de Lazaro, vbi ſic contra dæmonem ſcribit: Ex infamium es numero, inquit, non eſt tuum liberè loqui, tace, obmutesce: non eſt tuum prædicare: Apoſtolorum eſt iſta auctoritas, quid vſurpas quod tuum non eſt? ſile infamis: ſic & Christus dæmones dicentes, nouimus te, increpans multa cum acrimonia non ſinebat loqui: nobis inquit legem præſcribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etſi tibi quod verum eſt, dixerit. Hinc Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 10. generaliter prohibet: *Nolo vos*, inquit, *ſocios fieri dæmoniorum.*

191 Non ignarus itaque dæmon iſtam legationem ſuam quam prætendebat quantumuis ſpecioſè propoſitâ, non facilè recipiendam apud fideles, qui ex Scripturis ſatis nouerunt illum perduellem hoſtem diuinæ maieſtatis, & inuidiſſimum humanæ ſalutis inimicum, quique non ſtudeat homines ad Deum aut Dei cultum adducere, ſed omni conatu abducere, & ad ſuam ſeruitutem ſeducere, ideo per ora energumenorum, de quibus ſuprà facta eſt mentio, contendit diuerſis argumentis confirmare iſtam ſibi cõmiſſionem à Deo impoſitam, vt ſcilicet peccatores qui conuerti non potuerunt, ſiue per externas exhortationes miniſtrorum Eccleſiæ, ſiue per internas inſpirationes ac illuminationes diuinas, neque per Sanctorum preces, hi eius operâ & exhortationibus ad pœnitentiam & ſalutis viam reducerentur pro maiori Dei gloriâ, & Eccleſiæ ædificatione ac profectu.

192 Primum ergo argumentum ſuum (vt in hiſtoria quæ eâ de re gallicè conſcripta eſt, & Pariſijs edita Anno M. DC. XIII. ac poſtmodum Romæ reprobata & prohibita, refertur) ſumit à diuinâ potentiâ & ſuâ ſub Deo ſubiectione omnimodâ. Vnde potuit Deus etiam inuito, inquit, iniungere munia hęc licet maximè ipſi odioſa ac inuiſa, & ad eadem obeunda etiam reluctantem compellere: ex quibus concludit, ſi quis eius legationem detractat ob rationes antè allegatas recipere, quod ille non ſatis dignè, nec ſatis amplè de Dei poteſtate ſentiat: quamuis enim inuidiâ contra hominem tabeſcat, (quod admittit) tamen agnoſcenda eſt potentia Dei tanta, vt etiam per hoſtes ſuos & noſtros, valeat ſalutem hominis promouere & operari.

Alterum argumentum eius eſt, quia in facie Eccleſiæ confeſſus eſt ſibi à Deo iſtud officium & onus eſſe iniunctum, & quidem per Eccleſiæ miniſtros interrogatus ac per exorciſmos ſacros ad veritatem deſuper exponendam adiuratus: quibus proinde dicit ſe mentiri non potuiſſe: & hinc iterum concludit neminem de hoc ſuo miniſterio poſſe dubitare, niſi Eccleſiæ poteſtatem ſuper ſpiritus malignos negare velit.

His addit, quod & ſolemne præſtiterit iuramentum ad Sacroſanctum Sacramentum cum omnibus ad id requiſitis ſecundum intentionem Dei & ſponſæ eius Eccleſiæ, quod omnia quę dixerat, vera eſſent: quodque ad Dei gloriam & animarum conuerſionem, & artium magicarum & hæreſeon tenderent exſtirpationem.

Huiuſmodi ergo argumentis conatur 193
vafer ille ſerpens ſe Dei Apoſtolũ & Euangeliſtam declarare, vt ſic in hominum ſocietatem & familiare conſortium poſſit habere ingreſſum: & quidem fuerunt perſuaſi aliqui iſtis, eo vſque quod putarent dæmonis accuſationibus per ora energumenorum factis, eſſe deferendũ, ita vt incœperint per eum accuſatos etiam apprehendere, & examini ſubmittere: quæ res non exiguam mox pariebat hic confuſionem, dum non in vno accuſando ſiſteret, ſed ſtatim ad plurimos & primarios reipublicæ vtriuſque viros accuſandos progrederetur. Vnde deſuper habitâ conſultatione cum viris intelligentibus & doctis, etiam cum Doctoribus facultatis noſtræ S. Theologiæ Louanienſis, eorundem iudicio ab auſcultandis dæmonis accuſationibus prudenter ceſſatum fuit.

Quod igitur ad argumenta illius attinet,
Reſpondetur ad primum, agnoſcere nos, & 194
indubitatâ fide tenere omnipotentiam Dei, & omnimodam eius poteſtatem ac plenum etiam imperium eius in dæmones omnes: & ipſorum miſeram, ac ſeruilem ſubiectionem ſub potenti manu Dei: ſcimus enim quomodo cecideris de cœlo Lucifer qui manè oriebaris; quomodo corrueris qui vulnerabas gentes; quomodo detracta ſit ad inferos ſuperbia tua in profundũ tartarũ; ſcimus etiam & agnoſcimus quomodo ex domicilijs veſtris idolorum fanis & delubris cedere, & profugere diuinâ virtute ſitis cõpulſi: nouimus quoque quomodo ex hominum corporibus eiecerit vos virtus Chriſti, nec vſquam abſq; eius nutu potueritis ſubſiſtere, ita vt quod vel in porcos poſſetis intrare, ab illo deprecari debueritis.

Ampliſſimè itaque de Deo & eius poteſtate ac imperio in dæmones, & in omnem creaturam ſentimus: non tamen idcirco admittimus, quam ementitur callidus ſerpens ſibi commiſſam legationem Euangelicam: non quidem quòd exiſtimemus diuinum imperium de potentia abſoluta ſe non poſſe eò extendere, vt diabolum etiam vel inuitũ cogat ad miniſterium ſibi exhibendum in hominibus erudiendis ea quæ ſalutis ſunt, & in peccatorum conuerſione procurandâ.

Non enim hoc Deo difficile magis eſſet, quam Balaam arioli mercede conducti ad maledicendum Iſraëli, os & linguam conuertere & reſerare in benedictiones & mirificas illius populi laudes Numerorum cap. 23.

Digitized by Google

cap. 23. ſic vt Rex Balaac qui eum vocauerat, diceret; *Quid eſt hoc quod agis? vt male diceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Cui alter reſpondit *Num aliud poſſum loqui niſi quod iuſſerit Dominus?*

Non ideo igitur legationem prætenſam dicimus reijciendam; ſed quia licet Deus pro ſua potentia ſic agere poſſet, non tamen ita voluit: neque enim pro ſua ſapientia ob rationes ſupra allegatas, iudicauit congruũ aut conueniens, quòd dæmonis vteretur miniſterio ſiue in laudibus ſuis annuntiandis homini, ſiue in conuerſione peccatorum & ſalute electorum procurandâ: quòd Scripturæ ſanctæ ſatis clarè nos edocent, vt ex dictis conſtat.

Ad ſecundum argumentum ſimiliter reſ-
195 pondetur, nos agnoſcere Eccleſię ſuprà ſpiritus immundos poteſtatem: aſt verò hanc datam non eſſe neque extendere ſe ad quẽlibet vſum, dicimus, vnde nec ad iſtum vt per miniſtros Eccleſiæ compelli ſcilicet dæmones poſſint, vt vel quiduis agant, vel in quacumque materia veritatem enuntient pro voluntate & imperio exorciſtæ.

Neque hoc Eccleſiæ expediebat propter periculum familiarioris ſocietatis cum ipſis ſpiritibus fallacibus: ſed poteſtatem illam habere limites ſuos intra quos exorciſtæ cõtinere ſe debent: communis enim & generalis recepta eſt regula apud antiquos Eccleſiæ Patres, & apud Doctores omnes, quod finis omnis adiurationis dęmonis eſſe debeat illum pellere, reijcere, & noxas eius demoliri. Dedit enim Chriſtus poteſtatem Eccleſiæ calcandi ſuprà ſerpentes, & eijciendi dæmonia, vt conſtat ex ſcripturis præced. Dubio citatis, & docet D. Thom. quæſt. 90. citatâ art. 2.

Quandoquidem igitur conteſtatio illa dæmonis de ſua à Deo miſſione ad maleficos occultiores detegendos & conuertendos, non ad eius expulſionem vel reiectionem tenderet, ſed magis eò diſponeret vt ſub prætextu illo in familiarem cum hominibus & præſertim cũ iudicibus populi poſſet intrare communicationem & ſocietatem, hinc ſatis conſtat, quod iuxta communem Eccleſiæ doctrinam non oportuerit ad eiuſmodi dæmonis ſuggeſtiones attendere, vel auſcultare: neque per exorciſmos ab eo inquirere de veritate prætenſæ illius miſſionis; ſed de tam doloſa & temeraria hoſtis noſtri præſumptione ingemiſcere, ac illi imperare ſilentium, & dicere iuxta exemplum Chriſti, Obmuteſcere, & exi: nec ſinere illum vlterius talia iactare.

196 Dum igitur exorciſtæ ad talia attenderunt, & veritatem in illa materia per exorciſmum indagare præſumpſerunt, cenſendi ſunt Eccleſiæ poteſtate fuiſſe abuſi: quare & dæmon ſimulando ſe virtute exorciſmi compulſum ad veritatem dicendam, turpiter illos deluſit, & falſitatem pro veritate obtruſit; atque ita ab eo deluſi & decepti fuerunt non ſecus quàm Æua quando cum ſerpente de fructu vetito comedendo, ſermonem cœpit miſcere & in culpam acta fuit: omnis enim dæmonum operatio, vt habet Tertulianus in Apologetico, eſt hominis euerſio: ſic malitia ſpiritalis eſt auſpicata in hominis exordio, & hominem à cogitatu veræ diuinitatis auertunt præſtigijs falſis.

Ad illud verò quod vlterius dæmon addit, ſe videlicet exorciſmis adactum præſti- 197
tiſſe ſolemne iuramentum, reſpondetur planè id vanum & ridiculum eſſe: ſcimus enim robur ac energiam omnem iuramenti ſiue ad dicendum verum, ſiue ad promiſſionem firmandam dependere ex religione & reuerentia iurantis erga Deum & diuinam maieſtatem; quibus ſemotis iuramentum quaſi pro nihilo reputabitur: iam verò conſtat quod dæmon diuinitatis & omnium ſacrorum hoſtis nihil magis affectet, quàm diuini nominis iniurias & blaſphemias & quantumcumque poteſt, eas procurat. Vnde facilè intelligitur, quàm iuramentum eius nihil adducat fidei, aut faciat ad corroborandam veritatem dictorum eius: quin magnæ ſit irreligioſitatis à diabolo iuramentum exigere: hoc enim eſt diuinum nomen & primam veritatem exponere eius ſubſannationi & ludibrio. Cæterùm ſi Sancti aliquando ſpeciali in dæmones poteſtate donati per imperium coëgerint eos præſtare aliquos effectus vel operas, aut dicere vel fateri veritates alias, quàm quæ ad ipſorum expulſionem facerent, debent cenſeri feciſſe illa peculiari Dei inſtinctu, vt monet D. Th. art. 2. citato & ſunt exempla eiuſmodi admiranda, non imitanda per ordinarios Eccleſiæ miniſtros & exorciſtas.

Tertiò, vt debitè fiat dæmonis adiuratio 198
requiritur in adiurante legitima poteſtas, non enim omnibus eſt conceſſum dæmones exorcizare; ſed Eccleſiæ miniſtris & ad hoc munus ſpecialiter deputatis. Vnde & in Eccleſia eſt peculiaris Clericorum ordo ad exorciſandos dæmones inſtitutus. Quare qui poteſtatem hanc temerario auſu præſumpſerint vſurpare, debent metuere, ne malignus ſpiritus illos excipiat, quemadmodum Actorum cap. 19. legitur quoſdam temerarios excepiſſe, IESVM *noui* (dicebat nequam ſpiritus) *& Paulum ſcio; vos autem qui eſtis? & inſiliens homo in eos in quo erat dæmonium peſſimum* &c. *inualuit contra eos ita vt nudi & vulnerati effugerent*, &c.

Hoc tamen intellige de adiuratione publica & ſolemni, quæ ſecundum certas formulas ab Eccleſia præſcriptas fieri conſueuit, & pertinet ad actus ordinis Eccleſiaſtici,

Digitized by Google

ſtici, qui non poſſunt niſi à miniſtris conſecratis exerceri.

199 Poſſunt autem alij etiam non conſecrati priuatim & abſque ſolemnitate dæmonem ſuo modo adiurare in virtute Dei, expectantes dæmonis repreſſionem ex virtute nominis Iesv, aut Crucis eius: vt notat Suarez ſuprà lib. 4. cap. 2. n. 11. quando videlicet patiuntur dæmonis infeſtationes ſiue per terrores intrinſecus immiſſos, ſiue etiam per ſpectra exterius viſa vel audita, ſiue per immundas & malignas ſuggeſtiones. Vnde poterunt tales vti his aut ſimilibus modis & verbis adiurationis, vt quod formando ſignum Crucis dicant, Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit leo de tribu Iudâ Chriſtus Dominus; vel in nomine Domini diſcedite poteſtates tenebrarum, & omnes qui operamini iniquitatem.

200 Quin & Sancti licèt ordinati non eſſent tum viri tum mulieres aliquando leguntur etiam ab hominibus obſeſſis dæmonia expuliſſe: ſed talis expulſio modo extraordinario fieri ſolet: vnde referenda eſt in donum miraculorum, quod in primitiua Eccleſia videtur circa dæmonum eiectionem ſatis fuiſſe Chriſtianis commune, vt colligitur ex Tertulliano De corona militis c. 11. item libro De idololatria cap. 11. & in apologetico cap. 32. vbi ſic ſcribit; Addatur hic aliquis ſub veſtris tribunalibus quem dæmone agi conſtat, iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo; ſimilia habent Iuſtinus in dialogo cum Triphone & in oratione pro Chriſtianis & Athanaſius de Incarnatione verbi.

CAPVT SEXTVM,

De Superſtitione.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſuperſtitio ſit?

1 Svperstitio ex omnium apprehenſione ſonat vitium contra religionis virtutem militans. Rationem autem nominis diuerſi diuerſam aſſignant.

Cicero libro 2. De natura Deorum vult inde nomen hoc impoſitum, quòd homines eſſent nimij in Dijs precandis, ijſque immolandis, vt liberos haberent ſibi ſuperſtites.

Seruius autem in lib. 8. Æneidos, putat ſuperſtitionē ſic dictā, quia homines nimiū timerent iram Deorum ſupernè impendentem, & quaſi ſuperſtantem.

Lactantius verò lib. 4. Inſtitutionum diuinarum cap. 28. putat nomen ſumpſiſſe originem, quod relictis Dijs antiquis, homines colerent recentiores tanquā Deos quorum ſuperſtes eſſet apud eos memoria. Alias huius nominis deriuationes videre licet apud Iſidorum lib. 8. Ætymologicarum rationum cap. 3.

Quæ nominis huius rationes, etiamſi non adæquatè attingant & explicent notionem rei, eiuſue definitionem contineant, tamen hoc ſatis conformiter inſinuant, quod ſuperſtitio ſit vitium cōtra religionem in quodam exceſſu conſiſtens.

Quandoquidem enim religio ſit virtus moralis, vt ſuprà dictum fuit, hinc more aliarum moralium conſiſtit quoque in medio duorum vitiorum, vt notat D. Thom. hic quæſt. 92. art. 1. quorum vnum in exceſſu, & alterum in defectu verſatur. Prius enim quaſi ad dexteram declinat propter nimietatem cultus: poſterius autem quaſi ad ſiniſtram propter defectum & neglectū cultus religioſi, vt notat D. Hieronymus in cap. 57. Iſaiæ, & Clemens Alexandrinus in Panagyrico contra gentes.

Iſtud itaque prius nomine ſuperſtitionis deſignari ſolet; hoc autem poſterius ſignificatur communiter nomine irreligioſitatis.

2 Quâ laborant inprimis homines Athei & Politici, qui nullo loco aut vix vllo, habere videntur religionem; quam in negotijs politicis vt regni, vel ſtatus temporalis volunt poſtponendam, & ipſam rerum humanarum dominam faciunt ancillare.

Item huic vitio obnoxij ſunt periuri & ſimoniaci, de quibus iam antè egimus.

Similiter & qui temerario auſu Deum tentant, & qui rebus ſacris contumeliam aut irreuerentiam inferunt, de quibus aliquid infrà dicemus.

Sed contra dicta opponet aliquis, quòd non videatur vitium aliquod religioni poſſe contrariari per exceſſum. Eccleſiaſtici enim cap. 43. dicitur, *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, ſuperualebit adhuc:* & ibidem infrà, *Exaltate eum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude.* Vnde & D. Thom. in Sequentia de Venerabili Sacramento: Quantum potes, inquit, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare ſufficis; ergò &c.

3 Reſpondetur Negando Conſequentiam, quia dicitur vitium aliquod religioni oppo-

ſitum

Digitized by Google

ſitum per exceſſum, non quod Deus verus, vero & ordinato cultu poſſit nimium coli, vel quod cultus aliquis poſſit excedere eius excellentiam, quemadmodum diceretur nobilis aliquis nimium coli, ſi deferrentur illi honores regij: ſed quia religionis cultus defertur pluribus, & quidem illis quibus deferri non debet; aut ſi deferatur ei cui debetur, non defertur tamen eo modo quo deferri debet, puta quia exhibetur cultus quem non oportet, & præter voluntatem eius qui colitur, ſuperinducitur cultus pro voluntate colentis.

Ita D. Thomas quæſt. 92. art. 1. in fine Corporis explicat hunc exceſſum, quem importat vitium quod religioni dicitur oppoſitum ſecundum exceſſum: Scripturæ autem allegatæ loquuntur de cultu qui Deo vero ſecundum eius præſcriptum, ſiue voluntatem exhibetur: quiſque enim vt conuenienti & grato cultu honoretur, colendus eſt actibus, modo, & formâ, quibus coli voluerit.

Ex iſta itaque D. Thomæ doctrinâ colligi & formari poteſt huiuſmodi plena deſcriptio Superſtitionis, vt dicatur eſſe vitium religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, eo quòd aut deferat cultum religioſum illi cui non oportet, aut alio modo quàm oportet.

DVBIVM II.

Quomodo diuidatur ſuperſtitio?

4 RESpondetur: Inprimis Superſtitio proximè diuidi rectè poteſt in has duas quaſi ſpecies, ſcilicet in ſuperſtitionem quæ defert cultum Deo vero, ſed indebitum ſiue illegitimum; & in ſuperſtitionem quæ diuinum aut religioſum cultum defert ijs quibus non debetur aut non conuenit; ſiue vt alij hæc membra exprimunt in ſuperſtitionem cultus incongrui, & in ſuperſtitionem falſi numinis.

Sumitur hæc diuiſio ex definitione ſuperſtitionis in fine dubij præcedentis ex D. Thoma aſſignata.

Prius membrum autem ſubdiuiditur in ſuperſtitionem cultus pernicioſi, & in ſuperſtitionem cultus ſuperflui: quæ diuiſio ſumitur ex D. Thoma quæſt. 93. art. 1. & 2. & tradit eam Bonac. tom. 2. ad 1. Præcept. Decalogi diſp. 3. puncto 1. vbi nomine cultus pernicioſi non intelligitur generaliter cultus omnis qui colenti in culpam reputatur, & ſic ipſi noxius eſt (hoc enim ſenſu omnis ſuperſtitio quæ continet cultum illegitimum, contineret quoque cultum pernicioſum) ſed is qui continet pernicioſum errorem aut falſitatem: idque vel ex actus inſtitutione, vel ex intentione colentis.

Vnde & hic pernicioſus cultus eſt duplex, vt declarat D. Tho. quæſt. citata art. 1.

Superſtitionem pernicioſi cultus primi generis incurrunt, qui Iudæorum more Deum volunt colere cæremonijs & ſacrificijs veteris legis, vt ſi quis modò immolaret Deo agnum, vitulos, aut hircum pro peccatis, aut ſe circumcideret, vel ſimiles cæremonias exerceret: quibus præfigurabantur miſteria Meſſiæ ſeu Chriſti venturi; quæ proinde ex ſua inſtitutione ſignificatiua ſunt Chriſti aduentus in mundum futuri, atque ita modo continent errorem pernicioſum, quòd ſcilicet Chriſtus nondum venerit, ſed adhuc expectandus ſit. 5

In ſuperſtitionē pernicioſi cultus ſecundi generis inciderent qui mendaciter tanquam Sacerdotes offerent Sacrificium, vel adminiſtrarent Sacramenta qui tamen Sacerdotes non eſſent. Similiter qui ad fidei confirmationem, aut infidelium conuerſionem fingerent patrationem miraculorum quæ verè non facerent, aut alijs falſis teſtimonijs vterentur. Similiter & illi qui falſas reliquias pro veris populo venerandas obtruderent aut ſimiles abuſus falſitatis in religione committerent.

Superſtitio itaque cultus pernitioſi ordinariè ſiue ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia continet falſam ſignificationem contra fidei doctrinam; aut infert notabilem irreuerentiam in Deum, aut res ſacras ob falſitatem quæ committitur. Ita docet Bonac. ſuprà n. 2. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 37. Nauarr. cap. 12. num. 87. Suarez tomo 2. De relig. lib. 4. cap. 13. & alij quos citat Bonac. Solet autem proficiſci vel ex infidelitate, vel ex craſſa ignorãtia, vt quod exiſtimet quis Deo gratum eſſe, quod per eiuſmodi fictiones miraculorum, aut per ſimiles falſitates, eius fides & cultus promoueantur: aut aliquando ex auaritia, vt qui quæſtus cauſâ falſas reliquias circumferunt, aut imagines tanquam miraculoſas exhibent. Vide Nauarrum cap. 11. num. 23. & 37. 6

Superſtitio cultus ſuperflui incurritur quando adhibetur aliquid in cultum abſque falſitate quidem, ſed quod per ſe inutile eſt vt per illud Deus glorificetur, vel vt mens noſtra ſubijciatur Deo, & caro menti ſiue ſpiritui: finis enim diuini cultûs eſt, vt homo Deo det gloriam, & illi ſe ſubijciat mente & corpore, vt habet D. Thomas quæſt. citata art. 2. 7

Quod igitur huic fini non deſeruit, pertinet ad cultum ſuperfluum: vnde quando præter Eccleſiæ ordinationem & conſuetudinem eorum quibus homo conuiuit, ponitur religio in rebus aut circumſtantijs quæ non conducunt ad internum cultum ſiue ſignificandum ſiue excitandum aut promouendum,

Digitized by Google

uendum, v. g. in numero, in colore, in ſitu, vel ſimili aliqua re, committitur vitium cultus ſuperflui. Indicat D. Thom. hic art. 2. citato: vt ſi quis adhibeat certum numerum ſiue orationum, ſiue candelarũ, aut aliarum rerum, quas offert ad diuinum cultum: vel vtatur, v. g. candelis ex alba cæra potius quàm ex flaua, oret ſtando potius quàm genua flectendo, quaſi iſte numerus, aut talis color, aut huiuſmodi ſitus per ſe Deo peculiarem adferrent cultum magis, quàm ſi aliter res fierent, incurrit talis hoc vitium.

Huc etiam reuocatur illa religionis ſingularitas, quâ quis relictis rubricis & directorio communi Eccleſiæ, alias cæremonias in diuino officio pro ſua deuotione adhibet.

Eiuſmodi tamen ſuperſtitio cultus ſuperflui, quando nihil aliud turpe admiſcetur, communiter non ſolet eſſe niſi peccatum veniale, vt notat Caiet. V. Superſtitio: Toletus lib. 4. De inſtructione Sacerdotum cap. 14. & Nauarrus c. 11. n. 23. & ſequentibus, Bonacina ſuprà nu. 4. quia ex bona intentione ſupponuntur fieri nec videtur in illis committi grauis irreuerentia, cum diuino cultui non repugnent: in ſacrificio tamen Miſſæ poſſet fieri tanta diſcrepantia cæremoniarum à communi vſu, vt à mortali non excuſaretur. Ita Nauarr. Sanchez, & Bonac. ſuprà cum alijs.

Dixi, quando præter Eccleſiæ ordinationem religio ponitur in ijs quæ non conducunt &c. quia quando aliqua ſimilia, qualia recenſuimus, fiunt aut adhibentur ex pia aliqua conſideratione diuinorum miſteriorum, ratione cuius ſeruiunt ad finem diuini cultus iam ante explicatum, tunc non ſuperſtitioſè ſed religioſè obſeruantur, vt quando iuxta Eccleſiæ morem in officijs vtitur quis certis diebus potius ornamentis albis, quam rubris, aut nigris, vel è contra. Rurſum, quod in certis partibus officij diuini potius ſtet pedibus quam ſedeat, aut genua flectat, vel è contra. Similiter quod vno tempore dicat vnam tantum collectam potius, quam duas vel tres iuxta Eccleſiæ præſcriptum, ſuperſtitioſum non eſt: ſed verè religioſum, quia illæ cæremoniæ habent vim ſuam ad animos hominum excitandos & in Deum eleuandos, quatenus piâ quâdam ſignificatione per eas admonentur fideles diuerſorum myſteriorum, quæ vel ſpiritualis gaudij, vel gratiarum actionis, vel ſancti doloris, & pœnitentiæ cauſam nobis præbent.

Eadem eſt ratio cæremoniarum quæ in diuerſis religionibus ſeruantur: & propterea addidiſſe videtur D. Thom. aut præter conſuetudinem eorum quibus quis conuiuit.

Similiter quoque non ſuperſtitioſè agit,
9 ſi quis recitet quinque orationes Dominicas præciſè ad recolenda pio affectu quinque vulnera Chriſti: ſicut nec ille qui offert candelam ex cæra alba ad ſignificandam puriſſimam virginitatem Matris Chriſti Domini. Similiter nec ille qui orat genu flectendo, vt indicet ſe ſpiritum & corpus totaliter ſubmittere Deo, aut vt corpus caſtiget & in ſeruitutem magis redigat. Ita nec ille qui orat ſtando, ſi eâ ratione magis mentem in Deum eleuet, & ſic de alijs ſimilibus.

Superſtitio falſi numinis tunc committitur, quando diuinus cultus defertur illi cui 10
non debetur: & iuxta D. Thomam quæſt. 92. art. 2. diuiditur in has tres ſpecies, videlicet idololatriam, diuinationem, & obſeruantiam ſuperſtitioſam, quam diuiſionem etiam tradit D. Auguſt. lib. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 20. quibus addi poteſt magia generaliter ſumpta, vt complectitur magiam ſtrictè ſumptam & maleficium, niſi quis forſitan velit illam ſub obſeruantia ſuperſtitioſa contineri: quamuis videatur potius tanquam aliquid longè deterius ab hac diſtinguenda.

Colligit autem D. Thom. prædictam diuiſionem hoc modo: quia cultus falſi numinis imitatur religionem veri Dei: Deo autem vero inprimis adhibetur cultus qui primario ſeruiat tantummodò ad ipſum honorandum. Vnde ſic quoque falſum numẽ aliquando colitur principaliter, vt tanquam Deus honoretur in ſe: & hic cultus falſus conſtituit idololatriam primam ſpeciem huius diuiſionis.

Secundò Deum colimus, vt ab ipſo inſtruamur ac illuminemur, & ſic etiam aliquãdo Idolum honoratur à ſuis cultoribus, vt aliquid occultum manifeſtet, aut reuelet: & hic cultus conſtituit ſecundam ſpeciem, ſcilicet diuinationem.

Tertiò colimus Deum, vt dirigat nos in actionibus noſtris; & ſic quoque aliquando Idolum colitur, petendo ab eo vt iuuet & dirigat actiones ſuorum cultorum: & ita conſtituitur obſeruantia ſuperſtitioſa.

Supereſt itaque, vt de his ſingulis ordine in particulari pertractemus.

DVBIVM III.

Quid ſit Idololatria? quàm graue peccatum?

NOtandum Primò, idololatriæ nomen eſſe compoſitum ex idolo & latria: vn- 11
de idololatria dicitur quaſi latria ſeu ſeruitus vel cultus idoli: Significat autem idolum, formam ſiue imaginem vanam, ſiue rei quæ non eſt.

Et hinc imagines aut ſtatuæ falſorum Deorum meritò idola dicuntur, quia fiunt ad repræſentandos Deos qui nõ ſunt, neque quidquam diuinitatis aut veritatis continent;

nent: Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 11. quæſt. 2. Bonac. ſup. parte 2. & alij communiter: non ſic vero imagines Chriſti Domini, vel Sanctorum idoli nomine intitulari poſſunt: quia ſunt imagines rerum quæ verè ſubſiſtunt, factæ ad repræſentandum quod in rebus verè ineſt: quemadmodum neque imago Regis, idolum dici poteſt: quia repræſentat illum qui verè Rex eſt.

12 Notandum Secundò, idololatriæ nomen tripliciter ſumi: aliquando enim generaliſſimè, & quodammodo metaphoricè, omne peccatum quo quis Deo poſtpoſito, eiuſque Sanctis mandatis contemptis, mortiferè adhæret creaturæ, dicitur idololatria. Sic ad Epheſ. cap. 5. Apoſtolus de auaritia dicit, *Idolorum ſeruitus eſt*: & ad Philipp. cap. 3. dicit de ebrioſis & guloſis, *Quorum Deus venter eſt*: propter quod enim quiſque à Deo recedit, eumque quaſi contemptui habet, cenſetur illud pluris facere quàm Deum, ac proinde Dei loco habere, atque ita ipſi inſtar idoli eſt.

Secundò magis ſtrictè magiſque propriè accipitur, ſcilicet pro cuiuſuis generis cultu falſi Dei; quomodo diſtinguitur contra reliquas ſpecies ſuperſtitionis falſi numinis.

Tertiò accipitur nomen idololatriæ ſtrictiſſimè, ſcilicet pro illa ſuperſtitione falſi numinis, qua diuina reuerentia exhibetur creaturæ, prout D. Thom. quæſt. 92. art. 2. eam deſcribit: Senſus autem eſt, quod ſit cultus ſuperſtitioſus, qui creaturæ defertur primario ad illum finem, vt ipſa in ſe tanquam Deus honoretur, illique tanquam Deo homo ſe ſubmittat.

Hoc autem fieri poteſt non tantum ſacrificio (quod inter externos cultus ſoli Deo exhiberi ſolet, vt ſuprà demonſtrauimus) ſed etiam quouis alio ſigno honoris quo quis diuinam excellentiam alicui creaturæ competere intendit teſtificari, ſeque illi tanquam Deo ſubmittere, vt adoratione idoli, genuflectione aut ſimilibus modis.

13 Porrò idololatria ex genere ſuo grauiſſimum eſt peccatum inter illa quæ religioni opponuntur: imò & quodammodo cenſeri poteſt grauiſſimum inter omnia peccata: Bonac. ſuprà puncto 2. num. 4. cum Sanchez & alijs quos citat: ſi namque fiat ex perfecta notitia, includit ſuo modo odium veri Dei, & blaſphemiam, quæ alioquin videri poſſint grauiora, vt docet hîc D. Thom. art. 3. ad 2. quemadmodum in republica grauiſſimum crimen cenſetur ſi quis alium quàm legitimum Principem pro ſupremo domino recognoſcat, eique honorem Principis deferat, poſtpoſito & neglecto domino vero.

Eſt enim idololatria crimen læſę maieſtatis Diuinæ, ſicuti illud humanæ.

Poteſt nihilominùs fieri, vt per accidens in pleriſque idololatris ſit minus peccatum, quàm hæreſis ſit in Chriſtianis, vt loco citato etiam tradit D. Thomas in Corp. puta quia contingit procedere ex ignorantia potius quàm ex malo affectu contra Deum, aut contra veram religionem: hæreſis autem non tam ex ignorantia quàm ex prauo affectu & contemptu Chriſtianæ religionis naſcitur.

Quâ de re licebit videre D. Aug. lib. 21. De ciuitate cap. 25. & D. Chryſoſtomum homilia 50. ad populum.

Similiter fieri poteſt, vt ſola exterior profeſſio idololatriæ, v. g. ſi fidelis quiſpiam ponat thus idolo, vt Principi ethnico placeat, ſit grauior, quàm ipſa alterius idololatria interna fundata in infidelitate & ignorantiâ: quia ille externo ſaltem actu attribuit idolo diuinitatem, cum ſciat tamen illi nullo modo competere: quod in maiorem Dei irreuerentiam & neglectum cedit, ac in aliorum vergit ſcandalum. Vnde concludit Bonac. ſuprà num. 5. cum Azorio & Sanchez locis citatis, mortaliter etiam illũ peccare, qui ficto animo colit idolum vt euadat periculum mortis. Suarez tomo 1. De religione, lib. 2. cap. 6. De ſuperſt. & alij.

Aduertendum autem hic eſt contra Caietanum quæſt. 94. art. 1. quod talis ſic idolum colens exteriùs, non ſit excommunicatus, quia in canonibus non reperitur extare talis excommunicatio lata in eum qui ſolo actu externo idololatriam committit, vt notat Syluest. V. Hæreſis 3. quæſt. 6. Nauarrus cap. 11. n. 27. Clauis Regia lib. 3. c. 5. 14

Excommunicantur quidem hæretici & apoſtatæ, ſed hic neque eſt hæreticus cum non aſſentiatur pertinaciter propoſitioni fidei contrariæ: neque eſt apoſtata, quia reuera fidem Chriſti non deſerit, vt ſupponitur; ſed tantum externam profeſſionem. In foro tamen externo præſumitur fidem deſerere & proinde in excommunicationem incurriſſe, vt notat Bonac. ſuprà cum alijs quos citat. Id tamen præſumitur cum maiori fundamento, ſi fecerit non graui metu compulſus.

Duplex autem fuit idololatriæ modus: quidam enim tanquam Deos colebant ipſas creaturas, ſeu partes mundi in ſe, vel in ſimulacris eas repræſentantibus: alij deferebant cultum diuinum primariò imaginibus aut ſtatuis quibuſdam, quibus credebant aliquid diuini ineſſe. 15

Sumitur diſtinctio hęc ex D. Thomâ qu. 94. art. 1. Prioris generis ponit ibidẽ D. Th. idololatras iterùm in triplici differentiâ: aliqui enim ex illis, homines colebant in ipſorum imaginibus quos credebãt fuiſſe Deos; alij autem colebant ipſum mundum & mundi partes; quæ omnia volebant diuinitate

quâdam tanquam formâ & animâ mundi, informari. Vnde non tantùm ſolem, lunam, alia aſtra, mare, ſed etiam animalia, vt Vitulum, Serpentem, Crocodilum, & ſimilia adorarunt: & quidem hæc idololatria per ſe non terminabatur ad ipſas imagines, licet eas quoque adhiberent, ſed tantum quaſi peraccidens circa eas verſabatur: altera verò per ſe in ipſa ſimulacra tanquam Deos quoſdam terminabatur.

Vtramque autem clarè explicat Scriptura in libro Sapientiæ cap. 13.

Vbi de prioribus ita ſcribit: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.*

Et de alijs infrà; *Infœlices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & ſimilitudines animalium, &c.*.

Quidam enim (inquit D. Thomas) per nefariam artem, imagines quaſdã conſtruebant quæ virtute dæmonis aliquos certos effectus habebant, vnde putabatur in ipſis imaginibus eſſe aliquid diuinitatis: quâ de re videre licebit D. Auguſtinum libro 8. De ciuitate Dei c. 23. vbi latiùs hæc pertractat.

DVBIVM IV.

Vnde ſit origo idololatriæ?

16 QVantum ad quæſtionem hanc attinet, poteſt ea intelligi vel de origine cauſæ ſiue occaſionis, vnde idololatria fuerit orta, vel de origine temporis, quando cœperit illa introduci.

Ad prius quod attinet, reſpondendum inprimis eſt, quòd idololatria prioris generis quam modò explicuimus, originem ſumpſerit ex ignorantia veri Dei, & ex prauis ſimul cupiditatibus quæ mentem alioquin ſatis debilem in veritatis inueſtigatione, magis excœcabant, idque præſertim concurrentibus ſimul dæmonum illuſionibus.

Colligitur ex D. Thomâ loco citato: & probari poteſt ex allegata Scriptura ex cap. 13. lib. Sapientiæ. Huc etiam facit, quod ſcribit Apoſtolus ad Rom. cap. 1. vbi idololatriæ cauſam refert in hoc, quod Deum non glorificauerint, aut gratias egerint, poſtquã eius notitiam aliquam fuiſſent conſecuti; *Et obſcuratum eſt*, inquit, *inſipiens cor eorum:* & ſtatim adiungit: *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum*, &c.

Siue autem ex ignorantia, ſiue ex prauis affectibus in eiuſmodi idololatriam inciderint, minimè tamen eos inexcuſabiles eſſe docet Sapiens loco citato: *Iterum autem nec his debet ignoſci: ſi enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum: quo modo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?* quò etiam ſpectat quod præmittit; *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.*

Dicendum ſecundò: quod idololatria altera quæ eſt ſimulachrorum in ſe, originem quoque duxerit ex ignorantia veri Dei tanquam cauſa communi, & ex amore & affectu nimio ſiue parentum erga filios, ſiue filiorum erga parentes tanquam cauſâ quâdam particulari ſumpſerit ſuum initium, ſimul quoque dæmonum aſtutijs & illuſionibus concurrentibus. 17

Declarat hoc pulchrè Sapiens cap. 14. lib. Sapientiæ. *Acerbo luctu dolens pater*, inquit, *citò ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interueniente tempore, conualeſcente iniquâ conſuetudine, hic error*, inquit, *tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta*, & tunc poſtmodum ſubiungit: *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deſeruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.*

Vbi notandum quod ex eo, quia dicit Sapiens; *Acerbo luctu dolens pater* &c. non debeat intelligi, peculiariter vim facere in patre dolente ob mortem filij, quaſi determinatè velit ſignificare idololatriam hanc inchoatam ex inordinato & nimio dolore patris de morte filij, potius quam è contra: ſed in eo tantum indicaſſe quod ex affectu nimio ad præſentiam ac reuerentiam mortuorum hominũ, ſumpta fuerit occaſio eiuſmodi idololatriæ, quemadmodum id intelligunt D. Hieron. ad cap. 2. Oſeæ: Ambroſ. in commentarijs ſuper Epiſt. ad Rom. c. 1. & Cyprianus lib. De idolorum vanitate: & ſatis colligitur ex vltimis verbis iã allegatis: *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut Regibus deſeruientes*, &c. quod vero magis exempli causâ poſuerit patrem dolentem de morte filij, quàm filium dolentem de morte patris, ideo potuit eſſe, quia ſolent parentes acerbiùs lugere mortem filiorum, quàm filij mortem parentum. 18

Vnde ſuprà Dub. 1. diximus, Quod velit Cicero ſuperſtitionem dictam eſſe à nimio Deorum cultu, quo parentes à Dis efflagitarent, vt proles haberent ſuperſtites.

Quod autem calliditas & fraus dæmonũ ſimul concurrerit, facilè ex hoc poteſt ſtatui, quia mox ab initio generis humani, fraudi- 19

fraudibus ſuis abduxit diabolus primum hominem ab innocentiâ ſuâ, & ab inhærendo Deo per amorem & obedientiam; ac fecit illum ſe conuertere ad creaturas relicto creatore.

Hinc & Pſal. 95. dicitur: *Omnes Dij gentium dæmonia*. Quod propriiſſimè locum habet in ſimulachris quæ tanquam aliquid diuini in ſe habentia colebantur. Dęmon enim erat qui in illis quaſi inhabitabat, & inſolitos quoſdã effectus aliquando operabatur.

Quod denique attinet ad originem tem-
20 poris, quando idololatria introduci cœperit, non ſatis certo de illa videtur conſtare. D. Th. qu.94. art.4. ad 2. exiſtimat in 1. ætate mundi, ſcilicet vſque ad diluuium, nõ fuiſſe idololatriam; propter recentem, inquit, memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominũ: quem ſequitur Abulenſis cap. 4. Geneſeos qu. 13. circa finem. In ſecunda autem ætate mundi, idololatriam viguiſſe, ſatis conſtat: quam aliqui volunt à Nembrot incœpiſſe, qui vt refert D.Tho. hic in 2. obiectione dicitur coëgiſſe homines ignẽ adorare, aliqui autem à Nino filio Beli primi Regis Aſſyriorum, qui imaginem patris ſui adorari fecit, & hæc videtur D.Tho. implicitè approbare: & indicat D. Hieron. in cap. 2. Oſee ad illa verba, *Et erit in die illa*, vbi ſcribit Ninum in tantam perueniſſe gloriam, vt patrem ſuum Belum referret in Deum. Alios Authores idololatriæ refert Iſid. lib.8. Etymol. rationum, cap. 11. Nonnulli verò volunt idololatriam incœpiſſe à tempore Enos filij Seth, & ſic nepotis Adæ: de quo dicitur Geneſ. c. 4. quod cœperit inuocare nomen Domini; nõ quod ille fuerit idololatra (quamuis & hoc nonnulli ex Hebraica Phraſi videantur velle colligere, licet non rectè) ſed quia exiſtimant illum erexiſſe imaginem aliquã veri Dei ritu iam noſtro, vt refert Suarez tom. 1. De relig. lib. 2. De ſuperſtitione c. 5. & quod alij acceperint inde occaſionem fabricandi & colendi idola: in qua opinione eſt Dionyſius Carthuſianus, Geneſ. cap. 4.

Sed contra facit in primis, quod aliud ini-
21 tium ſimulacrorum nobis explicuerit Sapiens, vt oſtendimus.

Deinde contra illud vel maximè militat ratio D.Tho. allegata, ob quam ipſe exiſtimat in prima ætate mundi non fuiſſe idololatras: nam tempore Enos vtpote nepotis Adæ erat omnino recentiſſima memoria creationis mundi.

Accedit deniq; quod verba illa *Cœpit inuocare nomen Domini*, non ſignificent nec importent eum feciſſe aut introduxiſſe ritũ imaginum Dei, ſed tantum quod cœperit Deum colere per ſolemniores aliquos ritus, vt per publicas deprecationes, aut per altare erectum, & per ſacrificia impoſita, aut per alias ſacras cęremonias: vnde ſine fundamẽto videtur dici quod ab Enos ſiue ab eius tempore & occaſione fuerit idololatria introducta. Itaque finaliter, quis fuerit primus idololatra, non ſatis ex Scripturis, vel Hiſtoria Authentica conſtat.

DVBIVM V.

Quid ſit diuinatio ſuperſtitioſa?

Diuinatio ſecundum nominis rationem
videtur dicta quaſi diuina notio: & 22
quia Deo maximè proprium eſt, cognoſcere res quaſlibet latentes, & potiſſimum res futuras à cauſis indeterminatis pendẽtes; hinc ſcientia humana quâ cognoſcuntur res magis abditæ, aut futuræ, poteſt & aliquando ſolet diuinationis nomine generaliter ſumpto compellari.

Quia verò tripliciter fieri poteſt, quod acquirat homo rerum occultarum aut futurarũm notitiã, hinc generaliſſimè loquendo, triplex poteſt ſtatui diuinatio hominis. Vna, quæ ſit naturalis: altera, quæ ſit ſupernaturalis, & tertia quæ ſit ſuperſtitioſa.

Diuinatio naturalis dici poteſt, quando effectus aliqui cognoſcuntur in cauſis naturalibus, quas homo poteſt ingenio ſuo comprehendere: hoc autem dupliciter fit; aliquando enim cognoſcuntur effectus futuri depẽdentes à cauſis neceſſarijs, & huiuſmodi cognitio & prædictio talium effectuum, eſt omnino certa: aliquando verò cognoſcuntur effectus aliqui futuri ex cauſis contingentibus, ſed vt plurimum ſic operantibus ſiue effectus tales producentibus, quamuis non infallibiliter.

Priori modo præcognoſcuntur certò ecclypſes Solis vel Lunæ futuræ tali tempore: item oppoſitiones & coniunctiones planetarum.

Poſteriori modo fieri & prędici poſsũt futurę pluuię, gelu, tempeſtates, aëris ſerenitas, & ſimilia, non quidem certò, ſed quia cauſę ſolent vt plurimum ſic operari.

Diuinatio ſupernaturalis eſt, quando ex diuina reualatione cognoſcuntur, & manifeſtantur occulta, aut prædicuntur futura: & huc pertinet prophetia, ac etiam referri poteſt ſcientia infuſa.

Denique diuinatio ſuperſtitioſa tunc eſt, quando quis talia ope vel inſtructione dæmonis diſcit, & manifeſtat, vel prænunciat.

Vnde ex D.Th. q.95. a.1. & 2. poteſt illius 23
huiuſmodi deſcriptio formari, quod ſit indebita prænotionis rerum futurarũ quę Deo eſt propria acquiſitio ex dęmonis diſciplina vel eius adiutorio. Porrò hęc ſuperſtitioſa vſitatiſſimè appellatur diuinatio, & niſi aliquid adijciatur, nõ ſolet alia notitia nomine diuinationis intelligi. Vnde D. Hieronymus in

Digitized by Google

cap. 3. Micheæ docet nomen diuinationis in Scripturis paſſim ſumi in malam partem: quod oſtendit ex illo Numerorum cap. 5. *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael:* quod dictum eſt in laudem illius populi, in quo erat prophetia aut viſio, vt Scripturæ loqui ſolent, non diuinatio.

Petet aliquis, vnde ſumenda ſit inordina-
24 tio huius ſuperſtitionis, ſiue ratio modi indebiti cognoſcendi, vt loquitur D. Thom.

Reſpondetur in primis, inordinatio illa deſumenda non eſt ex ratione rei cognitæ, per ſe loquendo: quia eadem res ordinatè & ſine vitio cognoſcibilis eſt per diuinam reuelationem.

Deinde, neque ex appetitu cognoſcendi rem talem; etſi enim ille frequentiùs inordinatus ſit, non tamen idcirco neceſſariò ſuperſtitioſus eſt, aut ſuperſtitionis rationem inducit: nam poteſt quis curioſè aut ſuperfluè appetere cognitionem occultorum, aut futurorum, eamque à Deo poſtulare: & tamen hîc non habebitur diuinus aut ſuperſtitioſus; ſed erit tentans Deum, aut indiſcretè Deum deprecans, vt fecerunt Diſcipuli Matth. 24. quando à Chriſto Domino petebant: *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignū aduentus tui:* quibus Chriſtus reſpondit: *De die illa nemo ſcit* &c. ſic retondens nimiã eorum curioſitatem, & auiditatem ſciendi futura. Quod & accidit Actor. c. 1. quando Diſcipuli proponebant: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* & Chriſtus reſpondit, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, reijciens interrogationem illam tanquam indiſcretam, & appetitum vt curioſum, quemadmodum exponunt D. Chryſoſt. ad illum locum, & D. Auguſt. epiſt. 78. & 80.

Propriè igitur inordinatio huiuſmodi ſuperſtitionis ſiue diuinationis inde deſumenda eſt, quòd cognitio aliunde inquiratur ac poſtuletur, quàm vnde poſtulari vel acquiri debeat, ſcilicet non à Deo vero, neque ex cauſis naturalibus, ſed à dæmonibus.

Indicat hoc D. Th. art. 2. citato, dum ſcribit: vana inquiſitio futurorum eſt, quando aliquis futurum præcognoſcere tentat, vnde prænoſci non poteſt: id eſt, non licet, vt dum mediante ope dæmonis præſcire tentat, quē vt magiſtrum adire aut conſulere nobis licitum non eſt.

25 Pro pleniori itaque intelligentiâ huius ſuperſtitionis, Notandum eſt primò, dæmones multa præterita & præſentia in primis poſſe certo cognoſcere; imò & quædam futura quę videlicet determinatã ac neceſſariã habent cauſam, quæ tamen homo vel nullo modo poteſt ſuo ingenio aſſequi, aut ſaltem non tali in loco exiſtens, vt tradunt Doctores communiter omnes.

Dęmones enim exactè cognoſcunt cauſas naturales, & virtutem ac efficaciam iſtarum, & proinde multos eiuſmodi cauſarum effectus ſcire poſſunt, qui planè hominem latent, quia ſuperant illi ſubtilitate ingenij longè hominem.

Deinde & cognoſcere valent quædã per ſe quidem ſenſibilia quę per accidens hominis cognitionē fugiunt, quatenus ſeſe rebus paſſim omnibus ipſi vtpote immateriales, inſinuare ac præſentes exhibere poſſunt: ita ſcire poſſunt auctores homicidij, aut furti, qui ſolitariè crimen cõmiſerunt; & cognoſcere quoque vbi res ablatæ ſint abſconditæ. Item ea quæ in longinquis regionibus fiunt. Hinc, & fit, quod prædicere valeant aliquos effectus in alio loco futuros, quia cauſam poſitam alibi iam intuentur, & ſic prædicere ſolent exundantiam Nili in Ægypto viſâ copiâ aquarum in Æthiopia, vt refert D. Athanaſius in vita S. Antonij.

Notandum Secundò, dæmones tamen non poſſe certò cognoſcere futura contin- 26
gentia, quæ à libera voluntate alterius dependent, vt à voluntate Dei, aut à voluntate hominum, vt docet D. Aug. lib. De diuinatione, cap. 5. & 6. & lib. 2. De Geneſi ad litteram cap. 17. Et ex Scripturis ſatis conſtat, hoc Dei proprium eſſe: nihilominùs tamen, eos poſſe longè plura de eiuſmodi futuris contingentibus conijcere, & veritatem aſſequi coniecturaliter, quàm homines, idque tum propter longiſſimam experientiam: millies enim obſeruare potuerunt quid & quomodo homo operari ſoleat talibus paſſionibus commotus, quas in appetitu inferiori cognoſcit & cum alijs circumſtantijs, quas videt præſentes aut ponendas: atque ita vtcumque cognoſcit, quibus rebus aut modis voluntas hominis huc vel illuc ſoleat impelli: quæ & ipſi dæmones (Deo permittente) ſæpius poſſunt concitare & adhibere.

Vnde frequenter de talibus actionibus liberis contingit eos verum coniecturare.

Aliquando etiam aliquid de rebus futuris diſcunt ab Angelis bonis ex Dei permiſſione, vt notat Toletus lib. 4. cap. 15. & alij nonnulli.

Dixi quæ à libera voluntate alterius dependent; quia quæ à propria ipſorum libertate pendent, poſſunt futura cognoſcere: ſciunt enim quid facere velint: quæ tamen ſcientia non eſt omninò quoque certa, quia & voluntas ipſorum circa illa mutari poteſt, & deinde vt perſeueraret conſtans, poteſt à Deo impediri; nec dubium eſt quin ſæpius impediri contingat ad preces Sanctorum: Sagacitas itaque illa & ſcientia dæmonum, quibus hominem ſuperant, & cognoſcunt multa quæ cognitionem noſtram fugiunt, præbet occaſionē huic vitio ſuperſtitioſę diuinationis, quatenus homines ab ipſis volunt diſcere, quod per ſe nequeunt cognoſcere.

DVB.

Digitized by Google

DVBIVM VI.

Quomodo diuidatur ſuperſtitioſa diuinatio?

27 RESpondetur: Solet diuidi communiter in diuinationem quæ fit per expreſſam dæmonis inuocationem, & in eam quæ fit tantum per inuocationem eius tacitam: hæc diuiſio ſumitur ex D. Thoma hîc quæſt. 95. a. 3. & recipitur à Doctoribus communiter.

Expreſsè inuocatur, quando Diuinus expreſsâ intẽtione facit aliquid in eum finem, vt dæmon ſe immiſceat, & occultum quid reuelet, v.g. vt furem manifeſtet, vt res perditas oſtendat, vt coniugẽ futurum declaret.

Tacitè autem inuocatur, quando non intenditur ex propoſito eius inuocatio, ſed tamen adhibentur media per ſe vana, quibus ex implicito pacto ſe immiſcere ſolet dæmõ & prouocari ad occulta aliqua ſignificanda aut patefacienda. Ita Azor. parte 1. lib. 9. cap. 13. Suarez tomo 1. De relig. lib. 2. De ſuperſt. Bonacina ſup. quæſt. 5. parte 3. n. 4. cum alijs quos citat: & Dub. 8. infrà latiùs oſtendemus hoc ſecundum membrum poni rectè vt ſpeciem diuinationis ſuperſtitioſæ, & dubijs poſteà ſequentibus agemus de diuerſis eius quaſi ſpeciebus.

28 Primum membrum vocari ſolet Nœcromantia, ſumpto illo nomine generaliter; & ſubdiuiditur in alias varias ſpecies ſecundũ diuerſos modos, quibus dæmon inuocari ſolet, & occulta manifeſtare.

Nam in primis conſulitur aliquando per ſacrificia animalium, & ſolet tunc reſpondere per ſigna apparentia in extis animalium; & hoc genus diuinationis vocatur Haruſpicium.

Aliquando autẽ per preces, & inuocationes ipſius in idolo; & tunc per ipſum idolum reſpondere ſolet, & vocatur Oraculum.

Aliquando in ſuis Pſeudoprophetis quos poſſidet, qui vocantur Pythonici & Pythoniſſæ; & tunc reſpondere ſolet per vmbilicum aut partes pudendas, vt trahit Origines lib. 7. contra Celſum in principio.

Subinde inuocatur, vt mortuum excitet qui reſpondeat, & vocatur propriè ac ſpecialiter Nœcromantia.

Aliquando petitur, vt reſpondeat per caput hominis mortui, & dicitut Cranecromantia.

Denique alijs multis modis per varias adiurationes, conciones, figuras, ſpecula, & alia ſigna quæ dæmon ipſe inſtituit, inuocari ſolet, vt occulta patefaciat: & his modis inuocatus ac conſultus ſolet diuerſis quoque modis reſpondere aut patefacere quod inquiritur, aliquando per aliquam præſtygioſam ſpeciem oculis obiectam, aliquando per vocem in auribus formatam quam alius nemo poteſt audire; aliquando per varia viſa in imaginatione; aliquando per certam figuram quam in re externa facit conſpici, vt in terra, in aqua, in aëre, in igne, vel in aliquo corpore mixto. Huc etiam reuocatur diuinatio per cribrum, aut peluim aquâ plenam, & aliæ ſimiles.

DVBIVM VII.

Quale peccatum ſit diuinatio cum expreſſa dæmonis inuocatione.

RESpondetur: Omnis eiuſmodi diuinatio quocumque modo fiat, eſt graue 29
peccatum mortiferum: idque ex duobus potiſſimum capitibus.

Primò, propter expreſſam ſocietatẽ cum dæmone, quæ per ſe graue crimen eſt, tum quia eſt ſocietas cũ perduelli, & quaſi iurato hoſte Dei, in cuius proinde redundat iniuriam & cõtemptum, vt ſuprà declarauimus: eoque magis, quod omne diaboli ſtudium ſit honorem Dei obſcurare, ac ſibi diuinitatem falsò adſcribere; tum quod exponat talis ſe periculo Apoſtaſiæ totalis à Deo: facilè enim diabolus illum qui ſocietate eius gaudet, totaliter à Deo auertit & Apoſtatare facit, ſibique vt mancipium obſtringit; quo fit vt raro ad meliorem mentem redeant, qui ſemel eius commercijs ſe iunxerint. Hinc rectè Caiet. q. 95. a. 4. dicit, quod ſicuti conſuetudo cum Angelis bonis in hac vita eſt quædam inchoatio æternæ beatitudinis, ita ſocietas cum dæmone ſit initium quoddam ſempiternæ damnationis.

Secundo, diuinatio eiuſmodi eſt peccatũ 30
mortale, quia in diuinationibus iſtis attribuitur diabolo quod Deo proprium eſt, atque adeò diuinitas quædã in illo recognoſcitur: quod in grauiorem Dei iniuriã cedit.

Patet illud manifeſtiùs in primis, quando dæmon conſulitur de futuris euentibus qui à cauſis indeterminatis ac liberis ſunt adhuc pendentes, vel etiam de internis humani cordis cogitationibus quæ nullo externo ſigno ſeſe produnt; quia iſta prænoſſe, & hęc noſſe, eſt nota propria diuinitatis, vt ſuprà ex Iſaia oſtendimus. Quo facit & illud eiuſdem Prophetæ c. 46. *Ego Deus, & non eſt vltra me Deus, nec ſimilis mei, annuntiaui ab exordio nouiſſima, & ab initio quæ nondum facta ſunt.*

Quod & Sancti Patres conformiter docent: vnde D. Ieronymus ad verba allegata Iſaiæ, ſic ſcribit: Conſiderate quod præter me nullus ſit, qui potuerit ſcire ventura, niſi ego, qui per Prophetas prænuntio; & ad c. 2. Danielis: confitentur magi, inquit, con-

fitentur arioli, & omnis ſcientia ſæcularis litteraturæ præſcientiam futurorum nō eſſe hominum, ſed Dei; ex quo, inquit, probatur Prophetas ſpiritu Dei locutos.

D. Chryſoſtomus Homilia 18. in Ioannem: Certa prædictio futurorum, inquit, immortalis dumtaxat Dei opus eſt. Vide Iuſtinum reſponſione ad quæſt. 148. & Damaſcænum lib. 1. De fide cap. 4. Aug. Tractatu 32. in Ioannem, Chryſoſt. Homil. 30. in Matth. & Cyrill. lib. 2. in Ioannem c. 19. vbi ſcribit, Nulli alij, ſed diuinæ tantummodo naturæ Propheta (Ieremias ſcilicet cap. 11.) illud attribuit, *Scrutans corda & renes Deus.* Vnde & lib. ſecundi Paralippomenon cap. 6. dicit Salomon ad Deum: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.*

Hoc ipſo igitur, quo quis huiuſmodi rerum cognitionem poſtulat à dæmone, mendaciter ipſi diuinitatē adſcribit, atque adeò ipſum deprecando, diuinum cultum ei defert.

Sed, an ſit peccatum ſuperſtitionis pro-
31 priè ac religioni per ſe contrarium, quando de alijs rebus dæmon conſulitur, quas ipſe naturaliter poteſt cognoſcere & patefacere, controuerti poſſet: quia vti operâ dæmonis in ijs quæ ipſe poteſt naturaliter præſtare, non videtur ad eius cultum pertinere: quamuis contineat cum illo ſocietatem.

Dicendum nihilominùs eſt, etiam in hoc genere diuinationis ac ſocietatis cum dæmone reperiri peccatum ſuperſtitionis directè contrarium religioni.

Colligitur ex D. Thomâ quæſt. citatâ art. 2. vbi vniuerſaliter dicit, ad ſuperſtitionem pertinere cum aliquis aſſumit auxilium dæmonis ad aliquid faciendum vel cognoſcendum, vbi non diſtinguit vtrùm illa quæ à dæmone poſtulantur, poſſint ab illo naturaliter & verè præſtari, an non. Idem docet Caiet. eodem art. 2. Suarez tomo 1. De religione lib. 2. De ſuperſtitione cap. 8. Mald. & alij.

Ratio autem in primis aſſignari poteſt, quam inſinuat Caiet. quia dæmon in omni operâ ſuâ hominibus exhibendâ affectat & intendit diuinitatis quędam ſigna oſtentare, eamque ſibi vindicare, & ſimilis haberi Altiſſimo: cuius indebitæ ac improbæ dæmonis intentioni, & iniquæ vſurpationi diuinitatis cooperatur homo, quando ad dæmonis opem habet refugium: & ſic contra cultum & religionem Deo ſoli debitam, delinquit: nam & in hoc quaſi Deo ſuffuratur honorem ipſi debitum, & dæmonibus defert: quia quæ per nos non poſſumus, & nobis neceſſaria aut conuenientia in ordine ad ſalutem iudicamus (ad quam omnia proximè vel remotè referre debemus) oportet nos à Deo poſtulare, & poſtulando ſic illum honorare, iuxta illud Pſalmi cap. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Et confirmari poteſt ex illo, lib. 4. Regum cap. 1. *Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Beelſebub Deum Accaron.* Vbi Rex Ochozias grauiſſimè reprehenditur etiam in hoc, quòd neglecto Deo Iſraël mitteret ad conſulendum Beelſebub, tanquam qui honorem quem Deo Iſraël debebat, deferret Deo alieno, Deo Accaronitarum.

Accedit, quòd iuxta communem appre- 32
henſionem, conſultatio eiuſmodi de occultis quæ humanam cognitionem excedunt, haberi ſolet tanquam recognitio diuinitatis cuiuſdam in illo qui conſulitur, quando ab illo petitur tanquam qui ex ſe illa cognoſcat, & explicare poſſit.

Denique dæmon eſt publicus & quaſi iuratus hoſtis Dei, vnde nulla poteſt iniri ſocietas cum ipſo, abſque graui iniuriâ & læſione diuinæ maieſtatis, vt antè diximus: quemadmodum iniuriam Principi ſuo facit, & iuxta moralem æſtimationem contra honorem illius agit, qui caſtris eius relictis, tranſit in partes hoſtium.

Ex dictis itaque patet ſolutio rationis dubitandi propoſitæ, quia licet in genere loquendo, petere aliquid ex pacto, aut ſocietatis causâ ab altero, non ſecum adferat cultum illius, tamen prout Diuini illi poſtulant cognitionem rerum talium occultarum, concurrentibus circumſtantijs iam explicatis, ſic ab eo petere eſt dæmonem honorare, & Deum inhonorare.

DVBIVM VIII.

Vtrùm diuinationis ſuperſtitioſæ rectè ponatur tanquam alterum eius membrum, diuinatio quæ fiat ope vel inſtructione dæmonum ex implicito pacto?

Hic ſuppono in primis ad omnem diui- 33
nationem ſuperſtitioſam requiri neceſſario, quod cultus aliquis diuinus transferatur ad creaturam: hoc enim per ſe & eſſentialiter ſpectat ad ſuperſtitionem cultus falſi numinis: cuius diuinatio ſuperſtitioſa eſt vna ſpecies, vt dictum fuit ſuprà dubio 2.

Suppono Secundò: diuinationem præcisè ſpectatam, quatenus tantum eſt vana inquiſitio cognitionis rerum occultarum, vel voluntaria aut temeraria credulitas talium rerum, (in communi loquendo) non eſſe religioſum cultum rei alicuius creatæ: neque

neque inducere rationem talis cultus, niſi ex aliquo pacto aut commercio cum dæmone: Non enim apparet ex quo alio capite aut reſpectu poſſit hic aliàs falſus cultus immiſceri.

Hinc ergò naſcitur dubitatio, De ſecundo membro, in quod ſuperſtitioſa diuinatio communiter ſolet diuidi, prout & nos eam diſtribuimus, eò quod in his diuinationibus quæ ad hoc membrum referuntur, non videatur ſatis poſſe oſtendi pactum aliquod, aut ſocietas cum dæmone.

Non enim concurrit hic aliquod pactum expreſſum, aut explicita dæmonis inuocatio; quia, quando hæc intercedunt, tunc ad primum membrum ſpectant.

Sed neque videtur poſſe fundari implicitum aliquod pactum, quod dici ſolet intercedere: nam ſpectatis omnibus quæ in eiuſmodi diuinationibus concurrunt, non apparet aliud in quo poſſit dici fundatum, quàm in hoc, quòd rerum occultarum quæ ab hominibus non ſolent cognoſci, quæratur cognitio per quædam media per ſe inutilia & vana ad eiuſmodi cognitionem gignendam; atqui hoc non arguit neceſſario pactum aliquod qualecumque cum dæmone: poteſt enim quis veritatem occultam quærere in rebus aut medijs inutilibus, quæ ad manifeſtandam illam non habeant vllam proportionem ex quadam animi ſtupiditate, aut vanitate: non videtur igitur quomodo ibi rationabiliter mox dici poſſit implicitum pactum cum dæmone ſubeſſe in tali inquiſitione: & licet de facto ſic præſumatur, non idcirco ſequitur neceſſariò, quòd ita ſit.

Deinde pactum implicitum ſupponere videtur aliquod explicitum: nec enim apparet quomodo poſſit aliquis dici operari ex pacto implicito, niſi operetur in virtute alicuius pacti expliciti, quod præceſſit: Quid enim erit illud pactum implicitum, ſi non ſit veluti virtus quædam moraliter relicta ex pacto explicito; atqui ſupponimus homines illos qui eiuſmodi diuinationibus incumbunt, communiter nullum habuiſſe vnquam pactum explicitum cum dæmone: non apparet ergo quomodo poſſit intelligi operari ex pacto implicito.

His tamen non obſtantibus, omninò di-
34 cendum eſt rectè conſtitui diuinationis ſuperſtitioſæ vnum membrum ſeu ſpeciem diuinationem quæ fit abſque expreſſa inuocatione dæmonis per pactum tantum implicitum. Sic enim tradit D.Thom. quæſt.95. citatâ art. 2. & 3. & Doctores ſup. dub.6. allegati, & paſſim Scholaſtici, & Summiſtæ omnes.

Et ſumitur ex diuerſis Scripturis antiqui Teſtamenti, vbi eiuſmodi diuinationes & auguria reprehenduntur: Deuter. cap. 18. *Gentes iſta quarum poſſidebitis terram, augures & diuinos conſulunt: tu autem aliter à Domino Deo tuo inſtitutus es.* Numerorum cap. 5. *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael:* Iſaiæ cap. 47. *Stent & ſaluent te augures cæli:* Quod ad irriſionem eorum dicitur, qui in talibus fidebant. Ieremiæ cap. 10. *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes quia leges populorum, vanæ ſunt.*

Idem clarè docet D. Auguſt. lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 20. & aliquot ſequentibus: Cap. autem 23. inter alia ſcribit: omnes igitur artes huiuſmodi vel nugatoriç, vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda & fugienda Chriſtiano &c. & paulò infrà: quod autem, inquit, de idolis & de immolationibus quæ illorum honori exhibentur, dixit Apoſtolus, hoc de omnibus imaginarijs ſignis ſentiendum eſt, quæ vel ad cultum idolorum vel ad creaturam, eiuſque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum, aliarumque obſeruationum curam pertinent quæ non ſunt diuinitùs ad dilectionem Dei & proximi tanquam publicè conſtituta, ſed per priuatas appetitiones rerum temporalium corda diſſipant miſerorum. In omnibus igitur iſtis doctrinis ſocietas dæmonum formidanda atque vitanda eſt. Vide eundem libro 2. Geneſi ad litteram, cap.17. & lib. 5. De ciuitate cap. 1. & ſequentibus.

Similiter & alij Patres; & plura Concilia damnant eiuſmodi artes diuinatorias tanquam ſuperſtitioſas: vt ex ſequentibus dubijs, vbi agemus de particularibus ſpeciebus, conſtabit.

Quod igiur ad dubitandi rationes propo- 35
ſitas attinet, ſunt quidem illa vera quæ in principio dubij, diximus nos ſupponere. Vnde ſtantibus illis ſupereſt, vt explicetur quomodo in dictis diuinationibus implicitum pactum interueniat cum dæmone.

Hoc itaque vt intelligatur, præmitto hæc tanquam principia quædam, ſeu fundamenta ad declarandum eiuſmodi pactum.

Primum eſt, quòd Diuini illi ſeu arioli ſignis vtantur ex quibus occulta aut futura pandunt aut prædicunt, quæ non habent naturalem connexionem aliquam cum rebus futuris quas prænuntiant, vel cum re occultâ quam inde cognoſcunt; puta, quia inter ſigna illa, & inter res quas per illa cognoſcunt, non intercedit habitudo cauſæ neceſſariæ & effectus, neque è contra: nec etiam habitudo duorum effectuum inter ſe neceſſariò connexorum ob dependentiam ab vna aliqua cauſa: huiuſmodi enim connexiones & habitudines non reperiri in artibus & ſignis ariolorum euidenter ſatis per ſe apparet, neque eas vnquam poterunt declarare.

Digitized by Google

Alterum eſt, quod ſigna illa non ſint à Deo inſtituta aut impoſita ad ſignificandas hominibus veritates illas: neque Deus ex pacto ſuo ad illa operetur effectus illos qui prædicuntur: nam in primis de eiuſmodi inſtitutione à Deo facta, nihil planè conſtat; nec tantum non conſtat, ſed facilè probatur contrarium; quia Diuinationes & Auguria ſæpius in Scriptura reprehenduntur, vt ex allegatis conſtat: non igitur Deus illa inſtituit, aut ad eiuſmodi ſigna ex pacto operatur illos effectus: non enim reprehendit ea quæ ipſe inſtituit.

Accedit, quòd frequenter diuinationes illæ ſint fallaces, imò multò frequentiùs falſæ quàm veræ; quia veræ obſeruantur & numerantur, falſæ autem ſunt quaſi innumerabiles, vt notat Suarez ſuprà etiam Ciceronem animaduertiſſe, lib. 2. De diuinatione: quod & obſeruauit Aug. lib. 7. Confeſſionum, cap. 6. non igitur à Deo ſunt inſtituta. Sed neque Diuini illi ad diuinam inſtitutionem aut reuelationem referunt, ſed ſimpliciter fundant ſe in regulis artis ſuæ, aut in aliquibus humanis traditionibus.

Tertium eſt, quod iſti Diuini vtantur ſignis illis tanquam medijs idoneis, ac certò
36 demonſtrantibus ſeu indicantibus veritatem, quam inquirunt, eaque adhibeant cum certa expectatione, per illa cognoſcendi veritatem, ſiue vt loquitur Suarez, quod ſeriò illis attendant, & fidē omnino eis adhibeant: ſic enim eos vti eiuſmodi ſignis, ſatis ex ipſorum profeſſione conſtat.

Quare ſi quis aliquid eiuſmodi faceret aut obſeruaret, non quia hoc idoneum & vtile medium putat ad talem finem, nec quia ſperat per illud cognoſcere veritatem, ſed tantùm otioſè aut curioſè, quærendo quid caſu accidet, vel quid deſignet iuxta regulas artis, quam iudicat vanam, de hoc (inquit Suarez) ſatis conſtare, quod ex pacto implicito non operetur, neque ſit diuinus aut ariolus, quamuis materialiter faciat, quod alij faciunt formaliter, ſcilicet cum intentione & certâ expectatione cognoſcendi veritatem per eiuſmodi actum, vel ſignum. Vnde addit in illo modo operandi ſic materialiter, non eſſe peccatum ſuperſtitionis, ſed otioſæ actionis: ideoque nec per ſe loquendo, ſecluſis ſcilicet ſcandalo aliorum, & periculo implicandi ſe ſocietati dæmonis (qui per iocos aut curioſitates tales ſolet facilè homines ſeducere, vt ſeriò illis incipiant intendere vnde ſine graui periculo vix fieri poteſt) non eſſe peccatum mortale, ſed veniale, iuxta Caietanum: quod & tradit Mald. Tractatu 10. cap. 7. dub. 5. & plures alij.

Quartum eſt, quòd dum de pacto implicito hîc eſt ſermo, tunc per pactum non intelligi tantùm ſtabilē cōuentionem per promiſſionem & mutuam obligationem initam: ſed quamcumque ſocietatem vel deprecationem, quâ vnus aliquid petit, & ratione cuius alter id ipſum præſtat.

His itaque poſitis, ſic oſtendi poteſt in 37
diuinationibus eiuſmodi, quamuis abſque dæmonis inuocatione expreſſâ fiant, tamen pactum quoddam cum illo implicitè interuenire: qui enim ſignis aut regulis eiuſmodi artis diuinatoriæ vtuntur, dupliciter poſſunt intelligi eis vti:

Vno modo, credendo & quaſi præſupponendo ea verè ex aliqua determinatione ſeu impoſitione factâ eſſe ſignificatiua earum rerum, quarum cognitionem inquirunt.

Alio modo, non ſupponendo ea ex antecedenti impoſitione eſſe ſignificatiua; ſed apprehendendo quaſi ex ſuperiori aliquo & occulto inſtinctu fit aut operatione iſta fiant ad hoc vel illud ſibi ſignificandum; diabolus namque æmulus diuinitatis quantū poteſt, ſolet fallaciter imitari opera Dei; atque ita diuinos honores affectare. Vnde ſicuti Deus aliquando ſubitò aliquâ voce, aut verbo audito vel lecto, vel alio quodam ſigno indicat ſeruis ſuis peculiarem aliquam ſuam voluntatem, aut ſingularem prouidentiam, vt iuxta illa dirigant actiones ſuas: quod diuinitùs fieri ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu, vel certò, vel admodū probabiliter agnoſcunt (cuius rei exempla extant in Scripturis, Geneſeos cap. 24. primi Regum cap. 14. item primi Regum 20. & alia videre licet apud D. Auguſtinum lib. 8. Confeſſionum cap. 12. & in vita S. Antonij.) ſic & dæmon ſolet frequentius cum iſtis ariolis agere, vt apprehendant quaſi ex inſtinctu altioris mentis hæc vel illa ſibi intimari dum fortuita aliqua ſigna eis obijciuntur, aut ſeſe illis exhibent; quemadmodum & in diuinationibus vbi expreſsè inuocatur, ſolet quoque ſe aſſimulare in modis reſpondendi ad formam quâ Deus in Scripturis legitur ſuis Prophetis & ſeruis reſpondiſſe, aut futura prænunciaſſe: ſicuti enim Deus in veteri Teſtamento reſpondere ſolet per Propitiatorium, mediantibus ſacrificijs adhibitis; per Prophetas diuino ſpiritu plenos; aliquando etiam in ſomnijs &c. ita quoque dæmon per Idolum, per ſacrilega ſacrificia, per inſomnia, per pythones & pythoniſſas imponere conſueuit ſuis diuinis & ariolis.

Cæterùm, vtrouis modo ex dictis procedant in diuinationibus ſuis, facilè conuincitur pactum aliquod ſiue commercium implicitum cum dæmone interuenire. 38

Quod de priori modo, qui magis eſt vſitatus, ſic declaratur: quia regulæ illæ ſine ſigna non ſunt fundata in naturali ratione: non enim habent naturalem cohærentiam aut proportionem, vt dici poſſint quaſi à natura impoſita, ſiue quod naturaliter ſignificent effectus futuros, vel hic aut illic eiuſmodi

modi res latere abſconditas, vti paulò antè oſtendimus: ſed neque cognoſcuntur à Deo inſtituta ad ſignificationem talium rerum futurarum vel occultarum; quin potius de contrario ſatis cōſtat, vt ex Scripturis & alijs auctoritatibus allegatis ſatis eſt intelligere: ergo qui illis vtuntur tanquam idoneis & vtilibus medijs ad cognoſcenda futura vel occulta debent credere ea eſſe impoſita ab ipſo dæmone; quandoquidem non appareat à quo aliunde habere aut exiſtimari poſſint habere rationem & vim talis ſignificationis, & proinde qui illis vtuntur virtualiter & implicitè præbent ſe diſcipulos ipſius dæmonis, & illi vt magiſtro adhærent: hoc autem eſt habere cum ipſo implicitum pactum ſeu ſocietatem.

39 Idem declaratur de modo poſteriori, quia cum eiuſmodi reuelationem ſperare non poſſint à Deo, prout neque ſe expectare profitentur, conſequens eſt, quòd expectetur à dæmone, quandoquidem (vt ſupponimus) non ſit tale quid, quod naturaliter prænunciet aut ſignificet illud quod ex eo Diuinus futurum apprehendit.

40 Probatur Secundò: quia intendens eiuſmodi vanis actibus & inquiſitionibus, non poteſt agere animo & ſpe cognoſcendi futura vel occulta, modo & via inuentionis quaſi ex cauſis inquireret effectum, aut è contra: vel ex vnius effectus cauſa quæreret alium effectum, vt ex dictis ſatis intelligitur: ſed viâ tantùm diſciplinæ; cuius rei argumentum euidens eſt; quia cognitio ſic acquiſita reducitur tota in auctoritatem eius qui tradidit eiuſmodi ſigna prænuntiare aut indicare hæc vel illa occulta: non enim vi ſolius diſcurſus & luminis intellectualis poteſt ex rebus ipſis id colligi, vtpotè in quibus non habent fundamentum cum naturaliter non habeant cohærentiam inter ſe: atqui primus magiſter qui hanc diſciplinam tradidit non poteſt eſſe alius quam dæmon: quandoquidem per ſe non potuerit homo eiuſmodi ſignorum arbitrariorum intelligentiam adipiſci, & ipſa non habeatur à Deo, & conſequenter nec à Sanctis Angeliſ: quod ſatis conſtat ex eo, quia eiuſmodi artes & illarum vſus in Scripturis grauiter arguantur, vt diximus; ergò qui eiuſmodi diſciplinæ incumbit, conuincitur ex dæmonis inſtructione velle doceri, & cognitionem occultarum rerum acquirere; ſicuti qui dat operam libris & doctrinæ D. Auguſtini, declarat ſe ab illo velle doceri; & qui Scripturam Sacram legit & credit, oſtendit ſe à Deo inſtrui deſiderare à quo Scriptura & Doctrina ſacra eſt profecta. Hoc autem eſt implicitum habere pactum ſiue commercium quale eſt inter diſcipulum & magiſtrum; ergò &c.

41 Ex hactenus dictis non difficile erit, iam reſpondere ad rationes in contrarium adductas.

Ad primam namque dicendum eſt, quod Diuini iſti ſiue arioli non ex vanitate aliqua vel ſtupiditate tantùm quærant veritatem per media ex ſe inepta ac inutilia & non proportionata, quæ exiſtiment habere naturalem aliquam connexionem cum veritate quam inquirunt; ſicuti hebetioris ingenij aut iudicij ſubindè faciunt ſyllogiſmos ſpeudographos, ex quibus aliquando verum, aliquando falſum concludunt, ſed intendunt arti ſuæ & regulis artis tamquam quæ infallibiliter ex altioris genij impoſitione aut directione prænuntient aut indicent res futuras, vel occultas: & ſic ex illis expectant certò cognoſcere veritatem occultam: hoc autem dum faciunt, communicant magiſterio & ſocietati illius genij, cuius ſe faciunt diſcipulos, qui non eſt alius quàm ipſe dæmon, vt ex diſcurſibus antè factis ſufficienter conſtat.

Ad alteram reſpondetur inprimis, quod frequenter contingat, in eiuſmodi præceſſiſſe pactū aliquod explicitum dęmonis cum alijs. Deinde addo, quod quemadmodum vt quis implicitè aut interpretatiuè dicatur velle aliquid, non requiritur quod habuerit aliquando expreſſam & formalem eiuſmodi voluntatem, ſed ſufficit quod aliquid faciat aut omittat, in quo cenſeatur morali æſtimatione alterum velle, ſic quoque vt quis implicitum habeat pactum aut commerciū cum dæmone, non eſt neceſſe quòd præceſſerit expreſſum & formale eiuſmodi pactum; ſed ſatis eſt quod fiat opus aliquod, quod tacitè & virtualiter importat cum dæmone commercium, prout ſatis oſtendimus ab illis Diuinis fieri: ſicuti & implicitè cenſetur quis contrahere cum altero, v. g. Inire contractum emptionis, ſi ponat ordinarium pretium & accipiat merces, quamuis conuentionem explicitam non faciat. 42

Sed replicabitur; poteſt quis velle vanis illis inquiſitionibus incumbere & vti; tamen expreſsè intendendo non habere ſocietatem cum dæmone; ſed vti tantum illis propter experientias aliquas quæ oſtendunt futura ſic ſolita euenire, quemadmodum iſta ſigna iuxta regulas talis artis, aut iuxta traditionem eorum qui in illis habentur periti, indicant: interim verò non attendit, neque curat quomodo iſta innotuerint hominibus, ſed ab eo abſtrahit; ergo non videtur quod ſic operanti debeat attribui pactum aliquod implicitum cum dæmone. 43

Confirmatur, quia fieri poteſt quod ſic operans opinetur iſta ſigna non à dæmone, ſed à Deo fuiſſe ſic inſtituta ad inſtruendum hominem de futuris, aut de occultis, & ab eo tradita, vel caſu fuiſſe ab homine obſeruata, & poſtmodùm quaſi vſu fuiſſe compertum,

pertum, quòd vera eſſent rerum talium iudicia.

Denique ſi aliquis reuera neſciat eiuſmodi ſigna eſſe ex traditione dæmonis, & ideo velit illis vti, quia etſi ignoret, vnde habeant originem, non tamen probantur habere originem malam, prout multi in iſtis videntur procedere, non videbitur talis conuinci poſſe de pacto implicito cum dæmone; præſertim ſi habeat expreſſam voluntatem non communicandi cum ipſo: nam quod non probatur malum, videtur poſſe præſumi bonum; ergò &c.

Reſpondetur, fieri poſſe, quòd per igno-
44 rantiam vel inaduertentiam velit quis ſimul contraria, puta vnum formaliter ac in ſe, & aliud virtualiter & in alio: ſicuti iuxta Philoſophum contingit idem ſciri in vniuerſali, & ignorari in particulari; ita ergo obueniet illi quòd expreſsè & formaliter non velit habere ſocietatem cum dæmone, & tamen virtualiter & in alio, eam velit; dum ſcilicet vult incumbere operi, quod ſecum adducit commercium cum dæmone, quando videlicet vult vti artibus & ſignis tanquam idoneis & vtilibus medijs ad cognoſcenda occulta, ad quæ patefacienda nihil valent, niſi interuentu & ope dæmonis.

Neque refert, ſi dicat ſe tenere illa eſſe vtilia propter aliquas experientias, nam hoc ipſum eſt dæmoni aſſociari, & ab ipſo diſciplinam accipere; quia experientiæ iſtæ à dæmonibus ſunt procuratæ, à quibus & ipſa ſigna ſunt ſuggeſta, vt ex diſcurſibus antea factis ſufficienter poteſt intelligi: quod & docet D. Auguſt. lib. 2. De Geneſi ad litteram, cap. 17. Ideoque fatendum eſt, inquit, quando ab iſtis (ſcilicet diuinis) vera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quem neſcientes humanæ mẽtes patiuntur: quod cum ad decipiendos homines fit, ſpirituũ ſeductorum operatio eſt: & in fine capitis concludit, Quapropter bono Chriſtiano ſiue Mathematici, ſiue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera, cauendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodã ſocietatis irretiant: prout ſcilicet illos iam intricarunt, qui propter aliquas experientias forſitan veras, incipiunt illis credere, & artibus illorum vti. Similia habet lib. 4. De Trinitate, cap. 17.

Neque quiſquam excuſabitur; quòd di-
45 cat ſe non attendere nec curare à quo illa ſint inſtituta, aut quomodo inuenta; obligatur enim attendere & illa curare, quia eo ipſo quo non vult curare aut attendere, dum probabilitatem nullam habet, quod à Deo ſint, aut per naturalem diſcurſum tanquam ſigna naturalia inuenta, voluntariè ignorat authorem, & ſic conuincitur velle illis inhærere & vti, tametſi à dæmone originem habeant.

Hinc etiam patet reſponſio ad confirmationem: dicendum eſt enim, quod illa ignorantia aut bona fides non mutet ſubſtantiam operis: vnde qui ſic operatur, haud dubiè multùm fallitur, & facit opus quod à parte rei includit tacitum pactum cum dæmone: ſi tamen eiuſmodi ignorantia eſſet inuincibilis, tum à culpa excuſaretur quamuis opus materialiter malum feciſſet: quemadmodum & in alijs peccatis contingit; ſed ordinariè ignorantia illa craſſa aut vincibilis eſt: licet non videatur impoſſibile (inquit Suarez) aliquando eſſe inuincibilem.

De ratione autem & qualitate illius ignorantiæ in particularibus caſibus iudicandum & diſcernendum eſt ex generalibus regulis de ignorantia, vt monet Caiet. hic ad q. 95. art. 2. De quibus tractari ſolet in 1. 2.

Ad vltimum denique dicendum eſt, quòd
voluntas illa non poſſit eſſe prudens, quâ 46
velit quis inhærere artibus illis tanquam ignotam originem habentibus, & de quibus non conſtat vllo modo, quod à malignis dæmonibus ſint inuentæ & traditæ, ſiue quod malam habeant originem: quia cum ex Scripturis, tum ex doctrina Eccleſiæ, tum ex rationibus ſupra deductis ſatis probatum ſit: quod neque in naturali inuentione per diſcurſum intellectus habeant fundamentum, neque Deus aut Sancti eius eas hominibus tradiderint: quia & in Scripturis ſacris reprehenduntur, & ſæpius fallaces ſunt, & nihil pietati deſeruiunt, ſed potius occaſionem præbent committendi plura flagitia. Vnde relinquitur euidens quod à maligno ſpiritu proficiſcantur.

Sed hic prætereundum non eſt, quod notat S. Auguſt. lib. 2. De doctrina Chriſtiana c. 24. Quod nulla (id eſt, nullius effectus) ſint eiuſmodi ſigna niſi obſeruentur, & conſenſus obſeruantis accedat: quod ritus augurum, inquit, manifeſtè oſtendit: Ideo enim agunt ne videant volatus, vel audiant voces auium, exiſtimantes ſi non obſeruent & credant, quod nihil aduerſi ex illis obuenturum ſit.

DVBIVM IX.

Quomodo ſubdiuidatur diuinatio habens implicitum pactum cum dæmone?

Reſpondetur iuxta D. Thom. qu. 95.
art. 3. hanc diuinationem proximè di- 47
uidi quaſi in duo genera.

Vnum eſt, quando capitur diuinatio ex ſola inſpectione diſpoſitionis rerum aliquarum, vt ſitus, motus, numeri, vocis, aut alicuius ſimilis qualitatis abſque alia actione hominis

hominis accedente & directâ ad occultum quid cognoſcendum: & vocari ſolet auſpicium, ſumpto hoc nomine generaliter.

Alterum verò conſtituitur, quando diuinatio ſumitur ex conſideratione eorum quæ eueniunt ex quibuſdam quæ ab hominibus ſeriò fiunt ad aliquid occultum inquirendum & cognoſcendum, ſiue per protractionem punctorum (inquit D. Thomas) ſiue per conſiderationem figurarum quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aquâ proiecto, ſiue ex quibuſdam ſcedulis ſcriptis vel non ſcriptis in occulto, dum conſideratur, quis quam accipiat &c. Et hoc genus habet ſortium nomen, ſiue ſortilegium generaliter vocatur.

Primū genus ſubdiuiditur in plures quaſi ſpecies: vt in aſtrologiam ſuperſtitioſam ſeu iudicatoriā, & vocari poteſt aſtromantia: in Augurium: in Omen; & in Chyromantiam. Aſtromantia eſt quæ diuinat ex motu vel ſitu aſtrorum. Augurium eſt, quando fit diuinatio ex garritu auium; & huic addi poteſt illa quæ fit ex motu, ſitu, vel numero auium, quæ dicitur propriè & ſtrictè auſpicium. Omen dicitur, quando fit diuinatio ex voce humana, aliâ intentione prolatâ, vel ex hominis ſternutatione: ad quam etiam poteſt reduci Diuinatio ex ſomnijs. Chyromantia eſt diuinatio ex conſideratione lineamentorum manus: quò reuocari poteſt, quę fit ex inſpectione lineamentorum frontis, dorſi vel alterius partis corporis humani.

48 Secundum genus videlicet ſortilegium ſolet quoque pluribus modis fieri, vt infrà explicabimus.

Sunt autem omnes modi hi diuinandi ex genere ſuo peccata mortalia, vt Doctores tradunt paſſim: & ratio eſt euidens, quia important in profeſſione ſua commercium cum dæmone, & diuinum honorem ad creaturam transferunt, vt ex antedictis conſtat. Vide Caietanum in ſumma V. Diuinatio, V. Sortes, & V. Aſtrorum obſeruatio.

Ad exempla autem quæ ex Scripturis poſſunt in contrarium obijci reſpondebimus in ſequentibus, vbi de diuerſis illis diuinandi modis, magis in particulari agemus.

DVBIVM X.

Vtrùm omnis futurorum prædictio ex aſtris pertineat ad ſuperſtitioſam Diuinationē?

49 DVplex cōmuniter diſtinguitur Aſtrologia: altera naturalis, quæ peculiariter nominatur aſtronomia, & altera iudiciaria quæ peculiariter vocari ſolet aſtrologia, nomine illo ſtrictè ſumpto, aut dici poteſt aſtromantia, vt habet Malderus tract. 10. cap. 7. dub. 6. circa principium.

Vtraque autem ſuas habet ex aſtrorum conſideratione, prædictiones: & hinc naſcitur aut mouetur dubium propoſitum.

RESPONDEO & DICO Primò; Prædictio futurorum effectuum qui pendent à cælis & aſtris, eorumque motibus tanquam cauſa determinata & neceſſaria, ac naturaliter cognoſcibili, non ſpectat ad vitium diuinationis ſuperſtitioſæ, neque culpam aliquam importat. Ita tradunt DD. omnes.

Eſtque per ſe ſatis euidens, quia nihil mali ineſſe poteſt in diuinatione ſeu prædictione effectus dependentis à cauſa neceſſaria per humanum ingenium cognoſcibili: ſic per aſtronomos prædicuntur Ecclypſes, planetarum coniunctiones, oppoſitiones, & ſimiles habitudines.

DICO Secundò: Neque per ſe malum eſt aut prohibitum ex cælorum conſtellatione coniectare de quibuſdam naturalibus effectibus circa hæc inferiora, qui proueniunt ex cæleſtibus influentijs & concurſu planetarum, vel aliorum aſtrorum, eorumque aſpectibus: neque in hoc committitur peccatum diuinationis. 50

Ita docent Caiet. V. Aſtrorum obſeruatio, Suarez tomo 1. De religione, lib. 2. De ſuperſtitione, cap. 11: Malderus ſup. dub. 6. D. Thom. quæſt. 95. art. 5. & tenetur communiter.

Ratio autem eſt, vt habet Caiet. quoniam effectus quæruntur & reducuntur in ſuas cauſas naturales; nam huiuſmodi effectus, vt ſunt æſtus, frigus, ſerenitas, tempeſtates, intemperies aëris, vnde ſterilitas aut morbi ſequuntur, ſunt naturaliter dependentes ab influentijs cæleſtibus, & ab aſtris tanquam cauſis naturaliter operantibus: quas potuerunt homines longâ obſeruatione & experientiâ ſenſim aliquouſque diſcere & cognoſcere: ergo ex illis coniectare de ſimilibus euentibus nō erit per ſe malum: neq; apparet ratio cur moderatus vſus prohibeatur, quia poteſt humanæ vitæ etiam deſeruire & eſſe vtilis. Vnde Papa Sixtus V. in Bulla quæ incipit, Cæli creator, & eſt ædita contra Iudiciariam aſtrologiam, permittit vt circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam poſſit attendi ad prænunciationem & obſeruationem talium effectuum ex cælorum conſtitutione: & hinc forſitan D. Hieronymus epiſtolâ 103. circa medium, inter artes vtiliſſimas generi humano ponit aſtrologiam, ſcilicet naturalem.

Obſeruandum tamen, quod in hoc genere, etſi non ſuperſtitioſè, tamen aliter peccari poſſit, vt monet Suarez loco citato, quia perueſtigatio cælorum & aſtrorum quatenus ſunt cauſa iſtorum, & ſimiliū effectuum, 51

licet aliquouſque poſſibilis ſit homini, tamen eſt admodum difficilis, & multum incerta: idque ex diuerſis rationibus.

Ac in primis, quia pauca naturaliter poteſt homo determinatè cognoſcere de virtutibus & proprietatibus aſtri alicuius in particulari.

Deinde quia plures cauſæ cæleſtes ſimul veriſimiliter concurrunt ad eiuſmodi effectus in his inferioribus cauſandos, quas omnes obſeruare aut diſtinctè cognoſcere, homini eſt impoſſibile: vnde & experientia ſatis confirmat, quàm ſit debilis & fallibilis illa ſcientia: multæ enim & variæ prædictiones quę quotannis de ſimilibus euulgantur, magnâ ex parte inter ſe inueniuntur contrariæ, & ſingulæ depræhenduntur pro maiori parte à vero aberrare.

Hinc ergo contingit in eiuſmodi prædictionibus, & in adhibendo eis fidem committi exceſſum, dum abſolutâ vel nimiâ certitudine affirmantur futura, vel nimiâ credulitate eis adhæretur, quæ ex cauſis illis vix probabiliter cognoſcuntur à nobis euentura: & quamuis per ſe loquendo, iſta temeraria prædictio cum tanta aſſeuerantia, aut pertinax nimis credulitas, non contineant ſuperſtitionem, non videtur tamen carere periculo paulatim in ſuperſtitionem dilabendi.

Quo circa ne imprudenter fiat talium effectuum prædictio, non debet eſſe abſoluta, ſed quaſi modificata, vt dicatur, v. g. conſtellationes indicant futuram ſerenitatem, tempeſtates, aëris intemperiem &c.

52 Dico Tertiò: Non eſt quoque per ſe malum, ex cælorum & ſiderum aſpectu, obſeruatâ pueri natiuitate, coniectare de temperamento eius, & ex temperamento coniectare de inclinationibus eius, vt ad iracundiam, ad rixas, vel ad manſuetudinem aut pacem, vel ad ſimiles paſſiones, ſeruato moderamine coniecturæ: neque videtur hoc vniuerſaliter per leges, aut canones prohibitum. Ita quoque Suarez ſuprà: ſimiliter Caiet. hîc quæſt. 95. ad art. 5. circa finem §. Si autem fiant ad coniecturam habendum naturaliū inclinationum, vbi dicit, quod ſic mala non ſint, ſic prohibita non ſint. Delrio lib. 3. cap. 3. quæſt. 1. concluſione 2. quos ſequitur Mald. ſuprà dub. 6. Bonacina ad 1. præcept. Decalogi diſp. 3. quæſt. 5. puncto 3. nu. 12. §. Dix, Prædicentes ex aſtris præciſè: & indicat D. Thom. hîc quæſt. 95. art. 5. ad 2. quando dicit, hoc quod aſtrologi (ſcilicet iudiciarij) frequenter vera prænunciant ex aſtrorum conſideratione, contingere vno modo, quia plures ſeu magna pars hominum paſſiones corporales ſequuntur, & ideo actus eorum diſponuntur, vt in pluribus ſecundum inclinationem corporum cæleſtium, vbi ſupponit, vt apparet, quod aſtra adferant quandã inclinationem homini, quatenus ſcilicet ad complexionem & temperamentum hominis conferunt: quodq; illam inclinationem poſſint aliquo modo proinde aſtrologi ex cæli & ſiderum conſideratione cognoſcere, & quod ex hâc cognitione contingat eos aliquando vera dicere de futuris actibus liberis, quia plurimi inclinationes & paſſiones corporales ſequuntur in actibus ſuis etiam liberis. Licet forſan non loquatur de inclinatione quam adducit conſtellatio quæ fuit tempore natiuitatis: ſed de inclinatione quam operatur illa quæ eſt tempore illo futura, quo actiones erunt exercendæ quæ prædicuntur: quæ prædictio omnino eſt illicita & prohibita per Bullam Sixti V. Si cæli Conditor, ſi fiat præciſè ex aſtris, & non ex conſideratione temperamenti & complexionis vel alterationis corporalis in tali vel tali homine, vt notat Bonac. ſuprà, nec eam aliter probaret D. Thom. de qua re infrà latiùs.

Ratio itaque concluſionis eſt, quia hic effectus, temperamentum ſcilicet corporis humani, ſeu eius complexio, ſicut & commotio & alteratio corporis quæ etiam appetitum ſenſitiuum afficiunt, eſt per ſe naturalis à cauſis naturalibus proueniens; & exiſtimari poteſt cæleſtes influentias ſuam quoque vim habere ac exercere circa illa, prout D. Thom. etiam ſupponere videtur in verbis allegatis; igitur ex illis aliquid coniectare de huiuſmodi temperamento non eſt per ſe malum aut illicitum: neque enim neceſſe eſt dicere huiuſmodi coniecturalem prænuntiationem includere pactum aliquod cum dæmone, quia non fundatur in aſtris tanquam in ſignis arbitratijs, ſed vt in naturalibus cauſis talis effectus, quæ naturaliter aliquouſque videntur poſſe cognoſci, quatenus ex alijs effectibus quos obſeruantur cauſare in alijs corporibus, vt in elementis, colligitur, quòd nata ſint etiam in hominibus tale vel tale temperamentum & complexionem cauſare.

Vnde & hoc conſequens eſt, quod per ſe malum non ſit, aliquid coniectare de inclinationibus ad hos vel illos effectus ſiue ad tales vel tales paſſiones: nam huiuſmodi inclinatio fundatur magnâ ex parte in naturali corporis temperamento & complexione.

Dixi, ſeruato moderamine coniecturæ, quod rectè addit Caiet. nam velle aliquid certiùs aut vt multum probabile de talibus prædicere, ſtultum eſt (inquit Suarez) & non ſit ſine culpa: aduerſatur enim virtuti ſimplicis veracitatis obtrudere tanquã certa, aut multum probabilia, quæ incertiſſima & maximè fallibilia ſunt: tota namque iſta inueſtigatio eſt planè incerta, vt ne quidem ad probabilem coniecturam, imò vix ad ſuſpicionem poſſit peruenire, vt antiqui Patres 53

& Theo-

Digitized by Google

& Theologi ſentiunt: quod & prudentiores Aſtronomi facilè admittunt, ſcilicet conuicti per experientias, quæ longè frequentius deprehenduntur fallere, quàm continere veritatem.

Quod ſi enim de pluuijs, de ſerenitate, & ſimilibus aëris diſpoſitionibus, nihil certi, nec quidquam ſimpliciter probabile prænunciare poſſint ex futuris conſtellationibus, vt antè oſtendimus, multò minùs ſanè id poterunt de temperamento aut complexione humani corporis dicere ex conſtellatione obſeruatâ tempore natiuitatis: nam eædem rationes incertitudinis hic militant, & aliæ multæ particulares, vt in primis quòd qualitates & conditiones rei generandæ magis pendeant ex diſpoſitionibus materiæ, vnde generatur, & ex virtute aut debilitate efficientis cauſæ proximæ & particularis, quàm ex influentijs cælorum.

Hinc duo agri qui diuerſarum ſunt qualitatum, quamuis ſeminentur eodem tempore, & ſimul germinare incipiant, non idcirco producent granum eiuſdem conditionis: idque adhuc multò minùs ſi ipſum triticum vel aliud granum quod ſeminatur in vno & altero ſint diuerſæ præſtantiæ aut bonitatis.

Et ſic quoque temperamentum & com-
54 plexio prolis plurimùm dependent ex diſpoſitionibus tum matris, tum patris: vnde ex ſolo aſpectu ſiderum, quæ ſiue tempore natiuitatis, ſiue conceptionis concurrit, vix poteſt quidquam colligi de futura complexione & temperamento prolis genitæ.

Nam quoad tempus conceptionis attinet, poteſt temperies fœtus multum mutari in vtero matris ex morbo vel ſanitate, ex temperantia, ex alimentis ipſius matris. Vide de hoc argumento D. Auguſtinum lib. 5. De ciuitate cap. 2.

Accedit quod tempus conceptionis fœ-
55 tus ſit omnino incertum, atque ita quoque notari aut ſciri non poſſit ab aſtrologis conſtellatio ſub qua fuerit fœtus conceptus: vnde etiam aſtrologi ex hac conſtellatione non audent præſumere vaticinari de futura complexione, inclinatione, aut euentibus hominis naſcituri, quantumuis alioquin negare non poſſint, quod plus influxus habeat circa corporis conſtitutionem & temperamentum (eo quod tunc fœtus ſit tenerior, & magis receptiuus alterationis) quàm conſtellatio natiuitatis. Quod verò ad hanc attinet, militat contra eam hoc ipſum argumentum, quia penè tam incertum eſt punctum natiuitatis quàm conceptionis; neque enim refert quod natiuitatis tempus confusè, vt dies, vel hora poſſint magis notari; quia aſtrologi volunt, quòd quaſi in ictu oculi, ſiue in puncto temporis fiat illa operatio conſtellationis, vt notat D. Gregorius homilia 10. in Euangelia, ita vt illo vel minimùm variato varietur etiam vt plurimum vis conſtellationis, nam & ipſe aſpectus ſiderum continuò variatur propter indicibilem velocitatem motus firmamenti, quod in centeſima parte horæ conficit pluſquàm trecenta millia milliarium. Ex ſola itaque obſeruatione ſiderum aſpectus, tempore natiuitatis vix eſt quòd vel tenuiſſima colligatur ſuſpicio de temperamento & complexione & propenſionibus prolis natæ.

Quare conſequitur omnino vanum & 56
curioſum tantùm eſſe intendere talibus obſeruationibus: idque eo magis, quòd eiuſmodi coniecturæ ad nihil conducant aut deſeruiant vitæ humanæ, quin potius ſint inutiles & ſæpius noxiæ: quia eadem penè incommoda & mala adducere nata ſunt in ijs qui his attendunt, quæ cauſare ſolet aſtrologia iudiciaria completa (de quibus aliquid infrà dicemus) ita vt procliue admodum ſit, vt qui iſtis inquiſitionibus ſe dedere incipiunt, prolabantur in ſuperſtitionem iudiciariæ aſtrologiæ. Vnde propter huiuſmodi incommoda & pericula omnes dehortandi ſunt ab eiuſmodi vanis & otioſis ſtudijs & inquiſitionibus, nam qui amat periculum, peribit in illo, vt monet Sapiens.

Dico Quartò: Ex cælo vel ſiderum
aſpectu de euentibus futuris qui à libero 57
dependent arbitrio, vt de hominis futuro ſtatu, de honoribus, de infortunijs, de matrimonijs, de liberis, de inimicitijs, de carcere, de proſperis negotiorum ſucceſſibus, de mala morte, & de ſimilibus humanis caſibus aliquid certiùs iudicare aut prædicere eſt per ſe illicitum, & ſuperſtitioſum, atque adeò ex genere ſuo peccatum mortale.

Similiter iudicare aut velle iudicare de præteritis incognitis ex ipſis aſtris, v. g. quis homicidium aut furtum commiſerit, quis huius parens ſit; vbi res furto ſublata ſit abſcondita, ſuperſtitioſum quoque eſt.

Iſtiuſmodi enim prædictiones & occultorum manifeſtationes ex aſtris ſunt propriè diuinationes ad iudiciariam aſtrologiam ſæpius damnatam pertinentes.

Huius autem cultores appellari ſolent diuerſis nominibus, vt ſpecialiter Aſtrologi, Genethliaci, Mathematici, licet hoc nomen frequentius accipiatur in bonam partem: & in Scripturis ſanctis ſæpe nomine Augurum ſignificantur.

Concluſio itaque poſita eſt certa & communis. Ita docent D. Thom. hîc quæſt. 95. art. 5. ibidem Caiet. & alij Commentatores: Antoni-

liberè futuri ſunt ab initio ſæculi vſque in finem, proindeque ex aſtris illos prædicere, nihil mali continere.

Reſpondetur in primis: Id quod aſſumunt nullum habere fundamentum, & gratis ab eis fingi.

Deinde etiam illo poſito, quòd ſic omnes futuri effectus in cęlo quaſi in tabula deſcripti continerentur (quod tamen poni nō debet) nihilominùs nullo modo excuſari poterunt aſtrologi à dęmonū commercio; quia humanum ingenium neque experientiâ, neque ſuâ induſtriâ aſſequi poſſet tantam, & tam variam cælorū & ſiderum ſignificationem, vt etiā Origines apud Euſebium loco ſuprà citato, docet: qui alioquin exiſtimare videtur ita ſe rem habere, vt hi aſtrologi aſſerunt pro ſua excuſatione.

Itaque neceſſe eſt, vt ſignificationē hanc norint vel ex diuina reuelatione, aut diaboli ſuggeſtione: non nouerunt autem ex diuina reuelatione, quia illorum regulæ frequenter falſæ ſunt, & ſectatores ſuos decipiūt; cuiuſmodi diſciplina in Deum referri non poteſt. Deinde quia eædem ſunt regulę horum quę aſtrologorum aliorū, qui ſtellas ponunt cauſas omnium euentuum, niſi quod hi loco cauſæ, ponant in regulis nomen ſigni, v.g. Si dicant iſti ſidus Martis facere homicidam, hi dicunt ſignificare homicidā futurū, vt docet D. Aug. lib. 5. De ciuitate, cap. 1. vbi huius opinionis facit mentionem, & eam reijcit.

Quandoquidem ergò priores illæ regulę à Deo eſſe non poſſint, vtpote quæ errorem contra fidem & bonos mores continent, cōſequens eſt, quòd neque etiam poſteriores à Deo erunt, quæ iſtis per omnia ſunt conformes, illo vno (quod diximus) excepto; ſed potius ſicuti illæ, ita & hæ à diabolo ſunt ſuggeſtæ, nomine cauſæ in nomen ſigni mutato, ad malitiam artis tegendam, & ad diſcipulos illius aliquouſque tutandos.

Tertiò, quia Ieremię 10. dicitur abſolutè, *A ſignis cæli nolite metuere* &c. ſi autem aſtrologi ex ſideribus tanquam diuina quadā pictura poſſent futura præſcire ac prædicere, non minus ſanè licebit ab eis metuere, quàm ſi ipſa neceſſariò cauſarent. Vnde locum nō haberet, quod ſubijcitur; *Quoniam leges populorum vana ſunt.*

Denique, quia ſi Deus eiuſmodi aliquam ſignificationem futurorum aſtris indidiſſet aut inſcripſiſſet, potius eius intelligentiam reuelaſſet viris pijs ac religioſis, quàm hominibus improbis & malignis, quales omnes eſſe ſolent qui ſe artibus iſtis immiſcent.

61 Quare quocumq; modo aſſeratur, futura cōtingentia quę à libertate dependent, poſſe certò & in particulari ex aſtris cognoſci & prædici, ſiue ex illis tanquam cauſis, ſiue tanquam ex ſignis, omnino hoc erroneū eſt, ac ſuperſtitioſum tali ſcientia vti: & abſolutè ac ſine diſtinctione ab Eccleſia damnatur, vt ex antè dictis ſatis conſtat.

DVBIVM XI.

An ſit quoque illicitum veluti ſuperſtitioſum, aut tanquam poſitiuè prohibitum, prædicere huiuſmodi actus liberos & euentus ex aſtris, non ſecundum certitudinem, ſed ſecundum probabilem & moralem coniecturam?

RESPONDEO & DICO Primò: Etiam hoc omnino eſt illicitum, ac in primis, vt poſitiuè prohibitum, adeò vt qui externùs ſic futura ex aſtris pręnuntiare præſumeret, tametſi diceret ſe non affirmare illa tanquam certò euentura, nihilominùs ab Eccleſia ſit puniendus. Ita Sanchez in opere Morali, lib. 2. c. 38. Filliucius tract. 24. c. 4. punct. 3. n. 34. Bonac. circa 1. Præcep. diſp. 3. punc. 3. n. 12. §. Reſpondeo ſecundò, Suarez tom. 1. l. 2. De ſuperſtit. c. 11. n. 29. & ſeqq. & alij. Et ſatis conſtare videtur ex Bulla, ſiue motu proprio Sixti V. de quo ſuprà, vbi dicitur, Statuimus vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominū, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſq; caſibus, aut de actionibus ex humana voluntate pendētibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi certò id ſe affirmare non aſſerant aut proteſtentur &c. inquirant & procedant, ſcilicet Fiſci aut Ordinarij, & in eos ſeueriùs Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant, vbi Pontifex aut ſupponit illud eſſe prohibitum, vel tacitè prohibet, alioquin non iuberet eos puniri, non obſtante tali illorum proteſtatione. 62

Ratio autē prohibitionis iuſta eſſe poteſt; quia etiam hic modus prædicendi futuros hominum euentus, eſt reipublicæ pernicioſus, & eadem mala ſecū adducere ſolet, quæ prædictoines abſolutæ: idque eò magis, quia alij facilè apprehendunt eiuſmodi proteſtationem addi ad euadendas pœnas, aut ne habeantur magi vel augures.

DICO Secundò: Non tantùm eſt illicitū, quia poſitiuè eſt prohibitum, ſed etiam quia ex ſe ad diuinationē ſuperſtitioſam ſpectat. 63

Probatur, quia eiuſmodi prædictio etiam ſub ſpecie probabilitatis ex aſtris ſolis deſumpta, fundatur quoque in regulis iudiciariæ aſtrologiæ, quæ ex dæmonis diſciplina prodierunt.

Addunt autē quod non dicant euentura certò: primò, quia regulas ſuas fallere obſeruant: quandoquidem nec ipſe dęmon queat certò cognoſcerę futura quæ ex libera voluntate pendent: vnde neque regulas infallibiles tradere potuit.

Deinde etiam vt nomen augurum (quod odioſum eſt) ſic declinent, & ſimul pœnas infligēdas, vt diximus, ſic euadere ſtudeant.

Digitized by Google

Et confirmatur, quia alioquin ex ipſis aſtris non poteſt talium futurorũ aut occultorum cognitio cõparari, quę ſufficere poſſit ad determinatum aliquod iudicium formãdum, quo quis exiſtimaret ea ſic euentura, vt ſuprà dictum eſt: huc etiam faciunt allegata Ieremiæ verba, *A ſignu cæli nolite metuere* &c. nã ſi vel probabilis ſcientia de futuris liberis euentibus ex aſtris poſſit hominum ingenio aut induſtriâ comparari, non omnino vanæ eſſent leges & regulę gentium, & quæ ex illis ſumerentur prędictiones; ergò &c.

Petes, vnde igitur fiat, quod aſtrologi frequenter verè videantur prænuntiare multos eiuſmodi effectus ſiue euentus particulares?

Reſpondetur: D. Aug. diuerſis in locis
64 indicat aliquot huius rei rationes; ac in primis, caſu interdum ſic accidere, vt tradit libro 7. Confeſſionum, cap. 6.

Deinde, quia dæmon ſæpè procurat id fieri quod prædictum eſt, Deo permittente: id enim ſollicitè quantum poteſt, agere curat vt peſtiferam artem ſuam commendet, prout ſuprà etiam diximus.

Tertiò, quia ſuggerit illud futurum quod nouit ex Dei permiſſione ſe procuraturum, prout potuiſſet per ſuos diuinos prædicere clades & calamitates quas illaturus erat S. Iob. Hinc docet D. Aug. lib. 2. De Geneſi ad litteram, c. 17. Quòd maximè cauendi ſunt illi qui ſæpius vera coniectant, quia certius eſt illos cum dæmone habere commercium.

Quartò, quia animus hominis cui bona denuntiantur, excitatur ad audendũ quidlibet, vt ea aſſequatur: perſuadet enim ſibi propitium cælum & numen: è contra autem cui mala prædicuntur, deijcitur in deſperationem, vt non lubeat pro viribus in contrarium laborare, apprehendens ex illa prædictione, quòd in vanũ niteretur reſiſtere, vel mala euadere, & ſic contingit vtriſque euenire, quod prædictum fuerat, propter illius ſcilicet animoſitatem, & propter huius deiectionem & puſillanimitatem.

His adde multò frequẽtiùs prędici ab illis falſa, quàm vera, vt ſuprà cum Aug. ex Cicerone notauimus, qui lib. 2. De diuinatione hoc allegat exemplum: promiſerunt, inquit, Aſtrologi Pompeio Craſſo & Cæſari lætiſſima omnia, non niſi iam ſenes cum ſumma gloria morituros, & tamen vterque infœliciter, & immaturè perijt.

65 Supereſt vt proferamus ſcripturam vnam atque alterã, in quibus abuſiuè aſtrologi qui aſtra faciunt ſigna, & quaſi tabulam pictam futurorum euentuum, ſeſe fundant. Allegant itaque primò illud Geneſ. c. 1. vt ſup. indicauimus, *Dixit autẽ Deus fiant luminaria in firmamẽto cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos.* Deinde illud Iſaię 34. *Complicabuntur ſicut liber, cæli:* & quod illi ſatis cõforme eſt, Apoc. c. 6. *Cælum receſſit ſicut liber inuolutus*: ex quibus inferunt cælos eſſe quaſi librum apertum vſque ad diem iudicij, in quo res humanæ poſſint legi.

Reſpondetur; ad primum locum quod attinet iuxta omnes antiquos Patres & Interpretes Scripturę, dicuntur luminaria data in ſigna & tempora, & dies & annos, quia ſcilicet deſeruiunt ad numerandos annos; ad diuidendos dies & noctes, ad diſtinguenda tempora æſtatis & hiemis; veris & autumni; quatenus hæc varietas ſeruit vſibus humanæ vitæ, vt ad ſeminandum, ad colligendũ fructus, ad plantandum, ad nauigandum &c. Vide de hoc loco Aug. in opere imperfecto ſuper Geneſim, c. 13. Cyrillum Hieroſolimitanum, Baſilium & Ambroſium locis ſup. cit.

Ad locum autem Iſaiæ, & ex Apocalypſi reſpondetur, ſermones iſtos accipiendos in ſenſu metaphorico, vt ſcilicet cæli dicantur ſicut liber complicandi, & recedere tanquã liber inuolutus, non motu aliquo locali, ſed quia ſol obſcurabitur, & luna nõ dabit lumẽ ſuum, & à nobis ſic cæli abſcondantur ſicuti ab oculis libri cõplicati, & ceſſabunt vſibus hominum ſeruire quemadmodum lectione abſolutâ libri complicantur aut inuoluti reponuntur, & ſic oculis noſtris obteguntur.

Petes Secundò, An diuinatio cũ expreſſa 66
dęmonis inuocatione, & cum implicita tantùm habeant malitiam eiuſdem ſpeciei.

Reſpondetur affirmatiuè: nam taciti & expliciti eadem eſt ratio, inquit Bonac. circa 1. Præcept. Decalogi diſp. 3. q. 5. punc. 3. n. 20. & differunt tantum ſecundũ magis & minus perfectum, magis completum & minus cõpletum intra eandem ſpeciem. Recte tamen monet in cõfeſſione eſſe explicandũ, vtrùm ſuperſtitio fuerit cum expreſſa, an tantũ cum tacita dęmonis inuocatione, quod etiã notat Suarez to. 1. lib. 2. De relig. c. 9. & 10. Reginald. lib. 17. n. 170. & alij. Ratio eſt, quia diuinatio cũ expreſſa dæmonis inuocatione ſolet habere adiunctã aliquam hæreſim aut adorationem dæmonis, & alia peccata, quæ explicanda ſunt in confeſſione, de quibus prudens Confeſſarius merito inquirere, & deſuper examinare debet pœnitentem, ſi talia non explicet.

DVBIVM XII.

Vtrùm omnis futurorum prædictio ex ſignis quæ ad auſpicium generaliter ſumptum referuntur, ſit ſuperſtitioſa, vt ex auium garritu, vel aliorum animalium, aut ex motu eorumdem; item ex ſomnijs, ex hominis ſternutatione, ex lineamentis corporis, &c.?

OBſeruandum hic in primis eſt, cum D. Thom. q. 95. art. 5. quatuor modis 67
contingere vnum ex altero cognoſci.

Primò

Primò enim effectus cognoſci poteſt ex ſua cauſa: Deinde cauſa viciſſim ex effectu. Tertiò vnus effectus ex altero effectu, quatenus pendent ab eadē cauſa naturali. Quartò res ſignata cognoſcitur ex aliquo ſigno voluntario impoſito ad illam ſignificandam.

Obſeruandum Secundò, ſatis per ſe conſtare, quòd ſigna de quibus hic dubium mouetur, non poſſint præſignificare futuros euentus hominum tanquā quæ ſint cauſæ talium effectuum; neque vllus vnquā aruſpex, vel chyromanticus id aſſerere præſumpſit: nimis enim manifeſtum eſt, volatum vel garritum auium aut latratum canum vel lineamenta manuum non producere, vel cauſare effectus quos ex illis prænuntiare tentant.

Similiter ſatis euidens eſt, quod non poſſint præſignificare hos euentus hominū tanquam ſuas cauſas, cum ipſa ſigna præcedant; & proinde non poſſint dici cauſari ab euentibus qui adhuc futuri ſunt. Vnde ſupereſt, vt ſi aliquomodo pręnuntiare poſſint euētus futuros, quod pręnuntient illos vel tanquam effectus prouenientes naturaliter ab eadem cauſa cum illis; vel tanquam notæ quædam à ſuperiori mente vel cauſa, vt à Deo, vel à dęmone ad illos prænuntiandos ordinatę & directæ. His præmiſſis

68 RESPONDEO & DICO Primò: Euentus rerum qui humano modo per experientiam vel aliā viam licitā cognoſcuntur cauſari ac dependere naturaliter ab eadem cauſa, vnde hæc quæ ſigni loco habentur, proueniunt; abſq; ſuperſtitione ac licitè ex his ſignis prędici poſſūt. Ita docēt cōmuniter DD. Ratio eſt manifeſta: quia naturali omnino diſcurſu poſſumus ex effectu naturali modo colligere & cognoſcere cauſam, à qua naturaliter ſic diſpoſita profluere cognoſcitur, & ſimiliter ex vno effectu etiam alterum qui naturaliter cognoſcitur ſequi ad eandem cauſam.

Sic in primis, ex volatu vel cantu auium poſſunt ſuo modo prædici pluuiæ, ſerenitates, & ſimiles aëris diſpoſitiones, vt docet D. Thom. quæſt. citata, art. 7.

Iſti enim motus & garritus auium proueniunt in ipſis auibus ex hoc, quòd auræ mutatio afficiat illarum corpuſcula, aut cerebrū, vel ſpiritus animales, idq; citius quàm foris illa aurę mutatio appareat, vel ab hominibus obſeruetur: quam affectionem phantaſia occultâ quâdam naturæ conſenſione percipit, & per modū conuenientis vel diſconuenientis appręhendit, & tunc ipſum animal exterius voce aut volatu eiuſmodi affectionem prodit ſiue manifeſtat. De qua re Scriptores rei ruſticæ multa ſolent ſcribere.

69 Quod verò ad ſigna attinet chyromantię, illa videtur omni ex parte maximè inania & vaniſſima, vtpote ex quibus citra artem diabolicam, nihil veri queat prædici, niſi mero caſu: neque enim lineamenta manuū, vel lineamentorū cauſæ quidquam videntur habere commune cum futuris euentibus: & quidem quoad eos qui à liberis cauſis dependent, id certiſſimum eſt.

Quoad alios tamen, Philoſophus problemate 49. indicat lineas per totam palmā perfectè extenſas habere etiam quaſi phyſicam quandam ſignificationē, puta quod longioris ſint vitę qui palmam ſic habent diſpoſitā: cuius rei rationē referunt in hoc, quia lineæ benè protenſæ in manu indicant bonam hominis complexionem, ex qua ſperare licet & conijcere longiorem vitam, niſi ſcilicet per cauſas liberas aliter diſponatur.

Ex ſomnijs quoq;, quando à naturali cauſa exiſtimantur prouenire; licet coniecturam 70 facere de quibuſdā effectibus qui ab eadem cauſa naſci ſolent, vel etiam de ipſa cauſa, quamuis alioquin nobis occulta ſit: ſic ex ſomnijs de aurę mutatione, de hominis temperamento, de humorū redundantiā aliquid coniectari poteſt: cęlum enim & aër impreſſionem quandam in humanū corpus, in ſanguinē aut in ſpiritus animalęs faciunt ratione cuius per ſympathiā, phantaſia apprehendit conſentanea & conforma quædā viſa maximè in quiete, dum ſenſuū exteriorum operatione non diſtrahitur, eo ferè modo quo diximus in auiculis, aut alijs beſtiolis vigilantibus id euenire, quæ huiuſmodi ſenſibilibus tantum intendunt.

Certior tamen coniectura ſumi poteſt de affectionibus corporis dormientis, quàm de alteratione aëris, quia magis immediatè ex corporis diſpoſitione ſomnia naturalia naſcuntur: hoc itaque modo ſi quis per ſomnia videat incēdia, iudicatur bile flaua infeſtari; ſi quis autem fumum, tenebras, funera, vel id genus alia triſtia ſomniat, laborare putatur bile atra: ſi quis pluuiam, niues, dicitur abundare pytuitâ, aut frigido flegmate, & ſic de alijs cōplexionibus: & propterea ſolent DD. medici etiā inquirere de qualitate ſomniorum, vt inde coniectent de humore prædominante in infirmo. Aliquando etiā ſomnia proueniunt quaſi naturaliter ex curis vel cogitationibus præuijs, & tunc nihil occultum aut futurum ſignificant, ſed tantum ſuam indicant cauſam, quæ notoriè præceſſit.

Eſt interim omnis illa ſignificatio incerta, quia ex varijs cauſis contingit eadē ſomnia obuenire; neque ſatis ſcitur ex quā cauſa obueniant: ac licet ex vna poſſit aliquid conijci per rationes dictas, ex altera nihil omnino licebit vbi ſimiles rationes non concurrunt.

DICO Secundò: Quando conſtat aut 71 probabile eſt, aliquod prædictorum ſignorum, aut aliud ſimile à Deo prouenire, & ab eius particulari prouidentiā diſponi ac dirigi ad præſignificandum aliquid futurum (quod rarò fieri exiſtimandum eſt) non erit illicitum ex illo futurum euentum prædicere & credere. Suarez lib. 2. De ſuperſtit.

Digitized by Google

cap. 13. n. 19. & alij DD. & res ex Scripturis ſatis conſtat. Sic primi Regum cap. 14. verba iſta Philiſtinorum ad Ionatham & armigerum eius, *Aſcendite ad nos*, erant Ionatę ſignum & omen diuinum, Philiſtæos per ipſum eſſe cedendos. Ita quoque Iudicum cap. 7. ex narratione ſomnij, quòd quidam Madianites referebat de pane ſcil. ſubcinericio viſo euertere caſtra ipſorũ, intelligebat Gedeon tanquam ex ſigno ſibi diuinitus dato, caſtra Madianitarum per ipſum turbanda, & euertenda. Item Geneſ. 24. ex verbis Rebeccæ: *Bibe Domine; quin & camelis tuis hauriam aquam*, &c. Colligebat famulus Abrahæ, ipſam eſſe quæ parata erat vxor filio domini ſui prout hoc orauerat. Sic Geneſ. 8. ex Columba deferente ramum oliuæ virentibus folijs cognoſcebat Noe aquas diluuij ceſſaſſe, & iram Domini Dei eſſe placatam: Deus namque ordinabat illa ad eiuſmodi euentus ſignificandos, idque occultâ quâdam inſpiratione ijs qui effectum inde conijciebant, indicabat, vt D. Thom. qu. 8. art. 7. & 3. docet de Gedeone, & de Elieſer famulo Abraham.

Sic quoque in ſacra Scriptura leguntur plura ſomnia diuerſis accidiſſe à Deo diſpoſita, quibus ſignificabat ea quę futura erant.

72 Porrò hic notandum, diuerſis modis eiuſmodi ſomnia immitti; aliquando enim per modum expreſſæ locutionis, quando Deus per Angelum facit vt phantaſia vel ſenſus communis percipiat per modum auditionis, & veluti alio loquente certa verba ſiue ſermones, quibus quid fieri debeat ſignificetur; & quidem ſubinde ita vt mens reddatur certa de eo, quòd hoc à Deo fit, ſiue quadam interna illuſtratione, ſiue occulto quodam guſtu qui verbis non poteſt ſatis explicari. Tale accidit Ioſeph viro B. Mariæ Virginis, cui locutus eſt Angelus in ſomnio Matth. cap. 1. & Magis qui venerant adorare Chriſtum Matth. cap. 2. quando ab Angelo ſunt in ſumnio moniti, ne redirent ad Herodem: & de hoc genere oſtenſionis dicitur Numeror. cap. 12. *Si fuerit Propheta inter vos, per ſomnium loquar ad eum:* & Latinè vocatur Oraculum.

Aliquando verò huiuſmodi oſtenſiones in ſomnijs immittuntur & fiunt per apprehenſiones viſionum quarumdam, quæ ſunt veluti imagines rerum futurarum per illas ſignificatarum; & huiuſmodi viſiones ſolent etiam eſſe in duplici differentia.

Quædam enim ſunt veluti imagines propriæ & formales ipſarum rerum, quas ſignificant vt Geneſ. 31. Vidit in ſomnio Iacob mares aſcendentes ſuper oues fæminas varij & maculoſi coloris, quæ viſio ſignificabat id ipſum quod euenturum erat, ſcilicet quod oues parerent fœtus varios & maculoſos, quibus Iacob ditaretur, prout etiam Angelus ei explicabat. Simile videtur fuiſſe ſomnium D. Pauli, Actorum c. 16. quando noctu vidit hominem macedonem deprecantem illum, vt in Macedoniam tranſiret.

Aliæ autem ſunt imagines quæ tantùm ſymbolicè & per tropum ſignificant aliquid futurum, aut indicant ſecretum aliquod: cuiuſmodi ſomnia frequentius in Scripturis narrantur, vt ſomnium Ioſeph de manipulis vndecim quæ adorabant eius manipulum, & de ſole, luna & ſtellis adorantibus ipſum: Geneſ. cap. 37. ſomnium pincernæ & piſtoris Geneſ. cap. 40. Pharaonis de ſeptem bobus & de ſeptem ſpicis cap. 41. ſomnium Nabuchodonoſoris de ſtatua, Danielis 2. & de arbore magna, &c. Danielis 4.

Cæterum, huiuſmodi ſomnia non tantum operâ bonorum Angelorum ex diuino imperio procurari poſſunt; ſed etiam Angeli mali Deo permittente poſſunt talia cauſare, quia omnia illa repręſentantur per phantaſmata prius percepta, & ſpiritibus animalibus inhærentia, quæ per motum localem applicari poſſunt phantaſiæ, & ita componi, vt huiuſmodi faciant repręſentationes tum proprias, tum ſymbolicas, vt tradunt D. Th. 1. parte, quæſt. 111. artic. 3. & D. Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 13. & 14. 73

Sed hinc difficultas oritur, quomodo diſcerni poterit, an ſomnium ſit à Deo, an aliunde, ſiue ex cauſa aliqua naturali, ſiue à dæmone?

Reſpondetur: à Doctoribus ſolent aliquot aſſignari documenta, ex quibus id colligi poſſit, vt in primis ex eo ad quod per ſomnium quis veluti impellitur: ſi namque inſtigeris ad honeſtatem & virtutem amplectendam, ad pœnitentiam agendam, ad vitia deſerenda, magnum inditium eſt, à Deo immitti, præſertim quando inde ſequitur operatio. 74

Secundò ex affectione quę ex ſomnio remanet, vt ſi maneat quædam animi illuſtratio circa res diuinas, cõſolatio ſancta, promptitudo maior ad diuinum ſeruitium.

Tertiò colligitur hoc ex intimo quodam ſapore & guſtu animi; aliter enim mentem afficiunt ſomnia aut viſa diuinitus immiſſa, aliter verò aliundè prouenientia, vt docet D. Gregorius lib. 4. moralium, cap. 48. Sancti Viri, inquit, inter illuſiones & reuelationes ipſas aut imagines, quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant quid à bono ſpiritu percipiant, vel quid ab illuſore patiantur. Exemplum huius de matre ſua Monica refert Aug. lib. 6. Confeſſionum, c. 13. Quæ dicebat ſe diſcernere intimo quodam ſapore quem explicare verbis non poterat, quid intereſſet inter reuelantem Deum, & animam ſuam ſomniantem.

Denique attendendum maximè in 75
his &

his & ſimilibus ſomnijs aut viſionibus, an quis euadat inde modeſtior, humilior, magis obtemperans ſuperioribus, & ſe in omnibus magis ſubmittens: an verò concipiat inde ſpiritus altiores quibus ſe alijs præferat, contentiones in communitate ſuſcitet, & à debita obedientia ſe ſubſtrahat, vel alios contemnat. Si enim priora illa ſequantur, bonum eſt ſignum prouenire à Deo & ſanctis Angelis: ſi poſteriora autem, ſignum eſt diabolicam eſſe illuſionem.

Quare licet certum ſignum ſit, ſomnia ſiue per modum viſionis, ſiue per modum auditionis fiant, non eſſe à Deo quæ circa res turpes & inhoneſtas verſantur, & ad eas excitant, & ſimiliter nec ea, quando non euenerint, quæ putantur indicare, iuxta illud Deuter. cap. 18. *Quod ſi in Nomine Domini Propheta dixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus.* Non tamen certum ſignum eſt illa à Deo eſſe, quando verſantur circa res honeſtas aut pias: ſimiliter neque ideo quod euenerint quæ exiſtimantur ſomnia præſagire: nam & Deuter. cap. 18. monet Dominus, *Etiamſi dixerint vobis, & ita euenerint, non credatur eis*, ſcilicet Augutibus, de quibus ibi ſermo eſt: nam & dæmon libenter ſuggerit ſæpius vera dum poteſt, ſicut etiam aliquando bona ac ſalutaria in ſe, ſed ad finem malũ, vt dum ſic auctoritatem & fidem ſpiritus veracis obtinuerit, trahat faciliùs homines in omnis generis errores, & in grauia crimina deducat. Vide D. Thomam infrà q. 172. art. 6. & D. Auguſt. lib. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 19. vnde rectè monet Iſydorus lib. 3. ſententiarum cap. 6. Non facilè ſomnijs tanquam diuinis eſſe credendum, eo quod ex varijs cauſis nobis non perſpectis naſcuntur, & Sathanas ſæpius in Angelum lucis ſe transfigurat. Vide Suarez ſup. lib. 2. De ſuperſtitione, cap. 13. n. 21. & ſequentib. Bonac. tom. 2. circa 1. Præcept. Decalogi diſp. 3. qu. 5. p. 3. n. 7. Clauem Reg. lib. 4. cap. 5. n. 8.

76 DICO Tertiò: Quandocumque non conſtat naturali, aut morali argumento probabili, aliquid prædictorum quæ quaſi ſigna habentur, aut aliud ſimile prouenire ab eadem naturali cauſa cum effectu occulto aut futuro, neque conſtat illud diuinitus ordinari ac dirigi ad futurum euentum indicandum, tunc planè illicitum ac ſuperſtitioſum eſt ex aliquo iſtorum velle effectum futurum diuinare, vel occultum explicare. Ita D. Thomas, quæſt. 95. art. 5. Suarez ſuprà dub. citat. n. 20. Clauis Regia, n. 9. Bonacina, & alij communiter. Probatur ex Scripturis, Leuiticorum cap. 21. *Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia:* Eccleſiaſt. 34. *Vana ſpes & mendacium inſenſatum, & ſomnia extollunt imprudentes*: & iterùm infrà, *Multos enim errare fecerunt, & exciderũt ſperantes in illis.* Quà de re licet videre pulchrum exemplum apud D. Gregorium libro 4. Dialogorum c. 49. & Iure Ciuili, l. Eiſi C. De maleficis & mathem. damnantur omnes illi Augures, Aſtrologi, Aruſpices, & ſimiles diuinatores, ſicuti Nicromantici & Magi.

Ratio ex dictis ſatis eſt manifeſta, quia cum non ſignificent euentum futurum modo naturali, videlicet neque vt cauſa, neque vt effectus illius, neque vt quid dependens ab eadem cauſa naturali: neque datum ſit tanquam ſignum ex particulari diuinæ prouidentiæ ordinatione, & directione, ac inſtructione, neceſſe eſt, quod ſignificent euentum (ſi aliqua ratione ſignificare dicenda ſunt) ex inſtitutione & inſtructione dæmonis: qui ſubinde (Deo permittente) effectum qui ex tali vanitate futurus creditur, procurat, vt mentes hominum curioſitate & ſuperſtitione implicatas, quocumque libuerit, impellat, quemadmodum tradit D. Aug. lib. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 24. non enim quia valebant, inquit, animaduerſa ſunt (ſcilicet eiuſmodi ſigna) ſed animaduertendo & obſeruando factum eſt, vt valerent, id eſt, aliquandò euenirent quæ ſignificare dicuntur, videlicet dæmone id procurante: quod pergit Auguſtinus infrà amplius declarare.

Ex his itaque conſequens eſt, eos qui ex talibus ſignis de occultis aut futuris modo dicto diuinant, ſe ſubmittere dæmonis diſciplinæ, tacitamque cum illo fouere ſocietatẽ vtendo regulis, aut monitis ab illo procedentibus, & implicitè ſua vana credulitate inuocare ipſum, vt procuret & effectuet quod prædictum eſt, ne artes eius inueniantur fallaces: ac denique dæmoni attribuere, quod Deo proprium eſt, ſcilicet futuros euentus à liberis cauſis dependentes præcognoſcere, quemadmodum ſuprà de cultoribus aſtrologiæ iudiciariæ ex ſanctis Patribus diximus. 77

Eſt itaque omnis huiuſmodi diuinatio ex genere ſuo peccatum mortale: fieri tamen poteſt, vt ſit veniale tantùm, vt docent Caietanus in ſumma V. Somniorum obſeruatio: & Nauarrus in manuali cap. 11. n. 33. & cum illis Suarez lib. 2. De ſuperſtitione cap. 13. circa finem, v. g. Si quis tantùm cogitet in hoc vel illo caſu poſſe fieri, quòd talia ſigna ſint à Deo ad aliquid ipſi inſinuandum, quãuis ſufficiens argumentum rei illius non habeat, & eâ occaſione aliquid agat vel omittat, vt ſic in omnem euentum ſibi conſulat; modo tamen illa actio vel omiſſio in ſe licita ſit; quemadmodum frequenter accidere ſolet mulierculis, & hominibus parui iudicij: quamuis enim interueniat vanitas quædam, aut nimia timiditas, non tamen apparet grauis malitia, inquit Suarez, quia ſi quis rectè conſideret, ille non tam credit eſſe

ſignum à Deo, aut ſignum verum, quàm poſſe eſſe tale, in quo multò minùs erroris eſt; licet multum ſit leuitatis ac vanitatis.

78 At verò ſi quis ita ſit obſeruator eiuſmodi ſignorum & vanitatum, vt ordinariè per illas indicationes & diuinationes in negotijs agendis guberneiur, non poteſt excuſari à graui culpâ, quia agit contra illud Leuiticorum cap. 21. *Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia.*

Quare merito omnes valdè hortandi ſunt à Paſtoribus & Confeſſarijs, ne initijs eiuſmodi obſeruationum dent locum vllum, tum quia mala ſunt, tum quia magnum periculum adducunt, ne paulatim actiones ſuas omnes iuxta eiuſmodi vanas diuinationes moderentur, dum non ceſſat diabolus ſenſim magis & magis phantaſiam ipſorum & mentem eiuſmodi vanis apprehenſionibus perturbare.

Sed contra dicta obijcitur, ac in primis pro chyromantia, illud Iob cap. 37. *Qui in manu omniũ hominum ſignat* (videl. Deus) *vt nouerint ſinguli opera ſua*: ergo non videbitur hæc ars vana aut ſuperſtitioſa.

79 Reſpondetur Negando Conſequentiam: quod verò ad locum illum attinet, diuerſi diuerſimodè interpretantur, ita tamen omnes, vt nihil faueat chyromantiæ ſuperſtitioſe.

D. Thomas & Lyranus per manum intelligere videntur operatiuam potentiam, in qua Deus ſignat, quatenus diuerſam inclinationem indit homini ad diuerſa ſtudia, exercitia & opera exercenda: vnde ſinguli noſcant, quid magis ſibi conueniat.

Recentiores autem nonnulli, vt Pineda ad illa verba, dant hunc ſenſum; *Qui in manu omnium ſignat*, id eſt, manus omnium claudit & impedit, ſcilicet per niues, tempeſtates, de quibus antea ſermo fuit, vt operari non valeant, & ita ſinguli ſciant opera ſua, id eſt, agnoſcant, quam ſint in ſe infirmi, quæ tam facilè à Deo impediuntur. Ianſonius autem in Iob dicit, In manu omnium hominum ſignare, &c. quia ex diſpoſitione manuum aliquatenus licet conijcere quibus operibus exercendis ſinguli apti ſint; calamo nimirum, inquit, Aratro, aut ſimilibus: in cuius rei argumentum adducit, quod Dauid dictus eſt manu fortis: qui poſtea apparuit admodum bellicoſus.

Ex diſpoſitione itaque manuum, puta ex robore, teneritudine, vel longitudine, aut ſimilibus quę ipſi operi inſtrumentaliter deſeruiunt, non ex lineamentis, aliquatenus id conijci poſſe intelligendum eſt, & hic ſenſus apparet planior, ac ſatis textui accommodatus.

Obijcitur Secundò, exemplum Ioſeph Geneſ. cap. 44. qui dixit fratribus ſuis: *An ignoratis, quia non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* vnde apparet, quòd ipſe fuerit vel haberi voluerit de augurum numero, ac proinde illa augurandi ars non videtur damnanda, cum Ioſeph fuerit Vir Sanctus.

80 Reſpondetur: D. Thomã cũ Auguſtino id intelligere, à Ioſeph iocò dictũ fuiſſe, aut ex opinione vulgi, quâ vt ſummus Augur habebatur ad intimidãdũ fratres magis; nõ quod Augurijs ęthnicorũ intẽderet; ſed quia multa obſcura, aut futura Deo reuelãte cognoſceret & explicaret: atque ita Augurandi nomen dici poſſit, aliquando etiam extendi ad diuinationem quę ex ſignis à Deo ordinatis & directis ſumitur.

Itaque Ioſeph non voluit augur videri, quales erant alij in Ægypto, ſed longè excellentior & ſuperior qui ſpiritu veri Dei certiſſimè & abſque omni errore occulta explanare, & futura prædicere poterat, quemadmodum aliquoties iam oſtenderat: & pro tali quoque Ægyptij illum habebant, vnde & dicebat, *An ignoratis quia non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientiâ?* quia excellentiori & certiori ratione, ſcilicet per ſpiritum Dei, obſcura intelligebat & futura pręnuntiabat.

DVBIVM XIII.

Vtrùm ſortes ſemper ſint illicitæ?

81 D. Thom. art. 8. quæſt. 95. citatâ, & alij Doctores cum illo communiter diſtinguunt triplices ſortes, ſcilicet diuinatorias, conſultorias, & diuiſorias: quæ diſtinctio ex diuerſo ſortium mittendarum fine, deſumpta eſt.

Diuinatoriæ itaque dicuntur, quando per eas inquiritur de futuris euentibus.

Conſultoriæ autem, quando per eas inquiritur diuinum iudicium ſeu eius voluntas.

Diuiſoriæ verò ſunt, quando per illas inueſtigatur quid cui tribuendũ ſit inter plures, ratione videlicet alicuius præuij contractus quo partes deſuper inter ſe conueuerunt. His poſitis

RESPONDEO & DICO Primò: Sortes diuinatoriæ ſunt omnino illicitæ ac ſuperſtitioſæ. Patet ex Cap. 1. De ſortilegijs, & ex pluribus Capitulis, cauſa 26. quæſt. 5. vt Cap. Sortes; Cap. Peruenit, & alijs, quibus prohibentur ſortes, ſicuti aliæ diuinationes, & incantationes.

Ratio eſt, quia harum moderatio ad effectum prænunciandum à nulla cauſa poteſt prudenter expectari, niſi à dæmone.

Confirmatur; non enim à Deo, quandoquidem nulla extet huius rei promiſſio, & inſuper euentus qui ſæpius fallit, ſatis contrarium demonſtret. Accedit quod nulla ſit

neceſſitas

Digitized by Google

neceſſitas illius peculiaris Dei operationis, quâ ſortes ita temperet, vt infallibiliter effectum futurum indicent, præſertim dum ſæpius exquiruntur ea quæ vel non conuenit, aut non intereſt hominis ſcire.

Non etiam à cælo vel aſtris, quia hoc eſt redire ad iudiciariam aſtrologiam, & voluntates fato ſubijcere, aut illis futurorum contingentium cognitionem tribuere, quod vtrumque conſtat eſſe abſurdum.

Nec denique à caſu, quia quod caſu fit, nihil certi præſignificare poteſt, quatenus purè caſu fieri intelligitur.

Reſtat igitur, quòd ex dæmone expectetur moderatio illa ſortium, vt palam effectum futurum prænuntient; cui proinde attribuitur futurorum contingentium notitia, quæ Deo propria eſt: & tacito quodam pacto & conſenſu inuocatur, tum vt ſortes dirigat, tum vt effectum procuret aut procurare ſtudeat quantum poteſt, iuxta dicta dubio præcedenti in ſimilibus diuinationibus quę omnia cedunt in Dei irreuerentiam ac iniuriam.

83 Dico Secundò: Sortes conſultoriæ regulariter quoque illicitæ ſunt, tum quia ſine neceſſitate à Deo requirere, vt peculiari ſigno voluntatem ſuam manifeſtet, pertinet ad tentationem Dei, vt docet D.Thom. ſuprà: tum quia promiſſionem à Deo non habemus, quòd per ſortes nobis voluntatem ſuam indicabit.

Quare vanum eſt exiſtimare & ſibi perſuadere Deum hoc velle, quod ſortes indicant; imò & periculoſum id ipſum eſt, quia facilè ſe dæmon his immiſcebit ad hominem decipiendum.

Dixi regulariter, quia aliquando poſſunt
84 eſſe licitæ:

Primò, Si Deus aliquibus inſpiret ſuam voluntatem ſic eſſe inueſtigandam, vti factum eſt in electione Saulis ad regnum; primi Regum cap. 10. In aſſumptione Sancti Matthiæ ad Apoſtolatum, Actorum cap. 1. & ſimiliter Ioſue 7. Achan iudicio ſortium inuentus eſt, qui de anathemate ſibi aliquid vſurpauerat.

Secundò, Si res ſit ardua ad religionem ſpectans, & non ſuppetat humanum conſilium, quo cognoſcatur quid debeat in præſenti neceſſitate fieri, licebit has ſortes adhibere cum bona fiducia, quòd à Deo per ſingularem eius prouidentiam ſint moderandæ. Hoc tamen faciendum erit cum decenti cæremonia & adhibitis ſimul precibus, & alijs bonis operibus, vt Dominus adeſſe & dirigere dignetur: quemadmodum etiam fecerunt Apoſtoli in electione Diui Matthiæ per ſortes. Sumitur hoc ex D. Auguſtino, epiſtola 180. ad Honoratum, vbi ſcribit: Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, inquit, qui maneant, qui fugiant ſorte legendi ſunt.

Dico Tertiò: Sortes diuiſoriæ pleriſ- 85
que in rebus ſunt licitæ, & de ſe poſſunt honeſtè fieri. Ita Suarez lib. 2. cap. 12. num. 3. Caiet. ad quæſt. 95. art. 8. D.Thom. & communiter DD. Sumitur etiam ex D. Auguſtino lib. 1. De doctrina Chriſtiana cap. 28. vbi docet, Si alicui abūdet aliquid quod dare oportet illi qui non habet, nec duobus dari poſſit, tum ſi occurrerent duo quorum neuter alium vel indigentiâ, vel ergà te aliquâ neceſſitudine ſuperaret, nihil iuſtius fieri tum quàm vt ſorte eligeret, cuinam dandum eſſet, quod vtrique dari nō poſſet.

Licet itaque in primis has ſortes adhibere in rebus externis & temporalibus quæ commodè aliter non poſſunt diſtribui.

Deinde in negotijs gerendis vbi de peri- 86
culo ſubeundo, vel de honore acquirendo inter plures diſceptatur, vt quando à milite oppidum eſt oppugnandum, ſorte inter milites poteſt decidi, quæ natio, aut quæ legio prior eſſe debeat. Huc etiam referri poteſt exemplum Auguſtini de Sacerdote qui perſecutionis tempore remanere debeat.

Tertiò, In dirimendis litibus in negotijs temporalibus, quando aliter non poſſunt commodè terminari.

Quartò, In deligendis qui pœnas ſubeant 87
quando omnes ſunt illas promeriti, & Princeps aliquibus parcere velit, cōmittendo in talibus ipſos euentus caſui aut potius diuinę prouidentiæ, prout illa diſpoſuerit dirigēdo vel permittendo fieri: quia in eo per ſe non ineſt incommodum, & alia non ſuppetit ratio commodior dirimendi eiuſmodi negotia.

In officijs autem diſtribuendis per ſe loquendo, ſortes adhibendæ non ſunt, ne quidem in ſæcularibus, quia quę ſecundum merita & conuenientes qualitates ſunt conferenda, non debent ſorti committi: nam hoc in primis aduerſatur iuſtitiæ diſtributiuæ, quin & commutatiuæ ac legali, quatenus natum eſt perturbare debitam adminiſtrationem Reipublicæ, & impedire bonum commune, dum ſortes deferunt ſæpius officium ijs qui idonei non ſunt ad eius adminiſtrationem, & prætereunt dignos & qualificatos. Ita Clauis Regia lib. 4. cap. 5. n. 21. cum Tabienna V. Sors, Caiet. hic quæſt. 95. art. 8. Tol. lib. 4. 5. & alijs. Inter plures tamē qui iam omnes benè idonei probati ſunt, nec ſubſit iuſta ratio, quare vnus præ alio promoueatur, non videtur illicitum fore, vnum ex illis ſorte aſſumere. Sumitur ex D. Thom. quæſt. 95. artic. 8. & docet ibidem Caiet. & alij Doctores communiter. Ne-

que id

que id prohibetur Capitulo Eccleſia, De ſortilegijs, vt ibidem notat Panormitanus.

88 In electionibus autem Eccleſiaſticis ad dignitates, ad beneficia, vel officia nullo modo ſortes admittuntur, vtpote quas Canones expreſsè prohibent, citato Capitulo Eccleſia, De ſortilegijs, vbi primo dicitur multâ reprehenſione dignum, quòd ſors in talibus interueniat, & poſtea quaſi concluditur, Sortis igitur vſum in electionibus perpetuâ prohibitione damnantes &c. Vbi Panormit. quoque notat, quod non ſolùm electio Prælati per ſortes fieri non debeat, ſed neque electiones Compromiſſariorum qui conſtituuntur ad eligendum Prælatum, per ſortes fieri debeant. Quod etiam ex textu clarum eſt: & ratio ex dictis n. 87. poteſt intelligi.

89 Sed quæri hic poteſt primò, an ſaltem in caſu quo ſuffragia paria circa duos concurrunt, non poſſit paritas illa dirimi ſorte, præſertim ſi bis terve ſint reiterata ſuffragia, nec paritas ſublata?

Reſpondetur cum Suarez lib. 2. De ſuperſtitione c. 12. n. 7. ſecundum ius commune, nec illo caſu licere, quia eſſet vera electio per ſortem, quæ in vniuerſum eſt prohibita; & pro ſe adducit gloſſam in Capitulũ Duobus, De reſcriptis in 6. ad V. Teneantur, vbi habet, Quòd ſuperior debeat electores compellere, vt concordent, vel quod aliàs ad illum deuoluatur: & ita quoque docet Felinus ad Capitulum Sanctæ Crucis, De reſcriptis cum Cardinale ad Capitulum Licet cauſam, De probationibus, vbi generalem ſtatuit regulam in beneficialibus non eſſe locum ſorti.

90 Nihilominùs diſputatur inter Doctores peculiariter, vtrùm in componendis litibus ſuper beneficio Eccleſiaſtico non liceat ſorte vti?

Multi negant, vt Cardinalis loco citato, ſimiliter Felinus ſuprà De reſcriptis, & alij: idque ideo, quia per huiuſmodi ſortem incurritur periculum obtinendi beneficium ſine iuſto titulo: quo pacto obtineri nequit, vt patet ex 1. regula de regulis iuris in 6.

Alij autem dicunt, id nõ eſſe prohibitum, per Capitulum Eccleſiâ ſuprà De ſortilegijs, & proinde exiſtimant eſſe licitum; quia in Capitulo illo tantum prohibentur ſortes in electionibus, quæ lex cum ſit odioſa, videtur reſtringenda ad proprietatem verborũ. Vnde non eſt amplianda ad reliquas conuentiones quæ non ſunt electiones, & à quibus non dependent electiones, prout hic in caſu: nam iſte cui ſortes fauet, non accipit beneficium ex vi ſortis, ſed ex vi tituli aut iuris quo beneficium coram Iudice prætendebat: per ſortem autem ſolùm auffertur impedimentum.

Reſpondetur itaque in primis: Verùm videri, quod non ſit prohibitum ex vi Capituli Eccleſia; idque propter rationẽ ſecundæ opinionis; pro qua etiam facit gloſſa ad Capitulum Licet cauſa, De probationibus, V. Vti poſſidetis; & conſentit Hoſtienſis ibidem: nihilominùs tamen propter rationem quam vrget prima opinio, dicendum eſt non poſſe priuatâ conuentione partium litigantium, ita ſorte litem dirimi; ſed debere interuenire auctoritatem Iudicis: & hac mediante id fieri poſſe: quemadmodum non poſſunt partes inter ſe priuatim paciſci abſolutè ſuper beneficio litigioſo, ſed ſi in manibus Iudicis paciſcantur, & ipſe admittat & iuxta pactum proferat ſententiam, iam conuentio tenet, & nulla committitur ſimonia, aut ſacrilegium: hic enim auctoritas Iudicis ſupplet ſi quis fortè defectus fuerit in titulo illius qui beneficium conſequitur, & ſic cauetur periculum vitioſi ingreſſus ad beneficium, modò omnia reliqua ſint peracta legitimè & bonâ fide.

DVBIVM XIV.

De prima ſpecie vana obſeruantiæ, quæ vocatur ars notoria.

SVprà cum D. Thomâ diximus, vanam obſeruantiam eſſe tertiam ſpeciem ſuperſtitionis falſi cultus: quam ipſe hic q. 96. vlterius ſubdiuidit in alias tres quaſi ſpecies: ſcilicet in artem notoriam: in obſeruantiam ſanitatum, & obſeruantiam euentuum. 91

Ars notoria itaque eſt ſuperſtitioſa ratio quædam comparandi ſibi ſcientiam quaſi infuſam per quaſdam orationes, ieiunia, certarum figurarum inſpectiones, & id genus alia vana media quæ ad effectum talem neque ex natura rei, neque à Deo habent aliquam proportionem. Colligitur ex D. Thomâ, quæſt. citatâ art. 1.

Eſtque vſus huius artis peccatum mortale, quia tacitè inuocatur diabolus, vt ſubitò ſcientiam infundat, atque ita cum illo initur ſocietas; ac inſuper etiam illi attribuitur diuina poteſtas & actio: quia iuxta D. Auguſtinum lib. 1. De ciuitate, cap. 9. Solus Deus poteſt ſubitò abſque temporis mora, infundere animæ habitus ſcientiæ.

Confirmatur, quia cæremoniæ illæ quæ adhibentur, non habent vim talem ex ſua ratione vel natura, neque à Deo per extraordinarium concurſum: hoc enim ſi ita eſſet, minimè Eccleſia ignoraret; ergò effectus ad quem conſequendum adhibentur, nõ poteſt niſi à diabolo expectari. Non quidem quòd hic poſſit veros ſcientiæ habitus homini indere aut conferre; ſed quia apparentem quandam ſcitiæ ſpeciem in homine cauſat.

Dupliciter

92 Dupliciter autem poteſt dæmon id præſtare, vt notat Mald. tract. 10. cap. 7. dub. 10.

Inprimis interius ſuggerendo, non quidem nouæ ſpeciei impreſſione ſiue productione in phantaſia, quòd eius poteſtatem ſuperat, vt docet Suarez lib. 2. De ſuperſt. cap. 8. num. 4. & paſſim alij, ſed ſpecierum præexiſtenſium ordinatione & inter ſe compoſitione, quemadmodum typos coordinant typographi, ac tali corporis alteratione quâ futurum nouit, quòd potius iſtis ſpeciebus homo occupabitur, quàm alijs. Quod aliquando tantâ celeritate efficit, vt illa eadem apprehendendo & quaſi cogitando, videatur ſibi homo mirabili modo ſcientiam acquirere.

Secundò per modum ſpiritus aſſiſtentis: dæmone ſcilicet ſuggerente ſingula, quando vſu veniunt eâ promptitudine & dexteritate, vt ex habitu ſcientiæ videatur homo ſibi iſta proferre, quæ tantum habet ex ſpeciali dæmonis ſuggeſtione, qui talia optimè callet, quo modo refertur de anabaptiſtis quod ſumpto bolo ſuæ cœnæ hereticæ, glorietur ſe mox ſcripturas ſcire & de illis poſſe diſputare, vt eſt videre apud Suarez lib. 2. cap. 16. n. 12.

93 Quando itaque D. Thom. art. 1. citato in fine corporis, dicit per artem notoriam, non quæri ſcientiam à dæmone docente, non excludit omnem modum acquirendi talem qualem ſcientiam operâ dæmonis, vt quidam exiſtimare videntur, quaſi hæc ars non pertineret ad ſuperſtitionem cultus falſi numinis, ſed cultus incongrui, quia indebito modo quæratur ſcientia à Deo: hoc enim eſt expreſsè contra doctrinam D. Th. ſup.

Vnde dicendum eſt, quòd excludat tantùm modum diſcendi à dæmone loquente exteriùs, & docente more humano per aliquod organum aſſumptum, & tali modo non inquiritur ſcientia per huiuſmodi artem, ſed expetitur aliâ viâ breuiori abſq; vllo ſtudio, & attentione humanâ ad vocẽ quaſi magiſtri, videlicet per ſolam vanam ſpecierum exhibitionem.

DVBIVM XV.

Quid ſit & in quibus conſiſtat ſuperſtitioſa obſeruantia ſanitatum.

94 Reſpondetur: Obſeruantia ſanitatum eſt ſuperſtitio, quâ adhibentur res, aut verba, ſine cæremoniæ & ſigna ad hominum vel aliorum animalium morbos curandos, aut mitigandos dolores, ad ſiſtendum ſanguinem, ad reddendum ſe immunem contra læſiones, & ſimiles effectus, ad quos operandos non poſſunt oſtendi vel à cauſis naturalibus, vel à Deo habere virtutem aliquam vel efficaciam. Colligitur hæc deſcriptio ſeu explicatio ex D. Thoma, artic. 2. quæſt. 96. citata.

Sunt itaque huiuſmodi ſigna aliquando res permanentes, vt numiſmata certis characteribus inſignita, vel in certam figuram formata; aut nomina, vel characteres in chartis deſcripti; aliquando autem res tranſeuntes, vt carmina; vel certæ protractiones & quaſi ſignationes manu factæ, aut ſimiles ritus: quod ſignificat D. Auguſtinus lib. 21. De ciuitate cap. 6. Vbi agens de lucerna quæ referebatur inextinguibilis in quodã phano veneris, & oſtendens id fieri potuiſſe tũ in primis molimine aliquo artis humanæ ex lapide asbeſto inquit: tum per magos, ac etiã per ipſos dæmones immediatè, videlicet dæmone aliquo ſub nomine veneris tantâ ſe efficacia præſentante, vt hoc ibi prodigium, & appareret hominibus & diutius permaneret, adiungit: Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum, per creaturas quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum: non quidem quod his in ſe conſideratis vt creaturæ ſunt, delectentur; ſed quod ſuo gaudeant artificio, dum homines hiſce vanitatibus à Deo ſeducunt, & ad ſuam quaſi deuotionem & cultum pertrahunt, atque ita corda mortalium poſſident, vt ibidem in ſequentibus docet Auguſtinus.

Huc itaque pertinent Curationes etiã illæ 95
quãdo adhibentur remedia, quę quidẽ videtur naturalia, ſed admiſcetur friuola aliqua conditio, ſine qua non eſſent, nec putantur habitura effectum. Eodem referendæ ſunt imagines, quas vocant aſtronomicas, quæ ſub certa conſtellatione ſunt fabricatæ: ſic geſtare figuram leonis in auro ſculptam ſub ſigno leonis, contra fantaſmata melancolica, contra peſtem, contra febres, aut ſimiles infirmitates, vt vani quidam homines à dæmone perſuaſi faciunt, ad hanc ſuperſtitionis ſpeciem pertinet; quaſi verò figura leonis ſculpta in auro ſub hac conſtellatione, plus præſtare poſſit quàm figura bouis vel equi.

Cum itaque omnia illa ex ſe naturalem vim non habeant, neque conſtet Deum ad illa ſigna operari, tales effectus, dicendum eſt quando obueniunt, à dæmone præſtari, qui viſis talibus ſignis ex pacto à ſe conſtituto prouocatur, & allicitur ad procurandos eiuſmodi effectus, quantum poteſt: quia ſibi ducit honori, quod homines præceptis eius & vanis inſtructionibus fidem adhibeant,

Digitized by Google

ijſque vtantur pro ſuo ſolatio, aut ſubleuamine.

96 Hinc non rectè conatur Caiet. hic q. 96. citata art. 2. à ſuperſtitione excuſare iſtiuſmodi imagines, quibus ſunt inſculptæ tantùm figuræ alicuius ſigni cœleſtis, v. g. leonis, virginis, &c. abſque characteribus vel alijs notulis, ac in certa conſtellatione ſint fabricatæ, quatenus dicuntur eſſe vtiles contra aliquem morbum, vt contra dolores renum, vel melancoliã, aut ad ſimilem effectũ aliquem & ad eum finem adhibentur: cuius opinionem alij communiter reprehendunt & reijciunt, vtpote quæ in naturali aliqua cauſandi ratione fundari non potuit, quamuis ille ſic fundare conetur: eſtque contra D. Thom. eodem art. 2. ad 2. qui etiam bonam rationem contra illam format. Vide Suarez lib. 2. De ſuperſtitione cap. 15. n. 18. vbi latè Caietanum refutat: cui etiam ſatis manifeſtè aduerſatur D. Auguſt. lib. 10. De ciuit. c. 9. & D. Chryſoſt. homil. 8. in epiſt. ad Coloſſ. Ad hoc quoque genus ſuperſtitionis referendus eſt modus curandi vulnera hominum aut animalium longè diſtantiũ etiam læthalia breui temporis ſpatio, applicato quodam vnguenti genere, aut puluere vittis, ſiue pannis lineis ſanguine vulneratorum infectis ſeu madefactis: Similiter etiam modus ſanandi abſentes quodam vnguento quod armarium vocant, applicato enſi, quo infirmus fuit ſauciatus ſiue vulneratus: de quibus latè tractat Bonacina ſuprà ad 1. præcept. Decalogi diſp. 3. quæſt. 5. puncto 4. nu. 17. & ſequentibus. Vbi etiam nu. 19. cũ Syluest. V. Correctio, qu. 10. Henriquez lib. 13. De excommunicatione c. 18. & alijs, dicit eos qui iſtis medendi generibus vtantur eſſe denuntiandos ſancto inquiſitionis officio, quando inquiſitores putantur adhibituri remedium: præmittendam tamen eſſe fraternam correctionem.

Neque tantum in rebus profanis, ſed etiã frequẽter in rebus ſacris cõmittitur abuſus, & locum habet eiuſmodi obſeruantiarum ſuperſtitio, quatenus adiectâ aliquâ indebita circumſtantiâ, vel ſuperſtitioſâ intentione vitiantur.

Spectat itaque ad ſuperſtitioſam obſeruantiam, quando geſtantur reliquiæ, aut verba ſacra, vel preces in charta deſcriptæ ad prædictos effectus, aut ſimiles cõſequendos cum circumſtantijs ad rem nihil facientibus, vt quòd geſtentur in vaſculo talis aut talis figuræ; quod charta hoc vel illo modo plicetur; quòd addantur verba inuſitata, & nihil ſignificantia, quòd adiungantur certi characteres, vel ſimilis aliqua nugatoria circumſtantia: iſta enim efficit opus ipſum ſuperſtitioſum, quando tanquam neceſſaria apponitur.

97 Addo præterea, quòd licet ſecluſâ omni ſuperſtitione, ſit ſanctum & religioſum reliquias Sanctorum ad collum ſuſpenſas deferre, aut Euangelium, v. g. Initium ſancti Ioannis deſcriptum portare in pectore; aut certis diebus in honorem alicuius Sancti ieiunare cum bona & diſcreta fiducia ſperando per modum impetrationis à Deo peculiarem aliquam protectionem contra aduerſa aut mala, tum temporalia, tum ſpiritualia, præſertim quę dæmonis machinatione nobis inſtarent, nihilominùs iſta facere cum certa & firma perſuaſione, quod propterea quis in corpore lædi non poterit ab hoſtibus, vel quod non morietur in peccatis, quod infallibiliter percipiet ſua extrema Sacramenta, aut ſimilia, illicitum eſt, ac ſuperſtitioſum: Ità Clauis Regia lib. 4. cap. 6. Nauarr. cap. 11. n. 35. Bonac. ad 1. præcept. Decalogi diſp. 3. q. 5. puncto 4. n. 11. Suarez ſup. lib. 2. cap. 15. n. 11. & alij. Quia tametſi non admiſceatur aliquid externum, quod ad ſuperſtitionem pertineat, tamen animus ſuperſtitioſè illis vtitur ad certam & infallibilem ſalutem animæ vel corporis: quem effectum neque naturâ ſuâ neque ex diuina inſtitutione & promiſſione habent. Vide plura apud Suarez hâc de re loco cit. n. 10. Eſtque vana hæc ſecuritas hominibus valdè perniciosa, vtpote quæ reddat eos temerarios & præſumptuoſos in contentionibus & rixis; tepidos autem in bonis operibus, & ad pœnitentiam tardiores. Vnde contingit quod in peccatis ſuis moriantur: vt notat Clauis Regia ſup. n. 8.

In omnibus itaque eiuſmodi ſuperſtitioſis obſeruantijs reperitur peccatum ex genere ſuo mortale: ratione tamen ignorantiæ 98
aut bonæ fidei à culpa mortali excuſari aliquando poterunt præſertim quando non certiſſimè expectant ipſos effectus. Vide Nauarrum cap. 11. nu. 33. & Caietanum in ſumma, V. Obſeruationum ſuperſtitio.

Quæret aliquis, quid dicendum ſit de multis & varijs cæremonijs adhiberi ſolitis ſolemniter in diuerſis locis ad effectus quoſdam obtinendos, vt contra morſum canis rabidi apud D. Hubertum in Ardenna: Item ad liberandos energumenos à dæmone in municipio Gelenſi, & in alijs Eccleſijs: quæ tamen cæremoniæ vim non habent aliquam naturalem ad tales effectus; neque videntur pertinere ad Dei vel Sanctorum cultum aut venerationem?

Reſpondetur, eiuſmodi cęremonias quãuis ſi recenter & à priuatis adinuenirentur 99
& adhiberentur ad ſimiles effectus, meritò haberentur ſuſpectæ, imò & ſuperſtitioſæ, tamen non facilè eſſe damnandas illis in locis vbi antiquo & ſolemni vſu ſunt frequentatę à quouis genere hominum, etiam à bonis ac pijs, præſertim eo quod ſatis ſemper Epiſcopis & ordinarijs locorum fuerint cognitæ,

gnitæ, nec etiam Nuntios Apoſtolicos cum poteſtate Legati potuerint latere, qui in locis ſatis vicinis ſæpius reſederunt: neque interdictæ aut prohibitæ reperiuntur. Quare piè de illis poteſt credi, quòd aliquando viris ſanctis aut religioſis fuerint diuinitùs ſuggeſtæ: quodque ijs mediantibus voluerit Deus ſuam benignitatem, & vt ſic dicam beneuolam humanitatẽ hominibus demonſtrare ad interceſſionem ſuorum Sanctorum talibus in locis, vt per huiuſmodi effectus, homines ad ſe attraheret, ac in fide Catholicâ & ſanctâ ſpe confirmaret; vtq; ad ipſum homines in ſuis neceſſitatibus confugerent, & ab illo ſalutem tum corporalem, tum ſpiritualem expoſcerent.

Poſſunt autem iſtæ cæremoniæ ſanctum quoque habere vſum, v. g. piam aliquam ſignificationem, quâ rememorentur myſteria ſalutis noſtræ, vel ſeruire vt animus excitetur ad deuotionẽ, aut foueatur in illa, ne feruorem conceptum, mox remittat, vel vt diutius opera pia, & pœnalia exerceantur, quæ etiam ſeruiunt ad exercitium obedientiæ & ad mortificationẽ affectuum, quibus ſolent ſatis aduerſari. Inſuper etiam multum valet oratio iuſti aſſidua. Vide Clauem Reg. ſup. n. 6. §. ex quibus etiam patet, vbi ſic excuſat quod certis locis circa templum S. Antonij nonies circumducantur iumenta ex antiqua & nota conſuetudine, & alia ſimilia.

100 Neque omninò mirum videri debet, ſi dicantur ex Dei aliqua inſtructione adhiberi; quandoquidẽ in Scripturis ſanctis legamus Deum per diuerſas cæremonias externas cõtuliſſe diuerſos effectus corporales hominibus: lib. 4. Regum cap. 4. Elyſæus vt reſuſcitaret puerum Sunanitidis non tantùm orauit, ſed & incubuit ſuper puerum, & poſuit os ſuum ſuper os pueri, & oculos ſuper oculos eius, & manus ſuper manus eius. Item 4. Regum c. 5. mandat Elyſæus Naaman Syro, Vt vadat & lauetur ſepties in Iordane, vt ſic à lepra mundaretur. Similia habentur Ioſuę c. 6. & Numeror. c. 21. Item Ioan. c. 9. Chriſtus Dominus expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos cœci, & dixit ei, *Vade, laua in natatoria Syloe: abijt ergo & lauit, & venit videns.*

Quare cum placuerit Deo per diuerſas cæremonias, tum in lege veteri, tum in noua operari ſic miraculoſos effectus, poterit piè quoque credi ex ipſius inſpiratione, cæremonias de quibus mouetur quæſtio, fuiſſe inſtitutas ad effectus certos hominibus cõmodos præſtandos pro ſuo & Sanctorum ſuorum honore augendo. Curandum tamen ſollicitè in iſtis, vt adhibeantur piâ conſideratione & intentione, vt indicauimus, vt ad humiliationem, ad ſubmiſſionem affectus & intellectus, ad deuotionem continuandam, ad commemoranda aliqua myſteria ſalutis noſtræ, & ſimilia, prout videntur his vel illis pijs conſiderationibus magis congruere: vtque effectus à Deo per Sanctorum interceſſionẽ expectetur, renunciando per omnia commercio & ſocietati qualicumque ipſius dæmonis: neque exiſtimetur, quod eiuſmodi cæremoniæ ſint per ſe efficaces: Vide Caietanum V. Superſtitio obſeruationum, vbi excuſari poſſe exiſtimat à ſuperſtitione quod ex primo Carolino oblato Cruci Chriſti in paraſceue conficiatur annulus, vt adhibeatur geſtatio illius pro remedio contra ſpaſmum neruorum, quod etiam videtur admittere Clauis Reg. ſup. quãdo ſit v. g. ad excitandam deuotionem, & memoriã Crucis. Sed non videtur res illa probari ab alijs.

DVBIVM XVI.

De ſuperſtitioſa obſeruantia euentuum: quid ſit, & quomodò incurratur?

101 Reſpondetur, Obſeruantia euentuum quæ ponitur quaſi tertia ſpecies, eſt ſuperſtitio, quæ incurritur, quando fortuitò aliquid occurrit aut accidit homini ſiue ſibi, ſiue alteri, vnde aliquid aduerſi vel proſperi imminere coniectat; indeque actiones ſuas moderatur: vt ſi quis domum egreſſus, pedẽ offendat, & inde exiſtimet, ſibique perſuadeat iter fore infauſtum, & ideo nõ progrediatur: ſi induens calceos ſternutet, & ideo lectum repetat. Ita Bonac. ſup. n. 21. & alij cõmuniter de hac ſuperſtitione loquuntur. Vide alia plura exempla ſimilia apud D. Auguſt. libro 2. De doctrina Chriſtiana, c. 20.

Huc etiã pertinet, quòd quidam iudicent certos dies infortunatos, & iuxta tale iudicium inſtituant actiones ſuas.

Porrò licet hæc obſeruantia accedat ſatis ad diuinationem, tamen ab ea diſtinguitur dupliciter, vt notat Bonac. ſup. n. 22. cum Claue Regia ſup. n. 1. Sanchez & alijs.

Primò, quòd in diuinatione ex propoſito quærantur & adhibeantur ſigna, ex quibus diuinatio fiat: hîc verò coniectura capiatur ex illis quæ fortuitò incidunt.

Secundò, quòd in diuinatione principaliter inquiratur notitia futurorum: in hac verò principaliter intendatur directio operationum.

Eſt autem hæc obſeruantia ex genere ſuo catũ mortale, quia vtpote ſuperſtitioſa aduerſatur religioni: Caiet. loco cit. exiſtimat frequentius tamen committi tantum peccatũ veniale ratione ignorantiæ & bonæ fidei. Et ita etiã videtur ſentire Nauar. c. 11. n. 24. Bonac. ſuprà n. 23. & alij quos citat. Eſt nihilominus res multũ periculoſa; facilè enim

Digitized by Google

ex frequentiori vſu talium vanitatum prolabitur homo in plures alias ſuperſtitiones, quibus implicatus à dæmone protrahitur ferè pro libidine eius tum ad bona omittenda, tum ad mala committenda.

Quare meritò Paſtores ſeriò in hoc laborare debent, vt ſubditos melius inſtruant, & ab illis vanitatibus & ſuperſtitioſis obſeruationibus auocent.

DVBIVM XVII.

De Magia.

Quid & quotuplex ſit?

102 Magorum nomẽ olim apud Græcos ſignificabat Sapientes, & eos præcipuè qui in Philoſophia erãt Eruditiſſimi: & quia inter ſcientias naturales hæc videbatur ſublimior & admirabilior, quę cælorum & ſiderum motus & reuolutiones & alias proprietates eorum conſiderat, hinc potiſſimũ attribuebatur nomen hoc ijs, qui in tali ſcientia eminebant. Tali ratione magos dictos fuiſſe illos qui Matt. 2. Venerunt Ieroſolymam vt adorarent Chriſtum nouum Regem natum Iudæorum ſignificat D. Leo ſermone 4. De epiphania, dum eos vocat gentem quæ ſpectandorum ſiderum arte pollebat.

Magia itaque vt abſtractũ talis concreti, idem eſt quod Philoſophia naturalis, aut magis ſtrictè, idem quod aſtronomia.

Verùm poſtea vox illa tranſlata eſt ad ſignificandam artem quæ docet facere opera aliqua inſolita, & quę hominibus mira apparent: quia rara ſunt, vel occultas habent aliquas cauſas. Hoc autẽ modo magia ſumpta diuidi ſolet in naturalem, & ſuperſtitioſam. Naturalis eſt ars quædã operandi inuſitatos effectus per cauſas naturales, naturali modo inuentas abſque dæmonis interuentione & opera. De hac ſcripſerunt Cardanus de varietate rerum: Baptiſta à Porta: à Victoria Relect. De magia n.7. vbi ad illam explicandam congerit multa exempla ex Aug. lib. 12. De ciuit. cap. 4. & 5. & ex alijs quæ mirabilia videntur: quia per vim naturalem ordinariè occultam fiunt. Quamuis autem hæc per ſe mala non ſit, tamen periculis non caret, quia humanum ingenium rebus curioſis & inutilibus intricat, magiſque curioſum efficit, & ſic ſenſim ad magiam ſuperſtitioſam ducit, dæmone ſeſe ſub ſpecie occultæ operationis naturæ immiſcente. Ita notant Mald. tract. 10. cap. 8. dub. 1. Suarez lib. 2. cap. 14. n. 2. circa finem, & alij.

103 Quare libri magiam naturalem tradentes ſuſpecti habendi ſunt, & tanquam periculoſi vitandi: ſed de hac magia nobis hic ſermo non eſt.

Magia itaque ſuperſtitioſa deſcribi poteſt, quod ſit ratio operandi miros quoſdam effectus per ſigna aliqua, ope ipſius dæmonis. Bonac. ſup. punct. 5. n. 4. & indicant Suarez ſup. & alij. Alliciuntur autẽ dæmones ſignis illis ex pacto, vt faciant quod magus petit, & ſic ipſe magus per illa ſigna operari videtur: quæ tamen in ſe nullam habent virtutẽ proportionatã ad eiuſmodi effectus, vt tradit D. Aug. lib. 21. De ciuit. c. 6. Dicuntur autem dæmones allici aut illici, vt loquitur D. Aug. non quaſi illis modis in ſe ſpectatis oblectentur, ſed vt ſuprà indicauimus, quatenus ab ipſorũ pendent inſtituto, atque ita homines ſe illis ſubmittunt implorando opẽ illorum, vel ab illis effectum quem optant expectando: quod ſpiritus illi maligni ſibi honori ducunt, dum tantæ ſcientiæ & virtutis recognoſcuntur quaſi magiſtri.

Porrò adſcribitur hæc ars dæmonibus à D. Aug. lib. 2. De doctrina Chriſt. c. 20. & lib. 8. De ciuitate c. 16. & 19. vbi dicit omnia miracula magorum, doctrinis fieri & operationibus dæmonum: Item à Lactantio lib. 2. diuinarum inſtitutionum c. 17. vbi cum alijs ſuperſtitionibus inter inuenta dæmonum recenſet artem magicam, & ſic à pluribus alijs Sanctis.

Eſt autem ex genere ſuo admodum graue 104
peccatum mortale, quia ordinariè continet expreſſum pactum cum dæmone: aliquando tamen habet tantum pactum implicitum: atque ita quotieſcumque hæc ars exercetur, tunc ipſe expreſsè aut implicitè ſemper inuocatur.

Pactum itaq; hoc dupliciter initur cũ dęmone, ſcil. expreſsè aut tacitè ſiue implicitè.

Rurſum pactum expreſſum dicitur duobus modis fieri, aliquando cum ſolemnitate: & aliquando abſque ſolemnitate.

Quando cum ſolemnitate initur, tunc dęmon tanquam ſummus quidam Monarcha in forma viſibili apparet, & ſedens quaſi in ſolio conuocat multitudinem quandam dęmonum tanquã ſuorum vaſallorum, coram quibus vtrimque promiſſiones fiunt: homo promittit ſe abnegare Deum, & Chriſtum, eius Sacramenta, præcipuè Euchariſtiam; promittit quoque ſe Sanctis omnibus futurũ iniurioſum, & pręſertim B. Mariæ Virgini; quod auerſabitur ſignum Crucis, & res omnes cæremonijs ac precibus Eccleſiæ conſecratas: promittit præterea, quod nunquam Sacerdoti integrè confitebitur, & maximè quod nunquam explicabit hoc initum pactum. Indicat Suarez lib. 2. c. 19. n. 20. Dæmon autem è contra promittit, quòd per omnia votis eius ſatisfaciet. Vide Malleum maleficarum qu. 2. partis 2. cap. 2.

Abſque ſolemnitate iterum dupliciter cõtingit fieri: Primò, dũ quis ſolus immediatè cum dæmone ſolo prædictũ pactũ facit. 2. dum quis non audens cum dęmone comparere, vel aliâ de cauſâ conſentit in tale pactũ

per

per tertiam perſonam, puta per alium maleficum, vt ſatis frequenter fieri ſolet.

105 Similiter tacitè duobus quoq; modis pactum initur: vno modo ſcienter: alio modò quaſi ignoranter. Tum ſcienter fit tacitè, quando quis habens libros maleficorũ, illos legit, & vtitur ſignis ſuperſtitioſis quæ illic didicit. Ignoranter autẽ, ſi quis ſignis magicis vtatur, quæ neſcit eſſe magica, aut ſuperſtitioſa. Sed dum quis pactũ implicitè facere dicitur, ſic vt neſciat eiuſmodi ſigna ad magiã pertinere, excuſabitur aliquãdo à peccato mortali; quod potiſſimùm habere locum poteſt in idiotis, quando nõ ſunt moniti vt deſiſtant: poſt monitionem verò ignorantia & bona fides ceſſant, neque excuſari poterunt ſi vlterius iſtiuſmodi ſignis vterentur: quamuis & hoc metuendum ſit, quod eiuſmodi ignorantia raro ſit inculpabilis, dum penè ſemper ipſa conſcientia ſoleat eos remordere ex apprehenſione alicuius mali, quando talibus ſignis vtuntur.

106 Sic autem magia ſuperſtitioſa generaliter accepta, vt tamen contra diuinationẽ (quam aliquando etiã complectitur) condiſtinguitur, ſolet diuidi communiter in magiam ſtrictiſſimè & propriè acceptam, & in maleficiũ. Strictiſſimè & propriè ſumpta tunc eſt, quando quis vtitur operâ dæmonis ſolùm quaſi ad oſtentationem virtutis ſeu potentię ſuæ, vel ad cognoſcendum occulta. Maleficium verò, quando quis vtitur arte dęmonis ad nocumentum inferendum alijs.

Adhibent autẽ magi & malefici res quaſcumq; à dęmone præſcriptas ad operationes intentas perficiendas; & non tantum profanas, ſed etiam ſacras pro ſignis adhiberi dæmon ordinat; idque in primis, vt maleficorũ peccatum ſit grauius; tunc enim non tantum ſunt malefici aut magi, ſed etiam ſacrilegi: ſecundò, vt hac ratione homines ſimpliciores faciliùs decipiat qui magos conſulunt, dum ſic promptiùs illis perſuadetur huiuſmodi miras operationes, non à dæmone procedere, ſed à Deo aut Sanctis.

Aliquando vtitur rebus permanentibus, vt pane, aqua, vino, ſtramine, plumis, & id genus alijs: aliquando autem vtitur tantum verbis, & tunc propriè appellatur incãtatio.

107 Quando rebus permanentibus vtitur tunc peculiariter vocari ſolet maleficium: quod ſubdiuiditur in amatorium, & in veneficiũ: tunc amatorium dicitur, quando ordinatur ad carnales amores inflammandos; vel etiam ad extinguendos & concipiendos horrores à perſona aliqua, aut ad excitandas rixas & odia. Quomodo autem dæmon poſſit talia cauſare, infrà dicemus.

Veneficium eſt, quando ordinatur ad alia damna inferenda, vt ad immittendos morbos, ad procurandam mortem, ad deſtruendum ſegetes, greges, armenta, & ad ſimilia mala procuranda.

DVBIVM XVIII.

Quænam dæmones per ſe, aut per magos poſſint operari circa elementa, aut circa corpus hominis & aliorum animaliũ?

RESPONDEO & DICO Primò: Haud dubiè multos effectus operari poſſunt dæmones circa elementa, vt excitare tempeſtates, tonitrua, grandines, fulgura, ventos, & euertere arbores, ædificia deijcere, & ſimilia. Satis id conſtat quotidianâ experientiâ & confeſſione quoque maleficorum. Patet etiam ex Scriptura Iob 1. vbi deſcribitur, quomodo poſtquam Dominus dixiſſet ad Sathan: *Ecce vniuerſa quæ habet* (ſcil. Iob) & *in manu tua ſunt*, ceciderit ignis Dei de cælo tactas oues, puerosq; conſumpſerit: quodq; repente ventus vehemens irruerit à Regione deſerti & cõcuſſerit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſerit filios & filias Iob: quę haud dubiè operâ ipſius ſathanę acceptâ à Deo permiſſione, procurata & facta fuerũt. Declaratur quoq; ratione, quia nõ eſt difficile illis ſpiritibus, nubes cõmouere & agitare, ac in alijs regionibus collectas, & ventos alibi ſpirantes huc vel illuc impellere, ibiq; ſiſtere, ſtipare, collidere, vbi id illis à Deo permiſſũ fuerit. Simili modo procurare poſſunt immediatè terræ motus, ædiũ ruinas, incendia repentina, transferre ſegetes de agro in agrũ, tranſplantare arbores etiam cum tota ſuperficie horti prout in antiquis Scriptoribus legitur aliquando accidiſſe. Poſſunt præterea theſauros occultos, & opes mari abditas ſiue immerſas eruere: neque enim eos latent, neque vires deſunt ad illa in lucẽ producenda. Videtur tamen Deus rarius illis hoc permittere, ne forſitan maximis illis illecebris nimis multos ſeducant: vnde obſeruamus omnes penè magos & ſagas eſſe perſonas pauperes & abiectas; neque à dæmone communiter ditari. 108

DICO Secundò: Circa corpora hominum & aliorum animaliũ poſſunt in primis celerrimè ea de loco in locum transferre. Suarez lib. 2. c. 16. n. 4. Conſtat ex Scripturis Matt. 4. vbi dicitur *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi*, & iterum *Aſſumpſit eum in montem excelſum*: quæ euidenter declarant motum localem à dæmone factum in corpore Chriſti Domini, ipſo hoc permittente. Sic Simon Magus artibus magicis à dæmonibus viſibiliter per aëra deportatus fuit, quaſi cælum conſcenderet, quem Sanctus Petrus ſuis orationibus, & mandato dæmonibus facto, de ſublimi aëre deiecit, & cadẽ 109

toto fractus corpore poſtmodùm expirauit: quam hiſtoriam referunt antiquiſſimi Scriptores Eccleſiaſtici, vt Clem. Rom. lib. 6. Conſtit. c. 9. Cyril. Ieroſolimit. Catecheſi 6. Euſeb. lib. 2. hiſt. c. 14. Aug. epiſt. 26. & De hæreſib. hæreſi 1. & alij plures apud Clauem Reg. lib. 4. cap. 6. n. 13.

Et ratio eſt euidens, quia ſunt ſpiritus potentiſſimi, & qui celerrimè de loco ad locum ſe poſſunt tranſportare. Vnde dicitur Iob 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei*: atque ita de facto frequenter transferunt ſagas in loca remotiſſima, & breuiſſimo quidem tempore: quod licet nõnulli impudenter negent, vt habet Abulenſis q. 47. in c. 4. Matth. tamen innumera exempla eorum, quos reipſa tranſlatos eſſe euidenter deprehenſũ fuit, & confeſſiones plurimorum non tantum muliercularum, ſed etiam virorum bene intelligentium quibus hoc accidit, clarè confirmant, & oppoſitum errorẽ, Reip. valdè pernicioſum (vtpotè qui patrocinatur maleficis) cõdemnant: quando enim ſuſtinetur eos à parte rei non moueri loco, neque realiter facere aliquid eorũ quę putant ſe facere, ſed tantum diabolica illuſione iſta ſomniare, ac ſibi videri facere quæ non faciunt, impeditur condigna illorum punitio, & maleficium fouetur.

Communis itaque Theologorum & Iuriſtarum ſententia habet, vt refert Suarez ſup.
110 c. 16. n. 24. huiuſmodi tranſlationes & poſſe, ac etiam de facto in ſagis frequentiùs ſolere fieri: Ita ſentiunt Paulus Grillandus De ſortilegis q. 7. Sprenger. in Malleo maleficorum 2. p. c. 3. & 1. p. q. 1. apud Nauar. c. 11. n. 38. verſ. 32. Bintfeldius in tract. De confeſſionibus maleficorum & ſagarum. Abulenſis ſup. Syluest. V. Hæreſis n. 3. à Victoria Relect. De magia q. 2. & 6. à Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 13. p. 2. Clauis Regia ſup. c. 6. n. 13. Bonac. ſup. p. 5. n. 4. Mald. tract. 10. du. 6. §. Dico tertiò, Tolet. lib. 4. c. 16. à Caſtro De iuſta hæreticorũ punitione c. 16. & Martin. Delrio lib. 2. Diſquiſit. magicarum cap. 16. vbi multos alios DD. citat. Aliqui tamen Canoniſtæ aliter ſentire videntur, propter Cap. Epiſcopi, cauſa 26. q. 5. de quo mox agemus.

Et probatur hoc ipſum ratione: nam diabolus ad hoc ſatis potens eſt, vt diximus, quando à Deo permittitur, & ſatis malignus vt per homines fieri curet mala quęlibet, vtpote qui eorum peccatis oblectatur: neque ſubeſt ratio dicendi quod Deus illa non permittat, cum & alia grauiſſima peccata ſæpius non impediat, & hic ſagę in illa conſentiant, & dæmonem ad hoc inuocent.

Quod itaque attinet ad Capit. Epiſcopi dicendũ eſt, illud huiuſmodi veram tranſlationem non negare, quia intendit ſolum reijcere errores quoſdam graues, quibus implicabantur, & adhærebant illæ mulierculæ de quibus ibi agitur, quos errores in alios diſſeminabant, & ſic ad dæmonis ſocietatem alliciebant; aſſerebant enim maleficos & ſagas equitare cum Diana, & Herodiade, quas eſſe veras quaſdam Deas dicebant, quod fidei contrarium eſt, cum nulla ſit Diana, & Herodiades ſecundum animam luat pœnas in inferno, & ſecundum corpus in puluerem ſit redacta.

Deinde dicebãt ſe equitare in beſtijs quas exiſtimabant ab iſtis Dis ſiue Deabus verè 111
creari aut produci: quod etiam erroneũ eſt; cum diabolus nihil poſſit creare, vt in eodẽ Cap. definitur ad tollendũ iſtum errorẽ: imò neq; ex præiacẽte materia producere animalia perfecta, vt docet D. Aug. li. 18. De ciuit. c. 17. & 18. Chryſoſt. homil. 29. in Matt. D. Th. q. 6. De potentia a. 5. & 6. & 1. p. q. 114. a. 4. quia non poteſt dæmon per applicationem agentium naturalium ſufficienter materiam diſponere & organiſare ad introductionem formæ animalis perfecti, vt equi, vel bouis, vel ſimilis bruti perfecti.

Colligitur autem iſte ſenſus Cap. allegati ex ratione adiuncta: Quia, inquit, eiuſmodi mulieres aliquid diuinitatis ac numinis extra vnum Deum, arbitrantur. Ita à Victoria Relectione De arte magica n. 31. Syluest. V. Maleficum q. 2. Nauar. ſup. Clauis Regia loco citato, & alij.

Negandum tamen non eſt, aliquando maleficos & ſagas nõ transferri realiter ad conuentus ſuos, ſed tantùm in imaginatione, ſicuti & alios plures effectus dæmon apparenter tantũ & non verè per illos operatur.

Dico Tertiò: Poſſunt quoquè dæmones 112
efficere, quod homines appareant transformati in lupum, in felem, vel in aliam beſtiã.

Poſſunt autem apparentiam talis tranſmutationis cauſare diuerſis modis.

Vt primò, nudis præſtigijs, mutando hominis phantaſiam per humorum agitationẽ ac infectionem, quo fit quod homo mira exterius videre vel audire videatur: quorũ tamen à parte rei, nihil ſubeſt: quemadmodum melancolici & frænetici ſæpè exiſtimant vel ſe, vel alios in aliam formam eſſe mutatos, & alia multa quæ non ſunt, ſe videre affirmant, propter internas tantum humorũ alterationes: & hoc modo fieri ſolet, quod ſagæ ſibi videantur mures, dũ clanculum ædes alienas inuadunt, exiſtimentq; ſe inſtar muris per rimas illabi, cum tamen reuera cum forma cõmuni corporis ſui ingrediantur oſtio operâ dæmonis aperto, vel maneãt loco ſuo ſopitæ cũ eiuſmodi imaginationibus, & dæmon interim per ſe facit quæ ſagæ videtur ſibi facere: quod etiã accidere poteſt in lycantropis.

Secundò, eiuſmodi apparentes tranſmu- 113
tationes facere poſſint, veram beſtiam ſubſtituendo, & homine repente ſublato; ita vt ipſe homo, videntium iudicio, in beſtiã conuerſus

Digitized by Google

uerſus appareat: cuiuſmodi exempla recenſet D. Aug. lib. 18. De ciuit. c. 18. Et ſic veriſimiliter factum eſt, Exodi c. 7. Quod virgæ magorum Ægyptiacorum viſæ fuerint conuerſæ in Serpentes, vt Theologi communiter ſentiunt: quia videlicet ſublatis virgis, dæmon aliunde veros ſerpentes mox ſubſtituerit: nam alioquin tam breui tempore non videtur ex tam diſſimili materia applicando actiua paſſiuis potuiſſe facere veros Serpentes.

Licet interim communiter DD. teneant, & verum ſit, quòd poſſit dæmon aliquas etiã reales tranſmutationes operari, applicando ſcilicet naturalia actiua paſſiuis, quemadmodum & homines poſſunt per cauſas naturales, ſed ille longè plures & ſubtiliores, multoque celerius & expeditius id poteſt: ſic potuit veros mures, ranas, muſcas, & ſimilia animalia imperfecta per magos Pharaonis producere, quæ ex putredine & ſine ſemine naſci ſolent. Vt docent D. Tho. 1. p. q. 110. & q. 114. Bonauent. in 2. diſt. 7. & alij cum Magiſtro ibidẽ: Alenſis 2. p. q. 43. memb. 2. Suarez lib. 2. De ſuperſt. c. 16. n. 7. & alij.

Quod docet etiam D. Aug. lib. 3. De Trinitate cap. 7. & ſequentibus, & lib. 18. De ciuit. cap. 17. & 18.

Tertiò, Similes apparentias facere poſ-
114 ſunt dæmones inducendo mutationem aliquam extrinſecùs circa obiectum, vt hominem induendo pelle aſinina, vel lupina, & membra eius ad figuram aſini vel lupi, quantum poſſunt, cõponẽdo, vel corpus aliquod fantaſticum ex aëre & vapore condenſatum circumponendo: Ita Clauis Regia ſup. n. 18. & exempla habent D. Aug. lib. 18. De ciuit. c. 16. 17. & 18. & Malleus Malefic. p. 2. q. 1. c. 4. & 9. & illis factis tunc mutando phantaſiam hominis, animum ferinum commotis humoribus, & venenatis ſuccis exhibitis excitando, ac denique lupinâ quadam velocitate totũ hominem mouendo ac regendo: vnde fit, quod homines ſic affecti & concitati diſcurrant, inuadant, lacerent & deuorent alios homines ſicuti veri lupi: quales etiã extrinſecùs ſibi & alijs apparent. Et hic modus apparenter trãsformãdi homines videtur hiſce temporibus per dæmonem, multùm fuiſſe vſitatus, prout colligitur ex confeſſionibus iudiciarijs lycantroporum, & ex diuerſis experientijs; quamuis ſimilia etiam facere dæmones poſſent primo vel ſecundo modo. Vide Mald. ſup. dub. 5. non longè à fine, & exempla apud Sprengerum.

115 Non poſſunt autem dęmones verè & realiter transmutare hominem in lupum, in coruum, in cygnum vel in aliud quodcumque animal, quamuis Ethnici ſoleant eiuſmodi fabulari, prout communiter Doctores omnes tenent; & conſtat ex Cap. Epiſcopi, cauſa 26. q. 5. Vbi dicitur infidelis eſſe & pagano deterior, qui credit poſſe fieri aliquam creaturam aut transformari in aliam ſpeciem niſi ab ipſo Creatore qui omnia fecit. Et declaratur ratione, quia vel mutaretur homo ſecundum corpus tantum, vel ſecundũ animam tantum, vel ſecundũ vtrumque ſimul: ſi primum dicatur, ergo homo talis moritur, quia mors nihil eſt aliud quã ſeparatio animæ à corpore humano: & proinde non poterit ille homo reſtitui, quia nõ poteſt anima rurſum formaliter vniri corpori opera dæmonis; vnde nec poſſunt dæmones mortuos reſuſcitare, hoc enim eſt opus ſolius diuinæ poteſtatis, vt docent omnes Orthodoxi. Vide D. Tho. Quodlib. 4. a. 5. & lib. 4. contra gentes, cap. 81. Sotum in 4. diſt. 43. q. 1. a. 2. & alios eadem diſt.

Alterum quoque dici nõ poteſt, quia anima rationalis cum incorruptibilis ſit, nõ poteſt tranſire in animam lupi; vel animam alterius bruti quæ eſt corruptibilis.

Nec dici poteſt fieri trãſmutatione totius in totum, quia tunc homo deſineret quando beſtia inciperet eſſe, & proinde quando iterum rediret homo ad naturam humanam, quodammodo de nouo crearetur, quæ excedunt omnem poteſtatem naturæ ac ipſius dæmonis, vt iam dictum fuit ex Cap. Epiſcopi, & ex certa & conſtanti omniũ Orthodoxorum doctrina: quæ alibi latiùs tradi, & explicari ſolet.

Dico Quartò: Poſſunt etiam dæmones circa homines & aliorum animaliũ corpora, 116
noxios diuerſos effectus verè operari, vt inferre morbos, Clauis Regia ſup. n. 16. & alij, idque varijs modis, vt inſtillando venena, inficiendo aërem circumſtantem, quem homines reſpirando attrahunt: item miſcendo & perturbando humores corporis, ac alijs medijs ſibi notis. Poſſunt etiam varias materias vt pilos, clauos, vitrorum fragmenta, & id genus alia ingerere in ipſum corpus humanum, quemadmodũ maleficio intoxicati aliquando cernuntur eijcere; licet id quoq; poſſint præſtigiò apparenter tantum facere, ſic vt eijci videantur, quæ reuera non ſunt: prout veriſimiliter contingit, quãdo materia craſſior eſt quæ eijcitur, quàm quæ per meatus vnde eijci videtur, tranſire queat: non enim poteſt dæmon ponere duo corpora in eodem loco, neque cauſare dimenſionum penetrationem: quamuis & tunc aliam poſſit adhibere artem, videlicet cõminuendo, aut diſſoluẽdo iſtas materias, dum per anguſtiores meatus tranſeunt, & iterum ſumma celeritate reuniendo: nec tantum morbos immittere, ſed & hominem occidere, Deo permittente, facilè poſſunt: ſicuti diximus Tobię 3. Legi dæmoniũ nomine Aſmodæũ occidiſſe ſeptem viros Saræ: & cap. Exod. Angelum exterminatorem interfeciſſe primogenitos Ægyptiorum.

Digitized by Google

Dico Quintò: Poſſunt quoque diuer-
117 ſos morbos occultos ſanare: imò omnes qui medijs naturalibus curabiles ſunt. Declaratur, quia habent exactam rerum naturalium, earumque virium, vt herbarum, radicum, lapidũ & ſimilium cognitionem ex proprij ingenij acrimonia: quam etiam longâ experientiâ & vſu augent, vt ex D. Auguſt. lib. 2. De Geneſi, tradit Malderus ſuprà dub. 8. Simul quoque habent principiorum morbi introſpectionem. Vnde non eſt illis difficile per naturalium mediorũ applicationẽ morbos tales curare. Non poſſunt autẽ viſum reſtituere cœco, aut ſenectutẽ tollere: quia hæ infirmitates per cauſas naturales curari non poſſunt: & multò minùs poſſunt hominem reſuſcitare: neque enim dedit Deus naturæ potentiam aut virtutem contra eiuſmodi incommoda, prout nec ad animam ſeparatam formaliter reuniendam corpori. Vide D. Thom. quæſt 96. art. 2. Malderum loco citato, & Suarez c. 16. n. 12.

118 Dico Sextò: Impedire dæmones poſſunt inter coniuges copulam: imò & illam ſuo modo cum hominibus exercere. Prior pars eſt communis, de qua plura licet videre apud Syluest. V. Maleficium quæſt. 6. & D. Thom. in Supplem. quæſt. 58. art. 2. & vide plures modos quibus id faciunt in Claue Reg. lib. 4. cap. 6. n. 21.

Notant autem Doctores, quòd frequentiùs dęmon permittatur vexare homines circa actum potentiæ generatiuæ quàm circa alios actus, quia per illum transfunditur peccatum originale.

De poſteriori parte licebit videre D. Gregorium lib. 7. moral. cap. 12. & D. Auguſt. lib. 15. De ciuit. Dei c. 23. vbi inter alia dicit, quòd hoc negare, impudentiæ videatur: cũ à talibus & à pluribus aſſeratur. Et traditur à Doctoribus communiter: D. Thom. in 2. diſt. 8. art. 4. quæſt. 2. & alijs Scholaſticis, Clauis Regia ſuprà n. 7. Vbi tamen notandũ quando dicimus, Dæmones copulam poſſe cum hominibus exercere, non id ſic intelligendum eſſe, quaſi ſemen ex propria ſubſtãtia ſua deciderent ac transfunderent (ſic enim commiſceri eſt animę nutritiuę & ſenſitiuæ quæ nec formaliter nec virtualiter in ſpiritibus reperitur) ſed quod corpore aliquo aſſumpto ſemen aliunde acceptũ tranſmittant, ita vt ſi contingat inde prolem naſci, vt aliquando accidit, non ſit dæmonis proles, ſed illius à quo ſemen acceptum eſt.

119 Dico Septimò: Poſſunt quoque magi operâ dæmonum reddere ſe aut alium quodammodo inuiſibilem: vt in primis impediendo, ne ſpecies viſibiles ad oculum aliorum perueniant; idque vel per nimiam aëris circumſtantis agitationem, vel per interpoſitionem alicuius corporis. Vide Binsfeld. prælud. vlt. Malder. ſuprà dub. 7. Deinde transferendo illum citiſſimè ad alium locũ.

Dico Octauo: Poſſunt & inuadere & poſſidere humanum corpus Deo permittente: ſicuti & corpora aliorum animalium, ac varijs modis vexare. Conſtat ex Euangelicis hiſtorijs & ex quotidiana experientia. 120

Imò & ipſi magi poſſunt dæmonem ex pacto quod cum illo, vel cum alio dæmone ſuperiori habent, immittere & quaſi includere humano corpori: Exemplis enim conſtat Deum id aliquando permittere: quæ videre licet apud D. Ieronymum in vita Hilarionis, apud Theodoretum in hiſtoria SS. Patrum in Macedonia, apud Sprengerum parte 2. quæſt. 1. cap. 10. Tiræum De dæmoniacis parte 1. cap. 16. Hoc autem frequentiùs contingit, quod propter peccata ſua homines hanc dęmonũ carnificinam ſuſtineãt, vt Mald. ſuprà dub. 8. §. Dico quartò, notat ex Tirço: quamuis negandum non ſit interdum quoque ſine ſua culpa homines à dæmone poſſideri aut obſideri, quod tradit idem Tirçus p. 2. cap. 29. & 31. ex Auguſtino & Ieronymo.

Similiter quoque magi poſſunt dæmones expellere ex pacto quod cum illis habent, ſcil. ipſiſmet dæmonibus ſic volentibus, quãuis ſe cogi vi incantationis ſimulare ſoleant.

Ex pacto tamen cum ſuperiori & potentiori dæmone poſſunt inferiorem etiam inuitum pellere: quod tamen fortior ille nunquàm facit, niſi vt magis homini noceat, vt per exemplum docet D. Greg. lib. 1. Dialogorum cap. 10.

DVBIVM XIX.

Quid valeant dæmones agere circa animam hominis?

RESPONDEO & DICO Primò: Deo permittente circa animam coniunctam corpori poſſunt omnia illa quæ ex corporis diſpoſitione & imaginatione hominis pendent. Vnde inferre poſſunt amentiam, incitare ad amorem, ad odium, ad libidinem non tantum in communi, ſed etiam in ordine ad hanc vel illam perſonam: 121

Nunquam tamen voluntatem rationalem ad aliquid prædictorum, ſiue in ipſorum conſenſum cogere poſſunt: ſed tantùm propter ſympatiam eius cum potentijs inferioribus, eam allicere & ſuo modo inclinare, vt efficiendo, quòd obiectum aliquod aſſiduè obuerſetur phantaſiæ ad modũ conuenictis aut diſconuenientis, prout vel ad amorẽ, vel odium incitare volunt, ac vt ſimul commoueantur ac concitentur humores & ſpiritus conſentaneè affectui amoris, vel odij, aut inuidiæ &c.

Et hinc à peccato non excuſantur qui eiuſmodi paſſionibus obſequuntur, licet peccatum

Digitized by Google

peccatum minui poſſit propter vehementiam paſſionum, & minorem quæ inde conſequitur libertatem: ſi tamen in furorem raperentur, vt accidere aliquando ſolet, à peccato eſſent immunes, quia propter defectum vſus rationis carent libertate voluntatis.

122 Operantur autem magi eiuſmodi paſſiones vel applicando ea quæ iſtos effectus naturaliter producere ſoleant: vt filtrum aliquod porrigendo, vel applicando aliqua ad quæ tanquam ſigna dæmon ex pacto arte ſibi notâ hominem amentē facit, aut amantem, applicando ſcilicet ea quæ vim habent totum corpus accendendi, humores concitandi, vires genitales commouendi, vel etiam ſemina irritandi, imaginationes perturbandi, atque ita appetitum ſenſitiuum ad actus venereos commouendi.

Intellectui autem ſcientiæ habitum infundere non poſſunt, vt antè diximus: ſed neque illum tollere, quamuis vſum eius poſſint impedire, quatenus à phantaſmatibus pendet. Quomodo autem aliquando apparenter videantur doctrinam homini infundere aut indere, explicuimus ſuprà dub. 14. De arte notoria: & docet cum alijs Suarez lib. 2. cap. 16. n. 12.

123 Dico Secundò: Nihil poſſunt magi circa animas ſeparatas, quemadmodum nec ipſi dæmones, præterquàm quod damnatis poſſint inferre ſupplicia ſecundum modum & menſuram à diuina iuſtitia pro meritis damnati cuiuſque conſtituta.

Itaque non poſſunt illas ab inferis excitare, aut educere, & viuis repræſentare: quēadmodum neque tortori liberum eſt aut facultas pro ſua voluntate ducere reos quò voluerit.

Quare id multò minùs poterunt circa animas iuſtorum. Vnde ſpectra illa quæ ad inuocationem ac incantationem magorum ſeſe exhibent, ſunt dæmones qui ſe horum vel illorum animas fingunt; vt communiter tenent Doctores: Suarez lib. 2. De ſuperſtitione cap. 16. Mald. tract. 10. cap. 8. dub. 3. & alij paſſim.

Obiicitur apparitio Samuelis lib. primi Regum cap. 28. videtur enim pythoniſſa virtute dæmonis ibi ex limbo Samuelem euocaſſe.

124 Reſpondetur, omnes antiqui Patres ac etiam Scholaſtici Doctores in hoc conueniunt, quod verus Samuel ſeu vera eius anima non fuerit incantationibus pythoniſſæ ſiue virtute dæmonis euocata, ibique comparuerit.

Ad Scripturam verò explicandam, diuerſi diuerſimodè reſpondent.

Multi ſentiunt, quod reuera Samuël, ſiue anima eius non comparuerit, ſed tantùm ſchema ſeu vmbra illius: quod hi admittunt factum fuiſſe ipſis incantationibus pythoniſſæ; inter quos præcipuus videtur D. Aug. lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 3. & alijs locis.

Alij verò è contra docent verum Samuelem ibi comparuiſſe; ſed negant id factum incantationum vi, aut dæmonis operatione; ſed prodiſſe illum diuinâ ordinatione & virtute: idque in pœnam impij Regis, vt illi mortem breui inſtantem prædiceret.

Eſtque hæc ſententia probabilior, & magis recepta, quam tradidit Iuſtinus Dialogo cum Tryphone circa finem, & ſequuntur Lyranus, Caiet. ad cap. 28. primi Regum allegatum: ibidem Abulenſis quæſt. 28. & alij plures.

Veri autem Samuelis ſeu animę eius fuiſſe apparitionem in primis probari inde poteſt, quod pythoniſſa legatur fuiſſe turbata, ac dixiſſe: *Deos vidi aſcendentes è terra*: ac rurſum, quod Saul interrogauerit, *Qualis eſt forma eius.* Vnde intelligi poteſt, quòd huius modus & ratio apparendi fuerint longe alia & diuerſa ab ijs apparitionibus ordinarijs ſpectrorum quæ ad incantationem pythoniſſę & magorum fieri ſolebant.

Deinde ſolidiſſimè id probari poteſt ex cap. 46. lib. Eccleſiaſtici, vbi inter laudes Samuelis recenſetur, quod etiam poſt mortem Regi prophetauerit, & oſtenderit quæ illi citò erant obuentura: vnde etiā D. Aug. libro De cura pro mortuis cap. 12. ſignificat non poſſe negari, quin vera Samuelis anima apparuerit, modò liber Eccleſiaſtici inter Canonicos recipiatur, de quo tunc temporis nondum certò per Eccleſię definitionem conſtabat.

Quòd verò non virtute dæmonis euocata comparuerit, inde oſtendi poteſt, quòd magicam incantationem præueniendo, ibi adfuerit, vt circumſtantiæ textus ſatis indicant.

An autem in corpore proprio, an in corpore aſſumpto & formato ad ſimilitudinem corporis illius, apparuerit, diſputari ſolet. Veriſimilius eſt quod in corpore aſſumpto, ſicut Angeli apparere ſolent: quomodo Tertull. libro De reſurrectione carnis c. 55. dicit Moyſen apparuiſſe in transfiguratione in imagine carnis nondum receptæ: qui alioquin exiſtimauit magis ordinarium, quòd dum diuinâ virtute animæ repræſentantur eas in corpore redeuiuo exhiberi, vt conſtat ex libro De anima cap. 57.

Sed per occaſionem quæret hic aliquis, quibus ſignis diſcerni poſſit inter bonos ac malos ſpiritus apparentes?

Reſpondetur, Solent per Doctores plura 125
& diuerſa huius diſcriminis ſigna adnotari & aſſignari, quorum alia alijs ſunt certiora: vt videre eſt apud Gerſonem tract. De diſtinctione verarum viſionum à falſis, alphabeto 19.

Digitized by Google

beto 19. inter opera eius: apud Tiræum p. 2. de locis infeſtis: Raphaëlem de la Torre hic quæſt. 95. art. 3. diſp. 3.

Primum itaque communiter & tanquam ceteris certius aſſignatur, ſi ad præſentiam vel vſum rerum ſacrarum diffugiat, vt ad præſentiam Euchariſtiæ, ad aſperſionem aquæ benedictæ, ad vſum agni benedicti, ad vſum ſtolæ, Reliquiarum, aut ſimilium, quibus Eccleſia vti conſueuit: tunc enim omnino nota eſt, quod ſpiritus ſit malignus: ſimiliter ſi eiuſmodi diſſuadeat, aut improbet.

Secundum ſignum maligni ſpiritus eſt, ſi dicat aut ingerat ea quæ ſunt contra fidem, vel doctrinam Eccleſiæ vel quæ à moribus & regulis Sanctorum ſunt aliena; & quidem hæc duo ſigna ſunt certiſſima maligni ſpiritus.

Tertium additur, ſi alleget falſam aut friuolam cauſam ſuæ apparitionis, vt quod ex imperiò alicuius magi redeat, vel vt denunciet aliqua quæ ſunt tantum curioſa, vel noxia.

Quartum, ſi ſermonibus ſuis hominem inducat in ſuperbiam, ad inobedientiam, ad rixas, ad nimiam præſumptionem, aut ſimiles inordinatos affectus. Vide dicta ſuprà de ratione diſtinguendi inter viſiones in ſomnijs.

Quintũ, ſi prohibeat ſua tractari cũ ſuperioribus Eccleſiaſticis aut eis exponi, vt Confeſſario aut Prælatis: non enim boni ſpiritus quærunt tenebras, nec volunt inuerti ordinatum agendi modum & in Eccleſia obſeruari ſolitum, vel à ſanctis Patribus præſcriptum.

Sextum, ſi blandè accedat, ſed poſtea relinquant terrorem, perplexitatem, tenebras, animi deſolationem: quemadmodum enim boni ſpiritus, & ſi ab initio aliquid terroris adferant ſuâ præſentiâ, tamẽ ante receſſum, ſolari ſolent, ac quietare animos eorum quibus apparent, vt patet ex cap. 5. Ioſue, ex cap. 13. Iudicum, ex cap. 1. & 2. Lucę: ex Matth. cap. vltimo, & ex alijs Scripturæ locis, ita è contra ſpiritus maligni ſolent ab initio blandè accedere, ſed in diſceſſu relinquere horrorem & animi perturbationem.

Septimum maligni ſpiritus ſignum eſt, ſi
126 in forma tetra aut abiecta appareat, vt in forma canis, hirci, ſerpentis, aut ſimilis animalis, vel etiamſi appareat in forma humana, ſed monſtroſa: vt ſi habeat pedes corneos, v.g. bouis, aut equi, vel ſit ſtaturę proceræ vel nimis exilis: vix enim putatur dæmon in humana forma, diuino permiſſu apparere, niſi cum aliquo notabili ſigno deformitatis alicuius.

Notat quoque Mald. dubio 4. ex Tiræo, Quod Angeli boni non appareant in forma mulieris: Delrio tamen lib. 2. quæſt. 26. ſectione 3. putat aliquando id factum, & exemplum adducit ex vita Laurentij Iuſtiniani.

Octauum ſignum ponitur, ſi quando expletum fuerit, quod ſubſidij causâ petierit, rurſum alijs occaſionibus friuolis quæſitis, ſæpius redeat: animæ enim iuſtæ in purgatorio exiſtentes, vbi pro illis ſatisfactum fuerit, aut non redeunt, aut ſemel tantum vt gratias agant: dæmones verò, quia non tam cito conſequuntur ſuum intentum, quærunt varias occaſiones redeundi, vt tandem homines decipiant, in peccata & baratrum deſperationis, aut in ſuperbiam, & præſumptionem nimiam pertrahant.

Quare frequens iſta apparitio eiuſmodi animarum, ſiue ſpirituum ſub nomine earum ſuſpecta eſt habenda: ac meritò ſemper obſeruanda eſt monitio D. Anthonij, quam refert Athanaſius in vita eius; Cum aliqua obtulerit ſeſe viſio, inquit, audacter requirite, quis ſit ille, & vnde venerit, ac ſine mora ſi Sanctorum fuerit reuelatio, Angelicâ conſolatione timor vertetur in gaudium: ſi verò diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus euaneſcet.

DVBIVM XX.

An & quibus liceat vti remedijs contra maleficia?

Reſpondetur in primis, licitum eſſe remedia cum corporalia ſeu naturalia 127
tum etiam ſpiritualia ſeu ſupernaturalia adhibere contra maleficia aut eorum relictos effectus. Eſt communis & certa doctrina.

Quod ad naturalia attinet, ex Medicorum præſcriptione adhibere licebit illa quæ contra morbos, aut alia incommoda corporis iudicauerint oportuna. Solent tamen rariùs hæc prodeſſe, quia dæmoni non eſt difficile, efficaciam & operationem iſtorum varijs modis impedire. Vnde ad remedia ſpiritualia maximè eſt recurrendum: cuiuſmodi à Doctoribus complura ſolent enumerari.

Primum itaque ſit, magna fides in Deum 128
& fiducia in diuina protectione & ope, quibus homò maximè præmunitur contra maleficia, & dæmonis machinationes. Colligitur ex Pſal. 90. qui incipit, *Qui habitat in adiutorio altiſsimi in protectione Dei cæli commorabitur:* vbi per totum explicatur quod nihil poſſint dæmones nocere ijs qui ſe totos diuinæ prouidentiæ & protectioni cõmittunt, quare & illud Pſalmi 26. ſæpius eſt vſurpandum: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo:* & præſertim ſymbolum Apoſtolicum mane & ſæpius recitandũ; quæ populo ſunt valdè inculcanda, quia propter defectum fidei

fidei & fiduciæ in Deo, frequenter permittitur diabolus in homines graſſari. Vide D. Gregorium lib. 1. Dialogorum cap. 4. Maximè autem cauendũ eſt ne ad magos aut diuinatores pro leuamine recurratur: ad quod populus nimis eſt propenſus: vnde Paſtores, & Concionatores, & Confeſſarij debent ſæpius & grauiter explicare illius malitiam, & pericula incidendi in totalem ſeruitutem ipſius dæmonis, quibus ſe per hoc exponant.

Alterum remedium eſt ſincera peccatorum Confeſſio cum vero animi dolore, & peccatorum deteſtatione, ac condigna ſatiſfactione: quâ de re vide exempla apud Petrum Cluniacenſem lib. 1. De miraculis c. 6. & lib. 1. De vita ſancti Bernardi cap. 8. quia mala & licentioſa vita ſæpè cauſa eſt, ob quam permittit Deus, quòd diabolus in nos poteſtatem ſuam exerceat: ſtante autem cauſa non facilè tollitur effectus.

Tertium eſt vſus Sacramenti Euchariſtię. Vide cap. 10. libri primi De vita D. Bernardi, & D. Auguſt. cap. 8. lib. 22. De ciuitate Dei, vbi ſcribit domum quandam cum afflictione animalium & ſeruorum ſolitam perpeti vim malignorum ſpirituum, ab infeſtatione autem dæmonum fuiſſe liberatam oblato in ea Corporis Chriſti ſacrificio per vnum ex ſua familia Presbiterum.

Quartum eſt oratio aſſidua ad Deum cũ ieiunio & eleemoſina; ſic compreſſa fuit poteſtas Aſmodęi diaboli qui occiderat ſeptem viros Sarę vxoris Tobię iunioris. Vide apud D. Auguſt. loco citato plura exempla, quomodo dæmones per orationes Eccleſiæ & piorum hominum fuerunt fugati ab hominibus, & à noxis inferendis compreſſi.

129 Quintum, Exorciſmi Eccleſiæ, qui varij ſunt: alij enim ſunt ad expellendum dæmonem ex corpore humano: alij ad liberandas domos ab infeſtatione dæmonis: alij ad illum compeſcendum ne damna per tempeſtates, per beſtias noxias, per venena vel aliâ quacumque ratione per ſe aut per magos, vel ſagas inferat.

Sextum aqua benedicta: hæc enim magnam vim habet ex precibus Eccleſiæ, per quas fit vt diuina virtus illi adſit ad dęmonis infeſtationes coërcẽdas. De quo vide Theodoretum lib. 5. Hiſtoriarum c. 21. & vitam ſancti Bernardi lib. 2. cap. 3. huc etiam ſpectant res alię ab Eccleſia benedictæ, vt agnus Dei, cærei benedicti, ſacri panes, & ſal benedictum. Item reliquiæ Sanctorum, & ſimilia.

130 Septimum eſt ſignũ ſanctæ Crucis; cuius maxima vis eſt contra omnes diaboli machinationes, quando præſertim cum vera fide & ſano intellectu adhibetur: idque diuerſas ob cauſas: vt in primis, quia continet tacitam Sanctiſſimæ Trinitatis inuocationem, per meritum paſſionis Chriſti: quemadmodum enim voce, ita & geſtu Deum poſſimus inuocare. Secundò continet totius Chriſtianæ doctrinæ compendiariam profeſſionem, quando cum verbis ſolitis fit, ſcilicet, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ſignificatur enim in Deo vnam eſſe eſſentiã, potentiam, maieſtatem &c. tres autem eſſe perſonas Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Deinde Patrem eſſe principium, ab eo gigni Filium, & ab vtroque procedere Spiritum ſanctum. Pręterea Filium de cælis in vterum Virginis deſcendiſſe hominem factum, & nos per mortem ſuam tranſtuliſſe à ſiniſtris ad dextram, & à morte ad vitam. Tertiò, quia Crux eſt inſtrumentum, in quo de diabolo triumphauit Chriſtus, ac vires eius confregit. Hinc diabolo ingerit memoriam probri & ignominiæ, quæ per Chriſtum in Cruce accepit, ac ſimul terrorem virtutis Chriſti illi incutit, vnde formidabilis ipſi eſt etiam in ipſis infidelibus, vt conſtat ex hiſtorijs Eccleſiaſticis, & notanter de Iuliano Apoſtata, ac de quodam Iudæo, vt refert D. Gregorius lib. 3. Dialogorum c. 7. Vide D. Chryſoſtomum homilia 8. in epiſtolam ad Colloceſ. Lactantium lib. 4. cap. 27. & Cyprianum ſermone de Paſſione Domini.

Octauum & vltimum remedium fit inuocatio nominis Iesv: S. Mariæ Dei genitricis & Virginis: Angeli cuſtodis, & aliorum Sanctorum. Vide de his plura apud Delrio loco ſuprà citato.

DVBIVM XXI.

Vtrùm liceat amouere ſigna maleficij eo fine, vt maleficij nocumenta ceſſent?

Respondeo & Dico Primò: Nullo modo licet ſigna magica tollere aut deſtruere nouo maleficio, neq; illa per diuinationẽ aut diuinos ſeu diuinatores inueſtigare. Eſt hæc concluſio certa apud omnes. Et ratio eſt, quia iſta malefici aut magi operatio quâ per maleficium tollit aut deſtruit ſigna, aut illa manifeſtat, eſt actio intrinſecè mala: non enim fit abſque expreſsâ vel tacitâ dæmonis inuocatione & ope: nullo igitur modo licitè fieri poteſt. Vnde nec poteſt quis licitè petere, aut conſentire vel approbare, vt alter ſic operetur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. cap. 1. *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm qui ea faciunt: ſed etiam qui conſentiunt facientibus*; ergò &c. 131

Dico Secundò: Licitum tamen eſt vnicuique tollere, & deſtruere ſigna magica, vt ceſſent maleficij nocumenta, quando quis 132

Digitized by Google

quis illa tollere aut deſtruere poteſt abſque maleficio & dæmonis inuocatione. Eſt contra nonnullos, quorum fundamentum mox explicabimus, inter quos eſt Æ:tius in 4. diſt. 34. §. 8. & 9. Sed paſſim tenetur ibidem à Scholaſticis, vt Scoto, quæſt. vnica, Dominico Soto quæſt. vnica art. 3. & alibi ab alijs Doctoribus, vt Henrico à Gandauo, Quodlibeto 5. quæſt. 33. à Caſtro lib. 1. De iuſta hæreticorum punitione c. 15. Syluest. V. Maleficum quæſt. 8. & 9. Angelo V. Superſtitio n. 19. Caietano Opuſculo de maleficio: Nauatro cap. 11. nu. 29. Henriquez lib. 12. De Sacramentis cap. 8. n. 3. Sanchez lib. 7. diſp. 95. Suarez lib. 2. De ſuperſtitione cap. 17. Mald. ſuprà dub. 12.

Et probatur, quia huiuſmodi ſignorum ſublatio vel deſtructio non reperitur vel per Scripturas ſacras, vel per Canones aut Sanctos Patres prohibita vel reprobata, neque eſt actio per ſe & intrinſece mala, nam fieri poteſt abſque ſocietate cum dæmone & abſq; eius inuocatione & cultu, quin potius tendat ad cultus ipſius deſtructionem, quia per ſigna illa quaſi tacitè à ſagis ipſe inuocatur & eius imploratur opera: iſtâ enim ratione per ſigna allicitur, quia honori ſibi ducit ſuam in illis agnoſci potentiam; ergo illorum deſtructio ſocietatem cum dæmone non continet, ſed potius euertit, non eſt igitur vnde actio illa dici poſſit per ſe mala.

133 Objicitur Primò: D. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert in primis, quòd dum virgo à dæmone obſeſſa ad ſanctum Hilarionē eſſet adducta, vt liberaretur, reſpondiſſe dæmonem: Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor, non exeo, niſi me adoleſcens qui tenet, dimiſerit, ablatis ſcilicet maleficij ſignis, quæ vbi laterent, iam indicauerat: deinde addit D. Hieronymus, noluit autem Sanctus, antequàm purgaret virginem, ſigna iubere perquiri, ne aut ſolutis incantationibus dæmon receſſiſſe videretur, aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem. Quibus Hieronymus indicare videtur, ſignorum amotionem pertinere ad vſum incantationum ſiue magicę artis.

Reſpondetur; Non dicit Hieronymus, quòd Sanctus noluerit ſigna prius perquiri & remoueri antequam virginem purgaret, eò quòd hoc malum eſſet, aut quia hoc eſſet incantationibus dęmonem pellere; ſed quod noluerit hoc, idq; ex alijs cauſis, tū ſcilicet, vt diuina virtus quam peculiariter contra dæmones habebat ſibi aſſiſtentem, clariùs eluceret, & Deus à præſentibus & aſtantibus magis laudaretur, tum qnoque ne ſcandalum forſitan apud eos oriretur, vt ſequentia verba D. Ieronymi indicant: potuiſſent enim offendi aſtantes quod vir tantæ exiſtimationis videretur nimiùm credulus ſermonibus dæmonis & Patris mendaciorum, aut in eam induci opinionem, quòd per incantationes dæmon receſſiſſet, ſi adoleſcentem curaſſet ſigna quæ ſub limine collocauerat auferre, & non dæmon in Dei nomine & virtute per virum ſanctum fuiſſet eiectus inuitus.

Voluit itaque pro maiori Dei gloriâ & præſentium ædificatione Sanctus Hilarion altiori modo liberare virginem: vnde non ſequitur aliùm modum eſſe per ſe illicitum.

Objiciuntur præterea multa ex ratione petita: Vnum autem eſt argumentum præcipui ponderis, ex quo reliqua ferè dependent; & poteſt ſic formari: quando quis ſigna magica tollit aut deſtruit eo fine, vt ceſſent nocumenta maleficij, tunc effectum illum ſiue ceſſationem mali videtur expectare ab ipſo dæmone: idque ex tacito quodam pacto eius; ergò non licebit ſigna tollere, vt maleficia ceſſent: conſequentia eſt manifeſta; quia nunquam vti licet ſocietate & pacto cum dæmone. 134

Probatur autem antecedens, quia qui ſigna tollit vt malum ceſſet, non expectat effectum illum ab aliqua cauſa naturali, neque ab humana voluntate magi aut ſagæ, neque per miraculum à Deo: reſtat igitur, quòd expectet à dæmone; idque ex pacto ſaltem tacito, quia diabolus non videtur alligatus ſignis, neque ſigna ſunt quæ propriè malum cauſant: poteſt enim nocere abſque ſignis, & deſinere nocere, etiam ſignis exiſtentibus; ergò fruſtra quis ſigna tollit vt malū ceſſet, niſi ex implicito pacto expectet quod dæmon à malo inferendo ceſſabit.

Ad hæc reſpondet Leſſius lib. 2. cap. 45. dub. 6. effectum qui hic expectatur, non eſſe poſitiuam aliquam dæmonis actionem, ſed priuationem actionis ſeu ceſſationem à malo inferendo, & eiuſmodi effectum à dæmone poſſe expectari, modò non ex fide data & accepta, ſiue modò non ex vi alicuius pacti initi: quod ſic declarat: multa enim quotidie facimus vt diabolus aliquid non faciat, vel vt ceſſet facere, non ſolùm coactus diuinâ poteſtate, ſed etiam quaſi offenſus & abhorrens, vt dum geſtamus agnos Dei, reliquias Sanctorum, dum vtimur aquâ benedictâ, dum benedicimus domos & templa, &c. 135

Sed modus hic loquendi, quòd effectus ille ceſſationis ab infeſtatione aut inflictione mali, (quamuis per non actionem ſeu deſitionem dæmonis ab actione obueniat) expectetur ab ipſo dæmone, non videtur vllo modo probandus: malè namque ſonare videtur hic ſermo, quòd commodum vel amotionē incōmodi à dęmone expectemus; quia ſermo iſte ſubindicat, quòd ſentiamus in talibus nos ab eius voluntate, & quaſi gratia pendere, cupiamuſque eius frui quaſi fauoribus:

Digitized by Google

ribus: hæc enim in tali ſermone importantur, quando quis dicitur ab aliquo expectare beneficium, ſiue illud conſiſtat in poſitiuo bono, ſiue in priuatiuo ſeu in amotione mali, vel ceſſatione ab inferendo malo.

Neque ad rem facere videntur, quæ pro declaratione allegantur: non enim quis dixerit quod qui agnum Dei, aut reliquias Sanctorum geſtat, aquâ benedictâ ſe aſpergit, ſigno Crucis ſe munit contra dæmonis infeſtationem & maleficia, quod talis à dæmone expectet effectum illum, quod non infeſtabitur, aut quod nō intoxicabitur maleficio: quemadmodū qui gladio aut fuſte latronem abigit, vt aggredi & occidere non valeat vel non audeat, non dicitur expectare vitæ incolumitatem à latrone, ſed potiùs à ſuis armis, & viribus: ſic itaque iſte dicendus eſt ab ipſis rebus ſacris, earumque vſu expectare libertatem à dæmonis infeſtatione, & maleficijs; non ab ipſo dæmone.

136 Atque iſto ferè modo videntur alij, & rectiùs explicare, quomodo & vnde in propoſito expectetur effectus, ceſſatio ſcilicet nocumenti, quando ſigna magica tolluntur aut deſtruuntur: nimirùm quod expectetur ab illa actione amotionis quam viribus ſuis quis facit, non quidem per illam quaſi per ſublationem veræ cauſæ quæ malum inferebat (quia ſicuti ſigna poſita non erant cauſa operans malum, ita nec ſublatio eorumdem eſt causâ ceſſationis ab operatione) neque etiam tanquam per poſitionem alicuius conditionis, quâ rogetur aut excitetur dæmon, ſiue in vim pacti præcedentis, ſiue per nouam interpellationem expreſſam vel tacitā, vt à malo inferendo deſiſtat: Hæc enim omnium iudicio, planè ſunt illicita: ſed ſolùm ab ea actione expectatur effectus tanquam à remotione occaſionis ſiue quaſi cauſæ ſine quâ non, quatenus ſcilicet ſigna quæ tolluntur ſunt veluti illecebræ quibus dæmon prouocatur ad nocendum, ſiue ex pacto cum ſagis, ſiue ex ſua maligna voluntate, quâ magis gaudet temporaliter & corporaliter affligere & nocere, quando hominis malitia & culpa ſimul concurrunt, ita ferè Suarez ſuprà cap. 17. n. 14. & 15. & Mald. loco citato: non itaque ab ipſo dæmone expectatur effectus, ſed iuxta illos ab hominis actione remouente occaſionem illationis mali; quâ ſublatâ conſtat per experientiam ordinariè malum ceſſare: quemadmodum ſi quis merces & pecunias abijciat, vt tutus à latronibus per viam incedat, iuxta illud: Cantabit vacuus coram latrone viator, non dicetur ille expectare effectum liberi tranſitus ab ipſis latronibus, ſed à ſua denudatione & abiectione mercium & pecuniarum, quatenus ſic tollit illecebras quibus latrones ſolent excitari ad latrocinia exercenda.

Quare ad formam argumenti reſpondetur negando antecedens tam quo ad partem illam quod effectus ceſſationis à dæmone expectetur, quàm quo ad alteram: & quidē multo magis, quòd ſcilicet expectetur ex pacto aliquo cum dæmone.

Quid vero allegati Doctores & alij plerique iudicent reſpondendum ad ea quæ pro antecedentis probatione ſunt allata, ſatis ex iam dictis poteſt colligi & intelligi.

Cæterùm hac in re probatur mihi maximè doctrina quam indicat à Victoria Relectione de magia, non longè à fine; ſcilicet quòd quemadmodum dæmon diuinâ virtute ordinariè cohibetur, vt pro ſua voluntate & libidine nō poſſit hominibus, ſiue in corpore, ſiue in bonis fortunæ nocere, prout ſatis conſtat ex hiſtoria Sancti Iob, attamen multa ei in homines permittantur & quidem quaſi ordinariâ lege quando hominum malitia qui ſe illi deuouerunt, cooperatur, quòd ſic quoque ceſſante hâc cooperatione, rurſus à Deo prohibeatur aut coërceatur, vt vlterius mala & nocumenta inferre non poſſit. 137

Hinc quamuis naturales dæmonis vires ſpectando, poſſit multo plura & maiora mala hominibus inferre, quàm per magos aut ſagas inferre ſoleat, nihilominùs tamen, ſi attendatur diuina permiſſio à qua totaliter eſt dependens, dicendum erit, quod ordinariè plura poſſit per maleficos, quàm per ſe ſolum, vt communiter quoque Doctores tradunt: mirum eſt (inquit à Victoria loco citato) & myſterium, quòd cum dæmones per ſe nocere non permittantur, tamen non à Deo impediuntur nocere per homines, vt per magos, laruas, &c.

Quod tamen non ita mirum videri debet, ſi res benè perpendatur: nam graue nimis foret humanæ conditioni, quod dæmon naturaliter potentiſſimus, & ex odio contra humanum genus auidiſſimus ad nocendum, ſineretur pro libidine ſua infeſtare & diuexare hominem: æquior autem eſt pugna, & nō ita impar certamen, ſi permittatur ſolùm nocere, in quantum inducere poteſt hominē vt homini noceat, ſeu nocumento diaboli quantum in ſe eſt, cooperetur, quemadmodum D. Leo ſerm. 1. De natiuitate Domini, de Conflictu Chriſti Domini cum Diabolo ſcribit. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens Dominus cum ſæuiſſimo hoſte non in ſua Maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate.

Huic autem fundamento inſiſtendo reſpondere licebit ad probationem antecedentis, quòd qui maleficij ſigna tollit, aut deſtruit, expectet effectum & ceſſationem mali ab ipſo Deo, non per miraculum propriè; ſed quaſi per ordinarium eius agendi modum, qui ordinariè non permittit dæmonem inferre eiuſmodi nocumenta hominibus, niſi 138

malitiâ

Digitized by Google

malitiâ humanâ ſuo modo concurrente & cooperante: quod adeò verum eſſe videtur, vt aliquando ex viro docto qui ſæpius examini ſagarum interfuit, audierim, quòd vna confeſſa fuerit, non ſufficere ad nocendum quòd hominem tangant, aut ſigna ponant, niſi id faciant animo & intentione nocendi: quodque aliquando iuſſu dæmonis tetigiſſet vnum quem ille volebat infici, ſed quia ex quadam commiſeratione, non haberet voluntatem inficiendi, quòd non fuerit ſecutum maleficium aut nocumentum: quare & pœnas à dæmone luebat.

Dico, quòd ceſſante cooperatione hu-
149 manæ malitiæ, ſiue ſignis ſublatis ordiuariè Deus non ſinat vlterius nocere, quia ſuam permiſſionem nō abſolutè adſtrinxit ſignis, ſed ſicuti aliquando dæmones poteſtatem coërcet etiam poſitis ſignis; quando hoc ita illi placuerit, ſic & aliquando nocere forſitã permittit ſi ita illi placuerit, etiã ſignis ſublatis: quia tamen ordinariè Deus non permittit, hinc dum ſigna remouemus aut deſtruimus, merito poſſumus effectum ceſſationis malorum à Deo expectare.

Quæret hic aliquis primò, quid ſi dæmon feciſſet huiuſmodi pactum cum ſaga, quod talibus ſignis poſitis inferet nocumenta, & quod illis ſublatis inferre ceſſabit, vtrùm ſi alicui de tali pacto conſtaret, poſſet tollere ſigna, vt malum ceſſet?

140 Reſpondetur, non poſſe cum hac intentione quaſi vellet vti pacto iſto, & in vim illius cõſtringere aut permouere dæmonem ad ceſſandum: hoc enim eſſet vti eius ope & commercio per modum quaſi familiaris & humanæ conuerſationis, quod omnino illicitum eſt: nihilominùs tamen ſimpliciter loquendo, talem poſſe tollere aut deſtruere ſigna, non reſpiciendo, ſed deſpiciendo pactum dæmonis, quo non poteſt mihi præiudicare quominùs licitè faciam, quod aliàs mihi licitum eſt: Ita docet Suarez lib. 2. De ſuperſtit. cap. 17. n. 15. & 17. ita tamen vt ceſſationem mali non expectem ex gratia aut voluntate dæmonis ratione illius pacti; ſed ſimpliciter ex deſtructione operis illius, ſiue ab ipſo Deo, qui deſtructo opere humanæ malitiæ, non ſoleat vlterius permittere quod dæmon noceat ſicuti iam diximus & explicuimus. Confirmatur, quia & ipſe maleficus, ſi fieret pœnitens, poſſet, imò & teneretur ſigna tollere aut deſtruere, ſed non eo fine vt dæmon ex pacto ſuo ceſſaret, ſed vt à dæmonis ſocietate, & ope recedat, iiſque ſe renuntiare declaret, & ſimul vt nocumentum deſinat, ſiue ideo, quia ſignis ſublatis, & ſocietate ac pacto cum ipſo reſciſſis, dæmon ſoleat à nocendo ſuperſedere, ſiue potius, quia vlterius nocere non permittitur.

141 Quæret aliquis ſecundò? quid ſi dæmon cum ſaga fecerit tale pactum, quod noxam inferet quam diu maleficiatus certã aliquam actionem non exercuerit? v. g. quam diu ſe non ſignauerit ſigno Crucis, aut non geſtauerit reliquias talis Sancti, vel quam diu ipſam ſagam non percuſſerit, vel ſe non lauerit, aut quid ſimile, vtrùm ſi hoc innotuerit, licebit maleficiato facere illud, vt maleficium ceſſet?

Reſpondeo Primò, ſi illud quod dæmon ſic in pactum deducit, vt illo præſtito ceſſet à malis inferendis ſit tale, quòd ex ratione ſua vel ex Dei aut Eccleſiæ inſtituto valet ad maleficia impedienda, aut ad effectus tollendos, licebit illud adhibere eo fine, vt malum ceſſet, ſic tamen vt nullo modo hic effectus expectetur ex promiſſo aut pacto dæmonis, ſed ex virtute talis rei aut actionis ſanctæ, & à Deo: vt v. g. In primo caſu poſito, ſignare ſe licebit ſigno Crucis, ad peculiarem profeſſionem & inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis cum precatione & piâ fiduciâ, quod dæmonis malitia à Deo cohibebitur virtute huius ſigni Crucis, ac profeſſionis & inuocationis Sanctæ Trinitatis: ſimiliter geſtare licebit reliquias huius aut illius Sancti, cum ſpe & intentione impetrandi, quod Sanctus hic peculiariter intercedet apud Deum pro noſtra liberatione: quia dæmon ſua pactione non poteſt nobis tollere ſancta remedia, neque præiudicare quominùs liceat eis vti contra eius inſidias & nequitias: Vide Suarez loco cit. n. 16.

Addo vlteriùs, quod ſimiliter ſi in pactum
deduxerit rem vel actionem ex ſe indiffe- 142
rentem, quam aliquando ſoleo ad bonum finem vel vſum exercere, non obligabor occaſione pacti illius quod dæmon fecit, abſtinere ab exercitio illius actionis ad eum finem aut vſum ad quẽ ſoleo eiuſmodi actionem exercere, vt ſi pactus ſit quod nocebit quamdiu maleficiatus ſe non lauerit ter vno die, & hic ſoleat ſe ter lauare aut ſæpius propter munditiam aut refrigerium, poterit ad eundem finem, ad quem ſolet, ſe ter lauare, nō reſpiciendo, neq; curando pactum dæmonis. Sumitur etiam ex Suarez, ſuprà.

Difficultas autem principaliter mouetur, an quis poſſet facere aliquã eiuſmodi actionem quæ neque naturaliter, neque ſupernaturaliter vim habet impediẽdi aut deſtruendi maleficij, nec ad alium vſum humanũ ſolet adhiberi, eo fine vt maleficiũ vel nocumentum ceſſet?

Vbi hoc iterum pro indubitato ab omni-
bus habetur, non licere hoc facere ea ſpe & 143
intentione vt dæmon ex vi pacti ſui ceſſet, dum ſcilicet adhibetur illud, quo adhibito pactus eſt quod ceſſabit: idque ex ante dictis ſufficienter conſtat, quia hoc manifeſtè eſſet vellet vti ſocietate & quaſi ope dæmonis, eiuſque pacto.

Aliâ

Aliâ tamen intentione exiſtimant nonnulli hoc licitè poſſe fieri ad finem tollendi maleficij, ſiue vt maleficium ceſſet, puta ſi quis illam actionem tantùm faciat tanquam tollendo ſignum ad quod dæmon nocet, & ſic conſequenter, vt maleficiũ ceſſet, non ex vi pacti quod dæmon fecit, ſed quaſi ex vi remotionis aut deſtructionis ſignorum magicorum, quam deſtructioné fieri volunt eiuſmodi actione. Hanc ſententiam approbare videtur Suarez ſup. n. 16. & pro ea citat Syl. V. Maleficium, q. 9. & Leſſ. lib. 2. De iuſt. c. 44. dub. 5. quos ſequitur Mald. ſup. tract. 10. c. 8. dub. 12. ſed nõ ſatis clarè explicant, quodnam ſignum magicũ tollatur per eiuſmodi actionem, niſi quod innuant, ſic tolli aut finiri pactum quo dæmon ſpoponderat nocere, donec tale quid fieret, ſiue tam diu quam diu non fieret aliquid tale.

144 Verùm, in primis pactum illud videtur ſatis abuſiuè numerari inter ſigna magica ad quorum poſitionem dæmon nocet: quare & per eiuſmodi actionem licet pactũ finiri dicatur, non tamen rectè videtur dici, ſigna magiç tolli. Deindè ſic terminare aut tollere pactũ, non videtur tã eſſe diſſoluere aut deſtruere pactũ, quàm adimplere, & dæmonis volũtati ſatiſfacere, quia actio talis nullã habet vim deſtruendi ſignum illud, niſi ex voluntate dæmonis: ſecus eſt de actionibus quibus, v. g. ligaturæ crinium tolluntur & exuruntur, vel alia ſimilia ſigna deſtruuntur, adeò vt non videatur ſatis apprehenſibile, quomodo iſta actio ex ſe indifferens & nullam vim habens, poſſit animo impediendi maleficium exerceri abſque aliqua communicatione cũ dæmone, aut eius pacto. Vndè contraria opinio tanquam longè tutior & fundatior magis videtur probanda: quam defendũt Sanchez De matrim. diſp. 95. n. 3. & Raphaël de la Torre hac parte qu. 95. art. 5. diſp. 3. vbi multis argumentis alteram impugnat.

DVBIVM XXII.

Vtrùm quis licitè petere poſſit à malefico, vt malum illatum curet, aut tollat?

145 RESPONDEO & DICO Primò: Nullo modo licet à malefico petere, vt malũ curet per aliud maleficium, quando ad hoc faciendum non erat paratus. Eſt concluſio certiſſima: & tenetur ab omnibus. Ratio autem eſt manifeſta: quia maleficus nunquam poteſt abſque peccato exercere maleficium, non ſolum quando vtitur illo ad malum inferendum, ſed neque etiã ad malum curandum aut tollendũ: quamuis & ipſe hoc procuraſſet per maleficium, neque aliter curare poſſet, vt ſæpius contingit: quia vti maleficio & ſocietate dæmonis, omninò intrinſecè malum eſt; ergo nunquam à malefico licet petere, vt per maleficium ſanet aut malum tollat, quando ex ſe ad hoc paratus non erat, quia eſt inducere ipſum ad peccandum.

Dico, ſimiliter neque licebit hoc ab illo petere, quantumuis ex ſe paratus ſit per maleficium curare. Eſt hoc contra Angelum V. Superſtitio, n. 13. vt refert Suarez ſuprà cap. 18. qui ab omnibus paſſim in eo reijcitur: Et concluſio tenetur communiter à Scholaſt. in 4. diſt. 34. & ab ijs quos dubio præcedenti citauimus ad concluſionem ſecundam, & alijs multis, vt Bonacina ad 1. Præceptum, puncto 5. nu. 5. Clau. Regia lib. 4. cap. 7. n. 27. Tolet. lib. 4. cap. 16. Henriquez lib 12. cap. 8. §. 3. Fundamentum principale Angeli eſt, quod liceat ad bonum finem vti malitiâ hominis ad eam parati, quemadmodum licet petere mutuum ab vſurario qui paratus eſt ad vſuras dare: & petere iuramentum ab infideli qui per falſos Deos eſt iuraturus. Deinde, quia non petitur aliquid poſitiuum, ſed tantum deſtructio maleficij, quæ videtur bona; ergò &c. 146

Sed meritò hanc opinionem dicit Suarez ſpeculatiuè omnino eſſe falſam; & præcticè improbabilem, & tam repugnantem dogmatibus fidei, vt erronea iudicetur. Neque fundamenta eius vllo modo ſubſiſtunt: nec enim licet ad bonum finem vti malitiâ hominis ad eam parati quouis modo, ſed eatenus tantùm, quatenus id fieri poteſt, vt vtendo, non cenſeatur quis illi cooperari, aut conſentire.

Vnde rectè aduertit Caiet. hic quæſt. 78. art. 4. tunc licere ab aliquo petere quidpiam, quod ſine peccato facturus non eſt, quando id quod petitur per ſe licitum eſt, & ab altero ſine peccato præſtari poteſt, & ipſe quoque petens iuſtam habeat rationem petendi: tunc enim per accidens eſt, & præter intentionem petentis, quod alter peccaturus ſit, dum facit quod petitur: quia ex ſua malitia addit operi peccatum: at verò quando opus per ſe illicitum eſt, quodque ab altero benè fieri non poteſt, tunc nunquam licitè ab illo poſtulatur, vt faciat, quantumcũmque ſit paratus; quia petendo opus, ſimul petitur interpretatiuè malitia quæ ab opere eſt inſeparabilis: imò petendo cenſetur auctor operis vel cooperator, ſicuti rogans aut conſulens moraliter eſt cauſa operis, & per conſequens etiam cauſa malitiæ. 147

Dicet aliquis: quando alter eſt paratus, nõ videtur iam petitione mea induci ad opus, quia per ſe eſt ſatis inductus; ergò qui ab homine ſic diſpoſito petit opus aliquod peccaminoſum, non debet dici cauſa operis, aut peccati,

peccati, neque in illa petitione delinquere, ſed vti malitiâ alterius ad quam permiſſiuè ſe habet.

148 Reſpondet Suarez ſup. cap. 18. falſam & pernicioſam eſſe eiuſmodi doctrinam; aliàs liceret ordinariè, inquit, & regulariter à ſagis petere maleficia, quia ſolent eſſe paratiſſimæ ad illa facienda, nec ille qui peteret, eſſet particeps delicti talis maleficij aut ſuperſtitionis.

Ad formam itaq; argumenti reſpondetur negando aſſumptũ; nam qui petit ab altero vt det, vel faciat, eſt moralis cauſa talis operis, etiamſi alter paratiſſimus ſit ſecundum habitualem diſpoſitionem ad dandũ aut faciendum, quando tamen aliàs daturus aut facturus nõ erat. Deinde vt ponamus quod non eſſet cauſa dationis actualis, vel ipſius operis, vt contingere poteſt, ſi iam alter accinctus ſit operi ante petitionem, tamen non ideo petitio illa cenſenda eſt licita & immunis à reatu operis mali quod petitur; quia etiam ſic petendo conſentit malo operi, & malè operanti, & ſic efficitur reus & dignus morte iuxta doctrinam Apoſtoli ad Rom. 1.

Atque ita in tali caſu ad formã argumenti reſpondebitur negando conſequentiã; quia licet dicatur tunc non inducere, tamen conuincitur cõſentire, atq; ideo in tali petitione peccabit. Vbi tamen hæc naſcetur differẽtia, quod ſi tantum cenſeatur conſentiens & nõ cauſa, quod tum non reddatur obnoxius reſtitutioni ſi per opus forſitan alicui ſit illatum damnum, quamuis ſit reus malitiæ.

149 Quod attinet ad exempla allegata, de illo qui licitè petit mutuum ab vſurario quamuis nõ ſit daturus ſine peccato, & de illo qui petit iuramentum ab infideli qui iuraturus eſt per falſos Deos, ſatis ex nunc & alijs ſuprà dictis intelligitur diuerſitatis ratio, illaque nihil proinde conuincere: nam quod in illis petitur, poteſt ſimpliciter ſine peccato ab illo à quo petitur, præſtari; poteſt enim vſurarius dare mutuum ex charitate, & non ad vſuram, atque ita non peccabit; ſed præſtabit opus miſericordiæ & meritorium: ſi aliter faciat, hoc ex ipſius prouenit malitia, & præter intentionem pẽtentis. Similiter poteſt infidelis præſtare iuramentum abſque peccato, ſi iuret per Deum verum: ſed non poteſt præſtare magus quod petitur abſque peccato, quia ſupponitur quod tollere aut curare non poſſit abſque alio maleficio. Vnde qui petit vt curet per maleficium, quamuis eſſet alter animo paratus, tamen eſt cauſa exercitij operis peccaminoſi, & in opus malum conſentit, atque ita conſtat de notoria diuerſitate.

150 Ad alterum argumentum reſpondetur, quãdo maleficium maleficio tollendum eſt, tunc omninò crimẽ aliquod poſitiuum poſtulari contrarium præcepto Dei, quo prohibemur maleficia exercere, ſiue illa in commoda, ſiue incommoda noſtra vel aliorum cedant.

Quare licet deſtructio prioris maleficij de ſe mala non ſit, tamen illam tali medio procurare, intrinſecè malum eſt: vnde & malum eſt petere, vt tali medio procuretur. Accedit, quòd hoc petere à mago, ſit illud ipſum petere à dæmone: quod ſimiliter malum eſt; nam rogare dæmonem vt aliquid non faciat, ſiue vt ab agendo ceſſet, non minus eſt quidam cultus eius, & quædam ſubiectio ad ipſum, vt notat Suarez ſuprà, quã rogare vt aliquid faciat: petere autem à dæmone quodlibet bonum vel remedium alicuius mali eſt intrinſecè malum; ergò ſimiliter petere ab illo vt à maleficio ceſſet. Vide Dom. Soto in 4. diſt. 34. art. 3. Delrio librò 6. cap. 2. ſect. 1. qu. 2. & Suarez ſuprà.

Dico Tertiò: Non licet quoque magum 151
cogere ad tollendum aut deſtruendum maleficium per aliud nouum maleficium. Ita Doctores iam citati; & probatur, quia non licet aliquid petere à mago etiam quando paratus eſt, quod ſine peccato non poteſt præſtare, quia hoc eſſet inducere illũ in peccatum, aut ſaltem eius peccato conſentire; ergò multò minùs licebit inuitum cogere ad illud præſtandum, quia hoc eſſet illum in peccatum impellere.

Dicet aliquis: non licet à dæmone petere nec illum rogare, vt maleficium tollat aut malum inferre ceſſet; & tamen licitum eſt, illum ad ea cogere ſi quis poſſit; ergo ſimiliter & magum compellere licebit ad illud, quamuis ab eo peti non poſſit.

Reſpondetur in primis ad antecedens, 152
quòd non liceat quoque dæmonem cogere in vim pacti ſui, aut in vim pacti cũ dæmone ſuperiori initi, quia hoc eſt vti ſocietate & operâ dæmonum: poteſtati autem humanæ, vt tali per ſe non ſubiacet, vt ab illa compelli queat: cui ſi ſubiaceret, non video quare licitum non foret coactiuè compellere ad malum tollendum.

Cæterùm poſſunt adhiberi exorciſmi, & alia ſpiritualia remedia ad illum compellendum, quia in hac forma coactionis quæ nullatenus ab eius voluntate pendet, non intercedit pactum aut ſocietas; ſed quaſi herile imperium exercetur ex diuina virtute, quod neque noſtram ad illum ſubiectionem importat aut deſignat, neque cultum ei defert, ſed cum illo vt mancipio agitur, quod imperio reſiſtere non valet.

Explicato itaque ſic antecedente Reſpondetur Neg. Conſeq. & ratio propriè eſt, quia dum compellitur dæmõ diuina virtute, prout diximus & admittimus licitum eſſe, tum in eo, neque ineſt per ſe peccatum, neq; inducitur, aut protruditur aliquis in peccatum per iſtam coactionem: quia non peccat dæmon

Digitized by Google

dæmon in eo, quod maleficium tollat, aut malum inferre ceſſet: ſed quando compellitur magus, vt maleficium curet per maleficium, iam ipſe in peccatũ protruditur, quia grauiter peccat quando vtitur nouo maleficio, quamuis pœnarum metu id faciat: nõ licet autem quemquã in peccatum impellere.

153 Dico Quartò: Quando itaque conſtaret maleficum non poſſe tollere maleficiũ, niſi aliud adhibendo, non licebit vel illũ cogere, vel petere ab illo, vt tollat vel malum ceſſare curet; ne quidem ſic in communi, quamuis non in particulari petatur vt per maleficium curet, & opus magicum exerceat. Conſtat ſufficienter ex dictis, & tenetur à Doctoribus antè allegatis.

Dico Quintò: Quando autem conſtaret maleficum poſſe diſſoluere maleficium, & malum curare abſque nouo opere magico, poterit ab eo peti vt modo licito & abſq; vſu cuiuſcumque pacti cum dæmone malum curet, aut diſſoluat maleficium, & ſic malum ceſſare faciat. Ita quoque docent paſſim Authores antè citati. Et patet, quia illa petitio neque inducit maleficum in aliquod peccatum, quin potius eò tendit vt à peccato deſiſtat, ſcilicet vt à damno iniquè inferendo ceſſet, neque etiam cõtinet aut inuoluit aliquod pactum, vel communicationem cum dæmone, vt conſtat ex dictis Dubio præcedenti de licita deſtructione ſignorum magicorum; ergò &c.

DVBIVM XXIII.

Vtrùm ſi magus ſciret & poſſet modo licito & modo illicito diſſoluere maleficium, an ab eo licebit abſolutè petere, vt maleficium tollat, & malum ceſſare faciat?

154 Pro reſolutione huius quęſtionis, notandum eſt, quod petiturus tale quid à mago, poſſit tripliciter de eo opinari:

Primò quidem, quod probabiliter credat, illum non vſurum malâ arte, quando aliter poteſt.

Secundò, poteſt ſic de illo opinari, quod timeat, aut dubitet ne vtatur magus illicito & ſuperſtitioſo modo, quamuis illum poſſet curare, aut malum tollere modo licito.

Tertiò, poteſt petiturus eſſe certus, aut probabiliter exiſtimare & ſibi perſuadere, ſi à tali mago petat mali ſublationẽ, aut ſignorum & maleficij deſtructionẽ, quòd id faciet per artem illicitam, quã per modum licitum ſibi alioquin poſſibilem. His præmiſſis

Respondeo & Dico Primò: Quando petiturus ſublationem mali à mago, ex iuſtis rationibus opinatur de illo benè, iuxta primum modum explicatum, tunc licitũ videtur petere ſimpliciter à tali, vt malum curet tollendo maleficium. Ita Suarez lib. 2. c. 18. & alij DD. mox citandi. Probatur, quia petitio tendit ad licitum finem, & ex ſe indifferens eſt non inclinans in malum: ex parte autem perſonæ ad quã dirigitur, non eſt morale periculũ ſcandali ipſius, aut inductionis in peccatũ, quãdo bona illa ex iuſtis rationibus de illa perſona habetur opinio. Cauẽdũ tamẽ erit ſcandalum proximi, qui forſitan ignorat magum ſine maleficio poſſe tollere malum.

Dico Secundò: Etiamſi petiturus ſublationem mali opinetur iuxta ſecundum modum explicatum de mago, tamen etiam tunc 155
iuxta Suarez c. 18. cit. n. 9. licitũ erit ab illo petere ſimpliciter maleficij deſtructionem, & curationem mali. Quod etiam alij quidã DD. infrà citandi ad ſequentẽ aſſertionem facilè admittent. Probat ipſe, quia petitio ex ſe indifferens eſt, & poteſt ab eo à quo petitur, honeſto modo impleri, vt ſupponetur: in dubio autem poteſt magis præſumi bonũ de proximo, quàm malum. Hinc ergò qui ſic petit, neque cenſendus eſt velle peccatũ alterius, aut illum in peccatũ inducere: quia iuſtam petendi habeat rationem, cui alter poteſt licito modo ſatisfacere: neque etiam aliquam admittere ſocietatem cum dæmone quaſi eius ope curari aut à malo liberari velit: quia cum tali petitione in iſto caſu ſtare poteſt, quòd petens ita ſit affectus, vt nullo modo à mago id peteret, ſi exiſtimaret, quod per nouum maleficiũ, & dæmonis inuocationem eſſet à malo liberandus: & ob poſteriorem hanc rationem non videtur iſta opinio omninò improbabilis.

Secùs autem ſe res habet iuxta Suarez ibidem, Sanchez lib. 2. c. 41. n. 7. Bonac. loco cit. ſup. n. 8. quando eſſet dubium de poteſtate magi, vtrùm ſciret & poſſet ſine nouo maleficio ſanare aut malum impedire: quia dum dubito an ille valeat ſoluere ſine maleficio, tunc dubito an iſta per eum diſſolutio poſſit licitè fieri: id autem de quo dubito an licitè fieri poſſit, neque petendum, neque agendum eſt ſtante dubio: quare non poterit quis tunc petere niſi in forma determinata, vt modo licito diſſoluat, ſi poſſit, declarando ſe non aliter petere.

Dico Tertiò: Quando petiturus eſt diſpoſitus iuxta tertium modum, vt certò aut 156
probabiliter credat & ſibi perſuadeat, magũ vſurum malâ arte, quamuis licito modo malum tollere poſſit, tum ſatis de hoc caſu controuertitur, vtrùm qui ſic opinatur & hoc ſibi perſuadet, poſſit ab illo mago petere curationẽ mali, ſiue maleficij ſublationem.

Non deſunt qui tenent tunc quoque licitum eſſe, petere non tantum determinatâ formâ, vt ſcil. curet modo licito, quo nouit

illum poſſe, ſed etiam ſimpliciter & in communi petendo, vt curet, vel auferat ſiue deſtruat maleficium. Ita Pet. Ledeſma in Supplim. q. 58. a. 2. dub. 2. concluſ. 3. Sanchez lib. 7. De matrimonio, diſp. 65. n. 11. quos ſequitur Suarez ſuprà cap. 18. n. 10.

Fundamentum horum eſt, quia etiã petit quis tunc rem quam alteri licitè poteſt præſtare, vt ſupponitur, & ius habet petendi illã, quia magus iniquè me affligit aut damnum infert: non igitur induco ad peccatum, neq; do cauſam moralem peccati: ſed vtor iure meo, & per accidens, & præter intentionem meam eſt, quod alter peccet vtendo arte magicâ, cuius vſum ego tantum permitto, non autem eius ſum cauſa: ſicuti dum peto iuramentum ab infideli non ſum cauſa, quòd per falſos Deos iuret, ſed permiſſiuè tantùm ad id me habeo.

157 Addit autem Suarez infrà n. 11. Cauendũ eſſe, ne petens adhibeat aliquam cooperationem ad maleficium, ſi magus forſitan vellet curare per maleficium, quod abſque cooperatione petentis aut maleficiati, applicari nõ poſſet, eò quod talis cooperatio ſit determinatè ad actum malum, & proinde nunquam ſit licita. Vnde Leſſ. lib. 2. c. 45. dub. 6. in fine docet, Quod ſi quis ſit præſens, & videat magum ſigna ſuperſtitioſa quę adhibenda ſunt, parare, quod non poſſit tũ permittere; quia, inquit, permittere vt circa te vel rem tuam, te præſente, magica medicatio fiat, eſt in illã conſentire, quia ſine tuo conſenſu nemo tibi vel tuis rebus in tuo conſpectu modicamina adhibere poteſt: Imò, inquit, eſt moraliter illis vti, & applicare: quod etiam monet Sanchez ſuprà, vbi & alias diligentias ac cautelas ſuggerit in illo caſu adhibendas.

158 Nihilominùs opinio iſta multis diſplicet, tanquã indulgentior circa vſum operæ maleficorum; quibus neque etiam illa doctrina Suarez placet, quam paulò antè retulimus n. 155. quòd indeterminatè ſcilicet petere liceat à mago, vt malum curet ſiue maleficiũ tollat, quando quis timet aut dubitat quod modo illicito id facturus ſit, tametſi licito modo curare poſſit, volunt enim hi quòd eo caſu debeat determinatè petere, vt modo licito faciat ac ſignificet ſe aliter non petere.

Idque non ſine fundamento dicunt, quia alias in primis procliuè hîc eſt ſcandalũ magi, ſiue eius inductio ad malũ: quando enim audit peti à ſe auxilium ſiue mali ſublationẽ abſque reſtrictione ſiue modificatione, facilè apprehendet à ſe peti tanquam mago, vt per artem ſuam id faciat: quemadmodũ quando à Medico petitur, cenſetur peti vt per ſuam ordinariam profeſſionem, vel artem curet. Deinde quamuis ſi homo ille non eſſet magus, rectè pręſumeretur potiùs de illo bonũ, quàm malum, tamen quia magus eſſe ſcitur, cuius generis homines æquè libenter ac frequenter, imò libentiùs & frequentiùs operantur magicè, quam licito modo, vt diabolo cui ſe ſubiecerunt, ſatisfaciant, hinc non eſt potiùs præſumendum bonum, vt protendit Suarez, & alij, quàm malum de tali.

Quare peccas (inquit Mald. ſup. cap. 8. du. 12.) tali periculo eum obijciens. Accedit, quod non videatur ſatis cauere diuino honori qui eiuſmodi determinationẽ relinquit voluntati hominis diabolici, ac dæmonis mancipij, imò indicare non ſine religionis neglectu, ſibi indifferens eſſe, vtro modo fiat licito an illicito, ſi tantummodo ipſe aſſequatur effectum petitionis ſuę. Vnde Delrio lib. 6. c. 2. ſect. 1. q. 2. circa finem, vult illum qui dubitat, quomodo maleficus ſit curaturus, debere ab eo inquirere, & examinare quibus medijs ſit vſuris, antequam curationem admittat.

Sentiunt itaque hi & alij abſolutè nõ eſſe licitum petere à mago vt malũ tollat, de quo 159 ſcis aut probabiliter præſumis, quod per maleficium curabit, vel diſſoluet prius maleficium, quamuis ſcias quod aliter modo licito diſſoluere poſſit. Item Caiet. opuſc. 12. De malef. to. 2. Binsfeld. in titulo C. De malefic. q. 5. concluſ. 3. Delrio ſup. qui dicit ſe putare certum, quod tunc nõn liceat, & Mald. ſup. dub. 13. & indicat Syl. V. Maleficium, q. 8. vbi dicit quod nõ liceat vti maleficio parato maleficium ſoluere per maleficiũ, & ita alij qui ſimili loquendi modo vtuntur, quando dicunt non ſolum quod nõ liceat inducere, ſed nec vti maleficio parato ſoluere per maleficium. Et hæc ſententia videtur verior, ac omnino in praxi ſequenda.

Fundamentum tamen principale non eſt in eo conſtituendum, vt plures conſtituere videntur, quod qui in tali caſu peteret, foret aut cenſeri deberet moralis cauſa peccati proximi ſiue ipſius magi à quo petit, quando ſcit aut præſumit, non abſq; nouo maleficio ſublaturum aut diſſoluturum maleficium prius quãuis aliter poſſit: hoc enim non omnino verum eſſe, ſatis oſtendunt DD. contrariæ opinionis, & exempla de licita petitione iuramenti ab infideli dum iuſtã habeo rationem, & licitã petitione mutui ab vſurario, quamuis ſciam quod ſine peccato id non ſint facturi, ſufficienter videntur probare.

Sed neq; ratio Caietani videtur omnino conuincere, quod ſcilicet oporteat particulare opus petere, & nõ vagè, relinquendo in arbitrio praui hominis petitionem propriã: nam vt rectè opponit Suarez ſatis videtur eſſe, quod quis petat determinatum effectũ bonum, & qui licitè poteſt ab alio præſtari, dum ſcilicet aliud nihil obſtat: neque enim oportet ſemper medium aut modum determinatum proponere, alioquin non poſſet in communi peti iuramentum ab infideli, neq; mutuum ab vſurario, ſed oporteret addere,

vt iuret

vt iuret per Deum verum, aut vt det mutuũ ex charitate ſine vſura.

160 Vnde ex alio capite cenſendum eſt illicitum eſſe, petere curationem aut ſublationem maleficij ab illo qui licitè quidẽ poteſt, ſed quem ſcis aut probabiliter tibi perſuades non facturum abſque maleficio, puta quia dum hoc ſcis aut tibi perſuades, & tamen nõ obſtante hâc tuâ perſuaſione petis ab illo, vt malum curet aut maleficium tollat, cenſeris id ipſum petere à dæmone, & in hoc conſentire, quod tibi dæmonis ope beneficium hoc ceſſationis ab inferendo malo impendatur, quod eſt intrare ſocietatem dæmonis, eſtque omnino illicitum iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 10. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum*: Dæmon namque omni ſuo beneficio erga nos ſiue poſitiuo ſiue priuatiuo affectat opinionem diuinitatis obtinere, & nos ad defectionem à Deo ſollicitat, atque adeo dum aliquod eius in nos officium aut beneficium admittimus, ſimul quandam noſtri ad ipſum ſubiectionem facimus aut recognoſcimus.

Hoc fundamentum ſumi poteſt ex Syluestro loco citato, vbi rationem hanc aſſignat, quare non liceat vti malefico parato ad maleficium ſoluendum per maleficiũ, quia hoc eſt contra legem naturalem requirentem reuerentiam & fidem ad Dominum ſuũ, quia ſuo Domino, inquit, nõ eſt fidelis qui ab eius inimico certante cum eo de ſtatu, petit aut accipit auxilium, etiã parato auxiliari, quia hoc pertinet ad habere amicitiam cum eo, cum naturale ſit amare benefactorem: diabolus autem eſt inimicus Dei, quærens ſibi vſurpare dominium mundi, & volens adorari vt Deus. Sic ille.

Et declaratur primò, quia petitio illa cum
161 eiuſmodi circumſtantijs indicat ſatis quòd à maleficio liberari quæras quouis modo, ſiue medio naturali, ſiue ſuperſtitioſo, & proinde etiam in hoc condeſcendas, vt per dæmonẽ tollatur malum tuum ad inuocationẽ magi, atque ita dæmoni te ſubmittis, cuius ope paratus es vti ſeu admittere ad tuã curationẽ.

Declaratur ſecundò, quia ſi dæmon ſeſe offerret abſque petitione tua, & abſq; opera magi, vt liberaret te à maleficio, non licebit illam oblationem acceptare, & tuo conſenſu admittere, vt ipſe ſanet aut liberet te; quia hoc eſt eius operâ vti, & ſic cum eo ſocietatẽ habere: ſimiliter neque licebit ſi ipſe magus abſque tua petitione ſe offerret ad tollendũ malum per maleficium, permittere tuo conſenſu vt tollat, non quia eſſes cauſa peccati eius; imò forſitan nec ideo quod conſentires neceſſariò tunc in eius peccatũ: nam cõſenſus ille in permiſſionẽ videtur poſſe eſſe abſque conſenſu in malam eius actionẽ: ſed quia conſentires admittere, & acceptare à dæmone iſtud beneficium liberationis aut ceſſationis ab iſto malo quod pateris, quod eſt cum illo intrare in quandam ſocietatem, & amicitiam, vt bene dicit Syluest.

Accedit quod Leſſius & Sanchez doceãt, non licitũ eſſe permittere, quod in tua præſentia magus curet per media ſuperſtitioſa, quæ tibi vel tuis rebus applicet: cur ergò licebit permittere, quòd in abſentia faciat, quando ſupponitur, quod ſcias aut tibi perſuadeas, quòd arte magicâ curabit. Certè nõ ſatis apparet quare vno caſu plus in aliquid mali conſentias, quàm in altero, quando ſic de mago ſentiens, vt in caſibus ponitur, petis vt malum curet ſiue tollat.

Quæritur, vtrùm quando poteſt magus ſine nouo maleficio tollere aut ſoluere maleficium, cogi poſſit minis aut verberibus ad ſic tollendum? 162

Reſpondetur, quod poſſit in primis ſic cogi minis, ac etiam pœnis grauioribus à legitima poteſtate, quando eſt de maleficio cõuictus, & poteſt ſine alio maleficio tollere, aut deſtruere. Eſt communis ſententia DD. Ratio eſt manifeſta, quia poteſt legitimus ſuperior compellere ſubditum, vt deſiſtat alteri inferre iniquum nocumentum, vel etiam vt cauſam aut occaſionem mali tollat, quando ſine peccato id poteſt, neque iuſtam habeat rationem non tollendi.

Addunt plerique Doctores, quod etiam priuatus qui in ſe, aut in ſuis patitur maleficium, poſſit minis ac etiam leuiori ac moderato verbere compellere magum aut ſagam ad tollendum vel deſtruendum maleficium quod poſuit. Ita Delrio ſuprà, & alij multi quos ibidem dicit pro hac ſententia ſtare: & indicat Suarez ſup. c. 18. n. 7. & 8. Fundamẽtum huius poteſt eſſe, quia cenſetur magus eſſe cõtinuus aggreſſor, & actu inferens malum: poteſt igitur alter per modum defenſionis agere contra magum, & remouere ab inuadendo & inferendo malum etiam per minas, & quædam verbera moderatiora: quia id non videtur eſſe aliud quàm à ſe repellere, aut conari repellere à ſe malum quod continuo infertur.

Non poteſt tamẽ vllo modo percutere per modum pœnæ aut vindictæ, quia hoc tantum ad legitimum Iudicem ſpectat.

Cæterùm nõ videtur praxis huius doctrinæ, multum inculcanda aut exponenda populo propter pericula grauiorum incommodorum; quia valdè natum eſt contingere, quòd tali occaſione inuadantur innocentes tanquam nocentes: priuati enim dolore perciti nõ ſufficientem ſolent adhibere diligentiam & debitam capere informationẽ de auctore mali: ſed ex leuibus coniecturis ac ſuſpicionibus temerè procedere. Deinde, quia frequenter periculũ eſt, ne indiſcretè & ſine moderatione percutiant vſque ad grauiorem læſionem, aut etiam internecionem, prout aliquando accidiſſe dicitur.

Digitized by Google

Quæritur ſecundò, quibus modis poſſit cognoſci, vtrùm quis malum aliquod in ſe patiens ſit maleficio intoxicatus?

163 Reſpondetur in primis, quando Medici iudicant non prouenire morbum ſeu malum à cauſa naturali, tunc præſumi poſſe quod per maleficium cauſetur. Deinde particularia ſigna ſolent huiuſmodi à DD. tradi, vt primo, ſi in corpus afflicti deprehendantur ingeſta talia, quæ naturaliter eò inferri, aut generari in eo non poſſint aut non ſolent, qualia in ſtomacho ſunt, crines, aciculæ, oſſa, ferramenta & ſimilia. Secundò, ſi morbus ſit notus, & ordinarijs & iuuare conſuetis remedijs non minuatur. Tertiò, ſi afflictus videatur habere puncturas in corde quaſi acu pungeretur, vel diſcurrentes puncturas ad diuerſas partes non ita inter ſe cohærentes, aut bolum in gutture nunc aſcendentem nunc deſcendentem. Quartò, ſi valde diu anguſtias magnas patiatur, & magnâ violentiâ torqueatur, & nihilominùs per interualla, viribus recreatis, quaſi in naturali ſtatu permaneat: tunc enim ſignum eſt quod malum ab externo agente inferatur, & non ſit morbus ab intrinſeca partium aut humorum prauâ conſtitutione. Quintò, ſi ſubitò obmuteſcat, ſeu mutus fiat, & iterum reſtituatur loquela, præſertim ſi id fiat ſæpius. Denique ſi dum nihil proſunt adhibita remedia naturalia, inueniantur prodeſſe exorciſmi, vel alia remedia ſupernaturalia, aut ſi adhibitis remedijs ſupernaturalibus inueniatur magis affligi: quâ tamē de cauſâ ab eis non erit abſtinendum ſed potius magis iterādа, vt tandem per ea poſſit malum pelli. Vide Malderum tract. 10. dub. 15.

DVBIVM XXIV.

Quidnam ſit irreligioſitas & quæ eius ſpecies?

RElìgioni tanquam virtuti morali duo 164 eſſe oppoſita vitia, diximus ſuprà: vnū eſt ſuperſtitio, de qua nunc egimus: alterum ſpecialiter nomine irreligioſitatis compellari ſolet: eſtq; hęc, vitium oppoſitum religioni per defectū, quemadmodum ſuperſtitio ei opponitur per exceſſum.

Indicat autem D. Tho. in Præfat. q. 97. huius vitij quatuor ſpecies quas qq. ſequentibus ordine explicat, videl. tentationē Dei, periuriū, ſacrilegiū, & ſimoniā: quibus nonnulli adiungunt blaſphemiam, licet D. Tho. ſuprà quæſt. 13. doceat hanc opponi confeſſioni fidei: ſed quomodo Religioni ſecundùm vnam conſiderationem, & confeſſioni fidei ſecundum alteram poſſit dici oppoſita, ibidem ſuprà q. 13. cit. explicuimus. De ſimonia quoque, & de periurio ante egimus. Hic itaque tantum ſupereſt, vt aliquid de tentatione Dei, & de ſacrilegio dicamus.

DVBIVM XXV.

Quid ſit tentatio Dei, & quale peccatum?

TEntare dupliciter in Scripturis ſumitur: vno modo vt idem ſit quod ad 165 malum prouocare & incitare, quomodo diabolus, & concupiſcentiæ dicuntur tentare hominem: ſic Iacobi cap. 1. dicitur, *Deus eſt intentator malorum, & neminem tentat.* Sed hæc ſignificatio non ſpectat propriè ad propoſitum, quia non tentat homo Deum, quaſi volens illum ad peccatum allicere aut inducere, cum peccati omnis ſit expers, nec peccare poſſit.

Alio itaque modo tentare dicitur, qui dicto aut facto ſtudet experimentum capere de alterius qualitatibus, vt de potentia, de ſcientia, de iuſtitia, de patientia, &c. vt quando promouendi alicuius ad gradum vel ad officia exploratur per examen ſcientia, aut per aliqua quæ illi exequenda cōmittuntur, eius induſtria, aut aliæ virtutes. Et ſic legitur Deus tentaſſe Abraham quando iuſſit vt immolaret filium: Tobiam, Iob, & alios Sanctos, quando immiſit exercitia patientiæ: id enim fieri ſolet non tantum, vt quis ipſe qui tentat, ſciat, ſed etiam, vt alijs conſtare faciat virtutes alterius.

Hoc autem modo tentare poteſt benè, & malè ſeu vitioſè fieri: benè fit quando Superior ex iuſtis rationibus ſumit experimentum de virtutibus & qualitatibus inferiorū: Si quis autem præſumat ſic tentare & velle experimentū ſumere de virtutibus alicuius maioris ſe, quod ad ipſum non ſpectat, peccabit contra obſeruantiam: & iuxta hanc ſignificationem ſumitur tentatio Dei, vt vitium eſt religioni oppoſitum.

DICO itaque Primò: Deum tentare 166 hic dicitur quiſpiam, quando abſque neceſſitate & iuſtâ cauſâ, dicit aut facit aliquid quo quaſi prouocat Deum ad dandum experimentum ſuæ potentiæ, aut iuſtitiæ, aut veritatis, aut miſericordiæ, vel alterius ſui diuini attributi, ſiue is id faciat in ſui gratiā, vt ſibi conſtet aut exhibeatur, ſiue in gratiam aliorum. Colligitur ex D. Thom. hic quæſt. 97. art. 1.

Poteſt autem dupliciter eiuſmodi tentatio fieri, vt ibidem D. Thom. docet.

Primò expreſsè, quando videlicet, directâ intentione aliquid fit cauſâ eiuſmodi experimenti faciendi, Vt ſi quis in aquam vel ignem ſe inijciat, vt experiatur an Deus poterit ac volet illum liberare. Vnde ad huiuſmodi tentationem Dei referri poſſunt purgationes, quas vocant vulgares, quæ fieri ſolent ferro caudente, aut aquâ feruente: quæ re-

quæ reprobantur Capitulo omnibus, & Capitulo Conſuluiſti cauſa 2. quæſt. 4. Item quæ duello fieri ſolet, & damnatur Capitulo Mononachiã ibidē, quando ſcil. aliqui quaſi de diuina iuſtitia pręſumentes aggrediuntur eiuſmodi actus ad defenſionē vel oſtenſionem innocentię ſuæ, vel aliorum. Poſſunt quoque huc reduci probationes ſagarum per iniectiones in aquas an ſupernatent, ſi hoc tanquam ſignum miraculoſum à Deo expectetur, & aliæ ſimiles; quandoquidem eiuſmodi oſtenſionis per Deum faciendæ nulla extet promiſſio.

Secundò, implicitè fit eiuſmodi tentatio, quando quis non quidem intendit expreſſè ſic Deum inducere aut prouocare ad experimentum dandum ſuæ virtutis, ſed tamen agit ea quæ planè eò tendunt; Vt ſi quis totis 40. diebus vellet ab omni cibo & potu abſtinere ad Chriſtum imitandum, aut ſi quis euidenti periculo ſe exponat à quo non poteſt liberari, niſi per extraordinariam Dei operationem.

167 Dixi, quando aliquid eiuſmodi fit abſque neceſſitate vel iuſtâ cauſâ; quia ſubexiſtente rationabili cauſa, vel neceſſitate tunc reuerenter poſtulare aliquam oſtenſionem diuinæ virtutis, non erit tentare Deum, neque vitium religioni oppoſitum, ſed potius ſpectabit ad cultum Dei, & erit actus religionis.

168 Dico Secundò: Tentatio Dei eſt peccatum, & quidem mortale ſi fiat ex craſſâ ignorantia, vel dubitatione de rebus quas homo ſcire, & indubitatè credere tenetur: ſimiliter quoque ſi coniunctum habeat euidens vitæ periculum aut grauis læſionis, vt ſi quis ex turri ſe præcipitet confidens & expectans quod Deus illum excipiet. Probatur, quia hoc prohibitum eſt Deut. cap. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis*, & conſtat ex reſponſione Chriſti Matth. 4. Quando diabolus illum inducere volebat, vt ſe præcipitem daret ex pinnaculo templi. Similiter quando eſt periculum grauis ſcandali, Vt ſi quis præſumptuosè offerat experimentum miraculoſum ad cōfirmationē fidei: ſecùs ſi fortè ex peculiari Dei inſtinctu ad id moueretur, quod tamē vix ſolet fieri, niſi in euangeliſantibus aliquando inter gentiles quibus Chriſtus nondum fuit annuntiatus. Sic quoq; mortaliter peccabit, ſi quis ex curioſitate, v. g. miraculũ à Deo petat, vt effectus mirabiles videat: hoc enim cedit in magnam Dei irreuerentiã; quia cum Deo agitur tanquam cum ioculatore, & qui hominum curioſitatibus deſeruiat.

169 Poterit autem aliquando eſſe peccatum veniale, vel ratione imperfectionis actus, vel ex occaſione ignorantiæ non craſſæ, aut leuitatis materię, vt tradit Toletus lib. 4. c. 19.

Quod verò attinet ad cauſã rationabilem ex qua liceat aliquando poſtulare à Deo, vel expectare oſtenſionem aliquam extraordinariam ſuæ potentiæ, vel miſericordiæ, aut alterius attributi.

In primis, pro tali habetur diuina inſpiratio, quâ ſubinde homo diuinitus ad tale quid petendum ſentit ſe moueri. Ita petijt Abraham à Domino ſignum, Geneſ. c. 15. Vnde cognoſceret, quod ſemen eius poſſideret terram promiſſionis. Similiter & Gedeon Iudicum cap. 6. E contra peccauit Achaz, qui monitus à Domino, vt peteret ſignum, & noluit petere, quia in hoc negabat Deo cultum quem ab ipſo requirebat, ſiue vt alij dicunt, quia inobediens fuit.

Secundò, erit neceſſitas cum ſpe vtilitatis: ſic qui inter Ethnicos verſantur & laborant, vt eos ad fidem Chriſti conuertant, nec videant ſpem adducendi illos per ſimplicem prædicationem, non irreligioſè agent, ſi ſuppliciter Deum orent, vt per miraculum aliquod dignetur veritatem prædicationis teſtatam facere. Sic quoque vbi negotia religionis in magnis periculis verſantur, nec affulget ſpes humánæ ſubuentionis, licebit etiam rogare, vt miraculosè Deus dignetur ſubuenire, & pericula auertere.

DVBIVM XXVI.

Quid ſacrilegium & quotuplex?

RESPONDEO & DICO Primò: Sacrilegium ſtrictè ſumptum, dicitur propriè violatio rei ſacræ. Dico ſtrictè ſumptum, quia à D. Auguſtino, & ab alijs aliquando generalius extenditur. Diſtinguitur itaque ſtrictè ſumptum à tentatione Dei, à periurio, & blaſphemia; quia per hæc Deo immediatè in ſe irrogatur & infertur irreuerentia per ſacrilegium autem rebus Deo dicatis. Quod ad ſimoniam attinet, quamuis iuxta D. Thomam contra ſacrilegium diſtinguatur, videtur tamen non incommodè poſſe ſub illo comprehendi, quatenus ſimonia conſiſtit in eo quòd ſpeciali modo, ſcilicet emendo aut vendendo, indignè tractantur res ſacræ. 170

Dico Secundò: Tres ſunt quaſi proximæ ſpecies ſacrilegij, iuxta triplex genus rerum ſacrarum: vel enim violatur perſona ſacra, vel locus ſacer, vel res alia, Deo ſpecialiter conſecrata. 171

Sumitur hæc diuiſio ex D. Thoma q. 99. art. 3. Caiet. ibidem, Bonac. ad 1. Præcepr. Decalogi, diſp. 3. quæſt. 6. p. 1. n. 2.

Ad primam itaque ſpeciem pertinent percuſſio clerici, fornicatio habentis votum caſtitatis, violatio virginis Deo dicatæ: per votum enim caſtitatis corpus noſtrum Deo

conſecramus, vt illud immune & purum ab omni contaminatione libidinis ſeruetur: vnde ſanctitatem quandam contrahit, & proinde quando contra hanc agitur, ſacrilegium committitur.

Huc etiam pertinet tractio perſonarum, Eccleſiaſticarum ad tribunal ſæculare; exactio vectigalium ab ijſdem per poteſtatem ſæcularem contra Canones. Vide Bonac. ſuprà n. 3. quia eiuſmodi factitationes ſunt contra reuerentiam ſanctitatis illius ſtatus, quam ex reſpectu ad Deum cui totaliter eſt mancipatus & conſecratus, conſequitur.

172 Ad ſecundam ſpeciem pertinent omnia quæ fiunt contra loci ſacri ſanctitatem. Nomine autem loci ſacri hic intelliguntur, in primis templa Epiſcopi auctoritate conſecrata: præterea Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca per Epiſcopum conſecrata, vt ſumitur ex Cap. Ad hæc, De religioſis domibus, vbi hæc loca comparantur Eccleſijs, quatenus in mundanos vſus conuerti non debent. Ita docet Nauarr. cap. 27. nu. 98. cum Panormitano, Suarez tomo 5. in 3. p. De cenſuris, diſp. 22. ſect. 2. n. 13. Bonacina ſup. n. 9. cum alijs quos citat. Ad hanc itaque ſacrilegij ſpeciem pertinent effractio & ſpoliatio templorum, euerſio altaris, effuſio ſanguinis vel ſeminis humani in Eccleſia. Item ſepultura hominis infidelis, vel excommunicati in loco ſacro, extractio violenta perſonæ, quæ aſyli causâ eò confugit. Quod intellige niſi ſit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, aut commiſerit enormè facinus in ipſo loco ſacro ex fiducia aſyli. Vide Sylueſt. V. Immunitas 3. qu. 2. Nec tamen in illis etiam caſibus poteſt fieri extractio abſque conſenſu Epiſcopi, vt Doctores notant.

Huc etiam referri poſſunt mercatus, deambulationes, & alia huiuſmodi profana exercitia, quando in locis ſacris fiunt: quæ tamen non videntur eſſe mortalia, ſi abſit ſcandalum, & non impediatur cultus diuinus.

Huc quoque pertinet furtum in loco ſacro commiſſum, vt dicitur Cap. Quiſquis, cauſa 17. quæſt. 4. Circa quod tamen obſeruandum eſt, an res fuerit ibi depoſita ſecuritatis causâ, vt ob loci reuerentiam tutior eſſet: nam hoc caſu ipſa ratio ſacrilegij erit noua malitia mortalis, vt docent Doctores omnes: ſi verò ob aliam occaſionem ibi eſſet relicta aut præſenter exiſteret, tunc Leſſius exiſtimat lib. 2. c. 45. d. 3. nu. 14. probabile eſſe, quod non ſuperaddatur noua malitia mortalis ipſi furto, ſed venialis tantùm.

Rationem diuerſitatis addit, quia in priori caſu cenſetur Deus ſpeciali modo accipere rem illam quaſi in ſuam fidem & cuſtodiam, quatenus loco ſacro præſidet; non ſic omnino quãdo aliâ occaſione res ibi depoſita fuerit. Suarez nihilominùs to. 1. De relig. lib. 3. De reuerẽtia debita locis ſacris, c. 5. n. 7. cẽſet furtũ in loco ſacro ſine diſtinctione eſſe, ſacrilegium mortale ex genere ſuo: & dicit hanc eſſe ſententiam communem, quam paſſim teneant Canoniſtæ cum Gloſſa ad, Cap. Quiſquis, & ad Cap. Sacrilegium, cauſa 17. quæſt. 4. Nauarr. cap. 6. nu. 4. in manuali, & Summiſtæ communiter V. Sacrilegium. Ratio horum eſt, quia vbi lex non diſtinguit, non debemus etiam diſtinguere: Capitulo autem citato Quiſquis, dicitur ſimpliciter & ſine diſtinctione cõmittere quoq; ſacrilegiũ qui furatur non ſacrũ de ſacro: vnde addit Suarez furem qui crumenam abſcindit in Eccleſia, committere ſacrilegium mortale, & circumſtantiam illam loci eſſe neceſſario in confeſſione exprimendam; nec putat opinionem alteram eſſe probabilem aut tutam, quia, inquit, paucorum eſt contra multitudinem aliter ſentientium, & ſine textu ac firma ratione: quare populus merito ſic inſtruendus eſt, & monendi Confeſſarij vt in praxi ſequantur opinionem communem. Addit tamen Suarez eſſe mortale ex genere ſuo, quia ratione paruitatis materiæ, quæ tollitur, poſſit eſſe veniale.

Ad tertiam ſpeciem referuntur omnia 173
peccata, quibus res aliæ ſacræ contaminantur: ſub nomine autem aliarum rerum ſacrarum intelliguntur hic in primis illę quę ſanctitatem veram & propriè dictam efficiunt; vt ſunt Eccleſiæ Sacramenta: Secundò, quę ſacris actionibus adminiſtrandis deſeruiunt tanquam inſtrumenta, vt veſtes ſacræ, vaſa ſacra, & ſimilia. Tertiò, quæ repræſentant ſacra, vt imagines Chriſti, & Sanctorum: item horum reliquiæ. Huc etiam pertinent Scripturæ ſanctæ quæ ſacram doctrinam nobis exponunt. Quartò, quæ ſunt veluti menſuræ ſacrarum actionum, vt dies Dominici, & Feſtiui. Quintò & vltimò, quæ deputata ſunt ad intertentionem miniſtrorum Eccleſiæ, vt ipſa Eccleſiæ bona, & iura temporalia.

Ad hanc itaque ſacrilegij ſpeciem perti- 174
net primò omnis irreuerentia & abuſus Sacramentorum, indigna eorum perceptio, & indigna adminiſtratio: grauiſſimum autem hic ſacrilegium eſt, quòd in Euchariſtiæ Sacramentum committitur, vtpote quod non tantum ſanctitatem efficit & confert, ſed etiam ipſum ſanctitatis fontem & auctorem Chriſtum Dominũ verè & realiter continet.

Secundò, huc pertinet abuſus vaſorum ſacrorum, vt ſi ex calicibus ſacris potitetur, ſi veſtes ſacræ applicentur ad prophanos vſus, vt ſi inde indumenta domeſtica fiant. Ita Bonac. ſuprà nu. 7. Reginal. lib. 19. nu. 57. Suarez lib. 3. De ſacrilegio, cap. 6. & alij paſſim.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò abuſus ſententiarum ſacræ Scripturæ ad ſuperſtitiones, ad facetias, ad amatoria, ad libellos famoſos, & ſimilia. Item omnis irreuerentia in diuino officio, & ſacris cæremonijs obeundis. Rurſum laſciua aut prophana muſica rebus ſacris adhibita. Ita docent Doctores iam citati, & alij.

Quartò, violatio imaginum ſacrarum, & reliquiarum Sanctorum: vt ſi indecenter cõtra honeſtatem & ſanctitatem depingantur, ſi indignè frangantur, aut diſſipentur, &c. Sic quoque Bonac. ſuprà nu. 6. Suarez cap.6. n.9. & alij.

Quintò, huc etiam refertur violatio diei Dominicæ & Feſtorum, quæ Eccleſia celebranda indixit.

Sextò, violatio aut inuaſio bonorum vel iurium Eccleſiaſticorum, vt conſtat ex q. 4. per diuerſa Capitula, cauſa 17.

175 Dico Tertiò: Sacrilegium eſt peccatum mortiferum, quando committitur in primis ex contemptu rei ſacræ, vel cultus ſacri ad quem ordinatur. Huiuſmodi ſacrilegia ſunt, quando hæretici aut alij improbi perſonas, loca, vel alias res ſacras irrident, aut malè tractant, eò quòd vel ſacra ſunt, aut ſacris vſibus deputata.

Secundò, eſt mortale quando aliquid deliberatè fit in materia graui, quod peculiarem habet repugnantiam cum rei ſanctitate: Vt ſi quis virginem ſacram violet, etiamſi nõ ex contemptu, ſed tantum ex libidine, tamen non ſolum contrahit malitiam formalem fornicationis, ſed etiam aliam longè maiorem, ſcilicet ſacrilegij. Similiter qui grauiter percutit Clericum; qui occidit hominem in templo.

176 Quæritur autem hic, an duplicem contrahat malitiam mortalem, qui die Dominicâ aut Feſto ſe inebriat, fornicatur, aut ſimile peccatum mortale committit.

Reſpondetur: De hac quæſtione Doctores diuerſimodè ſentiunt: partem affirmatiuam tenent multi graues Doctores, & præſertim antiquiores: Anton. 2. parte, tit. 9. c. 7. §. 3. & 3. parte, tit. 14. c. 19. §. 7. Bonauent. in 3. diſtinct. 37. circa expoſitionem litteræ, dum ait, hoc præcepto præcipuè prohiberi opera carnalia, vt ebrietates, iurgia & ſimilia, quæ maximè libertati ſpiritus repugnant, Gabriel ibidem, quæſt. vnica, art. 1. Angelus V. Feriæ, n. 36. & alij: qui docent peccatum mortale, & præſertim opera carnis eſſe ſpecialiter prohibita in die Feſto ex vi prohibitionis operis ſeruilis, atque ita præter malitiam quam habent ex propria materia, & obiecto habere malitiam ſacrilegij contrariam huic præcepto: & ideo circumſtantiam illam in confeſſione explicandam. Fundamentum huius opinionis eſt, quod opus peccati ſit maximè ſeruile, & maximè contrarium diuino cultui, & impeditiuum illius, atque hæc ſunt opera quæ ibi potiſſimum prohibentur. Negatiua verò pars, quod ſcilicet opus peccati ex eo tantum quia peccatum eſt, non ſit materia prohibitionis præcepti huius, & peccatum mortale proinde in die Feſto commiſſum non habeat ex illa temporis circumſtantia ſpecialem malitiam quæ in confeſſione ſit neceſſariò exponenda tenetur hoc tempore magis communiter. Ita docet Caiet. 1. 2. quæſt. 7. art. 1. & in Summa V. Feſtorum violatio. Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. Almayn. ibidem, diſt. 17. quæſt. 1. à Victoria in Sum. De Sacram. tit. De conſecratione, nu. 195. Syluest. V. Dominica, qu. 8. Armill. V. Feriæ, n. 12. Nauar. in Cap. Conſideret, De pœnitentia, diſt. 5. n. 22. & ſequentibus. Couarr. ad Cap. Alma 1. parte §. 5. n. 3. & alij plures, quibus etiam fauet D. Thom. in 4. diſt. 32. art. 5. qu. 2. quatenus dicit tempus diei Feſti non eſſe circumſtantiam quæ trahit actum peccati in nouam ſpeciem peccati. Ratio horum eſt, quia opus peccati præciſè vt tale, non eſt opus ſeruile eiuſmodi quod prohibetur per præceptum De obſeruandis Feſtis: vnde nec contrahit malitiam tranſgreſſionis illius præcepti; ergò &c.

Aſſumptum probatur inductione, quia v. g. imperare actionem iniuſtã in die Feſto nõ eſt opus ſeruile, vt apparet per ſe notum. Item fœminam cognoſcere non eſt opus ſeruile, quia alioquin etiam copula coniugalis in die Feſto eſſet opus ſeruile, & directe prohibita iſto præcepto, quod eſt improbabile. Item ludere ludo prohibito non eſt opus ſeruile. Rurſum peccata mera interna non ſunt opera ſeruilia quæ prohibentur hoc præcepto, quia iuxta D. Thom. & alios paſſim non prohibetur per illud præceptum, niſi opus externum; ergò &c.

Neque refert, quod omnis peccans mortaliter dicatur fieri ſeruus tum dæmonis, tum concupiſcentiæ, tum ipſius peccati; quia metaphoricè tantùm dicitur fieri ſeruus, quia ſcilicet ſubijcitur per hoc dæmoni, aut concupiſcentiæ, aut peccato, quæ ipſi quaſi ab eis victo dicũtur dominari. Et ſic quoque peccatum non eſt propriè, & ad litteram ſiue ad ſenſum præcepti, opus ſeruile, quamuis metaphoricè vocari ſic poſſit, ſed hoc non refert, quia præceptum intelligitur de opere ſeruili propriè, non metaphoricè tantum dicto tali. Ex quibus videtur ratio prioris ſententiæ iam manere ſufficienter ſoluta.

Suarez itaque tom. 1. De relig. lib. 2. De diebus Feſtis, c. 18. n. 12. dicit poſteriorem hanc ſententiam ſine dubio practicè eſſe ſecuriſſimam & veram. Et quidem hoc eo magis, quia verſamur in materia legis humanæ, quæ per communem intellectũ DD. & populi poteſt dilatari & reſtringi cũ tempore.

Dicet

Dicet aliquis, opus ſeruile propriè dictum prohibetur, vt homo ſit promptior & expeditior ad Dei cultum, à quo per illud impeditur, & ad quem redditur ineptior, atqui magis redditur ineptus & impeditur per peccatum; ergò &c.

Reſpondetur cum Caiet. quod finis præcepti non cadat ſub præceptum, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 56. artic. 3. & 9. Et Commentatores ibidem: Cultus autem Dei eſt finis præcepti huius, non materia. Nec obſtat, quod abſtinere ab opere ſeruili mandetur tanquã quoddam medium ad finem illius præcepti, & abſtinere à peccato non minus conducat ad finem illum, quàm abſtinere ab alio opere ſeruili, quia vno præcepto præſertim poſitiuo non ſemper præcipiuntur omnia media conducentia ad finẽ, ſed quæ exprimuntur. Quare autem non particulariter mandetur hac lege Eccleſiæ, à peccatis abſtinere illis diebus, poteſt eſſe, quia peccata per alias leges ſunt prohibita pro omnibus diebus, & ſic neceſſe non erat ſpecialiter iſta pro Feſtis diebus prohibere.

178 Negandum tamen non eſt, quin peccatum in die feſto commiſſum contrahat inde aliquod malitiæ augmentum, in primis intra eandem ſpeciem, quod tamen non excedit culpam venialem, vt cenſet Suarez ſuprà n. 14. cum Nauarro loco citato n. 33. à Victoria, & Soto. Deinde videtur etiam contrahere quandam ſpecialem culpam cõtra religionem, quatenus eo ipſo, quo tale tempus eſt ſacrum & cultui diuino dicatum quodammodo contaminatur per quodcumque peccatum, præſertim mortale, quod in illo committitur: eſt enim contra reuerentiã illius ſacri tẽporis quæ quaſi lege naturali ipſi debetur: quæ tamen non eſt mortalis culpa contra religionem, niſi directè fieret ex contemptu diei feſti, vt docet Suarez ſuprà n. 16. apud quem licebit plura de hac materia videre.

Tertiò cenſetur ſacrilegium etiam mortale, quando ex negligentia, aut ignorantia culpabili fit notabilis iniuria rei ſacræ, vt ſi quis malè baptizet, malè abſoluat, aut conſecret.

179 Notandum autem hic eſt, ſacrilegos quoſdam, non autem omnes incurrere ipſo facto excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam.

Ac in primis eam incurrunt percuſſores Clericorum, vt patet ex Capitulo Suadente diabolo, quæſt. 4. cauſa. 17.

Deinde qui effringunt & ſpoliant Eccleſiam, vel alium locum ſacrum. Conſtat ex Capitulo Conquæſti, De ſententia excommunicationis.

Vbi notandum eſt, hanc excommunicationem non incurri propter alterutrum ſolum, v. g. non propter ſolam effractionem ſi non accedat ſpoliatio: ſimiliter nec propter ſolam ſpoliationem, ſi non coniungatur effractio; ſed propter vtrumque ſimul, vt docet Caiet. V. Excommunicatio, cap. 21. & Nauarrus cap. 24. n. 94. Bonacina ſuprà n. 12. qui docet ibidem effractionem requirere violentam actionem, vnde hanc excommunicationem non incurreret, qui claue clam acceptâ Eccleſiam aperiret, aut inueniret eam apertam, & ſic ſpoliaret.

Tertiò, ex quorundam ſententia incurrunt eandem incendiarij locorum ſacrorum: idque vel per Capitulum Tua nos, De ſententia excommunicationis, vt multi Canoniſtæ volunt, aut per allegatum Capitulum Conquæſti, vt Suarez & alij nonnulli, quatenus ſcilicet Incendium videtur continere effractionem & ſpoliationem. Caietanus tamen ſuprà cap. 22. vult incendiarios non eſſe ipſo facto excommunicatos, ſed excommunicandos: poſtquàm autem excommunicati fuerint & denuntiati, non poſſe niſi à Summo Pontifice abſolui.

Quartò, qui Gabellas, Collectas, aut ſimilia onera Clericis imponunt, vel impoſita exigunt, vel exigi curant abſque Summi 180
Pontificis conſenſu, vt patet ex Bulla Cœnæ Domini.

Vide etiam Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 11. vbi illos qui per ſe aut per ſuppoſitas perſonas iuriſdictionem, bona, cenſus, & iura, aut fructus alicuius Eccleſiæ, beneficij, montium pietatis, aliorumve piorum locorum in proprios vſus conuertere & vſurpare præſumpſerint, ſubijcit anathemati tam diu, donec integrè omnia reſtituerint: ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerint.

TRACT.

Digitized by Google

TRACTATVS NONVS.

De reliquis virtutibus Iuſtitiæ annexis.

CAPVT VNICVM.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit pietas? quod eius obiectum? & quæ munia?

EX D. Thoma quæſt. 80. ſuprà in præfatione Tractatus octaui oſtendimus, octo eſſe virtutes Iuſtitiæ annexas: quas D. Thomas partes potentiales iuſtitiæ nominat.

1 Dicuntur autem iuſtitiæ annexæ: quia aliquid de iuſtitiæ ratione communicant, quòd ſcilicet hominem benè diſponant & ordinent ad alterum; non tamen propriè ſint eius ſpecies, quia perfectam rationem iuſtitiæ non aſſequuntur: idque vel quia nõ reddunt omnino æquale nec exhauriunt debitum; cuiuſmodi ſunt tres, ſcilicet Religio de qua iam egimus; pietas, & obſeruantia: vel quia non legalis, ſed moralis debiti ad alterum reſpiciunt perſolutionem; cuiuſmodi ſunt reliquæ, nimirùm Gratia, Veritas, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia ſeu Affabilitas.

2 Quod itaque ad Pietatem attinet quæ proximè religionem ſequitur, obſeruandum eſt, nomen illud tripliciter potiſſimùm vſurpari.

Aliquando enim ſumitur pro religione, vt eſſe pium ſit idem, quòd eſſe religioſum ſeu diuino cultui deditum; ſic 1. ad Timoth. cap. 4. ſumitur, quando Apoſtolus dicit: *Exerce teipſum ad pietatem: pietas enim ad omnia vtilis eſt*: vbi nomine pietatis ſignificatur ſtudium deuotæ mentis erga Deum. Sic etiam D. Auguſt. lib. 10. De ciuitate, cap. 1. ait, Pietas propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci Euſebiam vocant.

Aliquando autem ſumitur pro miſericordia ſiue benigno affectu erga indigentes: ita hoc nomine vtitur D. Gregorius libro 10. Moralium, cap. 1. Pietas, inquit, in die ſuo conuiuium exhibet, qui cordis viſcera miſericordiæ operibus replet, & ita hoc nomen à vulgo præcipuè vſurpari ſignificat D. Auguſt. loco citato, & eo ſenſu, Eccleſiaſtici cap. 2. rectè intelligitur Deus dici pius, & 2. Paralipp. cap. 30. dicitur, *Pius & clemens Dominus*: quod ſimiliter loco citato tradit Auguſt.

Tertiò ſumitur pro virtute ſpeciali, de qua hîc agimus: & ita à D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 3. ex Cicerone lib. 2. De inuent. deſcribitur, quòd pietas ſit per quam ſanguine iunctis, patriæque beneuolis officiũ & diligens tribuitur cultus.

Tria itaque circa hanc virtutem, quemadmodum & in omni alia cum iuſtitia communicationem habente, concurrunt, ſcilicet obiectum quod, obiectum cui, & ratio obiectiua formalis: quæ pro pleniori illius intelligentiâ hîc breuiter ſunt explicanda. 3

Obiectum quod eſt cultus & obſequium externum, ad quod ritè præſtandum, hæc virtus ordinatur: actus enim externus virtutis habet ſe per modum obiecti reſpectu interni, & conſequenter reſpectu ipſius habitus. Nec obſtat, quòd ille idem actus externus ſit ſuo modo opus ipſius virtutis, quia virtutes practicę operantur ſuum obiectum, ſicut & artes operatiuę: & in eo diſtinguũtur à ſpeculatiuis quæ illud ſupponunt, & non efficiunt.

Vbi tamen hoc notandum, quòd non ſit opus ſiue actus virtutis immediatè ab ipſo habitu, eiuſque potentiâ in qua proximè ſubiectatur, elicitus, (eiuſmodi enim actus non poteſt eſſe obiectum vt ſic) ſed actus ſiue opus imperatum, & productũ mediante alia potentia: cuiuſmodi opus ſolet eſſe obiectum practicæ virtutis & artis imperantis.

Obiectum cui principale huius virtutis ſunt parentes: Deinde patria. Tertio autem loco ſunt conſanguinei, & patriæ beneuoli, vt colligitur ex D. Thom. quæſt. 101. art. 1. & 3. quod & ex mox dicendis amplius conſtabit. 4

Ratio autem formalis obiectiua conſiderari poteſt tum in ipſo obiecto quod, tum in obiecto cui.

In obiecto quod non eſt alia, quàm peculiaris ratio debiti; quia tales actus ſeu opus debetur obiecto cui: hæc enim non tantum ſe tenet ex parte ſubiecti, ſed etiam obiecti in partibus iuſtitiæ.

In obiecto autem cui eſt ratio connaturalis principij ortus noſtri: quæ rationes ita ſe habent vt altera ſit alteri ſubordinata, & vna ab aliis dependens: ideo enim pietas præſtat cultum & officium parentibus & patriæ, quia hæc eis debita ſunt: ideo autem illis debita ſunt, quia exiſtunt ortus noſtri principia: & hinc, quia ſpecialis hæc eſt

Digitized by Google

ratio debiti, eo quod naſcatur erga alterum propter rationem connaturalis principij, ideo pietas eſt virtus ſpecialis iuſtitiæ annexa, vt docet D. Thomas artic. 3. citato. Vbi tamen nota, quod formaliſſimè & omnino metaphiſicè loquendo, ratio formalis obiectiua in obiecto cui, ſit ipſum ius in parentibus & in patriâ, cui correſpondent, & debita ſunt cultus & reuerentia, & diligens officium, quod ius in eis naſcitur ex dicta ſpeciali ratione principij.

5 Porrò, quia parentes poſt Deum ſunt præcipui auctores ortus noſtri, & educationis meritò dicuntur principale obiectum cui. Secundo autem loco ponitur patria, quia etiam hæc ſuo modo eſt principium ortus, vt tradit Porphyrius in ſua Iſagoge, tum ſcilicet, quia ipſa parentes fouet, tum quia neceſſaria & oportuna ad ortum & educationem noſtram ſuppeditat. Tertio autem loco huc pertinent conſanguinei, & conciues, ac alij patriæ beneuoli: vt ſignificat D. Thom. cit. art. 1. & ſumitur ex ipſa definitione pietatis aſſignata, iſti quidem propter parentes quatenus in illis parentum ſanguis exiſtit, & aliquid de parente communicant: dicuntur enim conſanguinei ex hoc, quod ex eorundem parentum ſanguine, & ſubſtantia proceſſerunt: hi autem propter patriam, quia in eis fauorem, & auxilium quod patriæ impendunt, conſideramus.

6 Ex dictis intelligitur primò, quæ ſint pietatis munia, videlicet parentibus exhibere debitum cultum, & patriæ debitum officiũ. Porrò, cultus ille primo conſiſtit, & principaliter in honore & reuerentia deferendâ parentibus; quia hoc per ſe parentibus competit: ac decet quòd quatenus tales ſunt à filijs in reuerentia hábeantur. Secundariò autem, & quaſi per accidens conſiſtit in ſubuentione præſtanda, quando ſcilicet contingit parentes ſubuentione filiorum indigere, vt ſi infirmentur, quòd eis diligens cura adhibeatur; ſi pauperes ſint, quod neceſſaria eis ſuppeditentur. Ita docet D. Tho. quæſt. citatâ, art. 2. & Doctores communiter: & ſignificat Chriſtus Dominus Matth. cap. 15. quando rédarguit Iudæos, qui ſub prætextu religionis, auertebant filios à ſubſidijs exhibendis parentibus: & ſimul dat intelligi quod in 4. Præcepto Decalogi ſub honoratione parentũ, comprehendatur omnis ſubuentio quâ parentes indigent, quod etiam notat D. Thom. quæſt. 101. cit. art. 2. ad 1. Ad hunc quoque cultum parentum ſpectat ſupportare eorum moroſitatem ſiue aſperiorem modum agendi & obiurgationes, licet etiam aliquando minus eſſent rationabiles, nec propterea ab officijs debitis deſiſtere. Vnde monet Sapiens lib. Eccleſ. cap. 3. *Suſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes illum in vita illius: ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas illum in virtute tua.*

Cæterùm dicitur pietas non reddere æquale, ſeu æquiualens, quia ſcilicet reſpicit debitum quod nunquam exhauriri poteſt ita vt filius ab eo maneat abſolutus: tam etſi enim exhibere poſſit in alio genere beneficium aliquod æqualis aut maioris æſtimationis, vt ſi parentem ab infidelitate ad fidem reduxerit, & ſpiritualiter in Chriſto regenerauerit, tamen illo præſtito, ſupereſt adhuc neque extinguitur debitum pietatis.

Intelligitur ſecundò ex dictis quòd pietas merito ſibi primum locum vindicet poſt religionem, quia ſcilicet parentes quaſi ſunt quidam dij ſecundarij reſpectu filiorum, quatenus in genere cauſæ particularis, principia ſunt principalia eſſe, vitæ & inſtitutionis ipſorum. Quare & in Decalogo poſt præcepta primæ tabulæ quæ ad Dei cultum pertinent, primum ſecundæ tabulæ ponitur de honore parentibus exhibendo. 7

DVBIVM II.

Quid obſeruantia, quod eius obiectum, & quæ munia?

Reſpondetur: Obſeruantia à D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 31. & à D. Thom. hic quæſt. 102. art. 1. ex Cicerone lib. 2. De inuent. rectè definitur, Quod ſit virtus per quam homines aliqua dignitate excellentes, cultu quodam & honore dignamur. Quemadmodum enim virtus pietatis cultum defert parentibus, quia ſunt auctores vitæ & educationis, ſic obſeruantia omnibus Superioribus, quia præſunt noſtræ gubernationi & directioni. 8

Neque tantum reſpicit, & cultum defert illis qui actu præſunt, ſed etiam qui virtute & præſtantiâ excellunt, ſic vt digni & idonei ſint alios regere & gubernare, vt docet D. Thomas citato art. ad 2. Principaliùs tamen hic cultus debetur ijs qui actu præſunt & regunt.

Ex his facilè intelligitur, quodnam ſit huius virtutis obiectũ tum Quod, tum Cui: item quæ ratio formalis obiectiua. Cultus namque debitus Superioribus & dignitate ac virtute præſtantibus eſt obiectum quod; quia eſt opus externum quod obſeruantia intendit & ad quod benè diſponit ſubiectũ ſuum. Obiectum cui, ſunt ſuperiores & quænis perſonæ excellentes: primario tamen illæ quæ de facto ſunt in munere gubernandi: ſecundario autem aliæ. Ratio formalis obiectiua in obiecto cui eſt excellentia talium perſonarum quatenus ſunt principium gubernationis actu vel poteſtate: & hinc oritur ratio formalis in obiecto quod: ſcilicet ratio debiti, nempe quod cultus iſte ſit 9

debitus

debitus talibus perſonis ob eiuſmodi cauſam: quia ex hac naſcitur quoddam ius in Superioribus ad talem cultum.

10 Intelligitur ſecundò ex dictis, & facilè inde colligitur, quodnam ſit obſeruantiæ munus, ſcilicet tempori & loco deferre cultum correſpondentem & debitum perſonis præſtantibus propter rationem gubernationis, quâ vel actu, vel idoneitate gubernant.

Porrò ad hunc quoque cultũ non parùm ſpectat (quemadmodum & diximus ad cultum parentum pertinere,) æquo animo ſupportare duriorem regendi rationẽ in Superioribus, imò & minus aliquando æquã, nec propterea ab alijs officijs debitis deſiſtere.

Ad quam ſupportationem non tantùm parentum, & Superiorum; ſed cuiuſlibet etiã proximi noſtri, ſæpius & vehementer Chriſtianos cohortatur Apoſtolus: ad Eph. c. 4. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Quod pacis vinculũ maximè conſeruatur per eiuſmodi ſupportationem, ad Galatas 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*: & alibi frequenter ſimilia inculcat.

11 Intelligitur tertiò ex dictis, quòd obſeruantia ſit inferior pietate per ſe loquendò; quodque cæteris paribus minus obliget, vt D. Tho. tradit, qu. 102. cit. art. 3. quia maius eſt beneficium ortus & educationis, quàm gubernationis reliquæ vitę in eodem ordine rerum. Sed opponet aliquis: quod magis obligemur erga Principem, quàm erga parentem: ſi enim vterque eſſet in extrema neceſſitate, potiùs Principi eſſet ſubueniendum, quàm parenti; atqui Princeps colitur obſeruantiâ; parens autem pietate; ergo obligatio obſeruantiæ videtur maior eſſe quàm pietatis.

12 Reſpondetur: conceſſo antecedente in caſu poſito, negando conſequentiam: quia quod Principem debeam præferre, non oritur præcisè ex debito quo obliger illi ex eo quòd habeat principij rationẽ gubernationis erga me, ſiue reſpectu meæ particularis perſonæ. Itaque non ex virtute obſeruantię, ſed quia eſt perſona publica, quæ regno aut prouinciæ præſidet: eſtque principium conſeruans bonum commune, ſub qua ratione obligor ex iuſtitia legali, quæ eſt generalis quædam virtus, vt ſignificat D. Thomas, quæſt. 101. art. 3. ad 3.

DVBIVM III.

Quid gratia ſiue gratitudo? an ſit virtus ſpecialis & quæ eius officia?

RESPONDEO & DICO Primò: Gratitudo generaliter accepta eſt quædam virtus reſpiciens debitũ natum ex beneficio accepto ab altero. Extendit itaq; ſic generaliter ſe ad omnes à quibus aliquid beneficij accepimus, vt ad Deum, ad parentes, ad ſuperiores, & ad priuatos benefactores, à quibus aliquod particulare & priuatum bonum accepimus. 13

Sed iuxta D. Thom. q. 106. a. 1. quatenus verſatur circa beneficia à Deo accepta, ac debitum inde natum, non diſtinguitur à religione; neque à pietate vt reſpicit beneficiũ acceptum à parentibus: vide D. Th. quemadmodũ etiam dici poteſt quod nec ab obſeruantia, quatenus obligamur ſuperioribus propter officiũ gubernationis quod impendunt: quia hæ virtutes quaſi eminenter includunt ea quę ſunt partiũ gratitudinis erga particulares benefactores propter priuata beneficia, & ſic partes gratitudinis peragunt & aliquid amplius ac ſublimius important: vnde legale ac ſtrictius debitum reſpiciunt, quàm ſimplex gratitudo.

DICO Secundò: Gratitudo vt verſatur circa particularem benefactorem qui priuatum aliquod beneficium nobis contulit, eſt virtus quædam ſpecialis. Ita docet D. Tho. loco cit. & DD. communiter. Probatur 1. auctoritate Ciceronis, qui lib. 2. De Inuent. gratiam ponit ſpecialem iuſtitiæ partẽ. Deinde ratione, quia virtutes Iuſtitiæ annexæ diſtinguuntur ſecundum particularẽ debiti rationem ad alterum, atqui eſt quædam ſpecialis ratio debiti quæ naſcitur ex aliquo beneficio ab homine particulari accepto, quæ inferior eſt tribus alijs enumeratis; eoque nomine ab illis eſt diuerſa, ſicuti & illas inter ſe conferendo, poſterior debiti ratio diſtinguitur à priori tanquam ab illa deficiens & minor; ergo gratitudo ſic conſiderata rectè ponitur virtus ſpecialis. 14

Officia autem gratitudinis quinque poſſunt enumerari. 15

Primum eſt beneficij æſtimatio, vt nimirum oſtendamus nos beneficium magnifacere, ſi non ex rei acceptæ magnitudine quando hæc non ſubeſt, ſaltem ex animo & affectu donantis, qui in beneficijs gratuitis potiſſimum eſt ponderandus. Vt docet D. Thom. quæſt. citata, artic. 5. & Seneca, lib. 1. De beneficijs, cap. 6. Beneficium non in eo quod fit aut datur, ſed in ipſo dantis aut facientis, inquit, animo conſiſtit.

Alterum eſt benigna acceptatio: ſi namque repudies aut non ſignifices gratum eſſe, iam videris contemnere beneficium, & affectum donantis: vnde Seneca, libro 2. De beneficijs, cap. 35. Vis reddere beneficium, accipe benignè, vt & talis acceptatio ſit quædam compenſatio, vtpote quæ donantem recreat.

Digitized by Google

Tertium eſt gratiarum actio, quæ eſt beneuola proteſtatio gratiæ acceptę cum quadam ſui ſubmiſſione, & obligationis recognitione ad ipſum benefactorem directa. Eſt autem hæc accommodanda magis affectui donantis quam rei donatæ, vt docet D. Thomas loco cit.

16 Hæc tamen non debetur ſubditis ratione munerum quæ honoris causâ deferũt principibus, quia non ſunt tam beneficia, quàm honoraria tributa, quæ ſuo modo ex obſeruantia debentur principibus.

Quartum officium eſt grata beneficij cõmemoratio, vt nimirum in primis apud nos ipſos ſimus memores beneficij accepti. Deinde vt apud alios quando occaſio ſe offert, libenter illud referamus, vt ſignificat D. Th. quæſt. cit. art. 3. ad 5. quia id ad honorem & laudem benefactoris ſpectat.

Quintum eſt beneficij viciſſim relatio ſiue præſtatio, vt ſcilicet beneficium re vel obſequio reddatur tempori & loco: quamuis enim quoad affectum ſit ſtatim facienda quædam recompenſatio, vt quæ fit per gratã beneficij acceptationem ac gratiarum actionem; tamen quo ad doni vel obſequij redditionẽ, debet expectari tempus, quo eiuſmodi redditio ſit futura benefactori oportuna & magis accepta, vt docet D. Th. a. 4. nam qui præmaturè reddere feſtinat, hoc ipſo ingratus eſt in benefactorem, quia videri non vult beneficio affectus, aut haberi alteri obſtrictus ratione beneficij: imò quaſi declarat ſe beneficium non habere acceptum, quin potius animo reijcere: nam reijciendi quoddam genus eſt (inquit Seneca, lib. 4. De beneficijs) protinus aliud in vicem mittere, & munus munere expungere.

17 Deinde in recompenſatione facienda per beneficium aliud magis eſt quoque ſpectandus affectus donantis, quàm res quæ donata fuit: vnde in hoc incumbendum eſt, vt pro facultatibus noſtris beneficium quod rependimus, reſpondeat potius benefactoris affectui quàm rei acceptæ. Itaque ſi maior vel æqualis poteſtas adſit, plus eſt rependendum, quàm acceptum; nam vt habet D. Thom. artic. 6. In affectu benefactoris præcipuè hoc commendabile eſt, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur: & ideo, inquit, qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honeſtatis, vt ſimiliter aliquid gratis impendat: quod non videtur velle facere quamdiu ſolùm recompenſat æquale munus: videtur enim ſolum velle reddere quod accepit. Vnde Cicero, libro 1. De officijs, in referenda gratia, inquit, imitari debemus agros fertiles, qui plus multo adferunt, quàm acceperunt. Id tamen ipſe benefactor non debet intendere conſequi, nam hoc magis eſſet captare quæſtum, quàm exercere actum liberalis donatoris.

DVBIVM IV.

An ingratitudo ſit ſemper peccatum, & quale?

RESPONDEO & DICO Primò: Ingratitudo ſemper eſt peccatum. Ita expreſsè docet D. Thomas, quæſt. 107. artic. 1. Probat ex cap. 3. epiſtolæ ſecundæ ad Timoth. vbi ingratitudo connumeratur alijs peccatis, quando dicitur, *Parentibus inobedientes, ingrati, ſcleſti*, &c. Deinde probat ratione, quia debitum gratitudinis eſt quoddam debitum honeſtatis explendæ quàm virtus requirit: atqui ingratitudo agit contra debitum illud honeſtatis, quam virtus exigit, ergo: Probatur conſequentia, quia ex eo eſt aliquid peccatum, quia virtuti repugnat. 18

DICO Secundò: Aliquando & quidem vt plurimùm eſt peccatum veniale, loquendo de ingratitudine quæ opponitur gratitudini, vt eſt ſpecialis virtus: aliquando etiam mortale. Ita quoque docet D. Thom. quæſt. citata, art. 3. ex communi ſententia inquit Tann. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 1. dub. 3. num. 43.

Pro cuius explicatione notandum eſt, quod ingratitudo incurratur dupliciter: vno modo per omiſſionem, puta quia quis negligit tempori & loco officia gratitudinis præſtare, vt quia beneuolè acceptando, commemorando, aut gratias agendo non recognoſcit, vel tempori & loco vices rependere prætermittit.

In quibus videtur ordinariè tantum eſſe peccatum veniale; quia (inquit D. Thom. loco citato) debitum gratitudinis eſt, vt homo etiam aliquid liberaliter tribuat ad quod non tenetur, ſcilicet lege iuſtitiæ ſiue legali debito: eſt tamen peccatum veniale (addit ille) quia prouenit ex aliqua negligentia, aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. 19

Poteſt verò aliquando in illis peccatum quoque eſſe mortale, vt in primis propter interiorem contemptum (inquit D. Tho. & communiter DD. cum ipſo) qui videlicet cedat in iniuriam aut in grauiorem iuſtam indignationẽ benefactoris, vt quando procederet ex aliquo temerario iudicio, vnde fit quod animum dantis quis vilipendat aut in malam partem interpretetur. Deinde etiam addit D. Thom. propter conditionem eius quod per ingratitudinem ſubtrahitur, puta, quando illud ex neceſſitate debetur benefactori ſiue ſimpliciter, ſiue in aliquo neceſſitatis caſu; quamuis tunc non tantum obligatio gratitudinis, ſed etiam charitatis, aut iuſtitiæ ſoleat concurrere.

Alio

20 Alio modo incurritur per commiſſionem: puta quia non tantum prętermittit quis gratitudinis officia, ſed etiam contrariũ agit, vt ſi quis malum reddat pro bono, ſi quis beneficium vituperet, & in his quoque inquit D. Tho. ſecundum conditionem eius quod agitur quandoque eſt peccatum veniale: quandoque mortale, & quidem ſpeciale quando id agitur contra alterum hoc reſpectu formaliter, quia benefactor eſt, vt docet D.Th. q. 107. a.2. ad 1. & 2. & cum illo Tannerus ſuprà n.43. & alij.

Porrò, ſi tam grauiter contingat peccari per ingratitudinem contra proximũ; multo grauius erit peccatũ ingratitudinis in Deum. Quare officia illius eminentioris gratitudinis à nobis ipſi debitæ, diligenter ab omnibus veniunt exequenda, vt eius ſcilicet beneficia magno loco habeamus, prout digniſſima ſunt, & grato animo acceptemus: quod potiſſimũ fit, quando ſedulò ac ſollicitè eis cooperamur, pro eiſdẽ gratias aſſiduè agimus; eadẽ tam vniuerſalia quæ toti generi humano, quàm particularia quæ nobis priuatim collata ſunt, continuò per gratam memoriã animo reuoluimus; & in vicem aliquam reddimus ſacrificia labiorum, ſiue laudes, & religioſum illi debitum cultum exhibemus, ad quæ Apoſtolus nos paſſim in omnibus ſuis epiſtolis exhortatur, & ipſe præſtat. Ac ſimul quoque quando, cum ipſe bonorum noſtrorum in ſe nõ indiget, præſtamus miſericordiæ opera membris eius, ſcil. Chriſti pauperibus, de quibus dicit Matth. 25. *Amen dico vobis quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

DVBIVM V.

21 ## *Quid vindicatio? an ſit virtus etiam aliqua ſpecialis?*

RESPONDEO & DICO Primò: Vindicatio deſcribi poteſt, quod ſit alicuius pœnalis mali inflictio pro peccato vel culpa. Sumitur ex D.Tho.qu.108.art.1. vbi rectè addit in vindicatione eſſe conſiderandum vindicantis animum.

Quare notandum, quod poſſit malũ hoc infligi ratione culpæ ex diuerſis motiuis, ſiue diuerſorum finium intentione.

Vt in primis, hoc tantùm animo & intentione, vt illi qui in te peccauit aut te læſit, malè ſit; apprehendendo ſcilicet malũ alterius præcisè in ſe conſideratum tanquã bonum tuum; & hoc modo non eſt actus virtutis, ſed potius odij: & aduerſatur charitati: eſtq; hoc vinci à malo, & contra illud Apoſt. ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

Secundò fieri poteſt eo fine, vt qui peccauit emendetur, ſicuti parentes vindicant delicta filiorum, & Prælati delicta ſubditorum; & ſic eſt actus potiſſimùm charitatis, quę vt habet D. Bernardus epiſt. 2. piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit iraſci, humiliter indignari &c. hinc & Prouerb. c.3. dicitur, *Quem enim diligit Dominus, corripit.*

Tertiò, poteſt fieri eiuſmodi vindicatio, quia per ſe decens eſt malefactorem puniri: pœna enim malefactis congruit, & quodam modo debita eſt: ſicuti laus & præmium benefactis, vt ſignificat Apoſtolus ad Rom. 2. & 13. Idque vt rectus ordo in omnibus ſeruetur, & vbi interturbatus fuerit, reſtituatur: quod per vindicationem culpæ efficitur. Sic per vindicationẽ Deus omnes qui ab ordine pulcherrimo iuſtitiæ & legum diuinarũ prolapſi ſunt, & ordinatiſſimam diſpoſitionem perturbarunt, ad ordinem iuſtitiæ reducit infligendo pœnas, vt nihil in mundo remaneat informe & inordinatum: nam & ipſum malum culpæ quando debitè punitur, ſeruit ad pulchritudinẽ generalitatis rerum, vt latè oſtendit D. Aug. lib. 1. De ordine, & lib. 5. De ciuitate, c.9. & lib.11.c.18. vnde cap.11. Enchrydij ſcribit: Neque enim Deus omnipotens vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo, videl. aut reformando aut puniendo vitiatũ.

22 Quartò, poteſt malum infligi animo & intentione reparandi iniuriam, & ſatisfaciendi parti læſæ per culpã, ac reſtituendi quod ablatum eſt: quando enim punitur quis ratione iniuriæ quam intulit, iam quodãmodo alteri reſtituitur quod ablatum fuit, & aliqua ei ſatisfactio exhibetur: cuius rei ſignũ eſt, quod animus læſi ſoleat tunc quieſcere, quaſi iam redditum ſit pro bona parte, quod per iniuriam erat ablatũ. Hic autem finis eſt omninò cõiunctus cũ tertio, ex quo quaſi neceſſitate quadam reſultat, præſertim quando ad hoc fit, vt diuinus honor qui maximè per peccatum offenditur, reſarciatur ac reparetur.

Quintò, infligi poteſt, vt alij exemplo pœnæ & ſupplicij huius à peccato & iniurijs cohibeantur. Reſpectus intentionis autẽ ad hunc finem non ita intrinſecè eſt neceſſarius ad honeſtatem, ſicuti ad 3. & 4. nam poſt hanc vitam perſeuerabit quoque vindicatio, & eius honeſtas, non tamen ad iſtum finem amplius habebitur reſpectus, qui in hac tamen vita ſpectatur etiam tum à Deo, tum à Magiſtratibus, quando delinquentes pro meritis puniunt.

23 DICO Secundò: Vindicatio vt fit intuitu tertij & quarti finis, ſpectat ad virtutem quandam ſpecialem. Ita docet D. Thomas, qu.108. art. 2. & Doctores communiter, vt habet Tann. ſup. n.50.

Declaratur, quia verſatur circa ſpecialem rationem honeſti: in hoc etenim eſt particularis ratio honeſtatis quòd malefactori de-

Digitized by Google

bita pœna ſecundum menſuram delicti infligatur, & læſo per peccatum reparetur ſuo modo ablatum: quatenus autem ad quintũ finem reſpicit ſic referenda videtur ad virtutem illã quæ mouet ad præſeruandos alios à peccatis & culpis; quæ in primis poteſt eſſe charitas. Deinde etiam iuſtitia, quando quis ex officio obligatur malos punire ne exemplo immunitatis alij deteriores fiant.

24 Notandum autem hic eſt primò, quod vindicatio vt ſit virtutis actus, debeat fieri conuenienti modo.

Ad hoc in primis neceſſarium eſt, vt fiat à perſona habente publicam auctoritatẽ: nam ſi quis priuatã auctoritate præſumat vindicationem exercere, non actum virtutis, ſed vitij committet, quia vſurpabit poteſtatem alienam; atque adeò, quia ſine debita poteſtate facit, ideò & malefactori iniuriam inferet; quamuis enim illi pœna conueniat, nõ tamen conuenit, vt à te inferatur. Vnde Apoſtolus ad Rom. 12. monet: *Non vos metipſos defendentes* (id eſt vlciſcentes) *chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam; ego retribuam.* Non tamen idcirco priuati neceſſario deſtituuntur honeſtate huius virtutis; quamuis enim per ſe vindicationẽ exercere non debeant, poſſunt tamen affectu & voluntate optare, quatenus ad fines illos tertio & quarto loco ante explicatos exerceatur, vt ſcilicet omnia ad rectum ordinem redigantur, nihilque informe & extra ordinẽ relinquatur; adeoque etiam vt Deo honor ſuus reparetur, & proximis læſis ſatisfiat, vindicentur malefactorum delicta per conuenientem poteſtatem, & iuxta menſuram delicti: atque ita ipſi efficientur quoque participes honeſtatis quæ eſt in virtute vindicationis.

Deinde requiritur quoque vt is qui publicam poteſtatem habet, procedat in vindicatione ſecundum iuris ordinem, & debitam moderationem, ne pœna infligenda excedat demeritum culpæ ſeu malefacti.

Tertiò etiam requiritur, quod animus Superioris vindicantis non feratur in pœnam præciſè vt quoddam malum eſt ipſius malefactoris, illudq; ſe tanquam bonum ſuum apprehendat, & in eo conquieſcat, qualis nec poteſt eſſe animus priuati exigẽtis vel optantis vindicationem, prout antè nu. 21. diximus: ſed intentio debet ferri in fines illos honeſtos quos ſuprà retulimus & declarauimus honeſtos eſſe.

25 Notandum Secundò, quando agitur de vindicta ſumenda propter delictum in aliquem particularem commiſſum, conſultius eſſe, quod priuatus ille propter Deum ignoſcat, quàm vindictã expetat, atque deſideret miſericorditer ab alijs quoque ignoſci, quia appetitio vindictæ ob iniuriam ſibi illatam ſolet frequẽter procedere ex amore ſui ipſius, vt ſibi ſatisfiat; quod per ſe laudabile nõ eſt. Deinde ſæpè periculũ eſt, ne affectus charitatis violetur, & odiũ immiſceatur, aut excitetur; condonando autem imitamur exemplum Chriſti Domini & Sanctorum, qui etiam pro ſuis perſecutoribus orarunt, vt Deus ignoſceret: & cũ maledicerentur non maledicebant, & cum paterentur, non cõminabantur, vt docet D. Petrus de Chriſto Dom. 1. epiſt. c. 2. Et de Martyribus canit Eccleſia, Non murmur reſonat, non quærimonia, ſed corde tacito mens benè conſcia conſeruat patiẽtiã. Accedit, quod eiuſmodi cõdonatio tribuat ſpecialem fiduciam impetrandæ remiſſionis ſuorũ peccatorũ apud Deũ: Scriptura enim ſpecialiter ſępius promittit veniã peccatorum illis qui debita alijs ignoſcant.

Notandum Tertiò, quamuis perſona quę iniuriam paſſa eſt, non expetat vindictã, ſed bono animo condonet, non tamen idcirco Magiſtratum & poteſtatem publicã debere prætermittere vindicationẽ exercere, quando bonũ publicum poſtulat: aliud enim conuenit à particulari perſona, aliud à perſona publica fieri cui incumbit cura iuſtitiæ & tranquillitatis publicæ conſeruandæ. Vnde nec probandæ ſunt illæ deprecationes, quibus religioſi viri, vel alij aliquãdo importunè vrgent iuſtitiam, vt vindicationẽ remittant & parcant malefactoribus, qui forſitan decies, vigeſies aut pluries ſuppliciũ meruerũt, & de quibus vix poteſt ſperari aliud quàm quod de poſt peius agent, vt ſæpè accidit. Viderint tales deprecatores an ipſi tunc non ſint cauſa malorum ſubſequentium quę ab ijs fiunt, & inferuntur alijs.

DVBIVM VI.

Quid veritas vt ponitur annexa iuſtitiæ? & quæ eius officia?

NOtat rectè D. Tho. qu. 109. art. 1. nomen veritatis dupliciter capi. 26

Vno modo pro ęqualitate ſeu cõformitate intellectus ad rem intellectam, aut ſigni ad rẽ ſignatã aut rei ad ſuam regulã. Sic veritas eſt in intellectu, in oratione, in enunciationibus; ac etiam in rebus quatenus hæ ſunt conformes ſuis Idæalibus principijs: & hac ratione agitur de veritate, 1. p. q. 16. a. 1. & q. 21. a. 2. & ab hac veritate dicitur aliquid verum, vt habet D. Tho. art. citato. Sed ſub hac conſideratione non eſt virtus, ſed obiectum aut finis virtutis.

Aliò modo veritas ſumitur pro inclinatione ſiue habitu, quo mouemur ad dicendum verum, ſiue ad exhibendos nos alijs exteriùs tales, quales intùs ſumus, & ad declarandum foris, quod intus de rebus ſentimus. Et hæc eſt veritas, de qua hic agitur,

à qua

Digitized by Google

à qua dicitur quis verax: eſtque talis veritas ſiue veracitas virtus, & quidem moralis ſiue voluntatis, vt docet D. Thom. hic qu. 109. art. 1. ex Ariſtot. lib. 2. Æthyc. cap. 7. & declaratur, quia per illam rectè diſponitur voluntas, vt inclinetur & amet dicere verũ: quod eſt actus bonus & laudabilis: ipſa ſiquidem illa veritas eſt principium mouens & inclinans, vt in ſermone, in ſcriptura, & omni externo geſtu ac ſigno explicemus & exhibeamus nos tales, quales ſumus, & referamus res, prout eas nouimus eſſe. Vnde & virtus eſt ſpecialis, vt tradit D. Tho. qu. cit. art. 2. quia ſpeciale bonum rationis & honeſtatis ſpectat, ſcilicet conformitatem illam inter ſigna quæ foris ædimus, & inter res ſignatas quas alijs indicamus.

27 Quod verò ſit pars iuſtitiæ ſiue virtus annexa iuſtitiæ oſtendit D. Tho. qu. cit. art. 3. ex Cicer. lib. 2. De inuentione, quia in duobus conuenit cum iuſtitia: Primò, quia eſt ad alterum: manifeſtatio enim quæ eſt actus illius, importat ordinem ad alterum, quatenus videlicet vnus ea quæ circa ſe ſunt, exponit alteri. Secundò, quia ſicut iuſtitia ponit æqualitatem in rebus, ita hæc conformat & adęquat ſigna rebus exiſtentibus circa dicentem. Non eſt tamen perfectę iuſtitiæ ſpecies, quia non attendit debitum legale, quod attendit iuſtitia, quæ ponit æqualitatem in rebus, vt ſunt huius vel illius: ſed potius debitum morale (inquit D. Tho.) in quantum ſcilicet ex honeſtate rationis vnus homo debet alteri veritatis manifeſtationem, quando ſcilicet tempus, & locus, & iuſta cauſa poſtulant.

28 Addit autem D. Tho. quæſt. citata, art. 1. ex Philoſopho, Quod virtus veritatis magis declinet in minus: quòd ita intelligit & explicat, quia ſcilicet cum prudentiâ adiunctâ inclinat, vt quis non totum bonum ſuum, (id eſt) non omnes virtutes ſuas & animi dotes, vt v. g. ſcientiam, ſanctitatem, & ſimilia prodat alijs: quod, inquit, fieri poteſt abſque præiudicio veritatis, dum quod eſt aliquouſque manifeſtat, & reliquum tacet, ſic tamen vt idipſum non neget, quod ſibi ineſſe agnoſcit.

Vbi & humilitas poteſt concurrere, & ſimiliter declinare in minus, vt homo non facilè ſibi perſuadeat maius ſibi ineſſe aut competere.

Ex dictis facilè rite colligere quæ ſint functiones veritatis de qua agimus; ſunt ſiquidem ſequentes. Vna, tempore & loco manifeſtare & vitâ & ſermone exhibere ſe foris talem qualis intùs eſt, quatenus ſcilicet ratio & occaſio poſtulant: & hæc eſt primaria & principalior functio huius virtutis, vt docet D. Tho. art. 3. ad 3. qu. citata. Altera eſt, verũ loqui & explicare tam dictis, quàm factis; Tertia eſt, amore dicendi verum, ſeſe conuenienter informare de veritate rerum, quando aliquid oportet abſolutè affirmare aut negare; ac ſemper ſollicitè cauere tum ne aliquid contra mentis iudicium; tum etiã ne temerè quis loquatur de rebus quas ignorat: nam qui ſic agit, non eſt verax aut virtutem veritatis habere dicendus.

Petet aliquis, vnde debitũ illud naſcatur, quod virtus hæc dicitur reſpicere. Reſpodetur naſci ex ipſa natura humana; quatenus homo eſt animal rationale ſociale, quod natum eſt ſua cum alijs cõmunicare: vnde hoc debet alteri ſine quo non poſſet ſocialis vita conſiſtere eo modo quo natura hominis exigit: non poſſent autem homines ad inuicem conuenire (inquit D. Tho. q. 109. a. 3. ad 1.) niſi inuicem crederent; cuius credulitatis nõ eſt aliud fundamentum, quam debitum quo ex virtute morali quilibet exiſtimatur teneri verum loqui & manifeſtare. 29

DVBIVM VII.

De vitijs oppoſitis virtuti veritatis.

VEritati vt virtus eſt de qua agimus, opponitur generaliter mendacium, quatenus hoc pro vitio ſumitur, quod inclinat voluntatem, vt homo foris aliter ſe oſtendat, quàm intus ſeſe habeat, atque adeò exterius aliud ſignificet quàm in re, aut in eius conceptibus latet. Quare ab hoc dicitur quis mendax, ſicuti à virtute veritatis quis dicitur verax. 30

Fit autem falſa iſta ſignificatio frequenter verbis: aliquando autẽ facto vel externo habitu indicatur aliud, & cõtrarium eius quod in abditis animi receſſibus latet: & tunc ſimulatio, aut duplicitas vocari ſolet, quæ ſi fiat ad hoc vt per externam ſpeciem & modum agendi ingeneretur alijs opinio ſanctitatis, vel alterius virtutis intus latentis quæ non ſubeſt, iam propriè erit hypocriſis: quæ proinde etiam veritati opponitur, de qua vide D. Thom. qu. 111.

Porrò, qu. 110. art. 2. ponit D. Thom. diuerſas alias mendacij diuiſiones, inter quas duæ ſunt principaliores: vna eſt qua diuiditur ſecundùm quod habet rationem culpæ: & deſumitur ab ijs quæ aggrauant, vel diminuunt culpã mendacij ratione finis intenti; & ſic cõmuniter diuiditur in hæc tria membra, ſcilicet in mendacium officioſum, iocoſum, & pernitioſum. Sumitur ex Gloſſa D. Auguſtini in illud Pſal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* 31

Officioſum dicitur quod ordinatur ad aliquod bonum procurandum abſque iniuria alicuius tertij.

Iocoſum, quod profertur ad oblectamentum, ſimiliter abſque alterius læſione.

Digitized by Google

Pernicioſum eſt illud, quod ordinatur aut ex ſe tendit ad nocumentum alterius: quale in primis eſt, quod committitur contra veritatem fidei & religionis: quod proinde non ſimpliciter virtuti veritatis, ſed etiam fidei ac religioni aduerſatur: Deinde committitur quoque ſi quis falſum inſtruat circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, vt quæ pertinet ad perfectionem ſcientiæ, & informationem morũ. Tertiò, quãdo ordinatur falſitas ad nocumẽtum proximi, quantum ad perſonam, diuitias, vel famam: quæ omnia mendacia pernicioſa dicit eſſe peccata mortalia: reliqua autem eſſe venialia, niſi per accidens, inquit, contrarientur charitati ratione ſcandali vel cuiuſcumque damni conſequentis. Vide D. Thom. qu. 110. art. 2. & 4.

32 Alio autem modo dicit mendacium diuidi ſecundùm ipſam mendacij rationem, quam vult eſſe propriam & per ſe mendacij diuiſionem: atque ita (inquit art. 2. citato) mendacium diuiditur in duo, ſcilicet in mendacium quod tranſcendit veritatem in maius, & in mendacium quod deficit à veritate in minus: & ſic veritati opponuntur duo vitia, vnum per exceſſum, & alterum per defectum.

Prius dicit pertinere ad iactantiam, quam infrà quæſt. 112. declarat eſſe vitij genus, quo quiſpiam laudes ſuas immodicè prædicando, rationis & veritatis limites tranſcendit; quò etiam proinde pertinebit quando quis de rebus alijs per exceſſum contra veritatem loquitur, vt quando ipſas ſupra dignitatem aut valorem extollit, vel multitudinem ſupra numerum deprædicat.

Poſterius verò docet D. Thom. qu. 113. pertinere ad Ironiam, quam ex Philoſopho lib. 4. Æthicorum cap. 7. dicit eſſe vitij genus veritati oppoſitum per defectum, quo ſcilicet aliquis vel eam præſtantiam quam ſibi ineſſe apprehendit & exiſtimat, inficiatur, aut vilitatem cuius ſibi conſcius non eſt, in ſe eſſe profitetur.

33 Cæterùm, omne mendacium ſiue verbis, ſiue factis committatur, eſt ita intrinſecè peccatum, vt nullo caſu ſit licitum. Ita docet D. Thom. qu. 110. art. 3. Magiſter in 3. diſt. 38. & eſt communis ſententia omniũ Theologorum, contra quoſdam antiquos Scriptores qui exiſtimarunt in caſu neceſſitatis, vel ob magnum bonum eſſe licitum mentiri, cum quibus videntur ſenſiſſe D. Ieronym. in Commentarijs in epiſtolam ad Galath. & epiſt. 89. quæ eſt 11. inter epiſtolas Auguſtini. Probatur 1. ex Script. Leuit. cap. 19. *Non mentimini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* Eccleſiaſtici cap. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium*, ad Epheſ. cap. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque ad proximum ſuum*, & ad Coloſſ. 3. *Nolite mentiri inuicem.* Probatur 2. ex PP. ac in primis, D. Aug. id ex propoſito docet lib. De mendacio cõtra Conſentium, c. 18. ſequent. & lib. De mendacio c. 1. Idẽ docent D. Baſil. in regulis breuiorib. Regula 76. Gregor. lib. 18. moral. c. 2. & 3. & Innocent. III. Cap. Super eo, De vſuris, Dicit diuini verbi præcepto prohiberi, ne quis etiam pro alterius vita ſeruanda mentiatur. Probatur 3. ratione, quia malitia mendacij in eo conſiſtit, quod quis aliud ſignificet verbis aut factis, quàm habet in mente, quod tendit in violationem & diſſolutionem humanæ ſocietatis & commercij; quod quidem totum integrè manet, etiamſi mendacium aſſumatur in vtilitatem propriam vel alterius. Vide D. Aug. quoque lib. 1. De doctrina Chriſt, cap. 36. vbi docet neminem qui mentitur in eo quod mentitur, ſeruare fidem, atqui non ſeruare aut violare fidem eſt intrinſecè malum. Ad illa quæ ex Scripturis poſſent in contrarium opponi, reſpondimus partim in 1. 2. qu. 79. art. 1. & 2. partim ſuprà in 2. 2. quæſt. 1. art. 3. n. 65. & ſequentibus.

DVBIVM VIII.

Quid ſit affabilitas ſeu amicitia, vt ponitur virtus annexa iuſtitiæ? & quæ vitia oppoſita?

34 RESpondetur: Amicitia de qua hic agitur, ſeu affabilitas deſcribi poteſt eſſe virtus, quæ benè nos diſponit in ordine ad ſuauiter & commodo modo conuerſandum cum proximo in rebus ſerijs, vt conuerſatio ſcilicet ſit grata, & talis omninò qualem eſſe decet, ſpectatâ conditione noſtrâ, ac perſonarum cum quibus agimus, negotiorumque quæ tractantur, & reliquis circumſtantijs, ita vt neque nimis molliter ſeu blandè, neque nimis aſperè aut moroſè agamus. Colligitur ex D. Thom. q. 114. art. 1.

Dico in rebus ſerijs; nam in iocis vt conuerſatio ſit grata, reſtat alia virtus iuxta Philoſophum lib. 4. Æthycorum cap. 9. quæ dicitur Eutropælia, quæ præſtat, quod neque tanquam ſcurræ in ludicris excedamus; neq; tanquam agreſtes ab illis abhorreamus.

35 Affabilitas alio nomine appellatur Comitas, & differt ab amicitia propriè dicta, quod hæc non ſit aliud quàm mutua beneuolentia in peculiari quadam communione fundata, quæ cauſa eſt amandi alterum: ſic inter condiſcipulos, amicitiæ fundamentum eſt communio in ſtudijs: inter milites eſt communio in negotijs militaribus: inter conſanguineos eſt communio in ſanguine: affabilitas autem non poſtulat talem communionem: neque

Digitized by Google

neque idcircò benignè & ſuauiter tractat cum altero, per ſe loquendo, quia amicus eſt, aut quia illi benè vult; ſed quia ſic congruit, & natura humana quæ ſocialis eſt, talem conuerſandi modum poſtulat: & hinc verſatur indifferenter circa familiares, & circa extraneos, circa conſanguineos, & circa ignotos.

36 Ex dictis itaque conſtat eam eſſe virtutem, & eſſe ad alterum, atque attendere debitum aliquod: quod ſicuti veritatis debitum, ita & hoc naſcitur ex ipſa ratione naturæ humanæ, quatenus ſocialis eſt, vt docet D.Thom. quæſt. 114. art. 2. ad 1.

Cæterùm opponuntur huic virtuti duo vitia, quæ à D. Thomâ appellantur adulatio, & litigium.

Adulationem vocat blandiendi genus quo quis in familiari congreſſu nimiùm dictis aut factis contra decorum & rationis præſcriptum ſtudet complacere, & alium recreare: hoc autem per ſe eſt peccatum veniale tantum, vt tradit D.Thom. quæſt. 115. art. 2. poteſt tamen tribus potiſſimùm modis contingere, quod ſit mortale.

Primò, ratione materiæ, vt ſi collaudes & applaudas alteri pernicioſè in peccato, vt fit quando *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*: quod ſæpius ſub ſpecie virtutis, non abſque graui peccato fit ab adulatoribus.

Secundò, ratione finis, vt ſi homini ad os loquaris, vt noceas ſiue corporaliter, ſiue ſpiritualiter; & contra tales dicitur Prouerbiorum cap. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oſcula.*

Tertiò, ratione effectus mali qui ſequitur, quem etſi non expreſsè intenderis, tamen debuiſti & potuiſti præuidere & cauere: de quo vide dicta ſuprà de ſcandalo.

37 Per litigium intelligit D. Thom. vitium, quo quis in congreſſibus ſolet ab alijs paſſim diſſentire, & in omnibus penè contradicere ad tædium, & moleſtiam quandam illorum. Hoc per ſe ſolum ordinariè tantum erit veniale; quia non videtur res grauis, neque vitam ſocialem euertit, quamuis eam non nihil incommodet, & minus reddat ſuauem: poſſet tamen eſſe mortale ſi ad grauiorem indignationem aut animi mœrorem alter prouocaretur. Vide D. Tho. qu. 116. art. 2.

Vnde per ſe loquendo, videtur litigium eſſe maius malum, quàm adulatio; nam peius eſt eſſe moleſtum alijs in congreſſibus, quàm in blanditijs excedere: ſed tamen ratione materiæ & finis aut effectus, ordinariè adulatio eſt perículoſior, & grauius peccatum: quare magis ab adulatoribus, quàm ab ingenijs moroſis quiſq; ſibi cauere debet: quod Pſaltes indicat Pſal. 140. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

DVBIVM IX.

De liberalitate, an ſit virtus? & annexa Iuſtitia: & quæ vitia ei opponantur?

Reſpondetur: liberalitas eſt virtus & quidem ſpecialis, quæ in pecunijs, & alijs rebus quę pecunijs æſtimantur, conquirendis, conſeruandis, & potiſſimum elargiendis affectum & vſum moderatur ſecundum rationis dictamen. Sumitur ex D.Th. quæſt. 117. art. 1. 2. & 3. 38

Eſtque iuſtitiæ annexa, vt docet D.Tho. quæſt. citatâ, art. 5. quia cum illa conuenit in duobus: primò, quia principaliter quoque eſt ad alterum: præcipuum enim huius virtutis officium eſt, iuxta rationis menſuram alijs communicare ſeu dare de ſua ſubſtantia: vnde & Chriſtus dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere.

Secundò, quia verſatur circa res exteriores, ſicuti & iuſtitia: ſed tamen quia exilis tantum concurrit ratio debiti, quæ non eſt debiti legalis, ſed moralis, & attenditur ex quadam eius decentia, vt habet D. Thom. art. 5. citato ad 1. hinc à perfecta ratione iuſtitiæ deficit.

Huic opponitur in primis auaritia, quam docet D.Thom. quæſt. 118. art. 6. ei opponi per exceſſum, quatenus ſcilicet conſiſtit in immoderato, & exceſſiuo appetitu & amore habendi, dum quis ſuprà debitum modū ſtudet acquirere & retinere diuitias. Addit autem D.Thomas, art. 6. auaritiam eſſe de genere peccatorum ſpiritualium: & art. 7. eſſe de genere capitalium, ex qua plurimas malas peſtes oſtendit naſci art. 8. Contra hoc vitium multa diſſerit Eccleſiaſtes cap. 5. & 6. quibus oſtendit & malitiam eius, etiam ab Apoſtolo ſæpius damnatam, & miſerias eorum qui hoc vitio laborant & ab eo poſſidentur. Porrò auaritia peccatum eſt mortale, quando cupido habendi eouſque progreditur, vt faciat hominem legem iuſtitiæ, vel charitatis erga Deum aut proximū violare, vt docet D. Thom. quæſt. 118. art. 4. quod non videtur intelligendum tantum pro caſu illo, quo pręceptum charitatis per ſe obligat ſub mortali, ſed etiam in caſibus minoris neceſſitatis. Vnde auarus qui opulentus eſt, & ex immoderato amore pecuniarū nō ſubuenit proximo in mediocri neceſſitate ſiue indigentiâ conſtitutis, forſitan apud Deum à mortale peccato non excuſabitur: ſanè in hoc vitium valdè inuehuntur Scripturæ ſacræ tum veteris, tum noui Teſtamenti, vt cap. 10. lib. Eccleſiaſtici. *Auaro nihil eſt ſceleſtius*; item *Nihil eſt iniquius quā amare pecuniā.*

Similiter contra auarum agit Eccleſiaſtes locis citatis. Apoſt. cap. 1. ad Rom. adnumerat auaritiam cum peccatis illis, quæ qui agunt, dicit, *Dignos eſſe morte*, & ad Epheſ. cap. 5. dicit, *Auaritiam eſſe idolorum ſeruitutem*: nec videntur eius grauitatem tantam ponere ſolum in malitia aliorum peccatorum quæ ſecum trahit. Neque Parabolicus ille Diues Luc. c. 12. qui dicebat, *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia* &c. arguitur quod fecerit contra iuſtitiam, aut neglexerit opera charitatis in extrema aut graui neceſſitate proximi, ſed quod nimio ſtudio conquiſierit diuitias & nimio affectu illis adhæſerit. Vnde D. Thomas art. 4. cit. ad 2. indicat etiam poſſe mortaliter peccari propter ſuperfluitatem habitorum.

Aliud vitium quod liberalitati opponitur, docet D. Thom. eſſe prodigalitatem, idque per defectum, quatenus minùs quàm oportet, diuitiarum, & rerum ad familiam pertinentium curam gerit: De qua re vide D. Thomam quæſt. 119. art. 1. & 2. Interim reſpiciendo non ad amorem pecuniæ, ſed ad eius elargitionem, ſic prodigalitas per exceſſum, auaritia autem per defectum opponi dicenda erit liberalitati. Et hæc dicta ſint de Iuſtitia & Virtutibus eidem annexis.

DE FORTITVDINE, TRACTATVS VNICVS.

EXPLICATIS illis quæ ad Iuſtitiam ſecundam virtutem Cardinalem per ſe aut reductiuè videbantur ſpectare, pergit D. Thom. tractare de Fortitudine, quæ 3. eſt virtus Cardinalis. Diſputat autem de hac, & de alijs illi annexis à quæſt. 123. vſque ad quæſtionem 151. quæ breuitatis cauſa ad duo reducemus capita: in priori agemus de ipſa virtute Fortitudinis ſecundum ſe, de actibus illius, & officijs, ac de vitijs oppoſitis: in poſteriori autem de virtutibus quæ ad Fortitudinem reuocantur & de vitijs oppoſitis.

CAPVT PRIMVM.

De virtute Fortitudinis ſecundum ſe, de eius actibus & officijs, ac de vitijs illi oppoſitis.

DVBIVM PRIMVM.

An Fortitudo ſit virtus ſpecialis, & quod eius obiectum ſiue materia circa quam?

1 VT intelligatur an Fortitudo ſit virtus ſpecialis, notandum eſt cum D. Thoma qu. 123. art. 2. in Corpore, nomen Fortitudinis dupliciter ſumi poſſe.

Vno modo vt dicat animi firmitatem in honeſtè operando; & ſecundùm hoc, inquit, eſt generalis virtus, vel conditio cuiuſlibet virtutis, quia ſicut Philoſophus dicit lib. 2. Æthycorum cap. 4. ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari: alioquin non cenſebitur adhuc tam virtus acquiſita, quàm diſpoſitio virtutis.

Alio autem modo ſumi poteſt ſecundum quod importat firmitatem animi in aggrediendis & ſuſtinendis rebus difficilioribus, præſertim quæ mortem, cruciatus, aut dolores adferunt, vt ſcilicet in illis ſecundum rationis regulam quis moderetur animi paſſiones; & inde ſubſequentes actiones.

Fortitudinem itaque ſic acceptam docet in primis D. Thom. art. 1. eſſe virtutem, idque cum Philoſopho lib. 3. Æthyc. & Auguſtino lib. De moribus Eccleſiæ cap. 15. & 22. quos ſequuntur Doctores communiter. Probatur, quia facit hominem ſecundum honeſtatis regulas ſeſe habere. Deinde eſſe ſpecialem virtutem oſtendit D. Tho. art. 2. quia præſtat quod in talibus rebus terribilibus, nihil homo ex animi perturbatione cõtra rectam rationem agat, quod ſcilicet nec temerè ſe in pericula inijciat, nec propter periculorum inſtantiam ab honeſto recedat. 2

Rectè

Rectè itaque d[...]itur fortitudo à Cicerone, lib. 2. De inuentione, quòd ſit conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.

Porrò vt intelligatur, quæ huius virtutis ſit materia propria, ſimiliter obſeruandam quoque eſt cum D. Thoma quæſt. 123. cit. art. 7. quòd ſcilicet, quemadmodum iuſtitia actionibus quæ circa alium verſantur, indit ex officio, & quaſi infundit formam ſuã, ſcilicet rectitudinem & ęqualitatem, vt eas rectas & iuſtas conſtituat, ita fortitudo animi paſſionibus, nimirùm timoris & audaciæ, imprimat formam ſuam, ſcilicet debitam rationis menſuram, vt rationis regulæ conformentur, quemadmodum fortitudinis virtus eidem eſt conformis: omnis namque virtutis habitualis hic finis eſt proximus, imprimere ſimilitudinem ſui aut in actionem, aut in paſſionem animi tanquam in propriã & proximam materiam: quemadmodum finis ignis calefacientis (inquit D. Thomas loco citato) eſt vt inducat ſimilitudinem ſui caloris in patiente, & finis artis ædificatoriæ eſt, vt ſimilitudo artis inducatur in materia.

4 Modus autem rationis primò & radicaliter exiſtit in virtute prudentiæ, vt ſignificat D. Thom. ibidem: quemadmodum enim in factibilibus materia exterior diſponitur per artem, ita etiam in agibilibus, inquit, per prudentiam diſponitur actus humanus: idq; hoc quaſi ordine: ab habitu prudentiæ tranſit modus rationis in actum ipſius prudentiæ: ab actu autem prudentiæ transfunditur & quaſi imprimitur actui interno voluntatis, ab actu autem interno voluntatis trãſit in habitum virtutis qui per actus comparatur: habitus verò genitus imprimit proximè actioni externæ, ſi illam tanquam materiam immediatam reſpiciat, quemadmodum de Iuſtitia diximus, quòd formam ſuam imprimat actionibus circa alium: vel paſſioni animi, ſi circa hanc moderandam proximè verſatur, & conſequenter actioni quoque externæ: nam & huius moderatio eſt finis particularis quodammodo vltimus eiuſmodi virtutis, quæ circa animi paſſiones immediatè verſatur. Vide D. Thomam, quæſt. 123. art. 7.

5 Porrò ſicuti fortitudo timorem & audaciam moderatur antequam malum euenerit, vel quando ſuperari adhuc poteſt, ita poſtquàm euenerit, & ſuperari nequit, moderatur paſſionem triſtitiæ, ne quis ex nimio animi mœrore propter malum quod euenit, aliquid contra honeſtatem agat.

Ex his itaque intelligitur proximam fortitudinis, vt eſt ſpecialis virtus, materiam eſſe has animi paſſiones ſcilicet timorem, audaciam, & triſtitiam, circa quas verſatur: ſicuti, v. g. ars ſtatuaria circa æs vel lignum. Ita D. Thom. quæſt. cit. art. 3. ex Ariſtotele, lib. 2. Ethic. cap. 7. & alij communiter. Iſtis enim paſſionibus moderationem & rationis menſuram indere ac imprimere ante omnia conatur, ſicuti & ipſa ars ſuam formam imprimere intendit æri aut ligno.

Remotior autem materia ſunt huiuſmodi actiones externæ, vt aggreſſio operis non obſtantibus periculis, perduratio & ſuſtinentia in malis, ac geſtus ipſi & motus corporis: fortitudo enim, compoſitis animi paſſionibus, moderatur quoq; actiones illas, vt ordinatè ſecundum rationis regulam, & prout virum fortem decet, fiant.

Porrò ſicuti artis ſtatuariæ opus propriũ non eſt æs aut lignum, neque ſectio, aut fuſio ſecundum ſe conſiderata, ſed ipſa forma ſeu figura ſtatuæ aſſimulata arti, & ideæ in mente artificis, ſiue ipſum compoſitum ſtatuæ: ſic quoque fortitudinis opus proprium non ſunt prædictæ paſſiones, neque actiones illæ externæ nudè conſideratæ, ſed moderatio iſtarum paſſionũ animi & actionum ſubſequentium ex quà oritur quod fiant prout virum fortem commoueri, & agere decet, iuxta ſcilicet rationis dictamen: ſiue ipſæ paſſiones & actiones prædictæ ſic moderatæ ſunt proprium opus eius. 6

Remotiſſima denique materia huius virtutis ſunt pericula malorum inſtantium, aut ipſa mala obuenientia, ex quibus naſcuntur prædictæ paſſiones, & circa quæ pericula aggredienda aut toleranda, exercentur actus præfati.

Docet autem D. Thom. quæſt. cit. art. 4. quod fortitudinis virtus maxime verſetur circa pericula mortis, & timores inde naſcẽtes: quia virtutis ratio potiſſimùm reſpicit vltimum & maximè arduum; atqui inter corporalia mala, maximè terribilis eſt mors. 7

Addit verò vlteriùs art. ſequenti, quòd maximè reſplendeat circa pericula mortis quæ in bello imminent, iuxta Philoſophum, libro 3. Ethicorum, cap. 6. quod tamen explicat ſe intelligere, non tantùm de periculis quæ in bello communi, vbi plures ſimul pro fide aut patria confligunt, ſed etiam de illis quæ in particulari quaſi bello ſiue in particulari impugnatione inſtant, vt quando Iudex aliquis non diſcedit à iuſto iudicio propter timorem gladij imminentis, vel cuiuſque alterius periculi, quamuis putetur mortem allaturum. Similiter quando teſtis non recedit à vero dicendo non obſtante ſimili periculo.

Huc etiam pertinet quando quis non refugit proximo infirmanti ſeruire & obſequi propter periculum infectionis, & ſic quoq; ſimiles neglectus periculorum talium, vt loco citato explicat D. Thom. 8

Huic autem virtuti ſubſeruit ira ſeu indignatio, quatenus tamen lege rationis eſt temperata,

temperata; vt tradit D. Thom. quæſt. 123. citata, art. 10. ex Philiſopho, lib. 3. Ethic. c. 8. Hinc Iſaiæ c. 63. dicitur: *Et indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi, & conculcaui populos in furore meo.* Ex hactenus dictis ſufficienter conſtat quinam ſint actus, & quæ munia fortitudinis. Vnde nihil de illis vlterius hic eſt addendum.

DVBIVM II.

Vtrùm martyrium ſit actus virtutis, & vtrùm ſit actus fortitudinis?

DIſputat hac de re ſpecialiter D. Thom. quæſt. 124. art. 1. & 2.

9 Vbi hoc in primis præmittendum eſt, quod Eccleſia duplex agnoſcat martyrium.

Vnum conſiſtit in voluntaria acceptatione & tolerantiâ tormentorum mortis pro teſtificatione veritatis fidei, & veræ religionis, quale eſt martyrium adultorum, qui cum vſu rationis ſuſtinent tormenta & mortem pro Deo, & verâ religione.

Alterum conſiſtit tantum in tolerantia & perpeſſione mortis à Tyranno in odium Chriſtianæ religionis illatę: quam tamen qui patiuntur, non apprehendunt, neque cum iudicio rationis quo carēt, acceptant. Huiuſmodi fuit martyrium Innocentum quos iuſſit Herodes à bimatu, & infra occidi in Bethleem Iudæ & finibus eius: hos enim in honorem Martyrum receptos veneratur Eccleſia, vt ait D. Auguſt. lib. 3 De libero arbitrio, cap. 23. quia ſcilicet teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibebant paſſione: quod & Eccleſia indicat in Collecta, quam in Feſto eorumdem decantat; Deus cuius præconium innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, &c.

Quando enim Tyrannus in odium Chriſti, tales vſum rationis carentes occidit propter ordinem aliquem quem ad Chriſtum habent, vt quia in numero illorum paruulorum putabatur & Chriſtus eſſe; vel quia ſunt ex parentibus Chriſtianis, aut ex ſimili fundamento, hinc vt malum illud ſui cauſa illis illatum, Chriſtus compenſet, benignè ſupplet defectum actus voluntatis ipſorum, & tanquam ex eorum voluntate pro ipſo toleratum, acceptat & iuſtitiam infundendo remunerat: vt quemadmodum eis mala voluntas primi Adæ tanquam communis principij generis humani obfuit ad damnationem, ita benigna voluntas ſecundi Adæ ſcilicet Chriſti, in hoc caſu eis proficiat ad ſalutem.

10 Hâc diſtinctione poſitâ, non mouetur propriè quæſtio de martyrio hoc ſecundi generis, quia conſtat non eſſe opus virtutis in paruulis, qui necdum ad rationis vſum peruenerint; ſed de martyrio primi generis.

Et de hoc dicendum eſt primò, quod omninò ſit opus virtutis, vt docet D. Th. art. 1. cit. contra Baſilidem Hęreticum, qui dixit non licere ſubire martyrium, vt indicat Tertull. lib. De præſcriptione circa finem. Probatur ratione in primis, quia ad virtutem pertinet quod quis in bono rationis perſiſtat: ratio autem martyrij poſtulat quod in veritate, & iuſtitiâ ſeu ſanctitate, quæ ſunt ipſum bonum rationis, firmiter quis permaneat contra perſequentium impetus, vnde manifeſtum euadit quod martyrium ſit opus virtutis. Probatur 2. ex Scripturis, Matth. cap. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*, & cap. 10. *Nolite timere eos* (inquit Chriſtus) *qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, ergò &c.

Verùm à nonnullis negatur, vt refert Caiet. quæſt. citata, artic. 2. quod ſit opus fortitudinis, ſed volunt eſſe illius virtutis opus quæ impugnatur, & ad perfectionis gradum peruenit. 11

Fundamentum eſſe poteſt, nam quælibet virtus, vbi ad perfectionis gradum peruenit, eſt ſufficiens, vt faciat amore ſuæ honeſtatis mortem contemnere: in eo namque virtutis perfectio conſiſtere videtur, quod voluntatem ita firmiter in bono faciat inhærere, vt illud etiam vitæ anteponat. Hinc quando quis ſolo Dei amore eligit mortis tolerantiam, erit actus charitatis; ſi amore fidei Chriſtianæ, erit opus fidei; ſi amore caſtitatis, erit actus temperantiæ.

Confirmatur Primò, quia eiuſdem virtutis eſt amare finem, & medium neceſſarium ad finem; atqui amare Deum eſt actus charitatis, & amare caſtitatem eſt actus temperantiæ, ergo & eligere mortem, eamque ſubire quando eſt medium neceſſarium ad conſeruandum Dei amorem, erit actus charitatis, & ſimiliter quando eſt medium neceſſarium ad ſeruandum caſtitatem; erit opus temperantiæ.

Confirmatur Secundò, quia ſi poſſim moderari timorem mortis, eamque velle ſuſtinere affectu honeſtatis quæ eſt in virtute fortitudinis, non dubitandum videtur, quin etiam id magis poſſim affectu Chriſtianæ religionis, aut charitatis erga Deum, vel ſimilium virtutum, quando conſtat eſſe medium neceſſarium ad bonum harum virtutum conſeruandum: quandoquidem honeſtas iſtarum & amplior, & clarior in ſe ſit quam iſta. His tamen non obſtantibus

DICO Secundò cum D. Thoma, quęſt. citatâ, artic. 2. quod martyrium omninò agnoſcen- 12

agnoſcendum ſit opus eſſe virtutis fortitudinis.

Probat id D. Tho. ex S. Cypriano, lib. 2. epiſt. 6. vbi ſcribit, O beati Martyres, quibus vos laudibus prædicem? O Milites fortiſſimi; robur corporis veſtri quo præconio vocis explicem. Deinde ad idem propoſitum allegat illud ad Hebræos, cap. 11. *Fortes facti ſunt in bello*: & ſimiliter paſſim Sancti PP. de martyrio ſentiũt & loquuntur. Vide D. Ambroſium, lib. 1. De officijs, cap. 36. & 41. D. Auguſtinum, lib. 1. De moribus Eccleſiæ, cap. 22. & 23. & D. Chryſtomum, homilia 85. in Matth.

13 Quod itaque ad obiecta attinet, etſi illa videantur oſtendere, poſſe quidem mortis acceptationem & perpeſſionem procedere ab alijs virtutibus abſque formali intuitu ad honeſtatem, quæ per ſe virtuti fortitudinis ineſt; nihilominùs tamen non ideò negandum dicimus, quod ſint actus fortitudinis, quia dum ſe hic offert propria materia fortitudinis, videlicet mortis periculum, & mors ipſa ſubeunda, ex quibus timoris & triſtitiæ paſſiones exurgere ſolent, non eſt ratio quare negari debeat, quod virtus fortitudinis quæ eſt quædam animi firmitas quâ non cedit quis eiuſmodi malis, hic concurrat, & exerat quoque vires ſuas tam in paſſionibus illis animæ moderandis, quàm in malis tolerandis, & hinc dicit D. Tho. art. citato ad 2. Quod ad actum martyrij inclinet charitas, ſicut primum & principale motiuum per modum virtutis imperantis: fortitudo autem per modum virtutis elicientis. Vnde fit, quod martyrium non tantum habeat bonitatem, v. g. actus fidei ſicut ſimplex confeſſio fidei, nec tantum bonitatem actus charitatis, ſed etiam bonitatem & honeſtatem propriam, quæ eſt fortitudinis. Vide D. Th. quæſt. 124. art. 2. ad 1. & 2.

DVBIVM III.

Quæ ad rationem martyrij requirantur, vt ſit opus virtutis?

14 RESpondetur: Primò requiritur perpeſſio mortis illatæ ex odio religionis Chriſtianæ ſiue religionis veræ & diuinæ: vel propter opus virtutis quod religio præcipit aut cõmendat. Eſt D. Th. qu. cit. art. 4. & 6. & DD. communiter. Declaratur, quia martyrium eſt quoddam teſtimoniũ, quod Deo & Diuinæ doctrinæ perhibemus, mortem quaſi in obſignationem veritatis ſubeundo. Vide D. Thom. art. 4. citato.

Non tamen martyrij rationi obſtabit, etſi Tyrannus forſitan dicat ſe non inferre mortem propter confeſſionem veritatis fidei, aut propter conſtantiam in virtute; quia ſcilicet vel ipſe illa ignorat, aut quia iudicat eos à vera fide aberrare, aut quia inuidet hanc gloriam ijs quos ſupplicijs afficit, quod dicerentur pro fide aut virtute mortem toleraſſe; ideoque aliã cauſam allegat & opponit, vt quòd tanquã reipublicæ perturbatores ſint rei læſæ maieſtatis, vel aliquid ſimile: nam ſufficit quod propter confeſſionem veræ fidei, eiuſve actus & exercitia mortem ſuſtineant, quidquid interim de iſta confeſſione & de illis exercitijs, Tyrannus ſentiat ac iudicet.

15 Quemadmodum è contra non ſufficit ad martyrij rationem, quod quis vanè exiſtimet ſe pro veritate fidei, aut pro virtute occidi, quando verè occiditur propter doctrinam falſam, & verè religioni contrariam, vel propter ſua crimina: hinc rectè ſcribit D. Auguſt. concione 2. in Pſal. 34. Martyrem non pœna, ſed cauſa facit, pœna enim communis eſt, & latroni & martyri, hæretico & catholico.

Hic autem quæritur primò, Vtrùm ad martyrium ſit neceſſarium, quod mors reipſa ſequatur.

16 Reſpondetur ad martyrij rationem perfectam requiri, quod mors ſequatur reipſâ, aut ſaltem ſufficiens ſit cauſa poſita mortis, ex qua naturaliter ſequeretur, niſi diuinitùs impediretur. Ita D. Thom. art. 4.

Poteſt autem dupliciter contingere quod diuinitus impediatur, vno modo, quod vulnera lethalia ſint inflicta, atque neceſſariò ſecundum naturæ curſum mors nata eſt ſequi: alio modo quod extrinſeca quidem cauſa ſit ſufficienter applicata, vt læſionem & mortem adferat, ſed tamen diuinitùs ita impeditur, vt neque cruciatum, neque læſionem cauſet: quemadmodum quando tres pueri iniecti ſunt in caminum ignis ardentis, & quando Ioannes Euangeliſta miſſus fuit in dolium olei feruentis: omnes enim qui pro veritate fidei, & conſtantia virtutis, hæc ſupplicia ſubierunt, ab Eccleſia inter Martyres numerantur, & acceptatio illa mortis ex parte ipſorum, haud dubiè meritum martyrij obtinuit, & actus eius fuit: iſta namque ſic ſubeundo, non minus efficax teſtimonium fidei ſuæ exhibuerunt, quàm ſi mors fuiſſet ſubſecuta. Vnde nec dubium quin martyrij præmium & aureolam ſi in ſtatu gratiæ poſtmodum diſceſſerint, percepturi ſint.

17 Completiſſimum tamen & ſecuriſſimum martyrium eſt, quod ipſa morte de facto cõſummatur; quamuis omnino piè credendum ſit, quod Deus nunquam ſinat illos à charitate, ſaltem finaliter, excidere, qui iam fortiter & fœliciter dimicando ad metam curſus ſui peruenerant, niſi ex altiori cõſilio

& ſpeciali

Digitized by Google

& ſpeciali Dei operatione, ſupra naturam fuiſſet prolongatus.

Quod autem ad illos attinet qui mortis perpeſſionem habuerunt in animi voto pro fide Chriſti, & iam cœperunt cruciatus & tormenta pro illa ſuſtinere, quamuis nondũ lethalia fuerint adhibita, tamen etiam hi paſſim ab antiquis inter Martyres fuerunt numerati, vt videre eſt apud D. Cyprianum, epiſtola 9. & 16. 30. & alijs. Item apud Tertulianum, libro ad Martyres, & libro aduerſus Praxeam. Poſterioribus tamẽ hiſce temporibus non ſolent vocari Martyres, niſi qui mortem per tormenta & cruciatus, aut per ſqualloros pro Chriſto inflictos & toleratos, ſubierunt.

Secundò requiritur ad martyrium acce-
19 ptatio mortis: idque ob honeſtam & piam cauſam. Patet prior pars, quia martyrium de quo agimus, eſt opus virtutis: nemo autem exercet opus virtutis, propriè loquendo, abſque ſua voluntate & conſenſu in illud.

Non tamen neceſſarium eſt, quod quis actualiter habeat eiuſmodi actum voluntatis quando occiditur; ſed ſufficere poteſt quod dum quis hoc vel illo loco fidem prædicat, aut profitetur, vel dum exercet tale vel tale opus virtutis Chriſtianæ, aduertat ſibi imminere poſſe periculum mortis, palàm aut clam inferendæ in odium talis profeſſionis: & quod eiuſmodi cõſideratione poſitâ progrediatur cum animo parato ad mortem ſubeundam: etſi enim tunc in ſomno, vel aliàs ex improuiſo quando minimè cogitat, occidatur ob eiuſmodi cauſam, verè erit Martyr, nec fruſtrabitur martyrij coronâ.

Altera autem pars, quod ſcilicet debeat acceptari ob cauſam honeſtam & piam, conſtat ex doctrina D. Auguſtini antè allegata, quia Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, ſcilicet honeſta ac religioſa ſeu ſancta. Hinc primæ Petri cap. 4. *Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.*

20 Petet aliquis quomodo Martyres ſpecialiter dicãtur teſtes Chriſti & fidei Chriſtianę, quandoquidem & illi qui pro alio opere virtutis ſuſtinent mortem, habeantur inter Martyres?

Reſpondetur, verum eſſe quod in quæſtione aſſumitur, vt etiam antè cum D. Thoma & ex ſententia communi diximus, & colligitur ex illo Chriſti Domini, Matthæi cap. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam:* quod ad martyrium ſpectare, notauit Gloſſa ex S. Ieronymo ibidem. Nihilominùs Martyres rectè dici ſpecialiter teſtes Chriſti, & eius fidei, quia hoc ipſo quo apprehenditur & patitur quis propter virtutem quam colit cum reſpectu & ordine ad Deum ſeu Chriſtum, ſiue ad Chriſtianam religionem (puta quia virtutem illam Deus præcepit, aut nobis tanquam ſibi gratam commendauit) patitur quoque pro veritate fidei quæ docet eiuſmodi virtutem eſſe in præcepto, aut in conſilio: ex fide enim hoc tenet. Vnde & eiuſmodi Martyres iã quoq; teſtimoniũ veritati fidei perhibẽt, & pro illa patiuntur: nam ipsâ mortis perpeſſione pro tali opere, teſtantur veram eſſe doctrinam illam & fidem, quâ tenetur eiuſmodi opera eſſe bona & ſancta ac Deo grata, vt docet latiùs D. Thom. quæſt. cit. art. 5.

Tertiò requiritur, quod quis non reluctetur & contra Tyrannum repugnet: ſed ſine reſiſtentia ſinat ſe interfici. 21

Hinc milites qui pro defenſione fidei & religionis Chriſtianæ pugnant, licet in eiuſmodi bello ab hæreticis aut infidelibus occidantur, non tamen ideo Martyres ſunt, neque Eccleſia vnquam tales tanquam Martyres habuit: quamuis interim multum mereantur, ſi bonâ & purâ omnino intentione pro fide & religione id faciant.

Ratio eſt, quia qui ſic pugnando moriuntur, non eligunt mortem perpeti pro fide: ſed magis impedire, ne fides & religio ab alijs extermінentur, eoſque potius internecioni dare: quare non per ſe & directè acceptant mortem pro fide, ſed tantum aliquo modo indirectè, quatenus ſe exponunt periculo mortis pro defenſione fidei contra infideles, & dum infertur potius ex neceſſitate quadam patiuntur, quia ab hoſte ſuperantur, quàm ex voluntaria illius acceptatione.

Accedit quod exemplar martyrij ſit mors Chriſti Domini, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur: tradebat autem ſe iudicanti iniuſtè, vt dicitur 1. Petri, cap. 2. & Iſaiæ, cap. 53.

Quartò requiritur, vt fide ſupernaturali quis teneat veritatem illam pro cuius confeſſione moritur: ſi namque eam iudicio tantum proprio & humano teneret, quemadmodum hæretici quaſdam fidei veritates tenent ſimul cum ſuis erroribus, iam non tam moritur pro doctrina Chriſti, quàm pro ſuo ſenſu. 22

Hinc Sancti PP. paſſim tradunt hæreticos non eſſe Chriſti Martyres, etiamſi contingat eos pro confeſſione Chriſtiani nominis apud infideles ſiue gentiles mortem ſuſtinere, adeoque extra Eccleſiam martyrium non eſſe, quia ſcilicet veritatem non tenent, aut ſi eam quibus teneant, non credunt fide diuinâ & ſupernaturali, captiuando intellectum in obſequium fidei Chriſti, ſed ex alijs conſiderationibus quæ ipſorum ſenſui ſapiunt.

Hinc

Digitized by Google

Hinc Cyprianus epiſtola 73. quæ eſt ad Iubeanum ſcribit: & tamen neque hoc baptiſma (ſcilicet ſanguinis de quo agit) hæreticis prodeſt, quamuis Chriſtum confeſſi, & extra Eccleſiam occiſi ſint. Idem ſignificant Aug. epiſt. 61. & 167. lib. 3. contra Creſconium grammaticum, & lib. 4. contra Donatiſtas, c. 17. & D. Hieronymus in caput 1. ad Galatas; Quintò requiritur ſtatus gratiæ, aut legitima ſaltem & ſufficiens ad illum diſpoſitio.

DVBIVM IV.

Qualis in homine peccatore requiratur diſpoſitio, vt martyrium ei proſit ad ſalutem?

23 Reſpondetur: in primis hoc apud omnes indubitatum eſt, quod homo peccator, qui affectu actuali aut virtuali perſeuerat inhærere alicui peccato mortali, non ſit diſpoſitus vt ei martyrium proſit ad ſalutem. Conſtat ex illo Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vide D. Thomam, 3. parte quęſt. 87. art. 1. ad 2.

Sed ſepoſito tali affectu, diſputatur, quæ alia diſpoſitio requiratur: de qua re ſunt diuerſæ Doctorum ſententiæ.

Quidam dicunt eſſe neceſſariam de peccatis contritionem ex Dei dilectione ſuper omnia. Ita Paludanus in 4. qu. 3. art. 1. vbi ſcribit, Ad baptiſmum ſanguinis non ſufficit attritio, ſed requiritur contritio; ad baptiſmum aquæ ſufficit contritio: & cauſa eſt, inquit, quia ille iuſtificat ex opere operato, iſte ex opere operantis. Idem indicant D. Bonauentura eadem diſt. parte 2. q. 2. Alexander 4. parte quæſt. 22. membro 3. art. 1. & ſequitur Melchior Canus, Relectione de pœnitentia, parte 3.

Poteſt fundari hæc ſententia in Scriptura 1. ad Cor. 13. antè allegatâ. Item quia martyrium non eſt Sacramentum: videtur autem Sacramentis proprium iuſtificare abſq; perfecta contritione.

Alij nonnulli exiſtimant ſufficere ſolam voluntatē patiendi pro Chriſto, quando ipſa mortis perpeſſio coniungitur: neque opus eſſe alia pœnitentia, quantumuis etiam homo peccatorum recordaretur. Fundamentum horum eſt, quod eiuſmodi voluntas ſit virtualis quædam Dei ſuper omnia dilectio & peccatorum deteſtatio. Ita Vega, lib. 6. ad Concilium Tridentinum, cap. 36.

24 Tertij denique docent nō requiri in peccatore contritionem ſtrictè acceptam tanquam diſpoſitionem neceſſariā, vt illi martyrium proſit: requiri tamen attritionem, quando peccati eſt conſcius. Prior eſt D. Thomæ, 3. parte q. 87. art. 1. ad 2. Paſſio, inquit, pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & ideo purgat ab omni culpa veniali & mortali, niſi actualiter inuenerit voluntatem peccato inhęrentem. Idem docet Caiet. ibidem, & alij plures Commentatores D. Thomæ.

Probatur autem primò; quia quòd martyrium non habeat ex ſe, ſiue ex ordinatione diuinâ vim aliquam remittendi peccatum mortiferum, & conferendi primam gratiam, ſed tantummodo ex opere & actu charitatis eius qui ſuſtinet, omninò apparet falſum, & contra doctrinam SS. Patrum, qui adultorum martyrium æquant baptiſmo aquę, imò ſupra hunc videntur extollere.

Clemens, lib. 5. conſtitutionum Apoſtolicarum, c. 3. Qui martyrio habitus eſt dignus, inquit, is lætitiā in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus ſit, & quod propter confeſſionem ex hac vita exeat: etſi Catechumenus ſit, recedat ad Deum lætus; cruciatus quo propter Deum afficitur, erit ei verior baptiſmus: quòd is quidem experiētiâ ipſâ mortis cōmoritur Chriſto, reliqui verò myſticâ repræſentatione: vbi Clemens non actum internum, ſed ipſam mortem externam pro Chriſto præfert baptiſmo, quo ad efficaciam ex hoc capite, quia eſt realis quędā configuratio cum Chriſto moriente.

Tertullianus in Scorpiaco ſcribit, martyribus nulla delicta poſſe imputari, quibus in lauacro (ſcilicet ſanguinis) vita ipſa deponitur: & in Apologetico circa finem, Quis non pati exoptet, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compenſatione ſui ſanguinis recipiat; omnia enim huic operi delicta donantur: quibus locis cauſam remiſſionis peccatorum & iuſtificationis adſcribit ipſi paſſioni & morti martyris.

Cyprianus epiſtola 73. nunquid poteſt vis baptiſmi eſſe maior aut potior, quàm confeſſio? quàm paſſio? quàm vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur? Sanè ſi paſſio pro Chriſto non haberet vim niſi ex opere & actu ipſius patientis, longè maior eſſet vis baptiſmi qui per ſe ad ſalutem valet, etiam vbi contritio charitate formata ſiue perfecta non præhabetur.

D. Auguſt. lib. 13. De ciuitate, cap. 7. 25
quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm ijs valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis: quod inde probat, quia qui dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,* &c. etiam dixit, *Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram*

Patre meo: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam: & hinc eſt, inquit, quod ſcriptum ſit, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*. Quid enim pretioſius quam mors, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur: & cap. 6. Si pro pietate, iuſtitiaque pendatur (mors ſcilicet) fit gloria renaſcentis, & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, vt nihil retribuatur peccato.

Idem, & alij Patres docent: in quibus notandum quod ipſa mortis perpeſſio ſecundum ſe, ab illis comparetur cum Baptiſmo, ac ei tribuatur vis delendi peccata: non autem referatur hæc vis in internam animi cōtritionē; ergo quemadmodū Baptiſmus non prærequirit neceſſariò contritionem pefectā tanquam diſpoſitionem, ita neq; martyrium.

26 Probatur eadē pars ſecundò, quia ſi martyrium haberet dumtaxat vim iuſtificandi ex interno affectu & actu patientis, conſequens eſſet, quòd paruuli ante vsū rationis, per martyrium non conſequerentur peccati originalis remiſſionem & iuſtitiam: quod iuxta communem Eccleſiæ ſenſum, omnino falſum eſt: quę Innocentes pro Chriſto occiſos, ſemper tanquā Martyres coluit: & Patres ac Doctores Eccleſię paſſim eos Martyres vocant, & conſecutos dicunt ſtatum melioris vitæ, regnum Cœlorum, gloriam martyrij, & factos conſortes Agni.

27 Probatur altera pars contra Vegam, quod ſcilicet homini peccatori adulto neceſſaria ſit ſaltem attritio, quando peccatorum recordatur.

Primò, quia vt quis per Sacramentū Baptiſmi per ſe inſtitutum ad cōferendam primam vitam iuſtitiæ, (vnde etiam Sacramentum regenerationis dicitur) aſſequatur peccatorum remiſſionem & infuſionem primæ iuſtitię, debet de peccatis ſuis, ſi adultus fuerit, attritionē ad minus concepiſſe, vt omnes Theologi paſſim docent: ergo ſimiliter idem debet dici de martyrio. Replicabit aliquis, Sancti Patres videntur aliquid amplius attribuere martyrio quàm Baptiſmo; quia martyrium ſupra baptiſmum extollunt; ergo nō videtur neceſſaria attritio illi qui martyrium ſuſtinet, ſicuti illi qui baptizatur.

28 Reſpondetur Neg. Conſeq. quia quòd aliquando martyrium extollant quodāmodo ſupra baptiſmum, non ideo eſt, quod ſine huiuſmodi diſpoſitione Martyris deleat peccatum: ſed partim, quia in ſe eſt opus magis arduū, & partim, quia ex opere operato plus gratiæ quàm baptiſmus cum pari diſpoſitione ſuſceptus confert.

Probatur ſecundò, quia dum quis ſuorū eſt memor peccatorum, quibus Deum mortaliter offendit, in tali circumſtantia temporis omnino obligatur de illis dolere, ac deteſtari; & veniam petere vt Deo reconciliatur: nam pœnitentia eſt medium neceſſariū per ſe ad obtinendam reconciliationem, etiam inter ipſos homines: non enim veniā dignus eſt, qui malam voluntatem non retractat: martyrium autem non tollit obligationem adhibendi media ordinaria ſalutis, quando adhiberi poſſunt, quin potiùs imminens martyrium, in illo puncto temporis etiam efficit, vt præceptum affirmatiuum reconciliandi ſe Deo, pro illo obliget.

Confirmatur, quia qui in tali temporis circumſtantiâ memor exiſtens peccatorum, nullum conciperet dolorem, moraliter loquendo, videretur offenſam Dei pro nihilo ducere, & affectum à peccatis minimè abſtrahere aut mutare; ergò &c.

Hinc itaque patet reſponſio ad fundamētum ſecundæ opinionis, dicendum enim eſt, 29 quod nuda voluntas patiendi pro Chriſto abſque dolore aliquo de peccatis memoriæ occurrentibus nō ſit ſufficiens, vt dici poſſit virtualis contritio aut deteſtatio peccatorum commiſſorum.

Dices D. Tho. loco antè cit. indicat ſufficientem eſſe diſpoſitionē, quod paſſio ſuſcepta pro Chriſto non inueniat actualiter voluntatem peccato inhærentem; ergò &c.

Reſpondetur, D. Th. non plus ibi tribuit martyrio, quàm baptiſmo: in eo namq; commendat martyrium quod obtineat vim baptiſmi, vt ex verbis eius patet. Itaq; dicendus eſt ſupponere aliquā formalem aut virtualē pœnitentiam præceſſiſſe, ſicuti in baptiſmo eſt neceſſarium. Accedit quòd qui ita ſe gereret abſque omni dolore, cenſeretur moraliter actu quodam virtuali adhuc inhærere peccatis, ſicut iam explicuimus.

Objiciūtur hic Script. quædā, vt illa Mat. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me corā hominibus, confitebor & ego eum coram Patre qui in cœlis eſt*: ac rurſus ibidem: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam*: ſimilia habentur Lucæ 9. & Ioannis cap. 12.

Reſpondetur, quod generales illæ Scripturæ intelligendæ ſint, modo cum diſpoſi- 30 tione cōuenienti, & cum alijs requiſitis, eiuſmodi confeſſio, & animæ ſeu vitæ perditio fiant: nam & hæretici aliquando pro confeſſione Chriſti poſſunt mori, & tamen quia nō ex fide vera & ſupernaturali, ſed ex hæretica pertinacia, & peccato hæreſis inhærendo, mortem ſuſtinent, hinc præmium illud à Chriſto promiſſum non aſſequuntur.

Sed difficultas reſtat, ſi patiens martyrium 31 forſitan non recordetur delicti commiſſi, an tunc abſque attritione per martyrium conſequetur remiſſionem, & iuſtitiam?

Reſpondetur, tutiſſimum in primis eſſe etiam martyribus obſeruare doctrinam D. Auguſtini quā tradit, neminem debere ex hac vita migrare ſine pœnitentia, quantumuis ſibi peccati conſcius non ſit,

Addo

Digitized by Google

Addo ſecundò, ſi voluntas patiendi pro Chriſto ſit talis, vt ex vi illius naſceretur cõtritio vel attritio occurrente peccato, poterit martyrium cum hac voluntate ad peccati deletionẽ ſufficere, quia habetur tunc quædam virtualis pœnitentia: ſi verò talis nõ ſit, veriſimiliter non ſufficiet; vt fieri poſſet quãdo quis vehementer alicui vitio eſſet addictus, cuius emendandi non ſolet facere vnquam propoſitũ, quamuis ſæpius occurrerit.

32 Quod ad fundamenta attinet primæ ſententiæ, dicendum eſt in primis ad Scripturã, quod Apoſtolus loquatur de ijs qui nec charitatem habent, neque ad eam recipiendam ſunt diſpoſiti, vt qui Eccleſiam ſcindunt & ſectas ſuſcitant, vel alijs peccatis mortiferis affectu inhærent: non autem de illis qui per attritionem & pœnitentiam ad charitatem tendunt.

Ad alterum dicendum eſt, quamuis martyrium non ſit Sacramentum, & proinde nõ ſit inſtitutum tanquam medium ordinarium ad obtinendum peccatorum veniam & iuſtitiam, tamen ob excellentiam operis & indicium magni affectus erga Chriſtum Dom. ex ſingulari priuilegio diuinitus illi attributã eſſe eiuſmodi virtutem: quod in paruulis pro Chriſto interfectis in primis eſt notum.

33 Ex hactenus dictis, & præſertim ex ſentẽtijs Patrum allegatis, intelligi ſatis poterit, quinam ſint martyrij effectus, hi nimirùm, quod martyriũ inſtar baptiſmi culpã omnẽ deleat, & primã iuſtificationis gratiã ſubiecto bene diſpoſito conferat, ſi eam præiacẽtem non inueniat, ſimulq; tollat omnem pœnæ reatum: in iuſtis autem plurimũ adaugeat ipſam gratiam ſanctificantem.

Sumitur ex D. Thõ. loco ſup. allegato, & docent Durandus in 4. diſt. 4. quęſt. 8. n. 6. & 14. Richardus, eadem diſt. art. 2. qu. 3. Maior ibidem, qu. 3. Suarez in 3. p. De Sacramentis, diſp. 29. ſectione 3.

Et probari poteſt hac cõgruentiæ ratione, quam indicat Clemens ſuprà, quia ſi virtus delendi reatũ culpæ & pœnæ eſt collata baptiſmo, eò quòd ſit myſtica quædã configuratio cũ morte Chriſti, vt ſignificat Apoſt. ad Rom. c. 6. multo magis cõueniẽs fuit, huiuſmodi virtutẽ attribui martyrio, quia eſt realis conformatio cum Chriſto moriente: quã rationem loco citato vrget Durandus, & ab alijs quoque adduci ſolet.

34 Diſputant verò Scholaſtici quo tempore aut momento martyrium conferat ſuos effectus? Cuius difficultatis reſolutio pro bonã parte pẽdet ex reſolutione alterius quæſtionis phyſicæ, ſcilicet quomodo moriatur & deſinat homo eſſe, an per primum ſui non eſſe, an per vltimum ſui eſſe, id eſt, an propoſitio hęc, homo deſinit eſſe, habeat hunc ſenſum, homo nunc ſiue hoc inſtanti non eſt, & immediatè antè fuit: an verò iſtum; homo nunc ſiue hoc inſtanti eſt, & immediatè poſt non erit.

Communior Philoſophorũ opinio habet, corrumpi ſeu deſinere hominem per primũ ſui non eſſe: non deſunt tamen aliqui qui exiſtiment illum deſinere per vltimum ſui eſſe: quâ ſententiâ poſitâ oportebit hanc propoſitionem, cadauer hominis generatur ſiue incipit eſſe, exponere hoc modo, cadauer hominis modo nõ eſt, & immediatè poſt erit, vt incipiat per vltimum ſui nõ eſſe, ne alioquin oporteat admittere duas formas ſubſtantiales repugnantes eſſe in eodem ſubiecto ſeu materia ſimul: qui ergo hunc exponẽdi modum ſequuntur, rectè dixerunt martyrium conferre effectus ſuos in vltimo inſtanti terminatiuo hominis, ſcil. quo verũ eſt dicere, homo nunc ſiue hoc momento eſt, & immediatè poſt non erit. Ex illis verò qui communiorem opinionem ſequuntur in exponendâ hâc propoſitione, homo corrumpitur aut deſinit eſſe, plerique docent martyrium conferre gratiam & effectus ſuos in aliquo inſtanti quod quaſi imperceptibiliter mortem præcedit, eò quòd non ſit iuxta illam opinionem aſſignare aliquod vltimũ inſtans in quo homo ſuperſit. Ita docent Vega & Suarez ſuprà, & multi recentiores.

Dicet aliquis: poteſt homo tunc poſt illud inſtans quo ponitur martyrium conferre effectum, adhuc peccare, ergo poterit Martyr adhuc priuari effectibus martyrij. 35

Reſpondetur, quòd ſic proximè ante mortem quando corpus eſt in totum alteratum, ſoleat vſus rationis impediri propter ſenſus & organa ſenſuum nimis perturbata: quare probabiliter dici poteſt, quòd aliquo quaſi imperceptibili tempore ante mortem, homo peccare non poſſit ob defectum vſus rationis: quòd ſi verò Deus per extraordinarium quaſi concurſum, imperturbatam conſeruet rationem, non dubium eſt, quin & mentem confirmabit ne à virtute deficiat. Caiet. tamen 2. 2. q. 124. a. 4. exiſtimat martyrium conferre effectum in vltimo termino vitæ quamuis extrinſeco: ſed parum probabiliter, quia tum conferretur effectus, quando iam verũ eſt dicere, homo non eſt, ſed immediatè ante fuit.

DVBIVM V.

His temporibus in Belgio ſæpius agitatum.

Vtrùm Paſtores obligentur ad reſidentiam apud ſuas oues ſeu ſubditos tẽpore grauis perſecutionis?

Digitized by Google

26 AB annis aliquot, Status Prouinciarum Belgij quę ſe Regi domino ſuo, & auitę fidei, ac Catholicæ Religioni ſubſtraxerunt (verè filij ſubſtractionis, quos reprobat Apo. ad Hebr. 10. *Quod ſi ſubſtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*, inquit, *nos autem non ſumus ſubſtractionis filij in perditionem: ſed fidei in acquiſitionē*) partim violentiâ, partim perfidiâ quorundā miniſtrorū Regis, potiti Syluaducis ciuitate laudatiſſimâ à conſtantia in tenenda fide Catholica, non modò in ipſa omnem antiquum & verum Dei cultum, vt ſacrificium illud mundū Corporis & Sanguinis Domini, Sacramentorum vſum, prædicationē Apoſtolicæ & Orthodoxæ fidei extirparunt, & tēpla ac loca ſacra inibi Deo dicata profanarunt. Sed quo pro alta animi ſui elatione in omnē circumcirca diſtrictum ſibi dominatum plenum, vſurpatione vindicarent, aſſumere & arrogare ſibi cœperunt in locis iſtis non tantùm rerum ciuilium & politicarum, ſed etiam Religionis regimen & imperium.

Anno 1619. die 17. Sept.

27 Vnde extimulante eos inimico boni patrisfamilias euangelici, ſcil. diabolo qui ad ſuãipſius voluntatē eos detinet ſibi deuotos, illam etiam agri dominici pręclaram partem per Pſeudo-Euangeliſtas, & miniſtros adulterantes ſincerum Dei Verbum inficere, ac zizania ſua ſuperſeminare ſummo ſtudio contenderunt, & contendunt. Quod dum è contra Rex noſter Catholicus, verè Catholicus & omnium Catholicorum Patronus ac Defenſor, & Sereniſſ. Princeps Cardinalis Infans Hiſpaniarum, Maiorum ſuorum auitæ fidei & religioſo zelo inſiſtentes, pari ſtudio auertere & impedire conantur, non ignari quàm hoc malum hæreſis difficulter eradicetur, vbi ſemel radices egerit, pergunt illi cū violentia, & grauiſſimam concitant perſecutionem non modò contra Paſtores qui in maioratu Sylueducenſi, vt vulgò dicitur, ſuper grege ſuo vigilant, ſed vniuerſim contra omnes per omnes prouincias ſub Regis obedientiâ agētes, ad quos eis patet acceſſus, dantes licentiam & epiſtolas omnibus militantibus ſibi, vt quoſcumq; huius viæ Paſtores, aut Sacerdotes ſacra populo adminiſtrātes, inuenerint, vinctos ad eos perducant carceribus mancipandos, & non niſi forſitā graui litro, quaſi adhuc gratioſè liberandos.

Idque eo fine, vt plebs Chriſtiana Catholica deſtituatur medijs, & miniſterijs, & inſtructionibus tū vtilibus tum neceſſarijs ad ſalutem: Vnde Sathanico ſpiritu agitati magis ſæuiunt in animas fideles, quam in corpora eorum quos perſequuntur.

28 Occaſione itaque nouæ & intenſæ huius perſecutionis in Paſtores motę, frequenter ab eis proponitur, & à multis diſputatur, & examinatur quæſtio, Vtrùm Paſtores ad reſidentiam, & ad ſacrorum adminiſtrationem obligētur in tantis ſuis periculis captiuitatis, & carceris quaſi perpetui, aut ad minus litri admodum grauis toties ſoluendi, quoties continget eos deprehendi & apprehendi.

De hac re non ita pridē in ſcholis noſtris diſſerui in Veſperijs Doctoralibus, & deſuper meā, quā hic ſubijcio, dixi cū D. Aug. ſententiam, qui accuratè ſcripſit de hac quæſtione: in primis in epiſtola quadā ad Epiſcopū Quodvultdeum: qui ipſum ſuper nō abſimili caſu conſuluerat impendente Vandalica perſecutione: vbi breuiter Aug. reſpondet in hęc verba, Nec eos eſſe prohibendos, qui ad loca ſi poſſunt, munita migrare deſiderant: & tamen miniſterij noſtri vincula, quibus nos Chriſti charitas alligauit, ne deſeramus Eccleſias quibus ſeruire debemus, non eſſe rumpenda: vnde ipſe concludit, vt refert epiſt. 180. Reſtat ergo vt nos quorum miniſterium quantulæcumque plebi Dei vbi ſumus, manenti, ita neceſſariū eſt, vt ſine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: *Eſto nobis in Deum protectorem, & in locū munitum*: quibus ſignificat Paſtores nō poſſe abſentare ſe, quando plebs remanens deſtitueretur miniſterio Eccleſiaſtico neceſſario.

Verùm hæc D. Aug. reſponſio alteri Coëpiſcopo Honorato cōmunicata, non illi placuit, nec ſatisfecit, forſitan quia durior, & nimis Paſtorum & Epiſcoporū conſcientias onerare viſa fuerit. Vnde ille in contrarium aliqua argumenta oppoſuit D. Auguſtino. 29

Vnum erat, quod contra Domini præceptum vel exemplū videretur id militare, qui de ciuitate in ciuitatem fugiendum eſſe monet: *Cum autem perſequentur vos* (inquit Chriſtus) *in ciuitate iſta, fugite in aliam*, Matth. 10.

Hinc D. Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per feneſtram in ſporta dimiſſus eſt, 2. ad Corinth. cap. 11.

Vnde addebat alius quidam Epiſcopus: ſi Dominus nobis imperauit fugam in eis perſecutionibus, vbi poteſt fructus eſſe martyrij, quāto magis debemus fugere ſteriles paſſiones, quando eſt barbaricus & hoſtilis incurſus. Cuiuſmodi etiam ſteriles perſecutiones eſſe videntur, quæ contra Paſtores mouentur modò. 30

Alterum contra D. Auguſt. argumentum erat, quod ſine fructu eſſent manſuri: ſi enim in Eccleſijs perſiſtendū eſt, inquiebant, quid ſimus nobis vel populo profuturi, nō video: niſi vt ante oculos noſtros viri cadāt, fœminę conſtuprentur, incendātur Eccleſię, nos ipſi tormentis deficiamus, cū de nobis quæritur, quod non habemus. Sic Epiſc. Honoratus.

Hinc itaque occaſionē aſſumpſit D. Aug. latius materiam iſtam examinandi, & explicandi: ex quibus poterit etiam ſecundū Chriſtianam charitatem & legem plenè & ſolidè reſponderi quæſtioni quæ in præſenti perſecutione Paſtorum & Sacerdotum agitatur.

Antequā ergo exponat Aug. verba Chriſti ſibi 31

Digitized by Google

ſti ſibi obiecta ſcil. *Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*, pręmittit: Quis autem credat ita hoc Dominũ ſieri voluiſſe, vt neceſſario miniſterio, ſine quo viuere nequeunt, deſerantur greges, quos ſuo ſanguine cõparauit? Quibus declarat ſe perſiſtere in doctrina priori, quod non liceat Epiſcopis aut Paſtoribus fugere in perſecutionibus, ſic populus Chriſtianus per hoc deſtituatur miniſterijs neceſſarijs ad vitã ſpiritualẽ & ſalutẽ.

32 Porrò notandum, quod cõtingat diuerſimodè perſecutiones contra Chriſtianos ac Catholicos ſuſcitari, & moueri: aliquando quidem ſic vt Tyrannus ſeu perſecutor vnã aut alteram dumtaxat quærat perſonam, vel aliquot determinatas in particulari.

Aliquando autem vt ſæuiat æqualiter in omnes alicuius prouinciæ incolas, vbi Chriſtianę religionis profeſſio viget, tã in Laicos quàm in Clericos & Sacerdotes, ſicuti quando Barbari magnis viribus prouincias Chriſtianorũ contendunt inuadere, & occupare, qui ſine forma iudicij, ſine examine, & ſine diſcrimine omnes inhabitatores loci ſpoliãt, captiuant, tormentis litra magna etiam ſupra facultates extorquent, aut ſi non poſſint, trucidant.

Tertiò contingit, quòd perſecutio tantũ inſtituatur contra Epiſcopos & Paſtores, & vniuerſaliter cõtra Sacerdotes, & eos qui populo adminiſtrant Sacramenta, aut alia ſacra munia obeunt; qualis eſt illa, de qua nunc potiſſimùm agimus. Hos tres modos indicat, & attingit Auguſt. & quomodo in ſingulis oporteat bonos Epiſcopos & Paſtores ſe habere, edocet epiſt. 180. ad Honoratum.

33 Quando igitur perſecutio eſt cõtra aliquã vel aliquas perſonas determinatas in indiuiduo, qualem Damaſci monebat Prępoſitus Regis Aretæ contra D. Paulum, & propriè dicitur perſonalis perſecutio, tum licebit tali Epiſcopo aut paſtori, imò aliquãdo forſitan obligabitur de ciuitate in ciuitatem fugere; quia non deerunt qui Eccleſię & populi Dei curam gerent: faciant hoc (inquit Aug.) ſerui Chriſti, Miniſtri verbi, & Sacramenti eius, quod pręcepit ſiue permiſit Chriſtus. Fugiãt omninò de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quiſque ſpecialiter à perſecutoribus quęritur, ſic vt ab alijs qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia, ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis, quos aliter viuere non poſſe, norunt, vt accidit quando Paulus in ſporta à fratribus per feneſtrã ſubmiſſus eſt.

Quando autem perſecutio eſt vniuerſalis omnium, & commune eſt periculũ, tum inquit Aug. ij qui alijs indigent, non deſerantur ab his quibus indigẽt. Aut igitur ad loca munita omnes tranſeant: aut qui habent remanendi neceſſitatẽ non relinquantur ab eis per quos illorum eſt ſupplenda Eccleſiaſtica neceſſitas, vt aut pariter viuant, aut pariter ſufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti. Si enim periculoſum eſt, nauim inter fluctus, cautè nõ regere, quanto periculoſius eſt eam vndis intumeſcentibus, fluctuantem in tempeſtãte relinquere, inquit Proſper, lib. 1. De vita contempl. cap. 16.

Porrò Eccleſia veluti nauis eſt, quæ mare mundi huius enauigare & ad portum ſalutis æternæ appellere cõtendit, quę diuerſis tentationũ fluctibus contunditur, quæ immundorum ſpirituum flatibus agitatur, quę Tyrannorum perſecutionibus veluti procelloſis tempeſtatibus iactatur, & quaſi in profundũ deprimitur. Si itaq; Dominus de manu ſpeculatoris, qui viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccinã, ſanguinem pereuntium requiret, vt dicitur Ezechielis cap. 33. quanto magis requiret ſanguinem pereuntiũ de manu naucleri, qui oborientibus tempeſtatibus, nauim deſerit, & de manu Paſtoris qui videt lupum venientem, & grege ſuo relicto fugit. Vnde & Nicolaus Pontifex in tempore perſecutionis Normannicę conſultus ſuper caſu non abſimili in ſuis reſcriptis reſpondet: Præcipuè autem nos qui tanquã arietes ducatum gregibus præbemus, imò qui & horum Paſtores ſumus Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus perſiſtere, pro certo conuenit.

Sed forſitan petet quiſpiam: ſi aliqui per- 34
uicaciã aut temeritate, ingruentibus illis ſæuis & vniuerſalibus perſecutionibus quę prę oculis videntur, nolint recedere, neq; ad tutiora loca ſe recipere, num Paſtores propter illos tenebuntur ſe periculis iſtis obijcere?

Non vtiquę exiſtimarem, præſertim ſi periculorum ſint moniti, & Paſtores operam ſuam obtulerint, ſi fortaſſis eã indigeant, vt pro tunc vel pro futuro ſe diſponant ad grãtiã, & contra tentationes ſe muniant: videbitur enim tunc locũ habere illud Ezechielis. *Si ſpeculator viderit gladium venientẽ, & cecinerit buccinã: audiens autem quiſquis ille eſt, ſonitum buccinæ, & nõ ſe obſeruauerit, veneritq; gladius, & tulerit eum, ſanguis ipſius ſuper caput eius erit*. Nõ enim paucorũ temeraria pertinacia videtur Paſtorem obligare, vt cum ipſis in periculis tantis permaneat, quin magis alibi debet curare potiorem partem ſui gregis.

Dico, temeraria pertinacia, nam illos qui habent remanendi neceſſitatem, non vult Auguſt. deſeri ab ijs per quos ſupplenda eſt illorum Eccleſiaſtica neceſſitas: quemadmodũ nec illos qui nõ fugiunt, quia loca tutura non vidẽt: ſic vt fuga iudicetur inanis labor.

Denique verò inquirit Auguſtinus: verùm quãdo perſecutionis pernities hactenus ſæuit tantũ, vt ſolos miniſtros Eccleſiæ perſequatur, vt ſit in noſtro caſu, an tũc relinquẽda ſit Eccleſia à miniſtris fugientibus, ne à morientibus, dum trucidantur ſcilicet (adde vel dum abducti carceribus includũtur) miſerabilius relinquatur?

Digitized by Google

35 Sanè non ſic ipſe id intelligit, ſed ſi laici, inquit, non quæruntur ad mortem, poſſunt ipſi occultare quoquo modo Epiſcopos & Clericos ſuos, ſicut ille adiuuerit, in cuius poteſtate ſunt omnia: qui poteſt & non fugientem per ſuam cōſeruare prouidentiam.

Neque hoc eſt, quærendo diuina miracula Deum tentare, vt quidam apud Auguſtinum videntur oppoſuiſſe, ſed eſt humanæ induſtriæ congrua media adhibendo cum ſpe diuinæ protectionis, in officio Paſtoris ex charitate Chriſti & proximi fortiter perſiſtere, prout conſtat per experientiam ſalubriter & cum magno fructu in diuerſis locis fieri. Quod ſi contingat aliquando aliquos deprehendi & apprehendi, accipiant de manu eius, ſine cuius nutu nec folium de arbore cadit, qui hoc diſpoſuit aut permiſit ad ipſorum exercitium & præmiũ, ſi patienter tulerint: Abſit ergo vt nauis hæc Eccleſiaſtica ita ſit pendenda, vt debeant eam nautæ, & potiſſimũ gubernatores, periclitantem deſerere, etiamſi in ſcapham tranſiliendo, vel natando poſſint effugere: quibus enim metuimus ne noſtrâ deſertione pereant, non temporalem illis mortẽ quæ quandocumque ventura eſt, ſed æternam metuimus; quæ poteſt non euenire, inquit Auguſt. ſi caueatur.

36 In quibus tamen obſeruandum, quod non velit D. Auguſt. eos obligatos ad publicam reſidentiam, quâ ſe oſtentent omnibus cum periculo quaſi moraliter certo extemporaneæ apprehenſionis & captiuitatis: hoc enim potius temeritatis videretur eſſe in his caſibus, quàm charitatis; quandoquidem ſibi obeſſent, & populo non prodeſſent, imò ſibi facultatem iuuandi plebem adimerent. Prudenter itaque & latenter, vt indicat Auguſtinus, debent plebi ſibi commiſſæ aſſiſtere, & miniſteria ſalutis exhibere. Quare vt tutius & diutius boni Paſtores poſſint gregibus ſuis inuigilare, & neceſſaria miniſteria ſalutis exhibere, non incongruum erit plures qui habent ſuos diſtrictus ita vicinos, vt vnus aut alter poſſit in diuerſis locis ſeruire, hæc inter ſe conſilia, & quaſi pacta inire, quod per vices nunc hic, nunc ille, ſiue nunc hi, nunc illi curam plurium Eccleſiarum ſuſciperent, & populo neceſſaria miniſtrarent: qui poterunt modò in hac, modò in illa parochia ſatitare, & vt minùs agnoſcantur, veſtes & domos ſæpius mutare: ſic tamen vt in ſingulis Eccleſijs ſint, qui in neceſſitate eos poſſint inuenire aut demonſtrare: atque ita morale periculum celerioris apprehenſionis declinare.

Ad prædicta poſſet etiam pactum acce-
37 dere, vt ſi contingeret aliquem ex eis apprehendi qui pretio ſit redimibilis, quod communem facient collectam ad eius redemptionem; ad quam exiſtimo quoque obligatos, vt concurrant illi, qui gaudent iure conferendi parochiam, vt libenter loquuntur, ſeu potius quibus incumbit onus & neceſſitas prouidendi populo de conuenienti parocho, & bono Paſtore: quique eo nomine percipiunt Decimas populi, & prouentus qui ſuperexcreſcunt vltra Canonicam portionem ipſius parochi: alioquin non erunt patroni & patres plebis Chriſtianæ, & gregis Dominici, de cuius lacte comedunt, & cuius lanâ operiuntur, ſed vitrici & inania patronorum Eccleſiæ ſimulachra, & ſimiles illis de quibus Ezechiel dicit, ô Paſtor idolum &c.

Sed controuerti videtur, an non onera 38
illa ſint refundenda in parochianos ſeu ſubditos?

Sunt Doctiſſimi & Conſultiſſimi Viri, qui exiſtimant Paſtorem ab obligatione reſidentiæ, & miniſtrandi populo Sacramenta, abſolui, vt ſi regularis ſit, poſſit ſe ad monaſterium conferre & ibi deliteſcere, ſi communitas à Paſtore requiſita tempore eiuſmodi periculorum detrectet illum aſſecurare, atque adeò defenſionem & indemnitatem aduerſus vitæ & captiuitatis pericula ſpondere & cautionem præſtare: non enim rationi, aut æquitati videtur ipſis ſatis conſonum, eo onere parochos prægrauari, vt ſe periculo mortis aut captiuitatis & grauis litri exponant, cui impares ipſi ſint: nec forſitan pagorum decimæ triplicatæ ſint æquales, præſertim cum non proprium, inquiunt, ſed aliorum negotium gerere videantur.

Verùm ſententiæ huic non auſim ſub- 39
ſcribere: quandoquidem enim agatur hic negotium ſalutis animarum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, magis attendere oportet ad præceptum ſiue doctrinam quam tum Chriſtus ipſe, tum Apoſtoli, & eorum ſucceſſores tradidérunt, quàm ad ratiocinationes noſtras, vel opiniones Baldi, aut ſimilium Authorum; tametſi in ſuo foro & ſtudijs ſint celeberrimi: Chriſtus autem dixit: *Bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: Mercenarius autem videt lupum venientem & fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad illum de ouibus.*

Quis autem magis lupus quam hæretici perſequentes Eccleſiam ſiue Paſtores eius: & quidē non tam affectu, vt in corpora ſæuiant, vel vt diuitias captent, quā [illegible] exercitia Religionis populo neceſſaria impediant, & ipſi hæreſim ſuam ſeminare, plantare, & firmare valeant, vt conſtat modò in propoſito fieri. Et D. Ioannes, cap. 3. 1. epiſtolæ conformiter loquitur: *In hoc cognouimus charitatem Dei* (ait) *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Vnde ad hæc verba ſcribit Eſtius in ſuis Cōmentarijs: Porrò tenentur ex officio ad ponendum

ponendũ animas pro fratribus (quando res poſtulat) omnes animarum Paſtores: quibus omnibus in Petro primo Paſtore dictum eſt, Ioannis cap. 21. *Sequere me*: id eſt, inquit, animam tuam pone pro ouibus meis, ſicut & ego pro eis animam meam poſui: quod conforme eſt verbis Chriſti, Ioannis c. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo*, &c. quod quoque D. Cypr. lib. 3. epiſtolarum, epiſtola 1. ad Lucium Papam: D. Leo, epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, Nicolaus Pontifex, & alij paſſim Sancti ſic intellexerunt.

Vnde Epiſcopo opponenti, quòd in perſecutione ab eis quærerentur etiam illa quæ non haberent, non reſpondit Auguſtinus, Requirite ſubditos veſtros, vt de defenſione, redemptione, & indemnitate vobis ſpondeant & cautionem ſufficientem præſtent: quod ſi non faciant, liberum vobis erit deſertis illis ad tutiora loca vos recipere. Sed longè aliter, vt mox patebit ex dicendis, quando D. Auguſtini reſponſionem ad obiecta referemus.

40 Neque hic venit conſideranda tantùm conuentio, ſi quæ ſit inter Paſtorem & ſubditos: ſed obligatio quâ Paſtor ſuſcipiendo officium paſtorale, ſe obligat Eccleſiæ & Chriſto Domino, vel potius quo Chriſtus ipſum ſibi obligat, quòd ouium ſibi cõmiſſarum pro quibus ipſe mortuus eſt, diligentẽ curam habebit, & pro ſalute earum inuigilabit, & in neceſſitate non tantum ſubſtantiam huius mundi, ſed etiam vitam exponet.

Ad quod quidem illum obligatum in cõtagio peſtis facilè omnes admittunt: quidni ergo etiam in tali perſecutione de qua agimus, etiamſi ſubditi de defenſione & indemnitate non ſpondeant.

Et quidem contrà periculum vitæ eum aſſecurare non eſt ſæpè in ipſorum poteſtate, ſicut neque contra periculum captiuitatis, an idcirco tum licebit oues deſerere? Ad litrum quod attinet, ſi forſitan Paſtores litro redimibiles ſint, poſſent ſubditi de eo ſoluendo dare cautionẽ, ſi cõmunitas potens ſit, & non nimis alijs exactionibus exhauſta. Sed quid ſi tum pauci aliqui qui Magiſtratum gerunt, nolint conſentire, aut impediant: & tamen multi bene deſiderarent, qui per ſe inſufficientes ſunt, an hi propterea etiam à Paſtore deſerendi erunt? Non ſic nos docuit hactenus Auguſtinus qui Chriſti ſcholam ſecutus eſt.

41 Neque debet quis iudicare hanc obligationem grauiorem & inæqualem mercedi Paſtorum: non enim ſollicitudinis, laborum & eiuſmodi obligationis merces aut præmium ſunt fructus ſiue prouentus temporales, qui hic pro vitæ ſuſtentatione tantùm ſuppeditantur, (quos ſi ſolùm attendãt, mercenarij ſunt,) ſed merces & præmium ſunt bona illa cœleſtia quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: Merces eſt quod à Chriſto audient, *Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui*: vbi ſemper cum Filio erunt, & honorificabit eos Pater, quia Filio in ouibus ſuis miniſtrarũt, & dilexerunt vſq; ad bonorum ſpoliationem, vſque ad incarcerationem, vſque ad mortem ipſam. Iſta retributio ſufficienter digna eſt, & æqualis obligationi quâ dicimus Paſtorem teneri ouibus ſibi commiſſis adeſſe & aſſiſtere, & longè excedens; vnde dicit Apoſtolus ad Romanos, cap. 8. *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: & iterum 2. ad Corinth. cap. 4. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur*, inquit, *ſed quæ non videntur: Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

Cæterùm, licet dicamus non excuſari Paſtores ab officio paſtorali præſtando in perſecutione, ex eo quod ſubditi cautionem de defenſione, & indemnitate non velint aut non poſſint præſtare, nihilominùs non exiſtimamus eos ab omni obligatione quâ teneantur quoque ad defenſionem & liberationem ſui Paſtoris cooperari & conferre, abſoluendos. 42

Etenim charitas & cura propriæ ſalutis obligant illos in talibus caſibus, vt quantum in ipſis eſt adlaborent, ne Paſtore deſtituantur, ne ſint tanquam oues errantes in deſerto ſine paſtore: ſi enim vnicuique Deus mandauit curam de proximo, multo magis ſanè intelligitur vnicuique mandaſſe curam de ſeipſo, & de propria ſalute, qui dixit, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

Tenentur ergo tutelæ Paſtoris inſiſtere aduigilando contra inſidiatores, præmonendo Paſtorem, occultando illum, & vbi ſine grauiori malo fieri poteſt, etiam viribus defendendo ne apprehendatur & abducatur.

Quod ſi illis non obſtantibus, contingat tamen eum deprehendi & apprehendi, exiſtimo, quòd pariter obligentur quoque cum alijs, ſi pecunia redimibilis ſit, concurrere & conferre ad eius liberationem & litri per ſolutionem, ſiue communem collectam inſtituendo, ſiue ſingulatim pro ſuis facultatibus aliquid ad eam rem conferendo, tum vt hâc fiduciâ Paſtores confortati, promptiùs & conſtantiùs ſeſe pro ſalute ipſorum periculis exponant, & eis in neceſſitatibus ſuis liberiùs aſſiſtant, tum ne diutiùs ipſi etiam Paſtore ſuo cum detremento ſuo ſpirituali deſtituantur, aut in totum deſerantur.

43 Nunc audiamus, quid D. Auguſtinus ad argumenta ſibi à Coepiſcopis oppoſita reſpondeat. Ad verba itaque ex c. 10. Matthæi allegata, dicit in primis, Cur ſibi putant indifferenter obtemperandum eſſe præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem eſſe fugiendum; & mercenarium non exhorrent, (id eſt, non magis timent haberi mercenarij) qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non ei cura eſt de ouibus? Cur non iſtas duas dominicas, veraſque ſententias, vnam ſcilicet, vbi fuga ſinitur ſeu iubetur, alteram, vbi arguitur ſeu culpatur, ſic intelligere ſtudent, vt inter ſe reperiantur non eſſe contrariæ, ſicuti contrariæ non ſunt: & hoc quomodo reperitur, inquit, niſi attendatur, quod ſuperius diſputaui, tunc ſcilicet in primis de locis in quibus ſumus, prçmente perſecutione, fugiendum eſſe Chriſti miniſtris, quando ibi plebs Chriſti non fuerit cui miniſtretur: quomodo antea narrauit quoſdā ſanctos Epiſcopos de Hiſpania tunc profugiſſe, plebibus prius partim fugâ lapſis, partim peremptis, partim obſidione conſumptis, partim captiuitate diſperſis: & addit: Si qui plebe manente non manſerint, id non fecerunt tales diuinâ auctoritate docti; ſed humano vel errore decepti, vel timore victi ſunt.

Deinde ponit alium caſum quo locū habet dicta Chriſti doctrina; aut ſi plebs Chriſtiana fuerit, tamen poteſt impleri, inquit, per alios neceſſarium miniſterium, quibus non eadē eſt cauſa fugiendi, ſicuti in ſporta ſubmiſſus fugit Apoſtolus, vt ſuprà dictum fuit, ſicuti & fugit Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, cum eum ſpecialiter apprehendere Conſtantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris miniſtris desertâ plebe Catholicâ, quæ in Alexandria commanebat.

44 Cum autem plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum fuga illa damnabilis, quibus non eſt cura de ouibus: Veniet enim, inquit, lupus ſiue diabolus, qui plerumque fideles Apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit, &c.

45 Ad alteram obiectionem prolixè reſpondet Auguſt. epiſt. citatâ, & quia vrgebant, quòd non viderent, ad quid præſentia ipſorum foret vtilis, niſi vt multa & horrenda ſcelera perpetrari conſpicerent, & ſeipſos exponerent tormentis non ſine periculo defectionis, quando ab eis quæreretur quod non haberent, hinc in primis ad poſterius illud replicat: magis timeamus, inquit, ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpirituali victu necentur, quàm ne membra Corporis noſtri oppreſſa hoſtili impetu torqueantur, & ne deficiamus, Oremus igitur dixit antè, vt iſta charitas nobis donetur ab illo, à quo iubetur, quia charitas à Deo eſt: & fortiter contra timorem, Domino miſerante & adiuuante, dimicemus, ne mala ſine comparatione grauiora quæ multo magis ſunt horrenda, nobis contingant, ſi ſubtrahamus miniſterium pietati neceſſarium tunc quando magis neceſſarium eſt.

Deinde pergit D. Auguſtinus oſtendere, quàm præſentia miniſtrorum Eccleſiæ in tali confuſione perſecutionis ſit vtilis, ac neceſſaria: An non cogitamus, inquit, quando ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, alijs baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam ipſius pœnitentiæ actionem: omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem: vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de hoc ſæculo vel non regenerati, vel ligati exeunt? Quantus gemitus omnium, & quorundam etiam blaſphemia de abſentia miniſteriorum & miniſtrorum? Quantus denique etiam luctus fidelium & charorum ſuorum qui eos ſecum in vitę æternę requie non habebunt. Vide, inquit, quid faciat malorum temporaliū timor, (ſcil. Paſtorum & miniſtrorū Eccleſiæ qui fugiunt) & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum? Si autē miniſtri adſint, pro viribus quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubuenitur, alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur: omnes conſolantur, ædificantur, exhortantur, vt Deum rogent qui potens eſt, omnia quæ timentur mala auertere, parati ad vtrumque, vt ſi non poteſt ab eis Calix iſte tranſire, fiat voluntas eius, qui mali aliquid non poteſt velle. His dictis infert Auguſt. Certè iam vides, quod ſcripſeras te non videre, quantum ſcilicet boni conſequantur populi Chriſtiani, ſi in præſentibus malis, non eis deſit præſentia miniſtrorum Chriſti, quorum etiam vides, quantum obſit abſentia, dum ſua quærunt, non quæ ſunt IESV Chriſti, nec habent virtutem illam de qua dicitur, Non quærit quæ ſua ſunt, nec imitantur illum qui dixit: Non quæro quod mihi vtile, ſed quod multis, vt ſalui fiant. 46

DVBIVM VI.

Quæ vitia opponantur fortitudini?

D. Thomas, cum artic. 3. Ethicorum, cap. 7. ponit tria vitia fortitudini oppoſita, ſcilicet Timiditatem, Intimiditatem, ſeu timoris vacuitatem, & audaciam: De quibus ſingulatim tractat q. 125. 126. & 127 47

Sed

Sed timiditas ſubdiuidi poteſt in timiditatem propriè & ſtrictè ſumptam, & in ignauiam. Prior propriè contrariatur intimiditati, & poſterior audaciæ: atque ita exactè loquendo poni poterunt quatuor vitia oppoſita fortitudini.

Timiditas in communi eſt vitium, quo malum contra rectæ rationis ordinem & præſcriptum refugitur: quia ſcilicet timet quis illud quod non oportet, aut quando non oportet, vel pluſquam oportet: quod dupliciter poteſt fieri: vno modo per exceſſum in ſubterfugiendis malis: alio modo per defectum in audendo aggredi mala. Ita docet D. Thom. quæſt. 125. art. 1. Quando fit per defectum tunc propriè vocatur ignauia.

48 Porrò quando hoc vitium in ſe quaſi ſiſtit, continet culpam tantum venialem, ſicuti exceſſus aliarum paſſionum, qui nullam aliā noxam vel malam voluntatem adferunt ſiue cauſant: quando verò impellit in alterius peccati conſenſum, erit peccatum mortale, aut veniale pro conditione illius ad quod impellit, vt tradit D. Thom. qu. 125. art. 3. vt ſi ex timore mortis, vel grauioris alicuius mali, quis fidem neget, aut ſtationem ſuam deſerat, quam etiam cum periculo vitæ tenebatur ſeruare pro bono reipublicæ, erit peccatum mortale: ſi autem faciat aut omittat rem leuiorem erit peccatum veniale.

Obſeruandum autem eſt non omnem inordinatū timorem opponi fortitudini quatenus eſt ſpecialis virtus, ſed illum dumtaxat qui verſatur circa periculum mortis aut grauioris calamitatis: nam in huiuſmodi malis verſatur tantùm fortitudo, & proinde etiam vitia illi oppoſita: alij itaque inordinati timores amittendi bona alia, vt quando intemperans timet amittere voluptates, auarus diuitias, ambitioſus honores; opponuntur alijs reſpectiuè virtutibus ſecundum materiam in qua verſantur.

49 Intimiditas ſeu timoris vacuitas eſt vitium oppoſitum timiditati ſtrictè acceptæ tanquam alteri extremo, & fortitudini tanquā virtuti in medio rationis ſitæ, excedens in non declinandis periculis: facit enim non timere quando timendum eſt, aut quæ timenda ſunt: nam fortitudinis virtus non tantum timorem reprimit; ſed etiam interdum timorem excitat ad malum declinandum, vt quando non eſt neceſſitas, vel iuſta ratio ſuſtinendi & pericula malorum expectandi. Eiuſmodi mala ſunt quæ imminent, v.g. à terræ motu, à tempeſtatibus, ab hoſte longè fortiori, dum non expectatur ſubſidium, & aliàs manifeſtum inſtat mortis periculum, & non ſubeſt cauſa illud ſuſtinendi: in iſtis enim timere eſt laudabile; ſicuti propter intimiditatem non declinare eſt vitioſum.

Solet autem hæc timoris vacuitas naſci 50 ex diuerſis cauſis, vt tradit D. Thom. art. 1. quæſt. 126.

Vt in primis, quia quis minoris vitam facit, quàm oportet: qui enim aliquid parui æſtimat, non timet etiamſi periculo exponatur: quemadmodum autem vitioſum eſt pluris vitam facere quàm oportet, vt dum amore vitæ declinat quis ad peccatum, ita etiam vitioſum eſt minoris facere, quàm oportet, vt quando propter vanam gloriam, aut res exiguas obijcit illam periculo.

Secundò, ex ſuperbia quæ cauſat, vt homo ſibi præfidat, & alios contemnat.

Tertiò, ex animi ſtoliditate; vnde Ariſtoteles 3. Ethicorum, c. 7. ſcribit, quod ſenes propter ſtultitiam nihil timent, vt refert D. Thom. loco citato.

Vitium hoc eſt peccatum mortale, aut veniale pro magnitudine mali in quod incurrit quis propter timoris vacuitatem, quod hic & nunc debebat vitare. Vide Caietanū, in ſumma V. Intimiditas.

Audacia denique ſeu temeritas eſt vitium oppoſitum ignauiæ tanquam extremo, & fortitudini tanquam virtuti in medio, excedens in audendo & aggrediendo pericula, vt dum quis aggreditur cum vitæ periculo ea quæ non conueniebat aggredi, vel quando non conueniebat, aut modo quo non conueniebat.

Ex iiſdem penè cauſis oriri ſolet ex quibus timoris vacuitas, potiſſimum tamen ex cupiditate vanæ gloriæ. Vide plura apud D. Thomam, quæſt. 127.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM,

De partibus potentialibus fortitudinis, ſiue de virtutibus fortitudini annexis.

DVBIVM PRIMVM.

Quot & quæ ſint virtutes fortitudini annexæ?

1 DE fortitudinis partibus in genere tractat D. Thomas, quæſt. 128. Docet autem in primis fortitudinem, vt virtus eſt ſpecialis, non habere partes ſubiectiuas, quia non diuiditur in plures virtutes ſpecie differentes, eò quòd ſit circa materiam valde ſpecificatam & determinatam.

2 Aſſignat igitur ex Cicerone quatuor virtutes fortitudini cohærentes, ſcilicet Magnanimitatem quam Cicero fiduciam vocat; magnificentiam; patientiam; & perſeuerantiam: quæ dici poſſunt vnâ conſideratione partes veluti integrales fortitudinis; aliâ autem conſideratione partes eius potentiales.

Dicuntur autem integrales, quatenus circa materias quaſdam alias, minuſque difficiles faciunt obſeruari quæ fortitudo obſeruat circa res difficillimas: vnde fortitudini adiunguntur tanquam ſecundarium principali.

3 Declarat itaque hæc D. Thomas, eo ferè modo: quia duplex eſt fortitudinis actus, ſcilicet aggredi, & ſuſtinere.

Ad actum aggrediendi duo requiruntur:

Primùm pertinet ad animi præparationem, vt ſcilicet quis promptum habeat animum ad aggrediendum quod præſtat magnanimitas, quę virtus eſt iuxta Ciceronem, per quam in magnis & honeſtis rebus, ipſe animus multùm fiduciæ cum ſpe collocauit.

Secundum pertinet ad operis executionem, ne ſcilicet quis deficiat in executione illorum quæ fiducialiter inchoauit, & ad hoc conducit magnificentia, quæ eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi quâdam amplâ & ſplendidâ propoſitione, cogitatio & adminiſtratio, id eſt, executio, vt ſcilicet amplo propoſito non deſit executio.

Quando igitur hæc arctantur & verſari intelliguntur circa propriā materiam fortitudinis, ſcilicet pericula mortis, & ſimilia grauiſſima mala, erunt quaſi partes integrales, ſine quibus fortitudo non poteſt eſſe: ſi autem referantur ad aliquas materias in quibus eſt minus difficultatis, & alterius rationis, erunt virtutes diſtinctæ à fortitudine ſecundum ſpeciem ſuām: adiunguntur tamen illi tanquam ſecundarium principali, & eatenus illas vocat D. Thom. partes potentiales fortitudinis: v.g. prout magnanimitas verſatur circa magnos honores, & magnificentia circa magnos ſumptus, quemadmodum, de illis loquitur Philoſophus 4. Ethicorum, cap. 2. & 3.

Ad alterum actum fortitudinis, qui eſt ſuſtinere, requiruntur ſimiliter duo.

Vnum eſt ne difficultate imminentium malorum frangatur animus per triſtitiam, & 4
ſic decidat à ſua fortitudine: & ad hoc conducit patientia, quia iuxta Tulliū, Patientia eſt honeſtatis vel vtilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio.

Alterum eſt, vt ex diuturna grauium malorum aut moleſtiarum perpeſſione, homo non fatigetur eò vſque, vt à præſcripto rationis in ſuſtinendo deficiat. Vnde monet Apoſtolus ad Hebr. 12. *Non fatigemini animis veſtris deficientes*: & ne hoc contingat, ſeruit nobis perſeuerantia, quæ vt ſcribi Tullius, Eſt in ratione bene conſideratâ ſtabilis & perpetua manſio.

Hæc itaque duo quatenus verſantur circa materiam propriam fortitudinis, ſunt quoque partes quaſi integrales ipſius: prout verò exercentur circa alias materias, quæ ſuam quoque habent difficultatem, aut adferunt animi moleſtiam, licet non ita grauem & arduam; erunt virtutes à fortitudine diſtinctæ: quæ tamen illi rectè adiunguntur tanquam ſecundarium principali.

Porrò, quando quatuor iſtæ virtutes dicuntur quaſi partes integrales fortitudinis, non videtur id ſic accipiendum, quaſi ſint quatuor diſtincti habitus, ex quibus integraliter fortitudo coaleſcat, ſed quod ſint ipſa virtus fortitudinis conſiderata ſecundū diuerſa ſua munia quæ præſtare & ſubire debet, atque ita quaſi diuerſas partes intelligitur ipſa habere.

DVBIVM II.

De vitÿs oppoſitis quatuor prædictis virtutibus.

MAgnanimitati docet D. Thom. opponi quatuor hæc vitia, ſcilicet præſumptionem ſeu nimiam confidentiam, ambitionem, 5

tionem, inanem gloriam, & puſillanimitatem. Præſumptio, vitioſus quidam eſt exceſſus quo quiſpiam nimium ſibi confidens ea quæ ſuis viribus ſunt maiora & ſuperiora, aggreditur. Vide plura apud D. Thomam de hoc vitio, quæſt. 130.

Similiter ambitio eſt vitioſus magnanimitatis exceſſus, quo quis honores non debitos affectat, aut debitos quidem ſed vehementius, vel ad alium finem quàm oportet, concupiſcit. Vide D. Thom. qu. 131.

Inanis gloriæ immoderatus appetitus eſt quoque vitium magnanimitati oppoſitum, quia ſicuti hæc verſatur circa honores, ita etiam circa gloriam, quæ eſt iuxta Ciceronem, lib. 2. De inuent. frequens de aliquo fama cum laude, vel iuxta D. Aug. lib. 83. quæſt. 31. clara alicuius cum laude notitia: atque ita eſt honoris quidam effectus. Vnde magnanimitati incumbit moderari appetitum & affectum tam circa gloriam, quàm circa honorem, ne rationis præſcriptum egrediantur. Omnis autem appetitus inanis gloriæ excedit præſcriptum rationis, & ſic magnanimitati aduerſatur.

6 Docet verò D. Thom. inanis gloriæ cupiditatem eſſe de numero peccatorum illorum, quæ vulgo capitalia nominantur: idque ex D. Gregorio, lib. 31. moralium, c. 31. quippe ex quo tanquam ex praua radice, ſex hæc pernicioſa germina pullulant, ſcilicet contentio, inobedientia, iactantia, hypocryſis, pertincia, & inanium nouitatum ad mouendam hominibus admirationem, curioſa excogitatio.

Vide D. Thomam, quæſt. 32. art. 5. & 4. vbi etiam monet inanem gloriam rectius cõſtitui tanquam vnum vitium capitale ſpeciale, quàm ſuperbiam, eò quod ſuperbia videatur generalis quaſi ſcaturigo vitiorum omnium.

7 Porrò licet inanis gloria conſtituatur vitium Capitale, non ſemper tamen continet culpam lethalem: ſed tunc demùm quando eò peruerſitatis & impietatis redigit hominem, vt aliquid faciat aut facere ſit paratus quod aduerſatur charitati Dei aut proximi. Vide plura de hoc vitio apud D. Thomam, quæſt. iam citata.

Puſillanimitas denique eſt vitium directiſſime oppoſitum magnanimitati, vt ex ipſis nominibus conſtat: puſillanimitas enim propter animi paruitatem ſeu vilitatem retrahit à magnis quibus quis par eſt ſuſtinendis, aut exequendis, quando ſe occaſio offert, aut à magnis ſuſcipiendis quibus dignus eſt: idque maximè ad vitandos ſumptus qui faciendi forent: eſt enim vitium quo quis nimis parcè ſumptum facit pro ratione & dignitate operis, aut rei de qua agitur, atque ita perdit bonum (inquit Philoſophus) ſcilicet magnifici actus vel operis, vt exponit D. Th. q. 135. a. 1.

Huic autem puſillanimitati opponitur tanquam alterum extremum, conſumptio immoderata ſiue profuſio, quando quis in proportione operis excedit in ſumptibus faciendis. Vide D. Thomam, quæſt. citata, art. 2.

Patientiæ opponitur impatientia, quæ poteſt explicari & per defectum, & per exceſſum; quamuis hoc nomen communiter ſumatur pro vitio patientiæ oppoſito per defectum. 8

Et ita acceptum eſt vitium illud quo in ſuſtinendis arduis malis quis deficit, quia animus triſtitia frangitur, & ſic à fortitudine in ferendis malis decidit.

Impatientia autem per exceſſum erit vitium quo quis diuturna perpeſſione vult ſuſtinere grauia mala, quæ ſecundum rationẽ ſuſtinenda non ſunt, aut ſuſtinere vult eo modo & fine, quibus ſecundum rationem non oportet.

Perſeuerantiæ denique docet D. Thom. quæſt. 138. opponi hæc duo vitia, mollitiem ſcilicet, & pertinaciam: mollities opponitur per defectum; vnde eſt vitiũ quo quis de facili recedit à bono rationis propter diuturniorem durationem moleſtiarum ac difficultatum. 9

Et eſt peccatum mortale, ſi ſit materia ad quam ſub mortali exiſtebat obligatus: veniale autem ſi ad illam tantum ſub veniali erat obligatus: ſi nullo modo tenebatur, non erit peccatum perſeuerantiæ oppoſitum, niſi fortè id fiat ex inordinatâ paſſione: de quo vide Caietanum, V. Inconſtantia.

Pertinacia opponitur perſeuerantiæ per exceſſum: vnde eſt vitium, quo quis quaſi immobilis manet in propoſito agendi aut ſuſtinendi difficilia vel periculoſa, quæ non oportet; vel vbi & quando non oportet ſecundum dictamen rationis. Eſtque mortale vel veniale pro grauitate vel leuitate materiæ circa quam verſatur.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS DE TEMPERANTIA,

Eiuſque partibus, & vitijs oppoſitis, de quibus agit D. Thomas, qu. 141. vſque ad qu. 170. Diuiſus in tria Capita.

CAPVT PRIMVM,

De Temperantia ſecundum ſe, & de Abſtinentia, & Ieiunio eius actu: Deque vitijs oppoſitis.

TRIPLICES aſſignat D.Thom. quæſt. 143. partes Temperantiæ, ſcilicet Integrales duas, quas ponit verecundiam, quâ ſcilicet refugit quis turpitudinem temperantiæ contrariam: & honeſtatem, quâ ſcilicet quis amat pulchritudinem temperantiæ, vt explicat ipſe quæſt. citat. articulo vnico: de quibus poſtea latiùs agit quæſt. 144. & 145. Partes Subiectiuas, quas ponit tres, abſtinentiam, ſobrietatem & caſtitatem, cui adiungitur pudicitia. Denique partes potentiales, quas ponit continentiam, humilitatem, & modeſtiam. Aſſignat inſuper & explicat etiam diuerſas alias virtutes huc referibiles & vitia eis oppoſita. Tractabimus autem ſolum de ſpeciebus ſiue de partibus ſubiectiuis temperantiæ, ac de vitijs illis oppoſitis, quorum cognitio confeſſarijs & populo magis eſt neceſſaria. De reliquis licebit legere D.Thom. qui prolixè ſatis illa proſequitur.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm temperantia ſit virtus & quæ eius materia, & quæ regula?

DISPVTAT D.Thom. hâc dè
1 re quæſt. 141. art. 1. 2. 3. 4. & 5. Notat autem art. 2. quod nomẽ Temperantiæ dupliciter ſumatur, quemadmodum ſuprà eſt dictum de nomine fortitudinis.

Vno modo generaliter, & ita ſignificat temperiem quandam & moderationem quam ratio in humanis operationibus ac paſſionibus in quauis materia ponit; & ſic acceptum quemadmodum non reſpicit determinatam materiam ſiue obiectum, ita quoque non eſt virtus ſpecialis: nam cuilibet virtuti conuenit in ſua propria materia iuxta rationis dictamen ponere modum, vt in operatione vel paſſione non ſit exceſſus aut defectus.

Alio modo ſtrictiùs ſumitur, ſcilicet pro virtute, quæ moderatur appetitum circa illa quæ maximè alliciunt, ne ſupra rationis menſuram in illa feratur: ſicuti fortitudo illum moderatur in ijs quæ maximè deterrent, ne contra rationis regulam, illa ſubterfugiat.

Sic igitur conſiderata temperantia eſt vir- a
tus quædam ſpecialis. Ita D.Thom. q. 141. art. 1. & 2. cum Philoſopho, lib. 2. Ethic. cap. 7. & D. Ambroſio, lib. 1. De officijs, c. 43. & Auguſt. lib. De moribus Eccleſiæ, cap. 15. & 19. & patet ex ratione allatâ.

Hæc itaq; virtus ponitur quarta Cardinalis.

Materia eius ſunt delectationes ſenſibiles: hæ enim maximè appetitum ſenſibilem cõmouent, alliciunt, & ad ſe pertrahunt.

Vt tamen pleniùs materia ſeu obiectum temperantiæ intelligatur, obſeruandum eſt; rectè Philoſophum, lib. 3. Ethic. c. 10. delectationes diſtinguere in ſpirituales, & corporales.

Vocantur ſpirituales illæ quæ ſequuntur operationẽ mentis aut phantaſiæ citra corporis commotionem; vt quæ naſcuntur ex cognitione & contemplatione ſiue rerum diuinarum, ſiue naturalium, vel cuiuſuis veritatis:

Digitized by Google

veritatis: item quæ ex honoribus, ex diuitijs, ex fabularum narratione oriuntur. Circa huiuſmodi autem oblectamenta non verſatur temperantia, de qua agimus; vnde nec eius ſunt materia: neque enim dici ſolet, quis temperans vel intemperans, quia eiuſmodi oblectamentis ordinatè vel inordinatè inhæreat.

Corporales vocantur quæ per externos ſenſus percipiuntur, vt quæ capiuntur ex intuitu pulchritudinis Solis, aut lunę, aut aliorum aſtrorum, ex harmonia muſices, ex ſuauitate odorum, ex ſuauitate ciborum, aut rerum tangibilium. Verùm neq; circa omnes eiuſmodi delectationes verſatur temperantia propriè & ſtrictè ſumpta, vt docet D. Thom. art. 4. ad 3. quia non ſolent homines quoque dici temperantes aut intemperantes ex hoc, quod moderatè aut immoderatè delectentur pulchritudine rerum quas intuentur, aut ſuauitate vocum, vel odorum quæ auribus vel obſfactu percipiunt: imò neque ex hoc dicitur quis propriè intemperans, quod ſuauitate ſaporis ſiue ciborum delitijs plus æquo gaudeat, vt indicat D. Thom. quæſt. citata, art. 5. ſed inde potiùs dicitur delicatus.

3 Primaria igitur ac propria & proxima materia Temperantiæ, vt eſt virtus ſpecialis, ſunt delectationes guſtus, quatenus eſt tactus quidam, & ipſius tactus, quæ per ſe conſequuntur vſum rerum neceſſariarum, aut ſeruientium ad conſeruationem indiuidui, aut ſpeciei, vt docet D.Th. a. 5. citato: nam hæ & vehementiſſimæ ſunt, maximeq; alliciunt, & hominem longiſſimè à ſeipſo ſiue à ratione abducunt: ſunt enim brutis animalibus nobiſcum communes: non ſic delectationes aliorum ſenſuum: & faciunt hominem quaſi brutalem, ſi ratio modum non adhibeat.

Circa delectationes autem aliorum ſenſuum non verſatur temperantia aut intemperantia, niſi quaſi per accidens & ſecundariò, vt loquitur D. Thom. in quantum ſcil. ſenſibilia obiecta iſtorum conferunt ad delectabilem vſum rerũ neceſſariarum ad ſpeciei, aut indiuidui conſeruationem: ſic verſabitur temperantia circa delectationẽ quæ oritur ex pulchritudine vel ornatu fœminę, quatenus confert ad delectabilem vſum fœminæ: ſimiliter delectatio quæ percipitur ex ſuauitate odoris, aut ſaporis ciborum erit quaſi ſecundaria materia temperantiæ, vt ſcilicet confert ad vſum rerum neceſſariarũ ad indiuidui conſeruationem.

4 Remotior autem materia ſunt ipſa obiecta delectabilia guſtus, & tactus, ſcilicet eſculenta, poculenta & venerea. Horum enim appetitioni & vſui ponit temperantia modum iuxta rationis dictamen.

Plura de officijs temperantiæ vide apud D. Proſperum, lib. 3. De vita contemplatiua, cap. 19. & D. Auguſt. De moribus Eccleſiæ, c. 19. quæ apud alios PP. etiam ſæpius occurrunt: qui licet generaliùs ſoleant de temperantia loqui, vt ſcilicet ad alias quoque materias ſe extendit, facilè tamen poſſunt ad temperantiam ſpecialiter acceptam accommodari.

Porrò regula temperantiæ, vt tradunt SS. Patres, & docet D.Th. quæſt. cit. art. 6. 5 ſumenda eſt ex ipſa rerum ad hanc vitam & huius vitæ officia neceſſitate: quod ex Scriptura ſacra quoque colligitur 1. ad Thimot. cap. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*: Eccleſiaſt. c. 29. *Initium vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem*, vbi *Initium* interpretantur Doctores idem eſſe, ac ſi diceretur Caput & ſumma eorum quæ vitæ hominis ſunt neceſſaria.

D. Aug. verò explicatius regulam prædictam oſtendit de moribus Eccleſiæ, cap. 21. dũ ſic ſcribit, Habet vir temperans in huiuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitę regulam vtroq; teſtamento firmatam, vt eorũ nihil per ſe diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt vſurpet vtentis modeſtia, non amantis affectu. Vide etiã D. Hieron. in c. 44. Ezechielis ad hæc verba; *Et dices ad exaſperantem.*

Quatenus igitur verſatur temperantia circa cibum & potum, ſumitur eius regula ex 6 fine ad quem ordinantur: hic autem eſt cõueniens corporis ſuſtentatio, vt illud in primis in ſe ſubſiſtat: deinde vt aptè ſit diſpoſitum ad incumbentes functiones ritè obeundas: quâ verò parte temperantia verſatur circa neceſſaria ad conſeruationem ſpeciei, ſiue circa venerea ſic eius regula eſt, extra coniugium ab his penitùs abſtinere: in coniugio autem eatenus illis indulgere, quatenus expedit prolis generandæ causâ, non voluptatis gratiâ, vt docet D. Aug. De bono coniugali, cap. 6. & 7. & alijs diuerſis locis.

DVBIVM II.

Quæ vitia opponantur Temperantiæ in genere?

RESpondetur: Temperantiæ in cõmuni opponuntur hæc duo vitia, ſcil. inſen- 7 ſibilitas & intemperantia. Ita D.Th. q. 142. a. 1. & 2. cum Philoſopho, lib. 3. Ethic. c. 7. Iſtud per defectum opponitur, quia ſcilicet ita fugit & auerſatur delectationes ſiue guſtus, ſiue tactus, vt prætermittat neceſſaria ad indiuidui, aut ſpeciei conſeruationem, vbi & quando ſecundum rectam rationem de-

bent illa adhiberi. Hoc autem vitium eſt ſatis rarum: nam eo laborant, qui circa delectationes peccant, eò quod nimiùm illas refugiant, vt tradit Philoſophus loco cit. quod rarò contingit, vt ſatis per experientiam conſtat.

Erit tamen mortale, ſi omittatur illud ad quod ſub mortali quis obligatur, vt ſi recuſetur debitum petenti coniugi, quando non ſubeſt iuſta excuſatio: aut ſi negligatur ſumptio cibi aut potus cũ periculo vitæ: veniale autem ſi omittatur ad quod ſub veniali quis obligabatur. Vide Caiet. V. Inſenſibilitas.

8 Alterum, ſcilicet intemperantia opponitur per exceſſum: eſt namque vitium quo quis in appetẽdis & fruendis delectationibus guſtus & tactus ſupra rationis menſuram excedit, vt dum illis indulgetur quibus nõ oportet. Eſtque peccatum mortiferum aut veniale pro ratione materiæ in qua verſatur, vt amplius conſtabit ex dicendis infrà de eius ſpeciebus.

9 Notandum eſt, quod Philoſophus 3. Eth. c.12. Intemperantiam dicat peccatũ puerile, & cum illo D.Th. hîc a. 3. nõ quidem quod congruat pueris, ſed quia ipſa cõcupiſcentia quodammodo aſſimilatur pueris, vt benè explicat D.Tho. nam ſicut pueri impetu feruntur in ea quæ oblectant, nõ habitâ ratione decoris aut turpitudinis, ſic quoque concupiſcentia: quemadmodum enim illi non attendunt, vtrùm aliquid ſit ordinatum ſecundum rationem, in quo pulchritudo obiecti conſiſtit, ita neque hæc.

Deinde ſi puer ſuæ dimittatur voluntati, creſcit magis impetu & rebellione, iuxta illud Eccleſ. c. 30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps*, ſic quoque ſi motibus concupiſcentiæ indulgeatur, inualeſcit magis, magiſq; rationi repugnat: iuxta illud D. Aug. lib.8. Confeſſ. c.5. Dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum cõſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.

E contra autem ſicut puer emendatur & redditur ſubiectior, ſi cohibeatur, vnde Prouerb. c. 23. monet Sapiens, *Noli ſubſtrahere à puero diſciplinam*, ita quoque concupiſcentia ad debitum honeſtatis modum reducitur, quando aſſiduè illi reſiſtitur.

10 Maximè verò probroſum eſſe intemperantiæ vitium docet D. Thom. art. 4. vnde D.Gregorius, lib.33. moral. cap.11. ſcribit: Vitia carnis etſi minoris ſint culpæ, ſunt tamen maioris infamiæ. Ratio eſt, quia vitium hoc verſatur in delectationibus quæ brutis nobiſcum ſunt communes, vt diximus, maximeque hominem à functionibus mentis in quibus eius conſiſtit excellentia, abducunt, & reddunt hominem quaſi brutalem. Vnde Pſalm.48. dicitur, *Et homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

DVBIVM III.

Vtrùm abſtinẽtia ſit virtus ſpecialis ſub temperantiâ?

OBſeruandum hic eſt, Abſtinentiæ nomen 11 ſæpius à Sanctis Patribus vſurpari, vt ſignificet excellentiorem quendã temperantiæ gradũ circa eſculenta: neque enim ille qui ſumpto ientaculo, bis inſuper temperatè in die ſumit refectionẽ, ſolet vocari Abſtinens, quãuis non deſinat eſſe vir tẽperans.

Obſeruandum ſecundò, quòd tamen D. Tho. q.146. accipiat nomen abſtinentiæ, vt ſignificet ſimpliciter virtutẽ quæ ſit ſpecies temperantiæ, quatenus circa cibos verſatur, & rationis menſuram in illis conſtituit: quæ virtus alio nomine ſpecifico caret, & frequenter deſignari ſolet nomine generico temperantiæ.

Hoc itaq; modo nomen abſtinentiæ ſum- 12 ptũ docet D.Th. q.cit. a.1. & 2. eſſe virtutẽ ſpecialem ſub temperantia: quod ſic declarat & probat, quia conſeruat bonum rationis contra impetum paſſionis, quâ appetitus fertur in delectationem ciborum, ne contra rationis moderamen, eiuſmodi delectationi indulgeat, ſiue propter delectationis huius vehementiam, ſiue ſub prætextu neceſſitatis ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conſeruationem: quandoquidem ergo abſtinentia temperat ſecundum regulã rationis paſſionem appetitus, quoad ſpecialem hunc modũ quo ob ciborũ delectationem abducit à bono & honeſtate rationis, conſequens eſt, quòd ipſa ſit virtus & quidem ſpecialis.

Hoc autem modo ſumpta poterit ſic deſcribi, quod ſit virtus cupiditates & delectationes inordinatas eſculentorũ refrænans, & in ipſo vſu debitã conſtituens moderationẽ.

Tunc verò ſeruatur debita moderatio in 13 vſu, quando eſculenta ſumuntur, prout valetudini & officijs mentis congruit: quã de re vide D.Aug. lib.10. Confeſſionum, c.31. vbi latè de hac moderatione diſcurrit. Vnde nõ eſt hac in parte ſtudendũ principaliter validiſſimæ corporis valetudini, ſed huic principaliter tantũ quatenus conuenit & ſufficit functionibus mentis, quin & ipſam valetudinem ob altiores fines laudabiliter licet minùs curare, modo ad exercitia mentis intertineatur ſufficiens, & non grauiter breuiori tempore frangatur: poſſunt enim occurrere circũſtantię & iuſtæ cauſę ob quas abſtinere expediat, etiam pluſquam valetudini & robori corporis ſecundum communem ſtatũ congruat. Sic maior abſtinentia eſt laudabilis, vt caro caſtigetur & ſpiritui ſubijciatur: item, vt quis Deo pro peccatis ſatisfaciat affligendo ſe per ciborũ ſubſtractionem, quibus alioquin licitè & ſine exceſſu contra vir-

tem

Digitized by Google

tutem temperantiæ, quis vti poſſet: quod & fieri poteſt, vt habet D.Th.q.147.a.1. ad 2. vt corporalis infirmitas in futurũ præcaueatur, quamuis hic & nunc tanta quantitas non excederet rationis menſuram.

14 Porrò qui ſingulari & eximio modo ſtudent abſtinentiæ, debent à duobus hiſce vitijs cauere, ſcil. ab impatientia ſiue cholera, & à ſuperbia, vt monet D.Greg.3.parte Paſtoralis, admonitione 20. Ab impatiẽtiâ quidem, quia abſtinentia exſiccat corpus, humores accendit, eoſque bilioſos efficit: vnde fit homo iracundior, & minus patiens. A ſuperbia verò, quia ſolet abſtinentia exterius in facie elucere, & apud homines tanquam ſingularis ſanctitatis nota haberi: vnde facilè contingit aliquẽ in ſuperbiam eleuari. Hinc Chriſtus apud Matth. c. 6. ſic monet, *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes*: ad quæ verba ſcribit D. Aug. De ſermone Domini in monte, lib. 2. c.12. non in ſolo rerum corporearũ nitore atque pompâ, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam, & eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſeruitutis Dei decipit.

DVBIVM IV.

An ieiunium ſit actus virtutis abſtinentiæ, & quidnam ſit?

15 RESPONDEO & DICO Primò: Ieiunium eſt actus virtutis, & quidem abſtinentiæ. Ita docet D.Thō.qu.147. art.1.& 2.& alij communiter. Quod ſit virtutis actus ſatis cõſtat ex Scripturis ſanctis quæ frequenter nos ad ieiunium exhortantur, & inter aliarum virtutũ actus connumerãt. Ioëlis cap. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, fletu, & planctu*. &c. & 2. ad Corinth. c. 6. monet Apoſtolus, *Vt exhibeamus noſmetipſos*, &c: *in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate*, &c. vbi ieiuniũ cum alijs virtutibus commendat.

Quod verò pertineat ad virtutem abſtinentiæ, Probatur primò ex Iſidoro, qui ieiunium dicit eſſe parſimoniam victus, abſtinentiamq; ciborum. Deinde ſic oſtendit D. Th. ratione, quia omnis actus virtuoſus qui eſt circa aliquam materiam, pertinet ad virtutem illam quæ medium in tali materia conſtituit, atqui ieiunium attenditur in cibis in quibus medium conſtituit abſtinentia, vt dictum fuit Dubio præcedenti: ergo ieiunium ad illam virtutem venit referendum.

16 Porrò, vt plenius intelligatur quid ieiunium ſit & in quo conſiſtat, præſertim illud quod eſt pro certis diebus ſub Eccleſiæ præcepto. Notandum eſt, ieiunij nomen ex ſua inſtitutione importare ciborum abſtinentiam: per metaphoram tamen aliquando transferri ad abſtinentiam à quibuſcumque vitijs. Vnde D.Aug. tractatu in Ioannem 17. ſcribit: Ieiunium magnum & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi. D. Baſilius, homilia 1. De ieiunio: verum ieiunium eſt, ab omnibus vitijs eſſe alienum.

Verùm de hac metaphora, nunc non agimus: ſed de ieiunio in ſua proprietate: & ſic acceptum conſiſtit in quadam ciborũ maiori parſimonia, tum quoad rariorum eorum vſum, tum quoad victus aſperitatem, quàm virtus abſtinentiæ per ſe requirat. Vnde Danielis, c. 10. de huiuſmodi ieiunio dicitur, *Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.*

Poteſt itaque id diuerſimodè fieri tam quo ad rariorem ciborum vſum, ſiue longiorem à cibis abſtinentiam, quàm quo ad ſimpliciorem & duriorem victum, vt ex geſtis Sanctorum, & præſertim Heremitarum ſatis abundè conſtat.

Quando autem fit eo modo, quo Eccle-
ſia vel Eccleſiaſtica conſuetudo fidelibus 17
præſcribit illud ſeruare, tunc propriè dici ſolet ieiunium Eccleſiaſticum.

Vnde ad hoc tria requirũtur, vt notãt DD. communiter: abſtinentia ſcilicet à cibis certi generis, abſtinentia à pluribus refectionibus in vno die naturali, & vt ſeruetur certa refectionis hora: hæc enim vult Eccleſia in ieiunijs à ſe inſtitutis ſeruari.

A quibus autẽ ſit abſtinendum ſignificatur in Capit. Denique, diſt. 4. quod ex D.Greg. epiſt. ad Auguſt. Anglorum Epiſcopum, deſumptum eſt, vbi dicitur: Par eſt vt nos qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam trahunt originem carnis ieiunemus, videlicet caſeo & ouis.

Conſuetudo tamen diuerſis in locis diuer- 18
ſimodè mitigauit abſtinentiam ab ouis & lacticinijs: nam in pleriſque Prouincijs non eſt vetitus eſus ouorum præterquam in ieiunio quadrageſimali, vnde dicit D.Tho. qu. 147. a.9. abſtinentiam ab ouis non eſſe in ieiunio iure communi extra quadrageſimam, & notant DD. paſſim, & experientia docet.

Dixi in pleriſque Prouincijs, quia in Hiſpanijs & quibuſdam partibus Galliæ non permittit conſuetudo eſum ouorum in tempore ieiunij etiam extra quadrageſimam, vt refert Nauarrus, cap. 21. n. 15.

Similiter & aliorum lacticiniorum vſum permittit conſuetudo extra tempus quadrageſimæ; quamuis nondum vbique conſuetudo iſta obtinuerit, quemadmodum etiam de ouis diximus. In alijs autẽ diuerſis locis non tantum extra quadrageſimam, ſed etiam in quadrageſima permittit conſuetudo vſum lacticiniorum, exceptis paucis aliquot diebus, vt hic in Belgio & Germania.

Quare de abſtinentia à certis cibis poterit

Digitized by Google

aſſignari huiuſmodi Regula, quod ſcilicet tempore ieiunij ſit abſtinendū ab illis cibis, quorum vſum non permittit Eccleſiæ conſuetudo in tali loco pro talibus ieiunij diebus, vt notat Tann. tom.3. diſp.3.q.3.dub.5. n.88. ita vt benè D.Tho. hic q. 147. a.8. ad 3. dicat cum D.Ieronymo, epiſt.28. Vnaquęq; prouincia abundet in ſuo ſenſu, & prçcepta maiorū, leges Apoſtolicas arbitretur.

Quod verò in die ieiunij ſemel dumtaxat
19 liceat comedere docet D. Th. a.6. ex communi conſuetudine populi Chriſtiani: neque enim in iure communi reperitur hoc expreſſum: ordinatè tamen hoc obſeruari oſtendit D. Th. quia ieiunium eſt ab Eccleſia inſtitutum ad concupiſcentias refrænandas, ſic tamen vt ſaluetur natura: hoc autē vtrumque fit, quando ſemel tantum ſumitur refectio in die; quia vna refectio ſufficit contra interitum, aut grauiorem lęſionem valetudinis, & dum aliæ plures reſecantur, corpus caſtigatur, & vis concupiſcentiæ coërcetur.

20 Nomine itaque refectionis intelligitur hic ſumptio cibi ad corpus alendum. Vnde frequentior ſumptio potus nō prohibetur lege hac Eccleſiaſtica de ſeruando ieiunio, vt tradit D.Th.a.6.ad 2. & alij communiter. Rationem reddit D. Tho. quia potus ſumitur magis ad corporis alterationem mitigandā, ſiue ad refrigerium, & ad ciborum ſumptorū diſtributionem & digeſtionem, quàm vt per ſe alat corpus, ſitque corporis nutrimentum, licet aliquo modo nutriat: hic enim non eſt eius finis.

Si quis tamen immoderatè potum ſumat, peccabit pro ratione exceſſus contra temperantiam, & non contra legem ieiunij, vt docet D. Thom. art. 6. ad 2. & alij communiter. Circumſtantia tamen temporis ieiunij aggrauabit peccatum, quamuis intra limites culpæ venialis.

Docet quoque D.Th. eodem art. cit. ad 3. Tann. ſup. n. 90. & alij, quod ſumptio electuariorum non ſoluat ieiunium, quia non ad nutritionem, inquit, ſed ad digeſtionem ſumuntur, niſi tamen forſitan aliquis in fraudem, electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi.

Petet aliquis, quid dicendum de cœnula veſpertina, ſiue de collatiuncula, vt communiter vocatur?

21 Reſpondetur, illam licitam eſſe, non tantum ne potus noceat, vt ſolet dici: ſed etiam alicuius alimenti cauſâ. Ita docent Medina, C. De ieiunio, q.8. Caiet. V. Ieiuniū, Nauar. c.21. n.15. Tann. ſup. n.91. & plures alij.

Fundamentum ſumitur ex conſuetudine: vnde & menſura illius erit ſumenda: quam pro varietate locorum ſcil. probat prudentū & timotorum vſus. Notat autem Bonacina, tom.2. De præceptis Eccleſiæ, diſp. vlt. q.1. punc. 3. n. 3. in hàc cœnula ſiue 2. refectione, vt loquitur, nō ita ſtrictè prohiberi cibi qualitatē ſicuti interdicitur quantitas. Vnde addit, quamuis magis communiter ſumatur in cibis, quibus veſcimur ante vel poſt prandium (vt hic in Belgio in pane & buturo) poſſit tamen etiam ſumi piſciculus, vel particula aliqua piſcis maioris.

Quod ad tertium requiſitum attinet, ſcil. ad horā refectionis, fuit illa olim hora nona 22
diei quæ noſtro cōputandi & loquendi modo eſt tertia pomeridiana. Colligitur ex Cap. Solent, De conſecratione, diſt.1. quæ quidē hora fuit adhuc ſeruata tempore D. Thomę, vt conſtat ex art.7. ſed nunc ex recepta conſuetudine, eſt hora circa meridiem, quâ modò licet refectionem ſumere: non autem quod licitum non ſit differre vſque ad tertiam pomeridianam, vel vſque ad veſperam, vt benè notat Caiet. hoc enim ieiunij difficultatem non minuit, ſed auget, & magis eſt conforme moribus veteris Eccleſiæ, ex indulgentia enim eſt admiſſa hora anterior: non tamen idcirco licet abſq; peculiari cauſa ſumere collationem in meridie & transferre refectionem ad veſperam, vt cum Caiet. & Nauarr. notat Tannerus ſup. n. 92. Ex cauſa tamen licet, vt cum Azorio, lib. 7. cap. 8. quæſt. 8. etiam tradit Tann.

Quæritur hic primò, an ſi quis notabiliter prçueniat tempus præſcriptum in ſumenda refectione, v.g. ad vnam vel duas horas, peccet mortiferè?

Reſpōdetur in primis, ſi iuſta ſubſit cauſa 23
præueniendi, vt ſi iter agendū ſit, ſi hoſpites ſint dimittendi, quod tunc anticipatio illa fieri poſſit abſque peccato. Ita Nauar. c. 21. n.27. Tann. n. 96. & alij ſatis communiter: quando autem non ſubeſt cauſa tunc ex plurium Doctorum ſententia peccabit mortaliter, qui notabiliter horam anticipat. Ita docent Couar. lib.4. Variar. c.20. n.16. Nauar. cap.21. n.27. & indicat Caiet. V. Ieiunium: docet enim horam competentem eſſe vnam ex conditionibus principalibus ieiunij. Similiter Paludanus in 4. diſt. 15. qu.4. art.4. vbi dicit notabili anticipatione factâ ſine iuſtâ causâ, frangi ieiunium: Syl. V. Ieiuniū, q. 4. & ſic quoque fideles timoratiores videntur paſſim apprehendiſſe: eſt enim hora illa magis ſera, præſcripta tanquam notabiliter faciens ad corporis caſtigationem & appetitus mortificationem.

Non deſunt tamen qui dicant eſſe tantum veniale, vt Angelus V. Ieiunium, n. 2. 24
Toletus, De inſtructione Sacerdotum, lib.6. cap.2. Tann. ſup. dub.5. n.96. cum pluribus Canoniſtis quos citat. Ratio horum eſt, quia non videtur violari ieiunij ſubſtantia, ſed tantum circumſtantia quædam accidentalis, cuius mutatio nō ita aduerſatur fini ieiunij: quod anticipatio diminuit de difficultate ieiunij, hoc iterum longior mora ab illa refectione

Digitized by Google

ctione vſque ad noctem adauget; atque ita poteſt reuera hęc ſententia nō videri improbabilis, in caſu ſaltem quo refectio breui & ordinario tēpore abſolueretur: ſecus ſi protraheretur in tempus longius vſque poſtmeridiem: vnde etiā Tannerus addit, per ſe loquendo non eſſe plus quàm veniale peccatū.

Quæritur ſecundò, vtrùm qui ieiunium per ſecundæ refectionis ſumptionem violauit, peccet iterum mortiferè ſi die eodem ſumat refectionem tertiam.

Negant Durandus in 4.diſt.15.q.11.n.9.
25 Gabriel diſt.16.q.3.dub.5. Nauarr. c.21.n.
14. Angelus V. Ieiunium, Azor. lib.7. to.1. quos ſequuntur multi recentiores: Tannerus quoque ſup.93.dicit hoc videri probabilius. Diuerſi diuerſa ponunt fundamenta huius ſuæ opinionis: Angelus in eo ſe fundat, quia nemo obligatur ad impoſſibile, atqui poſt ſecundam refectionem fit ieiunium impoſſibile pro illo die, ergo non tenetur abſtinere ab vlteriori refectione. Durandus autē, quod non abſolutè vetantur plures commeſtiones, ſed tantum quatenus per eas tranſgredimur limitē in ieiunio præſcriptum, qui eſt vnica refectio: quem per ſolam ſecundā refectionem vult nos tranſilire, atque ita cæteras nō eſſe prohibitas per præceptum ieiunij: huic etiam inſiſtit Tannerus. Sed quia non ſatis videntur hæc ſolida, hinc aliqui addunt tertium, quod ſcilicet plures refectiones quàm vna, non prohibeantur in ieiunio, niſi quatenus earū abſtinentia videtur pertinere ad carnis mortificationē, atqui ſola abſtinentia à ſecunda ad hoc videtur valere, non autē tertia vel quarta, niſi forſitan valdè parum: paſſim enim, inquiunt, non ſolent homines etiam extra tempus ieiunij (exceptis mechanicis) niſi bis comederē, & qui bis comedit, non poteſt videri aliquid notabile facere quod ad carnis mortificationem pertineat abſtinendo à tertia; ergò &c.

26 Alij è contra affirmant tertiam refectionē non poſſe quoque ſumi abſq; peccato mortifero. Ita Ioan. Maior in 4.diſt.15.q 6. Medina, qu.5. in Tract. De ieiunio: Couarr. ſup. n.13. & nonnulli alij, quorum opinio videtur ſolidior & verior. Probari autem poteſt, quia ex omnium ſententia, qui ſemel violauit ieiunium in prima refectione comedendo carnes, is peccabit iterùm mortiferè, ſi ſecundo carnes comedat, vt notat quoque Tann. ſup. atqui tam impoſſibile eſt quod hic integrè ſeruet ieiunium iuxta pręſcriptū Eccleſiæ, quàm quod ille qui ſumpſit ſecundam refectionem; & tam hic tranſilijt limitē de non comedendis carnibus, quàm alter limitem de ſemel tantùm comedendo; ergo ſi iſtis non obſtantibus peccet hic ſecundo mortaliter, quando iterum comedit carnes, conformiter videtur dicendum, quod & ille ſecundo mortiferè peccet qui poſt ſecundam refectionem ſumit tertiam.

Occurrit huic obiectioni Toletus, lib.6.
c.3. & hanc dat rationem diuerſitatis, quia 27
præceptum quatenus eſt de cibis vetitis, eſt negatiuum, & propterea per quemlibet actū fit noua eius tranſgreſſio: aſt quatenus eſt de ieiunio, inquit, ſic eſt affirmatiuū, atque ita ſemel violatū non poteſt iam illo die ſeruari.

Sed euidenter nō ſubſiſtit hæc reſponſio, quia clarum omnino apparet, non minus negatiuum eſſe illud, quo mandatur vt non ſumantur plures refectiones quā vna, ſiue quo mandatur vt refectione vnica ſimus contenti, quàm quo mandatur ne in die ieiunij comedantur carnes: quemadmodū enim huius tranſgreſſio non fit per omiſſionem, ſed per actū poſitiuū, ita & tranſgreſſio iſtius: ſi igitur contra hanc partem peccetur ſecundo mortaliter, quando quis ſecundo cōmedit carnes, quia negatiua eſt, cur non etiam ſecundo peccabit mortiferè qui poſt ſecundā refectionem addit refectionem tertiā? quandoquidē & hæc pars præcepti ſit negatiua.

Alij itaque nonnulli reſpondent & diuerſitatis rationem ponunt in hoc, quod abſtinentia à carnibus & cibis vetitis ſemper ſpectet ad carnis mortificationem, non ſic abſtinentia à tertia vel quarta refectione.

Verùm, neque videtur hoc ſatis cum ra- 28
tione dici, ſi namque poſt ſecundā refectionem non ſit locus mortificationi carnis ſeu corporis, quæ fieret abſtinendo à tertia liberali refectione in piſcibus forſitan benè cōditis, quomodo ſeruiet mortificationi corporis, quod poſt refectionem ſemel atque iterum ſumptā in carnibus, abſtineatur poſtmodū ab aliquot adhuc bonis buccellis carnis, quæ tamen etſi pro tertia vice ſumantur, ex omniū nihilominùs ſententia incurritur iterùm peccatum mortale. Dicunt enim & ſupponunt communiter DD. omnes, inquit Tann. peccari toties, quoties in die ieiunij carnes comeduntur. Certè non apparet ratio, quare abſtinentia illa à paucis buccellis carnis poſt alias refectiones, plus valeat ad carnis mortificationem, quàm abſtinentia à liberali cœna quæ eſt tertia refectio illius diei, poſt ſumptum manè ientaculum, & poſt ſumptum prandium in meridie.

Itaque qui hanc ſententiā elegerint ſequi, 29
poterunt ad fundamenta aliorum reſpondere, ad primum quidem, quod nemo hic obligetur ad impoſſibile, quia non dicimus talem qui ſecundam refectionem ſumpſit, obligari adhuc vt integraliter ſeruet ieiunij legē, ſed ne iterum & vlterius contra illam peccet: quemadmodum ſi quis contra legem Eccleſiæ de ſemel tantum celebrando in die, peccauerit, & ſecundo celebrauerit, non poteſt quidem iam integraliter ſeruare, ſed benè poteſt iterum & ſecundo legem violare, ſi tertiò celebraret eodem die.

Ad ſecundum reſpondetur, quod non appareat ratio ſatis firma, quare minus tranſiliat limitem in ieiunio præſcriptum, qui tertiam ſumit refectionem, quàm qui ſecundam, quandoquidem etiam tertia ſit contraria mandato, quo vetantur plures refectiones quam vna.

Si quis autem dixerit, ideo per tertiam refectionem non tranſiliri limitem in ieiunio præſcriptum, quia ſcilicet intentio Eccleſiæ ad illam non ſe extendit, quæ tantum vult prohibere ſecundam refectionem, non autem curat an de reliquo ſeruetur aliqua abſtinentia pro illo die an non: hoc gratis omninò videbitur ab eo dici, niſi forſitan pro fundamento velit allegare, quod paulò antè diximus, quoſdam tertio loco pro ratione alterius ſententiæ addere, ſcilicet abſtinentiam à tertia vel quarta refectione non facere ad corporis & concupiſcentiarum mortificationem, & ideo ſic de intentione Eccleſiæ eſſe ſentiendum & ſtatuendum.

30 Quare vt huic euaſioni quoq; occurratur, obſeruandũ eſt iuxta SS. Patres infrà Dub. 7. allegãdos, & D. Th. hic a. 2. ad 3. plures eſſe ieiunij fines, vt notat etiam Toletus, lib. 6. cap. 2. Tannerus cum alijs ſup. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 3. dub. 4. n. 65. vbi hos tres ponunt, ſcilicet carnis mortificationem, qui eſt intrinſecus finis, & ſic principalior: ſecundò, aptiorem mentis diſpoſitionem ad rerum diuinarum contemplationem, & denique ſatisfactionem pro peccatis, ad quos omnes in ieiunijs inſtituendis reſpicit Eccleſia, vt ibidem ſignificant Doctores citati cum alijs.

Nunc itaque reſpondetur, etiamſi abſtinentia à tertia refectione non ſeruiret (vt illi parũ probabiliter volunt, prout ex dictis poteſt intelligi) ad primum finem iſtum maximè intrinſecum, tamen ſeruiet ad ſecundum & tertium finem: quamuis enim quis ſumpſerit ientaculum & bonum prandium, non ideo abſtinentia à cœna deſinet hominem diſponere ad mentis functiones promptius obeundas, & ad mentem facilius eleuandam ad Deum & ad res diuinas contemplandas, propter quem reſpectum videntur potiſſimũ inſtituta ieiunia in profeſtis maiorum ſolemnitatum Eccleſiæ.

Similiter ad ſatisfactionem pro peccatis plurimùm poteſt valere, ſi quis appetitum & gulam refrenet abſtinendo à cœna, quam alioquin vehementer appetit.

31 Accedit quod qui prohibet plures refectiones ad eum finem, vt corpus in ſeruitutem redigatur, debeat quoque cenſeri in primis velle, ne tot ſumãtur refectiones, vt caro inde fiat laſciuior & magis ſpiritui repugnans ac rebellis.

Inferet aliquis; Ergo qui vnicã refectionẽ ſumet immoderatiùs, peccabit quoque cõtra Eccleſiaſticam legem ieiunij.

Reſpondetur Negando Conſequentiã: & ratio eſt, quia de modo illius refectionis nihil ſtatuit Eccleſia, præterquàm quod à cibis certi generis ſit abſtinendum, non autem aliquid de quantitate, vel alia qualitate: ſed de numero, ipſa diſpoſuit: vnde potior eſt ratio, quarè debeat cenſeri prohibuiſſe intemperantiam quæ committitur contra carnis ſubiectionem, vel quæ facit pro maiori eius laſciuia per plures refectiones, quàm quę committitur in ipſa vnica refectione dum intemperanter hæc ſumitur.

DVBIVM V.

Qui teneantur ieiunare?

SVppono hic cõtra hæreticos noſtri temporis, & alios quoſdam antiquiores, ieiunium Eccleſiaſticum verè eſſe ſub præcepto, & fideles in conſcientia obligatos ad illud ſeruandum, per ſe & in communi loquendo. Conſtat enim quod Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus indixerit fidelibus ieiunium certis temporibus & diebus. 32

Quòd verò habeat Eccleſia poteſtatem ferendi leges obligantes in conſcientia, ſatis latè cum D. Thoma oſtendimus 1. 2. quæſt. 96. art. 4. vbi etiam hæreticorum argumenta quæ generalia ſunt contra leges humanas diſſoluimus: Speciales autem obiectiones, quas mouent contra Legem ieiunij, proponemus infra Dubio ſeptimo, vbi ad eaſdem reſpondebimus.

Et quidem quandoquidem materia huius præcepti ſit opus virtutis neceſſarium, aut ſaltẽ multùm vtile ad tollenda impedimenta ſalutis, vt ad carnis concupiſcentias & blandimenta ſuperanda, & ad mentem eleuandam ad res diuinas, ideoque ipſa grauioris obligationis ſit capax, hinc ex communi & recepta Doctorum ſententia obligat præceptum ieiunij ſub culpa mortali.

Imò & ex naturali ratione tenetur quiſq; tantùm ieiunijs vacare, quantum ſibi neceſſarium eſt ad hos fines, vt docet D. Th. hic 2. 2. qu. 147. a. 3. in Corpore; & ideo: inquit, ieiunium in communi cadit ſub præceptum legis naturæ: quamuis determinatio temporis & modi ieiunandi, iuxta quod magis conuenit & expedit populo Chriſtiano, cadat ſub præcepto iuris poſitiui, quod à Prælatis Eccleſiæ eſt inſtitutum.

Quàm conuenienter autem Eccleſia determinauerit tempora ieiunij, & abſtinentiã à certis generibus ciborum, vide latè & pulchrè explicatum apud D. Thomam, quæſt. citata, art. 5. & art. 8.

His præmiſſis reſpondetur; Lege ieiunij obligantur Chriſtiani omnes: & quidẽ cuiuſcumque ſint perfectionis aut ſanctitatis, niſi aliâ iuſtâ cauſâ excuſentur. Prior pars eſt

contra

contra hæreticos noſtri temporis, vt iam antè indicauimus. Poſterior eſt contra errorem Beguinarum & Bogardorum, qui inter alia docebant hominem in hac vita ad eam poſſe perfectionem conſcendere, vt eſſet impeccabilis, nec amplius poſſet proficere: quò cum peruenerit, non teneri amplius ieiunare, aut orare.

Ita de illis referunt Turrecremata, lib. 4. De Eccleſia, parte 2. c. 36. & D. Antoninus, parte 4. tit. 11. cap. 7. §. 4.

Sed concluſio eſt communis Doctorum & certa de fide, definita in Concilio Vienneſi, & refertur Clementina Ad noſtrum, De hæreticis.

Probatur, quia perfectiſſimi ac ſanctiſſimi quique maximè fuerunt ieiunijs ſemper dediti, vt Ioan. Baptiſta, vt conſtat ex Euangelio: de illo namq; dixit Chriſtus, Matt. c. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Itē Apoſtoli, vt conſtat ex actis in diuerſis locis: & Lucæ, cap. 5. de illis dicit Chriſtus, *Venient autem dies, tunc ieiunabunt*: licet non ieiunarent ſicut Phariſæi, quando cum ipſis eſſet ſponſus Chriſtus. Apoſtolus quoque 1. ad Corinth. cap. 9. de ſe ſcribit, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*: ſimiliter & Sancti Heremitæ, & alij paſſim qui ſanctitate & perfectione excelluerunt. Vnde ſcribit D. Leo, ſermone 11. De quadrageſima. Adeſt maximum, ſacratiſſimumq; ieiunium, quod obſeruantiam vniuerſis fidelibus ſine exceptione denuntiat, quia nemo tam ſanctus vt non ſanctior, nemo tam deuotus, vt non debeat eſſe deuotior, &c.

33 Hinc igitur patet fundamentum Concluſionis, quia in omnibus quantumuis iuſtis & ſanctis, paſſim militant rationes præcepti, vt ſcilicet caro caſtigetur, magiſque ſubijciatur ſpiritui, vt pro reatibus Deo ſatisfiat, & mens diſponatur melius, vt in Deum & res diuinas contemplandas eleuetur.

Accedit quod tametſi obueniret caſus quod in vno aliquo locum nulla ex iſtis haberet pro aliquo tempore, non idcirco debeat cenſeri à lege exemptus, quia non mox vt ratio aut finis legis in vno aliquo particulari ceſſat, ideo deſinit lex illum obligare, vt doceri ſolet 1. 2. De legibus.

Addidi in cōcluſione: niſi cauſâ aliâ iuſtâ
34 excuſentur; quia in humanis legibus quæ verſantur dumtaxat circa vtilia ad promouendum bonum ſubditorum ſiue in communi, ſiue circa ſingulos, vel circa determinationem quandam diuinorum præceptorum, ſæpè poſſunt cauſæ incidere ob quas in his vel illis perſonis ceſſet obligatio, vt indicat D. Thom. quæſt. cit. art. 4. ad 1. puta quia ad perſonas talis conditionis, aut ætatis non intendit legiſlator extendere mandata ſua: quod in præſenti materia quoque contingit. Hoc itaque quod D. Leo, ſermone ſuprà citato, dicit obſeruantiam quadrageſimæ vniuerſis fidelibus ſine exceptione denuntiari, ſic venit intelligendum, prout ipſe ſubiunctis verbis explicat, quòd ſcilicet nemo propter ſanctitatem aut perfectionem in iuſtitia ab illo diuino excuſetur.

Solent autem cauſæ excuſationis legitimę ad tria capita reduci, ſcilicet ad Impotentiam, ad Neceſſitatem, & ad Pietatem.

Titulo impotentiæ excuſantur infirmi, 35
item conualeſcentes & debiles accedente medicorum iudicio, qui iudicent ſine naturę incommodo non poſſe tales ieiunare.

Similiter eximuntur mulieres pregnantes, & lactantes, quia pro ſe & pro fœtu indigent nutrimento ampliori, quod conuenit ſumi intercallatis ſiue ſucceſſiuis temporibus: Pauperes hâc de causâ ſolent excuſari qui fruſtatim mendicant panem ſuum, vt tradit D. Thomas, art. 4. ad 4. & cum illo Azor. to. 1. lib. 5. cap. 27. quæſt. 5. & 6. Tann. ſup. dub. 5. num. 100. & alij communiter: quia non habent vnde ſimul & ſemel ſumant vnam bonam ſeu plenam refectionem.

Ob eandem cauſam ſignificat D. Thom. art. citato ad 2. excuſari pueros & adoleſcentes, vbi ſic ſcribit; In pueris eſt maximè euidens cauſa non ieiunandi tum propter debilitatem naturæ ex qua prouenit, quòd indigent frequenti cibo, & non multo ſimul ſumpto; tum etiam quia indigent maiori nutrimento propter neceſſitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti: & tunc addit. Et ideo quamdiu ſunt in ſtatu augmenti quod eſt vt in pluribus vſque ad finem tertij ſeptennij, non tenentur ad Eccleſiaſtica ieiunia obſeruanda, & ita etiam docent communiter Summiſtæ & Scholaſtici.

Cæterùm quamuis iuxta communem ſa- 36
tis Doctorum interpretationem, Eccleſia ob prædictas cauſas noluerit generatim ſtatuere pro talibus ieiunium, tamen conueniens eſt, vt etiā in iſta ætate (inquit D.Th.) ſe ad ieiunium exerceant, plus, vel minus ſecundum modum ſuæ ætatis. Vnde communis videtur apprehenſio fidelium, quod obligentur quoque cum moderatione quadam ieiunare prout Paſtores, & Confeſſarij iudicauerint eis conuenire: nec immeritò præſertim quoad iuuenes qui pubertatem exceſſerunt, cum ætas illa laſciuijs carnis ſolet ſæpius eſſe valdè ſubiecta, quæ maximè & ſaluberrimè ieiunijs comprimuntur. Addit Tann. ſup. n. 100. quod etiam nonnunquam lege naturali teneantur ad hoc propter vincendas tentationes carnis pro quo citat Peltanū, lib. 2. De ieiunio, c. 17. Quoad Religioſos profeſſos, multi dicunt eos obligatos ad ieiunium etiam annum 21. ætatis: Quod tamen negat Medina in Confeſſ. In-

Digitized by Google

ſtructione, forſitan quia obligentur magis conſuetudine vel ſtatuto Religionis, quàm ex vi legis Eccleſiaſticæ quæ non videtur ponere diſtinctionem inter hos & alios.

Excuſantur hic quoque ſenes qui ad ſexageſimum annum peruenerint iuxta communem Doctorum ſententiam, niſi euidenter conſtaret (inquit Caiet. circa hunc art. 4.) alicuius naturam tunc eſſe adeò virilem, & vegetam, vt non ſit lædenda ieiunio, quod Tanner. cum alijs dicit iudicio prudentis determinandũ: neq; in dubio tamen tenetur tentare, quia in illa ætate (inquit Caiet.) præſumitur nõ poſſe, niſi de contrario cõſtet.

Titulo neceſſitatis, ſiue propter labores
37 graues eximuntur, primo omnes qui duriori labore ſuo victitant, cum quo ſcilicet non poteſt benè ieiunium conſiſtere: Ita tradit D. Thom. art. 4. citato ad 3. Eiuſmodi autem ſunt agricolæ, fabri ferrarij, lignarij, & omnes ferè mechanici.

Petet aliquis; quid ſi habeant media ad commodè viuendum diebus illis, etiamſi nõ laborarent, vtrùm tenebuntur à labore abſtinere, vt valeant ieiunare?

Reſpondetur: D. Thom. videtur in affirmatiuam partem loco citato, ad 3. inclinari, & plures Doctores aliquando in ea fuerunt opinione: ſed modo tenent Doctores communiter partem oppoſitam, quod ſcilicet qui ex officio ſuo laborant, poſſint æquè diebus ieiunij ac alijs laborare, etiamſi ditiores ſint: ac proinde à ieiunio quoque excuſantur ſi re ipſa labores ordinarios ſubeant.

Dixi: omnes penè mechanici, quia ſi qui ſint mechanici aut artifices quorum labor ſit exiguus ſeu leuis, hi à lege ieiunij non ſunt eximendi, vt indicat etiam D. Thom. loco citato: tales autem habentur pictores, ſculptores, tonſores, ſartores, vt habet Tolet. lib. 6. cap. 6. & Tann. ſup. n. 102. ex communi ſententia: quibus etiam adiungi poſſunt laniones, quando grauiores labores committunt famulis vel alijs, & ipſi tantum carnes diſcindunt, & diuendunt.

Addit etiam Toletus ſatores, ſed labor horum videtur etiam reputandus inter grauiores, vt indicat Tann. & alij.

Secundò eximuntur propter labores aliquando nonnulli, qui licet ex officio laborare non ſolent, tamen occurrit eis aliqua neceſſitas, vel magna occaſio ob quam conuenit, aut peculiariter vtile eſt laborare, vt ad vitandum graue aliquod damnum, vel ad faciendum notabile lucrum, ſicuti quando mercatores ad nundinas proficiſcuntur pedites, vel ad alia negotia quæ commodè non poſſunt differri. Tannerus ſup. & Doctores communiter.

38 Titulo pietatis excuſantur, qui operibus miſericordiæ ſpiritualibus, vel corporalibus incumbunt, cum quibus non queant ieiunium ſeruare, ſic excuſantur concionatores, Doctores in ſcholis legentes, vel qui in Sacramentis adminiſtrandis aut in ſeruiendo ægrotis fatigantur, ſic vt valitudo non admittat ſimul ieiunium: Eccleſia namq; ita præcipit ieiunium, vt opera pietatis magis neceſſaria & præſtantiora non velit impedire, quando cum illis non conſiſtit ieiunium: quod in omnibus cauſis eſt generatim notandum, ſcilicet eatenus ſolùm quamquam cauſam excuſare, quatenus cum ieiunio pugnat, vt ex communi docent Medina, De ieiunio, qu. 9. Nauarr. cap. 21. n. 22. Caiet. V. Ieiunium, & alij. Semper in omnibus attendere quoque oportet, ne quis laboris vel operis pietatis occaſionem captet, dumtaxat in fraudem ieiunij, tunc enim locum haberet illud Pſalmiſtæ, *Et mentita eſt iniquitas ſibi.*

Porrò cum Eccleſiaſticum ieiunium duo contineat, ſcilicet abſtinentiam à cibis vetitis, & abſtinentiam à pluribus refectionibus, 39
veniunt quæ hactenus de excuſatione à ieiunio dicta ſunt, intelligenda potiſſimum quoad abſtinentiam à ſecunda refectione, non ita quoad abſtinentiam à cibis prohibitis, vt docet Medina, De ieiunio, quæſt. 11. Tann. ſup. n. 105. Nauarrus, cap. 21. n. 23. cum Antonino: pauci enim ſunt quibus concedatur vſus ciborum vetitorum: multi autem quibus conceduntur plures refectiones, vt ex dictis conſtat.

Quando tamen foret euidens quædam neceſſitas, liceret quoque cibis illis vetitis vti; Ita Medina, De ieiunio, quæſt. 9. Bellarminus, lib. 2. De bonis operibus in partic. cap. 9. & alij communiter. Et quidem per ſe loquendo abſque Superioris diſpenſatione: ſi tamen occaſio permittat, omnino petenda erit diſpenſatio, ſeu declaratio Superioris ſaltem ad vitandum ſcandalum, & malam notam, & ſimul ad præcauendam malam conſequentiam.

In dubio autem opus eſt diſpenſatione Superioris qui eſt Ordinarius ſeu Epiſcopus 40
reſpectu ſæcularium, & ipſo abſente Parochus, vt habet Caiet. V. Ieiunium, & tradunt alij communiter Doctores: nam ob frequentes eiuſmodi caſus, facultas iſta parochis eſt conceſſa; ſubditis enim graue foret, ſemper ad Ordinarium habere recurſum, & ipſis quoque Ordinarijs moleſtum ſemper eis intendere; vt indicat Caiet. loco citato.

Quibus autem conceditur vſus carnium propter infirmitatem vel naturæ debilitatem, iiſdem cenſetur concedi quoque ſecunda refectio, vt habet Toletus, lib. 6. cap. 3. Medina, De ieiunio, quæſt. 5. Nauarrus, cap. 21. n. 22. non autem ſi aliquibus tantum concedatur iſte vſus carnium eo quod à piſcibus natura abhorret, vel quia putantur temperamento eius noxij, vt docent

Medina

Medina & Nauarr. loco citato: & Tannerus, dub. 5. num. 105. quia non ſubeſt tunc ratio, quare plures refectiones concedantur.

DVBIVM VI.

Vtrùm viatores & peregrini teneantur ſpeciali ieiunio loci in quo contingit illos verſari?

41 DVo circa hanc quæſtionem videntur ſatis certa, & apud Doctores omnes communiter recepta.

Primum eſt, ſi peregrinus venerit ad locum aliquem, vt ibidem conſtituat domicilium, quod mox contracto domicilio teneatur ſeruare, tum feſta, tum ieiunia, & alia particularia ſtatuta & conſuetudines loci illius.

Alterum eſt, quòd tametſi quis non cogitet ibi conſtituere domicilium, ſed tamen intendit pro maiori parte anni ibi agere, teneatur ſimiliter legibus feſtorum & ieiuniorum loci, alijſque conſuetudinibus. Ita Azorius, tom. 1. lib. 5. cap. 11. quæſt. 3. & lib.7.c.30. Tann.tom.2. diſp.5.q.6.dub.2. n.30. qui plures ibidem citat.

Sed controuerſia eſt de illis qui pro minori parte anni, vt pro menſibus duobus, vel tribus, vel etiam pro diebus tantum aliquot intendunt in loco ad quem venerint remanere, vt v. g. Mercator aliquis intendit in nundinis vel alibi propter mercimonia hærere ad ſeptimanas ſex aut duos menſes: ſimiliter qui habet proceſſum in magna curia cogitat ibi hærere ad mẽſes tres vel 4. vt cauſam ſuam proſequatur, vel alij alibi ad minus tempus: Vtrùm hi obligentur ad ſeruandum ieiunium particulare illius loci.

Sanchez, lib. 3. De matrimonio, diſp. 23. docet eos non obligari, qui pro minori parte anni ſolùm cogitant eo in loco agere, modò non venerint animo habitandi & figendi domicilium, & multo minus qui tantum per diem vnum atque alterum prætendunt ibi manere: modò caueatur ſcandalum: in quam ſententiam etiam inclinat Tannerus ſuprà num. 32.

42 Verùm contraria ſententia vti eſt communior, ita apparet verior & magis tenenda: Ita docent Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 4. Driedo, lib. 1. De libertate Chriſtiana, c. 17. circa medium: Azorius, tom. 1. lib. 5. c. 11. quæſt. 13. Couar. lib. 4. variarum, cap. 20. n. 8. vbi plures alios pro hac eadem ſententia allegat Nauarrus, cap. 13. n. 5. & cap. 23. nu. 121. Lopez, 1. parte, cap. 52. Suarez, tom. 1. De religione, tract. 2. lib. 2. cap. 14. num. 8. De legibus, lib. 3. cap. 33. num. 3. vbi abſolutè, ait, leges territorij obligare aduenas & hoſpites, quam diu ibi commorantur etiam in conſcientia, & quoad vim coactiuam, & alij plures.

Probari poteſt primò, quia videtur clara doctrina D. Auguſtini, epiſtola 118. cap. 2. ad Ianuarium, vbi agens de hoc rerum genere, quod vt ipſe loquitur, liberas habet obſeruationes (videlicet citra particularis alicuius Eccleſię legem aut conſuetudinem) dicit nullam diſciplinam in eiuſmodi eſſe meliorem graui prudentique Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quam fortè deuenerit: quod enim, inquit, neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum eſt. Vbi notandum, quòd Auguſt. dicat. Quod iniungitur, & rurſum, Id ſeruandum eſſe; quæ ſonant obligationem, ne quis exiſtimet Auguſtinum dumtaxat ſuggerere conſilium, vt nonnulli reſpondẽt: ac quod iterũ dicat, ad quã deuenerit, ne quis putet eum loqui de illis tantũ, qui animo habitandi alicubi figũt domiciliũ.

Probatur Secundò, quia paſſim fideles omnes, tum docti, tum indocti ſolent ita apprehendere, qui aliquam habent præceptorum Eccleſiæ in animo obſeruantiam, quòd ſcilicet ad ieiunia & feſta locorum in quibus verſantur, obligati exiſtant ſi illic ſubſtiterint, atque adeò ex illa apprehenſione ſolent paſſim eiuſmodi leges obſeruare, vt notat Nauarrus loco allegato: atqui conſuetudo ſeruandi morem aliquem aut ordinationem ex opinione obligationis, etiamſi libera alioquin fuiſſet & conſilij tantùm, inducit obligationem; ergò &c.

Opponet fortè aliquis, conſuetudinem populi non poſſe inducere obligationem legis Eccleſiaſticæ, quia populus non poteſt legem Eccleſiaſticam ferre. 43

Reſpondetur, quod hæc populi conſuetudo non habeat vim legis directè ex voluntate populi, ſed ex tacita aut expreſſa voluntate ordinarij, qui hoc ipſo quo nouit eiuſmodi morem obſeruari ex opinione obligationis, & non aliter populum inſtruit, cenſetur obligationem illam probare, & conſuetudini vim legis tribuere.

Probatur tertiò, quia hoc maximè eſt rationi conſentaneum & quodammodo neceſſarium ad bonum regimen, & ad præcauenda ſcandala communitatis, quia ſi externi poſſent veſci carnibus, & lautè cœnare in diebus quibus eſt ieiunium in locis vbi diuerſantur, daretur frequenter occaſio magna ciuibus ſeu incolis ſeſe illis hoſpitalitatis, vel familiaritatis causâ adiungendi, & præcepti ſui violandi: quod ab experientia ſatis poteſt oſtendi, dum quis amicus tempore ieiunij accedit, vel recedit.

Proba-

Digitized by Google

Probatur quartò: quia dum quis à ſua Eccleſia abeſt, non tenetur ſpecialibus ieiunijs aut feſtis ſui loci in quo habet domicilium, ergo æquum eſt vt ſubeat obligationẽ loci in quo verſatur. Conſequentia probatur, quia meritò qui ſentit commodum debet etiam ſentire incommodum, vt habet regula Iuris 55.

44 Antecedens docent & tenent Doctores antè allegati, & cum illis Sanchez, lib. 3. diſp. 8. & Henriquez, lib. 7. cap. 13. nu. 2. Tolet. lib. 1. cap. 6. & alij. Probari ſolet ex Capitulo Illa, diſt. 12. quod deſumptum eſt ex epiſtola 118. Auguſtini, cap. 2. vbi refert ſuper hac materia D. Ambroſium ſibi aliquando reſpondiſſe in hæc verba: Cum Romam venio, Sabbatho ieiuno; cum Mediolani ſum, non ieiuno: ſic & tu ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua: & ex illis verbis dicit Auguſt. ſatisfactum fuiſſe matri ſuæ, Mediolani pro tunc agenti, quæ ſollicita alioquin erat, vtrùm illic agens teneretur ad ieiunia Eccleſiæ Africæ: intellexit enim ſe non obligari. Hoc itaque, inquit Auguſt. cum matri renuntiaſſem libenter amplexa eſt: ego autem de hac ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperim: vbi tunc adiungit deinde incommoda quæ ex contrarijs opinionibus ſolent ſequi.

Ratio autem reddi poteſt, quia ſtatuta & conſuetudines particulares locorum ſunt quaſi affixa loco, & ligant ratione exiſtentiæ in loco tali. Vide Couar. ſup. & Nauarrum, cap. 13. nu. 5. vbi ex iſto principio reſoluunt diuerſos particulares caſus.

45 Quæret aliquis: An igitur ſi is qui expleuit ieiunium quadrageſimæ in vno loco, mutet reſidentiam & veniat ad locum, vbi propter diuerſitatem Kalendarij veteris & noui, incipiat quadrageſima, vel pro media tantum parte ſit completa, tenebitur iterum ieiunare, ſicuti ſubditi loci ad quem venit.

Reſpondetur breuiter negatiuè, quia præceptum illud Eccleſiæ iam ſemel expleuit in loco priori proprio: quantumuis etiam domicilium conſtitueret in altero loco, non ideo tamen iterum obligabitur.

Quod enim diximus, quemlibet contrahere obligationes loci per conſtitutionem domicilij, aut per moram ibidem, id intelligendum dumtaxat venit de obligationibus particularium ſtatutorum & cõſuetudinum loci; non autem de illis quæ naſcuntur ex lege vniuerſali & communi toti populo Chriſtiano, quibus iam in vno loco quis ſatisfecit: non enim obligatio quæ ex vniuerſali lege, vbique vim obtinente naſcitur, ita debet cenſeri alligata aut pendere ex determinato loco, ſicuti obligatio quæ ex ſtatuto particulari oritur: nam quemadmodum obligatio legis vbique militat, ita etiam rectè poteſt vbique illi ſatisfieri.

Neque ratio aut æquitas videtur exigère, quod ſecundò debeat quis ſatisfacere eiuſmodi oneroſæ obligationi, quando ſemel debito modo ſatisfecit.

Idem ſentiendum eſt de celebratione feſtorum vniuerſalium, & communione Paſchali, vt tradit Suarez ſup. lib. cit. 2. cap. 14. Cauendum tamen eſt ſemper ſcandalum.

E contrà quoque dicendum eſt, quod ſi 46
quis durante tempore quadrageſimæ in loco vbi verſatur, inde recedat & veniat ad locum vbi quadrageſima ſit finita, quod tenebitur ibidem quadrageſimam perficere, vt docet Tann. ſup. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 3. dub. 5. n. 112. non ita longe à fine, & tom. 2. diſp. 5. quæſt. 6. dub. 2. n. 33. & alij magis communiter. Idque ob rationem allegatam, quia ſcilicet præceptum eſt generale, & vbiuis poteſt ac debet ſemel impleri: nam vt omnino tales ab ea obligatione immunes tranſeant, exiſtimo fieri non poſſe, inquit Tannerus.

Quòd autem Leſſius, lib. 4. cap. 2. dub. 8. n. 60. reſpondet, præceptum illud non obligare abſolutè, ſed ſub tacita conditione, ſi videlicet ſis in loco vbi nondum eſt expletum, abſque fundamento videtur dici, tum quod vt diximus & ipſe nobiſcum ſentit, quod qui expleuit ſemel, non teneatur ſecundò ſeruare, etiamſi venerit ad locum vbi expletum non eſt: ſi autem non debeat ſentire incommodum, non apparet ratio quare debeat ſentire commodũ; tum etiam quod præceptum illud ſit antiquius, quam diuerſitas illa Kalendarij, vnde hic caſus naſcitur, & ſic ad illud non videtur Eccleſia attendiſſe in ſuo præcepto. Quod enim quis non teneretur ieiunare, & ſeruare quadrageſimam, vbi hæreſis ſuſtulit ieiunium & quadrageſimam, non exiſtimo quod quiſquam Catholicus Doctor dixerit.

DVBIVM VII.

De ieiunij vtilitate & fructu, cum reſponſione ad hæreticorum obiectiones contra ieiunia Eccleſiæ?

Plures omnino ſunt ieiunij vtilitates & fructus: quod ſignificat Eccleſia quando in Collecta primæ Dominicæ quadrageſimæ canit: Solenne hoc ieiunium animabus, corporibuſque curandis ſalubriter eſſe inſtitutum. 47

Prima itaque vtilitas eſt, quod & corporis valetudini plurimùm conducat: larga enim & frequens ſumptio cibi & potus multos ſolet cauſare morbos, & multis mortem ipſam adducere, Vnde Sapiens Eccleſiaſt.

ſiaſt. cap. 37. monet, *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas*, &c. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.*

Secundò, carnis rebellionem frænat ac minuit, & ſpiritui reddit ſubiectiorem. Vnde D. Cyprianus, ſermone De ieiunio: Ieiunijs, inquit, vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, &c.

48 Tertiò, animam ad diuinas illuſtrationes, & alia Spirituſſ. chariſmata capeſſenda præparat. Per ieiunium (inquit idem) intellectus ſerenatur, & rationalis appetitus, minùs carnis cupiditatibus depreſſus facilius ad cœleſtia conſcendit. Hinc & D. Chryſoſt. homilia 1. in Geneſim, Ieiunium, inquit, leues pennas animæ producit, vt in ſublime feratur, & ſumma contemplari queat, voluptatibuſque & omnibus quæ in hoc mundo habentur ſuauia, ipſa ſit ſuperior; Ieiunium leuiorem reddens mentem efficit vt faciliùs huius vitæ pelagus tranſmittat, &c. D. Leo, ſermone 2. De ieiunio decimi menſis; Semper virtuti cibus, inquit, ieiunium fuit: de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates: ſalubria cõſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, & virtutibus ſpiritus innouatur: ac iterum D. Cyprianus ſuprà: quotquot viros virtutum vidimus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe: nec aliquid magni moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet. Ac rurſus ibidem, Ieiunium ſcripturarum delitijs paſcitur, contemplatione reficitur, gratiâ ſtabilitur, cœleſti pane nutritur.

49 Quartò, valet ad ſatisfaciendum pro peccatis. Hinc D. Leo, ſermone 4. De quadrageſima ſcribit, Quòd tempus quadrageſimæ nobis ſeruiat, vt aliorum temporum culpas, caſtra ieiunia dequorent.

Et hinc diuinã quoq; indignationẽ mitigat, & plagas impendentes auertit, vt patet exemplo Niniuitarũ, Ionę c. 3. exemplo Reg. Achab 3. Reg. c. 21. & ad hunc finẽ Prophetę & Sancti ſæpius ieiunium ſolent prædicare, & populum ad illud vehementer cohortari: Ioëlis, cap. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Similiter Ioannes Baptiſta Matth. cap. 3, ita alloquitur Phariſæos, *Progenies viperarũ, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira: facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, inter dignos fructus autem ſeu opera pœnitentiæ, maximè ſemper habitum fuit ieiunium, vt ex Scripturis ſacris, & antiquis Patribus paſſim conſtat.

50 Denique plurimum valet ieiuniũ ad impetrandum & ad merendum apud Deum.

Prius poteſt colligi ex illis verbis Chriſti apud Matthæum, cap. 17. *Hoc autem genus* (ſcil. dæmoniorum) *non ejicitur niſi per orationẽ & ieiuniũ.* Vnde & D. Antonius dicere ſolet ad Diſcipulos ſuos, vt refert in eius vità Sanctus Athanaſius: Mihi credite fratres, pertimeſcit ſathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia.

Poſterius autem probari poteſt ex verbis Chriſti, Matth. cap. 6. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans: ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi*: ſcilicet ieiunij tui mercedem. Quod conſtat ex præcedentibus, vbi dicit de ijs qui exterminant facies ſuas, vt videantur ab hominibus ieiunantes, *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam*; & tunc addit, *Tu autem cum ieiunas*, &c. quæ antitheſis ſatis indicat redditionem illam, quam facturus eſt Pater qui videt in abſcondito, eſſe intelligendam de redditione mercedis. Quod etiam confirmant ſequentia; *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, &c. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.* Per ieiuniũ itaq; ſecundum doctrinam Chriſti, meremur quoq; mercedem & theſauros nobis acquirimus in cœlis.

Vide plura de ieiunij vtilitatibus apud D. Baſilium, Oratione De ieiunio, D. Ambroſium, lib. De Elia, & Ieiunio, & apud Patres alios antè allegatos.

Multa autem ab hæreticis opponuntur & redarguuntur in ieiunijs: quorum pleraque quæ allegant, generalia ſunt, quæ alijs locis ex profeſſo ſolent tractari, vt quod ex præcepto ieiunare, ſicuti Catholici ieiunant, contrarietur libertati filiorum noui Teſtamenti: quodque ſpectat ad Iudaicam ſeruitutem: ad quæ reſpondetur, negando quæ aſſumuntur, humanæ etenim leges à legitima poteſtate ob debitos fines latæ non aduerſantur libertati Chriſtianæ, neque ad Iudaiſmum ſpectant; vt ſatis remonſtratum fuit 1. 2. quæſt. 96. art. 4. 51

Rurſum ab eis reprehenditur, quod ieiunent Catholici cum opinione deferendi Deo cultum, exiſtimantes per hoc Deo placere: nihil enim volunt illi ad diuinum cultum adhibendum, niſi quod Deus præceperit.

Verùm hoc ſuprà in Tractatu De votis ſatis eſt refutatum: & ſanè ex Scriptura ſatis liquet, Ieiunium rectè ad Deum colendum adhiberi: dicitur enim Lucæ, c. 2. de Anna Propheteſſa cum magna eius laude, *Quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die*: quibus ſatis clarè ſignificatur ieiunium rectè ad cultum & ſeruitutem Dei adhiberi. Quod etiam abundè ſignificatur Tobiæ 12. Danielis 10. Ioëlis 2. Matth. 6. & Actorum 13.

Reprehenditur præterea ab hæreticis; quod ieiunia adhibeamus ad ſatisfaciendum pro peccatis, ad promerendum, ad impetran- 52

Digitized by Google

impetrandum: quæ non tantum in Catholicis redarguunt reſpectu ieiunij, ſed etiam reſpectu omnium bonorum operum.

Aſt verò ieiunium ad illa valere, iam paulò antè ex Scripturis breuiter oſtendimus, & generatim bona opera rectè ad eiuſmodi effectus & fines adhiberi, latiùs ſolet demonſtrari 1. 2. quæſt. 114. & 3. parte in tractatu De ſatisfactione.

Duo autem ſunt inter cætera quæ redarguunt magis propria huic loco.

53 Primum eſt, quod in ieiunijs noſtris ſeruetur delectus ciborum, dum in ijs abſtinemus à carnibus, & in quadrageſima ab ouis aut lacticinijs: dicunt enim hoc in primis pertinere ad doctrinam dæmoniorum, iuxta D. Paulum 1. ad Timoth. cap. 4. vbi prædicit, quod nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere, abſtinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione. Huc etiam adducunt illud Chriſti Matth. 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.*

Deinde addunt delectum ciborum pertinere ad Iudaicas cæremonias, & proinde Catholicos in Iudaiſmum reincidere, quando delectum ciborum facimus, quod Apoſtolus cap. 2. ad Colloſſenſes videtur redarguere, dum ſcribit, *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.*

Alterũ, quod reprehẽdunt eſt, quòd ieiunia ad certos dies indicantur ab Eccleſia: quod ſimiliter ad Iudaicas cæremonias pertinere volunt.

54 Ad primum reſpondetur, ſeruare delectum ciborum ex motiuo & ad eum finem, prout Eccleſia præcipit delectum ciborum in ieiunijs ſeruandum, neque ad dæmoniorum doctrinam pertinere vel ſuperſtitioſum eſſe, neque pertinere ad Iudaiſmum: aut ideo Catholicos Iudaizare: ſed eſſe laudabile & religioſum: non enim in primis præcipit Eccleſia abſtinere à carnibus, aut lacticinijs tanquam à cibis aut rebus naturâ ſuâ malis & illicitis: quemadmodum dæmonum ſuggeſtione, multi hæretici fecerunt, quos per prophetiæ ſpiritum prænunciauit Apoſtolus, aliquando venturos: quales fuerunt Tatiani, qui nuptias & eſum carnium ſimpliciter damnarunt, teſte D. Auguſtino, hæreſi 25. Item Manichæi qui ſimiliter damnarunt nuptias, carnes, oua, & vinum quod dicebant eſſe fel principium tenebrarum, vt tradit D. Auguſt. hæreſi 46. Priſcilianiſtæ quoque nuptias damnabant; & carnes tanquam eſcas immundas vitabant: vt refert idem D. Aug. hæreſi 70.

De his igitur & ſimilibus loquitur Apoſtolus loco citato ad Timoth.

Non autem taliter vel ex eiuſmodi motiuo mandat Eccleſia diebus ieiunij abſtinere à certo genere ciborum, quin agnoſcit & docet eos, vt à Deo in eſcam creatos, ita etiam tempori & loco cum gratiarum actione, licitè à Chriſtianis percipi & ſumi; alioquin enim Catholici nunquam illis veſcerentur: quemadmodum prædicti hæretici eis propter innatam quaſi immunditiam, vt volebant, nunquam vtebantur. 55

Aſt verò mandat Eccleſia pro certis diebus abſtinentiam ab iſtis ex alijs ſanctis motiuis, & ad bonos fines, vt dictum fuit, vt causâ domandi carnem & redigendi corpus cum Apoſtolo in ſeruitutem ſpiritus: causâ vacandi promptius orationi ac meditationi rerum cœleſtium, & propter alias vtilitates iam antè explicatas, vt docet D. Aug. libro contra Adimantium, cap. 14. & lib. 30. contra Fauſtum, cap. 5. & Theodoretus, De diuinis decretis, cap. vlt.

Sic autem abſtinere à carnibus, vel alijs magis nutritiuis & delicatioribus cibis, malum non eſſe aut improbandum: quin potius bonum ac religioſum eſſe ſatis probant exempla Sanctorum etiam in ſacris litteris commendata, quę etiam ipſi hæretici negare nõ poſſunt. Ita enim Daniel per tres hebdomadas à carne, vino & pane deſiderabili ſiue delicatiori abſtinuit, vt conſtat ex pr[illegible]tia eius c. 10. & poſtmodũ ab Angelo au[illegible]it; *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres, in conſpectu Dei tui exaudita ſunt verba tua.* Rechabitæ à vino abſtinuerunt, vt refertur Ieremiæ, cap. 35. vbi & hoc factum, & obedientia illorum commendatur, quia ex præcepto patris ſic faciebant: Nazaræi ab omni eo quod inebriare poſſet, abſtinuerunt, Numerorum cap. 6. & Ioannis Baptiſtæ eſca fuit mel ſylueſtre, & locuſtæ Matth. 3. 56

Quod itaque attinet ad verba Chriſti, Matth. cap. 15. Reſpondetur, Chriſtum ibi tantum docere non coinquinari hominem ex eo, quòd manducet non lotis manibus, vt volebant Phariſæi: neque enim ibi agitur de ciborum delectu, quia non arguebantur diſcipuli, quòd veſcerentur cibis lege vetitis, ſed quod manducarent non lotis manibus. 57

Vnde & poſtquam Chriſtus Apoſtolis explicuiſſet, quænam coinquinarent hominem, ſubiunxit tantum, *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem*: non autem dixit, manducare cibos lege prohibitos, non coinquinat hominem.

Poterunt tamen verba illa ad generaliorem ſenſum extẽdi, quod ſcilicet nihil quod in os intrat coinquinat hominem, videlicet ratione ſui, & ſecundum ſe præcisè conſi-

[illegible]ratum,

deratum, ſicuti non coinquinat hominem manducare non lotis manibus: cuius contrarium videntur ſenſiſſe Iudæi, vt notat D. Thomas, quæſt. 148. quemadmodum & diuerſi hæretici tempore noui Teſtamenti ſenſerunt de varijs cibis, vt antè diximus, quos erroneè docebant per ſe & ratione ſui inquinare hominem ſi comederentur.

Nihilominùs etſi hoc ita ſit, tamen quod in os intrat, coinquinare poteſt ex alijs rationibus, vt in primis ratione exceſſus, vndè commeſſationes & ebrietates ab Apoſtolo ad Rom. cap. 13. & alibi tam grauiter reprehenduntur.

58 Deinde etiam ratione inobedientiæ, quãdo contra iuſtam legem ſumitur: nemò enim dubitare poteſt de eo, quòd Iudæi ſi durante lege antiquâ cibos ex iſtius legis decreto immundos ac Iudæis vetitos comediſſent, comedendo fuiſſent coinquinati, & deliquiſſent. Nam præuaricatio diuinæ legis conſtituit hominem peccatorem. Hinc Eliazarus ætate venerabilis, & ſeptem fratres Machabæi cum matre, potius mortem crudeliſſimam ſubierunt, quàm contra ſanctiſſimas Dei & patriæ leges, carnibus vetitis veſcerentur.

Sublatâ autem lege iſtâ & vmbris futurorum per Chriſtum in morte eius, factum eſt, quod ſicuti nulli cibi ex natura ſua ſunt immundi qui hominem coinquinant, ità etiam modò nulli ſunt tales qui ex diuinâ lege iudicentur immundi, & hominem coinquinant.

Vnde D. Petro Actorum cap. 10. dicitur: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*: & ſcribit Apoſtolus ad Titum cap. 1. *Omnia munda mundis*. Sed quemadmodum durantè ſtatu Teſtamenti antiqui, propter inobedientiam contra legem diuinam, coinquinabant hominem cibi vetiti, ita & modò propter inobedientiam contra præceptum Eccleſiæ, iuſtis de cauſis & ob magnas vtilitates animarum latum, coinquinant, ſi ſumantur illis diebus pro quibus illos Eccleſia interdixit.

59 Ex his ſatis iam quoque conſtat, non Iudaizare Eccleſiam quando in diebus ieiunij præcipit à certis cibis abſtinere: quia non mandat hoc ob reſpectum legis veteris, quaſi exiſtimaret Chriſtianos illâ adhuc lege teneri, vt ex eo facilè oſtenditur, quod alijs diebus etiam admittat vſum carnium illarum quæ Iudæis erant interdictæ: ſed ob alias rationes iam antè explicatas.

Hinc nihil contra Eccleſiæ legẽ facit, quòd ex Apoſt. ad Colloſſ. c. 3. allegatur: ipſe enim tantùm illic docet, quòd nullus debeat iudicare, ſiue reprehendere aut condemnare Chriſtianos, eò quod cibis quibuſlibet veſcantur, & non diſcernant inter illos, quaſi aliqui eſſent ex ſua ratione mali & illiciti, vel qui ob legem veterem eſſent adhuc vitandi tanquam immundi, & ab illis abſtinendum: nulli enim ex ſua ratione mali ſunt, & quandoquidem lex vetus continebat tantum figuram & vmbram futurorum, hinc adueniente veritate, illa per Chriſtum euacuata fuit & deſijt obligare.

Ita ad ſecundum quoque reſpondetur, 60 quod ob eandem cauſam non debeat Eccleſia cenſeri Iudaizare, quia ieiunia indicit pro certis diebus: id enim non agit quoque ex reſpectu ad legem veterem; quaſi Chriſtiani adhuc illâ lege tenerentur, quod ad Iudaiſmum ſpectaret; ſed ex alijs honeſtis motiuis, & ob debitos fines mandat ſpecialiter talibus temporibus & diebus ieiunare. Quænam autem illa ſunt motiua, licet videre apud D. Thomam, quæſt. 147. artic. 5. explicata: præcipua ſunt, quia maximè congruit, vt talibus temporibus & diebus, fideles ſeſe per abſtinentiam præparent ad veniam peccatorum conſequendam, ad placandum Deum per ſatisfactionis & pœnitentiæ opera, ad deuotè & dignè celebrandam diuinorum Myſteriorum & Sanctorum memoriam, vt Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis, aduentus Spiritus ſanctus, Natalis Chriſti, & ad eiuſmodi myſteria & diuina beneficia cum gratiarum actione recolenda & meditanda: ac denique ad orandum ſpecialiter vt Deus dignetur, idoneos dare & ordinare miniſtros Eccleſiæ.

Accedit, quod Eccleſia non illos indicat eoſdem dies ieiunij quos ſeruarunt Iudæi, ſed alios diuerſos ex particularibus motiuis, vt dictum eſt. Ex quibus ſatis conſtat, quod Eccleſia Catholica nihil commune hâc in parte dicenda ſit habere cum Iudaiſmo.

CAPVT SECVNDVM,

De Sobrietate, & vitijs oppoſitis.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm Sobrietas ſit virtus ſpecialis?

1 OBSERVANDVM eſt cum D.Thoma, quæſt.149.art.1. in fine Corporis, nomen Sobrietatis tripliciter ſumi.

Aliquando latiſſimè ſumi: quemadmodum & ſuprà dictum fuit de nomine temperantiæ, ſic vt ad materias diuerſarum virtutum extendatur.

Aliquando autem ſtrictius pro ipſa virtute temperantiæ in communi. Ita accipitur, Sapientiæ c. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem.* Item 2. cap. ad Titum, *Sobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.*

Aliquando denique ſtrictiſſimè, prout ſcilicet virtus quædam eſt ſub temperantia tanquam ſub ſuo genere: quæ conſiſtit in moderatione potus qui valet inebriare: & ſic de ea hic eſt quæſtio.

2 His præmiſſis reſpondetur: Sobrietas hoc tertio modo ſumpta eſt virtus ſpecialis. Ita docet D.Th.qu.cit.a.2. Probatur, quia verſatur circa ſpecialem rationem formalem contentam ſub cōmuni ratione temperantiæ, puta circa moderandam paſſionem quæ eſt vehementiſſima in hoc genere, ſcil. circa delectationē quæ capitur ex potu inebriare valente: hæc enim paſſio ſpecialis eſt, & materia ſobrietatis propria & proxima: remotior autem eſt ipſe potus valens inebriare, vt docet D.Tho. quæſt. cit. art.1.

In qua quidem materia dicit maximè eſſe laudabile ſeruare menſuram: quia modicus exceſſus multùm lædit: impedit enim vſum rationis. Hinc Eccleſiaſt. c.31. dicitur, *Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus: vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.*

3 Ex dictis facilè erit ſobrietatem ſtrictiſſimè acceptā deſcribere, quod ſcilicet ſit virtus quæ appetitum & vſum potus valentis inebriare debitè moderatur. Dicitur potus inebriare valentis, quia alterius rationis potum moderari docet D.Tho.q.cit.a.2.ad 1. & 2. ſpectare propriè ad virtutem abſtinentiæ, ita vt ſi quis in hoc excedat, non contra ſobrietatem, ſed contra abſtinentiam delinquat.

Porrò hanc virtutē ſobrietatis Scriptura ſancta multis locis commendat, 1.Petri c.5. *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: contra quem ſignificat ſobrietatem multum valere, ad Eph. c. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: eadem eſt ratio ebrietatis ex alio potu, 1. ad Timoth. c.5. monet Apoſtolus mulieres, vt pudicę ſint, & ſobrię, ad Titum cap. 2. ſcribit, Tum iuuenes, tum ſenes hortandos eſſe, vt ſobrij ſint.

Peculiariter quoque requiritur hęc virtus in Iudicibus, & in omnibus qui alijs præſunt 4 ſiue in ſæculari ſiue in Eccleſiaſtico regimine, vt docet D.Th.a.4. & intelligitur ex illo Prouerb. c.31. vbi ſic ait Sapiens: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum*: & rationem reddit duplicem, vna eſt, *Quia nullum ſecretū eſt*, inquit, *vbi regnat ebrietas*: altera eſt, *Ne fortè bibant*, inquit, *& obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperū.*

Epiſcopum etiam vult Apoſtolus eſſe ſobrium, non vinolentum. Similiter & Diaconos vult eſſe pudicos, non multo vino deditos, 1.ad Timoth. c.3. Eadem itaque eſt ratio de alijs Eccleſiæ Sacerdotibus & Miniſtris: quia ipſorum eſt inſtare orationi pro populo, vacare lectioni ſacræ, ac prædicationi Verbi Dei, & Sacramentorū adminiſtrationi: quæ omnia rationem vigilantem, & mentem ſerenam requirunt, quam præſtat ſobrietas: maximè autem perturbat ebrietas. Vide plura apud D.Tho. qu.cit.art. 4.

DVBIVM II.

Quid ſit gula, & quale peccatum?

RESPONDEO & DICO PRIMÒ: Gula 5 propriè eſt vitium quo exceditur modus rationis in appetitione & delectatione cibi & potus, quatenus ſcil. hic in quantum etiam nutritiuus eſt, participat quandam rationem cibi: atque ita gula propriè opponitur virtuti abſtinentiæ, vt ſatis intelligi etiā poteſt ex ijs quæ habet D.Th.q.148. Exceſſus autem ille fit, quando non vtentis modeſtiâ, ſed amantis affectu plus cibi & potus ſumitur, quàm ſatis ſit iuxta rationis dictamē: videlicet quàm ſufficit ad vitæ huius & officiorum eius neceſſitatem, vel aliter ſumitur quàm congruat iuxta rationem.

Ab hoc autem modo ſeu medio rationis 6 contingit quinque modis recedi per exceſſum: vnde conſtituuntur quinque quaſi ſpecies gulæ, vt tradit D.Tho. quæſt.cit. art.4.

ex D.

ex D. Gregorio, lib. 30. moralium, cap. 27. quæ hoc verſiculo continentur,

Præproperè, lautè, nimiùs, ardenter, ſtudiosè.

Exceſſus namque contra abſtinentiam ſpectari poteſt, vel circa ipſum cibum qui non congruit tali perſonę, vel circa cibi ſumptionem: circa cibum autem ſpectatur vel ratione ſubſtantiæ, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis.

Ratione ſubſtantiæ exceſſus committitur, quādo appetitur cibus vel potus pretioſior quàm ſtatui conueniat, vel corporis complexio poſtulat, vt ſi homo vulgaris beneualens non velit comedere niſi pullos, perdices, aut ſimilis generis delicatiores cibos; & hoc indicatur per voculam *lautè*.

7 Ratione qualitatis tunc exceditur, quādo in condimentis & ſtudio præparandi cibos fit exceſſus, quod indicat vocula *ſtudiose*.

Ratione quantitatis autem quando plus cibi aut potus ſumitur, quā natura requirat: qui modus excedendi eſt frequentiſſimus, & pauci ab hoc exceſſu ſunt omnino immunes. Vnde D. Aug. lib. 10. Confeſſionum, c. 31. ita de ſe ſcribit: Ebrietas longè eſt à me; miſereberis ô Domine, ne appropinquet mihi: crapula autem nonnunquam ſubrepit ſeruo tuo; miſereberis, vt longè fiat à me.

Circa ſumptionem verò cibi poteſt fieri exceſſus vel ratione modi, vt dum quis voraciter comedit cibos nō menſos deglutiendo inſtar canis vel leonis; aut ratione temporis; præueniendo ſcilicet conuenientem horam, vel ſæpius quam deceat comèdendo: quod indicat vocula *præpropere*, ſicuti præcedentē exceſſum indicat vocula *ardenter*.

8 Dico Secundò: Gula in ſe conſiderata, vt eſt inordinata appetitio & ſumptio cibi vel potus, eſt dumtaxat peccatū veniale. Ita docet D. Th. qu. cit. art. 2. & tenent DD. cōmuniter. Rationem indicat D. Th. quia ſecundum ſe non auertit à fine vltimo, ſed tantum non commenſuratur, ſiue non eſt medium conueniens ipſi fini.

Dico Tertiò: Gula tamen eſt peccatum

9 mortale, ſi quis in eiuſmodi delectatione finem conſtituat vltimum: Ita quoque D. Th. loco citato, & eſt per ſe euidens.

Poteſt autem id fieri tripliciter; Primò omnino expreſsè, vt dū iudicat quis in eiuſmodi voluptatibus corporis ſitam eſſe ſupremam hominis fœlicitatem: ideoq; illis laxat habenas, vt olim Epicurei.

Secundò implicitè, ſic vt expreſsè nō ita ſentiat, ſed tamen tam vehementer erga eas afficiatur, vt propter illas paratus ſit omnia iura humana & diuina violare.

Tertiò interpretatiuè, quando videl. quis nondum eò impudentiæ venerit, quod ſic omnia iura cupiat violare, ſed tamen paratus ſit peccatum aliquod mortale committere, quo valeat talibus voluptatibus frui. Hic enim conuincitur etiam in iſtis aliquo modo ſummum bonum collocare, quia Deum propter illas deſerit, atque ſuo facto illas Deo præponit. Quare conuenienter de his, quēadmodum & de præcedentibus dici poteſt, illud Apoſtoli ad Philipp. cap. 3. *Quorum Deus venter eſt*.

Hoc itaq; tertio modo peccant mortaliter 10 peccato gulæ, qui propter palati voluptates furantur, qui iniquos & fraudulentos cōtractus faciunt: qui non ſoluūt creditoribus vt opiparè viuant: qui per cibi vel potus exceſſum inferunt grauem noxam corporis valetudini, aut ſe exponunt periculo peccandi mortaliter, vt cōcitandi carnis concupiſcentias, illiſque conſentiendi: quod periculum per experientiam quis poteſt agnoſcere.

Similiter & illi qui humanâ carne citra neceſſitatem veſcuntur: hoc enim eſſe peccatū mortale tradunt communiter DD. Caiet. hic qu. 148. a. 2. ad 2. à Victoria, Relectione de temperantia, §. 5. Abulenſis in 4. Regum cap. 6. Nauar. cap. 23. n. 122. Toletus, lib. 8. cap. 60. & alij.

Rationē reddit Caiet. & ex illo Nauarrus locis citatis, quia ſicuti ſola fæmina humanæ naturæ eſt homini data ad congreſſum & ad generationē, non alterius cuiuſuis animalis, ita è contra homini tantum ſunt data in eſcam & nutritionem vegetabilia & animalia irrationalia. Vnde poſtquam Dominus Geneſ. c. 9. dixiſſet, *Omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia* &c. ne forſitan quis inde putaret, etiam hominem homini datum eſſe in eſcā, ſubiunxiſſe videtur illud: *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum & de manu hominis*, &c. *Quicumque effuderit ſanguinē humanū, fundetur ſanguis illius.*

Dixi, extra neceſſitatem, quia, vtrùm verò 11 in grauiſſima neceſſitate poſſit quis licitè veſci humanâ carne? diſputatur inter Theologos.

Negat à Victoria loco ſuprà cit. alij verò Doctores allegati communiter exiſtimant in eo caſu licere, quando occurrit quod aliâ occaſione reperiatur homo occiſus, aut mortuus: nunquam enim licet ex omniū ſententia, ad eum finem hominem occidere.

Dico Quartò: Gula etiam numeratur in- 12 ter peccata capitalia. Ita docet D. Th. q. cit. 148. art. 5. Ratio reddi poteſt, quia ex hoc vitio tanquam mala radice pullulant multa alia tanquam quidam eius rami, quæ dici ſolent gulæ filiæ.

Enumerat autem D. Gregorius, lib. 31. moraliū c. 30. quinque eiuſmodi gulæ filias.

Parit namq; in primis intellectus & mentis hebetudinem, quæ ex gula oritur, tum ratione vaporum quibus oppletur cerebrum, tum quia detinet affectum & imaginationem hominis in ollis & patenis, neque ſinit

Digitized by Google

de ſublimioribus cogitare: facit enim hominem totum quaſi animalem ac brutalem.

Deinde in appetitu ſenſitiuo cauſat ineptã lætitiam, & alios inſulſos animi motus qui ad illam referuntur: quando enim mens hebetata ad altiora & ſpiritualia non aſſurgit, ſed in illis voluptatibus apprehendit ſe quâdam beatitudinis portione frui, exultet animus & exteriùs ineptè per riſum & alia ſigna gaudij ſe effundit.

23 Tertiò generat gula in ore ſtultiloquium & ſcurrilitatem; quia homo cibi & potus vaporibus oppletus, & voluptatibus intentus non conſiderat quid dicat; ſed facilè quidquid venit in buccam, effutit.

Quartò, ex inepta lætitia, excitatur homo ad turpia proferenda & agenda, vt alijs riſus ſic excitetur.

Denique in corpore cauſat gula multas immunditias, tum quia ex ſaturitate naſcuntur vitia carnis. Vnde D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, Eſus carnium, inquit, & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt: tum quia parere ſolet vomitus, & alias fœdas ſuperfluorum excretiones. Vide D. Thomam, qu. cit. art. 5. & 6.

24 Sed hic notandum eſt, D. Th. a. 5. cit. inſinuare prædicta vitia cauſari à gula tanquã cauſa finali, quod licet videri poſſit dictis repugnare, non tamen repugnat: quia poteſt idem eſſe effectus alicuius & in genere cauſę efficientis, prout nos iam explicuimus iſta ex gula procedere, & in genere cauſæ finalis, prout D. Th. exponit, idque ſcil. hactenus, quia contingit aliquem propter gulam paratum eſſe eiuſmodi indecentia agere, aut in ſe admittere.

DVBIVM III.

Quid ſit ebrietas?

25 OBſeruandum eſt cũ D. Th. hîc q. 150. a. 1. dupliciter Ebrietatis nomen capi. Primò pro defectu vſus rationis per nimiũ potum cauſato, à quo quis dicitur ebrius, & ſic ebrietas potius eſt effectus peccati, & quædã miſeria, quàm peccatũ. Secundò pro ipſa potatione nimiâ, quæ hunc effectum inducit: & de ebrietate ſic accepta hic agimus.

Reſpondeo itaque, Ebrietas eſt exceſſus in potando vſque ad violentam vſus rationis priuátionem ex inordinata appetitione & vſu potus inebriantis.

Sumitur ex D. Thoma loco iam citato: Conſiſtit ergo hoc vitium in exceſſiuâ ſumptione potus valentis inebriare: ſicuti gula in exceſſu cibi & potus, vt ſunt alimentum nutritiuum abſque ordine ad effectum inebriationis.

Additur ex inordinata appetitione & vſu potus valentis inebriare: quia inter Doctores diſputatur, ſi ex præſcripto Medicorum, cauſâ ſanitatis ſumeretur potus inebrians vſque ad priuationem vſus rationis, vtrùm talis actus foret peccatum?

Angelus V. Ebrietas, Tabienna & Roſella eodẽ dicunt eſſe illicitum, & fore peccatum mortale. Vnde nec Medicus licitè poſſet præſcribere.

Plures tamen docent licitũ eſſe. Ita Caiet. 16
hîc q. 150. a. 2. ad 3. & in ſumma V. Ebrietas, Syl. eodem V. Ebrietas, q. 3. à Valentia, diſp. 9. q. 3. pun. 2. Toletus, lib. 8. c. 61. n. 4. qui duas requirit conditiones. Vna eſt, vt nõ poſſit aliâ medicinâ ſanitas recuperari, quod vix putat contingere, ſcilicet per ebrietatem poſſe recuperari, & non poſſe aliter: quam conditionem etiã alij ſupponunt. Altera eſt, quòd abſit periculum cõmittendi alia mala, vt blaſphemandi, &c. Tannerus quoq; dicit probabile, quòd ebrietas non ſit illicita, quãdo ea ad ſanitatem videtur neceſſaria.

D. Tho. qu. 150. art. 2. ad 3. aliquouſque attingit hanc quæſtionem: ſed non omnino & expreſsè reſoluit: poſterioris tamen ſententiæ Authores ſumunt quoddam ſuæ opinionis fundamentum ex doctrina quam ibidem tradit: dicit enim quod ſicuti aliquãdo contingit cibum & potum eſſe ſuperfluum ſiue nimium infirmo qui eſt moderatus homini ſano, ita quoq; contingere quod cibus vel potus qui eſt ſuperfluus homini ſano ſit moderatus homini infirmo: & inde ſic quaſi concludit: & hoc modo cum aliquis multum comedit vel bibit ſecundum conſilium Medicinæ ad vomitum prouocandum, non eſt reputandus ſuperfluus cibus vel potus, atque ita indicat non peccare talem peccato gulę, quia ſcilicet nõ ex inordinata concupiſcentia cibi & potus ſumit pluſquàm congruat corporis valetudini: inferunt itaque hinc alij, quod ſimiliter non peccabit peccato ebrietatis, qui ex præſcripto Medicinæ ſumit potum inebriantem dum alia non ſuppetit ratio ſanitatis, vſque ad priuationem vſus rationis.

Sed opponet aliquis, quòd D. Thomas ibidem expreſsè ſubiungat, quod talis tamen infirmus de quo egerat, non excuſaretur ab ebrietate.

Reſpondetur, id quidẽ D. Thomam docere, non tamen obſtare collectioni ſeu deductioni factæ: hoc enim dicit, quia præmiſerat quod ad vomitum prouocandum qui ad ſanitatem ſupponitur neceſſarius, non requiratur copia potus inebriãtis: quia, inquit, & potus aquæ calidæ cauſat vomitum. Vnde adhuc ſuperaret quæſtio, quid dicendũ eſſet ſi vomitus ad ſanitatem neceſſarius non poſſet aliter procurari, quàm per ſumptam copiam potus inebriantis vſque ad priuationem vſus rationis: vel aliâ de cauſâ foret talis ebrietas neceſſaria ad ſanitatem. Et hanc diximus D. Thomã non expreſsè reſoluere: ex eius tamen principijs probabiliter alij videntur

dentur

dentur colligere, dicendum quod eo caſu etiam abſque peccato ebrietatis, ſumeretur copia neceſſaria ad vomitum, quamuis priuatio vſus rationis inde ſit ſecutura.

17 Cæterùm, an eiuſmodi caſus neceſſitatis aliquãdo eueniat, relinquimus Medicis examinandum: hoc tamen ſatis conſtare videtur, quod ipſa priuatio vſus rationis per ſe non poſſit eſſe neceſſaria ad ſanitatis recuperationem. Vnde tametſi caſus ponatur quod exceſſiua copia potus inebriantis eſſet neceſſaria, tamen Medicus in ſua præſcriptione non poterit priuationem vſus rationis intendere, quemadmodum neque ipſe ægrotus, quando abundantiorem potum inebriantem ſumeret ex Medici ordinatione: non enim priuatio vſus rationis per ſe confert ad ſanitatem: ſed v. g. aut vomitus naturam releuans, aut calor, aut cordis gaudium, aut ſimilis affectio, quam potus abundantior cauſat, quam proinde intendere oportebit: ad ipſam verò priuationem vſus rationis pro tempore aliquo, ſe habere dumtaxat quaſi permiſſiuè, quæ per accidens & præter intentionem ſequatur. Atque ita videri poterit ſumptio illa potus abundantior excuſari à peccato ebrietatis, quia actus ille nõ videtur eſſe contra virtutem temperantiæ, eò quod non ſit ſuperfluus potus aut nimius reſpectu talis perſonæ: congruit enim valetudini & conſeruationi vitæ eius, quæ ſunt proximi fines ſumptionis cibi & potus. Quod autem inde ſequitur incommodum, videlicet priuatio vſus rationis obuenit præter intentionem vt diximus, quia expreſsè non intenditur, & iuſta videtur adeſſe cauſa exercendi eiuſmodi actionem tanquam congruam hic & nunc ſuo fini proprio & proximo.

18 Quia tamen etiam de eo dubitari poſſit, vtrùm corporis ſanitas cenſeri debeat tale bonum, vt propter illud ſecundum rationẽ rectam admitti poſſit præuiſa vſus rationis priuatio violentiâ potus inducenda, ſtanté ſenſuum exteriorum vſu, hinc diſputatiuè tantum hæc à nobis dicta ſint: neque enim abſolutè reſoluere velim difficultatem, cuius reſolutionem videtur D. Tho. ſtudiosè prætermiſiſſe, & ſi eius modus loquendi bene attendatur, forſitan magis in negatiuam propendiſſe exiſtimabitur.

DVBIVM IV.

Quale peccatum ſit ebrietas?

19 RESpondetur: Ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale, quando voluntaria eſt. Ita docet D. Th. q. 150. art. 2. & eſt communis Doctorum ſententia, contra Martinum à Magiſtris, vt refert hac Caiet. ad quæſt. citatam, art. 1. & 2.

Vbi nota, quod dupliciter voluntaria eſſe poſſit: primò directè, quando expreſsè quis intendit ebrietatem. Secundò indirectè, quando quis non quidem expreſsè vult ſe inebriare, ſed tamen tantum bibit quantum lubet & valet non ſollicitus, nec curans, an ſequatur ebrietas, an non: Item dum quis aduertit ſe inebriandum, ſi bibere pergat, & tamen non deſiſtat.

Probatur nunc concluſio primò ex Scripturis ſanctis: Prouerb. cap. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera* &c. *Nonne hi qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Vbi particula *væ* obſeruanda eſt, quæ importat culpam eſſe mortalem, cui illa indicitur. Simul autem attingit Sapiens breuiter mala quæ ebrietas etiã in hac vita ſolet cauſare. Rurſus ibidẽ: *Ne intuearis vinum quando flaueſcit &c: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundit*: quia ſcil. quemadmodũ illa diffundũt venena corpori lethifera, ita & vinũ immoderatè ſumptum in fine adfert mortem animæ, & frequenter quoque corporis. Vide plura eodem cap. & c. 31. Eccleſiaſtici, quæ eandem materiam concernunt. Iſaiæ cap. 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & ad potandũ vſq; ad veſperam &c: væ qui potentes eſtis ad bibendum*, &c. 1. ad. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarij neque ebrioſi*, &c. *Regnum Dei poſſidebunt*. Ad Galatas 5. enumeratur ebrietas inter vitia carnis, quæ à regno Dei ſeparant. Lucæ 21. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa*, &c.

Probatur ſecundò, ex SS. Patribus: D.
Aug. ſermone 231. & 232. De tempore ſæ- 20
pius dicit per ebrietatem animã perire: hominem conſtitui Dei inimicum, & reum in die iudicij: & cum adulteris & homicidis æternâ pœnâ cruciandum. Similia habent D. D. Ambr. lib. De Elia & ieiunio, c. 16. 24. & alibi. D. Baſilius, homilia 14. D. Chryſoſt. hom. 57. ad popul. Antioch. D. Ieronymus, in epiſt. ad Galat. cap. 5. qui omnes docent ebrietatem eſſe peccatum mortale.

Dicet aliquis D. Aug. ſermone 41. de Sanctis ponit inter vitia lethifera ebrietatem, ſi ſit aſſidua; ergo videtur quod vnus aliquis actus non ſit peccatum mortale.

Reſpondetur Negando Conſequentiam:
quia addit D. Aug. illam conditionem tan- 21
tum, vt oſtendat ſe loqui de ebrietate plenè voluntaria, vt illum explicat D. Th. qu. cit. art. 2. Qui enim rarò in ebrietatem incidit, non videtur voluntariè ſe inebriare: ſed poteſt præſumi præter mentem hoc pati, videlicet quia vel ignorat vim potus, aut non aduertit ebrietatis periculum: ſi tamen vel vnus actus ſit perfectè voluntarius, quamuis rarò committatur, habebit quoque rationem culpæ mortalis.

22 Probatur tertiò ratione, quia qui ſe inebriat, priuat ſe ſciens & volens non tantum vſu rationis, quemadmodũ naturaliter fieri ſolet per ſomnum ad naturæ reſtaurationem; ſed etiam priuat ſe poteſtate propinqua vtendi ratione, impedimentum injiciendo, vt etiam vigilans ratione vti non poſſit: idque per exceſſum contra naturam, qui ad nihil conducit, niſi ad voluptatem inordinatam: atqui hoc cenſetur grande malum & grauis inordinatio in ſuppoſito rationali, quia præcipuum naturæ bonum hominis & quo à brutis diſtinguitur, eſt poſſe vti ratione, & actus ſuos ſecundum regulam rationis dirigere: & ita grauem iniuriam infert dignitati naturæ rationalis, qua parte eſt imago Dei: non fit igitur hoc abſque peccato mortali.

Confirmatur, quia ſi quis filtris, aut alijs venenis priuat alterum rationis vſu etiam ad tempus ſolum, peccabit mortaliter; ergo etiam qui priuat ſeipſum: non enim habet homo dominium mentis rationalis & rationis, vt poſſit eam deſtruere, aut ad tempus præter ordinem & modum naturæ ſeſe illa priuare. Vide D. Baſilium homilia cit. contra ebrietatem.

23 Probatur inſuper aliâ ratione, quia multa alia mala ſecum trahit ebrietas, quæ tum priuatam ac domeſticam vitam, tum communem hominum ſocietatem valdè perturbant & deturpant: propter quæ debeat meritò cenſeri graue crimen.

Ac in primis quidem facultates temporales exhaurire ſolet, vt deſcribitur ſatis Prouerb. cap. 23. & 25. vnde ſequitur grauis afflictio familiæ, neglectus debitę prolium edacationis tam quoad alimentationem, quàm quoad inſtructionem. Defraudatio creditorum, furta, latrocinia, & ſimilia, prout experientia quotidiana ſatis docet.

Deinde corpus reddit imbecillum, morbidum, fœtidum: vnde D. Chryſoſt. homilia contra Crapulam, ita hac de re ſcribit: Oculi, nares, & os corroſa muco & putredine, & his quæ intus generantur ſcœnoſis & impuris affectibus ſunt plena: & paulò poſt. Hinc & incurabilibus & difficillimis implicantur morbis, tremoribus, palloribus, podagra, chyragra, & pluribus alijs. Similia habent D. Auguſt. ſermone 231. De tempore: Baſilius loco iam cit. & S. Amb. lib. De Elia & ieiunio, cap. 16.

Nec opus eſt auctoritate vel ratione ad hæc demonſtranda: quia nimis experientiâ quotidianâ conſtant.

24 Tertiò reddit hominem inutilem ad omnem vitæ vſum. Vnde D. Auguſt. loco cit. Si velimus, inquit, vt ager corporis noſtri bonos fructus proferat, non plus bibendum, quàm oportet, ne per nimiam ebrietatem ipſa corporis terra velut in paludem conuerſa, magis vermes & ſerpentes inſtar paludis generare, quàm fructus bonorum operum poſſit adferre: quod argumentum ibidem latè proſequitur.

Quartò, ſecreta prodit: Prouerb. cap. 31. *Nullum ſecretum vbi regnat ebrietas.*

Hinc plerique etiam vino vtuntur tanquã equuleo, inquit, D. Amb. lib. cit. cap. 17. Et ex quibus tormento non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ ſtatum, ſalutem ciuium, & diſpoſitionis ſuæ prodant conſilia: quis inter ebriatos texit quod latere cupiebat?

Quintò, ad mores laſciuos & grauia crimina adducit, vt ad omnis generis luxurias, ad rixas, ad homicidia, vt ſignificatur Prouerb. cap. 23. ſuprà allegato. Hinc D. Baſilius homilia contra ebrietatem: Ebrietas, inquit, malitiæ mater eſt, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum: ex temperato facit laſciuum: iuſtitiam ignorat, prudentiam extinguit &c. Vide plura de hoc argumento apud D. Hieronymum in caput 1. epiſtolæ ad Titum, ad iſta verba, *Non vinolentum*: & apud S. Ambroſium, libro citato, cap. 16.

Denique hoc vitium difficillimè curatur, 25
quia vinum & fortior potus immutant corporis habitum & conſtitutionem; fauces exſiccant, hepar accendunt, & ſiticuloſos reddunt: quo fit vt ſitis bibendo augeatur faucibus magis & magis areſcentibus.

Quomodo autem huic malo adhiberi poſſit curatio, docet D. Aug. ſermone 231. De tempore: Qui ſe de hoc malo liberare deſiderat, inquit, quo modo interuallo dierum ſibi potum addendo, ad ebrietatis tenebras peruenit, ita potum ſubtrahendo ad ſobrietatis lucem redeat

DVBIVM V.

Si Tyrannus minaretur ac intentaret alicui mortem, niſi ad ebrietatem ſeſe vino oppleret, vtrùm ad euadendã mortem tunc foret licitum ſeſe inebriare?

Reſpondetur: neq; illo quidẽ caſu fore 26
licitum ſeſe inebriare. Ita docet hic Caiet. qu. 150. art. 2. ad 3. & cũ illo alij infrà citandi. Et concordat cum doctrinâ D. Auguſtini, ſermone in primis 231. De tempore: vbi circa initium ſic ſcribit: Qui enim alterum cogit, vt ſe plus quam opus eſt bibendo, inebriet, minus malum ei erat ſi carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius necaret. Vbi manifeſtè ſupponit Auguſt. illum qui

qui etiam coactus ſe inebriat, necare animam ſuam, atque adeo mortaliter peccare: & ne quis dicat Auguſt. loqui tantum de illis qui magis ſua voluntate, quàm ex coactione, aut vero metu mortis ſe inebriant, adiungenda hic ſunt ea quæ habet ſermone 232. vbi caſum quaſi in terminis ponit, dum ita ſcribit, Etiamſi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius erat, vt caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Eandem ſententiam D. Auguſtini ſequitur Azorius, tom. 1. lib. 7. cap. 33. quæſt. 5. ſub finem, dum ſic ſcribit: Si quæras, an ſi quis ebrius fiat, vt Tyranni vel hoſtis ſæuitiam fugiat, peccet? Reſpondeo cum Caiet. 2. 2. quæſt. 150. artic. 2. peccare; quia non ſunt facienda mala vt eueniant bona. Similiter etiam vt apparet Bonacina, qui tom. 2. De præceptis Eccleſiæ, diſp. vlt. quæſt. 1. puncto 1, n. 3. ita ſcribit: Ex oppoſito non videtur excuſandus à peccato, qui ſe inebriat, vt Tyranni vel hoſtis ſæuitiam minus ſentiat: & tunc pro ſe citat Caiet. & Azorium locis ante allegatis, infra tamen contrarium ſignificat.

27 Sed contra hæc opponit Leſſius, lib. 4. cap. 3. dubitatione 4. n. 37. vbi oppoſitum tuetur tanquã verius. Quod iuxta Caietani & plurium aliorum ſententiam, ſit licitum ex præſcripto medicorum ſumere abundantiorem potum, vſque etiam ad priuationem vſus rationis, quando iudicatur id neceſſarium ad morbi curationem, ſiue valetudinis recuperationem: ergo ſimiliter id licebit in caſu præſenti ad vitandam mortem intentatam à Tyranno.

Reſpondetur Negando Conſequentiam. Rationem autem diuerſitatis licet ſumere ex Caiet. loco ſuprà citato, quòd ſcilicet in caſu antecedentis potus ille abundantior nõ ſit ſuperfluus ſiue nimius reſpectu talis perſonæ in ordine ad proprium & proximum finem illius actus, ſiue ſumptionis iſtius potus: qui eſt corpus intertenere, vt intelligitur ex D. Thoma ſuprà allegato, & proinde hęc ſumptio potus non eſt actus immoderatus, aut contra virtutem temperantiæ; ſed actus ille quo ſe inebriat quis ad mandatum dumtaxat alterius, vt mortem intentatam euadat, eſt actus immoderatus contra legem temperantiæ per ſe non conducens ad finem, ad quem potus ſumptio eſt ordinata; quæ non ideo debet cenſeri bona aut licita, quia per accidens ſeruit ad aliquod grande malum corporis euadendum.

28 Aſt replicatur, quòd licitum ſit multa facere ad vitandam mortem, quæ per ſe ad hoc non ſunt ordinata: quæque extra eiuſmodi periculum eſſent magna peccata. Sic probabiliter licitum eſt ſibi amputare manum vel digitum, inquit, iubente Tyranno ad mortem redimendam, quod extra tale periculum eſſet graue peccatum: ſimiliter poteſt quis potum aliquem aut cibum ſumere qui noxij ſunt valetudini corporis, quia febrim vel alium morbum cauſabunt, ad imperium Tyranni, vt mortem intentatam euadat; ergo licebit quoque ea de cauſa comedere & bibere cum exceſſu qui adducat corporis ægritudinem, atque adeo potitare vſque ad priuationem vſus rationis.

Reſpondetur, quidquid ſit de antecedente ſic in communi aſſumpto, (quod potiſſimum habere locum poteſt in ijs quæ ex lege humana dumtaxat, ſunt illicita) & quidquid etiam ſit de illis quæ in particulari allegantur ad antecedentis declarationem, namque & ipſa non carent dubietate: negando tamen conſequentiam.

Præſuppoſito itaque, quòd iſta quæ aſſumuntur, tanquam licita admittantur in eiuſmodi caſibus qui proponuntur, eo quòd ſcilicet illa non habeantur mala & contra naturæ legem, niſi quatenus obſunt valetudini & conſeruationi corporis noſtri, ac proinde iuxta rectę rationis iudicium videatur eorum malitia abſtergi, quando tanquam medium neceſſarium (quamuis per accidens) debent adhiberi ne corpus totaliter pereat: attento etiam ſimul quòd ſecundùm naturæ inclinationem, pars exponatur violentæ inuaſioni cum ſuo interitu pro conſeruatione totius.

Nihilominùs negatur conſequentia, vt 29 diximus: & ratio diuerſitatis eſt, quod comedere & bibere vltra debitam menſuram, & præſertim ſe inebriare vſque ad priuationem vſus rationis, non tantùm mala ſunt, quia obſunt corporis integritati, aut ſicut valitudini iſta: ſed etiam quia per ſe indigna ſunt homine, quantumuis nihil mali inde obueniret corpori, vt ex antè dictis intelligitur.

Vnde cibus & potus quando reſpectu perſonæ, vt intrinſecè eſt conſtituta ac complexionata (vt ſic dicam) ſunt ſuperflui ac nimij, non debent pro corporis conſeruatione, vſque ad ebrietatem ac priuationem vſus rationis ſumi: alioquin pari ratione (vt apparet) poterit quis dicere, quod ad vitandam mortem licebit quoque exercere actum fornicationis, quando Tyrannus mandaret ſic alicui: aut cum hac puella congredere, aut tibi moriendum eſt: quemadmodum enim fornicari eſt per ſe malum, & contra legem naturæ, ita quoque ſcienter potum immoderatè ſumere vſque ad priuationem vſus rationis; & vtrobique ponitur idem periculum: Et quemadmodum fornicatio per ſe non eſt medium ad mortem illam vitandam, ita neque inebriatio: vtrumque autem ponitur per accidens ſeruire ad mortem vitandam.

Cæterùm, plus momenti apud omnes 30 merito

merito debet habere doctrina D. Auguſtini, in re morali & Christianâ tam graui, quàm incertæ eiuſmodi ratiocinationes, quibus Scriptor ille abſq; aliorũ auctoritate vtitur: vbi & ea quæ in antecedente ſumuntur, ſunt controuerſa: & ipſa ſequela inſuper parùm firma, vt ex iam dictis poteſt intelligi.

Dicit quidem, ita ſecum ſentire multos Viros doctos in hac Vniuerſitate conſultos: quinam illi ſint, aut fuerint, neſcio: Nunquam ſaltem audiui illam doctrinã in Scholis noſtris Academicis defendi aut probari.

Deinde conatur explicare D. Auguſtinum, ac primo quidem dicit eum docere ſolùm, tunc demum potius moriendum, quàm ebrietati indulgendum, quando alter premeret ad bibendum in contemptum ſobrietatis & virtutis: ſed in toto contextu nihil reperitur quòd talem reſtrictum ſenſum innuat. Vnde hoc forſitan ipſe aduertens adiungit aliam explicationem, quòd ſcil. loquatur D. Aug. de illo qui prius ab alio quidẽ vrgetur: ſed poſtmodum ſe ſuâ ſponte inebriat, non autem de illo qui de vita verè periclitatur, niſi ſeſe vſque ad ebrietatem ingurgitet.

31 Sed D. Auguſtini verba & cõtextus nimis manifeſtè contrarium ſignificant: ſic enim ipſe procedit. Solent ebrioſi ita ſe excuſare vt dicant, Perſona potens coëgit me, vt amplius bibam, & in conuiuio Regis non aliter potui. Ad excuſandas excuſationes, inquit, in peccatis iſta prætendimus: & quod implere noluimus (ſcilicet ſobrietatem obſeruare) non potuiſſe nos dicimus: Nolle in culpa eſt noſtra: & non poſſe prætenditur. Deinde adiungit; etiamſi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erat vt caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatẽ anima moreretur. Quibus clariſſimè ſignificat mortem potius appetendam in ſobrietate, quàm etiam in illâ neceſſitate ſeu periculo, indulgendum ebrietati, qua anima occiditur.

32 Adiungit quidem poſtea D. Auguſtinus. Sed excuſatio iſta falsò obijcitur: ipſi enim Reges & quicumque ſunt alij potentes, quia Deo propitio & Chriſtiani ſunt & prudentes &c, ſi te viderent defuiſſe, vt eis non acquieſcas pro timore Dei, inebriari, ſi tibi ſub mora videãtur iraſci, poſtea verò te in grandi admiratione ſuſcipiunt dicentes, quantum cum illo egimus, quantum cum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquã cum à ſobrietate ſeparare potuimus: nam & Deus qui te videt per eius amorem inebriari non velle, ipſe etiam illorum gratiam tibi dabit, qui te vt amplius biberes, videbantur hortari & cogere.

Verumtamen iſta non dicit D. Auguſtinus ad eneruandam ſententiam illam ſuam quam vrgemus; ſed ad declarandum & confirmandum, quòd ea quæ ab ebrioſis ſolent allegari, ſint ad excuſandas excuſationes in peccatis, quod prius dixerat. Vnde poſtmodùm vt oſtendat talibus coactionibus qualibuſcumque non eſſe cedendum, iterum addit: Si quis ebrietati reſiſtat, & cum Dei adiutorio perſeuerare voluerit, & pro ipſa reſiſtentia aliquas pertulerit tribulationes, quòd omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.

DVBIVM VI.

Vtrùm mala quæ in ebrietate quis committit ſint peccata, ita vt verè in culpam imputentur?

PRo reſolutione huius difficultatis, præmittendæ ſunt aliquæ diſtinctiones. 33

Vna eſt: quod aliquando ebrietas ſiue inebriatio ſit voluntaria: aliquando non voluntaria, ita vt non ſit culpabilis.

Altera eſt, quod aliquando malum potuerit præuideri tanquam ſecuturum in ebrietate: aliquando præuideri non potuerit. His poſitis

RESPONDEO & DICO Primò: *Si* ebrietas nullo modo fuerit voluntaria, ſic vt prorſus ſit inculpabilis, quidquid ex illa ſequitur, etiam culpâ vacat, non minùs quàm dum committitur ab homine amente.

Sumitur ex D. Thoma hîc qu. 150. art. 4. & tenetur communiter à Doctoribus. Ratio autem eſt, quia quod in tali ebrietate ſequitur, nullo modo eſt liberum, neque in ſe vt conſtat, quia ſupponimus vſum rationis per ebrietatem plenè eſſe impeditum: neque eſt liberum in ſuâ causâ, quia præſupponimus ipſam quoque cauſam, videlicet ebrietatem non eſſe voluntariam aut culpabilem. Vide Caiet. hîc, quæſt. 150. art. 4. Bonauenturam in 2. diſt. 22. art. 2. quæſt. 3. & Syluestrum, V. Ebrietas, quæſt. 4.

DICO Secundò: Si ebrietas ſit voluntaria & culpabilis, & malum præuideri potuerit (vt ſi aliàs in ſimili ſtatu expertus ſit, tale aut tale quid à ſe commiſſum, v. g. adulterium, blaſphemias, homicidium, vel alia proximè ad eiuſmodi malum tendentia) etiam ipſum malum in ebrietate ſic commiſſum erit culpabile & peccatum. Sumitur ex D. Thoma loco cit. & docet expreſsè Caiet. ibidem, & alij Doctores communiter. 34

Ratio eſt, quia malum hoc eſt voluntarium in ſuâ cauſâ, adeò vt licet forſitan non ſequeretur, tamen voluntas ipſa ſe inebriandi cum ſubexiſtente illo periculo cognito, contrahat nihilominùs duplicem malitiam, ebrietatis

Digitized by Google

ebrietatis ſcilicet, & alterius peccati vt fornicationis, vel homicidij, aut ſimilis; cuius committendi morali periculo voluntariè ſe exponit, dum ſe inebriat.

Vnde & in confeſſione debent ebrioſi explicare, ſi ſoliti ſint alia peccata mortalia in ebrietate committere.

Notat autem Caiet. quod eiuſmodi tamen mala alioquouſque excuſentur aut minuantur, quia ſcilicet non tam directè & expreſsè volita ſunt, quàm ſi ſtante pleno iudicio rationis committerentur: non tamen releuantur à culpa mortali, vt ibidem docet: ſi verò quis ſe inebriaret, vt iſta liberiùs exequeretur, tum non minuerentur, ſed potius aggrauarentur; quia hoc ſignum eſt vehementioris ac intenſioris voluntatis talium delictorum.

36 Dico Tertiò: Si malum humano modo præuideri non poterat ſecuturũ in ebrietate, tunc licet ipſa ebrietas fuerit culpabilis, non videtur tamen malum illud eſſe peccatum.

Sumitur ex D.Thoma 1. 2. qu. 20. art. 5. vbi ſcribit: Si euentus ſequens non ſit præcogitatus, nec per ſe ſequatur, ſed per accidens & vt in paucioribus, tunc euentus ſequens non addit ad bonitatem vel malitiam actus: quod ibidem etiam in reſp. ad 3. & 4. ſignificat: & ita docent Palud. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 3. Maior, diſt. 17. Vaſq. 1. 2. diſp. 94. cap. 2. & 3. & quæſt. 73. art. 8. dub. 2. Tann. tom. 2. diſp. 4. quæſt. 3. dub. nu. 54. Couar. ad Clement. Si furioſus, parte 3. n. 3. & 4. Nauarr. cap. 27. nu. 130. & alij.

Nec obſtat quod D. Tho. hîc q. 150. a. 4. dicat, Si autem actus præcedens (ſcilicet inebriationis) fuit culpabilis, ſic non totaliter aliquis excuſatur à peccato ſequẽti &c. etiamſi videlicet malum non fuerit præcogitatum nec præuiſum: hoc enim dicit quod non totaliter excuſetur, quia mala quæ cõmittit, cedunt illi bene in pœnam, vt ſi alijs inferat nocumentum, debebit damnum reparare: ſi aliquem occidat, erit obnoxius punitioni ſaltem in foro externo, & ſecundum multos incurret irregularitatem: qui eius ſenſus poteſt colligi ex ijs quæ ſcribit 1. 2. quæſt. 73. art. 8.

Ratio itaq; concluſionis eſt, quia malum quod ſequitur, non eſt voluntarium ſufficienter ad culpam: non enim in ſe, quia dum committitur abeſt vſus rationis, vt ſupponitur: neque etiam in ſua cauſa, quia inuincibiliter quaſi ignorabatur latere in cauſa, ſiue ſecuturum ex tali cauſa.

Hinc licet fortaſſis Loth non excuſetur à peccato ebrietatis, tamen excuſatur à peccato incœſtus, quod filię eius cum ipſo commiſerunt in ebrietate: quia humano modo malum iſtud ipſe præuidere non poterat. Quod ſignificat D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 44. dum ita hac de re ſcribit: Inebriauerunt eum (ſcilicet filiæ) & ſe neſcienti miſcuerunt: quapropter culpandus eſt quidem, non in quantum ille incœſtus, ſed in quantum merebatur ebrietas. Plura ad hanc materiam pertinentia diximus 1. 2. quæſt. 72. artic. 6. num. 17. & aliquot ſequentibus.

Hic denique notandum eſt cum Caiet. V. Ebrietas, Toleto, lib. 8. cap. 61. n. 3. & alijs, Quod non ſit ebrietas completa, quamdiu quis adhuc habet vſum rationis, vt inter honeſtum & turpe, ſiue inter licitum & illicitum poſſit diſcernere; & bonum eligere ex rationis iudicio, & malum vitare: quamuis ex potu ſit hilarior, aut aliquantulum in phantaſia turbatus, vt domus ei videatur girari, ſicuti loquitur Caiet. vel vt non omnino rectà queat incedere: eſt tamen graue peccatum veniale, vt ijdẽ Doctores docent. 37

DVBIVM VII.

An ſit peccatum prouocare ſocios ad æquales hauſtus?

Respondeo & Dico Primò: Prouocatio eiuſmodi ſonat aliquid à ratione alienum, & in moribus inhoneſtum. Declaratur, quia potus regula ſtatuitur non ratio, non neceſſitas naturæ, non bona valetudo, non animi vigor: ſed venter alterius ſeu tota ventris, viſcerum, ac venarum capacitas. Quare D. Baſilius vtres, aut lagenas potius hos dixerit, quàm homines; aut tubos & cloacas ad hoc tantum idoneos, vt plurimum vini tanquam lagenæ capiant, aut per corpus tanquam tubum aut cloacam transfundant & perdant. 38

Dico Secundò: Prouocatio iſta eſt peccatum mortale, quando ſit animo ſe, vel alium inebriandi: aut aduertitur vel aduerti poteſt, quod inde vel in ipſo, vel in altero ebrietas ſit ſecutura. Sumitur ex D. Thoma, quæſt. 150. art. 1. ad 3. & tradunt Doctores communiter. 39

Probatur ex D. Auguſt. ſermone 231. De tempore, vbi ſic de illis qui alios ad ebrietatem inducunt, ſcribit. Sed illi qui tales eſſe volunt, miſerabiliter ſe excuſare conantur, dicentes; Ingratum habeo amicum meum, ſi quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei quantum voluerit non dedero: Non ſit, inquit, tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & ſuus & tuus eſt inimicus: ſi te & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum, & ideo ſapienter conſidera ſi iuſtum ſit, vt te à Deo ſepares, dum te ebrioſo coniungis: ad extremum tu eum noli adiurare, noli cogere, inquit, ſed in poteſtate illius dimitte, vt quan-

vt quantum ſibi placuerit, bibat: & ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, & non ambo pereatis. Quibus manifeſtè ſignificat illum perire ſecundum vitam animæ, qui alterum ad ebrietatem cogit aut prouocat.

40 Conformiter ſcribit D. Ambr. libro De Elia & ieiunio, cap. 14. Nec vos excuſamus, qui vocatis amicos, & emittitis vt inimicos: quanto melius in terram vina tua fudiſſes? quid te delectant damna ſine gratia? rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem: inuitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrũ: vina prætendis, & venena ſuffundis &c. & eodem libro, cap. 13. graphycè admodum deſcribit & grauiter reprehendit corruptos mores etiam hoc ſæculo obſeruari ſolitos in bibendo.

Primò, minoribus poculis, inquit, velut velitari pugnâ præluditur: verùm hæc non ſobrietatis eſt ſpecies, ſed diſciplina bibendi, vt irritent ſitim &c. ac infrà: vbi conſummatæ fuerint epulæ, putes iam eſſe ſurgendum? tunc de integro potum inſtaurant ſuum: tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quaſi inſtrumenta bellorum &c. ac rurſus eodem capite: Deinde procedente potu longiùs, contentiones diuerſæ & magna certamina quis bibendo præcellat: nota grauis ſi quis ſe excuſat, ſi quis temperandum forte vinum putet: certatur ſub iudice vt lege decernitur: agonothetes illis furor eſt, ſtipendium debilitas, victoriæ præmium culpa.

Ita quoque D. Auguſt. Sermone antè citato: maiora pocula prouidentur, certa bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine: inde lites & rixæ naſcuntur, inde adulteria & nonnunquam homicidia perpetrantur.

Ratio autem concluſionis euidens eſt ex Apoſtolo ad Rom. cap. 1. quia non tantum qui malè agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte: maximè autem conſentiunt qui alios ad malum cogunt aut inducunt.

Quæret aliquis: Si magnum aliquod malum ſit impendens Reipublicæ quod quis aliâ ratione non poſſit impedire, niſi inebriando authorem qui illud machinatur, vtrùm tunc ſaltem licitum non erit prouocare illum ad æquales hauſtus, eumque ſic inebriare?

41 Dico Tertiò: Nequidem eo caſu licitum eſſe alterum inebriare. Ita Bonacina, tom. 2. diſp. vlt. De præceptis Eccleſiæ: quæſt. 1. puncto 2. nu. 3. & alij ab eo citati contra Leſſium, inquit, dub. 4. n. 33. ſcilicet lib. 4. cap. 3. Probatur 1. ex Apoſtolo ad Rom. cap. 3. vbi dicit eorum damnationem iuſtam eſſe, qui dicunt, Faciamus mala vt veniant bona: ergo neque licitum eſt inducere aliquem ad aliquod peccatum, cuius non habet voluntatem, vt ſic omittat aliud quod concepit facere, quamuis hoc grauius fuerit: videntur enim illa eſſe eiuſdem rationis, Facere malum vt bonum eueniat, & inducere aliquem ad peccatum aliquod, vt non faciat aliud grauius.

Dices: Iſta inductio ad ebrietatem in caſu propoſito non eſt mala, quin potius bona. Probatur, quia non tendit ad hoc vt minus malum fiat abſolutè, ſed vt præferatur malo maiori, licet id ſic non exprimatur; ergò &c.

Confirmatur, quia communiter dici ſolet, Quod licitum ſit ſuadere & inducere ad minus malum, vt impediatur maius: vnde qui latroni volenti occidere Petrum, ſuaderet ac induceret, vt potius eum ſpoliaret, ac ſic dimitteret, in eo non delinqueret, nec teneretur ſic ſpoliato ad reſtitutionem. Similiter paranti prodere ciuitatem, poteſt quis ſuadere, vt potius expilet ærarium, quatenus interea impediatur proditio; ergò &c.

Reſpondetur Negando Aſſumptum: Ad 42
probationem verò dicendum, etſi ipſe inducens ad ebrietatem, forſitan in animo ſuo ſpectat impedimentum maioris mali, tamen reuera actio illa eius cum omnibus ſuis circumſtantijs, vt exteriùs fit, inducit ſimpliciter & abſolutè alterum in nouum peccatũ, & nouam culpam, quam nec actuali nec virtuali voluntate contraxerat: id autem ad temporalia bona promouenda, vel mala vitanda minimè licet.

Quòd autem attinet ad illud quod pro confirmatione allegatur, id ſic intelligi debet vt veritatem obtineat, quod ſcilicet dum quis animo paratus eſt indifferenter committere plures actus externos malos, & obſeruatur quod ęqualiter aut magis propẽdeat in peiorem, magiſque iniurioſum Deo aut proximo, quod tùm licebit ſuadere ac inducere, vt potius exequatur externum actum minus malum, quàm magis malum, & potius illum qui proximo minus iniurioſus, quàm qui eidem magis eſt iniurioſus.

Quemadmodum fit in exemplis allegatis; quia eiuſmodi ſuaſionis & inductionis obiectum eſt tantum omiſſio maioris mali, ac minoritas mali alterius; non autem aliquod malum; quia quilibet ſic propoſitam eiuſmodi ſuaſionem facilè apprehendit & intelligit, quod ille ſic ſuadens nullo modo cogitet aut intendat alterum inducere ad perpetrandum malum quòd minus eſt: ſed dumtaxat ad omiſſionem maioris mali: neque per hoc inducit illum in nouam aliquam culpam.

Probatur concluſio ſecundò: quia ſi mihi 43
liceat vrgendo æquales hauſtus, alterum inducere ad intemperantiam & ebrietatem, vt non exequatur malum contra Rempublicam quod machinatur, videbitur & licere

mihi,

Digitized by Google

mihi, ducere illum ad lupanar, & ad libidines concitare, vt voluptatibus carnis quaſi abſorptus nō perficiat malum grande quod meditabatur, ſi aliter non poſſum illud impedire. Confirmatur, quia ſicuti fornicari eſt actus per ſe malus contra naturalem legem temperantiæ, ita quoque ſcienter ſeſe inebriare: ſi igitur mihi liceat inducere modo dicto ad ebrietatem, ita vt malitia huius inductionis abſtergatur, quia fit in ordine ad maius malum præcauendum, cur non ſimiliter malitia inductionis ad fornicandum abſtergetur, quia ex ordine ad eundem finem fit: aut ſi iſta actio mea prior ſit dicenda non habere rationem inductionis ad malum, ſed tantum impeditionis mali maioris, quare non idem dicendum erit de actione altera poſteriori? quam vtrùm aliquis admitteret in illo caſu licitā, neſcio: mihi ſanè videretur illa doctrina valdè reprobanda.

CAPVT TERTIVM,

De Caſtitate, & annexis, & de vitijs oppoſitis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit caſtitas & quotuplex?

3 NOTANDVM cum D. Thoma, quæſt. 151. artic. 2. nomen Caſtitatis dupliciter ſumi: aliquando enim generaliter, & quaſi metaphoricè capitur: aliquando ſtrictè ac propriè.

Generaliter acceptum ſignificat animi puritatem quę naſcitur ex abſtractione affectus ab inordinata delectatione & amore creaturarū: anima namq; ex inordinata adhæſione ad res creatas, quaſi contaminatur, quemadmodum per carnales immunditie corpus fœdatur.

Vnde D. Leo ſermone 4. De quadrageſima dicit: De mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere. Ita de Caſtitate loquitur Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 11. quando ſcribit: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: & D. Auguſt. libro De mendacio, cap. 2. Caſtitas animi eſt amor ordinatus non ſubdens maiora minoribus: & hanc dicit præſtantiorem eſſe munditie corporis, quando ſcilicet corporis mundities non habet illam animi caſtitatem coniunctam.

Strictè autem & propriè caſtitatis nomen acceptum, prout de Caſtitate nobis hic eſt ſermo, ſignificat virtutē illam qua conſeruatur homo mundus ab inordinatis voluptatibus carnalibus & actibus: in quibus peculiaris quædam fœditas præeminet. Moderatur ergo virtus caſtitatis affectum & vſum in rebus venereis, ne amplius, aut alio modo, tempore, vel loco illis quis delectetur ſiue indulgeat & vtatur, quàm ex præſcripto rectæ rationis iuxta præſentem vniuſcuiuſque ſtatum, vnicuique conuenit.

2 Hinc itaque duplex ponitur caſtitas: videlicet vna perfecta, & altera imperfecta.

Perfecta eſt quæ ab omnibus omnino voluptatibus carnis tam licitis in certo caſu (quem non intendit apprehendere) quàm illicitis proponit perpetuò abſtinere. Quare hæc etiam affectum nuptiarum excludit. Talis autem abſolutiſſima eſt caſtitas virginalis. Deinde etiam ſuo modo caſtitas vidualis, quæ in poſterum vult perpetuò abſtinere ab omnibus carnis voluptatibus, quamuis antea in ſtatu coniugali eas admiſerit.

Imperfecta verò dicitur, quando tantum ad tempus quis proponit abſtinere à delectationibus carnis, donec videlicet ſtatum aſſumpſerit in quo poſſit eis licitè vti: aut quando iam in illo ſtatu verſatur, proponit ab ijs quæ non ei licent, abſtinere, & moderatè vti licitis ſecundum rationis dictamen: eiuſmodi autem eſt caſtitas coniugalis.

Vnde alij caſtitatem diuidunt proximè in has tres partes, ſcil. virginalem, vidualem, & coniugalē. Debita itaq; moderatio vſus coniugalis conſiſtit, vt actus ille exerceatur debito fine, conuenienti modo, tempore, & loco: qui enim cum his circumſtantijs matrimonio vtuntur, & ab alijs voluptatibus abſtinent, præditi cenſentur caſtitate coniugali.

Porrò caſtitatem eſſe virtutem, vt diximus, non tantum quatenus moderatur affe- 5
ctum ne indulgeat voluptatibus illicitis, ſed etiam, quatenus moderatur ne cupiat vti licitis, ſic poteſt declarari: quia etiam ab his abſtinere per ſe honeſtum eſt: liberat enim hominem à multis rerum ſæcularium curis: redditq; eum magis expeditum & idoneum ad functiones mentis obeundas, quæ præſtantiores ſunt corporis actionibus, atque adeò facit hominem quodammodo ſimilem creaturæ altioris ordinis, videlicet cœleſtibus ſpiritibus, vt colligitur ex illis verbis Chriſti, Marc. cap. 12. *Cum enim à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicuti Angeli Dei in cœlis.*

Vnde caſtitas abſolutiſſima ſiue virginitas videtur ſpecie diſtingui ab imperfectiori, vt ſignificat D. Thom. quæſt. 152. artic. 3. quia

Digitized by Google

quia alia ratio laudabilitatis reperitur in abſoluta abſtinentia ab omni voluptate carnis: alia in moderato illius vſu: pro quo allegat illud D. Ambroſij ex libro 1. De virginibus, non longè à principio: Inuitat virginitatis amor, vt aliquid de virginitate dicamus, ne veluti tranſitu quodam perſtricta videatur, quæ principalis eſt virtus. Habet itaque ſe ad caſtitatem ſicut magnificentia ad liberalitatem ſecundùm S. Thomam.

4 Ex dictis facilè erit colligere, quæ ſit caſtitatis materia, & quod officium. Proxima eius materia circa quam ſunt interni concupiſcentiæ motus: hos enim vel comprimit, vel iuxta rationis normam componit. Remota ſunt actus externi, vt aſpectus, oſcula, contactus qui ſolent eſſe præuij copulæ carnali, aut ipſa copula: & quidem quatenus hæc virtus circa copulã verſatur, aut prorſus ſcil. ab ea auocando, aut in ſtatu licito cum debitis circumſtantijs eã vtendo, appellatur propriè caſtitas: quatenus autem modo conformi verſatur circa actus præuios iam recenſitos, dicitur propriè pudicitia, vt notat D. Thom. quæſt. cit. art. 4. Vnde caſtitas, & pudicitia non videntur omninò ſpecie diſtingui, ſed ſecundũ accidens, & ſuo modo etiã ſecundum diuerſas partes quaſi integrales materiæ: & ideo ſuprà quæſt. 143. ponuntur tanquam duæ partes quaſi ſubiectiuæ Temperantiæ.

DVBIVM II.

Quid virginitas ſit, & quibus modis amittatur?

5 RESPONDEO & DICO Primò: Virtus virginitatis rectè à D. Auguſt. libro De ſancta virginitate, c. 13. deſcribitur, Quod ſit in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Definitum pono virtutem virginitatis, ſiue quod in idem redit, virginitatem vt eſt virtus: quia aliquando accipitur pro naturali integritate carnis quæ ſit expers libidinoſæ contagionis: verùm illa per ſe virtus non eſt, quandoquidem naturaliter cum ea naſcamur: & eandem etiam poſſimus aliorum iniuriâ, inuiti amittere: quæ in rationem virtutis non cadunt.

Ipſum itaque propoſitum ſeruandi illam integritatem, habet virtutis rationem, vt docet hic quoque D. Tho. q. 152. a. 1. Et ſic de virginitate hic agimus.

6 Dicit ergo D. Aug. eam eſſe meditationem incorruptionis, quia eſt propoſitum multam cognitionem & curam poſtulans, vt theſaurus hic conſeruetur.

Additur, Perpetuæ, quia propoſitum ſeruandæ incorruptionis ſolùm ad tempus, v. g. vſque ſtatum matrimonij, non autem in perpetuum, dici non debet virtus virginitatis: ſed habet rationem ſtatus cuiuſdam caſtitatis non perpetuæ: virtus verò virginitatis excludit in re & in affectu omnem corruptionem carnis, tam licitam quàm illicitam voluntariè aliquando admiſſam, aut admittendam.

Hinc ſuprà communem rationem caſtitatis perfectæ, (qualem etiam diximus ſuo modo in vidua poſſe reperiri.) connotat ac ſupponit in ſubiecto integritatem carnis, & immunitatem à voluntaria contagione libidinis, quam perpetuò tueri intendit, omnia illi contraria vitando.

DICO Secundò: Virtus virginitatis amittitur omnibus illis modis, quibus caſtitas. 7
Vnde etiam deſiderijs turpibus ex conſenſu deliberato perditur. Similiter delectatione carnali moroſa, vt poteſt colligi ex D. Auguſtino, lib. 1. De ciuitate Dei, cap. 18. Vbi docet, etiam corporis ſanctitatem amitti per conſenſum in opus turpe, quatenus ſcilicet deſinit eſſe templum Spiritus ſancti, etiamſi caro nondum corrumpatur. Imò virginitatis virtus vt talis, amittitur quoque voluntate nubendi, vt ex eius definitione iam explicata facilè intelligitur: quod tamen ſine peccato fieri poteſt, niſi prius propoſitum fuerit voto firmatum.

Quando tamen aliquo tantum ex iſtis modis fuerit amiſſa, poterit ipſa iterum recuperari per pœnitentiam, vt ſi ante realem carnis corruptionem & pollutionem doleat quis de turpitudine mentali, aut de oppoſita voluntate: & rurſum proponat carnis integritatem & puritatem, quas nondum amiſit, in perpetuum ſeruare.

DICO Tertiò: Per voluntariam corruptionem integritatis, aut voluntariam puritatis pollutionem reipſâ admiſſam amittitur 8
virginitas omnino irrecuperabiliter. Ita docet D. Tho. qu. cit. art. 3. ad 3. & alij Doctores communiter.

Apertè hoc tradunt D. Hieronymus, epiſtola 22. quæ eſt ad Euſtochium, & D. Baſilius, libro De velandis virginibus.

Ratio facilè colligitur ex dictis, quia virginitas quaſi pro ſua formali ratione includit non tantum carnem eſſe integram (poſſet enim hæc integritas quatenus poſitiua eſt, à Deo reſtitui aut forſitan etiam medicorum operâ) verùm includit quoque hanc negationem ſcilicet carnem nunquam fuiſſe voluntariè violatam, aut libidine pollutam: quod autem iam ſemel factum eſt, fieri nequit, vt factum non fuerit.

Contingit autem diuerſis modis ſic in reipſa tolli virginitatem: ac primo quidem 9
ita amittit vir per copulam carnalem, & fœmina per voluntariam clauſtri virginalis violationem, ſiue in matrimonio, ſiue extra: ſiue per

ſiue per copulam violetur clauſtrum virginale, ſiue per aliam turpem actionem.

Fæmina autem quæ hoc modo corrupta eſt, nunquam velari poteſt, ſcilicet velo conſecrationis, quod ab Epiſcopo accipitur anno 25. ætatis, vt cum alijs docent Syluest. V. Conſecratio virginum, quæſt. 1. & Caiet. V. Virginum conſecratio, & ſumitur ex Can. Deuotis & Can. Virgines: quæſt. 1. cauſa 20. ſecus eſt de velo tantum profeſſionis.

10 Neque refert quod res ſit ſecreta & paſſim tanquam virgo habeatur, niſi forſitan Epiſcopus tantum ex confeſſione intellexiſſet eam non eſſe integram corpore: tunc namque ſi non poſſit Epiſcopus illi perſuadere vt ſponte abſtineat à petendo eiuſmodi velo, poteſt ac debet illam more aliarum conſecrare, ipſa tamen ſeſe ingerendo peccat mortaliter iuxta Caiet. V. Virginum conſecratio, vbi latius hoc explicat.

11 Alio modo amittitur per voluntariam pollutionem, etiamſi fiat abſque copula, & abſque corruptione integritatis carnis in fæminà. Sumitur ex D. Thoma, quæſt. citata, artic. 1. ad 4. & Caietano ibidem. Neque hic requiritur abſolutè, vt virginitas cenſeatur perdi, quòd alius actus exterior concurrat: nam & qui ſolà imaginatione iſtam fœditatem in ſe excitat, perdit virginitatem, neque lauream virginitatis accipiet.

Vbi tamen Doctores notant puellam quę iſto modo polluta fuit, aut etiam accedente contactu externo, ſi carnis integritatem adhuc retineat, poſſe velari velo conſecrationis. Ita docet Caiet. loco citato, V. Virginum conſecratio. Rationem autem hanc indicat, quia tametſi coram Deo non ſit virgo, tamen apud homines habetur virgo iuxta communem loquendi modum: omnes enim vocare ſolent virginem quæ clauſtrum virginale retinet illæſum.

Tertium modum aſſignant Doctores nonnulli quo virginitas in re amittitur, quando ſcilicet turpes contactus animo libidinoſo fiunt aut admittuntur, qui neceſſariò pollutionem excitarent, quamuis forſitan in hoc homine propter naturæ debilitatem vel infirmitatem id non præſtent. Ita ſentit Roſella V. Virginitas citans Vldericum: Leſſius libro 4. cap. 2. dubio 16. num. 121. & indicat Caietanus hic articulo 1. ad 5.

12 Dico Quartò & vltimo: Virginitatis virtus non amittitur violatione integritatis, aut pollutione carnis, quando hæc nullo modo eſt voluntaria. Eſt communis Doctorum ſententia, quam pulchrè exponit D. Auguſt. libro 1. De ciuitate cap. 18. Quis, inquit, ſanâ mente putauerit ſe amittere pudicitiam, ſi fortè in apprehenſa vel appreſſa carne ſua exerceatur & expleatur libido non ſua: ſi enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia animi virtus non erit, nec pertinebit ad ea bona quibus rectè viuitur, ſed in bonis corporis numerabitur, vt ſunt vires, pulchritudo, &c. Si autem animi bonum eſt, etiam oppreſſo corpore non amittitur: ac infrà, Et ideo cum eis (videlicet concupiſcentijs) non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè vtendi perſeuerat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas. Hinc Sancta Lucia Tyranno reſpondebat, Si inuitam iuſſeris violari hoc ſibi duplicandum ad coronam.

Vnde & probabile eſt virginē vi oppreſ- 13
ſam, ſi certa ſit ſe non conſenſiſſe delectationibus, & res habeatur occulta, ſic vt ſcandalum non pareret, poſſe velum conſecrationis recipere: quod ſumi poteſt ex Diuo Thoma, art. cit. ad 3. & ex verbis D. Auguſt. allegatis ac alijs ibidem adiunctis. Dicit tamen Pontifex Leo, prout refertur Capitulo Illæ autem: quæſt. 5. cauſa 32. quod illæ famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbaricâ perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate & verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus: vnde Syluester & alij nonnulli docent, illas non poſſe conſecrationis velum accipere: ſed videtur Pontifex potius dehortari, ne accipiant quam id prohibere.

DVBIVM III.

An virginitas ac cœlibatus ſtatus ſit præſtantior ſtatu matrimonij?

Respondeo & Dico Primò: 14
Virginitatis ſtatus præſtantior eſt ſtatu matrimonij, atque illi præferendus, non tantum, quia pauciora habet huius vitæ incommoda; ſed etiam propter fructum ſpiritualem, & quia Deo in ſe gratior exiſtit, & maioris meriti in ordine ad vitam æternam. Eſt contra Iouinianum & contra hæreticos noſtri temporis: & docet hic D. Thomas, quæſt. 152. artic. 4. Eſtque doctrina certa de fide, vt conſtat ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. Canone 10. Si quis dixerit ſtatum coniugalem anteponendum ſtatui virginitatis vel cœlibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, anathema ſit.

Probatur Primò ex Scripturis: Matt. 19. quando Apoſtoli dixerant: *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere*, reſpondit Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum iſtud: ſed*

Digitized by Google

quibus datum eſt: & paulò infra: *Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei: qui poteſt capere, capiat*. Vbi dum Chriſtus approbat ſententiam Apoſtolorum,& quidem addit, *Non omnes capiunt verbum hoc: ſed quibus datum eſt*, ſatis apertè ſignificat virginitatem eſſe quid melius ac ſublimius ſtatu matrimoniali.

Deinde quando adiungit,quoſdam ſe caſtrare propter regnum Dei, & ad hoc ipſum exhortatur, dicendo, *Qui poteſt capere, capiat*, clarè oſtendit virginitatem ſeu cœlibatum eſſe præferendum, & quidem non tantũ ad euitandas moleſtias matrimonij, ſed etiam propter maius meritum ad cœleſte regnum conſequendum.

15 Apoſtolus 1. inſuper ad Cor.7. multa quæ ad huius doctrinę confirmationẽ faciũt, adducit, ac in primis affirmat, *Bonum eſt homini, mulierem non tangere*: Deinde dicit: *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum*: id eſt, opto vos omnes cœlibem agere vitam, quemadmodũ ago, vt ex circumſtantijs euidens fit. Tertiò addit: *Dico autẽ non nuptis & viduis,bonum eſt illis ſi ſic permaneant ſicut & ego*. Quartò: *De virginibus autem*, inquit, *præceptum Domini non habeo*, (videlicet quo homo obligetur ſeruare virginitatem) *Conſilium autem do,tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis*: atqui conſilium nõ eſt niſi de meliori bono. Quintò dicit: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit: & qui non iungit, melius facit*.

Ex quibus omnibus euidenter cõſtat iuxta Apoſtoli ſententiam, virginitatis ac cœlibatus ſtatum longè eſſe anteponendum matrimonio: quod ipſum & declarat hac ratione; *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*, &c.

Apocalipſis cap. 14. ſcribit Ioannes: *Nemo poterat dicere canticum niſi illa, centum quadraginta quatuor millia,qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*: quibus etiam declaratur excellentia & prærogatiua virginitatis præ ſtatu matrimoniali; ergò &c.

Probatur Secundò, ex Sanctis Patribus: qui omnes id vnâ voce docent & prædicant. Vide D. Auguſtinum libro De bono coniugali: & libro de ſancta virginitate. D.Hieronymũ lib.1. contra Iouinianum, D.Ambroſiũ lib.1.De virginibus.Cyprian. De habitu virginum: & D. Baſiliũ De vera virginitate.

16 Probatur Tertiò ratione: quia matrimonium, eiuſque functiones cõueniunt homini ſecundum inferiorem portionem, qua ſimilis eſt animalibus brutis: virginitas autẽ magis conuenit ſecundum portionem ſuperiorem,quâ ſimilis eſt ſpiritibus Angelicis: quãuis enim integritas & incorruptio ſint in carne, tamen illius amor & ſtudium nõ ſunt in carne, ſed in ſpiritui, ac ſpiritu ſeruiunt: neque ſunt hęc naturalia:ſed ſupra naturam; & eleuant hominem quodam modo ſupra ſeipſum, vt docet D,Ambroſius libro cit.

Deinde matrimoniũ implicat hominem rerum ſæcularium curis, & carnis voluptatibus: quibus mens maximè à ſtudio, rationis,atque adeò ab omnibus functionibus ſibi vt homini proprijs auocatur ac impeditur: virginitas autem ſtatus hominem ab iſtis incommotatis liberat, & mentem ad functiones ſuas expeditam reddit, vt ex Apoſtolo iam allegato quoque conſtat.

17 Tertiò actus ipſe proprius ac præcipuus matrimonij coniunctam habet magnam verecundiam, vt etiam requirat ſecretum, vt obſeruat D. Aug. lib. 14 De ciuitate, c.18. vnde nec quiſquam tam inſolens, aut impudens eſt, qui non velit omnes teſtes abeſſe: quod euidens ſignum eſt, iuxta D. Auguſt. quod actus ille aliquid adiunctum habeat verecundiâ dignum, atque adeò aliquid turpitudinis: quia non niſi de re indecora ac nobis minus digna, ſolemus erubeſcere. Hoc autem oſtendit D. Aug. libro citato cap. 20. & alibi, conſiſtere in illa inobedientia, quæ genitalia corporis membra ſolis ſuis motibus ſubdit: & poteſtati voluntatis eripuit.

18 Dico Secundò: Bonum & laudabile eſt caſtitatem perpetuam Deo vouere.

Probatur primò ex Scripturis, quia Chriſtus cõmendat eunuchos qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei, & ad hoc capeſſendum exhortatur Matth. 19. atqui illi ſe propriè caſtrauerunt propter regnũ Dei, non qui ſe realiter exſecuerunt, ſed qui voluntariâ continentiâ omnem poteſtatem ſiue licentiam ad concubitum abdicauerunt profeſſione, aut voto perpetuæ caſtitatis, vt commodius verbo Dei & diuino cultui vacent, vt exponit D.Baſilius libro citato.

Et confirmatur hæc expoſitio ratione, quia cum caſtrare importet non tantum carentiam actus, ſed etiam carentiam poteſtatis congrediendi, neque licitum ſit ſe realiter exſecare (vt ſuprà tract.2.cap.2.dub.14. oſtendimus) reſtat vt hæc impotentia quam Chriſtus commendat, inducatur per voluntarium votum perpetuæ caſtitatis.

Probatur ſecundò ex perpetuo Eccleſiæ vſu, quæ ſemper commendauit & in honore habuit eos qui ſe voto caſtitatis Deo obſtrinxerunt.

Probatur tertiò ratione: quia ſeruare caſtitatem eſt melius, quàm ſuum oppoſitum, vt modo oſtendimus: ergò laudabile eſt hoc Deo vouere.

Sed contradicta obijcitur: Apoſtolus 1. ad Corinth.c.7. vult omnes tam viros quàm mulieres matrimonio iungi: ſic enim ſcribit: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat: & vnaquaque ſuum virum habeat*: & 1. ad Timoth. cap. 5. ſimiliter

Digitized by Google

ſimiliter ſcribit, *Volo ergo iuniores* (viduas ſcilicet, de quibus agit) *nubere, filios procreare, matres familias eſſe*: ergo ſtatus virginitatis, aut cœlibatus, non eſt præſtantior matrimoniali.

19 Reſpondetur Negando Aſſumptum: ad Apoſtolum autem dicendum eſt, quòd verba illa, *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat*, &c. non ſunt præcipientis, ſed permittentis; quod indicant ea quæ poſtmodùm adiungit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*: hæc enim aptè intelliguntur referri, non tantum ad id quod proximè præcedit, ſcilicet, *Iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſathanas propter incontinentiam veſtram*: ſed etiam ad alterum quod parùm longius præceſſit, ſcilicet, *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat*, &c. quia vtriuſque eadem eſt ratio, quam Apoſtolus indicat; ſicuti enim in poſterioribus dicit, *Ne tentet vos ſathanas propter incontinentiam veſtram*, ita & in prioribus dixit, *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.*

20 Quibus poteſt addi ſatis conformiter ad mentem Apoſtoli, quod prædicta verba non nudam permiſſionem contineant: ſed etiam quaſi conſilium pluribus expediens ſignificent: quia namque plerique homines non volunt grauiora certamina contra carnis ſtimulos ſubire, neque laborioſa media ad caſtitatis virtutem conſeruandam neceſſaria adhibere, hinc Apoſtolus permittit & ſimul ſignificat pluribus communiter expedire, quod matrimonio iungantur ad luxuriæ peccata vitanda: nullo autem modo ſignificat quòd matrimonium ſecundum ſe ſit melius, quin toto penè capite contrarium doceat, vt antè oſtendimus.

Eodem ſenſu accipienda ſunt verba eius allegata ex 5. cap. 1. ad Timoth. vbi non dat quoque aliquod mandatum, quo iuniores viduas velit abſolutè obligatas ad nubendum, ſed dum Timotheo exponit, quomodo cuiuſlibet ſtatus homines conueniat inſtruere, admonere, ac dirigere, inter alia dicit, *Volo ergo iuniores nubere*: quaſi diceret hoc ordinariè conſultum iudico, & fieri cupio (ad diuerſa incommoda ſcilicet quæ immediatè antè allegauerat, vitanda) quod iuniores viduę non cooptentur in numerum viduarum quæ Eccleſiaſticis miniſterijs deſeruiant cum profeſſione continentiæ; eò quod obſeruaretur tales poſtea primam fidem ſeu promiſſionem (de ſeruanda ſcilicet caſtitate) irritam facere ac infringere: & indecenter ſe in moribus & verbis gerere: *Iam enim* (inquit Apoſtolus ibidem) *quædam conuerſæ ſunt retrò poſt ſathanam*: quæ dabant proinde aduerſarijs fidei Chriſtianæ occaſionem obtrectandi & malè loquendi de Chriſtianis: vnde potius cupio quod tales nubant &c. non quod nup[illegible]ſe meliores ſint; ſed quæ a eiuſmodi perſonis communiter magis expediant propter ipſarum fragilitatem & incontinentiam.

Inferet aliquis: ergo ſaltem non eſt bonum & laudabile perpetuam caſtitatem vouere propter periculum, cui ſe quis exponit, dum neſcit an continere poterit. 21

Confirmatur, quia Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 7. dicit: *Volo omnes vos eſſe ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic: alius vero ſic.* Et Matth. c. 19. dicit Chriſtus, *Qui poteſt capere, capiat*: ergo caſtitas eſt donum quibuſdam hominibus peculiare, & proinde cum nemo certus ſit, quod de illo ſit numero, videbitur ſemper temerarium ſe voto aſtringere ad caſtitatem ſeruandam.

Reſpondetur Primò, cum Concilio Tridentino ſeſſ. 24. Canone 9. Si quis dixerit poſſe omnes contrahere matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis habere donum, etiamſi eam vouerint, anathema ſit; cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur ſupra id quod poſſumus tentari. Ex quibus hoc ſatis videtur conſtare, eos qui caſtitatem vouerunt, ſi ex parte ſua fecerint ea quæ facere tenentur, poſſe illam iuxta votum ſuum ſeruare.

Addo tamen ſecundò, quandoquidem quoddam eſt peculiare caſtitatis donum non omnibus hominibus datum, vt ſignificat tum Chriſtus, tum etiam Apoſtolus locis citatis, hinc fieri quod non omnes promiſcuè conuolare debeant ad eminentioris huius virtutis profeſſionem voto firmatam: quodque non indifferenter paſſim omnes ſint inducendi, ac multò minùs vrgendi ac compellendi ad eiuſmodi ſtatum amplexandum, prout frequenter indiſcretè à parentibus vel alijs curam iuuenum vel iuuencularum habentibus, fieri ſolet. Vnde multa ſcandala oboriuntur in Eccleſia Dei: ſed quod quilibet debeat ſeipſum probare, & illi qui in conſilium adhibentur, debeant maturè perpendere vtrùm tantus integritatis amor animum occupet, vt pro illius conſeruatione paratus ſit media oportuna, quantumuis grauia, & laborioſa adhibere: vt remotionem à mundanis conſortijs, ieiunia, vigilias, orationes & alia pietatis exercitia ſubire & ſuſtinere: quibus valeat tentationes carnis aut vitare, aut ſuperare, & carnem in ſeruitutem ſpiritus redigere. Hoc vbi exploratum vtcumque habebitur, licebit prudenter confidere de dono caſtitatis ſibi præparato, vtpote quod in eiuſmodi auxilijs Dei & beneficijs quibus iſta peraguntur conſiſtit, & proinde fiducialiter caſtitatem Deo vouere ſubnixus non ſuis viribus, ſed diuinæ gratiæ adiumentis. 22

Digitized by Google

DVBIVM IV.

Quale peccatum ſit luxuria?

23 NOtandum eſt, luxuriæ nomen dupliciter ſumi, vt indicat D. Tho. qu. 153. art. 1. ad 1. aliquando generaliter, & ſic ſignificat quemuis exceſſum, non tantum in re venerea, ſed etiam in veſtitu, in epulis, & ſimilibus delicijs: aliquando autem ſpecialiter, & ſic acceptum ſignificat ſolum exceſſum in rebus venereis. Vnde vitium eſt virtuti caſtitatis oppoſitum: cuius materia ſunt delectationes venereæ, vt docet D. Thom. art. citato. His præmiſſis

24 RESPONDEO & DICO Primò: Luxuria ſic propriè accepta ex genere ſuo eſt peccatum mortale: eſt communis doctrina.

Probatur Primò ex Scripturis: ad Gal. 5. enumerat Apoſtolus luxuriam inter opera carnis, de quibus pronunciat: quod qui talia agunt non poſſidebunt regnum Dei: quod & diuerſis alijs locis idem Apoſtolus ſignificat.

Probatur Secundò ratione: quia concubitus maris & fœminę eſt res grauis in humano genere: quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, inquit D. Aug. de bono coniugali cap. 6. hoc eſt concubitus ad ſalutē generis; ergo inordinatio concubitus, eiuſque vſus contra ordinē rationis verſatur in re graui: & per conſequens ex genere ſuo eſt peccatū mortale. Ita ferè ratiocinatur D. Thom. quæſt. citata art. 2.

DICO Secundò: Luxuria rectè ponitur
25 vnum ex vitijs capitalibus. Ita D. Tho. qu. cit. art. 4. & ſumitur ex D. Gregorio lib. 31. moralium cap. 31.

Probatur, quia ex hac tanquam quodam fonte plura alia vitia promanare conſueuerunt; tum quòd ex affectu venereæ delectationis ſoleant homines multa alia peccata committere; tum quod luxuria ſoleat multa alia cauſare tanquam efficiens aut diſponens cauſa ad illa.

Ponit itaque D. Greg. loco cit. octo luxuriæ quaſi filias, videlicet Cœcitatem mentis, Præcipitationem, Inconſiderationem, Incōſtantiam, Amorem ſui, Odium Dei; Affectū præſentis ſæculi; & horrorem futuri. Quomodo autē ex luxuria hæc deriuentur vide pulchrè explicatum apud D. Th. qu. cit. a. 5.

26 Præter illas autem luxuriæ filias quæ interna ſunt, ponuntur ab Iſodoro aliæ quatuor externæ, videl. turpiloquia, ſcurrilia, ludicra, & ſtultiloquia. Turpiloquia quidem quia ex abundantia cordis os loquitur, vt dicit Chriſtus Matt. 12. Cor autē hominis luxurioſi, (id eſt affectus & cogitatio) turpitudine plenū eſt. Scurrilia ſunt verba vel facta parùm honeſta; hæc ex eodem naſcuntur fonte; quemadmodum enim homines fœdi oblectantur turpibus verbis, quibus res venereæ exprimuntur, ita quoque ex alijs gaudent parum honeſtis, ſiue dictis ſiue factis eò tendentibus licet remotiùs aut magis tectè.

Neque tantum his, ſed etiam ludicris ac indifferentibus quæ ad iocos pertinent & nullius ſunt fructus, profuſiùs ſolent delectari. Stultiloquia ſequuntur ex mentis cœcitate: mens enim libidine obſcurata ſolet multa ſtulta & omni ratione carentia vbiuis libenter effutire. Vide D. Thomam loco antè citato.

DVBIVM V.

Quot & quæ ſint luxuriæ ſpecies?

REſpondetur: D. Th. hic q. 154. a. 1. aſſignat has ſex luxuriæ ſpecies, ſcil. fornicationem, adulterium, incœſtum, ſtuprum, raptum, & vitium contra naturam. 27

Deſumpſit autem illas ex Capit. Lex illa: cauſa 26. q. 1. Quibus addi poteſt ſacrilegiū: quod tamen D. Th. refert ad adulterium, eò quod perſonæ ſacræ ſint connubio quodam ſpirituali Deo coniunctæ.

Colligit autem D. Th. prædictum numerum hoc ferè modo: quia inordinatio circa actum generationis, vel ita fit, vt nullo modo inde poſſit ſequi proles: & ita eſt vitium contra naturam: aut ſic fit vt non poſſit cōmoda fieri prolis educatio ad perfectū ſtatum, ſic vt alia ſpecialis inordinatio vel iniuria ſimul non concurrat, & ſic eſt ſimplex fornicatio: vel quia fit cum perſona incongrua; quod accidere poteſt quadrupliciter: Primò, quia cum perſona nimis propinqua, & ſic naſcitur incœſtus: vel quia cum perſona alteri iuncta per matrimoniū aut ſæculare homini, aut ſpirituale Deo: & ſic exurgit adulteriū, vt comprehendit ſub ſe concubitum ſacrilegum: vel quia cum perſona conſtituta ſub poteſtate parentis quæ nondum cognouit virum, & ſic eſt ſtuprum: vel quia cum perſona vi abducta, & reclamante & ſic committitur raptus. Inordinatio autem delectationis venereæ quæ in oſculis, tactibus, aſpectibus impudicis ſita eſt, refertur ad eam ſpeciem ad quam diſponit. Indicat D. Thom. hîc q. 154. a. 1. ad 5. & a. 4. & paſſim Doctores Scholaſtici: vt videre eſt apud Tann. tom. 3. diſp. 3. dub. 6. n. 145. contra à Valentia tom. 3. q. 3. p. 3. qui tenet impudicitiam conſtituere diſtinctam luxuriæ ſpeciem. Vt ſi fiat cum alterius coniuge pertinebit ad adulterium, ſi cum conſanguinea, ad incœſtum; ſi circa ſeipſum aut perſonam eiuſdem ſe[illegible] referetur ad vitium contra naturam; [illegible] de alijs.

Pro

28 Pro pleniori intelligentia harum partium luxuriæ notandum eſt ex Caietano hic qu. 154. art. 1. adulterium, raptum, incœſtum, ſacrilegium, & ſtuprum non eſſe propriè & metaphyſicè loquendo, ſpecies luxuriæ; ſed vulgari tantum loquendi modo, iuxta quem ſolemus generaliter quæuis minùs communia vocare ſpecies, etiamſi tantum ſecundũ accidentia aliqua contrahant communem aliquam naturã: nam circumſtantia illa perſonæ incongruę ſic diuerſimodè contrahens luxuriam, non eſt per ſe contra caſtitatem, ſed contra alias virtutes (licet in ſtupro poſſit dici etiam ſecundum aliquid contra caſtitatem, vt ex ſuprà dictis licet intelligere) vt v.g. in adulterio, Raptu & ſtupro contra iuſtitiam: in Sacrilegio contra religionem: in Incœſtu contra reuerentiam debitam parentibus & ſanguine iunctis.

29 Vnde circumſtantiæ illæ non propriè ſuperaddunt deformitatem in ratione luxurię, ſed in genere alterius vitij; atque ita actus iſti in duplici ſunt generę vitiorum, v.g. Adulterium ratione iniuriæ quæ fit alteri coniugi eſt ſpecies iniuſtitiæ; ratione autem carentiæ vinculi coniugalis inter iſtas perſonas quæ adulterium committunt, eſt ſpecies luxuriæ: & ſic de alijs.

Dicuntur tamen ſpecies luxuriæ potius quàm iniuſtitiæ, aut irreligioſitatis, vel improbitatis in parentes, iuxta D. Thomam: quia luxuriæ ratio in illis actibus prædominatur, & magis formalis eſt, eò quòd ſe habeat per modum finis: adulterium enim cõmittitur, ſimiliter ſacrilegium, vel incœſtus, non directè vt iniuria inferatur coniugi, aut Deo, aut parentibus: ſed propter voluptatem carnalem: hinc quaſi per accidens & materialiter coniungitur iniuſtitia, irreligioſitas aut improbitas in parentes.

Quod ſi quis directè intenderet per adulterium inferre contumeliam marito, vel per ſacrilegium irreuerentiam Deo, tunc certè actus illi dicerentur potius actus iniuſtitiæ, & irreligioſitatis quam luxuriæ.

30 Ex dictis ſequitur maliriã luxuriæ in prænominatis ſpeciebus quæ non ſunt contra naturam, quæque ratione ſuæ differentiæ quaſi ſpecificæ alijs virtutibus opponuntur, ſi præciſè conſideretur illa ſecundum rationem, quâ caſtitati repugnat, eſſe eiuſdem rationis in omnibus, & pertinere ad fornicationẽ; licet ex parte affectus humani diuerſam grauitatem ſortiatur, vt ex D. Tho. qu. cit. a. 1. ad 2. colligitur: quo enim plura quis & grauiora peccata admittere paratus eſt ex affectu venereę voluptatis, eò affectus ille in ſe quoque peior eſt, & maioris malitiæ.

Vnde ſtatuit D. Tho. illas circumſtantias (quamuis ſint contra alias virtutes) non tamen ſe habere omnino per accidens ad luxuriam cui iunguntur.

Dixi, in ſpeciebus luxuriæ quæ non ſunt contra naturam, quia circumſtantia conſtituens vitium hoc contra naturam, addit omnino nouam deformitatem in genere luxuriæ contrariam caſtitati, atque ita peccatum hoc etiam præciſè vt repugnat caſtitati, habet ſpecialem malitiam, & valde grauem.

DVBIVM VI.

Quid ſit fornicatio ſimplex, & an ſit peccatum mortale?

31 RESPONDEO & DICO Primò: Simplex fornicatio propriè eſt naturalis concubitus ſoluti cum ſoluta liberè conſentiente, quæ ſuæ eſt poteſtatis, & inter quos matrimonium ſubſiſtere poteſt.

Excluditur luxuria contra naturam, quia non eſt naturalis concubitus. Excluditur adulterium, quia non eſt ſoluti cum ſoluta. Excluditur raptus quia non fit cum liberè conſentiente. Excluditur ſtuprum, quia hoc fit cum virgine quæ non eſt ſuæ poteſtatis, ſed ſub poteſtate patriâ. Excluditur incœſtus quia cõmittitur inter perſonas inter quas non poteſt conſiſtere matrimonium. Vocatur autem ſimplex fornicatio, quia fornicationis nomen interdum tribuitur etiam adulterio, vt cap. 5. Matth. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam exceptâ fornicationis causâ*, &c. hoc autem, vt iam antè diximus, ſuperaddit aliam malitiam fornicationi nudè acceptæ.

32 DICO Secundò: Simplex fornicatio eſt peccatum mortale. Ita docet D. Thom. hic qu. 154. art. 2. & 5. & Caiet. ibidem, Et eſt fide tenendum contra nonnullos hæreticos. Probatur ex Scripturis: 1. ad Corinth. 6. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt: nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri*, &c. *regnum Dei poſſidebunt*: vbi obſeruandum quod Apoſtolus expreſsè diſtinguat inter fornicarios, & adulteros, ne quis forſitan dicat Scripturam quando fornicationis facit mentionem, tunc nomen illud ſumere pro adulterio. Ad Galat. cap. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia* &c. *Quæ prædicò vobis ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*: ad Epheſ. cap. 5. *Hoc enim ſcitote intelligẽtes quod omnis fornicator, aut immundus* &c. *non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei: nemo vos ſeducat inanibus verbis.*

Probari Secundò poteſt ex omnibus antiquis Patribus & Doctoribus Scholaſticis, qui conſtanter & vnanimiter ita ſemper docuerunt.

Digitized by Google

33 Neque refert quod quidam Iuriſperiti fornicationem ſimplicem vocent coitum legitimum; quia ſolùm per hoc volunt ſignificare copulam illam legibus Ciuilibus non prohiberi & puniri.

Probatur Tertiò ratione; quia vagus ille concubitus ſine vinculo matrimoniali aduerſatur fini humani congreſſus & generationis: ergo inordinatus eſt, & ex naturæ lege illicitus, atque adeò quandoquidem verſetur in re graui, erit peccatum mortiferum. Probatur antecedens, quia finis humanæ generationis eſt proles perfecta, benè educata & inſtructa: quæ impedit vagus concubitus: quia in primis ſæpe poteſt impedire prolis conuenientem ſuſceptionem. Deinde maximè impedit debitam prolis educationem & inſtructionē. Nam ad prolis bonam educationem & inſtructionem, vt euadat in hominem perfectum, requiritur non minus cura paterna, quàm materna: iſta autem ordinariè abeſt, quando vinculum coniugale non intercedit, vt ſatis experientia docet: imò & mater prolem negligere ſolet, quando conſiderat patrem ſibi non adhærere, non iuuare, aut eum poſſe ad placitum ſe relinquere. Vide D. Thom. a.2.

Quare ſicut naturæ auctor Deus ad prolem concipiendam ac generandam conuenientia inſtituit media, ita etiam ipſe ordinauit ab initio oportunum modum ac medium ad prolem educandam, atque ad ſtatū perfectum promouendam, vinculum ſcilicet inſolubile maris & fœminæ, præſuppoſito mutuo vtriuſque conſenſu, quod matrimonium dicitur.

Conſequentia eſt manifeſta, quia voluntariè repugnare ac impedire finem humanarum actionum in re graui, ad quem à Deo ſunt ordinatæ, planè indebitum ac illicitum eſt, vt ex ipſo lumine naturali notum habetur.

34 Ex dictis intelligi poteſt, fornicationem aduerſari in primis dilectioni proximi, ſcilicet ipſius prolis generandæ.

Neque obſtat, quod aliquis forſitan opponet, melius ſcilicet eſſe proli ſic eſſe, quàm non eſſe: quia plus boni debent ſimpliciter parentes proli iuxta naturalis rationis dictamen, ſuppoſito quod velint generationi operam dare, quàm præbere ipſum Eſſe: dictat enim ratio, cauſam non ſatiſfacere officio ſuo, dando eſſe effectui; ſed inſuper ei incumbere ſeu eius eſſe muneris, procurare media oportuna quibus Eſſe illud conuenienter ſuæ naturæ promoueatur, ac conſeruetur quando id poteſt, neque alia cauſa ad hoc per ſe eſt ordinata: quod paſſim obſeruatur in pleriſque etiam animalibus brutis.

Hunc autem ordinem & modum præuaricantur fornicatores; quantum enim eſt ex ratione talis generationis; pruiant prolem hoc bono, videlicet debitæ educationis & inſtructionis ad ſtatum perfectum.

Deinde nō tantū militat contra bonū prolis, ſed etiam contra commune bonū humani generis; quia ſi fornicatio licita foret, paſſim proles negligerentur: vnde non poſſet non ſequi ſumma confuſio, perturbatio, & ignorantia in humano genere. 35

Neque à peccato excuſatur fornicatio ideo, quod aliqui fortaſſis particulariter proli de educatione prouideant medio extraordinario; vt bene aduertit hic Caiet. art. 2. cit. quia hoc per accidens fit, & ſic finis legis vniuerſaliter obtineri non poteſt: neq; enim legi ſatisfacit quis, vel ab eius violatione excuſatur quando illa ob vniuerſalē finem lata eſt, ſi opus non præſtet, quamuis per aliam viam conetur, finem legis aſſequi.

Sed contra dicta obijcitur: Dominus Oſeæ cap. 1. mandat Prophetæ, accipere vxorem fornicariam, & facere filios fornicationum: ergo fornicatio non videtur ſimpliciter illicita.

Reſpondetur primò, cum D. Thoma hic quæſt. 154. art. 2. ad 2. inde vt ſummum ſequi, quod diuinâ diſpenſatione poſſit eſſe licita: non autē ſimpliciter non eſſe illicitam.

Reſpondeo ſecundò, cum alijs Doctoribus, Prophetæ tantūm loco citato præcipi, vt accipiat mulierem fornicariam, id eſt, mulierem quæ multū fuerat dedita fornicationibus in vxorem, & ex ea procreare filios fornicationum, id eſt, qui tales vocari & quaſi tales haberi ſolent, dum ex matre aliàs publicâ fornicariâ generantur: vel filios fornicationum, id eſt, filios qui etiam fornicationibus erunt valde dediti ſicuti mater fuit, vt exponit Ribera in commentarijs loci, & conuenienter textui vt bene oſtendit: quia Dominus ſic voluit iſta fieri ad demonſtrandam idololatricam fornicationem Synagogæ & filiorum Iſraël, qui ab amore & cultu Dei ſui recedentes adhærebant idolis. 36

Notandum autem hic eſt, fornicationem & omnem luxuriam in Chriſtianis peculiarem habere deformitatem ratione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, quibus corpora noſtra ſpecialiter facta ſunt membra Chriſti, & ſignata ſunt Spiritu ſancto, mundata ac empta pretioſo Sanguine Agni immaculati; ac in templum Spiritus ſancti conſecrata, vt Scriptura diuerſis locis teſtatur 1. ad Corinth. cap. 6. *Neſcitis quia corpora veſtra ſunt membra Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* & infrà; *An neſcitis quoniā membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 37

Hinc quemadmodum Chriſtus Dominus ſingulari quodam modo gaudet & complacet ſibi 38

Digitized by Google

cet ſibi non tantum in anima iuſta & ſancta; ſed etiam in corpore noſtro mundo & incontaminato, vt ex Apoſtoli verbis ſatis eſt intelligere; & Eccleſia ſignificat, quando iuxta hiſtoriam de S. Lucia canit, quod iucundum Deo in ſua virginitate habitaculum præparauit; ſic è contra dæmon ſingulariter oblectatur fœda corporum noſtrorum contaminatione ac venereis noſtris voluptatibus, vt ſatis conſtat ex infœlicibus eius mancipijs magis ac ſagis: quos in omni genere luxuriæ, ſolet fœdiſſimè exercere; & potiſſimùm in luxuria contra naturam commaculare: vt ſic in illis deturpet humanam naturam; ac ad beſtialem, imò infrà beſtialem conditionem deprimat, quam nouit tam glorioſè ſupra ſe, ac omnem aliam naturam creatam in Chriſto Domino per hypoſtaticam vnionem cum Verbo eſſe à Deo eleuatam & honoratam. Vnde liuore & odio generis noſtri quaſi tabeſcit.

39 Quæ merito Chriſtianos omnes, & præſertim eos qui peculiariter ſe totos Chriſto dedicarunt, ſuaque corpora conſecrarunt: & quibus viciſſim ipſe quaſi quotidie ſe corporaliter vnit per mundiſſimi corporis ſui ac puriſſimi ſanguinis communicationem in Miſſæ ſacrificio, mouere debent, vt viriliter ac etiam laborioſè in duro carnis prelio ſtudeant membra ſua in omni caſtitate & ſanctitate poſſidere: ne Chriſtum & Spiritum Dei contriſtent: aduerſario autem noſtro diabolo qui tanquam leo rugiens circumit quærens quem ex nobis deuoret, gaudium & exultationem pariant.

Quomodo autem Præſules Eccleſiæ debeant procedere contra concubinarios ſæculares ad fœditatem illam impediendam, vide in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 8. De reformatione, & ſimiliter quomodo etiam contra Eccleſiaſticos, vide ſeſſ. 25. c. 14. De reformatione.

DVBIVM VII.

Quid raptus ſit in hac materia? & quale peccatum?

40 RESPONDEO & DICO Primò: Raptus eſt quando perſona aliqua per corporalem vim, ipſâ vel parentibus eius vel vtriſque contradicentibus ac repugnantibus, carnaliter cognoſcitur, aut ad eum finem per vim aliò abducitur.

Colligitur ex D. Thoma, quæſt. 154. cit. art. 7. & ita explicat cum alijs, Nauarrus, cap. 16. num. 3. & ſequitur Tann. ſuprà dub. 6. n. 147.

Dico quando Perſona aliqua per corporalem &c. quia in primis Raptus non tantum eſt virginum, ſicuti ſtuprum: ſed etiam mulierum prius corruptarum. Deinde non tantum eſt mulierum, ſed etiam maſculorum, ſiue id fiat per mulieres, ſiue per viros.

Addo per vim corporalem, quia ſi liberè conſentiat in libidinem, non erit raptus. Similiter ſi ſua ſponte diſcedat cum amaſio parentibus inſcijs, non cenſebitur quoque raptus: ſed fuga voluntaria. Debet itaque violentia inferri non tantum quaſi metaphorica per preces importunas, ſed verè & propriè dicta: idque vel ipſi perſonæ quæ rapitur, aut ſaltem illis ad quos pertinet cura eius, vt parentibus, tutoribus, marito, aut ſponſo ſi alteri ſit deſponſata. Hoc enim ad raptum ſufficit, etiamſi ipſa perſona conſentiret, vt colligitur ex quæſt. 1. can. 3. & q. 2. ex diuerſis cap. cauſa 36.

Adieci denique; aut ad eum finē abduci- 41
tur, videl. vt carnaliter cognoſcatur per vim: In primis, quia ſi abducatur violentè nō cauſâ libidinis, ſed v.g. redigendi in ſeruitutem, dicitur plagium: quod eſt furtum hominis: non autem raptus. Deinde vt ſignificetur non requiri abſolutè ad hoc vt quis crimen hoc incurrat, quod concubitus ſit re ipſa ſecutus, ſed ſufficere quod in ordine ad talem effectum perſona ſit per vim abducta, vt docet D. Tho. loco cit.

Hic itaque actus ratione intentionis pertinebit ad genus luxuriæ, licet ſecundum ſe adhuc tantum ſit actus iniuſtitiæ: ſicuti raptus completus eſt ſpecies luxuriæ ſecundum finalem ſuum terminum.

DICO Secundò: raptus eſt graue peccatum mortale; non ſolum contra caſtitatem, ſed etiam contra iuſtitiam.

Patet prior pars, quia extra ſtatum matrimonij indebitè exercetur actus generationis, aut exerceri ſaltem intenditur.

Patet poſterior, quia grauis admodum iniuria irrogatur alicui perſonæ quando quis per vim abutitur eius corpore ad libidinem, illudque fedè contaminat.

Vnde iure ciuili raptor plectitur capite, & 42
bona eius per Iudicem addicenda ſunt mulieri raptæ, ſi fuerit ingenua: ſecus ſi ſerua: tunc enim tantum pœna capitis decernitur. Conſtant hæc ex l. vnica C. De raptu virginum: Imò pœnis Eccleſiaſticis puniuntur eodem modo omnes, qui raptori auxilio fuerunt iure Canonico nouo: quia per Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. raptor & omnes auxilium, conſilium & fauorem præbentes ſunt ipſo facto excommunicati, & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint de proprio gradu decidunt, & tenetur raptor mulierem raptam ſiue eam duxerit in vxorem ſiue non, decenter arbitrio Iudicis dotare. Deinde inter raptorem & raptam quamdiu in eius poteſtate manſerit, etiamſi ipſa tum libere in matrimonium conſentiret, non po-

Digitized by Google

teſt iniri contractus matrimonialis. Vnde raptus pro illo tempore inter illas perſonas eſt impedimentum dirimens: vbi tamen à raptore fuerit ſeparata & loco libero conſtituta, poterit illa illi nubere ſi velit.

Notandum autem eſt, prædictas pœnas locum non habere in raptu, quo quis rapit propriam iam ſponſam ex domo parentum, quia in iure non vocatur crimen raptus, eò quod ex deſponſatione nunc aliquid iuris in eam habeat, vt notat D. Thom. loco cit. & reliqui Doctores, licet interim illo facto grauiter peccetur.

DVBIVM VIII.

Quid incœſtus, & quale peccatum?

43 RESPONDEO & DICO Primò: Incœſtus propriè dictus eſt concubitus naturalis cum conſanguinea aut affine intra gradus prohibitos: vt ſunt gradus omnes conſanguinitatis vſque ad quartum incluſiuè: & ſimiliter gradus affinitatis ex matrimonio contractæ: ex fornicatione autem contractæ vſque ad ſecundum gradum tantum, vt conſtat ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 4.

Concubitus verò cum perſona ſibi iuncta per cognationem legalem non eſt incœſtus propriè dictus: tamen poteſt huc reuocari: concubitus autem cum perſona ſibi iuncta per cognationem ſpiritualem intra gradus prohibitos, quæ ſcilicet ex Baptiſmo, vel Confirmatione oritur, videtur potius reuocandus ad ſacrilegium, quàm ad incœſtum. Similiter & cum ſanctimoniali profeſsâ, licet etiam incœſtus dici ſoleat. De gradibus prohibitis ratione conſanguinitatis & affinitatis: item de cognatione legali ac ſpirituali plura videre licebit in 3. Parte tractatu De impedimentis matrimonij dirimentibus.

44 DICO Secundò: Incœſtus præter deformitatem fornicationis includit aliam malitiam grauem ac mortalem.

Probatur ex Scripturis: prohibetur enim in primis Leuiticorum 18. Ne omnis homo ad proximam ſanguinis ſui accedat vt reuelet turpitudinem e us. Deinde 1. ad Cor. 5. grauiter hoc peccatum redarguit Apoſtolus: *Omnino auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorẽ patris ſui aliquis habeat: & vos inflati eſtis, & non magis luctũ habuiſtis vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit*: quibus ſignificat illud peccatum fuiſſe tam enorme, vt meritò tota cõmunitas ratione illius deberet eſſe in luctu ac pœnitentia ad ipſum expiandum.

45 Probatur Secundò ratione: quia eſt contra honorem & reuerentiam in hoc actuum genere debitam conſanguinitati: quam cauſam paſſim indicat lex vetus, dum toties dicit, ne reueles, aut diſcooperias turpitudinem huius aut illius de ſanguine tuo: quandoquidem enim in conſanguineis & affinibus quoddam principium ortus noſtri intueamur, debetur eis certa quędã reuerentia quo ad illa quæ ad actum generandi pertinent, vt ſignificat D. Thom. quæſt. citata ſupra art. 9. Vnde & quibuſdam animantibus ſimilis quidam reuerentiæ reſpectus à natura ingenitus eſt, vt tradit Ariſtoteles, lib. 9. hiſtoriæ animalium cap. 47. vbi refert camelos nec vi adigi poſſe, vt matri commiſceantur: & addit, dum fraude magiſtri pullus quidam matrem contectã, ne agnoſci poſſet, conſcendiſſet, & poſtmodùm detracto tegumento, matrem agnouiſſet, morſu interfeciſſe auctorem. Non abſimile narrat ibidem de equo ſic deluſo.

Altera ratio reddi poteſt, quia per hunc actum copulæ, ex duobus fit vna caro. Vnde natura quęrit illos copulare inter quos prius non erat carnis & ſanguinis coniunctio, & refugit illos qui iam antè ratione conſanguinitatis vel affinitatis quodammodo erant vna caro.

Accedit, quod hoc faciat ad vitandas occaſiones libidinis inter propinquos, dum ſæpius debent ſimul commorari.

Obſeruandum autem eſt, hic longe grauiorem eſſe incœſtum cum conſanguinea, 46
quàm cum affine in eodem gradu: vt cum matre, quam cum nouerca, cum ſorore propria, quàm cum ſorore vxoris: ſimiliter grauiorem incœſtum eſſe cum conſanguinea, vel affine in linea recta, quàm in linea laterali, vt v. g. cum matre, quàm cum ſorore, ac iterum grauiorem eſſe incœſtum cum aliqua in linea laterali in primo gradu, quàm cum aliqua in eadem linea, ſed in gradibus remotioribus; cum primus gradus reputetur iure naturæ prohibitus, non ſic cæteri.

Vnde omnes iſti incœſtus ſpecie dicuntur eſſe diſtincti: quare & hæ circumſtantiæ in confeſſione ſunt explicandæ: neque ſufficit ſimpliciter dicere, quod incœſtum commiſerit.

Ad reliquos autem gradus laterales quod attinet, qui tantum iure poſitiuo prohibiti ſunt, non videntur ſpecie inter ſe differre, ſiue ſint conſanguinitatis, ſiue affinitatis. Sunt tamen incœſtus prout committuntur in 2. vel 3. vel 4. gradu grauiores aut minus graues, ac differentes in malitia ſecundum magis & minus in eadem ſpecie. Nauarrus tamen cap. 16. nu. 13. exiſtimat omnes illos ſpecie differre, atque adeo diſtinctionem illam in confeſſione explicandam.

Digitized by Google

DVBIVM IX.

Quid ſit ſacrilegium in materia luxuriæ? & quale peccatum?

47 RESPONDEO & DICO Primò: Sacrilegium in hac materia eſt violatio rei ſacræ per actū venereum. Sumitur ex D.Th. quæſt.154. art. 10. & ita à Valentia tom.3. quæſt. 3. Tann. & alij. Vbi per rem ſacram intellige ſiue perſonam Deo dicatam per votum caſtitatis, ſiue locum, ſiue aliud quidpiam peculiariter Deo conſecratum.

Violatio autem talis fit, quando agitur aliquid quod ſpecialiter ſanctitati, aut reuerentiæ eiuſmodi rebus debitæ, aut potius ipſi Deo in illis repugnat; ſiue interim illud quod agitur, contrarietur alteri adhuc virtuti, ſiue virtuti religionis ſoli.

In materia autem luxuriæ id contingit quinque potiſſimum modis, vt notant Doctores.

Primò, ſi perſona ſacra interiori actu conſentiat in opus turpe, vel foris exerceat, aut moroſæ delectationi voluntariè inhæreat: quamuis abſque voluntate, externum opus exercendi: violat namque ſanctitatem ſuæ perſonæ quæ in eo ſita eſt, quòd Deo ſpecialiter ſit dedicata voto caſtitatis.

Secundò, ſi perſona non ſacra exerceat aut conſentiat in opus venereum cum perſona ſacra.

Tertiò, ſi vtraque perſona tam vir, quàm mulier ſit ſacra: tunc enim eſt duplex ſacrilegium; ſicuti eſt duplex adulterium, quando vterque eſt matrimonij vinculo alligatus alteri.

Quartò, quando indulgetur venereis deſiderijs aut copulæ carnali in loco ſacro, etiamſi hæc inter coniuges tali loco exerceretur, quando ſaltem fieret abſque neceſſitate.

48 Dixi, etiamſi inter coniuges copula exerceretur in tali loco, quando ſaltem abſque neceſſitate: quia ſi premeret neceſſitas, vt ſi longo tempore continerentur concluſi in loco ſacro, vt aliquando fit tempore belli, vel concuſſionis militaris, & immineret alteri coniugum periculum incontinentiæ non foret peccatum debitum reddere, prout neque ſi ille peteret qui in periculo ſe ſentit verſari. Vt tradit Toletus, lib.5. cap. 12. num.10. Syluest. V. Debitum, quæſt.6. Angelus V. Eodem contra Paludanum. Hoc tamen intellige, ſi non ſit oportunitas alibi in loco non ſacro.

Addo, & immineat periculum incontinentiæ, quia voluptatis causâ, vel etiam prolis causâ, non excuſat à peccato mortali in eiuſmodi loco iuxta Toletum & Syluestrum ſuprà: quamuis Angelus pro ſe allegans Richardum non improbabiliter teneat contrarium, quando diutius tali loco detinentur. Hoc ſaltem ſatis certum apparet quod ipſe reddens non mortaliter peccet, quia neſcit conſtitutionem petentis. Porrò ſub loco ſacro non tantum Eccleſia, ſed etiam Cemiterium benedictum comprehenditur.

Quintò, ſi turpitudo venerea circa rem aliam ſacram, aut cum eius interuentu, vt ſi in lintea conſecrata, vel ſacra vaſa ſemen effundatur: quemadmodum olim hæretici quidam horrendo ſacrilegio fecerunt.

DICO Secundò: Sacrilegium de quo hic agitur, ſi per ſe ſit actus contra caſtitatem, vel aliam virtutem, tum præter malitiam caſtitati, aut alteri virtuti oppoſitam, includit inſuper aliam deformitatem mortalem, videlicet contrariam Religioni: vnde duplicem inuoluit deordinationem mortiferam, vt ſuprà tract. 8. cap. 6. dub. 26. latiùs explicuimus. 49

Si autem non ſit contra aliam virtutem, tum importat ſimplicem malitiam mortalem contra virtutem religionis.

Probatur, quia per violationem rei ſacræ cauſatam actu venereo, ſiue hic ſit talis vt ex ſe illicitus ſit, ſiue vt ex ſe licitus, infertur tamen grauis irreuerentia Deo, cui res illa ſingulariter eſt dicata ac conſecrata. Vnde quando contingit ſimul duas res ſacras violari, etiam incurritur duplex peccatum mortale ſacrilegij, vt quando duæ perſonæ ſacræ carnaliter ſe cognoſcunt, aut inter ſe aliquam turpitudinem exercent: Item quando perſona ſacra cognoſcit perſonam non ſacram in loco ſacro: quare eiuſmodi circumſtantiæ quia multiplicant malitiam mortalem ſunt in confeſſione explicandæ. Si autem in ſe licitus eſſet abſtrahendo à circumſtantijs, vt ſi coniuges extra neceſſitatem ſe cognoſcant in loco ſacro, tunc vnica eſt malitia, ſcilicet ſacrilegij contra virtutem Religionis.

DVBIVM X.

Quod peccatum luxuriæ dicitur eſſe contra naturam? & quotuplex ſit?

DE adulterio & ſtupro hic nihil dicemus: quia quæ ad illa ſpectant vtcumque ſufficienter explicata ſunt ſuprà tract.2. cap.4. dub. 1. Item dub. 3. & 4. ac ſequentibus aliquot. 50

Quod itaque ad præſens Dubiū attinet, RESPONDEO & DICO Primò: Peccatum illud luxuriæ propriè dicitur hic eſſe contra naturam,

Digitized by Google

naturam, quod ſit contra ordinem, quem natura ad exercendam copulam carnalem inſtituit, ſiue contra ordinem quem natura illius actus poſtulat, vt debito modo poſſit concipi proles & naſci. Quo pacto reliquæ ſpecies etſi ſint contra dictamen rectę rationis, non eo tamen modo ſunt contra naturam.

51 Dico Secundò: Rectè aſſignari ſolent quinque veluti ſpecies peccati huius contra naturam modo explicato. Ita tradit D. Th. hic quæſt. 154. art. 11.

Declaratur: quia ad naturam actus generationis, vt inde prólis conceptio ſequi poſſit, requiruntur hæc quinque: Primum, vt ſit coniunctio duorum. Secundum, vt hi duo ſint eiuſdem naturæ ſeu ſpeciei. Tertium, vt ſint diuerſi ſexus. Quartum, vt adhibeantur inſtrumenta & órgana. Quintum, vt exerceatur debito modo. Hinc quandocumque aliquod iſtorũ prætermittitur, perpetratur peccatum luxuriæ contra naturam.

52 Quando itaque quæritur carnalis voluptas extra omnem coniunctionem cum alia perſona, ſcilicet per ſui corruptionem ſolitariam, naſcitur prima illius peccati ſpecies, ſcilicet mollities, vt appellatur 1. ad Corint. cap. 6. ſiue pollutio.

Quando quæritur in coniunctione quidem ſed cum ſuppoſito alterius naturæ, v.g. cum bruto, vel dæmone, oritur ſecunda ſpecies, quæ non habet ſibi nomen adæquatum, ſed prior pars dici ſolet beſtialitas.

Quando quæritur in coniunctione cum perſona eiuſdem quidem naturæ, ſed non diuerſi ſexus, vt maris cum mare, fæminæ cum fęmina, tunc conſtituitur tertia ſpecies: & dicitur propriiſſimè peccatum ſodomiticum: de quo ſcribit Apoſtolus ad Rom. c. 1. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ: nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam: ſimiliter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculini in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit, in ſemetipſis recipientes.* Et de his in fine capitis ſcribit: *Quoniam in talia agunt, digni ſunt morte.*

Quando autem quæritur eiuſmodi voluptas cum perſona eiuſdem ſpeciei & diuerſi ſexus: ſed non in vaſe congruo exurgit quarta ſpecies, quæ etiam ſodomiæ nomine ſolet appellari.

53 Denique dum quæritur in coniunctione maris & fæminæ naturali modo quidem quo ad cętera: ſed congreſſus fit modo quodam inordinato, per quem contingit impediri generationem, tunc exurgit quinta ſpecies quæ peculiare nomen non habet: v. g. Si in congreſſu nõ ſeruent naturalem ſitum, ſed mulier ſupergrediatur: vel præter ordinem procumbat ipſa prona, quamuis maritus in vaſe naturali conetur eam cognoſcere: ex eiuſmodi enim cõgreſſibus vix ſequi poteſt conceptio: quia genitura non recipitur, vel non attrahitur debitè ad matricem: ſi tamen in eiuſmodi aliquo modo, non eſſet tanta deordinatio quin poſſet ſequi generatio, neque adeſſet morale periculum effuſionis genituræ extra vas debitum, non foret per ſe peccatum mortiferum illo vti: nec diceretur propriè peccatum contra naturam: ſed potius præter naturám vt plerique Doctores ſentiunt.

Imò ſi ratione conſtitutionis corporum non poſſent coniuges ſeruare vſitatum modum, non peccabunt vtendo altero ſi prædictum periculum abſit: quia tunc modus iſte erit his perſonis congruus, vt tradit Caiet. quæſt. 154. art. 11. ex communi ſententia, inquit Tann. tom. 3. diſp. 3. qu. 3. dub. 6. n. 150.

Petes, vtrùm ſi maritus velit indebito modo cognoſcere vxorem an poſſit conſentire? Reſpondetur nullo modo poſſe conſentire, vt cognoſcatur extra vas ſeu organum naturale, quin potiùs etiam debeat mortem ſubire: ſimiliter neque vt in organo naturali cognoſcat modo indebito, quando ſubeſt morale periculum impediendæ conceptionis, aut effuſionis genituræ: quando verò tale periculum non ſubeſt, excuſabitur à mortali culpa: non tamen videtur excuſanda à veniali, ſi non aliqua iuſta cauſa ſubſit. 54

Quamuis itaque Confeſſarius debeat pœnitentes grauiter monere ac hortari, vt ab illis abſtineant modis inordinatis, & modis naturalibus ſeſe cognoſcant, tamen ſi affirmarent conceptionem non impediri, non deberet recuſare abſolutionem, etiamſi non viderentur prompti ad abſtinendum ab illis, quia vt diximus, non eſt tunc peccatum mortiferũ, quamuis graue veniale. Sumitur ex D. Antonino 2. parte titulo 1. cap. 2. §. 3. Angelo V. Debitum n. 24. Nauarro cap. 16. n. 41. & alijs.

Cæterùm debet ſe Confeſſarius in huiuſmodi materia prudenter gerere, vt curioſiùs nihil interroget de talibus, niſi pœnitentes dent aliquam occaſionem inquirendi, & tum paucis & pudicis verbis, quantum fieri poteſt expediat & tranſeat: & mox ab omni eiuſmodi deordinatione dehortetur, & ad pœnitentiam ac ſerium propoſitum emendationis commouere ſtudeat.

DVBIVM XI.

Quale peccatum ſit luxuria contra naturam?

Respondeo & Dico Primò: Omnes quinque ſpecies enumeratę ſunt grauia 55

peccata

peccata mortalia. Eſt communis doctrina.

De prima ſpecie probatur ex Scripturis: 1. ad Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarij* &c. *Neque molles regnum Dei poſſidebunt*: vbi per *molles* paſſim intelligunt Doctores eos, qui ſemetipſos extra coniunctionē corrumpunt & contaminant: vnde & hoc peccatum ſolent vocare Mollitiem 2. ad Corinth. c. 12. ad Galatas c. 5. & ſimiliter ad Epheſios c. 5. damnatur omnis immunditia & impudicitia: quibus nominibus ſignificantur omnes libidines, vt D. Hieronymo notat: inter quas hanc munerari conſtat.

Probatur ſecundò ratione: quia hic actus ſeminationis eſt contra primarium finem eius, videlicet cōtra generationem ad quam à natura eſt inſtitutus & ordinatus, vt ſpecies conſeruetur. Vnde grauem inordinationem continet, & quidem multò grauiorem, quam ſimplex fornicatio, quæ inter omnes ſpecies luxuriæ eſt leuiſſima, vt docet D. Th. quæſt. 154. art. 12. & DD. communiter. vtpote quæ per ſe fit tantùm contra bonam prolis educationem, non contra generationem: quam nihilominùs ſuprà oſtendimus eſſe peccatum mortiferum.

Quare neque ſanitatis, neque tentationis mitigandæ prætextu, licitum eſt eiuſmodi actum exercere: neque enim hoc erit mitigare tentationem, ſed turpiter cedere & ſuccumbere. Vnde alia remedia opportuna ſunt adhibenda: vt feruentes orationes ad Chriſtum Dominum; ieiunia; vigiliæ quibus & mitigantur, & glorioſè vincuntur eiuſmodi tentationes. Similiter ad tuendam ſanitatem multo opportunius remedium eſt ſobrietas, ne tribuatur corpori ſuperfluum, quod valetudini poſſit obeſſe. Vide terribilia exempla & punitiones huius peccati apud Thomam Campritanum, lib. 2. De apibus, cap. 3. vbi inter alia etiam notat ex Ariſtotele, libro De animalibus, quod nullum animal eijciat ſemen, niſi homo: qui proinde in hoc ordinationi auctoris naturæ contrarius eſt pluſquàm pecus.

Porrò vt peccatum hoc ſit mortale requiruntur, ſicuti & ad alia, quod ſit planè voluntarium: idque vel in ſe vt quando actus iſte eſt directè volitus & procuratus, vel in ſua cauſa, vt quando præuidetur ex aliqua cauſa ſecuturus, quam tenemur etiam hoc nomine vitare, & tamen non vitamus, vt quando ex moroſa delectatione, quando ex voluntaria turpi imaginatione ſequitur, licet non hâc expreſſâ intentione quis iſtis inhæſerit. Similiter quando ex aſpectu turpi, aut inhoneſtarum partium, ſi fiat abſque neceſſitate vel iuſtâ causâ.

Quod addo, quia contingere poteſt, v. g.
56 quod chirurgus debeat videre denudatam perſonam etiam diuerſi ſexus circa partes ſecretiores, vt poſſit illam curare: quo caſu Licet rebellio carnis exurgat etiam vſque ad ſeminis reſolutionem; non cenſebitur ipſi voluntaria, modò voluntate reluctetur nec conſentiat, ſed magis deteſtetur & doleat de naturæ corruptæ infirmitate. Eadem eſt ratio de illis qui ex charitate aut neceſſitate ſeruiunt ægrotis in illis exuendis, veſtiendis, mundandis, vnde contingat carnis motus concitari, & contra voluntatem ſequi contaminationem. Similiter dicendum de Paſtore, aut confeſſarijs, quando confeſſiones audiunt, vel caſus conſcientiæ legunt: non enim tenetur quis ab eiuſmodi operibus abſtinere propter eiuſmodi inuoluntariam paſſionem modo prudenter credat, quòd volūtas non trahetur in conſenſum. Ita Nauarrus, cap. 16. num. 7. vbi citat D. Antoninum Turrecremata, Caiet. & alios DD. communiter. Si verò eſſet morale periculum talis conſenſus obligaretur planè ab illis abſtinere, & officium potius deponere; quia nullo modo propter quodcumque bonum licet committere peccatum, nec ſe illius committendi periculo morali exponere. Cæterùm, quibus eiuſmodi operibus incumbit ex officio vacare, debent merito peculiariter per orationes, ſingularem ſobrietatem, & dominicæ paſſionis attentam meditationem, & per alia pia exercitia ſe præmunire contra eiuſmodi carnis rebellionem, vt ex illis adhibitis reddantur minùs obnoxij concupiſcentiæ motibus: & poſſint eſſe ſecuriores de ſua contraria voluntate ac diſplicentia, ſi nihilominùs contingat oboriri.

Sed diſputatur, an liceat aliquando deſiderare, vt ſibi vel alteri ſeminis reſolutio obueniat, aut gaudere, quod obuenerit.

Reſpondetur Primò: nullo modo licitum
eſt, aliquid facere ad eum finem vt ſibi vel 57
alteri obueniat, vnde nec Medicus poteſt quidquam præſcribere infirmo ad eum finem; neque vlli ſuadere. Nec poteſt illam quis ſic deſiderare, vt ex vi illius deſiderij diſponatur aut concitetur aliquomodo ad eiuſmodi ſeminis reſolutionem. Ita tenent Doctores omnes.

Reſpondetur Secundò: nullo quoque modo eſt licitum illam deſiderare cauſa voluptatis, ne quidem ſimplici deſiderio, quod ſcilicet neque ſenſualem voluptatem in præſenti parit, neque incitat aut diſponit ad eam poſtea pariendam: ita enim hoc Doctores intelligunt, quando vnanimiter docent, vt refert Leſſius lib. 4. cap. 3. dub. 14. conſenſum in eiuſmodi voluptatem perceptam, aut percipiendam ex pollutione in ſomnis, eſſe peccatum mortale.

Reſpondetur Tertiò: multi Doctores
exiſtimant, illicitum non eſſe deſiderare vt 58
ſibi dormienti per ſolam viam naturalem, naturæ ſcilicet ſolius operatione & nullam ad id cauſam præbendo, propter aliquem bonum

bonum effectum cum illa coniunctum; vt v. g. cauſa leuaminis naturæ, tranquillitatis carnis, vel ob ſimilem finem: non autem cauſa delectationis. Ita Leſſius ſup. nu. 105. Nauar. ſuprà cap. 16. nu. 7. qui pro eodem etiam citat D. Antoninum, Syluestrum & Caiet. Ita quoque docent Toletus lib. 5. cap. 13. Angelus V. Pollutio n. 2. & alij nonnulli. Simili modo volunt ijdem Doctores, & cum illis Tann. tom. 2. diſp. 4. q. 8. dub. 7. n. 142. & Vaſquez 2. 2. diſp. 115. cap. 2. licitum eſſe de illa gaudere ſimplici affectu ratione boni effectus coniuncti.

59 Reſpondetur quartò, tutius eſſe ac verius omnino videri contrarium, videlicet, nequidem tertio iſto modo licitum eſſe illam deſiderare, aut de illa, ſi obuenerit, gaudere: quamuis benè ſit licitum gaudere de effectu bono ſecuto, & illum effectum deſiderare, ſed non per talem cauſam, neque quatenus per talem cauſam euenerit. Ita docent Dom. Soto in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7. Lopez 1. parte cap. 64. qui citat Corduba ibidem, & Adrianum in 4. tractatu de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 4. & alij nonnulli.

Probatur primò, quia quando actus externus ſecundum ſe malus eſt, & ita fit aut euenit, vt à culpa formali excuſetur tantùm ratione ſomnij, furiæ, ignorantiæ, vel propter alium defectũ voluntarij, tunc licitum non eſt, vel antè, vel poſtea in illum liberè conſentire: quia cum hoc opus ſit obiectiuè malum, traheret inde liber conſenſus formalem malitiã, vt v. g. ſi quis in furia tyrannum, ſiue hominem reipublicæ noxium occideret abſque legitima auctoritate, non apparet quod liceret ei ſi ad mentem redieret, gaudere, aut ſibi complacere in illo ſuo facto præterito, ne quidem propter bonum inde ſecutum, quamuis Leſſius id videatur admittere: dum loco citato nu. 105. circa medium ita ſcribit: Sicut gaudemus non ſolùm de tranquillitate publica, ſed etiam de morte illius qui eam turbabat, & de facto illius qui eam intulit, ſi innocenter fecit. Verùm contra facit, quod tunc conformiter oportebit admittere, quòd liceat illi quoque deſiderare, vt in furia ſiue amentia aliquando occidat tyrannum, & alijs liceat deſiderare, vt amens occidat, propter bonum inde ſequuturũ: quia licitè gaudere de facto aliquo, & licitè deſiderare factum illud in genere moris ſunt eiuſdem rationis, vt habet Leſſ. loco & n. 105. cit. §. Dico quartò: quæ tamen vtrùm ipſe, vel alius quiſpiam admitteret, neſcio: non auderem approbare: quamuis enim factum illud reſpectu committentis excuſetur à culpa, quia caret vſu rationis, non apparet tamẽ quomodo conſenſus tuus in factum, qui liber eſt, excuſetur: poſſet interim gaudere de bono Reipublicæ inde ſecuto.

Dices. Licebit illi, ſicut & alijs, gaudere nõ tantum de bono Reipub. ſed etiam de morte Tyranni occiſi; ergo & de occiſione. Reſpondetur Negando Conſequentiam, quia mors Tyranni, vel cuiuſuis alterius, ſecundũ ſe non eſt obiectiuè mala, ſicuti occiſio perpetrata ſine legitima auctoritate. Vnde eſt diuerſa ratio obiecti gaudij vtriuſque, & ſic vnum poteſt eſſe licitum, & alterũ illicitum: Et quidẽ quod ordinariè gaudium de morte alterius ſit malum & illicitum inde fit: quod ſit de malo proximi quod malum eius ordinariè, nec poſſimus deſiderare, nec de eo gaudere: Occurrit autem caſus, quo poſſimus illud deſiderare certâ ratione & modo, v. g. vt publico latroni & graſſatori viarum infligatur mors per actum iuſtitiæ tanquam iuſta pœna. Deinde quando ab amente occiſus eſſet, etſi nõ poſſimus gaudere de morte eius, quatenus malũ eius, tamen quia ipſũ mortuũ eſſe ſeu mori ex ſe quid indifferens eſt, poſſumus de eo gaudere quatenus eſt ſublatio cauſæ nocentis Reipub. non tamen de ipſa occiſione actiua ſine publica auctoritate facta. 60

Vnde non ſolum non licet liberè conſentire in tale aut ſimile factum per ſe & abſolutè conſideratum, ſed neque propter bonum illud quod comitatur aut conſecutum eſt, quia nulla apparet ratio quare illud bonum coniunctum poſſit magis detergere formalem malitiam à meo libero conſenſu in tale opus, quàm poſſit ab ipſa executione operis, quando hæc liberè fieret præcisè propter idem bonum: niſi fortaſſis aliqui velint dicere quod conſenſus iſte non ſit tam in ipſum opus, quam in effectum operis: prout Adrian. hoc videtur intelligere: hoc autem ſi dicant iam à nobis parum in re diſcrepant, vnde fortaſſis accidit quod Adrian. pro vtraque parte à diuerſis citetur: modus tamẽ loquendi videtur minus tutus, Verumtamen alij aliquid amplius videntur velle, ſcilicet illud quod potiſſimùm intendimus refellere.

Probatur ſecundò: quia opus ipſum non eſt illicitum, quia delectatio eſt illicita; ſed contra, delectatio eſt illicita, quia opus eſt illicitum, vt rectè notat Caiet. hic qu. 154. art. 1. poſt medium: ergò ſi non licet ſimplici affectu deſiderare illam delectationem, aut ſimplici affectu de illa gaudere vt videntur omnes docere, non licebit quoque ſimplici affectu deſiderare ipſum actum, vel de illo gaudere ex quo delectatio illa naſcitur. 61

Poterit tamen deſiderari ipſe bonus effectus, & de illo quoque haberi gaudium vel abſolutè ſecundum ſe vt in ſe bonus & conueniens eſt, nõ reſpiciendo aliquam cauſam, vel vt haberi poteſt per cauſas alias, vel per alia media: ex his itaq; dictis ſatis conſtat de malitia primę ſpeciei luxurię contra naturã.

Probatur

62 Probatur ſimiliter vlterius etiam quoad reliquas ſpecies: De tertiâ & quartâ habentur multa Leuitic. c. 18. & 20. vbi conſtituitur illis pœna mortis: & ad Rom. c. 1. Apoſtolus valdè exaggerat hoc peccatum: ac docet Deum permiſiſſe Gentilium ſapientes in tantas fœditates contra naturam labi, in pœnam ſuæ idololatriæ: quia, cum Deum cognouiſſent, non illum tanquam Deum glorificauerint.

Vnde Doctor quidam notat homines nõ ſolere à Deo ſic derelinqui, vt in tam abominabilia crimina incidant, niſi prius per perfidiam cœperint à Deo apoſtatare, vt ita ſentiant, ſicque viuant quaſi non ſit Deus, ad Galatas c. 5. *Opera carnis* (inquit Apoſtolus) *ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. *quæ prædico vobis ſicut prædixi: quoniã qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Similia habet 1. ad Corinth. 6. vbi etiam expreſsè maſculorum concubitores à regno Dei excludit.

Probatur ſecundò ex vindictâ, quâ Deus ôlim hæc peccata proſecutus eſt: vt igne ſulfureo in Pentapolin immiſſo, & oppidis cũ omnibus ſuis habitatoribus in momento deletis, Geneſ. c. 19. Hinc apud Chriſtianos receptũ eſt, vt crimen hoc flammis expietur.

Præterea qui huic vitio obnoxius eſt, redditur ipſo iure infamis, Capit. Infames cauſa 3. quæſt. 7. & ſi Clericus Sodomita fuerit, iure veteri deponitur, ac in Monaſterium detruditur, Capitulo Clerici, De exceſſibus Prælatorum.

63 Et per Conſtitutionem Pij V. ſi Clericus eiuſmodi nefas exercens fuerit, omni priuilegio clericali, officio, beneficio priuatus degradatur, & brachio traditur ſæculari. Ita videre eſt apud Nauarrum c. 27. n. 242. qui tamen notat numero proximè ſequenti, quod non cenſeatur exercens tale nefas, ſi forſitan ſemel inciderit: ſed qui quaſi ex vſu continuato illud ſcelus committit.

Denique Sodomita notorius eſt irregularis; vtrùm verò occultus quoque diſputatur: communior opinio habet illum irregularem non eſſe. Vide Nauarrum loco cit.

Conſtat itaque ex Scripturis ac pœnis immiſſis, & conſtitutis in huiuſmodi luxurias, grauiſſimam earum eſſe malitiam.

Neque minor eſt, imò & excedit malitia ſecundæ ſpeciei, quæ complectitur congreſſum cum bruto, & concubitũ cum dæmone, quia ſecundùm vtramq; partem eſt grauior, & magis contra naturam, quàm ſint præcedentes: cum diuerſitas ſpeciei in natura magis repugnet eiuſmodi congreſſui. Vnde Leuiticorum c. 18. & 20. expreſsè prohibetur congreſſus cum bruto ſub pœna mortis: & in deteſtationem criminis iubetur brutum interfici: quod etiam nunc apud Chriſtianos vſu receptum eſt.

De quinta ſpecie ſimiliter conſtat, quòd culpam lethalem contineat, quandoquidem per illam non minus impediatur actus generationis, quàm per ſeminis ſolitariam effuſionem.

Poſſunt autem prædictis luxurijs, etiam aliæ deformitates coniungi: vt ſi perſona ſacra ſeipſam corrumpat ſine concubitu, vel cognoſcatur contra naturã, obtinebit actus ille non tantùm malitiam peccati contra naturam, ſed etiam ſacrilegij. Ita quoque ſi quis cognoſcat conſanguineam, vel vxorem alterius extra vas debitũ, incurrit ſimul peccatum inceſtus, aut adulterij: & ſic in alijs.

DVBIVM XII.

Vtrùm in oſculis, tactibus, aſpectibus ſit peccatum & quale?

OBſeruandum eſt, oſculum triplici potiſſimùm fine ſolitum adhiberi: primò in ſignum amicitiæ. Secundò cauſâ delectationis concubitus, ad quem tendit. Tertiò cauſa delectationis ipſius oſculi, præcisè ſecundum ſe conſiderati. Idem dicendum de alio contactu alicuius partis honeſtæ, vt manus, aut vultus. 63

Similiter & aſpectus tripliciter fieri poteſt: primò communi modo, quatenus neceſſarius eſt ad humanam conuerſationem, ad honeſtam vrbanitatem, ad notitiã perſonæ conſequendam; ad honeſtè & caſtè illam amandam. Secundò, cauſâ voluptatis concubitus. Tertiò, cauſâ delectationis quę oritur ex intuitu perſonæ, abſque omni vlteriori inhoneſto motu, vel deſiderio.

Ita etiã contactus partis verecundæ poteſt fieri tribus modis: Primò ob aliquã neceſſitatẽ. Secundò, cauſâ voluptatis concubitus. Tertiò, cauſâ voluptatis, quæ ex ipſo contactu per ſe ſpectato naſcitur. His præmiſſis

RESPONDEO & DICO Primò: Oſculum cauſa amicitiæ ſecundum morem patriæ per ſe licitum eſt: ſimiliter ſi quæ inde delectatio ex nudo oſculo naſcatur, non erit illicita. Ita communiter tenent Doctores, & conſtat ex Scripturis, vt Actorum, c. 20. & ex alijs pluribus locis, atque ex ipſo vſu generis humani nunquam improbato. Ratio reddi poteſt, quia hoc nihil eſt aliud quàm teſtari ſigno externo beneuolentiam & vnionem animorum fundatam in coniunctione ſanguinis, vel alicuius eiuſdem profeſſionis aut ſocietatis; eſt enim oſculum veluti ſymbolum talis vnionis: vnde & delectatio inde conſequens licita eſt. Quando enim actio eſt honeſta & licita, tunc ſi quæ delectatio per ſe coniuncta ſit, eſt & ipſa licita: quamuis actio vt ordinatè fiat, non debeat propter ipſam delectationem fieri, ſed propter finem, ad quem ordinata eſt. Quemadmodum etiam licitum eſt delectari amicitiâ & coniunctione ſanguinis vel eiuſdem pro- 64

dem profeſſionis autem alterius ſocietatis, vnde amicitia orta eſt, ac etiam ex præſentia amici. Hinc Nauarrus cap. 16. nu. 9. à peccato excuſat oſcula & amplexus eorum, qui oſculantur & amplectuntur pueros, cognatos vel cognatas, quando honeſtè id faciunt, prout plerique, inquit, ſolent: tamen ſeruandum hic ſemper decorum, & cauendum ſcandalum. Neque decet Eccleſiaſticos & maximè Religioſos, eiuſmodi modis teſtari affectum amicitiæ aut beneuolentiæ erga fæminas, etiamſi aliquomodo ſanguine iungantur, vel erga pueros, quando aliquid periculi aut ſcandali naſci inde poteſt. Semper enim cauendum eſt, ne carnalis delectatio vel aliqua inordinata corporis commotio ſe cum his immiſceat, nobis conſentientibus aut non repugnantibus.

65 Dico Secundò: Oſcula ſi fiant cauſa delectationis concubitus extra matrimonium, ſunt peccata mortifera, & ſpectant ad illius actus ſpeciem, cuius ſunt præambula aut ſigna. Sumitur ex Diuo Thoma hîc quæſt. 154. art. 4. & communiter tenetur ab omnibus. Eadem eſt ratio de affectibus, alloquijs, amplexibus cauſâ talis delectationis adhibitis, iuxta illud Chriſti Matth. c. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quod ſi ita de viſu ſit, multo magis erit de oſculis & amplexibus. Deinde probatur ratione Diui Thomæ: quia conſenſus non tantum in actum fornicationis, ſed etiam in delectationem fornicationis, eſt peccatum mortale, & ideo, inquit, cum oſcula & amplexus propter huiuſmodi delectationem fiant, conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia, & ſic ſolùm dicuntur, vt ait, libidinoſa: vnde ſecundùm quod ſunt libidinoſa, ſunt peccata mortalia. Quando itaque ea de cauſa admittitur aliquid iſtorum cum perſona coniugata, pertinebit actus iſte ad ſpeciem adulterij; quando cum conſanguinea, ad ſpeciem incœſtus; quando cum Moniali, ad ſpeciem ſacrilegij; quando cum perſona eiuſdem ſexus, ad ſpeciem ſodomiæ.

66 Dico Tertiò: Oſculum quando fit tantum, quatenus ipſum per ſe eſt actus delectabilis abſque vlterioris voluptatis intentione, quam quæ præcisè ex mutuo corporum contactu naſcitur, & abſque omni inordinata corporis commotione, quâ ſpiritus ad ſeminationem diſponantur, non videtur eſſe peccatum mortiferum.

Eadem eſt ratio de contactu alterius honeſtæ partis corporis, vt manus aut vultus. Indicat hanc ſententiam Nauarrus De pœnitentia diſt. 1. Capitulo Si cui, num. 21. & ſequentibus. Neque aliud videtur docere in Enchiridio cap. 16. num. 10. ſi attentè legatur, præſertim in illo §. Dixi ad fruendum carnali delectatione, & quamuis aliqui aliter exiſtiment. Docet autem hanc ſententiam ex profeſſo Martinus de Magiſtris apud Caietanum, quæſt. citata, art. 4. vbi & oſtendere nititur, hanc opinionem non aduerſari doctrinæ Diui Thomæ, idque ſatis probabiliter, vt ex eius probatione & rationibus videtur poſſe colligi, licet aliter ſentiat Caiet. Tenet eandem opinionem expreſsè Coluenerius in ſuis Annotationibus ad duos libros Thomæ Cantipratani De apibus, in Annotatione ad iſta verba, Abſit itaque ab vlla Chriſtiana mente &c. quæ habentur libro 2. cap. 3. puncto 5. Sequuntur & quidam alij recentiores.

Probatur autem, quia in alijs peccatorum generibus dantur non tantum peccata grauia, ſed etiam leuiora ac venialia ratione paruitatis materię, quamuis deliberatè fiant, vt patet in furto, in detractione, in impatientia, in gula, & ſimilibus; ergo videtur etiam in peccatis luxuriæ poſſe eſſe aliquod paruum peccatum ac veniale ratione paruitatis materiæ, quamuis deliberatè fiat: neque enim videtur conueniens poſſe dari ratio, quare id eſſet tam peculiare in hoc genere peccati non admittere vllum veniale ratione paruitatis materiæ, præſertim cum in hac materia ſint diuerſi gradus tum actuũ tum voluptatum. Quandoquidem igitur oſculum præcisè conſideratum & delectatio ſenſibilis inde exurgens, quamuis videantur aliquo modo tendere in actum concubitus, longè tamen abſint ac diſtent à concubitu & voluptate, hinc conſequenter apparet omnino, quod de oſculo ſic exhibito præcisè propter hanc delectationem abſque omni alio libidinoſo affectu & corporis commotione, dicendum ſit eſſe tantum peccatum veniale, propter materiæ paruitatem. Confirmatur, quia ex communi ſententia non eſt peccatum, conſentire in illam delectationem, quando exhibetur amicitiæ aut vrbanitatis cauſa; ergo non erit peccatum mortale, in illam conſentire, quando oſculum præcisè propter illam adhibetur.

Dicet aliquis: Oſculum & delectatio inde 67
conſequens natura ſua videntur tendere ac diſponere ad concubitum eiuſque voluptatem; ergo qui in illa conſentit, videtur velle ac conſentire in concubitum.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia etſi poſſunt dici ſuo modo eò tendere, tamen nõ niſi remotè diſponunt, quando alius affectus libidinoſus non eſt: & delectatio hæc longè inferior eſt & alterius rationis, quam voluptas concubitus. Quare non idcirco in concubitum eiuſque voluptatem cenſeri debet conſentire, eo quod hæc velit, cum poſſit expreſsè nolle ac repudiare vlteriorem delectationem aut corporis alterationem. Neque dicendus erit interpretatiuè velle aut conſentire, quandoquidem voluptas concubitus aut

tus aut

Digitized by Google

tus aut ſeminationis non neceſſario, neque vt plurimùm coniungatur. Declaratur à ſimili, quia qui conſentit in litigium, non idcirco cenſetur conſentire in homicidium: ſimiliter qui conſentit in potum aliquomodo largioré quàm natura poſtulat, non ideo conſentit in ebrietatem. Deinde confirmatur id ipſum, quia oſcula & contactus manuum, cauſa huius delectationis paſſim conceduntur ſponſis de futuro tanquam licita eis, ſic vt non peccent venialiter, iuxta Nauar. c,16. n.12. Toletum lib.5. c.14. quamuis Caiet. loco ſupra cit. inſinuet eos peccare venialiter: atqui ſi is qui exercet aut cõſentit in eiuſmodi oſcula, cauſâ illius delectationis cenſeretur conſentire in concubitũ aut eius voluptatem de præſenti, non poſſent iſta eſſe licita ſponſis de futuro, quandoquidem non poſſint adhuc licitè conſentire in copulam de pręſenti exercendam, eiuſve voluptatem; vnde nec in præſentem aliquam alterationem aut commotionem corporis, tendentem ad concubitum aut ſeminationem eiuſque delectationem: quod bene obſeruandum eſt. Conſultiſſimum itaque atque tutiſſimum eſt, vt eiuſmodi omnia quam maximè vitentur, tum quia periculum ſæpiùs eſt vlterioris conſenſus vel moroſæ delectationis, aut inordinatæ corporis commotionis ratione particularis temporamenti aut diſpoſitionis corporis: maximè quando diutius iſtis inhæretur. Deinde, quia vt monet Thomas Cantipratanus ſupra, licet quis eſſet ſecurus de ſe, quod non commouebitur aliâ libidine, non eſt tamen ſecurus de altera perſona quam contrectat, cui forſitan erit cauſa ruinæ.

68 Dico Quartò: Quod in tertia iam Concluſione diximus de oſculis, multo magis locum habet in aſpectibus & colloquijs, quę fiunt propter delectationem hanc ſolam, quæ oritur ex intuitu pulchræ perſonæ, vel ex eius geſtibus aut grato alloquio, quando nulla alia voluptas intenditur, aut ſeſe immiſcet. Patet, quia hæ delectationes magis videntur ſpirituales magiſque à carnibus abſtractæ, quam quæ ex oſculis aut contactibus etiam partis honeſtæ per ſe oboriuntur, ac minus ſolent corpus commouere aut alterare ad libidinem quam oſcula aut alij cõtactus. Vnde Caiet. quamuis in his velit eſſe peccatum mortiferum, non ita tamen in iſtis vt ex illo notat Nauarrus loco ſupra citato. Cæterum, quia humana fragilitas magna eſt, & homo facilè commouetur ad deteriora, hinc diligenter ab omnibus huiuſmodi actibus abſtinendum eſt, non tantum quia peccata venialia ſunt ad minus, ſed etiam quia periculoſi eſſe ſolent in multis ac ducere ad culpam mortalem.

69 Petes, Sitne in turpiloquio peccatum mortiferum. Reſpondetur, ſi fiat animo ſe oblectandi rebus narratis, & imaginationi obiectis tanquam præſentibus; vel animo ſe, vel alios excitandi ad turpia, aut cum morali periculo in illa conſentiendi, erit peccatum mortale: ſi autem fiat præciſè ob aliquam recreationem, quæ capitur ex ipſa narratione, nihil vlterius intendendo, neque affectũ aut commotionem libidinoſam admittendo, erit peccatum tantum veniale. Sic docet Toletus, lib.5. cap.14. Ratio eſt, quia videtur tantùm delectatio remota ſatis à voluptate concubitus, proueniens ex confuſa apprehenſione ac cognitione rerum narratarum abſentium, & non niſi forſitan remotè ad turpes actus diſponit. Caſtus tamen animus nunquam ſciens & volens eiuſmodi narratione oblectabitur.

Dico Quintò: Contactus partis vere- 70
cundæ, quæ fit cauſa medendi vel ob aliquã aliam neceſſitatem, nullum eſt peccatum. Ita communiter tenent Doctores: talis enim contactus eſt moraliter honeſtus, quia rectæ rationi conſentaneus. Neque refert, etiamſi interea aliquis motus aut voluptas ſuboriatur homine inuito ſeu repugnante, quia id voluntarium non eſt; ſupponimus enim voluntatem in hoc non conſentirę, quemadmodũ diximus Dubio pręcedente, quando ſimiles motus ſuboriuntur ex alijs operibus ad officium noſtrum ſpectantibus.

Dico Sextò: Quando contactus partis 71
verecundæ fit cauſa voluptatis tendentis ad concubitum, eſt peccatum mortiferum in non coniugatis, etiamſi deſit intentio exercendi vlteriorem turpitudinem. Ita quoque communiter ſentiunt Doctores: quod etiam intelligunt de contactu illarum partium, qui fit cauſa delectationis carnalis, quæ præciſe ex illo ipſo contactu oritur, quando cum plena aduertentia fit.

Probari autem poteſt, primò ex Scripturis, ad Galatas cap. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis*, inquit Apoſtolus, *quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. vbi ponitur impudicitia inter peccata, quæ excludunt à regno Dei: impudicitia autem propriè conſiſtit in turpibus contactibus. Idem indicant Sancti PP. vt D. Cyprianus epiſt. 62. ad Pomponiũ & D. Baſilius lib. 2. De vera virginitate. Deinde probatur ratione, quia eiuſmodi contactus ſolent tendere ad ſeminis reſolutionem; atqui hanc velle aut intendere extra copulam matrimonialem, eſt peccatum mortale. Accedit, quod per ſe & quaſi proximè hic contactus ad illam diſponat, quæ & ex illis ſubſequi ſolet: vnde qui talibus contactibus indulget, cenſetur velle quod natum eſt ex illis conſequi. Idem dicendum apparet de libidinoſo intuitu partium pudendarum, quando ſcilicet voluptatis cauſa fit: neque enim aliter libidinoſus cenſetur.

Digitized by Google

72 Notant autem aliqui Doctores, ſi eiuſmodi aſpectus non fieret cauſa voluptatis carnalis, ſed tantum alicuius curioſitatis, non fore peccatum mortale per ſe, quando abeſt periculum pollutionis: quod & de contactu indicare videntur, quando de vtroque dicunt eſſe peccatum mortale, ſi cauſa voluptatis fiat. Quam reſtrictionem non adderent, vt apparet, ſi idem eſſet, cum fit cauſa cauſa curioſitatis. Ratio autem diuerſitatis aſſignari poteſt, quod qui eiuſmodi contactus adhibet per ſe propter voluptatem, cenſeatur ſaltem indirectè velle ipſam ſeminationem, dum operis præambuli & proximæ ad illam quaſi diſpoſitionis delectationem quærit: qui autem curioſitatis gratia facit, non ita cenſeatur conſentire in ſeminationem, vtpote qui non intendit carnalem aliquam delectationem nec diſpoſitionem; ſed ſi aliqua delectatio oboritur, videtur illam pati præter intentionem; intendit enim tantum curioſam rerum cognitionem. Verum tamen quidquid hac de re ſit, ſtudioſè abſtinendum eſt ab omni curioſitate tum contactus tum aſpectus; in primis, quia metuendum eſt, ne iniquitas mentiatur ſibi, & dum prætexit homo facere ſe ex curioſitate acquirendæ alicuius cognitionis, faciat reuera & fruendæ voluptatis, vel illius capiendæ experientiæ, quod à mortali non excuſat. Deinde etſi ab initio non fieret cauſa voluptatis, timendum tamen ſummopere ne voluntas ſenſim iſtâ illecebrâ commoueatur, ac in voluptatem, & in vlteriores turpitudines conſentiat.

73 Petitur hic primò, Vtrùm ſi fœmina ab aliquo tangatur affectu libidinoſo, teneatur ipſa ſub mortali peccato ſe retrahere & contactum impedire.

Reſpondetur, ſi contactus quoad exteriores circumſtantias ſit honeſtus, & fiat ſecundum patriæ morem, vt cum in aduentu vel receſſu amicorum infigitur oſculum vel dextra apprehenditur, non tenetur ipſa ſubterfugere, modo in nihil inhoneſti conſentiat, quia actus hic externus in ſe licitus eſt: ſi autem contactus ſpectatis circumſtantijs cēſeretur inhoneſtus, tenebitur ſub peccato mortali illum vitare, ſi poteſt, quia non minus corpus commouet ac ſpiritus ad ſeminationem concitat inhoneſtè tangi, quam tangere. Vide Caiet. quæſt. ante citat. 154. artic. 4.

74 Quæritur ſecundò, Vtrùm tactus impudici inter coniuges ſint peccata.

Reſpondetur primò, ſi inter eos exerceātur, vt neceſſarij ad naturam excitandam reddendi debiti cauſa ac prolis generandæ, nullā habent in illis culpā. Ita tradit Sylueſt. V. Debitum, quæſt. 7. Fumus ibidem n. 8. & alij plures. Ratio eſt, quia quemadmodum concubitus coniugalis eſt licitus cauſa prolis aut debiti reddendi, ita etiam & tactus ad illum ordinatus. Si vero ordinaretur ad concubitum cauſa voluptatis tantum, erit peccatum veniale, ſicuti concubitus.

Reſpondetur ſecundò, ſi contactus illi fiant ſine ordine ad copulam, ſed in illis ſiſtatur, tunc vel fiunt cum periculo pollutionis in vtroque, vel in altero coniuge, & ſic certum eſt eſſe peccata mortalia, vt prædicti Doctores & alij tradunt. Quando autem fiunt abſque tali periculo, tunc nonnulli adhuc Doctores volunt nihilominus eſſe peccata mortifera: inter quos videntur eſſe Syl. & Fumus ſuprà. Communior tamen eſt opinio Caietani & aliorum, qui dicunt non eſſe tunc niſi venialia, quia in non coniugatis ſunt mortifera: quia concubitus, ad quem natura ſua ordinant & diſponunt, in his eſt peccatum mortale; quare è contra ſicut concubitus coniugum ſolius voluptatis cauſa non eſt peccatum mortale, ita neque impudici huiuſmodi coniugum contactus, quando ſeminationis periculum abeſt, quia ad illum ſe habent tanquam imperfectum ad perfectum. Quæ hîc dicenda reſtarent de moroſis delectationibus, latè ſatis explicuimus 1. 2. quæſt. 74. artic. 8. quare illa hic prætermittimus.

F I N I S.

Nomini tuo Domine da gloriam.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Prior numerus Paginam; poſterior Marginalem numerum denotat.

A.

Abortus.

NOn licet directè procurare abortum pro vitâ matris conſeruandâ. 90. 40.
An liceat mulieri grauidæ causâ ſanitatis ſumere pharmaca, quando inde timetur ſecutus abortus. 91. 43.

Abſtinentia.

Quid abſtinentia & quæ eius materia. 806. 11.
An licita abſtinentia quæ cauſat aliquam vitæ diminutionem. 108. 100.

Acceptio perſonarum.

Quid perſonarum acceptio & quæ ad illam requiſita. 456. 1.
Eſt ex genere ſuo paccatum mortale. 457. 2.
In quibus rebus potiſſimè cõmittatur. n. 3. & ſeqq.

Accuſatio, Accuſator.

Quid accuſatio Iuridica & quomodo inſtituenda. 437. 1.
Accuſatio duplex. 438. 5.
An accuſationi præmittenda ſecreta monitio. n. 9.
An aliquis obligetur aliquãdo ad accuſandũ. 437. 3.
An accuſator deſiſtere poſſit ab accuſatione inchoatâ. 439. 11.
An Iudex poſſit impedire accuſationem. n. 16.
Tenetur interdũ ſubditus accuſare authorẽ criminis cũ Iudex mandat vel iuramentũ defert. 440. 18.
Quibuſdam caſibus non tenetur. n. 19.

Adiuratio.

Quid adiuratio & qualiter fiat. 725. 180.
Quas res adiurare liceat. n. 181.
Quæ obſeruanda in adiuratione dæmonũ. 726. 186.
Adiurare dæmones quibus licitum. 729. 198.

Adoratio.

Quid adoratio & quotuplex. 596. 1.
An ſit actus latriæ. 597. 3.

Adulatio.

Quid adulatio & quale peccatum. 787. 36.

Adulter, Adulterium.

Adulterij diuerſa malitia. 128. 6.
An licitum occidere vxorem vel filiam in adulterio deprehenſas, aut ipſum adulterum. 84. 13.
An adulter teneatur aliquid reſtituere marito adulteræ non ſecuto pactu. 132. 23.
Quid ſi pactus ſecutus fuerit. 133. 25.
An licita tranſactio pecuniaria pro iniuria adulterij. 133. 24.
Ad quid teneatur adultera pactu ſecuto. 134. 28.
An teneatur aperire crimen ſuum pro damno temporali mariti vel hæredis auertendo. n. 29.

Aduocatus.

Quinam munus aduocati exercere poſſint. 452. 28.
An aduocati teneantur gratis patrocinari pauperibus. 453. 29.
Quodnam ſtipendium exigere poſſint. n. 31.
An poſſint cauſam dubiam ſuſcipere defendendam. 454. 33.
Quibus caſibus tenentur ſuo clienti vel parti aduerſæ ad reſtitutionem. 455. 39.

Affabilitas.

Quid affabilitas. 786. 34. Quæ vitia illi oppoſita. 787. 36.

Agere.

Agere & facere quomodo differant. 5. 6.

Ambitio.

Quid ambitio. 805. 5.

Animalia.

Animalia alia manſueta, alia ſylueſtria. 44. 7.
Animalia naturâ ſuâ manſueta etiamſi dominorum poteſtatem euaſerint non fiunt capientis, ſed dominis ſuis reſtitui debent. ibidem.
Vtrùm animalia cicurata ſi fortè oberrent, capere liceat. ibidem.
Animalia omnino ſylueſtria fiunt primo occupãtis. 44. 8.
Animalium occiſio licita ad vſum humanũ. 79. 1.
Crudeliter ea enecare illicitum. 80. 3.

Apes.

Vtrùm apes relinquentes alueare ſui domini fiant occupantis. 45. 8.

Ars.

Quid ars & quomodo differat à prudentia. 5. 5.
Quid ars notoria & quale peccatum eius vſus. 754. 91.

Aſpectus.

Aſpectus partis verecundæ an ſit & quale peccatum. 844. 72.
Aſpectus hominis alterius ſexus qui fit causâ delectationis an ſit & quale peccatum. 843. 68.

Aſtrologia, aſtra.

Aſtrologia duplex, naturalis & iudiciaria. 743. 49.
Quæ futura poſſint ex aſtris vel eorum motibus tanquam cauſis prædici. n. 50.
An ex aſtrorum aſpectu de natiuitate & inclinationibus puerorũ aliquid cõiectare liceat. 744. 52.
Futura contingentia quæ dependent à libero hominis arbitrio non poſſunt ex aſtrorum aſpectu certò prædici. 745. 57.
Neque etiam probabiliter. 747. 62.

Aſtutia.

Quid ſit & quale peccatum. 12. 10.

Attentio.

Attentio in oratione multiplex. 584. 55.
Quænam requiratur in oratione vocali. 56.
Carentia debitæ attentionis in horis legendis, quale peccatum. 587. 65.
An qui defectu debitæ attentionis nõ impleuit præceptũ legendi horas, teneatur eas repetere. 588. 69.
An teneatur fructus reſtituere, ſi non repetierit horas. ibidem.

Auaritia.

Quid ſit, & quale peccatum. 787. 38.
Opponitur liberalitati. ibidem.

B.

Beneficium.

QVid beneficium. 474. 1.
Importat in recto ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia. 475. 2.
An vicaria manualis ſit beneficium. 474. 1.
An Præſtimonia ſint beneficia. 475. 2.
Beneficium aliud regulare, aliud ſæculare. 475. 3.

Digitized by Google

Beneficia alia maiora, alia minora: alia patronata, alia non patronata. 477. 8.
Ius conferendi beneficia quomodo differat à iure patronatus. n. 9.
Vide verbum Patronatus.
Ius collationis & inſtitutionis beneficiorum eſt ſpirituale. 481. 19.
An Laicis poſsit competere. ibidem.
Quibus modis beneficia acquirantur. 482. 23.
Quatuor qualitates requiſitæ in Beneficiatis. 483. n. 25.
An beneficia licitè conferantur indignis vel non idoneis. 484. 26.
An collatio beneficij facta inidoneo ſit valida. 485. n. 31.
Beneficia ſunt conferenda dignioribus. ibidem.
Quale peccatum ſit omiſsis dignioribus ea conferre minus dignis. 486. 32.
Collatio facta digno prætermiſſo digniori eſt valida. 487. 35.
Quibus caſibus poſsit promoueri dignus prætermiſſo digniori. n. 36.
Conferens indigno beneficium, & indignus prouiſus tenentur Eccleſiæ de damnis. 490. 41.
An teneatur ad aliquam reſtitutionem qui confert digno, prætermiſſo digniori. 491. 43.
An teneatur dignus prouiſus ad aliquam reſtitutionem prætermiſſo digniori. 492. 46.
Ad beneficium requiritur legitimitas. 493. 47.
Prærequiritur etiam Clericatus. n. 50.
An prærequiratur aliquis ordo. 494. 52.
Requiritur cælibatus. 496. 59.
Quænam ætas requiſita ad ſingula beneficia.
Quænam morum probitas requiſita. 498. 62.
Quæ crimina inducãt inhabilitatẽ ad beneficia. ibi.
Quæ ſcientia in beneficiato requiſita. 498. 64.
An collatio beneficij facta illiterato ſit valida. 499. n. 65.
An ſit valida collatio facta non habenti competentem ſcientiam. n. 67.
Quæ diſpoſitio requiſita ex parte corporis ad beneficium obtinendum. 500. 69.
Quæ intentio requiſita in acceptãte beneficiũ. n. 70.
Acceptare beneficium parochiale animo permutandi illicitum. 501. 72.
An beneficiorum pluralitas licita. n. 73.
Quod beneficium ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem. n. 74.
Beneficia incompatibilia quæ. 502. 75.
Per diſpenſationem ex iuſta cauſa conceſſam licet poſsidere plura beneficia incompatibilia. 504. n. 79.
Secus ſi diſpenſatio ſine iuſta cauſa cõcedatur. n. 81
Quæ beneficia requirant reſidentiam & qualem. 505. 83.
Triennalis pacifica beneficij poſſeſsio quid valeat. 60. 22.
An Beneficiarius teneatur ſtare locationi bonorum factæ per ſuum prædeceſſorem. 399. 97.

Beneficij reſignatio, amiſſio &c.

Quid renuntiatio beneficij & quibus modis fiat. 530. 75.
An ſimplex renuntiatio beneficij in fauorem tertij ſit licita. 76.
Reſignatio reciproca vel triangularis nequit fieri coram ordinario. 532. 80.
Permutatio beneficiorum an licita & coram quo facienda. 533. 81.
An permutantes poſsint tractare inter ſe de permutatione. n. 84.
An requiratur ad permutationem iuſta cauſa. 534. 86.
Quænam beneficia nequeunt permutari. 535. 87.
An beneficium permutari poſsit cum penſione. 537. 94.
An reſignationes beneficiorum in confidentiam ſint licitæ. 538. 96.
Vtrùm ſit licitum diſponere de beneficio cum pacto acceſſus vel regreſſus. n. 97.
Pecuniã dare pro redimenda vexa ſuper poſſeſsione beneficij an liceat. 539. 98.
Quid ſi nondum habeatur Ius in re ad beneficium, an licebit aliquid dare pro redimenda vexa. 540. 100.
An licitum reſignare beneficium digno, prætermiſſo digniori. 489. 40.
Beneficiatus ducens vxorem ipſo facto amittit beneficium. 497. 59.
Secus ſi inualidè contraxerit propter impedimentum dirimens. n 60.
Clericus contrahens ſponſalia non amittit ipſo iure beneficium. ibidem.
Beneficium ſæculare amittitur per profeſsionem in religione approbatâ. 476. 4.
Nouitius nequit intra annum probationis diſponere de ſuis beneficijs. ibidem.
Suis beneficijs excidunt Clerici ſocietatis per emiſsionem trium votorum ſimplicium. n. 5.
Accipiens beneficium nouum incompatibile cum priori non amittit prius niſi ſecundum pacificè poſsideat & ex eo fructus percipiat. 502. 76.
Quo iure beneficium ſimoniacè acquiſitum eſt dimittendum. 548. 118.
An reſeruare penſionem ſuper beneficium reſignatum liceat. 535. 89.
Vide, verbum, Penſio.

Bona.

Bona quadruplicia, Caſtrenſia, quaſi Caſtrenſia, profectitia & aduentitia. 27. 14.
Bona derelicta quæ dicantur. 50. 26.
Fiunt primò occupantis. ibidem.
Bona naufragorum non fiunt primo occupantis. ibidem.
Bona vacantia & incerta non debent mox pro derelictis haberi. 51. 27.
Bona incerta quæ dicantur. 183. 1.
Poſsidens bona aliena incerta non poteſt ea erogare in pauperes niſi prius inquiſitione Domini factâ. n. 2.
Bona aliena ex delicto acquiſita debent erogari in pauperes quando dominus ſciri non poteſt. 184. 2.
Quid ſi fuerint acquiſita ſine delicto? n. 4.
An facta iſtorum bonorum diſtributione in pauperes

Digitized by Google

peres teneatur qui diſtribuit, domino aliquid reſtuere ſi poſtea compareat. 186. 9.
An compoſitio ſuper bonis incertis cum Pontifice inita liberet à reſtitutione. n. 10.
An poſſit fieri iſta compoſitio cum Epiſcopo. 187. 10.
An bona aliena inuenta debeant dari pauperibus quando dominus ſciri non poteſt. n. 11.
Bona Eccleſiæ olim fuerunt indiuiſa. 32. 26.
Non fuerunt ante diuiſionem debita pauperibus ex iuſtitia. ibidem.
Quare bonorum communium Eccleſia facta diuiſio. ibidem.
Quando facta. 35. 30.
Quare bona Eccleſiæ dicuntur patrimonium Chriſti & bona Dei. ibidem.
Vide verbum, Dominium, & verbum, Clerici.

C.

Cambium.

Cambium tripliciter ſumitur. 387. 50.
Quomodo differat à mutuo. 388. 53.
Cambij diuiſiones variæ. n. 54. & ſeqq.
Quid cambium minutum. n. 55.
Quæ eius vtilitates. n. 57.
An licitum ſit ex eo facere aliquod lucrum. 389. 58.
An poſſit exerceri à priuatis abſque publica authoritate. 390. 64.
Quid cambium locale. 388. 56.
Oſtenditur eſſe licitum. 390. 65. & ſeqq.
An quando cambium locale eſt reciprocum poſſit alteruter cambiens aliquid lucri capere. 393. 74. & ſeqq.
Vtrùm pretium cambij variari poſſit ratione temporis longioris aut breuioris quo reſtitutio eſt facienda. 394. 77. & ſeqq.
An Campſores aliquid accipere poſſint pro opera præſtita in litteris ſcribendis & alijs ſimilibus munijs. n. 79. & ſeqq.
An Campſor poſſit paciſci pro intereſſe ſi campſarius fuerit in mora ſoluendi. 395. 82.
Conditiones requiſitæ in cambio per Bullam Pij V. n. 84. & ſeqq.

Caro.

Vtrùm eſus carnium fuerit licitus ante diluuium. 79. 2.
An liceat aliquando veſci carnibus humanis. 80. 4. & 819. 10.

Caſtitas.

Caſtitas ſumitur dupliciter. 827. 1.
Caſtitas ſpeciatim ſumpta alia eſt perfecta, alia imperfecta. n. 2.
Quænam eius materia. 828. 4.
Votum caſtitatis laudabile. 830. 18.

Cenſus.

Cenſus varia acceptio. 377. 1.
Quid cenſus pro reditu ſumptus. n. 2.
Eius multiplex diuiſio. n. 3 & ſeqq.
Quomodo cenſus reſeruatiuus differat ab emphyteuſi. ibidem.
Si dubitetur de contractu an cenſualis ſit, vel emphyteuticus, qualis erit iudicandus. 378. 5.
Cenſus reſeruatiuus eſt licitus. n. 7.
Emptio cenſus conſignatiui realis tam noui quam antiqui eſt licita. 379. 8. & ſeqq.
Conditiones quædam iure naturæ requiſitæ. 380. 13. & ſeqq.
Requiruntur quatuordecim iure Pontificio. n. 17. & ſeqq.
An omnes vbique ſeruandæ. 382. 27.
Cenſus perſonales non ſunt iure naturæ illiciti, etiamſi accedat conſtitutio hypothecæ pro ſecuritate ementis. 383. 28. & ſeqq.
Quædam conditiones requiruntur. 384. 33.
An iure Pontificio ſint liciti. n. 34.
Cenſus irredimibiles non ſunt iure naturæ prohibiti. 384. 35.
An liciti cenſus redimibiles ex parte emptoris. n. 36.
An in cenſus emptione venditor obligari poſſit, vt ſi voluerit redimere teneatur eandem monetam reddere in æquali numero. 385. 39.
Cenſus temporales vitales liciti ſunt. 386. 42.
Quodnam ſit iuſtum pretium cenſuum. n. 45.
Vtrùm qui emit cenſum infra iuſtum pretium, ad aliquid teneatur. 387. 48.

Ceſſio bonorum.

Quid ſit. 203. 14.
Quid operetur & an excuſet à reſtitutione. ibidem.
Beneficio ceſſionis qui non gaudeant. 204. 15.
Quinam illo non indigent. n. 18.

Clerici.

Clerici ſunt Iure Ciuili & Eccleſiaſtico exempti à tributis & vectigalibus. 468. 17.
Quidam caſus excipiuntur. n. 18.
An illa exemptio ſit etiam Iuris diuini vel naturalis. 469. 19. & ſeqq.
Quinam Clerici gaudeant priuilegio immunitatis. 470. 23.
Clericorum bona triplicia. 31. 24.
Sunt abſoluti domini bonorum patrimonialium vel quaſi patrimonialium n. 25.
Non poſſunt tamen ea expendere in omnes vſus in quos poſſunt Laici. ibidem.
Sunt domini fructuum beneficij quoad partem congruæ ſuſtentationi neceſſariam. ibidem.
Etiam quoad partem ſuperfluam. 33. n. 28.
Oppoſita ſententia non eſt improbabilis. n. 29.
Clerici tenentur ſuperflua ex beneficijs erogare in pauperes vel cauſas pias. 35. 31.
Non obligantur ad reſtitutionem ſi ſecus fecerint. 36. 33.
Vide beneficium, negotiatio, venatio.

Codicillus.

Quid codicillus. 280. 2.
Quomodo differat à teſtamento. ibidem.

Collatio.

Vide verbum Beneficium.

Commodatum.

Quomodo differat à mutuo. 311. 4.
Commodatum vbi & cuius expenſis reſtituendum. 190. 21.
An commodatarius teneatur reſtituere rem quæ apud ipſum fortuito periit. 76. 21.

Digitized by Google

Compoſitio.

Compoſitio de incertis cum quo fiat.
Vide verbum, Bona.

Conductio.

Quid conductio. 396. 88.
An conductor teneatur ſoluere penſionem ſi impediatur ab vſu vel cultura rei conducta. 398. 93.

Conſilium, Conſulens.

Conſilium præbens in re quam ignorat an teneatur de damno ſecuto. 164. 24.
Conſulens tribus modis dare conſilium poteſt. 162. n. 19.
An conſulens damnum ſit liber ab onere reſtituendi quando ante executionem conſilium reuocauit. n. 20. *& ſeqq.*
An conſulens minus malum ad maius auertendum teneatur de damno. 164. 26. *& ſeqq.*

Contractus.

Quid ſit & quotupliciter ſumitur. 253. 1.
Contractus ſpeciatim dictus perficitur quatuor modis. n. 2.
Contractus varia diuiſio. 254. 3.
An omnis contractus pariat obligationem in foro conſcientiæ. n. 5.
Quinam pariant ciuilem obligationem. 255. 6. *& ſeqq.*
Quinam contrahere poſſint. n. 9.
Minor pubes obligatur contractu à ſe inito propria authoritate ſi iurauerit ſe contractum ſeruaturum. 257. 14.
Error circa ſubſtantiam reddit contractum iure naturæ nullum. n. 15.
Secus ſi ſit tantùm circa accidentia. 16.
An dolus irritet contractum cui cauſam dedit, vel arbitrio decepti irritari poſſit quando altera pars fuit particeps doli. 257. 17. *& ſeqq.*
Quid ſi altera pars non fuerit conſcia doli. 258. 19. *& ſeqq.*
An contractus ex metu graui iniuſtè incuſſus ſit validus. 259. 22.
An poſſit reſcindi pro arbitrio metum paſſi. 260. 23.
Quid ſi ex metu leui iniuſto initus fuerit. n 26.
Minorem ex contractu damnum paſſo conceditur reſtitutio in integrum. 261. 29.
Quibuſdam etiam alijs conceditur, ibidem.
Contractus ſocietatis, vide verbum, Societas.

Contumelia

Quid contumelia & quomodo differat à detractione. 209. 4.
Eſt peior detractione. n. 5.

Cooperatio.

Cooperatio ad damnum, alia directa, alia indirecta. 157. 1.
Nouem modi cooperandi damno. ibidem.
Cooperans damno notabili peccat mortaliter. 158. 2.
Cooperantes poſitiuè eidem damno quo ordine tenentur reſtituere. 173. 57. *& ſeqq.*
Quo ordine tenentur reſtituere qui tantum priuatiuè cooperantur. 176. 65.

Creditor.

Vide verbum, Debitor, & Solutio.

Crimen.

Crimen publicum vel notitia iuris, vel facti. 214. n. 20.
An crimen alterius publicum liceat euulgare vbi ignoratur. n. 21. *& ſeqq.*
An liceat de vno crimine infamatum, infamare de alijs. 216. 26.
Licet aperire crimen alterius ad auertendum damnum impendens notabile quando aliter caueri nequit. 217. 29.
Secus quando aliter damnum auerti poteſt. n. 30.
An peccet contra iuſtitiam qui crimen alterius manifeſtat ad impediendum damnum quod aliter impediri poteſt. 218. 31.
An liceat crimen occultum alterius aperire quando de iure habet annexam infamiam. 219. 37.
Audita crimina referens animo lædendi famam vel prauidens lædendam, tenetur ad famæ reſtitutionem. 220. 41.
Crimen alterius reuelare ſeruato ordine correptionis fraternæ licitum. 212. 14.
Crimen alteri falſo imponere quale peccatum. ibidem.
An peccet mortaliter qui crimen alterius ſine iuſta cauſa alicui viro prudenti manifeſtat. n. 15. *& ſeqq.*
An coniuges peccent crimina filiorum vel famulorum ſibi referendo. 213. 18.
An liceat propria crimina occulta propalare. 223. 49. *& ſeqq.*
Crimen ſuum occultum detegere licet ad vitanda tormenta vel innocentem ab ijs liberandum. 225. 54.
Quibus alijs ex cauſis propria crimina apud Iudicem ſponte licet aperire. 226. 55.
Imponere ſibi crimen falſum ad mortem vel grauia tormenta euadenda aut amicum ab ijſdem eripiendum, quale peccatum. n. 56. *& ſeqq.*
Peccat mortaliter qui ad vitanda tormenta imponit ſibi falſum crimen ob quod morte eſt plectendus. 227. 60. *& ſeqq.*
Idem dicendum ſi hoc caſu illud fiat ad parentem vel amicum liberandum. 229. 67.
An liceat detegere crimen alterius occultum ad mortem vel grauia tormenta euadenda. 230. 71. *& ſeqq.*
Vide verbum, Fama, Infamia.

Culpa.

Culpa quid & quotuplex apud Iureconſultos. 74. n. 13.
Obligatio reſtitutionis nulla oritur ex culpa leui vel leuiſſima quando non interceſſit contractus: oritur ex lata, latiori & latiſſima. n. 14. *& ſeqq.*
Vtrùm ex culpa lata oriatur obligatio reſtituendi quando non interuenit peccatum mortale. 75. 18. *& ſeqq.*

Cultus.

Cultus diuinus tam externus quam internus eſt nobis præceptus. 564. 33. *& ſeqq.*
Vide Religio.

D.

Damnum.

Qvinam teneantur ex iuſtitia impedire aliorum damna, & eadem reparare ſi non impediuerint. 171. 50.
Non tenetur dominus de damno ſine eius culpa per eius mancipium vel animal illato. 116. 127.
Debet tamen animal aut mancipium noxæ tradi. ibidem.
Non ante ſententiam Iudicis. n. 128.
Damnum à filio illatum non tenetur parens reſarcire ſi in culpa non fuit. 117. 130.
Vtrùm præuidens damnum obuenturum tertio ex iniuria alicui à ſe illata, teneatur illud reſarcire. 144. 122.
An qui damnum intulit alteri in re frugifera teneatur integros fructus ex ea ſperatos reſtituere. 156. 80.
Participare in damnò dupliciter quiſpiam poteſt. 167. 36.
An ſuadens alteri ne damnum impediat, obligetur reſtituere. 170. 45.
Conſentiens in damni illationem an teneatur ad reſtitutionem. 165. 30.
Qui iuſſu, conſilio, conſenſu, laudatione, receptatione, cooperatur efficaciter damno alicui inferendo, tenetur illud reparare. 158. 4.
Secus ſi facti executorem verè non promouerit. ibidem. n. 5. & 160. n. 11.
Si verè permoueat, tenebitur de damno, etiamſi executor fuiſſet equidem illud illaturus. 159. 6.
Mandans vel conſulens damnum, ad nihil tenetur effectu non ſecuto. 160. 11.
Vtrùm qui volenti inferre damnum ſuadet vt differat in aliud tempus, cenſeatur cauſa damni poſtea illati, & obligetur reſtituere. 159. 7.
Qui ratum habet damnum nomine ſuo ab altero prius illatum, non tenetur ad eius reparationem. 162. 17.
Vide Mandans.
Cooperantes poſitiuè damno eidem quo ordine teneantur illud reparare. 173. 57. & ſeqq.
Quo ordine tenentur qui priuatiuè tantum ſunt cooperati. 176. 65.
Vtrùm ſi damnificatus remittat vni eorum qui ad damnum concurrerunt, reliqui ſint à reſtitutione liberi. n. 66.
Inferre alteri damnum in bonis ſpiritualibus eſt peccatum mortale ex ſuo genere. 247. 1.
An ſit contra iuſtitiam. n. 2.
Vide verbum, Reſtitutio.
Quid damnum emergens. 320. 33.

Dæmon.

Poteſt dæmon duobus modis apparentem ſcientiam cauſare in homine. 755. 92.
Quænam poſſint dæmones operari circa elementa. 759. 108.
Poſſunt corpora celerrimè de loco in locum transferre. n. 109.
An poſſint vnum corpus in aliud mutare. 760. 112. & ſeqq.
Quos effectus cauſare poſſint in corporibus humanis. 761. 116.
Quid poſſint circa animam hominis. 762. 121.
Quænam poſſint dæmones ſcire. 736. 25.

Debitor. Debitum.

Debita incerta quæ dicuntur. 183. 1. & 191. 2.
Quibus ſoluenda ſint. n. 2. & ſeqq.
Vide verbum, Bona.
An debita certa prius ſint ſoluenda quam incerta. 191. 2.
Inter debita certa quæ prius ſoluenda. 194. 8. & ſeqq.
An debitor qui non eſt ſoluendo omnibus creditoribus poſſit alicui ex iis non habenti Ius prælationis ſatisfacere aliis poſtpoſitis. 199. 24.
Vide verbum, Solutio.

Decimæ.

Quid decimæ & quomodo à primitiis diſtinctæ. 603. 18.
An & quo Iure debeantur. n. 19. & ſeqq.
Ex quibus rebus ſint ſoluendæ. 606. 27.
Aliæ perſonales, aliæ prædiales, aliæ mixtæ. ibidem.
Cur perſonales ſoluendæ potius in lege noua quam antiqua. n. 28.
Quibus debeantur decimæ prædiales. 607. 30. & ſeqq.
An Laici poſſint acquirere Ius decimarum. 608. 33. & ſeqq.
Vtrùm priuilegio percipiendi decimas comprehendantur decimæ Noualium. 609. 38. & ſeqq.
Quibus debitæ decimæ perſonales & mixtæ. 611. n. 42.
Quinam teneantur decimas ſoluere. n. 44.
Quibus modis ceſſare poſſit obligatio ſoluendi decimas. n. 45.
Pontifex poteſt decimas exigere ab omnibus Clericis ex bonis illorum Eccleſiaſticis. 612. 50.
Coram quo Iudice cauſa decimarum tractanda. 613. 50.

Defenſio.

Defenſio interdum licita cum periculo vitæ innocentis. 90. 39.
Pro defenſione vitæ ſuæ iniuſtum inuaſorem occidere licitum. 85. 17. & ſeqq.
An directè occiſionem intendendo. 89. 34.
Vtrùm pro defenſione facultatum ſuarum liceat furem occidere. 92. 46.
An pro defenſione vitæ proximi liceat iniuſtū inuaſorem occidere. 94. 55.
An etiam pro defenſione pudicitiæ aut fortunarum proximi. n. 56.
An liceat pro defenſione propriæ pudicitiæ. 95. 61.
An quiſpiam ad hoc obligetur cum vitæ ſuæ periculo. ibidem. & n. 57.
An obligetur ea defendere cum periculo vitæ inuaſoris. n. 58.
Non defendens proximi vitam aut fortunas cum poteſt commodè, peccat mortiferè. 95. 59.
Non obligatur tamen ad reſtitutionem, niſi teneatur ex iuſtitia defendere. ibidem. & n. 60.
Quomodo ſuperior teneatur defendere ſubditum iniuſtè inuaſum. 94. 57.

An ob-

Digitized by Google

An obligetur ad reſtitutionem ſi nõ defenderit. 95. 60.
Ad quid teneatur qui in defenſione exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ. 122. 16. & ſeqq.

Detentio, Detentor.

An rem ſuam iuſto titulo ab alio detentam occultè ſurripiens furtum committat. 146. 38.
Quid ſi iniuſtè erat detenta. n. 39. & ſeqq.
Rem ſuam ab alio iniuſtè detentam ſibi vindicare an licitum. Ibidem.
An liceat per vim rem ſuam auferre ab iniquo detentore. 148. 46.
Detentor iniquus rei alienæ continuò peccat. n. 47.
Interrumpitur peccatum iniquæ detentionis ſuperueniente impotentia reſtituendi. 149. 49.
Interrumpitur etiam accedente propoſito reſtituendi. num. 50.
An interrumpatur ſomno aut ſimili impedimento vſus rationis. 150. 52.
An continuatio iniquæ detentionis vel eiuſdem interruptio veniat confitenda. n. 53.

Detractio.

Quid detractio & quomodo differat à contumelia. 209. 4.
Quomodo differat à ſuſurratione. n. 6.
Detractio ſeptem modis fieri poteſt, quatuor directè, & tribus indirectè. Ibidem.
Detractio formalis eſt ex genere ſuo peccatum mortale. 210. 7.
Eſt grauius furto, ſed minus ordinariè adulterio. n. 8.
Poteſt ratione paruitatis materiæ vel propter indeliberationem eſſe peccatum veniale. 210. n. 8. ſeq.
Inter detractiones peſſima eſt quæ fit per libellos famoſos. Ibidem.
Detractio quæ fit ex quadam loquacitate eſt etiam peccatum mortale ex genere ſuo. n. 9.
Quid ſi fiat ioci cauſâ. n. 10.
Quænam cenſenda materia leuis in detractione. n. 11. & ſeqq.
Inducens alium ad detrahendum, qualiter peccet. 231. 75.
Audire detrahentem, an & quale peccatum. 231. 77. & ſeqq.
Ad quid obligentur hæredes detractoris. 236. 12.
Detractor tenetur infamato etiam defuncto famam reſtituere. 237. n. 14.
Tenetur etiam ad reparationẽ damni ſecuti ex infamatione. 240. 24.
Vide verbum, Fama.

Deuotio.

Quid deuotio, & cuius virtutis actus. 566. 3.
Quæ cauſa deuotionis. 567. 4. & ſeqq.
Quis eius effectus. 568. 7.

Diſpenſatio.

Vide, Iuramentum, & Votum.

Diuinatio.

Quid diuinatio & quotuplex. 735. 22.
Diuinatio ſuperſtitioſa quare mala. 736. 24.
Diuinationis ſuperſtitioſæ ſpecies variæ. 737. 27.
Quale peccatum diuinatio quæ eſt cum expreſſa dæmonis inuocatione. n. 29.
Dari diuinationem ſuperſtitioſam ex implicito pacto cum dæmone, oſtenditur & modus explicatur. 738. 33. & ſeqq.
Diuinatio cum expreſſa, & cum tacitâ dæmonis inuocatione eamdem ſpecie malitiam habent. 748. 66.
Diuinatio ex auium, aliorumve animalium garritu, aut motu an licita. 749. n. 68.
Diuinatio ex lineamentis corporis an ſuperſtitioſa. num. 69.

Dolus.

Dolus quid ſit. 12. n. 12. & 74. 13.

Dominium.

Quid dominium. 23. 1.
Eius diuiſio n. 2.
Dominium iuriſdictionis quid. Ibidem.
Dominium proprietatis quid ſit. n. 3.
Aliud perfectum, aliud imperfectum. 24. 4.
Dominij perfecti definitio explicatur. n. 5.
Eius vſus aliquando lege impeditur. n. 6.
An res incorporales poßideantur dominio. n. 7.
Ad dominij acquiſitionem quæ requirantur. 25. 9.
Quibus caſibus ſine traditione acquiratur dominium. num. 10.
Dominium competit ſoli ſuppoſito rationali. 26. 11.
Quale Dei dominium. n. 12.
Quale Angelorum & hominum. Ibidem.
Infantes ſunt capaces dominij. n. 13.
An competat filiusfamilias. 27. 15.
An ſeruis competere poßit. 28. 18.
An competat Religioſis. n. 20. & ſeqq.
Dominiorum diuiſio poſt hominis lapſum licita & vtilis. 38. n. 38.
In ſtatu innocentiæ fuiſſet prohibita. 40. n. 40.
Quomodo facta dominiorum primo diuiſio. n. 41.
Quo iure facta. Ibidem.
Quomodo dicitur facta iure Imperatorum. 41. 42.
Dominium gubernationis fuiſſet etiam in ſtatu innocentia. 37. 35.
Dominium in vitam hominis Deo reſeruatum. Ibidẽ.
Dominium in hominem quatuor modis acquiritur. 41. 1.
Dominium rerum quæ dominum habent, transferri poteſt varijs modis. 52. 1.
Quænam ſubiaceant hominis dominio. 36. 33.
Vide, Clerici, Religioſi, vſus.

Donatio.

Quid donatio. 273. 37.
An donatio verbalis transferat dominium ante realem traditionem. 274. n. 38.
An debiti remiſſio ſit donatio n. 39.
Quinam donare poßint. n. 40. & ſeqq.
Donatio inter coniuges an valida. n. 42.
An donatio omnium bonorum ſuorum ſit valida. 275. 44.
An donatio ſit inualida propter exceſſum. 276. 46. & ſeqq.
Donatio conditionalis quid operetur n. 50.
An donatio ad certum finem ſit valida ſine illo non ſubſecuto. 278. 54.
Donatio alia inter viuos, alia mortis cauſa. n. 56.
Donatio inter viuos quibus ex cauſis ſit reuocabilis. 279. 57. & ſeqq.

Quæ

Digitized by Google

Quâ ratione donatio mortis cauſa reuocari poſſit. n. 60.

Dubium.

Dubitare de probitate alterius an ſit & quale peccatum. 407. 21.
An dubia ſint ſemper in meliorem partem interpretanda. 408. 27. & ſeqq.

E.

Ebrietas.

Quid ebrietas. 820. 15.
Eſt peccatum mortale. 821. 19.
An licitum ſe inebriare ad ſanitatem recuperandam ſi Medicorum iudicio aliter ſanitas recuperari nequeat. n. 16.
Vtrùm ſi quis ſub comminatione mortis vrgeatur ad ebrietatem, poſſit ſe inebriare ad vitandam mortem. 822. 26. & ſeqq.
Effectus ebrietatis. n. 23.
Quæ mala in ebrietate commiſſa imputentur ad culpam. 824. 33. & ſeqq.
An ſe inebriare in die Feſto, habeat duplicem ſpecie malitiam. 777. 176.

Electio.

An eligens indignum teneatur ad reparationem damni inde ſecuti. 165. 30.

Emphyteuſis.

Emphyteuſis quid ſit. 401. 105.

Emptio.

Quid emptio. 293. 1.
Emptio rei infra iuſtum pretium an valida, vel reſcindi poſſit. 297. 14.
Emere infra iuſtum pretium per ſe non licet. n. 16.
Quinam caſus excipiuntur. 298. 17. & ſeqq.
An emptor teneatur venditori aperire præſtantiam mercis ſi forte is ignoret. 301. 29.
An licita emptio infra iuſtum pretium ob anticipatam ſolutionem. 303. 36.
An liceat alterius debitum vel chirographum minoris emere quam valeat aut contineat. 304. 38. & ſeqq.
An emptio cum pacto retrouendendi ſit licita. 307. n. 53.
An res vendita tranſeat in dominium emptoris ante ſolutum pretium. 192. 3.
Vtrùm qui bonâ fide emit rem furtiuam, poſſit vbi reſciuerit eſſe alienam reddere eam furi vt pretium recuperet. 179. 6. & ſeqq.
Si malâ fide emerit, non poteſt eam reddere furi vt ſe indemnem ſeruet. 181. 10.
An qui bonâ fide rem alienam emit, poſſit pretium à domino repetere. n. 9.
Vtrùm ſi emptor bonæ fidei rem alienam iterum bonâ fide vendat, teneatur admittere reſciſſionem contractus & emptori reſtituere pretium domino comparente. 182. 12.
An teneatur pretium domino reſtituere ſi poſtremus emptor non inueniatur. n. 14.

Eubulia.

Eubulia quid ſit. 9. 10.

Eutrapelia.

Quid eutrapelia. 786. 34.

F.

Fama.

Quid fama & quotuplex. 208.
Fama homini tripliciter neceſſaria. 38. n. 37.
Homo eſt dominus ſuæ famæ. ibidem.
Fama etiam à defunctis poſſidetur. 222. 47.
An qui ex errore inculpabili famam alterius læſit, teneatur eam reſtituere, & damna inde ſecuta. 233. 1. & ſeqq.
An qui infamauit alium impoſitione falſi criminis ad mortem vel grauia tormenta euadenda, obligetur ad famæ reſtitutionem. 234. 6.
An ſi referens alicuius verum & publicum crimen aduertat auditorem intelligere de alio dici, teneatur ſi hic diuulget ad famæ reſtitutionem. 235. 7.
An ſuperior detrahentis vel eius cui detrahitur non impediens detractionem cum poteſt, teneatur ad famæ reſtitutionem. n. 8. & ſeqq.
Superior audiens diffamari ſuam communitatem & non impediens cum poteſt, tenetur ad famæ reſtitutionem. 236. 10.
Pater audiens filium alteri detrahere, aut ſuperior ſubditum ſibi religioſum, & non impediens, tenetur famam reſtituere. n. 11.
An hæredes detractoris teneantur famam ab eo læſam reſtituere. 237. 14.
Detractor tenetur infamato etiam defuncto famam reſtituere. ibidem.
An detractor teneatur ad reſtitutionem famæ alienæ cum iactura propria. 237. 15. & ſeqq.
An teneatur cum vitæ periculo. 238. 18. & ſeqq.
An fama ſit pecuniis compenſanda quando in ſe reſtitui nequit. 240 21. & ſeqq.
An diffamator maneat obligatus ad famæ reſtitutionem quando infamia eſt aliâ viâ abſterſa, vel abiit in obliuionem. 241. 27.
An detractor ſit liber ab obligatione reſtituendi famam, quando crimen quod patefecerat, aliunde eſt factum publicum. 242. 29.
An detractor teneatur famam reparare apud omnes ad quos infamia deuenit. 245. 49.
Quomodo reſtituenda fama ablata per falſi criminis impoſitionem. 244. 45.
Quomodo reſtituenda ablata per veri criminis reuelationem. 245. n. 47.
Vide verbum, Infamia.

Feræ.

Feræ ſunt primi occupantis. 44. 8.
Quid ſi fuerint cicuratæ & forte oberrent. n. 7.
Quando non cenſeantur tales in naturalem libertatem reſtitutæ. ibidem.
Fera ab vno vulnerata, & ab alio capta, cuius ſit. 45. 9.
Cuius ſit fera laqueo vnius capta, & ab alio erepta. n. 10. & ſeqq.

Feudum.

Quid ſit feudum. 402. 106.

Filius.

Filiusfamilias quarum rerum dominium habeat. 27. 15.

Digitized by Google

Quadruplex peculij genus habere poteſt. n. 14.

Fœtus.

Fœtus quando animetur. 91. 45.
An poßit extingui in vtero propter periculum vitæ matris. 90. *n.* 40. *& ſeqq.*

Fornicatio.

Quid fornicatio ſimplex. 833. 31.
Eſt peccatum mortale. 32.
An facta in die Feſto habeat malitiam ſacrilegij. 777. 176.

Fortitudo.

Fortitudo ſumitur dupliciter. 788. 1.
Quid ſit, prout eſt virtus ſpecialis. 2.
Quænam eius materia. 789. 5.
Quæ vitia fortitudini oppoſita. 800. 47.
Quænam virtutes illi annexæ. 802. 2.

Fraus.

Fraus quid ſit. 12. *n.* 12.
Alia ſit legi, alia contra legem. ibidem.

Fructus.

Fructus percepti ex re furtiua ſunt domino rei reſtituendi. 155. 73.
Modo non ſint fructus nudæ induſtriæ. n. 74.
Reſtituendi etiam fructus non percepti quos dominus facturus erat. 156. 76.
An etiam illi reſtituendi quos dominus facturus non erat, ſed poſſeſſor iniquus ex ſingulari diligentia fecit. n. 78.
An fructus reſtituendi quando non exſtant amplius. n. 79.

Furtum.

Quid furtum generatim ſumptum. 136. 1.
Diuiditur in furtum ſpeciatim dictum, rapinam, & furtum fraudulentum. Ibidem.
Quid furtum fraudulentum. 138. 6.
Species furti aliæ. ibidem.
An plagium ſit verum furtum. 137. 3.
Furtum eſt ex genere ſuo peccatum mortale. 138. *n.* 7.
Poteſt eſſe veniale ob indeliberationem vel materiæ paruitatem. n. 8.
Quænam materia grauis in furto. 140. 14. *& ſeqq.*
Frequenter peccatur mortaliter in re minoris pretij auferenda. 141. 16.
Qui per furta minuta intendit acquirere ſummam notabilem. peccat mortaliter in ſingulis furtis ex tali intentione procedentibus. n. 18.
Etiamſi velit à diuerſis illa minuta auferre. 142. *n.* 19.
An peccet mortaliter committens multa parua furta ſine intentione acquirendi ſummam notabilem. n. 20.
Aduertens ſe per minuta furta acquiſiuiſſe ſummam notabilem, tenetur ſub mortali reſtituere. 143. 25.
Reſtitutio paruorum furtorum diligenter procuranda à Confeſſarijs. n. 26.
An qui furatus eſt ſummam notabilem, teneatur ſub mortali integram reſtituere. 144. 27. *& ſeqq.*
Qui communi conſilio auferunt ſummam notabilem, peccant mortaliter & ſinguli tenentur in ſolidum ad reſtitutionem. n. 30.
Idem dicendum de illo qui obſeruat exemplo parui ſui furti alios efficaciter excitandos ad ſimilia parua, quibus ſimul ſumma notabilis auferetur. 145. 32.
Secus ſi vnus non fuerit conſcius furti alterius. n. 33.
Quid dicendum ſi conſcij quidem fuerint, ſed non ſibi mutuo concauſa furti. n. 34. *& ſeqq.*
An qui rem ſuam iuſto titulo ab alio detentam occultè ſurripit, committat furtum. 146. 38.
Quid ſi iniuſtè erat detenta. n. 93. *& ſeqq.*
Fur non reſtituens cum poteſt, continuò peccat. 148. 47.
Excommunicatio in fures lata, non comprehendit eum qui rem ſuam abſtulit ab iniquo detentore, licet in auferendo peccauerit. 147. 43.
Non comprehendit etiam lata in non reſtituentes, eum qui defectu potentiæ non reſtituit. 149. *n.* 49.
Fur tenetur reſtituere, etiam quando res furtiua apud eum perijt, ſi moram non purgauerit. 151. 54.
Quid ſi res illa erat ſimiliter peritura apud dominum. n. 55. *& ſeqq.*
Fur tenetur totam rem furtiuam reſtituere ſi adhuc exſtet, etiam cum ſuis meliorationibus. 153. *n.* 64.
An poſſint detrahi expenſæ meliorationis. n. 65.
Si permanſerit in eodem ſtatu, ſufficit illam prout eſt reſtituere, modo damnum quod obuenit domino ex carentia rei ſuæ reparetur. 154. 66.
Quid ſi res furtiua fuerit facta deterior apud furem. n. 67. *& ſeqq.*
An ſi fuerit effecta melior, & à fure vendita, teneatur fur etiam pretium meliorationis reſtituere. n. 70. *& ſeqq.*
An fur teneatur etiam fructus perceptos ex re furtiua reſtituere. 155. 73.
Particeps in re furtiua tenetur ad reſtitutionem ſuæ portionis. 167. 36.
Vide verbum, Cooperatio. Mandatum.
Qui volentem furari partem, mouet ſuo iuſſu vel conſilio vt auferat totum, an obligetur totum reſtituere. 160. 9.
Vtrùm occultans furem cum à Iuſtitia Miniſtris quæritur teneatur damna per eum illata reſtituere. 167. 34.
Vtrùm pecuniam à fure iuſto titulo acceptam obligetur reſtituere qui credit eſſe furtiuam. 168. *n.* 37.
Vtrùm qui accepit aliquid à fure vt non impediat furtum, teneatur reparare damnum. 170. *n.* 46.
Qui à fure rem alienam gratis accepit, non poteſt vbi reſciuerit alienam, reddere eam furi, ſed eſt domino reſtituenda. 179. 5.
Quid ſi illam bonâ fide emerit. 179. 6. *& ſeqq.*
Vide verbum, Emptio.

G.

Gloria.

Quid inanis gloria. 803. 5.

Digitized by Google

Gnome.

Gnome quid ſit. 9. 10.

Gratitudo.

Quid gratitudo. 781. 13.
An ſit virtus ſpecialis. n. 14.
Quinque ſunt eius officia. n. 15.

Gula.

Quid gula. 818. 5.
Quinque ſunt eius ſpecies. n. 6.
Quale peccatum ſit. 819. 8.
Eſt capitale. n. 12.
Quinque eius effectus. ibidem.

H.

Hæres.

Qvis inſtitui hæres non poſſit. 284. 20.
An filius naturalis poſſit inſtitui hæres à parentibus. 285. 26.

Homicidium, Homicida.

Homicidium caſuale an peccatum. 112. *n.* 112. *& ſeq.*
Incumbens operi illicito ex quo occiſio hominis ſequitur non ſemper eſt homicidij reus. n. 114. *& ſeqq.*
Vulnerans alium an ſit ſemper reus homicidij inde ſecuti. n. 116.
An mandans alium verberari ſit reus homicidij inde ſecuti. 113. 117.
Homicidij reus non eſt qui è turri conflagrante ſe præcipitat, vel è naui accenſâ in mare quando alia via non ſuppetit effugiendi incendij. 109. 104.
Quandonam ſit quiſpiam reus homicidij ex opere ſuo ſecuti. 114. 119.
Preuidens ex iniuria à ſe alteri illatâ occidendum tertium, an ſit reus homicidij iſtius tertij, n. 122. *& ſeqq.*
An condemnatus vt fame intereat, poſſit ſine culpa homicidij abſtinere à cibo ſibi clanculum oblato. 108. 103.
An homicida teneatur aliquid pro vita occiſi reſtituere, 117. *n.* 1. *& ſeqq.*
Tenetur hæredibus occiſi ad reſtitutionem lucri ceſſantis & damni emergentis. 119. 6.
Quomodo ſit facienda æſtimatio vtriuſque. 120. 8.
Homicida tenetur reſtituere expenſas in Medicos factas. 121. 11.
An etiam expenſas funeris. ibidem.
Hæredes homicidæ tenentur damna per eum illata reſarcire pro viribus hæreditatis. n. 12.
Etiam tunc cum homicida pœnam talionis luit. n. 14.
Modo hæredes occiſi id exigant. 122. *n.* 15.
Homicida tenetur reſtituere hæredibus occiſi damna quæ occiſum directè concernunt. 123. 22.
Non obligatur creditoribus occiſi. ibidem.
Non obligatur illis qui à defuncto ex eius liberalitate aliqua commoda percipiebant. 124. 23.
Obligatur prolibus, parentibus & vxori occiſi. n. 24.
Niſi læſus ante mortem remiſerit. n. 25.
Homicida debet etiam ſatisfacere Reip. iniuriam paſſæ. n. 26.
Quinam poſſint remittere homicidij pœnas à iure conſtitutas. n. 27.
In quibus caſibus concedantur remiſſiones homicidij. 125. 32.
Vide verbum, Occiſio.

Honor.

Quid honor. 208. 2.
In quo differt à fama bona. 209. 3.
Quibus titulis poteſt alicui honor eſſe debitus. 45. *n.* 3.
An diuites ratione diuitiarum ſint honorandi ibidem.
Honor per contumeliam læſus debet reſtitui. 246. *n.* 50.
Quomodo reſtituendus. n 51.
An qui omiſit alteri honorem debitum exhibere teneatur ad aliquam reſtitutionem. 247. 53.
Clericis non licet prætextu defendendi honoris inuaſorem occidere quando vim euadere poſſunt, nec etiam repercutere. 69. 62.
An Laicis id licitum quando poſſunt fugere. n. 63.
Non licet pro defenſione honoris acceptare duellum ſibi oblatum. 98. 70.
An pro defenſione honoris occidi poſſit calumniator. 99. 72. *& ſeqq.*

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ ſunt fructuosè ab Eccleſia inſtitutæ. 579. 39. *& ſeqq.*
Clerici initiati ordine maiori tenentur ad horas Canonicas quotidie. 580. 44.
Non autem initiati tantum ordine minori, vel tonſurati. n. 42.
An obligentur hi ad alias preces ratione ordinis vel tonſuræ. n. 43.
Quinam ratione beneficij obligentur ad horas Canonicas. 581. 46. *& ſeqq.*
Religioſi profeſſi ad chorum obligantur ad horas Canonicas. 583. 63.
Etiamſi eſſent fugitiui, vel eiecti. 584. 54.
Non obligantur Nouitij, nec Religioſi conuerſi. 583. *n.* 53.
Obligantur Moniales ad chorum profeſſæ: Item Virgines dictæ, Canonicæ. n. 54.
Quæ attentio in horis requiſita. 584. 55. *& ſeqq.*
Obligatus ad horas non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ verba & ſyllabas ſine attentione conuenienti recitando. 586. 62.
Diſtractio in horis quale peccatum. 587. 65. *& ſeqq.*
Vtrùm qui defectu debitæ attentionis non ſatisfecit præcepto legendi horas, teneatur eas repetere. 588. 69.
An teneatur ad fructuum reſtitutionem ſi non fecerit, ibidem.
Quale peccatum horas legere vel cantare ſyncopando vel mutilando verba. 590. 73.
Quænam interruptio in horis legendis ſit illicita & quale peccatum. 591. 77. *& ſeq.*

Digitized by Google

Officij integri omiſſio vel vnius ex ſeptem horis, ſine iuſta cauſa, eſt peccatum mortale. 592. 79.
Quanta partis vnius horæ omiſſio conſtituat peccatum mortale. n. 80.
Quo tempore hora legenda. 593. 81. & ſeqq.
An licitum ordinem horarum inuertere. 595. 88.
An liceat celebrare miſſam ante lectum matutinum. n. 89.
Quæ cauſa excuſantes à lectione horarum. 596. n. 91.

Hypocriſis.

An alterius hypocriſim patefacere licitum. 218. 33. & ſeqq.

I.

Idololatria.

Idololatria ſumitur tripliciter. 733. 12.
Eſt peccatum grauiſſimum. n. 13.
Duplex idololatriæ modus apud antiquos. n. 15.
Vnde eius origo. 734. 16.
Quo tempore inceperit. 735. 20.

Ieiunium.

Quid ieiunium. 807. 16.
Eſt actus abſtinentiæ. n. 15.
A quibus abſtinendum in die ieiunij. n. 17.
Vnica refectio licita. 808. 19.
Cœnula in die ieiunij quæ licita. n. 21.
Quæ hora refectionis ſeruanda. n. 22.
Quale peccatum præuenire horam refectionis. n. 23.
An peccet mortiferè qui poſt violatum ieiunium addit tertiam refectionem. 809. 25.
Ieiunium quo iure præceptum. 810. 32.
Quinam obligentur lege ieiunij. ibidem.
Quinam excuſentur ratione impotentiæ. 811. 35.
Qui excuſentur propter labores. 812. 37.
Qui excuſentur titulo pietatis. n. 38.
Quinam diſpenſant in lege ieiunij. n. 40.
Vtrùm Peregrini obligentur ſpeciali ieiunio loci in quo contingit illos verſari. 813. 41. & ſeqq.
Qui expleuit ieiunium quadrageſimale in vno loco, ſi venerit ad locum vbi adhuc durat quadrageſima, non tenetur ibi ieiunare. 814. 45.
Si vero ex loco vbi durat quadrageſima, tranſiuerit ad locum vbi finita eſt, tenebitur ibi quadrageſimam perficere. n. 46.
Ieiunij vtilitates. n. 47.

Illegitimus.

Illegitimi alij naturales, alij ſpurij. 285. 20.
An poſſint hæredes à parentibus inſtitui. 286. 26.
Naturalis ſuccedit matri inteſtatæ. ibidem.
Illegitimi ſunt incapaces beneficiorum. 493. 47.
Quinam poſſint in hoc impedimento diſpenſare. ibidem & n. ſeq.

Impatientia.

Quid impatientia. 803. 8.

Incendij.

An liceat ſe è turri, vel è naui incenſa præcipitare in mare effugiendi incendij cauſâ. 109. 104.
Incendere puluerem hoſtilem cum aliquo vitæ propriæ periculo an licitum. n. 105.
An licitum militibus incendere propriam cum certo periculo vitæ, ne in poteſtatem hoſtium veniat. 110. 106.

Incœſtus.

Quid incœſtus, & quale peccatum. 836. 43. & ſeq.

Inconſideratio.

Inconſideratio quid ſit & quando peccatum mortale. 11. 3. & 5.

Inconſtantia.

Inconſtantia quid ſit. 11. 3.
Quando ſit peccatum mortale. n. 6.

Inebriare.

Vide verbum, Ebrietas.

Infamia.

Infamare ſeipſum an peccatum ſit & quale. 223. 48. & ſeqq.
Infamare defunctos eſt peccatum mortale. 222. n. 46.
An liceat eum infamare qui fictis virtutibus famam acquiſiuit. 218. 33.
An liceat infamatum de vno crimine infamare de alijs. 216. 26.
An Iudex poſſit infamatum de vno crimine interrogare de occultis. 433. 117.
An poſſit interrogare de ſocijs non laborantibus infamia. 434. 118.
Infamiam paſſus non poteſt viciſſim infamare ſe infamantem. 242. 30.
An ſi duo ſe infamauerint, poſſint vti compenſatione quoad famæ reſtitutionem. 243. 32.
An debitum famæ reſtituendæ condonari poſſit ab infamato. n. 34.
Quos effectus habeat legalis infamia. 220. 37.
Vide verbum, Crimen, & Fama.

Ingratitudo.

An ingratitudo ſit ſemper peccatum & quale. 782. n. 18.
Incurritur omiſſione vel commiſſione, ibidem. & 783. 20.

Iniuria, Iniuſtitia.

Quid iniuria & quot modis fiat. 71. 2.
Nemo iniuriam facit niſi volens. 72. 3.
Iniuria non fit conſentienti. n. 3. & ſeqq.
Martyres quomodo iniuriam paſſi. n. 5.
An peccet qui iniuriam occultè ſibi factam, refert alteri. 220. 39.
Iniuſtitia dupliciter ſumitur. 71. 1.
An differat ab iniuria. n. 2.

Innocens.

Innocens occidi an aliquando poſſit. 90. 37. & ſeqq.
Vtrùm fuga licita cum occiſione innocentis. n. 38.
Innocentis directa occiſio ſemper illicita. 100. 75.
An poſſit tradi Tyranno petenti eum ad mortem. n. 77.

Intimiditas.

Intimiditas quid & quale peccatum. 801. 47.

Inuaſio.

Inuaſionis varij modi. 85. 20. & ſeqq.

Digitized by Google

Inuaſus tenetur quandoque fugere. n. 20.
Inuaſorem iniuſtum occidere pro vita propria defenſione licitum, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. n. 17.
Excedens moderamen inculpatæ tutelæ peccat. n. 19.
Non licet directè intendere occiſionem inuaſoris. 89. 34.
An qui cauſam dedit ſe inuadendi, poßit pro ſui defenſione inuaſorem occidere. 36.

Irreligioſitas.

Quid irreligioſitas & quæ eius ſpecies. 774. 164.

Iudex, Iudicium.

An Iudex teneatur ſemper iudicare ſecundum leges ſcriptas. 410. 32.
An Tyrannus peccet vſurpatione iudicij ius dicendo, & eius acta ſint valida. 411. 37. *& ſeqq.*
An Iudices inferiores à Tyranno cõſtituti peccent ius dicendo. 412. 42.
An Iudex intruſus vel officio priuatus peccet ius dicendo, & eius acta ſint valida. n. 43. *& ſeqq.*
An Iudicis excommunicati acta ſint valida & peccet ius dicendo, 414. 50. *& ſeqq.*
An Iudex exiſtens in ſtatu peccato mortalis peccet ius dicendo. 416. 61.
An poßit ſecundum allegata & probata condemnare quem priuatâ ſcientiâ nouit innocentem. 417. 63. *& ſeqq.*
An poßit condemnare non citatum & inauditum. 420. 74. *& ſeqq.*
An poßit condemnare aliquem reum ex ſolâ priuata ſcientia. ibidem.
Iudicium aliud ciuile, aliud criminale. 422. 81.
Triplex modus procedendi in iudicio criminali. n. 82.
Item alius modus procedendi ex officio, alius ad inſtantiam partis. n. 83.
Quid & quotuplex inquiſitio iudicialis. 423. 86.
An illam, quæ eſt generalis, debeat præcedere infamia perſonarum vel fama delicti. 424. 87.
An criminoſus occultus manifeſtari poßit cum Iudex facit generalem inquiſitionem. n. 88.
An Iudex poßit inſtituere inquiſitionem ſpecialem contra occultum criminoſum illicitè manifeſtatum in generali inquiſitione. 425. 93.
Vtrùm quando delictum eſt publicum, ſed author ignoratur, poßit Iudex inquirere quis fecerit. n. 94.
An interrogati iuridicè poßint tali caſu authorem prodere. 426. 96.
Quid ſi ſub iuramento interrogentur de authore criminis occulto. n. 100.
Vtrùm inquiſitionem ſpecialem præcedere debeat aliqua infamia perſonæ & qualis. 427. *n.* 101. *& ſeqq.*
An poßit Iudex infamatum de vno crimine interrogare de alijs occultis. 433. 117.
An poßit interrogare de ſocijs non laborantibus infamiâ. 434. 118.
Iudex peccat & tenetur ad reſtitutionem damnorum ſi condemnet non ſolidum, vel in crimine exempto. n. 120.
Item condemnans ſubditum vel ex priuata ſcientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta. 435. *n.* 121.
An Iudex poßit à partibus accipere aliqua munera. 436. 124.
Iudicij diuerſa acceptio. 402. 1.
Iudicium ſtrictè ſumptum eſt actus iuſtitiæ, & iuriſprudentiæ. 403. 2. *&* 3.
An Iudicium publicum quod inter litigantes exercetur, licitum ſit. n. 5. *& ſeqq.*
An licitum Chriſtianis in iudicio publico contendere. 405. 9. *& ſeqq.*
Quid iudicium temerarium & quot eius gradus. 406. 15.
Quale ſit peccatum. 407. 17. *& ſeqq.*

Iuramentum.

Quid iuramentum & quæ ad ipſum requiſita. 677. *n.* 1. *& ſeqq.*
An iuramentum per falſos Deos ſit verum iuramentum. 678. 4.
Iuramentum adæquatè diuiditur in aſſertorium & promiſſorium. 679. 7.
Omne promiſſorium includit aſſertorium. n. 8.
Ad quod membrum ſpectat ſimplex aſſertio de futuro iurata. n. 10.
Iuramentum comminatorium reuocatur ad promiſſorium. 680. 10.
An prædicta diuiſio ſit in ſpecies eſſentialiter differentes. n. 11.
Quid iuramentum execratorium. 681. 15.
Aliæ iuramenti diuiſiones. n. 16.
Iuramentum per creaturas quale. n. 17.
Iuramentum nunquam fuit ſimpliciter illicitum. 682. 18.
Vt tamen licitè fiat, tres requirit comites, veritatem, iuſtitiam & iudicium. 684. 25.
Iuramentum ſequitur naturam promiſsionis cui additur, habetq; eaſdem conditiones. 686. 31.
Quando executio promiſſi eſt peccatum, iuramentum accidens non obligat ad exequendum promiſſum. n. 33.
Iuramentum de non faciendo opere ſupererogationis non obligat. 687. 36.
Promiſſorium factum Deo, debet eſſe de bono meliori vt ſit validum. 688. 39.
An illud poßit mutari in melius. n. 40.
An factum homini ſic obliget vt nequeat mutari in opus melius promiſſario inuito. n. 41.
An iuramentum appoſitum ſponſalibus impediat ingreſſum religionis. 689. 44.
Vtrùm ſimplex aſſertio iurata de opere honeſto præſtando poßit mutari in opus melius. 690. 47. *& ſeqq.*
An iuramentum de actu indifferenti obliget. 692. *n.* 53.
An metu extortum obliget. 694. 60. *& ſeqq.*
An qui iurauit ſe rediturum ad carcerem, tenetur illo iuramento ſi videat mortem ſibi inferendam. 695. 63.
Iuramentum cum errore circa ſubſtantiam factam non obligat. 697. 70.

Digitized by Google

An obliget factum cum errore, circa cauſam mouentem ad iurandum, vel circa aliquam qualitatem materiæ. 698. 74.
An iuramentum à Ioſue factum Gabaonitis fuerit validum. ibidem.
Iuramentum ſimulatum factum abſque intentione iurandi, non inducit per ſe obligationem, poterit tamen per accidens illius occaſione naſci aliqua obligatio. 699. 79.
Iuramentum promiſſorium indeliberatum an obliget. n. 80.
Vt iuramentum promiſſorium obliget non requiritur voluntas promittendi aut ſe obligandi, aut adimplendi quod iuratur, ſed ſufficit voluntas iurandi. n. 81.
An iuramentum artificioſum obliget tantum iuxta intentionem iurantis, vel iuxta intelligentiam eius cui iuratur. 701. 88.
Vtrùm in iurando liceat aliquando vti amphibologiâ vel æquiuocatione. 702. 93. *&* 704. 99.
Iurare exterius ſine interna intentione iurandi, quale peccatum. 703 95.
Vtrùm in iuramento præſtando liceat aliquando vti mentali reſtrictione. 704. 100. *& ſeqq.*
An poſſit exigi iuramentum ab eo qui ſcitur iuraturus per falſos Deos. 710. 121. *& ſeqq.*
An poſſit exigi ab eo qui putatur peieraturus. 712. *n.* 130.
Nunquam licet petere ab aliquo vt iuret falſum, vel verum modo aliquo indebito. 711. 127.
An liceat petere ab aliquo vt iuret aliquid quod bonâ fide putat eſſe verum, ſed petens nouit eſſe falſum. n. 129.
Iuramentum factum abſque iuſta cauſa, quale peccatum. 714. 140.
Iuramentum promiſſorium de opere malo patrando, quale peccatum. n. 141.
An violatio iuramenti promiſſorij in materia leui ſit peccatum mortale. 718 153.
Quibus modis deſinit obligatio iuramenti. 720. *n.* 162.
An iuramenta minorennium poſſint irritari à tutoribus. ibidem.
Iuramenti obligatio tolli poteſt per diſpenſationem. 721. 165.
An poſſit diſpenſari in iuramentis factis homini abſque eius conſenſu. n. 166.
Iuramenta poſſunt etiam relaxari commutatione materiæ. 722. 169
Penes quos ſit poteſtas commutandi iuramenta. 724. 179.
Quinam poſſint diſpenſare in iuramentis factis Deo, vel ſimpliciter ad cauſam piam. 722. 170.
An Epiſcopi poſſint diſpenſare in iuramento de materia in voto reſeruata Pontifici. ibidem.
An habens poteſtatem delegatam diſpenſandi in voto, poſſit diſpenſare in iuramento circa eandem materiam. 723. 173.
Quinam poſſint diſpenſare in iuramentis factis in fauorem alicuius hominis. 723. 175.
An poteſtas ſacimaria poſſit iuramenta relaxare. 724. 177.

Ius. Iuſtitia.

Ius triplex. 21. 1.
Varia eius diuiſio n. 3. *& ſeqq.*
Quid ius in re, & quid ius ad rem, 22. 5.
Quodnam ius ſit obiectum iuſtitiæ. n. 6. *& ſeqq.*
Ius alienum violari poteſt duobus modis. 71. 2.
Iuſtitia ſumitur potiſſimùm duobus modis. 15. 1.
Quid iuſtitia vt eſt virtus cardinalis, 16. 5.
Non eſt hominis ad ſeipſum. n. 6.
Neque patris ad filium aut domini ad ſeruum. 17. *n.* 7.
Eſt in voluntate vt ſubiecto. n. 8.
Quo modo differat ab alijs virtutibus. ibidem.
Verſatur per ſe primò circa operationes. n. 9.
Secundariò verſatur circa paſſiones. 18. 9.
Quomodo habeat medium rei. n. 10.
Diuiditur in commutatiuam & diſtributiuam. 18. *n.* 11.
Quomodo hæc membra diſtinguantur inter ſe. n. 12.
Diſtributiua includit interdum commutatiuam. 19. *n.* 15.
Non tamen ſemper 20. 16.
Reſidet primariò in Magiſtratu vel Principe. 18. *n.* 11.
Prædicta diuiſio eſt analogi in analogata. n. 17.
Iuſtitia duplex rectitudo. n. 18.
Quodnam obiectum iuſtitiæ. 22. 6.
Iuſtitiæ aliud obiectum Quod, aliud Cui. 23. 7.
Iuſtitia diſtributiua læſa, per accidens interdum reparatur reſtitutione 73. 10.
Iuſtitia legalis quid 15. 2. *& ſeqq.*
Differt à pietate & obedientia. 16. 3. *&* 4.

Ius Patronatus.

Vide verbum, Patronatus.

L.

Legatum.

Si cui legentur ducenti ſi vxorem duxerit, debebuntur etiamſi religionem ingrediatur. 277. *n* 51.
Quid ſi legentur ducenti ſi vxorem duxerit, & centum ſi ingrediatur religionem. ibidem.
Vide verbum, Teſtamentum.

Liberalitas.

Quid ſit & quod eius officium. 787. 38.
Opponitur illi auaritia & prodigalitas. ibidem.

Lignatio.

Lignatio in ſyluis publicis an prohiberi poſſit. 51. *n.* 28.
Contra iuſtam prohibitionem lignari quale peccatum. n. 29.
In loco alieno lignari quale peccatum, & quâ pœna mulctandum. 52 29.

Litigium.

Quid litigium & quale peccatum. 787. 37.

Locatio, Locator.

Quid locatio. 395. 88.
An locator teneatur ad expenſas neceſſarias pro conſeruatione vel conuenienti vſu rei locatæ. n 89.
An teneatur ad onera & tributa impoſita rei locatæ. 327. 90.

An loca-

Digitized by Google

An locator rei fructiferæ teneatur facere aliquam remiſſionem penſionis ob ſterilitatem vel vaſtationem fructuum. n. 91.
Vtrùm emptor rei locatæ teneatur ſtare locationi per alium factæ. 399. 98.
Quibus caſibus locator poſſit conductorem expellere. n. 99. & ſeqq.
An minor factus maior teneatur ſtare locationibus factis per ſuum tutorem aut curatorem. n. 96.
An beneficiatus teneatur ſtare locationi bonorum Eccleſiaſticorum factæ per ſuum prædeceſſorem. n. 97.

Lucrum.

Quid lucrum ceſſans. 320. 33.
Mutuator poteſt aliquid exigere ſupra ſortem ratione lucri ceſſantis. 322. 29.
Quædam conditiones obſeruandæ. 323. 35. & ſeqq.
Quando cenſeatur lucrum ceſſare ratione mutui. 324. 37. & ſeqq.
An qui omittit pecunias ſuas applicare negotiationi vt det mutuum petentibus, poſſit ab iis aliquid accipere ratione lucri ceſſantis. 325. 39.
An in æſtimando lucro ceſſante labores ſunt deducendi. 326. 42.

Ludus.

Ludus quid ſit. 287. 1.
An ſit licitus. n. 2.
Quinam ludi ſint iure Ciuili & Canonico prohibiti. 288. 4. & ſeqq.
An acquiſita ludo vetito poſſint retineri. 290. n. 7.
An qui ludo vetito aliquid perdidit, teneatur in conſcientia ſoluere. n. 10.
Vtrùm qui nequit perdere, quia nihil habet, poſſit ex luſu lucrum facere, ſi diſſimulauit ſuam impotentiam. 291. 11.
Vtrùm qui ob peritiam ludendi nequit perdere, poſſit iuſtè lucrari. 292. 12.
An habens animum non ſoluendi ſi perdat, poſſit lucrum ex luſu accipere. n. 13.

Luxuria.

Quid luxuria & quale peccatum. 832. 23. & ſeqq.
Quænam eius ſpecies. n. 27.

M.

Magia.

Magia duplex, naturalis & ſuperſtitioſa. 758. 102.
Magia ſuperſtitioſa continet pactum cum dæmone expreſſum vel tacitum. n. 104.
Vtrumque pactum initur duobus modis. ibidem. & 759. 105.
Magia ſuperſtitioſæ diuerſæ ſpecies. 759. 106.
Quid poſſint magi circa animam hominis. 762. 121. & ſeqq.
Vide, Maleficium.

Magnanimitas.

Quid magnanimitas. 802. 3.
Quæ vitia ei opponantur. n. 5.

Magnificentia.

Quid magnificentia ſit. 802. 3.

Maleficium.

Quibus remediis vti liceat contra maleficia. 764. 127. & ſeqq.
An & quibus modis liceat amouere ſigna maleficii vt nocumenta ceſſent. 765. 131. & ſeqq.
Non licet à malefico petere vt maleficium maleficio tollat etſi foret ex ſe paratus. 769. 145. & ſeqq.
Non licet etiam cogere vt maleficium tollat nouo maleficio. 770. 151.
Non poteſt etiam peti ab illo, nec poteſt cogi vt maleficium tollat, quando ſcitur non poſſe tollere ſine nouo maleficio. 771. 153.
An liceat petere à malefico vt tollat maleficium quod poteſt modo licito tollere, ſed putatur modo illicito vſurus, vel de eo dubitatur. n. 154. & ſeqq.
An poſſit cogi minis aut verberibus ad tollendum maleficium quando poteſt modo licito tollere. 773. 162. & 86. 25.
Quibus modis cognoſci poſſit vtrum quiſpiam ſit maleficio intoxicatus. 774. 163.

Mandans, Mandatum.

Mandans damnum liber eſt ab onere reſtituendi quando mandatum ante executionem reuocatur, & reuocationem intimauit mandatario. 161. 12.
Secus ſi hic exequatur factum ante mandati intimationem. n. 16.
An ſufficiat tanta mandati reuocatio. n. 13.
Quid ſi mandatarius non acceptauerit mandatum, & tamen factum exequatur. ibidem.
An mandans reuocatione mandati inſinuata mandatario teneatur vlterius executionem impedire, ſi ille perſiſtat in propoſito facinoris exequendi. n. 14. & ſeqq.
Ratihabitio an æquiualeat mandato. 162. 17. & 18.

Martyrium.

Martyrium duplex. 790. 9.
Martyrium adultorum eſt actus virtutis. n. 10.
An ſit actus fortitudinis. n. 11.
Quid requiritur ad martyrium & vt ſit opus virtutis. 791. 14. & ſeqq.
An requiratur ad ipſum vt mors reipſa ſequatur. 791. 16.
An milites pugnantes pro defenſione fidei ſint martyres ſi occidantur. 792. 21.
Quæ diſpoſitio requiſita vt peccatori proſit martyrium ad ſalutem. 793. 23. & ſeqq.
Quinam effectus martyrii. 795. 33.
Quandonam martyrium conferat effectus ſuos. n. 34.

Matrimonium.

Matrimonium contractum poſt votum ſolemne religionis fuit ſemper irritum. 645. 105. & ſeqq.

Membrum.

Membrum infectum aut aridum abſcindere priuatâ authoritate an licitum. 110. 107.
Vide verbum, Mutilare.

Mendacium.

Quid mendacium & quotuplex. 785. 30. & ſeqq.
Eſt intrinſecè peccatum. 786. 33.

Digitized by Google

Metus.
Vide verbum, Contractus, & Votum.
Miles.
An milites ſpoliantes iniuſtè aliquam vrbem teneantur ſinguli in ſolidum ad damna reſtituenda. 168. 38. & ſeqq.
Miniſter.
Miniſtri ſacramentorum poſſunt ſine labe ſimoniæ paciſci de certo ſtipendio ſuſtentationis. 519. 35.
Poſſunt etiam accipere temporale ſtipendium pro laboribus extrinſecè ſe habentibus ad functionem ſpiritualem. 520. 39.
Item ratione obligationis quâ ſe adſtringunt ad miniſtrandum certo loco & tempore. n. 40
An poſſint aliquid accipere pro cantu Eccleſiaſtici officij. n. 43.
Minor.
An minor poſſit propriâ authoritate contrahere. 265. n. 9. & ſeqq.
Illi damnum paſſo ex contractu conceditur reſtitutio in integrum. 261. 29.
An factus maior teneatur ſtare locationi bonorum facta per ſuum curatorem 399. 96.
Monopolium.
Quid Monopolium & quibus modis fiat. 307. 55.
An omnia Monopolia ſint illicita. n. 56. & ſeqq.
Montes.
Montes pietatis ſecundum primæuam inſtitutionem, quales. 349. 1.
Montes pietatis huius temporis, quales. 350. 3.
Priores liciti ſunt & immunes à ſimonia. n. 5. & ſeqq.
Quales ſunt qui in Belgio erecti. 354. 21.
Oſtenduntur liciti, & difficultates variæ ſoluuntur. 355. 24. & ſeqq
Penes quem ſit dominium bonorum montis pietatis. 356. 26. & ſeqq.
An montes hi debeant eſſe approbati à Sede Apoſtolica. 365. 64.
An rectè vocentur montes pietatis. 366. 67.
Montes mixti qui dicantur, & an ſint iuſti. n. 70. & ſeqq.
Mors.
An condemnatus ad mortem poſſit ex ſententia Iudicis venenum ſibi propinatum ſumere. 108. 102.
An condemnatus vt fame moriatur, poſſit abſtinere à cibo ſibi clanculum oblato. 103.
Mutilare.
Mutilare quempiam ob delictum poteſtas publica poteſt. 110. 107.
Quibus caſibus ſeipſum mutilare licet. n. 108.
Extra neceſſitatem eſt illicitum. 111. 110.
An liceat ex mandato Iudicis. 112. 111.
An mutilator teneatur aliquid reſtituere pro membro ablato. 117. 2. & ſeqq.
Tenetur mutilato reſtituere lucrum ceſſans & damnum emergens. 119. 6.
Quomodo æſtimatio facienda. 120. 8.
Mutuum, Mutuator.
Quid mutuum & quæ res mutari poſſint. 310. 1. & ſeqq.
An ex mutuo liceat ſperare amicitiam mutuarij, & ex hac emolumentum. 314. 14. & 15.
An liceat mutuare cum pacto vt alter remutuet, vel aliquod beneficium conferat ſibi vel ſuis. 315. 16.
An liceat mutuare pecuniam eâ lege vt alter viciſſim frumentum iam remutuet. 315. 18.
An licitum mutuare cum pacto vt alter remittat iniuriam ſibi factam. 316. 21. & ſeqq
An licitum mutuare cum pacto vt alter merces ex tua officina emat. 318. 27.
Vtrùm mutuator poſſit ſtatuere terminum reſtituendi mutuum quando mutuatarius deſinet frequentare eius officinam. 319. 31.
Vtrum pro vſu ſecundario pecuniæ mutuatæ, vel alio modo conceſſæ liceat aliquid ſupra ſortem accipere. n. 32.
Poſſitne mutuator aliquid exigere ratione damni emergentis. 320. 54. & ſeqq.
Vide verbum, Lucrum.
An licitum paciſci cum mutuatario vt ſoluat aliquid ſupra ſortem in pœnam moræ, ſi ad tempus præfixum non reſtituat mutuum. 333. 63.
An ſemper licitũ paciſci vt mutuatarius reſtituat mutuum in eodem numero, pondere & menſura 334. 67. & ſeqq.
An mutuator qui animo vſurario accepit aliquid ſupra ſortem teneatur illud reſtituere quando pactum de tali lucro dando non interuenit. 337. n. 76.
An mutuator poſſit datum ſupra ſortem à mutuario accipere & retinere quando dubitat quo animo detur. 337. 79.
Accipere mutuum ſub vſuris ex cauſa rationabili licitum 348. 116. & ſeqq.
Sine cauſa rationabili vel ad vſus indebitos illicitum. 349. 120.

N.
Naturalis.
N*Aturalis quis dicitur.* 285. 21.
Vide verbum, Illegitimus.
Negligentia.
Negligentia quid ſit 11. 4.
Quando ſit peccatum mortale. n. 6.
Negotiatio.
Quid negotiatio. 293. 2.
An ſit licita. n. 3.
Eſt interdicta Clericis & Religioſis. 294. 5.
Poſſunt tamen negotiari per alios. n. 7.

O.
Obſeruantia.
Q*Vid obſeruantia & quod eius obiectum.* 780. n 8.
Quod eius munus. 781. 10.
Eſt virtus inferior pietate. n. 11.
Obſeruatio vana.
Eius tres ſunt ſpecies, ſcilicet ars notoria. 754. 91.
Obſeruatio ſanitatum. 755. 94.
Quale peccatum. 756. 98.
Obſeruatio euentuum. 757. 101.

Eſt ex

Digitized by Google

Eſt ex genere ſuo peccatum mortale. ibidem.
Vide verbum, Superſtitio.

Occiſio.

Occidens volentem quomodo contra iuſtitiam peccet. 72. 4.
Occidere peccatores authoritate publica licitum. 81. 5. *& ſeqq.*
Opinio Scoti reijcitur. n. 6. *& ſeqq*
Non licet occidere peccatores priuatâ authoritate. 82. 8.
Priuato licet occidere iniuſtum inuaſorem Reip. n. 10.
Quædam tamen hic ſeruanda. 83. 11.
Principem legitimum tyrannicè Remp. adminiſtrantem non licet priuato occidere. n 12.
An licitum occidere eum qui per alium mortem conatur inferre 86. 22.
An licitum occidere falſum accuſatorem. n. 23.
Salutare conſilium ſubinde eſt permittere ſe potius occidi ab iniquo inuaſore quam eum occidere. 88. *n.* 32.
Nemo poteſt ſeipſum occidere authoritate propria. 104. 89.
Licet ex Dei mandato vel conceſſione. 105.
Non licet ex authoritate humana. 106. 93.
Vtrùm animæ occiſi reſtitutio aliqua facienda per bona ſpiritualia. 123. 19. *& ſeq.*
Vide, Homicidium, Innocens, inuaſio.

Officium.

Qualiter peccent qui officia ſæcularia diſtribuunt indignis. 458. 6.
An peccent qui non diſtribuunt ea digniſſimis. 459. *n* 7.
Quales debent eſſe Officiati in Rep. n. 9.
An licitè poſſint officia ſæcularia vendi. 460. 10. *& ſeqq.*
Incommoda ſequi ſolita ex venditione officiorum. n. 11.

Oratio.

Quid oratio & cuius potentiæ actus. 569. 8.
Eſt actus religionis. n 9 *& ſeqq.*
Eſt adultis neceſſaria ad ſalutem. 570. 13.
Quando obliget præceptum orandi. 571. 15. *& ſeqq.*
An etiam oratio vocalis priuata ſit in præcepto. 572. *n.* 19.
Quæ petenda in oratione. 573. 21.
Orationis Dominicæ breuis explicatio. n. 22. *& ſeqq.*
Oratio prodeſt ad impetrandum remiſſionem peccatorum mortalium & venialium 576. 30. *& ſeqq.*
An valeat ad impetrandam pœnarum remiſſionem ſupra condignitatem operis ſatisfactorij. 577. *n.* 34.
Vide verbum, Attentio, & Horæ Canonicæ.

Oſculum.

Oſculum causâ amicitiæ ſecundum morem patriæ per ſe licitum eſt. 841. 64.
Si fiat causâ delectationis concubitus extra matrimonium eſt peccatum mortale. 842. 65
Si fiat tantum quatenus ipſum per ſe eſt actus delectationis, an ſit & quale peccatum. n. 66.

P.

Pactum.

Quid pactum. 253. 1.
Varia eius diuiſio. 254. 3 *&* 4.
Nudum pactum non parit obligationem ciuilem. 255. 6.
Parit ſi acceſſerit iuramentum. n. 7.
Vide verbum, Contractus.

Paſtio.

Paſtio in locis communibus an prohiberi poſſit. 51. 28. *& ſeqq.*

Patientia.

Quid patientia ſit. 802. 4.

Patronatus.

Quid Ius Patronatus. 477. 9. *Quomodo differat à iure conferendi beneficia.* 478 9.
Aliud eſt Laicale. aliud Eccleſiaſticum. Ibidem.
Quibus modis laicale fiat eccleſiaſticum. Ibidem.
Neutrum eſt per ſe vendibile. n. 10.
Intra quod tempus debent patroni præſentare ad beneficium 479. 10.
Quid ſi præſentauerint indignum. Ibidem.
An Pontifex poſſit derogare Iuri patronatus conferendo beneficia non præſentatis. n. 12. *& ſeqq.*
Ius laicale proprio quaſi dominio à patronis poſſidetur. n. 13.
Reſeruationes beneficiorum factæ per Canones vel regulas Cancellariæ non comprehendunt beneficia patronatus laici. 480. 14.
An Ordinarius vel Nuntius Apoſtolicus poſſit derogare iuri patronatus 481. 18.

Peculium.

Peculium quadruplum, Caſtrenſe, quaſi Caſtrenſe, profectitium & aduentitium. 27. 14.

Penſio.

An penſio licitè reſeruetur beneficio reſignato. 535. 89
An Epiſcopi poſſint creare penſiones. Ibidem.
Non poſſunt creare duraturam vltra mortem reſignatarij. 536. 90.
Solus Pontifex poteſt creare penſiones lucratiuas. n. 91
Quantâ penſione poſſint grauari beneficia. Ibidem.
Vtrum penſio licitè redimatur. n. 92.
Non poteſt vendi. 537. 93.
An poſſit permutari cum beneficio, & coram quo, num. 94.

Periurium.

Periurium ſumitur dupliciter, latè & ſtrictè. 714. *num.* 139.
Aliud eſt aſſertorium. aliud promiſſorium ibidem.
Periurium aſſertorium eſt peccatum mortale. 715. *num.* 143.
Similiter promiſſorium cum iuranti deeſt intentio adimplendi quod promittit. 716. 146.
Vtrum inaduertentia excuſet à mortali illum qui ex praua conſuetudine non retractata peierat. 717. *num.* 149.

Permutatio.

Vide verbum, Beneficij reſignatio.

Perſeuerantia.

Quid perſeuerantia. 803. 4.

Quæ vitia ei opponuntur. 803. 9.

Pietas.

Quid pietas & quotupliciter ſumitur. 779. 1.

Pignus.

An fructus percepti ex pignore ſint computandi in diminutionem ſortis. 331. 57.
An percepti ex pignore dato pro dote ſint admittendi in diminutionem dotis. 332. 60.
Vtrùm pignora apud vſurarium depoſita tranſeant in eius dominium quando tempore conſtituto non repetuntur. 340. 86.

Piſces.

Piſces naßâ alicuius capti, & inde ab alio extracti, cuius ſint. 45. 12.

Poſſeſſio.

Quid ſit. 67. 13. & ſeqq.
Poſſeſſio alia ciuilis, alia naturalis, alia mixta. 53. 4.
Poteſt quis per alium poſſidere. 68. 14.
Iura poſſunt impedire poſſeſſionem. n. 15.
Poſſeſſio tribus modis acquiritur. n. 16. & ſeqq.
Poſſeſſio iurium & ſeruitutũ apprehenditur dupliciter. 69. 20.
Poſſeſſio varijs modis amittitur. 70. 21. & ſeq.
Quid conferat priuilegij. n. 23.
Quænam ſit requiſita ad præſcriptionem. 53. 4.

Præcipitatio.

Quid ſit. 11. 3.
Quando ſit peccatum mortale. n. 5.

Præſcriptio.

Eius varia acceptio. 52. 2.
Quomodo diſtinguatur ab vſucapione. 53. 2.
Quatuor ad illam requiruntur. n. 3.
Qualis poſſeßio ad illam requiſita. n. 4.
In præſcribente rem aliquam requiritur capacitas dominij talis rei. 54. 4.
Quis titulus ad præſcriptionem requiſitus. n. 5.
An debeat titulus probari. ibidem.
Fides bona ad præſcriptionẽ qualis requiſita. 55. 6. & ſeqq.
Non poteſt prouenire ex ignorantia Iuris. n. 7.
Niſi ius ignoratum fuerit omnino ambiguum. ibidẽ.
An ignorantia iuris impediat præſcriptionem. n. 7. & ſeqq.
Dubitans an res quam poßidet ſit ſua, an poßit illam præſcribere. 56. 9.
Ignorantia iuris non impedit præſcriptionem longißimi temporis. n. 11. & ſeqq.
Nulla præſcriptio perficitur ſine bona fide. 58. 15. & ſeqq.
Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem rei mobilis inter præſentes. n. 19.
Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem rei immobilis. 59. 19.
Contra pupillum non currit præſcriptio. ibidem.
Rei immobilis præſcriptio contra Romanam Eccleſiam quanto tempore perficitur. n. 20.
Legata & fideicommiſſa quanto tempore præſcribuntur. ibidem.
Quanto tempore beneficium Eccleſiaſticum. ibidem.
Res Principis quanto tempore præſcribantur. 60. n. 23.
Præſcriptione legitima transfertur dominium rei in præſcribentem. 61. 25. & ſeqq.
Præſcriptio quare introducta. n. 26.
Reſtitutio in integrum contra præſcriptionem quid operetur. 63. 30.
Res furto ablata non præſcribuntur. n. 32.

Præſumptio.

Quid ſit præſumptio. 803. 5.

Pretium.

Pretium aliud legitimum, aliud vulgare. 295. 8.
Pretium iuſtum quod dicitur. n. 9.
Pretium legitimum conſiſtit in indiuiſibili. n. 10.
Vulgare eſt triplex, ſummum, medium, infimum. Ib.
Vtrum quando pretium legitimum diſcrepat à vulgari, liceat indifferenter vtrouis res vendere. n. 11. & 12.
Vtrum res non habentes pretium taxatum poßint tanti vendi, quanti dominus æſtimat. 296. 13.
Venditio rei ſupra iuſtum pretium an valida. 297. num. 14.
Vide verbum, Emptio, & Venditio.
An opus turpe ſit pretio æſtimabile. 272. 32.

Proceſſus.

Proceſſus alius ciuilis, alius criminalis. 422. 81.
Triplex modus procedendi, ſcilicet viá accuſationis, denuntiationis & inquiſitionis. n. 82.
Alius etiam procedendi modus ex officio, alius ad inſtantiam partis. n. 83.

Profeſſio.

Vide verbum, Religio.

Promiſſio.

Promißionis definitio explicatur. 262. 1. & ſeqq.
Promißio metu vel fraude extorta non obligat, niſi acceſſerit iuramentum. Ibidem.
Illicitè facta obligat quando opus promiſſum poteſt licitè impleri. 263. 5.
An exterius tantùm facta ſine voluntate ſe obligandi pariat aliquam obligationem. 262. 3. & 4.
An promißio merè interna obliget. 263. 7.
Promißio non obligat niſi acceptata. 264. 9.
Quid ſi fiat ciuitati, vel ad cauſam piam. 265. 11.
Quid ſi promiſſor velit ſe irreuocabiliter obligare ante acceptationem, an manebit obligatus. n. 12.
Quinam nomine abſentis promißionem ei factam validè acceptant. 266. 13.
Promißio in materia graui obligat ſub peccato mortali. 267. 16.
Quæ cenſenda hic materia grauis. 268. 18.
Promißio facta intentione ſe obligandi tantum ex quadam morali honeſtate, qualiter obliget. n. 19.
Promißionis abſolutè factæ quædam indicia. n. 20.
Dubitans quo animo promiſerit an obligetur. n. 21.
Promißio de patrando al quo crimine non obligat ante criminis patrationem. n. 22.
An obliget opere adimpleto. 269. 23. & 271. 30.
An qui pro patrato crimine recepit promiſſam mercedem, teneatur ad eius reſtitutionem. n. 24.
Quibus modis promißio legitima deſinere poſſit obligare. 272. 33. & ſeqq.

Prudentia.

Prudentia duplex acceptio. 3. 1.

Digitized by Google

Eſt virtus intellectualis. ibidem.
Falli nequit circa proprium obiectum. 4. 2.
Excludit formidinem, non ſcrupulum. ibidem.
Opinio non eſt prudentiæ actus. ibidem.
Obiectum & finis prudentiæ. n. 3.
Eſt regula virtutum moralium. n. 4.
Quomodo ab iis differat. ibidem.
Dupliciter reſpicit actionem honeſtam. ibidem.
Quomodo differat ab aliis virtutibus intellectualibus. 5. n. 5.
Diſtinguitur ab arte ibidem.
Prudentia poſtulat affectum bene ordinatum, nec poteſt eſſe perfecta ſine virtutibus moralibus. n. 6.
Quomodo ſupponatur à virtutibus moralibus. 6. n 8. & 9.
In improbis non eſt prudentia perfecta. n. 10.
Quæ ſint partes eius ſubiectiuæ. 7. 1. & ſeqq.
Prudentia perſonalis complectitur cæteras prudentiæ ſpecies. n. 5.
Quæ partes integrantes prudentiæ. 8. 6. & ſeqq.
Prudentia totalis includit plures habitus. 9. 8. & 9.
Poteſt conſiderari vt genus & vt ſpecies infima. n. 9.
Quæ partes potentiales prudentiæ. n. 10. & ſeqq.
Sunt ipſa prudentia inadæquatè conſiderata. n. 11.
Imperium prudentiæ quale. 10. 12.
Contra prudentiam peccatur per exceſſum vel defectum 1 1. 1.
Quæ vitia ei opponuntur per defectum. 11. n. 2. & ſeqq.
Quænam opponuntur per exceſſum. 8. & ſeqq.
Quid prudentia carnis & quale peccatum. ibidem.

Pubertas.

Pubertati proximi qui dicuntur 255. 9.

Pupillus.

Contra pupillum non currit præſcriptio. 59. 19.
An poſſit contrahere propriâ authoritate. 265. 9. & ſeqq

Puſillanimitas.

Quid puſillanimitas. 803. 7.

R.

Rapina.

QVid rapina & quomodo à furto diſtinguatur. 138. 5.

Raptus.

Quid raptus & quale peccatum. 835. 40.

Ratihabitio.

Vide verbum. Mandatum

Religio, Religionis ſtatus, Religioſus.

Religio vnde dicta. 551. 2.
Eius definitio explicatur. 3.
In eius exercitio quatuor actus concurrunt. 552. 5.
Eſt virtus vna & ſimplex. n. 6.
Diſtinguitur à fide & habitu quem fides requirit in voluntate. 553. 9.
Diſtinguitur à ſpe & charitate. 554. 11.
Poteſt tamen actibus fidei, ſpei & charitatis Deus coli 555. 13.
An religio differat à pietate, obſeruantia & gratitudine erga Deum. 555. 14.
Non eſt virtus Theologica. 556. 16.
Quodnam obiectum eius formale & materiale. 557. 17. & 560. 25.
Quis ſit actus religionis elicitus. 559 21.
An ille habeat rationem cultus diuini 560. 24.
Actus religioſi, alii ſunt ſpirituales, ſiue interni, alii corporales ſiue externi. 554. 21. & ſeqq.
Actus internus religionis, duplex, externus triplex. 566. 1.
Religio eſt inferior virtutibus Theologicis, ſed præſtantior moralibus. 562. 29.
Eſt præſtantior iuſtitia legali. 563. 30.
Item obedientia & pœnitentia. n 31. & ſeq.
Aliquid dare vel accipere pro ipſo ingreſſu religionis, ſimoniacum 523. 50.
An licitum aliquid exigere pro ſuſtentatione eius qui religionem ingreditur. n. 51. & ſeqq.
Auertens aliquem à ſtatu religionis ad quid teneatur. 250. 8. & ſeqq.
Quibus ex cauſis licitum diſſuadere alicui ingreſſum religionis. n 9.
Abducens Nouitium à religione ad quid teneatur. n. 10. & ſeqq
Abducens profeſſum à religione ad quid teneatur. 250. 10. & 251. 14.
An qui vouit ingredi religionem, poſſit illam ingredi ſi poſt votum puellam decepit cum promiſſione matrimonii 132. 21.
An ſponſalia iurata impediant ingreſſum religionis. 684. 44.
An grauatus debitis poſſit ingredi religionem antequã ſatisfecerit. 205. 21. & ſeqq.
An ingreſſus in religionem excuſet à reſtitutione facienda. 205. 19. & ſeqq.
Si cui legentur ducenti ſi vxorem duxerit, debebuntur etiamſi religionem ingreſſus fuerit. 277. 53.
Vide, Legatum.
Religioſi ſunt in communi capaces dominii. 28. 20.
Non habent dominium tam abſolutum quam ſæculares. 29. 20.
Religioſi ſolemniter profeſſi ſunt incapaces in particulari dominii rerum temporalium. n. 21.
Non tamen rerum ſpiritualium. 30. 23.
Superior non poteſt Religioſo concedere vlla bona ſtabila ad vſumfructum vel adminiſtrationem. 29. n. 21.
Non etiam permittere adminiſtrationem redituum vitalium à parentibus fortè conceſſorum. 30. 21.
Poteſt ex Pontificis diſpenſatione religioſus adminiſtrare bona temporalia, & ſuperflua in cauſas pias conuertere. 30. 22.
Religioſi beneficiati habent adminiſtrationem fructuum ſui beneficii tum ad ſuam ſuſtentationem, tum ad cauſas pias. n. 23.
Non poſſunt teſtari. 281. 7.
An poſſint pro ſuo arbitrio vouere 636. 81.

Reſidentia.

Quæ beneficia requirant reſidentiam & qualem. 505. 83. & ſeqq.
Ad qualem reſidentiam obligentur Epiſcopi. n. 84.
An Paſtores obligentur ad reſidentiam tempore grauis perſecutionis. 796. 26. & ſeqq.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cauſa excuſantis à reſidentia. 506. 88. & *ſeqq.*
Vtrum Canonici reſidentiam debitè peragant vbi ſemel in die interſunt officio chori. 507. 9.

Reſignatio.

Vide, Beneficium, & Simonia.

Reſtitutio.

Reſtitutio vnde dicta. 72. 6.
Quid ſit. n. 7.
Quomodo differat à ſolutione & ſatisfactione. 73. n. 8 & 9.
Pecunia mutuò accepta dicitur magis propriè ſolui quam reſtitui. n. 9.
Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. n. 10.
Obligatio reſtituendi oritur vel ratione rei acceptæ, vel ratione acceptionis. 74. 11.
Qualis culpa requiratur vt contrahat quis obligationem reſtituendi ratione damni dati. n. 13. & *ſeqq.*
Si res aliena apud te ex contractu exiſtens pereat ſine tua culpa lata, non teneris iure naturæ reſtituere. 77. 22.
Iure ciuili teneberis etiam ex culpa leui & leuiſſima, ſi contractus in tuam ſolius vtilitatem tendat. n. 23
Teneberis tantùm ex culpa lata ſi contractus vergat in ſolius domini vtilitatem. n. 24.
Teneberis ex culpa leui, non ex leuiſſima, ſi contractus vergat in tuam & domini ſimul vtilitatem. n. 25.
Obligationi huic ortæ ex culpa leui vel leuiſſima ſatisfaciendum etiam ante ſententiam Iudicis. n. 26.
Non oritur obligatio reſtituendi ex damno dato cum ignorantia concomitante inculpatâ. 78. 26.
An reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem. n. 27. & *ſeqq.*
Conſulens, laudans conſentiens, receptans, tenetur æquè immediatè reſtituere. 175. 63.
Non impediens damnum cum poteſt an obligetur ad reſtitutionem. 169. 43. & *ſeqq.*
Deprehendens rem alienam apud ſe, tenetur primâ occaſione reſtituere. 177. 1.
An teneatur aliquid reſtituere quando rem alienam bona fide putans ſuam conſumpſit vel alienauit. n. 2.
An fructus ex re aliena quam quis ſuam putabat, tenetur reſtituere. 178. 3. & 4.
Vide verbum. Fructus.
An qui iniuſtè priuat aliquem vſu rationis vel ſenſu aliquo teneatur ad aliquam reſtitutionem. 248. n. 3.
An qui fuit alteri cauſa damni in bonis ſpiritualibus, teneatur ad aliquam reſtitutionem. n. 4. & *ſeqq.*
Vide verbum, Religio.
Receptans furem an teneatur ad aliquam reſtitutionem. 167. 34.
Vide verbum, Fur, & Fama.
Extrema neceſſitas excuſat à reſtitutione. 199. 1.
An etiam tunc cum creditor eſt ſimul in tali neceſſitate. n. 2.
Vtrùm qui in neceſſitate conſumpſit rem alienam, debeat neceſſitate tranſactâ facere reſtitutionem. 200. 3. & *ſeqq.*
Grauis neceſſitas excuſat à reſtitutione quamdiu durat. 201. 7.
An eâ tranſactâ fieri debeat reſtitutio rei conſumptæ. ibidem.
An periculum ſalutis, aut damnum in bonis proprijs excuſet à reſtitutione, etiam cum iactura ſtatus. n. 8 & *ſeqq.*
Remiſſio facta per creditorem excuſat à reſtitutione. 202. 10.
Quidam tamen caſus excipiuntur. 203. 11. & *ſeqq.*
Compenſatio excuſat à reſtitutione. 206. 24.
An reſtitutio facienda quando dominus putatur re ſuâ abuſurus. 187. 12. & *ſeqq.*
Reſtitutio ablatorum iniuſtè vbi & cuius expenſis facienda cum dominus eſt abſens. 189. 17.
Vbi & cuius expenſis facienda reſtitutio eorum quæ debentur ratione rei acceptæ ſine delicto & contractu. 190. 20.
Quid ſi ſint debita ex contractu. n. 21. & *ſeqq.*
Domino res ſua reſtituenda poſtpoſitis alijs creditoribus. 191. 1.
Quid ſi res aliena habeat incertum dominum. ibidem.
Reſtitutio in integrum contra præſcriptionem quibus concedatur. 63. 31.

Reus.

An reus teneatur parere ſententiæ Iudicis contra ſe latæ. 448. 14.
Poteſt reus licitè fugere è carcere. 449. 16.
An etiam cum effractione vinculorum & carceris. n. 18 & *ſeqq.*
An liceat ſuadere reo fugam & ad eam præbere auxilium. 451. 24.

S.

Sacrificium.

Sacrificij varia acceptio. 597. 4.
Sacrificij propriè dicti definitio explicatur. 598. n. 5. & *ſeqq.*
Oblationes cereorum in templis & thurificationes non ſunt ſacrificia propriè dicta. 600. 10.
Quis miniſter ſacrificij. 601. 13.
Requiritur altare ad ſacrificium. 602. 15.
Soli Deo offerendum eſt. n. 16.
Eſt legi naturæ conſentaneum, ſed non ex vi eius ſolius præceptum. n. 17.
Eius multiplex diuiſio. 603. 17.
Vide, Miniſter.

Sacrilegium.

Quid ſacrilegium. 775. 170.
Tres habet ſpecies pro diuerſitate rerum in quibus committitur. n. 171.
Quale ſit peccatum. 777. 175.
An peccatum in die Feſto commiſſum contrahat malitiam ſacrilegij. n. 176.
An ſacrilegi incurrant excommunicationem Pontifici reſeruatam. 778. 179.

Quid

Digitized by Google

Quid ſacrilegium prout eſt ſpecies luxuriæ, & quale peccatum. 837. 47.

Saga.

Vide Maleficium, & Dæmon.

Sanctus.

Quibus modis Sancti poſſint coli. 561. 26.
Cultus quo coluntur propter diuinam excellentiam ipſis applicatam eſt actus religionis. 561. 27.
Non autem ille quo coluntur propter excellentiam creatam ſibi intrinſecam. 562. 28.

Satisfactio.

Quid ſatisfactio & quomodo differat à reſtitutione & ſolutione. 73. 9.
Vide, Solutio.

Seruus, Seruitus.

Seruitus quo iure introducta. 37. 35.
Quot modis contrahitur. 41. 1.
Vendere ſeipſum in ſeruum an liceat & quibus conditionibus. n. 1. & 2.
Pater poteſt prolem vendere, & quomodo. ibidem.
Serui tracti iniuſtè in ſeruitutem poſſunt fugere. 42. 3.
Item ſi inhumaniter tractentur, aut ad peccatum ſollicitentur, & dominus deſiſtere nolit. ibidem.
An iſtis iniurijs ceſſantibus teneantur fugitiui redire ad dominum ſuum. ibidem.
Seruus heretici an fiat liber. n. 4.
Legitima venditione vel ob crimen ſerui facti an poſſint fugere. 42. 4.
Seruo fugam ſuadens tenetur ad reſtitutionem. ibidem.
Serui bello capti poſſunt fugere ad ſuos. 43. 5.
Non tamen dominis reſiſtentibus vim inferre. ibidem.
In fuga deprehenſi an poſſint puniri. 44. 6.
An ſeruus ſit dominij capax. 28. 18.

Simonia.

Simonia vnde dicta. 508. 1.
Eius definitio explicatur. 509. 2.
Permutatio rerum ſpiritualium inter ſe non eſt ſimonia. 3.
Pretium temporale in materia ſimoniæ, triplex. ibidem.
Quid cenſetur hic ſpirituale vel ſpirituali annexũ. 510. 5.
Quæ ſimonia ſit iuris diuini & naturalis. 511. 7.
Datur ſimonia quæ tantum eſt iuris humani. 8.
In quibus illa committatur. 512. 10. & ſeqq.
Simonia triplex, mentalis, conuentionalis & realis. 513. 15.
Simonia confidentialis quæ dicitur. n. 16.
Quale peccatum ſit ſimonia. 514. 18.
Poteſt Pontifex incurrere crimen ſimoniæ tam iuris humani quam diuini. n. 21.
Non tamen pœnas iure Eccleſiaſtico conſtitutas contra ſimoniacos. 515. 22.
An ſemper ſit ſimoniacum pro ſacramentis dare vel accipere pecuniam. n. 24. & ſeqq.
Simoniacum eſt accipere vel dare aliquid temporale tanquam pretium functionis ſpiritualis quà talis, vel pro labore intrinſeco functionibus ſacramentalibus. 518. 32. & ſeqq.
Vide Miniſter.
An ſit ſimoniacum aliquid exigere pro litteris ordinationis, vel pro dimiſſorialibus vel ſigillo. 522. 46.
Aliquid dare vel accipere pro ingreſſu in Religione, eſt ſimoniacum. 523. 50.
Vtrum ſit ſimoniacum accipere pretium pro actu docendi. 526. 59 & 527. 61.
Simoniacum eſt dare vel accipere aliquod pretium pro præſentatione ad beneficium, pro electione, collatione aut confirmatione. 529. 71.
Vtrum reſignationes beneficiorum in confidentiam ſint ſimoniacæ. 538. 96.
Vtrum dare pecuniam pro redemptione vixæ in poſſeſſione ſpiritualium bonorum ſit ſimoniacum. 539. 98.
Vide Beneficium & Penſio.
Quæ pœna conſtituta contra ſimoniacè ordinatos. 541. 103.
Quænam contra ordinantes ſimoniacè. n. 104.
Quænam contra ſimoniam commiſſam circa beneficiorum promiſſionem vel impetrationem. 542. 105. & ſeqq.
Collatio ſimoniacè facta eſt nulla, etiamſi fiat prouiſo ignorante. n. 106.
An beneficium ſic acquiſitum ſit dimittendum, & fructus percepti reſtituendi vbi prouiſus ſimoniam commiſſam reſciuerit. 543. 106. & ſeqq.
Quo iure beneficium ſimoniacè acquiſitum eſt dimittendum 548. 118.
Quæ pœna ſimoniæ commiſſæ circa ingreſſum religionis. 544. 109.
Simonia mentalis non inducit pœnas iuris. 545. 111.
An ſimonia purè conuentionalis vel mixta illas inducat n. 112.
Illas inducit ſimonia realis vtrimque in totum vel pro parte completa. 547. 114.
Quandonam illos inducat ſimonia confidentialis. n. 115.
An ſimoniacè acquiſita debeant reſtitui aut dimitti. 548. 117.
Cui facienda reſtitutio pretij ſimoniacè accepti. 549. 121.

Sobrietas.

Sobrietas ſumitur tripliciter. 818. 1.
Prout ſpecies temperantiæ eſt virtus ſpecialis. n. 2.
Quibus peculiariter ſit neceſſaria. n. 4.

Societas.

Contractus ſocietatis quis dicitur. 368. 74.
Quæ requiſita ad eius iuſtitiam. 75.
Quomodo lucra inter ſocios ſint diuidenda. 369. n. 76.
An finita ſocietate Capitale ſit diuidendum quando vnus operam, alter totam ſummam contulit. 77. & ſeqq.
In hac ſocietate licitum eſt exigere aſſecurationem ſortis & certi lucri per diuerſos contractus ſucceſſiue initos. 372. 86. & ſeqq.
Licet etiam hoc facere per diuerſos contractus eodem tempore initos. 373. 93. & ſeqq.

Idem

Digitized by Google

Idem fieri poteſt per vnum ſimplicem contractum æquiualentem tribus. 376. n. 104.

Solicitudo.

Solicitudo immoderata temporalium & futurorum quid ſit & vnde proueniat. 13. 13. & ſeq.

Moderata ſolicitudo bona eſt. n. 14.

Solutio.

Quid ſolutio & quomodo differat à reſtitutione & ſatisfactione. 73. 8. & 9.

Pecunia mutuo accepta dicitur propriùs ſolui quàm reſtitui. 73. 9.

Solutio vbi facienda. 190. 22.

An debita certa ſint priùs ſoluenda quàm incerta, quando debitor non poteſt omnibus ſatisfacere. 191. 2.

An ſoluendum prius venditori quam alijs creditoribus quando res vendita adhuc exſtat, & pretium nondum eſt ſolutum. 192. 3. & ſeqq.

An debita ex delicto ſint ſoluenda prius quàm orta ex iuſto contractu, quando nequit debitor omnibus ſatisfacere. 194. 8. & ſeqq.

Habentes hypothecam ordinariè præferendi ſunt in ſolutione creditoribus merè perſonalibus vel chirographiarijs. 196. 15.

Inter hypothecarios prius ſoluendum eſt illis qui ſunt tempore priores in hypotheca. n. 16.

Excipiuntur aliquot caſus. 197. 18. & ſeq.

An inter creditores præferendus ſit qui prius ſolutionem petit. 198. 22.

An ob excommunicationem creditoris poſſit ſolutio differri. 206. 25. & ſeqq.

Vtrùm qui iurauit ſe ſoluturum debitum poſſit vti compenſatione. 148. 45.

Somnium.

An liceat ex ſomnijs coniectare de futuris. 749. 70.

Vnde ſomniorum cauſæ dignoſcendæ. 750. 74.

Sors.

Sortes triplicis generis. 752. 81.

Diuinatoriæ illicitæ ſunt. ibidem.

Conſultoriæ regulariter etiam illicitæ. 753. 83.

Diuiſoriæ quibus caſibus licitæ. n. 85.

Spiritus.

Quibus ſignis diſcerni poſſit inter ſpiritus bonos & malos apparentes. 763. 125.

Sponſio.

Quid ſponſio. 287.

An ſit licita. 288. 3.

An qui certus eſt de rei veritate poſſit ſponſione certare. 292. 12.

Spurius.

Spurius quis dicitur. 285. 21.

Natus ex raptore & rapta tempore detentionis non eſt ſpurius ſed naturalis. n. 22.

Vtrùm ſpurius teneatur credere matri dicenti illum eſſe ſpurium. 135. 32.

Spurius non legitimatus non ſuccedit patri, nec quidquam accipere poteſt ab eo ex contractu inter viuos. 285. 23.

Non ſuccedit etiam matri, nec ab inteſtato, nec ex teſtamento. n. 24.

Debentur tamen ei alimenta ſi aliunde non poſſit ſe ſuſtentare. n. 25.

Status.

Vide verbum, Religio.

Stipulatio.

Quinam pro abſente ſtipulari poſſint. 266. 13. & ſeqq.

Stipulatio turpis legibus prohibita eſt duplex. 269. n. 24.

An qui ex ſtipulatione turpi aliquid accepit, poſſit retinere. ibidem.

Stuprum.

Stuprum ſumitur tripliciter. 126. 1.

Stuprum in quod virgo conſenſit, non continet ſupra ſimplicem fornicationem, nouam deformitatem mortalem. 127. 2.

Secus ſi violetur inuita. 128. 8.

Si parentes puellæ non conſenſerint, ipſa conſentiente, poterit eſſe circumſtantia mortaliter aggrauans, non autem mutans ſpeciem. 127. 3. & ſeqq.

Duobus modis violentia fieri poteſt in ſtupro. 128. 8.

Qui conſentientem ſtuprauit, ad nihil illi aut eius parentibus obligatur. 129. 10.

Si tamen ſequatur inde dedecus familiæ, videtur teneri ad reparationem honoris. n. 11.

Tenetur etiam interdum ex charitate dare aliquam dotem puellæ. n. 12.

Quæ pœna ſtupratoris violenti. 130. 13.

Ad quid teneatur qui vi vel fraude ſine promiſſione matrimonij ſtuprum extorſit. 14. & ſeqq.

Quid ſi extorſerit copulam promiſſione matrimonij. 131. 17. & ſeqq.

Superſtitio.

Quid ſuperſtitio & vnde dicta. 730. 1.

Alia eſt cultus incongrui, alia falſi numinis. 731. 4.

Prior, alia eſt cultus pernicioſi, alia ſuperflui. ibidẽ.

Illa quæ eſt cultus pernicioſi, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; altera veniale. n. 6. & 7.

Quid ſuperſtitio falſi Numinis, & quæ eius ſpecies. 732. 10.

An ſit ſuperſtitioſum de futuris coniectare ex garritu, aut motu auium, aliorumq́ animalium. 749. 68.

Vtrùm ſit ſuperſtitioſum de futuris coniectare ex lineamentis corporis. n. 69.

Vtrùm cæremoniæ in diuerſis locis ſeruari ſolemniter ſolitæ, vt v. g. contra morſum canis rabidi, apud D. Hubertum in Ardenna, ſint immunes à labe ſuperſtitionis. 756. 98.

Quid ſuperſtitioſa obſeruantia euentuum & quomodo committatur. 757. n. 101.

Vide, Diuinatio, & Obſeruatio vana.

Suſpicio.

Suſpicio mala de proximo quale peccatum ſit. 407. n. 18. & ſeqq.

Suſurratio.

Quid ſuſurratio. 209. 6.

Syneſis.

Syneſis quid ſit.

Syntereſis.

Quid ſyntereſis. 6. 4.

Tactus

Digitized by Google

T.

Tactus.

Tactus partis verecundæ an ſit & quale peccatum. 843. 70.
An tactus impudici inter coniuges ſint peccata. 844. n. 74.
Vide, Oſculum.

Temperantia.

Quid temperantia. 804. 11
Quæ eius materia. n. 2. & ſeqq.
Duo vitia illi opponuntur, ſcilicet inſenſibilitas & intemperantia. 805. 7.

Tentatio.

Tentatio ſumitur dupliciter. 774. 165.
Quid tentare Deum. n. 166.
Quale peccatum ſit. 775. 168.

Teſtamentum.

Quid teſtamentum. 280. 2.
Quinam teſtari poſſint. n. 4. & ſeqq.
An amentes teſtari poſſint. n. 4.
Impuberes teſtari non poſſunt. 281. 5.
An filiuſfamilias teſtari poſſit. ibidem.
Religioſi teſtari non poſſunt. n. 7.
An beneficiati teſtari poſſint de fructibus beneficiorum. ibidem.
Solemnitas teſtamenti in quibus ſita. 282. 10.
Teſtamentum minus ſolemne factum ad pias cauſas coram duobus teſtibus validum eſt, etiam in foro externo. n. 11.
Legata profana in eo poſita ſoluenda ſunt. ibidem.
Validum quoque erit in foro conſcientiæ, etiamſi non adfuerint duo teſtes. n. 12.
Teſtamentum ad cauſas non pias factum coram parocho & duobus teſtibus in terris dominio temporali Pontificis ſubiectis, validum eſt in vtroque foro n. 13.
An etiam ſic factum valeat in aliis terris. 283. 15. & ſeqq.
Teſtamentum poteſt reuocari arbitrio teſtatoris. 286. 27.
Si teſtator iurauerit non reuocare, reuocatio erit illicita, ſed valida. ibidem. & n. 28.
An diſpoſitio teſtamentaria mutari poſſit per Principem, vel Epiſcopum aut Pontificem. n. 29.

Teſtis.

An quid teneatur teſtis qui falſum teſtimonium perhibuit in iudicio. 442. 23. & ſeqq.
An peccet & teneatur ad aliquam reſtitutionem qui detrectat ferre teſtimonium. n. 26. & ſeqq.
An reus à Iudice interrogatus teneatur contra ſe fateri veritatem. 444. 2. & ſeqq.
An occulta teſtium crimina detegi poſſint ad eorum teſtimonia inualidanda. 448. 11.

Theſaurus.

Theſaurus quid ſit. 49. 23.
An ſit inuentoris. ibidem. & ſeqq.

Timiditas.

Quid timiditas & quale peccatum. 801. 47.

Tonſura.

Tonſura eſt conferenda à proprio Epiſcopo. 494. 50.
Eſt prærequiſita ad beneficium. ibidem.
Quomodo probetur collata. n. 51.

Tortura.

Quando poſſit Iudex adiudicare reum torturæ. 430. n. 109. & ſeqq.
Quæ perſonæ prohibentur torqueri. 433. 114.
An poſſit quis ſæpius torturæ ſubiici. n. 115.
Emiſſio ſanguinis ex cadauere occiſi ad præſentiam alicuius non ſufficit ad apprehenſionem & torturam. n. 116.

Tributum.

Quid tributum. 461. 1.
Quatuor conditiones requiruntur vt ſit iuſtum. 462. n. 2.
Quid requiritur ex parte finis vt iuſtum ſit. 464. 7. & ſeqq.
Vtrùm Princeps poſſit noua tributa imponere vrgente neceſſitate, quando modis illicitis exhauſit publicum theſaurum, 465. 10.
Quæ proportio ſeruanda in impoſitione tributi vt ſit iuſtum ex parte formæ 466. 11. & 12.
An licitè eximantur quædam perſonæ à ſolutione tributorum. n. 13.
Quibus rebus tributa imponi non poſſint. n. 14. & ſeqq.
Quinam habeant poteſtatem imponendi tributa. 462. n. 3. & ſeqq.
Clerici ſunt ab illis exempti iure Ciuili & Eccleſiaſtico. 468. 17.
Quidam caſus excipiuntur. n. 18.
An illa exemptio ſit etiam iuris diuini vel naturalis. 469. 19. & ſeqq.
Vide, Vectigal.

Turpiloquium.

Turpiloquium quale ſit peccatum. 843. 69.

Tyrannus.

Tyrannus duobus modis dicitur. 82. 10.
An licita priuatis eius occiſio. ibidem. & ſeqq.

V.

Vectigal.

Quid vectigal & quæ eius ſpecies. 461. 1.
Quatuor conditiones requiruntur ſit iuſtum. 462. 2.
Quinam illud imponere poſſint. n. 3. & ſeqq.
An Epiſcopi poſſint vectigalia imponere Clero aut populo ſibi ſubiecto, 464. 6.
An ſi dubium ſit de vectigalium iuſtitia, liceat ea exigere. 465. 9.
Quibus rebus vectigalia imponenda vel non imponenda. 466. 14. & ſeqq.
Vtrùm & qualiter peccent defraudantes vectigalia. 471. 24.
An ſint ſoluenda quando neſcitur vel dubitatur an ſint iuſta. 472. 24. & ſeqq.
An ſoluenda antequam exigantur. n. 26.
Vtrùm qui emit rem à mercatore ſciens illum fraudare vectigalia, teneatur ad eius ſolutionem. 473. 27.

An licitum defraudare vectigalia intuitu facienda compenſationis. n. 29.
Quo iure exempti Clerici à vectigalibus. 468. 17. *& ſeqq.*
Vide, Tributum.

Venatio.

An venatio in fundo alieno ſit licita. 46. 13.
An poſſit prohiberi à Principe. n. 14. *& ſeq.*
An teneatur Princeps reparare damna quæ feræ ob prohibitam venationem inferunt agris vicinorum. 47. 15.
Venatio prohibetur quatuor ex cauſis. n. 16.
Qualis ſit prohibita Clericis. n. 17.
Quomodo peccet qui contra iuſtam prohibitionem venatur. ibidem.
An teneatur ad aliquã reſtitutionẽ. 48. 18. *&* 19.
Pœna contra venatores in locis prohibitis qualis eſſe debeat. n. 20.

Venæ metallicæ.

Venæ metallicæ cuius ſint. 49. 21. *& ſeq.*

Venditio.

Quid venditio. 293. 1.
Venditio ſupra iuſtũ pretiũ per ſe illicita. 297. 16.
An ſit valida. n. 14.
An poſſit pretio currenti res ſuas vendere qui copiã mercium aduehendã priuatâ notitiâ ſciens prævidet minuendum pretium. 299. 21.
An venditor teneatur emptori indicare occultum vitium ſuarum mercium. 300. 23. *& ſeqq.*
Vtrùm liceat cariùs credito vendere quàm paratâ pecuniâ. 302. 30. *& ſeqq.*
Vtrùm qui rem alienam ex commiſſione vendit pretio ſibi præfixo, poſſit ſuperexcreſcentiam retinere ſi pluris vendiderit. 306. 48.
An venditio cum pacto redimendi ſit licita. n. 50.
Vtrùm res vendita tranſeat in dominium emptoris ante ſolutum pretium. 192. 3.
An maneat venditori hypothecata. 193. 5.
Vide, Emptio.

Venenum.

An condemnatus ad mortem poſſit ex ſententia Iudicis venenum ſibi propinatũ ſumere. 108. 102.

Veracitas.

Quid veracitas. 784. 26.
Eſt virtus annexa iuſtitiæ. 785. 27.
Quanam eius functiones. n. 28.
Vnde naſcitur debitum quod hæc virtus reſpicit, n. 29.
Quanam vitia ſint illi oppoſita. 785. 30. *& ſeqq.*

Vindicatio.

Quid vindicatio & quotuplex. 783. 21.
An ſit actus virtutis ſpecialis. n. 23.

Violatio.

Cur violatio virginis violenta ſpectet potius ad ſpeciem luxuriæ quàm iniuſtitiæ. 129. 9.
Vide, Stuprum.

Virginitas.

Quid virginitas. 828. 5.
Quibus modis amittatur. n. 7.
Excellentior eſt ſtatu matrimonij. 829. 14.
An circumſtantia virginitatis ſit confitenda ab eo qui moroſas delectationes de puella virgine habuit. 128. 7.
Vide, Stuprum.

Virtus.

Quomodo virtutes morales differant à prudentia. 4. 4.
Supponunt prudentiam. 6. 8. *&* 9.
Partes virtutis potentiales quæ dicuntur. 9. 10.
Virtutes ſe mutuo iuuant. 18. 9.
Medium virtutis vnde oriatur. 18. 10.
Virtutes diſtinctæ à iuſtitia non habent rectitudinem niſi cum reſpectu ad agentem. 20. 18.

Vita.

Vita omniũ hominũ ſunt æqualis dignitatis. 118. 5.
An pro vita occiſi aliqua reſtitutio facienda. ibidẽ.
Nemo tenetur pro vita prolonganda vti victu delicatiori vel extraordinario. 107. 99.

Voluntas.

Quid vltima voluntas & quotuplex. 280. 1. *&* 2.

Votum.

Quid votum. 613. 1. *& ſeqq.*
Ad illud non ſufficit nudum propoſitum. ibidem.
An votum emiſſum cum intentione non implendi, obliget. 614. 3. *& ſeqq.*
An obliget emiſſum cum intentione non obligandi ſe. 615. 6.
Quæ requiſita ad validitatem voti. n. 8.
Vtrùm dubitans an vouerit, vel an ſatis deliberatè, obligetur voto. 616. 9.
An votum ex metu emiſſum ſit validum. n. 10. *& ſeqq.*
Votum, cui error circa aliquod extrinſecum vel accidentarium, cauſam dedit, non eſt inualidum, 618. 26.
Secus ſi error ſit circa ſubſtantiam voti, aut in eam redundet. n. 17.
Votum eſt actus latriæ & elicitus à virtute religionis. 620. 21.
Impletio voti eſt actus religionis imperatus tantùm. n. 23.
An etiam Sanctis poſſint fieri vota. 621. 25.
Vouere & votum implere animo colendi Deum, laudabile eſt. 622. 31.
Opus ex voto factum melius eſt quam idem factum non ex voto. 623. 33.
Materia voti alia remota, alia proxima. 626. 44.
Materia proxima debet eſſe actus humanus liber. n. 45.
Non poteſt eſſe actus malus. 628. 53.
Non poteſt eſſe actus indifferens quatenus talis. 629. 57.
Debet eſſe actus honeſtus, ſiue ſit conſilij, ſiue præcepti. 630. 58.
Vouens opus malum quomodo peccet. 629. 56.
Materia remota voti poteſt eſſe in ſe neceſſaria. 626. 46.
Vtrùm votum obliget quando eius materia eſt tantùm pro parte impoſſibilis. n. 47.
An obliget quando eius materia eſt impoſſibilis ratione modi adiecti. 628. 51.
An votum de nunquã peccando ſit validũ. 627. 49.
Debet votum eſſe de meliori bono. 631. 61.
An votum matrimonij contrahendi poſſit eſſe validum. 632. 67.

Digitized by Google

An votum Iephte validum & eius impletio licita fuerit. 634. 72.
Quinam vouere poſſint. 635. 77.
An perſona alijs ſpeciali titulo ſubiecta, vouere poſſint. 636. 81.
Voto alterius merè perſonali citra proprium conſenſum nullus obligatur. 638. 85.
An vota communitatis obligent ſucceſſores. 639. 86.
An votum reale vel mixtum teſtatoris obliget hæredes. n. 87.
Voti diuiſiones variæ.
Quod votum ſimplex. 640. 90.
Votum ſolemne dupliciter dicitur. n. 92.
In quo ſita ſubſtantialis ſolemnitas voti. 641. 93. & ſeqq.
Voti tranſgreſſio eſt peccatum mortale. 648. 114.
An poſſit eſſe veniale ob paruitatem materiæ. n. 115. & ſeqq.
An qui vouit ingredi religionem, poſſit votum implere ſi promiſſione matrimonij poſtmodum puellam deceperit. 132. 21.
Vota conditionalia, quædam ſunt pœnalia, quædam purè conditionalia. 660. 153.
Non omnia illa ſunt conditionalia quibus adijcitur particula conditionalis. 661. 157.
Votum pœnale quod dicitur. 663. 162.
Quinque modis poteſt quis liberari ab obligatione voti. 649. 118.

Voti commutatio.

An & quomodo poſſit quis propriâ authoritate vota ſua commutare. 650. 119. & ſeqq.
Habens poteſtatem diſpenſandi in voto ordinariam vel delegatam, habet quoque poteſtatem vota commutandi. 651. 125.
Commutatio voti reſeruati in aliud reſeruatum poteſt fieri tantum à Pontifice. 665. 168.
An facta commutatione voti reſeruati in non reſeruatum, poſſit Epiſcopus votum poſterius in aliud commutare. 652. 127.
An is cuius votum per ſuperiorem eſt commutatum, ſatisfaciat adimplendo prius votum. n. 128.
An tenebitur adimplere prius votum ſi adimpletio poſteriorũ fiat impoſſibilis. 653. 129.
Vtrùm facultas commutandi vota quæ datur in Iubilæo extendat ſe ad vota emiſſa poſt conceſſionem Iubilæi. 130.
An habens poteſtatem commutandi vota, poſſit etiam commutare pœnam incurſum ob votum violatum n. 129.
Habens poteſtatem commutandi vota, non autem diſpenſandi, nõ poteſt commutare in minus. n. 131.
An votum iuramento firmatum poſſit commutari in melius. 688. 40.
An requiratur aliqua cauſa ad votum commutandum. 654. 132.

Voti diſpenſatio, reſeruatio.

Quid diſpenſatio in voto. 654. 133.
An in ea concedenda ſeruanda ſit certa forma. 677. n. 209.
Eccleſia habet poteſtatẽ diſpenſandi in votis. 654. 134.
Diſpenſatio in voto ſine iuſta cauſa conceſſa, eſt inualida. 655. 135.
Quæ cenſenda cauſa ſufficientes ad diſpenſandum in votis. n. 136.
Poteſtas diſpenſandi in votis competit ſolis Eccleſiæ Prælatis habentibus iuriſdictionem in foro externo. 657. 142.
Pontifex habet illam poteſtatem immediatè à Chriſto. n. 143.
In quibus & quorum votis Epiſcopi diſpenſent. 658. n. 144.
An Archiepiſcopus poſſit diſpenſare in votis ſubditorum ſuffraganeis. ibidem.
Quinam Prælati infra Epiſcopos diſpenſent in votis. n. 145.
Quæ vota Pontifici reſeruata. 659. 149.
An vota purè conditionalia circa materiam reſeruatam, ſint reſeruata. 660. 154. & ſeqq.
An vota pœnalia circa materiam reſeruatam, ſint reſeruata. 663. 162. & ſeqq.
An votum ſub diſiunctione factum de materia reſeruata, & de non reſeruata ſit reſeruatum. 664. n. 165.
Vota reſeruata ſunt ſtrictè interpretanda. n. 166.
Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto ingrediendi religionem non approbatam. ibidem.
Item in voto ſuſcipiendi ordines ſacros. ibidem.
An poſſit diſpenſare in voto non nubendi. n 167.
Quibus caſibus poſſint Epiſcopi diſpenſare in votis Pontifici reſeruatis. 665. 169. & ſeqq.
An illis caſibus quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis reſeruatis Pontifici, etiam poſſint inferiores Epiſcopo habentes poteſtatem delegatam diſpenſandi in votis Epiſcopo reſeruatis. 667. 176.
Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis annexo ordini ſacro. n. 177.
Item in ſolemni voto religionis. n. 179.
An poſſit diſpenſare manente ſtatu religionis. 668 n. 182.
Vtrùm ſub generali conceſſione diſpenſandi in votis, comprehendantur vota reſeruata. 671. 189. & ſeqq.
Diſpenſatio in voto obtenta per ſubreptionem eſt irrita. 672. 192.
Quando reddatur irrita ob ſubticentiã veri n. 195.
Quando ob narrationem falſi 673. 196.
An ſit valida metu extorta. 675. 203.
Vtrùm obligatio voti habentis adiectam conditionem ceſſet quando vouens facit ex malitia ſua conditionem tolli. 676. 205.

Vſucapio.

Quid vſucapio & an à præſcriptione diſtincta. 53. 2.

Vſura.

Quid vſura. 311. 6. & 7.
Eſt prohibita iure diuino & humano. 312. 9.
Etiam iure naturali. 313. 10.
Diuiditur in externam & internam, realem & mentalem. 314. 13.
Vtrum qui contractum vſurarium fecit putans bonâ fide iuſtum, poſſit ſibi aliquid ex eo retinere quaſi ratione lucri ceſſantis. 328. 48.
Vtrũ ratione periculi ſortis vel difficultatem eam recuperandi aliquid exigere ſit vſurarium. n. 49. & ſeqq.

Digitized by Google

An ſit vſurarium accipere ſupra ſortem aliquod lucrum ratione carentiæ pecuniæ vel obligationis eam non repetendi ante certum tempus. 330. n. 54.
Vtrùm vſurarius fiat dominus lucri vſurarij. 338. n. 81.
Res pecuniâ vſurariâ acquiſita tranſeunt in dominium vſurarij. 339. 84.
Vſurarius vendens rem titulo vſuræ acceptam fit dominus pretij, ſed non transfert dominium rei in emptorem. ibidem.
Res alienas per vſuram extortas nemo poteſt ſeu gratuito ſeu oneroſo titulo accipere ab vſurario. n. 85.
Licet ab eo accipere res illas quarum ipſe eſt dominus, quando non manet impotens ad faciendam reſtitutionem. 340. 87.
Secus ſi inde fiat impotens ad reſtituendum, n. 88. *& ſeqq.*
An poſſit aliquid tunc accipi ex contractu prius inito. 341. 93.
An poſſit aliquid accipi ab vſurario per teſtamentum. n. 94.
Vtrùm liceat acceptare aſſignationem ab vſurario & vſurarium ſolutionem eius nomine exigere. 342. 95.
Hæredes vſurarij obligantur ad vſurarum reſtitutionem pro viribus hæreditatis. 342. 98.
An obligentur vltra vires hæreditatis. 343. 99.
Vtrùm quando ſunt plures hæredes, ſinguli teneantur in ſolidum. n. 100.
An obligentur legatarij deficiente hærede. n. 101.
Deponere pecunias apud vſurariũ an liceat. n. 102.
Inducens alium ad exercendas vſuras tenetur ad illarum reſtitutionem. 344. 104.
An famuli fœneratorum ſint dicendi cooperari vſuris & teneri ad illarum reſtitutionem. n. 105.
An peccet Notarius conficiens inſtrumentum contractus vſurarij. 345. 108.
Vtrùm ſuperior compellens ſoluere vſuras, vel impediens ſolutas repeti peccet & obligetur reſtituere. 346. 109.
Permittere vſuras interdum licet. ibidem.
Elocans domum fœneratori ad vſuras exercendas, vel permittens in ea exerceri, tenetur ad illarum reſtitutionem. 347. 112.
Vſurarij manifeſti qui dicuntur. n. 113.
Quæ pœna in vſurarios conſtituta. n. 115.
Vſuras ſoluenti fit iniuria. 72. 4.
Vide, Mutuum.

Vſus.

Quid vſus. 65. 4.
Quomodo vti differat à frui. ibidem.
Vſus alius eſt iuris, alius facti. n. 4. *& ſeqq.*
Vſu conſumptibilia quæ dicantur. n. 5.
Quomodo vſus differat à dominio in rebus vſu conſumptibilibus. n. 5. *& ſeqq.*
Ioannis 22. ſuper hac re opinio, ibidem.
Minoritæ & Capucini habent vſumfacti in rebus vſu conſumptibilibus, non dominium. 66. 7. *& ſeqq.*

Vſusfructus.

Quid ſit. 63. 1. *& ſeqq.*
In quo differat ab vſu, & in quibus rebus habeatur. 64. 2. *&* 65. 4.
Vſusfructus alius eſt legalis, alius conuentionalis. n. 3.
Quibus modis acquiratur & amittatur. ibidem.

F I N I S.

ERRATA p. paginam: c. columnam: l. lineam textus denotant.

Paginâ 5 *c* 1 *l* 3 poſt reſpicere, *adde* bonum. *c* 2 *l* 29 homibus *lege* hominibus *p* 11 *c* 1 *l* 15 prijcipittio, *lege* præcipitario. *l* 19 examines *lege* examines. *p* 12 *c* 1 *l* 53 aſtutiriam *lege* aſtutiam. *p* 31 *c* 2 *l* 8 ſuperexceſſeret, *lege* ſuperexcreſceret. *p* 40 *c* 1 *l* 38 accedit *lege* accidit. *p* 43 *c* 2 *l* 12 primæuia *lege* primæua *l* 27 gandrenſe *lege* gangrenſe. *p* 44 *c* 2 *l* 47 humanam *lege* humanum, *p* 74 *c* 2 *l* 33 foris *lege* fores. *p* 75 *c* 2 *l* 6 commiſſionem *lege* commiſſionem. *p* 113 *c* 2 *l* 21 eum *lege* eum. *p* 133 *c* 1 *l* 47 ſententium *lege* ſententium. *p* 134 *c* 2 *l* 2 quidam *lege* quidem. *p* 137 *c* 2 *l* 15 quid *lege* quod. *p* 149 *c* 2 *l* 46 reſtiuere *lege* reſtituere. *p* 151 *c* 1 *l* 10 eius *lege* hæc *c* 2 *l* 18 *poſt* loco, *adde* te. *p* 159 *c* 1 *l* 23 rationaliter *lege* realiter. *p* 162 *c* 2 *l* 23 mandato non comparari, *lege* mandato non eſt dubium comparari. *p* 167 *c* 2 *l* 25 ſi *lege* ſic. *p* 168 *c* 2 *l* 23 ſuperiores *lege* ſuperioris. *p* 169 *c* 2 *l* 55 præſumptione *lege* præſumptionem. *p* 236 *c* 1 *l* 6 caſtentia *lege* caſtrenſis. *p* 237 *c* 2 *in fine legendum*, famam reſtituere non poteſt, eam compenſare tenetur. *p* 238 *c* 1 *l* 9 ſine *lege* ſine. *p* 240 *c* 1 *l* 51. plenotem *lege* pleniorem. *p* 245 *c* 1 *l* 21 aduenicndis *lege* adinuenſis. *p* 246 *c* 2 *l* 17 ergo *lege* erga *p* 257 *c* 2 *l penult.* dolo malo, *lege* doli mali *p* 258 *c* 1 *l* 1 validitatis *lege* validitatem. *p* 267 *c* 1 *l* 7 cinius *lege* cuius. *& c* 2 *l* 7 impellere *lege* implere. *p* 277 *c* 2 *l* 28 ligionis *lege* Religionis *p* 283 *c* 2 *l* 50 ignorantam *lege* ignorantiam. *& l* 55 authoritate *lege* authoritatem. *p* 289 *c* 1 *l* 43 rigoſoriorem *lege* rigoroſiorem. *p* 292 *c* 1 *l* 10 lucrari *lege* non lucrari. *& c* 2 *l* 15 primo *lege* primæ. *p* 309 *c* 2 *l* 37 impetrauit *lege* impetrauerunt. *p* 314 *c* 1 *l* 1 fauore *lege* fœnore. *p* 323 *c* 1 *l* 37 ratio *lege* ratione. *p* 333 *c* 2 *l* 39 ad ſingulos, *adde* annos *p* 351 *c* 2 *l* 8 inuicit *lege* indicium. *p* 354 *c* 2 *l* 12 cognitionem *lege* cognitionem. *p* 358 *c* 2 *l* 5 exigebant *lege* erigebant. *p* 360 *c* 1 *l* 4 apprehennat *lege* apprehendere. *p* 363 *c* 2 *l* 55 vſuraria *lege* vſurariam. *p* 378 *c* 2 *l* 5 pereunt *lege* pereunte. *p* 397 *c* 1 *l* 24 contra *lege* onera. *p* 456 *c* 2 *l* 8 victoribus *lege* victoribus. *p* 475 *c* 2 *l* 7 feret *lege* fieret. *p* 479 *c* 1 *l* 28 beneficum *lege* beneficium, *& c* 2 *l* 17 ſimpliter *lege* ſimpliciter. *p* 480 *c* 2 *l* 18 paraonos *lege* parronos *p* 490 *c* 1 *l* 40 promutatione *lege* permutatione. *p* 497 *c* 1 *l* 38 quid *lege* quod. *p* 512 *c* 2 *l* 25 facile *pro* facere. *p* 514 *c* 1 *l* 3 ſub *pro* ſuo. *p* 536 *c* 2 *l* 50 *lege* ducatorum centum. *p* 575 *c* 1 *l* 8 perituriam *pro* penuriam. *p* 582 *c* 2 *l* 31 decenti *pro* decenti. *p* 596 *c* 1 *l* 8 ob *pro* ab. *p* 597 *c* 1 *l* 9 iudicauimus *pro* indicauimus. *p* 607 *c* 2 *l* 38 populis *pro* populus. *p* 628 *c* 1 *l* 36 vitatur *pro* vitiatur, *p* 663 *c* 1 *l* 6 tam *pro* iam *p* 664 *c* 2 *l* 59 iubendi *pro* nubendi. *p* 665 *c* 2 *l* 25 qui *pro* quia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google